ELYSIVS IVCVNDARVM QVÆSTIONVM CAMPVS,

AVCTORE

GASPARE A REIES FRANCO.

ELYSIUS IUCUNDARUM QUÆSTIONUM CAMPUS,

OMNIUM LITERARUM AMOENISSIMA VARIETATE REFERTUS.

MEDICIS INPRIMIS,

Tanquam in quo luxuriantis naturæ spectatissimi flores erumpant, & admiranda illius opera contemplentur, maximè delectabilis.

THEOLOGIS DEINDE, JURISPERITIS, ET OMNIUM DENIQUE BONARUM DISCIPLINARUM STUDIOSIS,

Philosophis, Philiatris, Philologis, Philomusis summè utilis, ac ab omnibus expetitus.

Auctore GASPARE A REIES FRANCO Illustrissimæ Urbis Carmonensis Medico Iurato.



BRUXELLÆ,
Typis & sumptibus FRANCISCI VIVIEN, sub signo Boni Pastoris
M. DC. LXI.
Cum Approbatione & Privilegio.

PER-ILLUSTRI, NOBILISSIMO, AC INTEGERRIMO VIRO

FRANCISCO LOPEZ FRANCO, Y FEO:

Domino de Contich, & Helmont:

Pietate insigni, virtute singulari, prudentiâ & æquitate admirabili.

LUcubrationes hæ, Consobrine charissime, quò imbecilliores & parvi ferè momenti, tantò potiori favore, & validiori fulcimento opus habere videbantur, ut & starent, & ab aliis commodè susciperentur. Utrumque tuo celeberrimo Nomine consecuturum me fore haud dubito; etenim ad favorem tuum justiùs recurrit hoc opus: nam tuo sub gremio confabricatum est, ac Te auspice prima fundamenta injicere cœpi. Illi igitur & meæ dignitati rectè consuluisse mihi videor, quòd Te virum undequaque ornatissimum in tutelam adsciverim, cujus laudatissima virtutum series, sicuti aliis facit laudationis copiam, sic mihi velut tanto oneri haud suffecturo, non injustè silentium quidem indicit. Penè enim obruerer, si immensam illam animi tui in egenos charitatem, in exteros pietatem, attingere vellem. Quid dicam, si amplissima beneficia prosequi velim, quibus totam familiam tuam largissimâ manu assiduè cumulâsti,

quibusq; eandem, ac me præcipuè, obstrinxisti? Quid mirum igitur, quòd tantæ virtutis tuæ fulgor ac merita, fortunæ amplitudo, beneficiorum memoria, pluraque alia, quæ, vel me tacente, nemini non nota sunt; hæc, inquam, jure exposcant, ut tanto tuo Nomini gratias agam, cùm hæc omnia animum undequaque alliciant, ut Te quàm maximè colam, & admirer, cum & privatis aliis de causis Tibi tantum debeam, quantum nec referre, nec solvere unquam possim? Debentur igitur Tibi hæc laboris nostri auspicia, qui labores nostros, ac studia fovisti: ingratè enim, ac dementer facerem, nì primos hos studiorum fructus tanquam sospitatori ac tutelari Tibi promptè offerrem. Itaque quod tuum est ad Te redit, quippe apud nullum alium securiùs extare poterunt, quandoquidem insigni tuâ virtute ea proteges, & maximâ quâ polles prudentiâ tutaberis, ac tandem me Tibi devinctum novo amoris tui vinculo devincies, ut nusquam jam, quos domi habeo, exterorum aliorum favores emendicare, aut præstolari debeam. Vale ac diu vivas, ut opto. Pridie idus Februarii, anno 1658.

Tibi summo amoris affectu deditissimus

D. GASPAR A REIES FRANCO.

AN-

TYPOGRAPHUS LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

Dum Quæstiones hæ & Disceptationes sub prælo sudant, V. N. FRANCISCUS LOPEZ FRANCO ET FEO, Toparcha de Contich & Helmont, cui Author opus suum (ut ex præfatione præmissâ patet) dedicârat, præmaturo fato diem suum obiit, magno sui relicto desiderio.

Mortalitatis ille memor, Sacellum magnificum Deiparæ ac Divi Francisci honori Antverpiæ apud P. P. Minoritas erexerat, & Altari Marmoreo, Tabulâque insigni, & ornamentis splendidissimis ditârat. Ad latera altaris ipse, ejusque conjux hinc inde artifici sculptoris manu repræsentati, & venerabundi in genua procumbentes spectantur, isto sub illorum statuis posito Epitaphio; Quod ne ibi tantùm legatur, eximiæ piorum Conjugum Virtutes jure suo sibi deposcunt.

D. O. M. SACR.

ET MEMORIÆ
D. FR. LOPEZ FRANCO ET FEO,
VLYSSIPONENSIS,
TOPARCHÆ DE CONTICH ET HELMONT,
A PHILIPPO QUARTO, HISPANIARVM
INDIARUMQVE REGE INTER REGNI
CASTELLÆ NOBILES ADSCITI,
CUJUS SINGULARIS IN DEUM PIETAS, IN
REGEM FIDES, IN EGENOS LIBERALITAS,
IN OMNES COMITAS, ENITUIT.
SACELLUM HOC DEIPARÆ AC DIVI
FRANCISCI HONORI A FUNDAMENTIS EXSTRUXIT ET ORNAVIT,

AT-

ATQUE IN EO CONDITORIUM SIBI
SUISQUE PARAVIT VIVUS,
IN QUO QUIESCERET MORTUUS.
NOLI, VIATOR, INJURIUS ESSE MORTUO,
VIVENS QUI FUIT NEMINI.
DECESSIT IDIB. FEBRUARII, ANN. CIↃ·IↃC. LX.
ÆTATIS SUÆ, LV.

D. MARIA-ANNA FRANCO
EJUS CONJUX ET COGNATA GERMANA,
DOMINA DE CONTICH ET HELMONT.
EXIMIÆ PIETATIS MODESTIÆ ET EXEMPLI
MATRONA, IN EODEM TUMULO CONDI CUM
MARITO VOLUIT,
DE QUO NIHIL DOLUIT NISI
MORTEM EJUS.
OBIIT. . . . .

D. SEBAST. RODRIGUEZ FEO,
FRANCISCI PATER, LUSITAN.
DE HOC COENOBIO BENE MERITUS,
DECESSIT V. IDUS JULII, ANN. CIↃ· IↃC. XLI.
EJUSDEM OSSA IN HOC CONDITORIUM A FILIO
SUNT TRANSLATA.

R. I. P.

AT-

EPIGRAMMA

In laudem sapientissimi Doctoris Gasparis de los Reies Lusitani, olim apud Eborenses laureati, & nunc apud Carmonenses Medici Iurati, eruditissimum librum (cui titulus est Campus Elysius) edentis.

Fit allusio ad nomen REIES.

CEcropii quondam Regem dixêre salutis
 Patronum; at Regum Carmo coronat opus.
Ille quòd à Coidis Regalem duxerit ortum,
 Rex Medicûm, Sophiâ regnat & ipse suâ.
Nec seciùs *Gaspar*, Lysiis descendit ab oris,
 Rex Medicûm, Hesperiis nomen & omen habet.
Hippocratem ergò decantet gens Attica Regem,
 Lauriferumque caput serta salutis edat.
Dum Portus Gallæ ingeminat nunc Ebora Regem
 Gasparem, & Elysians Bœtica serta beat;
Sic clarens Reges donat Medicina gemellos,
 Æquales regnent *Gaspar*, & *Hippocrates*.

R. P. Didacus Dellote.

ERVDITISSIMVM OPVS

GASPARIS DE LOS REIES

In Medicina laureati Doctoris, ipsius nominis triplici Anagrammate Amicus concelebrat.

GASPAR DE LOS REIES.

Anagramma

ARDE SOL, REGIS APES

ASpice mellilegæ sinuosa palatia turbæ,
 Fragrat ubi cumulo divite veris honos.
Narcissus mixtus calthis; violisque Hyacinthus,
 Dulce apibusque thymum, liliolisque rosa.
Aspice, sunt isthæc studiosis tecta Minervæ
 Exemplar, stimulus, vivida imago scholæ.
Hæc medicis, Gaspar, dum commentaria cudis,
 Ducis Apes *Sophiæ, doctus in arva* Regis.
Fingit in ære favos liber hic tuus, hincque palato
 Suavia doctrinæ pignora quisque leget.
Nec satis ista tuo sunt munera, credito, libro,
 Spargit hic ignitas, Phœbus ut orbe, faces.
Ingenio inspirat flammas, Sol *flammeus* Arde,
 Tu calamo, Phœbus lumine, cuncta foves.

ẽ Ejus-

EJUSDEM
ANAGRAMMA SECUNDUM.
GASPAR DE LOS REIES

Anagramma

ASPERA DOLIS REGES.

Nulli (credo) magis prudentia poscitur arti
Præ Medicâ, incolumis perstet ut orbe salus.
Non temerè utendum medicamine, Gaspar, in omnem
Ægrotum, vigili sed reparandus ope.
Vulnera quæ rigidus quandoque medebitur ensis,
Sunt eadem miti sæpè fovenda manu.
Indiget ista *dolis* sapientia; ducat ut æger
In stomachum, sacharo pharmaca amara tegit.
Laurea prudentis Medici tibi debita jure est,
Nomine cùm hoc præfers calliditatis opus.
Felix arte *reges* magis *aspera* vulnera morbi,
Cùm parat huic blandis pharmaca dextra *dolis*.

EJUSDEM
ANAGRAMMA TERTIUM.
GASPAR DE LOS REIES

Anagramma.

ARGOS ES, DELE PYRAS.

ARma tuo calamo cedent horrentia morbi,
Victa manet, Gaspar, falx inimica Necis.
Insomnes ducis noctes, hominumq; saluti
Excubat ingenio mens operosa tuo.
Tu nova, tu veterum constanti examine libras
Iudicia, est tanto digna labore salus.
Magna, haud inficior, dabit istis commoda sæclis
Cura vigil studii, perpetuusq; labor.
Argos es, *omnigenæ doctrinæ lumine clarus,*
Præcavet iste viris plurima damna liber.
Pharmaca mortali generi præstantia præstat,
Seu feriat morbus, seu Libitina furat.
Gaspar docte Pyras dele; *haud sat vincere mortem,*
Hanc ideò nomen delet, amice, tuum.

R. P. Alphonsus de Valia.

IATRO-MASTIGIBUS ARISTARCHIAM PROFITENTIBUS ET *DIRA MINANTIBUS.*

OBtrectatorum effrænatam carpendi licentiam, & humanæ pravitatis pronum illud insectandi studium adeò inevitabile judicavit *Galenus*, ut ne Musas quidem, si librum scriberent, ab hoc ingeniorum cacoëthe immunes fore sapienter animadverteret; proinde suarum lucubrationum aliquid in publicum edi aut sanè non optabat, aut timebat certè: tanto quippe vitio luxuriant hominum judicia, ut vel indoctissimorum opera doctis ac sapientissimis non raro anteponant inertes quidam scioli, qui cùm desides ignorantiam foveant, ac lectores otiosi sint, nihilque promere aut possint, aut audeant, in aliorum tamen scripta audenter sæviunt, & sugillare non verentur, quærentes in scirpo nodum, & aliorum inevitabiles lapsus sedulo objurgantes, cùm proprios nec videant, nec agnoscant. Proh dolor! quàm multi inveniuntur perverso adeò, vel, ut ita dicam, livido ingenio, ut quamquam ipsi interim dum Authores librorum labori incubuerunt, deambulatum ierint; dum illi vigilârunt, ipsi dormierint; dum illi jejuni fuerunt, ipsi epulati sint; dum illi libros volverunt, ipsi in flagitiis se volutârint; hoc tamen posthabito potestatem sibi sumant alienum opus censendi, approbandi, & damnandi, perinde ac si authoritate Platonem apud Græcos, aut eloquentiâ Ciceronem inter Romanos æquarent. Sat erat illis, si adverterent, neminem unquam dixisse multa, quæ omnibus arrideant, vel quæ quadrent in omnes: experiantur, qui aliorum condimenta cùm gustârint, velut nauseantes atram statim evomunt loliginem, non intuentes quod Horatius *sat.* 3.

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm?

Siquidem ut idem:

Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Scimus præterea felicissimis quoque & magnis ingeniis doctissimorum etiam scriptorum aliquando nauseam obrepere, cùm præsertim etiam optima nimis agitata variabili ingeniorum saturitati sæpius non sint ad salivam, ut ea vicissim avidius, ardentiusque recipiant.

Rursus quis est, cui sua non placeant? omnes obcæcat philautia, cùm tamen deceat, eum qui magnus est, nec se ipsum, nec sua diligere, sed justa semper, sive à se ipso, sive ab alio quovis gerantur.

Ex hoc ipso delicto accidit omnibus, ut ignorantiam suam, sapientiam esse opinentur; hinc fit ut quamvis nihil, ut ita dicam, sciamus,

ſcire tamen omnia arbitremur, & cùm nec aliis facultatem agendi concedamus, quæ ipſi faciunt ignorantes, facientes ipſi errare compellimur. Quamobrem nimium ſui ipſius amorem fugere quiſque debet, & nullo verecundiæ rubore præpeditus meliores ſequi: quandoquidem opinionum diſsimilitudo non ſtatim in ſimultatem adducere debet, cùm non difficile admodum ſit, ut qui ſententiis diſcrepant, amore etiam conſentiant; imò qui judiciis congruunt, odia non raro exercent, à quibus ſanè averterent, ſi veriſsimum illud Catulli revolverent, & faterentur.

Nimirùm idem omnes fallimur, nec eſt quiſquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſsis, ſuus cuique attributus eſt error:
Sed non videmus manticæ, quod in tergo eſt.

& Perſius *ſat.* 4.

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere! nemo!
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Vnumquemq; enim teſte D. Hieron. fallunt ſua ſcripta, & Authorem prætereunt, atq; ut filii etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecora & impolita palpant; ut non immeritò dicat Adrianus Iunius, iſtam quidvis chartis illinendi libidinem infeliciter oboriri ſolere, cæcoſq; parere catulos. Rectè propterea Diodorus Siculus: *Nec poëta, aut hiſtoricus, aut ullus denique artifex præcepti alicujus rationalis, per omnia lectoribus placere poteſt; nec fieri poteſt ut natura mortalis, etiamſi ſcopum attingat, comprobationem omnium ſine ulla reprehenſione conſequatur.* Quid ſi non attingat? hoc commune, obvium, ac frequentiſsimum, rarum illud & paucis conceſſum; cùm de omnibus veriſsimum illud ſit, quod Comicus poëta Terentius:

Nunquam ita quiſquam benè ſubductâ ratione ad vitam fuit,
Quin ætas, uſus, ſemper aliquid apportet novi;
Aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaveris prima, experiendo repudies.

Sed ſicuti rarus eſt, aut nullus, qui mala de ſe æquanimiter ferat: ita non minùs rarus invenitur aliquis, qui non benè de ſe velit ſentiri. Hoc probè Martial. *lib.* 8. *epiſt.* 18.

Aurum, & opes, & rura frequens donabit amicus;
Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

Cæterùm noſtro hoc ſæculo, quoad invidiam mortales pruriunt, cùm aliquid omnibus gratum promere difficile ſit, læto propterea animo ferenda ſunt calumniantium vulnera, irrita quippe ſunt hæc; multò certè aliter eruditorum, qui ſicuti non niſi optimâ ratione ducti quæ probè dicta non ſunt convellunt, & expungere ſciunt, ita eorundem inuſtum ſtigma multorum inſtar eſt, ac doleret magis, niſi corrigendo doceret potius, quàm carpendo læderet. Quidquid à perito dicitur æternum eſt, & neſcit finem; eruditio tamen pacis debet eſſe comes, & amoris ſocia: quod ab ſtulto tam citò evaneſcit, quàm ipſi ſunt vani, & illorum quæ dicunt inſcii, arrogantiâ licèt tumidi, & ſuperbiâ pleni; ſemper enim (*Hippocrate* teſte) ignorantia impudentes & audaces fecit, de quibus rectè, qui dixit:

Insipientis inest major iactantia menti
Vas etenim pleno tinnit inane magis.

Prudenter igitur nos admonuit *Seneca*, æquo animo audienda esse imperitorum convitia, & ad honesta vadendi contemnendum esse illorum contemptum; nec enim potest ullam authoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est damnat: malis siquidem displicere (dicebat idem) laudari est, quapropter eorum jacturam, & irritos morsus in laudes potius vertit *Salustius*, qui de eisdem: *Æqua laus est à probis probari, & ab improbis improbari.* Imò cùm malevolentiæ tela moliuntur, ipsi magis propriis transfixi ictibus, vulnera, quæ inferre conantur, excipiunt, ut eleganter scripsit *Claudius Mamertus*: hinc summâ ratione optabat Cajus Lucilius, ut opera sua nec ab idiotis, nec à multùm doctis legerentur; alii quippe nil intelligunt, alii plus sapiunt, quàm ut illorum intellectui aliquid placere posit: deniq; ut cum *Tertulliano*, loquar, *Tot venena quot ingenia, tot pernicies quot species, tot dolores quot colores, & tamen unus omnium violentiæ gestus, de cauda nocere.*

Poterant sanè hæc vel doctissimos quosque à scribendi conatu deterrere; verùm cùm inevitabilis, ac omnium communis sit infelicitas, nec ullum adeò gratum ac concinnatum possit inveniri Authoris opus, cui nullus omnino contradicat, ut *Clemens Alex.* advertit; nullusque prætereà tam malus liber sit, qui non aliqua ex parte prodesse possit, si *Plinio* credimus: hæc certè cunctantem & hærentem animum excitârunt, ac erexerunt, ut rudia hæc, nec probè digesta in publicum mittere auderem, calculumq; meum inter medicinæ Authores adderem, licet non ita de me confidam, ut cum Romano Sapiente dicere possim.

Cùm rectè scribas, ne cures verba malorum:
Arbitrii nostri non est quod quisquè loquatur.

Prima stultitiæ pars est, sapientem se credere; & cùm hujusmodi plurimi sint, ex ipsis esse nolim, quia nec talem me judico, nec haberi posse fateor: quare crisim spero potius quàm timeo, & gratiam opto magis, quàm laudem affecto; sicubi enim labi contigerit, nec destinatum attigerimus scopum, summa sequentem, honestum est secundo, aut tertio conspici fastigio: studiorum quippe nostrorum non alius fuit finis, nisi ut maximarum rerum, & sapientissimis scientiæ præceptis instructi, assiduaque librorum lectione fatigati, hujus operis amœnâ varietate, animum à gravioribus studiis lacessitum recreent ac delectent. Ideò enim per omnes cujuscumque literaturæ authorum hortos velitando, flosculisq; omnibus adsultando, undique vernantis ac sapidioris succi nonnihil collegimus, ac delibavimus, quod quisque in suum alvearium deferre possit, juxta illud Lucretii.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem decerpsimus aurea verba.

Apes siquidem, ut Macrob. ait, *imitari debemus, quæ vagantur, & flores carpunt, deinde quidquid attulêre disponunt, ac per favos dividunt, & succum varium in unum saporem, misturâ quâdam, & proprietate spiritûs sui mutant.* Quemadmodum enim illas omnibus flosculis insidere, & de singulis utilia carpere vi-

videmus, sic eruditionis comparandæ gratiâ omnia explorando, undique quæ gratiosa & medicis in primis jucunda colligimus, ex philosophis, poëtis, historicis, ac potissimùm ex Apollineæ artis vastissimo penu multa percurrimus, illustramus, ac loca penè omnia, quæ ex divinis humanisq; literis circa Medicum & Medicinam agunt, nullum fere omisimus; nævosque nonpaucos ac stigmata, quæ ejusdem nitorem deturpare videbantur, detersimus, multorum calumnias, quas in medicos ipsos nasuti & malè feriati aliqui authores inferre conabantur, evicimus, retorsimus, & nullius ponderis esse ostendimus; empiricos, agyrtas omnes, cum illorum vafricie ac technis, tanquam vera mancipia, dolis ac fraudibus circumvenientia, ac tanquam meros fucos à medicinæ alvearibus longè abegimus. Tandem nihil non delectabile, jucundum, varium, & raritate in primis gratum tibi offerimus, amice Lector; ut jam misturam quandam abstrusorum & delectabilium omnium, quæ in Medico penu continentur, in promptu habeas, quatenus enim denegatur nobis diu vivere, relinquamus aliquid quod nos vixisse testetur: nobis siquidem vixerunt veteres, vivamus nos futuris, ut pulchrè admonuit *Plinius*.

Nec tandem ignoro, quòd sicuti querula est convivarum conditio, multumq; difficilis, sic legentium voluptas & appetitus; quemadmodum enim inter illos non convenit, ac Satyrico teste dissident, illud gelidum est, illud intempestivum, hoc lacerum, hoc crudum; verbo dicam, in visceratiónibus hisce omnes nimium habent, & nemo satis: ita librorum pigmenta, jam malè digesta, jam superflua, jam mutila, hoc inutile, illud incongruum notatur; nil denique est, quod suâ labe careat. Quapropter cùm minimè dubitem non sanè pauca hujusmodi passim toto hoc opere occursura, quæ non solum nullam mereantur laudem, sed severitate judici præceptorem requirant; cum doctissimo August. rivulum claudo. *Quisquis mea hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, revocet me.* & in præfat. lib. 3. de Trinit. *Si quid veri comprehenderis, existendo non est meum, at intelligendo, & amando, & tuum sit & meum: si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo nec meum, nec tuum.* Hisce vale amice Lector, & rectiora si monueris, non refractarius obsequar.

Aucto-

AUCTORUM

Qui toto hoc opere citantur, illustrantur, aut aliter interloquuntur, Anacæphalosis.

A

ABbas Panormitan. i. p.
Abenzoar. m.
Abdala Nararach.
Abrahamus Murgelius.
Abrahamus è Porta Leonis. m.
Absyrtus.
Abulensis. th.
Accursius j. p.
Actuarius. m.
Actius poëta.
Adamus Contzenius.
Adolphus Occus. m.
Adrianus Alemanus. m.
Adrianus Iunius.
Adriani Libertus.
Adrianus Spigelius. m.
Adylus.
Ægidius Aquila.
Ægidius Romanus.
Ælianus.
Ælius Spartianus.
Æmilius.
Æmilius Parisanus. m.
Æmilius Campolongus. m.
Æneas Sylvius.
Æneas Robertus i. p.
Æschylus. p.
Aëtius Amydenus. m.
Agotus.
Agatarchus.
Aillon. j. p.
Alanus Copus
Albatius.
Albericus Rosatus.
Albertus Krantzius. hist.
Albertus Magnus.
Albucasis. m.
Albumajar. m.
Alcidamus Rhetor.
Alchimius.
Alcmæon. p.
Alcoranus Franciscanus.
Alcibiades.
Avitus.
Alex. ab Alexandro i. p.
Alexander Aphrodisæus. m.
Alexandrinus.
Alex. Guaginus hist.
Alex. Massarias.
Alex Trassonus m.
Alexand. Benedictus Veronensis. m.
Alex. Trallianus m.
Alex. Neapolitanus.
Alex. Viguntia.
Alex. Verlensis m.
Alexius Pedemontanus.
Alexius Abreu. m.
Algasel.
Alkindus.
Almagrus.
Aloysius de Burgos Cordubensis. m.
Aloysius Cadamustus.
Aloysius Luisinus m.
Aloysius Mundela. m.
Aloysius Torræus m.
Alphonsus Aragoniæ Rex.
Alphonsus Lupeus Gurelanus. m.
Alphonsus Madrigal, vulgò Tostatus.
Alphonsus Freilas. m.
Alphonsus Rodericus de Gevara.
Alphonsus Venerus.
Alphonsus de vera Crux.
Alonsus Ferrens. m.
Alsaravius. m.
Amatus Lusitanus. m.
Ambrosius Calepinus.
D. Ambrosius.
Ambrosius Contarenus. hist.
Ambrosius Pareus. m.
Ambrosius Nuñes. m.
Ammianus Marcellinus.
Amyntas.
Anastasius Gremonius.
Anaxagoras.
Andras Alciatus.
Andreas Bellunensis.
Andreas Baccius. m.
Andreas Balcasar. m.
Andreas Cordubensis.
Andreas Dutherius.
Andreas Eborensis.
Andreas Duditius. m.
Andreas Cretensis.
Andreas Cæsalpinus.
Andreas Gallus m.
Andreas Hildebran. m.
Andreas Lacuna. m.
Andreas Laurentius. m.
Andreas Libavius. m.
Andreas Marinus.
Andreas Thevetus.
Andreas Schottus.
Andreas Tiraquellus i. p.
Andreas Vesalius. m.
Angelus Abbatius. m.
Angelus Rocca.
Angelus de Clavasio.
Angelus Nesianus. i p.
Angelus Politianus.
Angelus Sala. m.
Angelus Victorius. m.
Anselmus Bootius. m.
Antiphanes Carystius i. p.
Annuntius Foësius m.
D. Antonius.
Don Antonio de Cabreros. i. p.
Anton. Benevenius Florentinus. m.
Anton. Cartagena m.
Antonius Diana. th.
Antonius Florentinus. m.
Antonius Fumanelus. m.
Antonius Gendre. m.
Antonius Gomes. i. p.
Antonius Guevara.
Antonius Gainerius. m.
Antonius Liberalis.
Antonius Ludovicus Ulyssipon. m.
Antonius Maria Venustus. m.
Antonius Mizaldus. m.
Antonius Muretus.
Antonius Musa Brasavolus. m.
Antonius Torquemada. i. p.
Antonius Sanctorellus m.
Antonius Portus. m.
Antonius Ponce Sancta Crux.
Antonius Panormitanus. i. p.
Antonius Thesaurus i. p.
Antonius. Melis. author.
Apion.
Apollonius Menabenus. m.
Apollonides.
Apollonius.
Apollonius Tyaneus.
Apollodorus.
Apuleius.
Aquila. th.
Aragonius.
Aratus.
Archelaus.
Archangelus Picolominæus m.
Archidiaconus. th.
Arethæus Cappadox. m.
Argentinus.
Arestus Tholosanus i. p.
Aretus.
Aristarchus.
Aristoteles.
Arles. i. p.
Arnoldus de Villanueva. m.
Aristophanes. p.
Ariphon Sicyonius p.
Archigenes. m.
Arius Farcensis.
Armilla. th.
Arnobius.
Arrianus.
Arthemidorus.
Asconius Pedianus.
Acclepiades m.
Asclepio.
Athenæus.
Athenodorus.
Aubigny. hist.
Aventinus.
Averroës.
Agerius Ferrerius. m.
Agerius Busbequius.
D. Augustinus.
Augustinus Anconitanus. i. p.
Augustinus Galesius.
Augustinus Niphus.
Augustinus Thuanus, hist.
Augustinus Thonerus m.
Avicenna m.
Aulus Gellius.
Aurelius Minadous. m.
Aurelius Prudentius. p.
Aurelius Victor.
Ausonius Gallus. p.
Author libelli de moribus medicorum.
Author Antimologii.
Azor.

B.

BAgoas.
Baldus, juris consultus.
Balduinus Ronssæus. m.
Bannes th.
Baptista Fulgosius.
Baptista Egnatius.
Baptista Mantuanus th.
Barbatia. i. p.
Barbarus Abdalas.
Bartholomæus Angl.
Bartholomæus Annulus.
Barthol. Ambrosinus m.
Bartholomæus Cabrolius m.
Barthol. Charrichterus. m.
Barthol. Chassanæus. i. p.
Barthol. Sibylla. th.
Barthol. Perdulcis. m.
Barthol. Fajus.
Barthol. Reusnerus. m.
Barthol. Turrianus.
Barthol. Maggius.
D. Basilius.
Beda venerabilis.
Bemblius.
Benedictus Arias Montanus.
Benedictus Vasques Matamoros. m.
Benedictus Acastro. m.
Benedictus Pereira. th.
Benedictus Victorius Faventinus. m.
Benjaminus.
Bernardinus Montaña.
D. Bernardus.
Bernardus Basinus
Bernardus Florentinus. i. p.
Bernardus Gordonius m.
Bernardus Luxemburgicus.
Bernardus Telesius.
Beroaldus i. p.
Besoldus. i. p.
Bion.
Bocatius.
Boëthus. p.
Blondus Flavius.
D. Bonaventura.
Bossius. i. p.
Bonfinius.
Brodeus.
Boscus.
Brusonius.
Brunus.
Bruno Scidelius. m.
Bruserinus.
Budæus.
Binsfeldius.

C.

CAballus. i. p.
Cacherau. i. p.
Cæcilius Nepos.
Calliphanes.
Calcidius.
Callias.
Callimachus.
Camillus Borellus i. p.
Capitolinus. hist.
Capreolus.
Carneades.
Carolus Clusius. m.
Carolus Sigonius.
Carolus Piso. m.
Carolus Tapia i. p.
Carolus Stephanus. m.
Cassianus Theologus.
Cassiodorus.
Cato.
Catanæus.
Catullus p.
Cælius Secundus Curio.

Cælius

INDEX AUCTORUM.

Rubia-

INDEX AUCTORUM.

INDEX QVÆSTIONVM QUÆ TOTO HOC OPERE CONTINENTVR.

Quæst.

horum

COM-

COMMISSIO.

EL *Dotor Don* Diego de Castrillo, *Canonigo de la Santa Yglesia de Sevilla, Provisor y Vicario General en ella, y Suar.do sede vacante, &c. Cometo a el muy R.do Padre M.ro* Diego Tello *de la Compañia de Iesus, Cathedratico de Theologia de prima, Calificador del Consejo supremo de la santa Inquisicion, vea el Libro intitulado:* Elysius Jucundarum Quæstionum Campus, *compuesto por el Dotor* Gaspar de los Reies Franco, *y dé su R.ma su censura, que para ello doy comision en forma. Fecho en Sevilla en 26. De Henero de mil y seyscientos y cincquenta y ocho años.*

El D. D. Diego de Castrillo.

Por mandado del Señor Provis.
Diego de Gusman, nott.

APPROBATIO

R.mi Magistri Patris Iacobi Tello Societatis Iesu apud Granatenses Primarii Theologiæ Professoris, ac in Regali & supremo Consilio Sanctæ & Generalis Inquisitionis Qualificatoris.

DE mandato Domini Doctoris D. Domini Didaci de Castrillo, hujus almæ Ecclesiæ Hispalensis Canonici dignissimi, & totius Archiepiscopatûs Provisoris & Vicarii Generalis, legi & attentè evolvi librum, cui titulus est: CAMPUS ELYSIUS JUCUNDARUM QUÆSTIONUM, Omnium literarum amœnâ varietate refertus, Auctore Sapientissimo Doctore GASPARE DE LOS REIES, olim apud celebratissimam Academiam Eborensem Laureato, & nunc apud Illustrissimam Carmonam Bæticam, Medico jurato. Tantumque abest, ut in prædicto libro aliquid Catholicæ fidei contrarium, vel rectis moribus absonum invenerim; quòd potius liber totus compositus sit ex Orthodoxa sententia, & morum rectitudine. Stylus est gravis, & elegans, & primarios latinitatis patronos sapit. Eruditio est ita multiplex, varia, & exquisita, ut facultates omnes, præsertim Medicinam, non tam delibâsse, quàm exhausisse videatur. Proderitque maximoperè libri hujus attenta & sedula lectitatio non solum Artis Medicæ, & Philosophiæ Professoribus, sed etiam Theologis Moralibus, & Iuris utriusque Doctoribus, Verbi Dei Concionatoribus, & sacrarum Literarum Interpretibus. Unde jure quidem optimo Volumen hoc, *Campus Elysius* nuncupatur; quòd verè in illo stylus, Elegantia, Doctrina, Eruditio, Sapientiaque ad amussim floreant, & vernent: & ut prudenter autumo, *Campus* hic *Elysius* nunquam deflorebit, aut sterilescet; sed apud sapientes quosque Doctores indies magis ac magis floridus, & gratus perennabit. Quin & tantus *Campi* hujus cultor & Auctor etiam apud Regia Palatia dubio procul innotescet, & Medici Doctissimi (ô utinam!) munera obibit. Sic sentio in hoc Collegio Carmonensi Sancti Theodomiri Societatis Jesu die 28. Mensis Ianuarii; Anno 1658.

IACOBUS TELLO.

LICENTIA.

EL *Dotor Don* Diego de Castrillo, *Canonigo de la Santa Yglesia de Sevilla, Provisor y Vicario General en ella, y Suar.do por los S.res Dean y Cabildo canonigos in Sacris Sede vacante &c. doy licentia paraque se pueda imprimir el Libro intitulado:* ELYSIUS IUCUNDARUM QUÆSTIONUM CAMPUS, *Autor el Dotor* GASPAR DE LOS REIES FRANCO; *Por lo que toca a este Tribunal, por quanto por Comission nuestra fue visto, y censurado, y approvado. Fecho en Sevilla en quinze de Marzo de mil y seyscientos y cinquenta y ocho años.*

El D. Don Diego de Castrillo.

Por mandado del S.r Provisor.
Diego de Gusman, nott.

A P-

APPROBATIO
CENSORIS ORDINARII.

PEr amœna vireta fortunatorum nemorum, & in ipsis profectò Campis Elysiis versari mihi visus sum, dum has Quæstiones legi: unde & eas elogiis Tituli sui præfixisque laudibus non indignas judicans, censeo citra ullam Orthodoxæ fidei, aut bonorum morum noxam, imprimi posse; imò cum honestæ pabulo voluptatis, lectoribus suis (iisque præsertim, qui sacram Medicinæ scientiam excolunt, Artemque omnibus humanis artibus potiorem, utpote vitæ nostræ conservatricem, exercent) non modicum eruditionis, ac sapientiæ fructum allaturas. Id testor, Bruxellæ, urbe Regiâ Belgarum, VIII. Kal. Novembris. M. DC. LX.

ANTONIUS SANDERUS *Pbr. S. Th. Licentiatus, librorum Censor &c.*

SUMMA PRIVILEGII
REGIS HISPANIARUM.

PHILIPPUS IV. *Dei gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps &c. diplomate suo sanxit, ne quis præter* FRANCISCI VIVIEN *Typographi Bruxellensis voluntatem, librum, qui inscribitur:* Elysius Iucundarum Quæstionum Campus, Auctore Gaspare à Reies Franco Medico Carmonensi; *intra decennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excusum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve exponat. Qui secùs faxit, ultrà exemplarium confiscationem, triginta florenorum pro unoquoque exemplari persolvendorum pœnâ multabitur: uti latius patet in litteris datis Bruxellæ die* 14. *Decembris.* 1660.

Signat.

LOYENS.

ELYSIVS JVCVNDARVM QVÆSTIONVM CAMPVS.

QVÆSTIO PRIMA.

An verum sit, Medicos aliquando Romà pulsos? Quibus de causis hoc factitaverint Romani? Medicina ab hac calumnia vindicatur, illius obtrectatores objurgantur, obiter & ipsa laudatur.

1. *Medicinæ obtrectatores reprehenduntur.*

PRÆCLARA sunt, & eximia in genus humanum Medicinæ beneficia, illius in hominem innumerabiles utilitates, profectus, & infinita pænè commoda. Hæc quò magis rerum experientiâ magistrâ doceor, assiduoque studio & lectione contemplor, eò magis stupidam multorum ingrati animi naturam demiror, & belluinam prorsùs, qui gratitudinis omninò immemores, & tantorum beneficiorum obliti eandem junctis ignorantiæ copiis (ceu hostem invadere conarentur) proscindunt, lacerant, & lymphatico veluti furore, extra omnimodæ rationis limites, in ipsam sæviunt; nil non contumeliæ excogitantes, proferentes, debacchantes potius, artemq; vel nullam esse, vel nullius saltem utilitatis, maligno ausu & cæco ductu vociferantes, quæ non proh dolor! effutiunt, ignominiosa fore arbitrantes in artificem, imò in artem ipsam. Fuit hæc hominum vesania, & rabidus furor; fuit, & nunc est, hæc medicinæ calamitas, non hujus tantum ævi, non temporis hujus; ætates omnes, omnia tempora, adversus omnem humanitatem has hominum produxêre pestes, eam convitiantium, contumeliantium, & obtrectantium. Ex illorum fæce medico-mastiges pepererunt non ratio, sed furor, alienatio, & temeritas, quæ in summo apice constituta invadere nunquam erubuit: nihilominus Medicina tot incursibus exagitata, tot lacerantium virulentis impetita morsibus, ipso haud dubiè tutelante Deo stetit,

Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circùm latrantibus undis
Mole tenet scopuli &c. (Virg. 7. Æneid.)

Aut ut 9. *Thebaidos* Statius:

Stat cunctis immota minis, timet ipse rigentem
Pontus. Et mox:
Vim cunctam atque minas perfert cœliq; mariq;
Ipsa immota manet.

Sed inanis, & flocci pendenda opera videri cuiquam poterit, nos laborem hunc subiisse, & querimoniam à multis, neque indoctis viris, lamentatam iterum planxisse; cùm horum nihil calumniantium ingrediatur aures, quod illorum turbatam mentem ad meliorem frugem reducere possit, & abundè in simili negotio præcellentes viri provinciam hanc suscipientes satis multa evulgaverint altiori, quàm nos, stylo; cujusmodi fecerunt *Ioannes Abræus*, *Baptista Peregrinus*, *Raymundus Plant. Benedictus A castro*, novissimè tandem *Hippol. Obicius*: qui omnes eleganti calamo, arrepto in hujusmodi balatrones impetu, variâ ac multiplici eruditione referta multa argutè, & solidè perstrinxerunt. Notissimum prætereà & cognitum satis, celebres omnium ætatum viros, eximios Philosophos, clarissimos Poëtas, omnes denique cujuscumque professionis & literaturæ homines medicinam non approbâsse tantùm, sed mille encomiis ad cælum usque evexisse. Quæ namque orbis provincia, (si Barbarorum paucas excipias) quæ regio, quæ civitas, quis denique magnus Princeps medi-

Medici dignitas & æstimatio ponderatur. 2.

cos non amplexatur modò, honorat, amplificat, extollit, & in morborum agone ad illorum pedes devolutus auxilium implorat? Quò gentium sine illis non miserrimè vivitur? Quis tandem est, qui ægritudine jam prehensus calamitatem suam, & miserrimam sortem non deploret, si medicus deficiat, ac velut desperabundus tædio & mœrore conficiatur? Quis, qui ad illius ingressum non maximè soletur, vires resumat, & in optatam spem animum erigat? Hæc respicientes permagni ac famigeratissimi viri, in medicinæ laudem prorumpere, & tantam illius excellentiam palam scriptis ostendere non dubitârunt, *Cardanus*, *Erasmus*, *Grivaus*, *Ficinus*, ac novissimè *Beverovicius*; quorum omnium splendidæ artis splendida encomia, ac clarissima extant ornamenta. Sed quid opus est notissimam rem, nulli non notam modò, sed expeditam promere? Inanis certè labor, & cæcus aut invidus, qui contrà reluctatur, aut negare præsumit. Nam tu, quisquis es oculis sic captus, ubi remedium quæris pedibus vacillans? Capite turbatus à quo illud exposcis? Fastidiosus, inediâ maceratus, delirus, febriens, auriginosus, lienosus, hepaticus, tremulus, aut alio ex infinitis propemodùm ægritudinum generibus oppressus, confectus, intoxicatus, confossus, vulneratus, ad quem nisi ad medicum confugis? Qualem post Deum exoras supplex, imploras humilis, tutelarem agnoscis? Tu idem, qui parum anteà ignominiosa jactabas, tu qui artem & artificem malè mulctatos dicteriis onerabas, & illorum opera prædicabas vana, inutilia, & à temetipso in summo posita contemptu, dic age, quis te ad meliorem reduxit frugem, ut aliter sentires? Quis mentis discussit caliginem, & fecit ut resipisceres? Nónne morborum vorax ignis ossibus tuis immissus erudivit te, ut crederes jam, insolentes bilis excandescentias, deliria, furores, melancholias, manias, caninas fames, picas, heroicos amores, gonorrhæas compescere, Veneris effrænæ libidines, incomptos inordinatos ac sordidos illius insultus reprimere, luxuriam in exilium proscribere, intemperantiam moderari, adeóque feros mores componere, & inquietas hominum mentes ad æquabilitatem ac modestiam quandam reducere, optimè regendæ vitæ, honestati, temperantiæ, frugalitati in omnibus & per omnia consulere, medicę tam piæ ac sanctæ artis esse? An his assentiris? vel potiùs malevolorum ingenti commixtus acervo, obtrectationes, & contumelias effundis, artis usum populo dissuadere, & vulgi mentes ab hac tentas alienare? Vah delirus! resipisce amens, linque fabulas ac mimicam scurra & parasite, temetipsum ac caducam compagem introspicito, cede Deo, cede naturæ & rationi cede, circulatoribus nugas relinque, quibus garrulitate Thrasonicâ fora perstrepere, ac insolenter blaterare proprium est ac insitum.

3.

Sed jam ad rem & ad propositam dubitationem accedamus, antiquissimum & infinitorum mentibus stabilitum mendacium ad veritatis trutinam examinemus, agamúsque cum innumerabili stultorum copia, qui in artis dedecus jurantes iniquo odio illius obscuratores sese utique prębent, nec lacerandi convitiandique finem faciunt nisi prius illud suâ opinione, ignominiosissimum ac despicatissimum addant, medicinam scilicèt à Romanis explosam sexcentis annis exulasse, & ab imperii finibus longè submotam, extorrem fuisse. Sed neque huic acquiescendo eò amentiæ procedunt, ut dicant hoc ideò fecisse Romanos, quia sub medicorum legibus vivendo civitas velut populo destituta conspiciebatur; ac pessum iri timentes, illam interdixisse ut damnosam, mortiferam, & non nisi in hominum cædem excogitatam: quod utique (ut sine pudore ajunt) probavit experientia, cùm in artis exilio tanta viventium accreverit multitudo, ut medicinam iterum conducere, & illius arbitrio parêre necessarium duxerint, quò nullam vitæ utilitatem in ipsa recognoscentes, eandem ex illius sortirentur damno. Deus bone! quò hæc tendunt vanissimæ ineptorum ineptiæ? Quò stultissima hæc stultorum deliramenta pergunt? Quis vel mulio, vel insipiens coquus ad tale credendum persuaderi unquam poterit? Ubi gentium adeò fuit vita exosa vel in barbarorum barbarissimis, ut commune consilium de propriis necandis hominibus iniretur, & interfectores sub medicorum titulo, statuto conducerentur pretio? Nónne ipsissimi Romani, Nerones, Commodos, & Caligulas ob sævientem in cædibus naturam rejecerunt in monstra, & tantis diritatibus satiati, iram novissimè induentes, duxerunt ad supplicia, excussoque manibus sceptro, affinium & propinquorum mortem illorum nece vindicârunt? An ad mortem consciscendam & solvenda animi & corporis vincula tortores & carnifices necesse est quærere? Loquantur iidem Romani, dicat

cat Sternii Siculi exitus illiso ad postem capite; dicat C. Licinius intercluso spiritu, ore & faucibus sudario coarctatis; dicat servi barbari à *Galeno* repetita historia; cui haud dissimilis Comæ à custodibus servati, dum perducitur, qui de fugitivis interrogatus, sumpto ad sese recolligendum tempore, caput operiens, compresso spiritu inter ipsas custodientium manus, exoptatâ securitate quievit. *Torqueant se miseri* (inquit Valerius) *quibus extingui quàm superesse utilius est, trepido consilio, quâ ratione vitâ exeant quærentes; ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vastas altitudines circumspiciant, tamquam magno apparatu, aut exquisitâ molitione opus sit, ut corporis atque animi cohærens societas dirimatur. Nil enim melius* (dicebat Seneca) *æterna lex fecit, quàm quòd unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos.* An hos, qui mori destinaverant, ignorârunt? Deficiebantnè telorum acutæ cuspides, pugionum durissimi, ac dirissimi mucrones? Ubi in profunda flumina descensus? Ubi ab altissimis montibus & rupibus celerrima præcipitatio, excogitata laqueorum industria, aut quod facillimum est, interclusus spiritus? *Non deerit ad mortem ingenium, cui non defuerit animus*, idem Seneca ajebat, & epist. 70. *id optimum* scribit *à natura tributum esse, quòd mortem sibi quisque præstare possit;* cui consentit *Plinius*: quare in Thebaide tragicus prorumpit sic:

2. De mortu mus. cap. 8.

Lib. 11. cap. 12.

Epist. 61.

Epist. 61. Lib. 11. cap. 7. Et lib. 28. cap. 1.

> *Vbique mors est: optimè hoc cavit Deus.*
> *Eripere vitam nemo non homini potest,*
> *At nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.*

Unde *Propert.* de Calani uxoribus:

> *Quisque suas struxère pyras, viviq; calentes*
> *Conscendère rogos.*

Et mox:

Lib. 3. eleg. 11.

> *Et certamen habent lethi, quæ viva sequatur*
> *Conjugium, pudor est non licuisse mori.*
> *Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,*
> *Imponuntq; suis ora perusta viris.*

Non aliter Ambraciotam Cleombrotum propterea laudabat *Cicero*, qui lecto *Platonis* libro de immortalitate animorum in mare se abjecit; & Hyperboreorum gentem *Plinius* ex rupibus in mare salientem, quod genus sepulturæ beatissimum credebant. Itaque ignem, aquam, & plurima alia violenta sibi cuique fatalia eligere pronum erat, & gloriosum; quod hoc epiphonemate *Lucanus*:

1. Tusc.

Lib. 4. cap. 11.

Lib. 3.

> —— *Pro! quanta est gloria genti*
> *Injecisse manum fatis, vitaq; repletos*
> *Quod superest donasse Diis!*

Eapropter Persei Macedoniæ Regis mollitiem & ignaviam irridebat *Plutarchus*, qui victus & à Paulo Æmilio captus, deprecatum ad eumdem miserat, ne in triumphum duceretur. *In tua id quidem*, inquit, *& pridem fuit, & nunc manu, atque voluntate positum est*: dedecus illud significans morte fuisse præveniendum. Hæc Barbarorum, hæc ethnicorum in vitæ tædio meta fuit; ad quam consequendam innumera propemodum moriendi genera invenit desperatio. Quid Romani internectores requirerent medicos? Quæ stupiditas, quæ barbaries te compulit ut talia excogitares absurda? Siquidem excultissimos homines, quales ipsi fuerunt, & à quibus in omnem ferè mundi plagam omnes bonæ disciplinæ & optimi mores derivati sunt, nil magis credentes, quàm felicem tunc fuisse aliquem, cui & accipere vitam prosperè, & reddere placidè contigerit, tam horrenda creditu, metuenda dictu factitasse credere par est? Permittamus hæc bardis & larvatis, qui non nisi futilia jactant, & populum perversis traditionibus, & fabulosis mendaciis imbuunt. Sed descendamus jam ad ipsam temporum computationem, & à Roma condita Romanorum Impp. percurramus ætates, medicinæ ortum, illius in civitatem adventum, & quando in illa primùm coli cœperit; hos sexcentos quæramus annos, quibus in exilium missa est. Sed licèt totidem ex antiquioribus percurramus auctores, nullum præter *Plinium* inveniemus, qui tale quidpiam literis mandatum reliquerit; sed ceteros aut veteres, aut juniores, qui hoc protulerunt, non nisi ab illius monumentis ut scriberent decerpsisse: cujus tandem assertum haudquaquam intellectum & conniventibus oculis inspectum, aut maledicendi, tamque gloriosam artem convitiandi desiderio, temerario ausu, risu potiùs excipiendam hanc, & execrabilem famam

Lib. 29. cap. 1.

 in vul-

in vulgus sparserunt. Ut fecit etiam *Isidorus lib. 4. Etymol.* qui Romanos per annos 400. medicis caruisse scribit, cum tamen *Plinius* 600. dicat: quæ certè Authorum in tempore assignando varietas haud dubiè hanc rem incertam admodum reddit, cùm præsertim Livius 600. dicat, ut ex eodem, & aliis notat Alciatus *in orat. de laudib. hist.* quam ad Galeatium Vice comitem habuit.

Quia tamen cum *Plinio* nobis hac parte agendum est, ipse dum medicinam aggreditur enarrare, tam multiplex, tamque varius apparet, ut an in laudem, an in artis potiùs opprobrium vertatur, non facilè possis colligere; sed judicium apud eumdem esto: sufficiat ipsum planè fateri, nullam artem fructuosiorem esse, nec illius invidiâ Catonem adversus eandem contumeliosum objecisse; cùm præsertim rem utilissimam à Rom. Pop minimè damnatam scribat. Damnabant siquidem non artem, sed sui temporis professores, qui in quamplurimas sectas divisi inconstantiæ nomen arti pepererunt, stabilitatem nullam servantes, addentes, mutantes, ut quisque sibi inventionis gloriam deberi crederetur. Sic post Hipp. à quo Clinice instituta medicina, à Prodico illius discipulo Jatroleptica inventa est; quorum denique placita Chrysipus, & Atist. ex filia nepos Erasistratus mutarunt: nova alia Empyrice dicta ab Acrone Agrigentino postea excogitata. Sic per ætatum gradus variæ sectæ, variæ medendi artes introductæ. Quod Romanos illos perspicacissimos homines non alia de causa fecit in animum inducere, ut de medicinæ præstantia addubitare cœperint; cùm præsertim non ab istis solum, sed à quam plurimis aliis, Philino Coo, Serapione, Menodoto, Heraclide, Tarentino, Themisone, Herophilo, Archigine, Agatino, & sexcentis aliis quotidie mutari cerneretur; imò sequentibus aliis, alio atque alio modo stabilire conatus est maximus eloquentiæ affectator Vectius Valens: nec multò post sub Neronis principatu cuncta Majorum placita destruere studuit Thessalus, adversus quem *Galenus* acerrimus doctrinæ Hippoc. defensor & explanator invehitur. Nec omittendus Crinas Massiliensis, qui geminatâ arte, ut cautior & religiosior videretur, ex ephemeride Mathematica horas observando, auctoritatem consequi satagebat; & ex eadem Provincia Charmis, qui omnibus aliis medicis damnatis, & balineis, gelidâ, etiam hybernis algoribus, lavari persuasit. Omnibus itaque famam novitate aliquâ aucupantibus, miseræ videbantur circà ægros concertationes, nullo idem censente, ne alterius videretur accessio, & gloria major. Hoc respiciens *Plinius* proclamat sic: *Mutatur ars quotidiè toties interpollis, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur.* Et *cap. 22. lib. 14. Medicorum placitis novitate aliquâ se commendantium.* Hæc opinionum varietas, hæc sectarum nullibi cohærentium perplexitas Romanos in artis traxit vituperium quorum causâ potissimùm; non immeritò judicârunt illos animas statim negotiari potius quàm, saluti in tanta discrepantium multitudine provideri: quo factum est ut ipsi nec in recipiendis artibus lenti tardè hanc receperint, receptam damnaverint, ac vix expertam; quorum causam *Plinius* agens, *Ceu verò*, inquit, *non millia gentium sine Medicis degant, nec tamen sine Medicina, sicuti Pop. Rom. ultra sexcentesimum annum.* Hæ sunt medicis toties objectæ lamiæ, hic scopus, in quem medicinam allidere conantes impingunt; qui tamen si temporum rationem distinguerent, si medicinæ ortum pensitarent, novissentque quando intra urbem primò exerceri cœpit, veritati, & mihi in his, quæ modò dicturus sum, cordatiùs assentirentur.

[Margin: 5. — *Sectarum medicinæ inventores.* — 1. Meth. fere per totum. — 6 — Lib. 29. cap. 1. — 7. — Lib. 29. cap. 1.]

Scribit *Plinius* ex Cassio Hemina authore antiquissimo, L. Æmilio & M. Livio coss. anno C. V. 535. primum è medicis Archagathum Peloponneso Romam venisse, mireque gratum initio illius fuisse adventum, ac ei Jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio ob id publicè emptam. Constat igitur ex eodem *Plinio* Romanum Populum ab urbe condita per annos ferè 600. medicorum usum non habuisse. Quid hoc mirantur inscii, cum per 300. circiter nec medicorum nec medicinæ nomen notum eidem fuerit? Quippe *Hippoc.* qui Ataxerxis Longimani temporibus claruit, quique medicinam à multis anteà sæculis tenebris obrutam in lucem eruit, præfato anno, nempe à 300. ad 350. in Græcia; degebat: quo tempore incertum est an medendi scientia in notitiam venerit Romanorum; & si venit, experiundi necessitas felici illo sæculo non multa dabatur; vel si dabatur, artis forsitan ignorantia illam continebat in oblivione: quousque tandem subactâ Græciâ, communicatisque utriusque Provinciæ gentibus, inter spolia majorem medendi usum tulerunt. Venit autem Græcia in Rom. potestatem non antè annum 550. paulovè minus

[Margin: 8. — *Primus medicus Romæ quis & quando?* — Cardan. consil. pro illustri Cardinali Alciato. — 9. — *Græcia quo anno in Rom. potestatem venerit.*]

minùs circa Archagathi tempora, ut ex *Floro* constat. Hæc fuerunt tempora, hi anni, in quibus medicinæ usus ideò non fuit cultus, quia non cognitus: quomodò igitur extra civitatem pulsus, si nondum receptus? Dies enim diei magistra, & omnium necessitas multa tunc afferebant utilia, & ad commodum vitæ usum necessaria. Nam & de aliis disciplinis conqueritur *Cicero*, & de ipsa Philosophia, quam jacuisse ad suam scribit ætatem, nec ullum habuisse lumen. *Grammatica* (ait *Suetonius*) *olim Romæ nec in usu quidem, nedum in honore ullo erat; rudi scilicet ac bellicosâ etiam tunc civitate necdum liberalibus disciplinis magnoperè vacante.* Siquidem nec barbitonsores Romam habuisse, nisi post annum 454. afferente ex Sicilia P. Ticinio Mena, authores sunt *Alexander ab Alexandro*, *Gellius*, & ipse *Plinius*: quo ex Cassio Hemina referente, Archagathi Lysaniæ filii Romæ adventum omnium medicorum primum legimus, mireque initio gratum; moxque à sævitia urendi & secandi transiisse nomen in carnificem, & in tædium artem, omnesque medicos: transactisque post paucis annorum decadibus prima medicorum orta est clades. Hæc prima illorum repulsio, & extra imperii fines abjectio; quæ sanè à condita urbe anno 580. paulóve minus cœpit, Catonis suadente gravitate; qui ætatis suæ 85. Romæ 605. obiit, ut *Plinius* scribit: qui & medicinæ exilium insinuat, si verum est, quod vulgata credit opinio; nam de sexcentis annis quod ait, magis falsum est, quàm dubium, ut rationibus & auctoritatibus infra commonstrabimus. Sed commune judicium sequentes, nil interest concedamus totum illud tempus Rom. medicinæ usum non habuisse, dùmmodò etiam concedatur artis notitiâ caruisse: quod medicinæ nil detrahit; multò minùs quòd cognitam dimiserit, ac consultò proscripserit, ut damnosam. Multis enim de causis Rom. in medicam familiam potiùs quàm in artem injurii, & commoti, eandem extrudere decreverunt, quas ferè omnes tetigit *Plinius*. Fuit igitur *prima*, sævitia urendi, & secandi, à quibus tamquam inassueti, & artis inscii Rom. exhorrescebant animi; ideoque carnifices potiùs quàm medicos judicabant. *Secunda* clam propinatorum venenorum exhibitio, ut innuit *Plinius*, cùm ait: *Quid enim venenorum fertilius, aut unde plures testamentorum insidiæ?* Timebant quippè ne salutaris medicinæ loco mortiferùm venenorum vis exhiberetur, quando, sic ferente ethnicorum ætate, apud ipsos medicos extabant venalia; undè apud *Plaut.*

10. *Barbitonsores quando primùm Romæ fuerint.*

Medicina quo anno Rom. pulsa

11. *Quibus de causis medicina à Rom. expulsa.*

Lib. 2. cap. 7. — 1. Tuscul. — De illust. Grammaticis. — Lib. 18. cap. 5. — Lib. 3. c. 4. — Lib. 7. cap. 59. — Lib. 29. cap. 1.

Certum est: ibo ad medicum, atque me ibi toxico morti dabo.

In mercatore.

Tertia adulteria, ut *Plinius* addit: *Iam verò & adulteria etiam in Principum domibus.* Neque utriusque deficiebant exempla, quæ illo & reliquo posteà tempore sæpiùs observata sunt; ut Eudemii in Livia Drusi Cæsaris filia, eodem referente *Plinio*: qui eidem Druso Sejani consilio venenum propinavit, quod ad tempus paulatim internecaret, ut auctor est *Tacitus*. Marco etiam Antonio in Commodi gratiam medici venenum exhibuerunt, ut tradit *Xiphilinus*: necdum deletâ memoriâ. Thimocaris aut Niciæ, ut alii volunt, medici Pyrrhi ad Fabricium scribentis, & Regem facto pretio necaturum pollicentis; cujus execrandæ perfidiæ authores sunt *Plutarchus*, *Gellius*, & *Tullius*. Inter istos annumerandus venit *Xenophon* ille medicus ab Agrippina pretio conductus, ut porrecto veneno Claudium Cæsarem atque maritum tolleret, ut secundo Annalium narrat *Tacitus*: eâ prorsus impiâ fide ac malignitate, quâ Sedechias Judæus Caroli Calvi medicus, qui eundem Româ redeuntem toxico sustulit; sicuti alius à Selimo pretio inductus, ut patrem Bajazetem veneno necaret, quod contrito adamantis polline peregit, de quo *Camerarius*. Eâdem etiam impietate sublatus fuit Conradus Imperator veneno, quod medici à Manfredo pecuniâ corrupti dederunt, ut *Textor* in officina scribit. Sed horum plurimi pro meritis debitas luerunt pœnas; sicut immeritas alii, qui adversus omnem humanitatem à Principibus & Regibus interempti sunt, cùm vel fatum exorare non potuissent, vel promissam sanitatem non assequi, ut latiùs apud *Pancirolum* videre est. Sed sicuti illorum infamis venenorum propinatio extitit, sic alios adulterii culpa maculavit. Ex his fuit Vectius Valens Messalinæ Claudii adulterio nobilitatus; quod non tacuit *Plinius*: cujusmodi postea Physicus, qui Ladislaum Neapolitanorum Regem, & uxorem etiam napello intoxicavit, quorum filiam stupraverat idem, ut *Collenutius* scribit. Sed rectè propterea advertebat *Plinius*, vitia hujusmodi non artis esse, sed hominum imperitorum certè, sed improborum magis: nam optima licèt sit ars, si malę menti insinuetur,

12. *Medici plurimi qui magnates interfecerunt*

Medici plurimi à Princip. crudeliter interempti

Lib. 3. Annal. — In vita Pyrrhi. — Gell. lib. 3. cap. 8. — Tul. Lib. 3. in Ruff. — Cent. 1. operav. sub sect. 3. cap. 7. — Memorab. p. 2. Titul. 1. — In Comp. lib. 5.

utitur

utitur ingenio suo, qui malus est, & artem bonam subservire sibi ad facinora cogit. Non aliter gladium gestat latro, quàm miles; sed alio fine. Hoc considerans *Ovidius* elegantissimè sic expressit:

Non tamen idcircò crimen liber omnis habebit:
Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Cœperit, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modò dat medicina salutem;
Quæq; juvet, monstrat, quæq; sit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur ense viator;
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur, innocuas ut agat facundia causas:
Protegit hæc sontes, immeritosq; premit.

Lib 1. Tristium.

Quarta, Arcanorum revelatio, quorum medicos participes fieri sæpiùs ad morborum curationes convenit, & secretum intimiùs servandum *Hippocrates* jurejurando minimè violaturum se tanquam sacramento quodam promisit, & medicos ad id observandum adstrinxit. *Quinta*, Avaritia illius temporis Professorum, & in artis infantiâ medicorum raritate execranda. Exempla multorum citatus percurrit auctor, qui statim intulit: *Lues morum non aliundè major, quàm è medicina*. Itaque meritò *Cardanus* inquit: *Maluerunt artem imperfectam habere securam, quàm eâ periculo in tanta hominum perfidia perfectiore uti; quamquam perfectio ad paucos perventura foret, fraus in multos*. Hos nempè medicos proditores potiùs, & hominum insidiatores damnabant, non artem; hos filio Cato interdicebat. Quid ergò? damnatam ab eo rem utilissimam credimus? minimè hercle (de Catone dicebat *Plinius*.) Pulsa igitur medicina? neutiquàm: Cato enim egregius illius accusator magnam longævæ senectæ, ac sanitatis diuturnæ partem brassicæ adscripsit, & forsitan brassiculis Catonis medicina eo tempore evehenda fuit. Pulsi igitur medici? fateor, sed non veri medici, imò hi tantùm, qui se pro medicis venditantes maleficia ac cædes patrabant, magi, præstigiatores, malefici, impostores; qui vel malitiâ adacti, vel lucri cupidine allecti, assumpto sibi injustè medicorum titulo, tormenta, mortes, & carnificinas suas (populo ad artis novitatem ultrò applaudente) exercebant: relegati, & in exilium missi isti sunt, vel saltem repellendi occasionem præstiterunt. Quippè in inculto illo ævo, in rudi gente, quoad medicinam præcipuè, horribiles plagarum curationes inexpertos in artis duxerunt tædium, & artificis: nam genus mortalium (ut *Scribonii* verbis utar) inter initia, non facilè se ferro committebat; hinc ex medendi sævitiâ urendi, ac secandi, medici nomen in carnificem transiit, ut de Archagato *Plinius* scripsit. Claudii quoque Principatu, cùm lichena, & mentagra purulentis grassarentur ulceribus accersiti sunt ex Ægypto medici, qui urendo & secando curare animadversi, fecerunt ut hanc salutarem sanandi morbos artem, non dolorum depultricem, sed carnificinam potiùs esse crediderint. Hinc suspicor *Galenum* nostrum tantoperè veritum fuisse, ne infamarentur præsidia. Sed præter jam dicta existimabant Romani, quod & Barbarorum multorum fuit opinio, vulnerariam tantùm à medicis exerceri posse: augurabantur enim partem aliam medicinæ, quæ internas ægritudines curare docet, hominibus incognitam, majorem quàm pro mortalium captu esse, morbosque non nisi ab iratis Diis inferri; ac proindè solùm augures consulendo, & petitâ ab oraculis medicinâ curari posse autumabant, quod & tradidit *Homerus*, & notavit *Celsus*, eodem posteà attestante *Plinio*. Ulteriùs Catonis gravitas, & severitas major rem impulit; quippè qui Senatoriâ dignitate præstans Ægyptiorum & Græcorum luxum detestando, longè summovendos, & ab urbe ablegandos, nullo refragante, testimonium edidit, ne virile Romanorum robur enervaretur: fecit id itaque non ob artis odium aut invidiam, sed ob gentis illius luxum & lasciviam; undè contigit, ut nullo relicto, medici proscripti sint, atque extrà civitatem abire jussi; cùm omnes Græci atque Ægyptii essent (ut satis commonstrat *Mercurialis* 4. Variarum. cap. 1.) à captâ Græciâ asportati, aut qui novitate scientiæ quæstum aucupantes, illuc confluxerant. Solam quippè hanc scientiarum nec tunc, nec *Plinii* temporibus exercebat Romana gravitas, (ut ipse scribit.) Quod ne quis vitio vertat, ac inde medicinam arguat, subdit statim, futuram non fuisse aliter quàm Græcè tractantibus, fidem & auctoritatem; cum imperiti linguæ minùs crediderint

Plin lib. 2[illegible] cap. 1. In medicinæ encomio.

Plin. lib. 2[illegible] cap. 1.

Lib. 11. Meth. c. [illegible]

1. Iliad. Cels. in proœmio. Plin lib. 2[illegible] cap. 1. & 7[illegible] cap. 30. Langius Tom. 2. epist. 2. Lactan. lib. 1. c. 1[illegible]

se

se juvari, his quæ ipsi aliquo modo intelligerent; & lib. 4. *Paremus*, inquit, *exteris, & una artium Imperatoribus quoque imperat.* Illud prætereà certum est quamplures illorum, Romanorum fuisse servos; undè major oriebatur scrupulus, & ipsorum periclitabatur fides. Quorum causâ Catonis censura ultrò recepta est, & Senatûs Cons. suspectam jam ob prædictas rationes medicinam, medicosque omnes, ut exosos, urbem relinquere decretum est; non tam quia medici, quàm quia Græci, adversus quos *Cato*, ultra mediocritatem severus, filium sic admonet: *Dicam de istis Græcis Marce fili, quòd Athenis exquisitum habeam, & quòd bonum sit eorum literas inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum & indocile genus illorum; & hoc puta vatem dixisse: quandocumque gens ista suas literas dabit, omnia corrumpet: tunc etiam magis, si huc medicos suos mittat. Iurârunt inter se barbaros necare omnes medicinâ: sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit, & facilè disperdant; nosq; dictitant barbaros, & spurciùs nos quàm alios opicos appellatione fœdant: Interdixi tibi de medicis.* Videsne, quomodo Cato ille superior, cujus auctoritati tantùm tribuebat Pop. Rom. in Græcos commotus, in medicos etiam feratur, ideò solùm quia Græci essent, & Romanorum inimici? Quare etiam eos filio interdicit, tamquam Romanis infensos, & quibus salutem credere suspectum habebatur, cùm plerumque servi essent. Quod probè advertens *Ioan. Molanus*: *Quid verò mirum*, ait, *contemptam fuisse medicinam, quando eam quæstûs causâ soli servilis ingenii homines faciebant, & ea erant felicia tempora, ut vix ullus interno morbo laboraret?* Quod *Seneca* sui temporis nimiam in victu intemperantiam & luxum taxans etiam deplorat.

Cap. 4. | In epist. quarum mentio apud Sextum Pomp. | Cap. 37. Diarii sanctor. med. num. 22. | Epist. 95.

Recolligitur quæst. argumentum.

Igitur summatim omnia recolligendo concludamus, medicam artem ab Æsculapii temporibus oblitam jam, & Cimeriis obrutam tenebris *Hippocratem* revocasse, à condita urbe anno ferè 300. illius tamen usum in Rom. notitiam non ante annum 535. venisse, ferente Archagatho Lysaniæ filio. Hunc postea Græcorum plures medici secuti, novitate famam & quæstum aucupantes, non pauci etiam devictâ Græciâ & in potestatem Romanorum redactâ anno circiter 550. ab ipsis Romanis servorum loco asportati, civitatem replêrunt: qui tandem sectis non convenire animadversi, hostes crediti sunt; à quibus vice salutaris medicinæ, meritò propinatorum clam venenorum pocula timeri cœperunt, cùm apud ipsos venalia extarent. Adauxerunt deindè providentiam adulteria in Principum domibus, & arcanorum revelatio; *Hæc enim* (inquit *Plinius*) *timuit Cato non minùs quàm reginas.* Accessit prætereà medicorum illius temporis execranda avaritia, & ob artis imperitiam errores, cædes, carnificinæ, & inter curandum secandi urendique sævitia: ex quibus tædium in artem omnesque medicos ortum est; credentibus aliis hominum industriâ ægritudines evinci non posse, sed Deorum potiùs consilio, ut *Cicero* & *Plinius* adnotârunt; quod non tacuit *Galenus*; atque ideò medicinam rem sacram, & Dei donum appellari meruisse scribit *Quintil.* Quæ omnia populo cognita cùm forent, suadente magni viri Catonis auctoritate, Græcos, & eorum luxum, ut Romanorum hostes & inimicos, unà qui ejusdem nationis erant omnes, & à quibus majora pericula formidari meritò poterant, Senatûs Cons. extra urbem ire, & eandem derelinquere decretum est, anno propè 590. Hi fuerunt sexcenti anni, quibus civitas medicorum usum non obtinuit: non quia recipere noluit, sed quia in illius notitiam nondum venerat ars; quæ tamen recepta, paulò post ob allegatas rationes abire jussa est, non ob artis odium, sed medicorum illâ non utentium, sed abutentium.

14. | Lib. 1. De divinat. | 1. de morbis vulg. sect. 3. t. xt11.17. | Declamat. 268.

Medicina quamdiu à Roma exulaverit.

Sed quanta fuerit exilii duratio, modò dicam: quippè à sexcentesimo urbis anno circa quem Senat. Cons. de ea amovenda data sunt, usquè ad primos Cæsares proscriptio prorogata est; quod tempus fuit 100. paulò minùs annorum, ut in *Floro* videre est. Quippè Julius Cæsar omnium nomine & dignitate primus, anno urbis 709. occisus est, cùm per tres tantùm imperâsset. Tunc namque herbariæ medicinæ notitia ad Rom. pervenit, quam Valgius Romanus, & Pompeius Lenæus, Magni libertus, ex Mithridatis à Pompeio devicti bibliotheca eo tempore exhibuerunt, ut ex eodem *Plinio* colligere est; multum ad hoc juvante *Cornel. Celsi* viri consularis industriâ, qui ornatissimo suo stylo Majorum placita ita tunc commendavit, & Rom. cœtus in admirationem traxit, ut explosam à Catonis tempore medicinam denuò ex animo receperint; in qua ipse non parùm se exercendo præcepta tradidit. Quippè à primo Cæsare medicos Romæ extitisse, indè colligitur, quòd *Ciceronis* tempore, qui sub Julio Cæsare & anteà Romæ fuit, medicina excolebatur; quòd ex eodem

In prolog. | Lib. 25. cap. 2.

15. Medicinam qui secundò Romam asportaverint, & à quo persuasi Rom. tandem receperint.

Ci-

Cicerone patet, qui ad Tironem libertum scribens, quem in Batrasso ægrotum reliquerat, ait sibi non placere modum curandi illius medici: unde infertur alios jam medicos curantes vidisse. Quis verò à Catone ad Ciceronis tempora illos sexcentos computabit annos, licèt mensales illos Ægyptios sequatur? Nec hoc tantùm, sed ab ipsis Imperatoribus in magno fuisse habitos pretio, ingentibusque honoribus & præmiis locupletatos, quis est qui ignoret? cùm omnibus plus quàm notum sit, *Antonium Musam* Augusto Cæsari inserviisse, eidemque desperatam ægritudinem, & ab aliis medicis non probè cognitam curâsse: cujus gratiâ annulo aureo, & equestri dignitate donatus est; nec illi tantùm, sed omnibus etiam medicis gestandi annuli concessa facultas. Posteà etiam sub aliis Impp. Augusto, Tiberio, Claudio, & cæteris omnibus, nusquam medicos defuisse comperimus; cujusmodi fuerunt *Vectius Valens*, *Vindicianus*, *Nonius*, *Priscanus*, & alii celeberrimi Archiatri, inter quos omnibus major fuit *Galenus*, trium Impp. successivè medicus: quorum non pauca scripta in medicorum bibliothecis extant; & eorum nomina in antiquorum scriptis passim leguntur; nec ea tacuit *Plinius*. Sic *Vindicianus* sub Valentino Imp. *Scribonius* sub Tiberio & Claudio, *Marcellus* sub Theodosio magno, *Oribasius* sub Juliano non solùm medicus, sed & Quæstor Constantinopolitanus creatus, ut auctor est *Suidas*: sed caduca fuit stella, quæ succedentium Principum invidiam acuit, & bonis privatum in exilium ad Barbaros misit, ut *Eunapius* Græcus auctor de illo scripsit; qui tantam apud eos gratiam & opinionem ob Medicinæ studium obtinuit, ut pro Deo pænè coleretur. Sic sub Nerone *Andromachus*, à quo Theriaca Andromacha & Neronia dicta; item & *Statius*, de cujus consilio *Seneca* reclusis venis moriens balneum parari fecit, ut in illius vita narratur; & idem *Seneca* de magna medicorum sui temporis supellectile, & tot ferramentis ac pexidibus conqueritur. Mitto *Q. Serenum*, *Celsum*, & alios, quin & *Dioscoridem*, quem cum Ant. & Cleopatra vixisse *Suidas* ait; & *Menecratem*, cujus frequentem nec incelebrem mentionem in medicamentorum lib. facit *Galenus*, non Philippi Macedonum Regis medicum illum, qui glorioso ac vano quodam titulo se Jovem appellabat, unde Agesilao Spartarum Regi insaniæ vitio notatus est; sed alium Tiberii, & Claudii Cæsaris medicum sectę rationalium addictum, multisque Comment. editis insignem, de quo *Cælius Aurel.* meminit *lib. 1. diutur. pass. cap. 4.*

> Lib. 16. epist. 6. Tironem.
>
> 16. *Medici propter Antonium Musam annulo, & equestri dignitate donati.*
>
> Plin. l. 1. cap. 1. Rhod. l. cap. 12. Dion. l.
>
> Epist. 95.

Igitur fuerunt Medicinæ proscriptionis & exilii, (si vera est fama) centum anni ex sufficienti temporum enumeratione, aut paulò minus, à Catone, cujus arbitrio anno ferè 600. expulsa est, ad primos usque Cæsares. Rursùs illorum tempore iterum illa coli cœpit, augeri, amplecti, & ad summos honores evehi, quemadmodum *Lucianus* narrat; qui ait Pop. Rom. civitates liberas, honores, & præmia medicis attribuisse. Hæc est veritas sine ulla dubitatione certissima; quippè aliter dicere, sexcentis annis ab illius proscriptione medicinam extorrem fuisse, fictitium est, merumq; ac palpabile mendacium, ut *Vallesius* adnotavit, & post eum *Minderetus*. Quinimò nec verum esse quod *Plinius* scribit, Romanos ultrà sexcentesimum annum sine medicis vixisse, ex illius contextu patet; quippè qui scribit *Archagatum* anno 535. Romam venisse: ergò jam antè conditam urbem 70. fermè anni computandi forent, ut illos sexcentos statueret; quæ absque dubio *Plinium* mendacem accusant, ut citatus *Vallesius* illi objicit.

> In Abdicato.
>
> 17. *Plin. arguitur mendacii dum Rom. sexcentis annis medicos non habuisse ait.*
>
> De sacra Philosophia c. 42. in Trenos c. 15.

Cæterùm scire licet, nos hæc omnia vulgi opinionem & famam cum *Plinio* sequentes dicere: verius enim potiùs æstimandum putamus, totum hoc quod *Plinius* scribit de medicorum exilio, & sexcentis annis, quibus Romam illis caruisse ait, omninò fabulosum & ad libitum dictum ab eo fuisse; cùm præsertim non desint auctores, qui illius testimonium hâc parte minimè veridicum non recipiant, & commentitium potiùs judicent; imò etiam antiquissimi alii, ex quorum scriptis nullo modo veritati consentanea dixisse constet: inter quos *Dionysius Halicarnassæus*, verissimus sanè & antiquiss. auctor, qui scribit, *Anno urbis 301. olympiade 82. P. Horatio, & Sexto Quintilio Coss. pestilentiam Romam invasisse, quantam anteà numquam: quæ servitia absumpsit pænè omnia, & civium partem circiter dimidiam, medicis in tantâ ægrotantium multitudine minimè sufficientibus.* Apparet ergò haud dubiè falsum esse quod *Plinius* ait, primum medicum Romam venisse anno urbis 535. cùm multò anteà anno 301. tam multi invenirentur, ut *Halicarnassæus* scribit; cujus auctoritati innixus *Secundus Lancellotus* in doctissimo illo opere, quod Italico idiomate vocavit *Hoggidi*, adversus *Plinium* sentit, & vel anteà, vel ullo post tempore apud Romanos, medicos defuisse crediturum se minimè scribit, nisi illi probetur Romanos per illud tempus, aut filios

> Lib. 10.
>
> Parte. 1. cap. 31.

Ada-

Adami non fuisse, aut aliquod privilegium habuisse, ut ab ægritudinibus immunes degerent, prout etiam constanter affirmare non dubitat Didacus de Yepes *in Sylva varia. lect. discursu* 37. Accedit ad hoc quòd Plutarch *lib. de sera numin. vindicta* scribit, veteres consuevisse filios illorum, qui ex morbis diuturnis & qui hæreditari poterant, moriebantur, Medicis committere, ut omni industriâ, quantum possibile foret, præcaverentur. Quod si de Romanis intelligit, Medicos jam à longo tempore habuisse facilè colligitur: quæ magis credenda videntur, quàm quod *Plinius* adversùs omnem humanitatem stabilire conatur; & ne quis miretur, *Flavius Vopiscus* author

18. sanè non inelegans ait, nullum Scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum; hoc crimine sugillat *Livium, Salustium, Tacitum, Trog.* credo ut notissimum omisisse *Plinium*; quantum enim hujusmodi labe ab omnibus fœdetur nemo est qui nesciat, dum enim rarissima & prodigiosa affectat, commenta & fabulas intromittere non veretur, ut historiæ raritate, & scribendi elegantiâ legentes demulceat; & certè *Plinius* tantam jacturam hâc parte subivit, ut jam ab antiquo de illo in parœmiam abierit: *Mentitur sicut Plinius.* Quæ adeò veritati consentanea sunt, ut *Baptista Peregrinus* optimis rationibus suffultus scribat, Medicos tantummodò durante Catonis Cons. Romæ exules fuisse, cùm & *Ciceronis* tempore non deëssent, prout ex illo constat *lib. de claris oratoribus*, ubi de se ipso loquens, dicit: *Cùm essem propemodum extenuatus, me & amici & medici hortabantur, ut causas agere desisterem.* Et 13. epist. famil. ad Q. Sulpicium ait: *Asclapone Patrensi medico utor valdè familiariter*: quare concludit Catone mortuo statim Medicos in civitatem rediisse.

In Apolog. advers. Philosophos & Medic. Calum. fol. mihi. 189.

Quid est igitur, quòd novatores istos audiamus, totos in medicinæ contemptu positos, qui nec ipsi extarent, si illa non foret? quid cum *Plinio* nobis arguent, qui nec suum nomen gloriosum, & posteritati notum facere potuisset, si à medicina hoc non habuisset, de qua (paucis demptis) tantùm magno suo opere videtur egisse? Sed ut vincam illorum pervicaciam, contumacemque errorem è mentibus submoveam, pergam ulteriùs, siquidem hunc scrupulum adimere conatus sum. Percunctor illos, quam calumniam, quódve opprobrium adducere opinentur ex hoc tam celebri, totiesque repetito medicorum exilio? nullam jam ex relatis causis à me adductis illis in artis defensionem objicere volo, licèt (velint nolint) eas admittere teneantur; demus medicinam & medicos à Romanis fuisse pulsos, quemadmodum jam olim Lacones

19. Ægyptios, Babylonios, atq; Lusitanos fecisse *Herod.* & *Strabo* testantur; imò Lusitanos & Anglos jurisperitos non admisisse, non desunt qui tradant authores: an Romani prædictos omnes barbarè imitantes hoc temerè & inconsultè facere non potuerunt, qui Poëtas, Philosophos, Mathematicos, Jurisperitos, & bonarum artium professores omnes indiscriminatim, & prout temporum facessebat occasio, extruserunt? Nec deficiunt authores, qui hujusmodi Senatuscons. à Romanis decreta commemorent; de Mathematicis satis à *Tacito* scriptum est, Claudii tempore factum fuisse Senatuscons. de illis Italiâ pellendis atrox & irritum: *Genus hominum*, inquit, *petentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.* De poëtis *Crinitus*, qui hanc melioresque disciplinas Imperii initio à Romanis fuisse contemptas abundè ostendit, quod etiam Lacones fecisse Plutarchus *in apoph.* scribit, qui Comœdias & Tragœdias audire nefas, & contrà leges putârunt, Archilochumq; poëtam cùm Lacedæmonem venisset, eâdem horâ expulerunt. De Philosophis etiam ab urbe amovendis à Domitiano Imp. statutum affert *Rhod.* & *Athenæus*, de quo etiam *lib. ad Albinam* conqueritur *Seneca*; & de ipsa Philosophia, quam ad suam usque ætatem jacuisse scribit *Cicero*. Nec ullum habuisse lumen literarum latinarum Grammaticam tradit *Suet.* qui de Rhetorica idem affirmat, olim exerceri prohibitam, rudi scilicet, ac bellicosâ tum civitate, nedum magnoperè liberalibus disciplinis vacante. Similiter etiam Sophistas, Rhetores, bonarumq; & liberalium artium authores aliquot, ob alimentorum inopiam sine respiratione ulla extrusos, hospites, exteros, ex *Ammiano* idem tradit *Rhodig.* retentis interim Mimarum asseclis, & tribus millibus Saltatri-

20. cum, cum choreis, & earum magistris. Sic *Gal.* qui paulò post Romæ fuit, maximum bonarum artium contemptum Romæ fuisse deplorat, & insanos habitos illos, qui sapientiam & studium sectabantur, scribit. Existimabant quippe juventutem Philosophiæ otio corrumpi, & enervari; quo nomine Agrippina Neronem filium à studiis Philosophiæ avocavit, quòd eam astrueret Imperatoribus inutilem, ut notat *Rhodiginus*: de qua Romanorum impiâ immanitate, & studiorum hor-

[Left margin:] Mathem. ... ēsis, phil. ... omnes ... na artes Rom. ... plosa.

[Right margin:] Lib. 17. — Lib. 5. de honest. discipl. cap. 4. — Lib. 29. Antiq. lect. cap. 8. Ath. lib. 13. dipnos. cap. 34 Cic. 1. Tusc. Sueto. de illust. Grammaticis lib. 18. cap. 6 — 3. Meth. cap. 2. — 1. Meth. cap. 1. — Lib. 29. cap. 8.

ribili odio, audiendus jam est *Tacitus*, qui doctos viros laudare illis temporibus capitale fuisse ait: *Nec in ipsos modò authores sed in libros etiam sævitum, delegato Triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Expulsis insuper sapientiæ Professoribus, & omni bonâ arte in exilium actâ, ne quid unquam honestum occurreret. Dedimus profectò grande patientiæ documentum, & sicuti vetus Respub. vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quidem in servitute; adempto per inquisitiones etiam audiendi loquendiq; commercio.* De hac infelicitate conquerebatur Demetrius Philosophus, qui post rejectos ex Italia Philosophos cùm ad Appollonium venisset, & fortunæ suæ iniquitatem deplorâsset, *Cicadis*, dicebat, *licet impunè canere, nobis Romæ nec mutire fas est*: ut de illo narrant *Philostratus* & *Cuspin.*

Romani quare optimas artes & scientias expulerint. 21.

Quid igitur in tanta Romanorum indignitate magis de medicis, quàm de cæteris subiit admirari? cùm omnes ferè exteri essent, Græci, aut Ægyptii; ob quod inter expellendorum edicta fortassis venerunt numerandi, quandoquidem ipsis sic erat persuasum influxu Græcarum nationum effæminari Romam, quæ cùm germanam illam austeritatem adhuc spiraret, Græculos professores urbe exegit, ut *Plut.* & *Erasmus* adnotârunt; & Lacedæmones similiter fecisse iidem produnt authores, qui exoticas literas, homines etiam professores, sicuti & libros ipsos ejecisse scribunt: quod satis ex *Plinio* constat, qui Catonis arbitrium ceu quoddam oraculum laudat, quòd ingenia Græcorum dixerit satis esse inspicere, non perdiscere. Dicere etiam possumus ethnicos illos adhuc per ea tempora bonarum omnium disciplinarum inexpertos & rudes, interdixisse eas & repulisse, ut otii comites, pacis, & quietis, quibus in illa ætate sæviente tantùm Marte, & Bellonâ, non dabatur frui. *Non enim* (ut ex *Cicerone* affert *Langius*) *bella gerentibus, nec Regum dominatione impeditis, aut devinctis, nascitur discendi cupiditas. Eruditio nempe & eloquentia pacis est comes, otiiq; socia.* Sic Gothicum fuit institutum, ne literis imbuerentur Reges; apud Rhodiginum *lib.* 8. *cap.* 1. Sic Turcarum adventu studiorum Græciæ calamitas fuit deploranda, ut *Sabellicus*, *Zonaras*, & *Nicetas* anxiè lamentantur. Nec illud in gratiam meorum medicorum subticebo, quod in tanto Romanorum in literas odio, & sævitia, si cui artium & Professoribus major honos habitus est, sine dubio medicis fuit, de quibus inquit *Tranquillus*, quòd tempore sterilitatis & famis eximiæ nullis advenis datus est locus, nisi Medicis solùm: quod adversus omnia *Plinii* mendacia eo tempore factum fuisse, verisimiliter credere possumus, quod & ipse innuit his verbis: *Et cùm Græcos Italiâ pellerent, diu etiam post Catonem excepisse Medicos.* Et sanè non sine maxima conjectura affirmare auderem, Medicos nunquam à Romanis exclusos, sed Chirurgos tantùm, ut *cap.* 19. *suæ Threnodiæ*, constanter asserit *Mindererus*; quia circà Archagati tempora, in quo exilium decretum est, nullos adhuc medicos Romæ fuisse, sed Chirurgos & Vulnerarios tantum, ex eodem *Plinio* colligitur, qui Vulnerarium dictum fuisse scribit.

In Laconicis. In apophth.

Lib. 29. cap. 1.

Studia Græciæ qua de causa deleta.

Tom. 2. epist. 2. Ænead. 9. Lib. 2. Artom. 3. & Nicet. l.

Tranq. cap. 42. in Oct.

Roma famis temp. solos ex exteris medicos intra urbem retinuit.

Lib. 19. cap. 2.

22. *Poëta quando primùm Romæ fuerint.*

Quæ omnium exilia, si cum medicinæ proscriptione conferantur, per idem ferè tempus, aut paulò post secuta fuisse videbuntur, cùm Poëtæ secundo bello Punico sæviente sese intrà civitatem intulerint, quod anno urbis 535. incepisse recenset *Florus*, qui adventus etiam Archagati primus fuit; licèt aliàs subsequentibus temporibus varia de hujusmodi exiliis Senatusconsulta decreta fuerint. Sed quatenus in medicos talia extiterunt, non multò posteà resipiscentes, eosdem amplexati sunt, & plurimi fecerunt, probè memores, quòd Q. Fab. Gurgite, & Jun. Bruto Scæva Coss. cùm tota urbs immani pestilentiâ incensa de fine periclitaretur, nec tam truci malo remedium inveniretur, ex libris Sibyllinis petitum inventumque præsidium istud, Æsculapium Romam accersendum, qui Anguis efficie Epidauro colebatur: è vestigioque missi Legati, stupentibus admiratione cunctis Deus in draconem versus, & per mediam Epidaurum lapsus Legatorum navem conscendit, Romamque vectus, & Tiberis insulam ingressus, ibi sese virgis occuluit, cessante interim pestis dirâ clade; quo loco Numini delubrum condere gratitudinis ergò cœperunt extra urbem, non (ut *Plinius* ex aliorum sententia indigitat) quia intra civitatem medici & medicina contineri prohibebantur (quod ex eo patet, quia prædicta pestis anno urbis 461. multò antè quàm medicina ex ejusdem *Plinii* relatione Romam adveniret, grassabatur, ut in *Val. Maximo* legitur) sed ob alias causas ex Plut. *Problematibus* petendas, cùm præsertim ob prædictum beneficium & Dei illius & Fani ingens inceperit cultus: nec multò post medicis honores aucti, & exinde concessum, ut inviti in judicium referri nequirent, ut in *L. medicos. C. de Profess. & medicis*. De quibus videndus

Lib. 29. cap. 1.

Lib. 1.

Go-

Gothofredus in dicta lege, illis etiam impunitas data, si quando hominem errando occidissent, multisque aliis posteà ab Impp. immunitatibus, & honoribus locupletati sunt.

Beata igitur Roma, quæ tantis donis medicinam honestavit, præmiis honoravit, auxitq;! & rursus beata, cui medica ars Cæsarem discisso matris abdomine vivum tradidit, cujus obsequio tot hominum paruêre millia; cui Scipionem Africanum, Manlium, scisso matris ventre natos memorat *Plinius*. Absit omnis vel Momus, vel Mimus, qui nec mussitare quidem posset, nisi ei post partum religata lingua medicâ ope præcisa fuisset. Quid enim in vita propter eam boni non superest? quanta illi debentur? quæ nondum natis, necdum conceptis, ut concipi ac nasci possint, prævio studio famulatur, conceptos fovet; nascentes educit, genitos securè conservat, in morbis positos sublevat, redintegrat, reficit, restaurat, sanitatem omnibus promittens, & inquantum potest adaugens, cui nulla felicitas venit æquiparanda, vel magni illius Pyrrhi judicio, qui nil ultra à Diis immortalibus exigebat, non regni ampliorem modum, non de hoste victoriam, non gloriam, non aurum, non gemmas, & id genus alia, quibus mortalium plerique velut panico casu attoniti inhiant, sed sanitatem petebat; quasi hac parte bene constitutâ, prosperiùs cessura viderentur omnia: meritò tamen, nam etsi toto sinu sese effundat fortunæ afflatus, absit tamen sanitas, nullum inde promanat emolumentum, quod juvet. Quapropter tam pretiosæ gazæ, & incomparabilis thesauri laudes *Ariphon Sicyonius* eleganti pæane sic decantat:

23. — Lib. 7. cap. 9. — Rhod lib. 7. cap. 24. — 24.

O sanitas beata!
O sanitas amanda!
O sanitas colenda!
Tecum mihi beatè
Reliquum agitare vitæ
Liceat. Mihi perennis
Comes adesto vitæ.
Nam quidquid est bonorum,
Et quidquid est leporum,
Et quidquid est honorum,
Et quidquid est amorum,
Magnis in auri acervis,
In liberis venustis
In Principum favore,
In conjugum decore,
Et quidquid est, quod amplius
Largitur orbis Author,
Quietis à labore,
Gaudii post dolorem,
Tecum viget, viretq;.
O sanitas beata!
Tu ver facis suave
Fulgere gratiarum,
Sine te nil beatum.

25. Hæc & majora sunt sanitatis encomia, quæ ut rectè agnoscas & fatearis, hominem in miserabilem vitæ & morbi conditionem ex adverso detrusum considera, & confecto corpore lecto affixum: tunc aliorum imperio à quibus regitur subjectus, quæ cupit, abnegari sibi videt; quæ fugit & abhorret, exhiberi certatim; non alimentorum amans est, non colloquiorum, non lætitiæ, non amicorum, omnia contemptum, omnia odium pariunt: absente enim sanitate occurrunt solatia præterita, urbana & rustica, quæ tormenti loco sunt omnia. Ubi verò remediorum præsidiis, ac medicæ artis remediis ægritudo expellitur, tunc neminem cui subjiciatur in vitæ actionibus habet, tenet quæ cupit, & facit, spreta antea alimenta amat, amicorum colloquia, quæ parum antea audire non poterat, desiderat, lætatur, in foro est, rusticatur, pro Repub. laborat, pro amicis, pro familia. Ite nunc, aut sanguine, aut multo congesti æris acervo superbi terræ filii, & convitium facite innoxiæ arti, cujus ope solâ valetis, cujusque Regum maximos haud puduit pœnituitque! Non Mithridates, Dionysios, Hadrianos, Constantinos, aut Alexandros adfero, omnes si non peritissimos, certè medicinæ studiosissimos; sed ipsum Salomonem, qui thesauros suæ sapientiæ in medicina describenda ab hyssopo usque ad cedrum aperuit. Quid igitur de pulsa medicina malevoli posthac dicere valebunt? quid de illis medici, nisi vile, ignobile, & indocile, ac extra omnem rationis mensuram positum esse hoc hominum genus, & tellure haudquaquam dignum, quod numquam resipiscere poterit, nisi prius ab ipsis medicis Anticyras ad potandum elleborum relegetur. Sed quia plura jam dixisse videor, & meus fortassis affectus suspectus habebitur; continendus impetus orationis est, convitiatoribus istis permittendo, ut loquantur, garriant, & cum *Plinii* mendaciis blaterent, gaudeant: medici interim alia rimentur, & ex authorum lectione decerpant, quibus se ab hac hominum fæce tueantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

Jurisperitus an Medico præferendus, & altiori honoris gradu collocandus?

A Romanis ad Jurisperitos veniamus, qui superbiâ & fastu tumentes, & ab hominum ambitione omni ex parte Medicinæ antepositi, suam inter astra scientiam caput condere gloriantur, tantaque se jactant vanitate, satellitum, & laterorum ingenti copiâ stipati, ut hanc quam modò intendimus dirimere controversiam, nec admittant proponi, jam semetipsis judicibus determinatam, & magno (ut credunt) intervallo Juris peritiam medicinam superare jactantes, ut ex ipsis Jurisperitis qui de hac lite scripserunt, tenent *Barbatia*, *Chassanaus*, *Tiraquellus*, *Poggius Florentinus*, *Collectius*, *Petrus Charmensis*, *Pierius*, *& Bernardus Florentinus*. Quos in judicium revocare modò placuit, ut quemadmodum ipsi ex allegatis sententiam definiunt, ita ex eorumdem futilibus, & malevolo odio excogitatis argumentis, quibus medicinæ detrahunt, & de proprio honoris gradu dejicere præsumunt, dissolutis aliter proferant, & omni semotâ iniquitate (quod jus est) sua unicuique tribuant. Nil interim illorum scientiæ detraham, meam tantummodò (quod medicos decet) evehere conabor, & eorumdem frigidis objectionibus satisfacere, ut medici deinceps in concionibus, in quibus non rarò de hujusmodi lite incidit sermo, habeant, quo ab arroganti illorum jactantia, & ineptis etiam argumentis sese tueantur, quæ talia sunt.

1. *Jurisp. argumenta adversus medicos.*

In primis igitur Medicinam sic vilipendere & impugnare contendunt, scientiam esse non posse dicendo, quòd de singularibus agat, de quibus non est scientia, imò ars factiva ab ipso *Hipp.* appellata, quæ habitus est operativus. Secundò, quòd circà speciale objectum non versetur, ut cæteræ scientiæ. Tertiò, quòd quælibet scientia per demonstrationem ex necessariis debeat procedere, Medicina non sic, sed ex probabilibus tantum, quæ opinionem, non scientiam valeant generare; cùm præcipuè tota ferè experientiâ, non demonstratione acquiratur. Quartò instant, Medicinam de rebus contingentibus esse, quæ fallere, & aliter queant evenire; scientiam verò de necessariis atque perpetuis esse debere, ut ex *Aristotele* patet. (1. Post. Text. 5. & 6. Eth. cap. 6.) Ab his ad majora venientes de antiquitate scientiarum contendunt, suam mundi primordiis viciniorem extitisse, & sic leges Medicinâ longè vetustiores esse, eò quòd lex in Paradiso lata fuerit: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* (Genes. 2.) Deinde ut omnia sibi arrogent, autumant sanitatem ipsam legibus certis contineri, ac proinde juris peritiæ Medicinam subjectam esse. Ajunt prætereà, Medicinam non videri adhuc absolutam, quòd medici rarissimè inter se consentiant, aliter atque aliter opinantes, quotidie innovantes, & vix aliquando in curationibus cohærentes. Instant ulteriùs, sese circà Medicinam leges ferre; & ex eo comprobant, quòd veteres legislatores statuerunt, ut mense Julio lupanar in urbe non extaret, ne masculorum robur coitu per æstatis calorem plus justo enervaretur: ne Creticum etiam & Hispanicum vinum venale exponeretur sub canicula, ne ob illius potum cives in febres inciderent, quod & in novis vendendis hodiè observatur.

2.

Jactant prætereà scientiam suam Medicinâ longè esse nobiliorem, eò quòd circà animum versans homines justitiâ, pace, tranquillitate, modestiâ, ac aliis virtutibus imbuat; Medicina verò circà corpus, & illius tantum affectiones, prout testatur *Demosth.* qui sic inquit: (Orat. 2. contra Aristogitonum.) *Quæ sanè corporibus eveniunt ægritudines, medicorum industriâ & ope curantur, animorum verò ferocitatem propulsant ac vincunt legum latarum sententiæ.* Hac ratione motus summæ authoritatis vir *Cæl. Rhodiginus* Jurisconsultum medico anteire scribit, (Lib. 18. cap. 19.) Minoëmque tantò fuisse *Galeno* eminentiorem ait, quantò est corpore præcellentior animus.

Ne verò aliquid eorum odio deficiat, ultimam ignominiæ labem addere imaginantur, cùm medicos ajunt circà obscœna, & aversabunda assiduè versari, utpote sordes, sputa, excrementa, urinas; quare frequenter in illos vetus hujusmodi scomma jactant:

Stercus & urina, medicorum prandia prima.

Ad-

Addunt ultimò ignobilem esse medicinam, ac servilem artem, quam antiquitùs servi tantùm exercebant, ex *l. 3. §. 1. C. Com. de fideicom. & legat. & l. 1. §. 5. vers. sin autem. C. de communi serv. manumiss. Cùm notarios quinquaginta solidis æstimari velimus, medicos autem & obstetrices sexaginta.* Insusurrant etiam verba Joseph: *Præcepitq; servis suis medicis, ut aromatibus condirent.* Unde colligunt apud Hebræos medicos habitos fuisse servos. Tandem *Aristotelis* authoritate quæstionem hanc determinaram jam dudum fuisse contendunt, cujus sunt verba: *Facultas civilis honorabilior Medicinâ est, ac præstantior*; quam etiam sententiam in illorum favorem à Diogene latam afferunt, qui interrogatus, utérne dignitate anteiret? respondisse fertur: *Præcedat fur, sequatur carnifex.* Et jure optimo, ut credunt: *Est siquidem civitatis anima lex, &* (ut *Tullius* inquit) *illius vinculum, libertatis fundamentum, fons æquitatis, mens, consilium, animus; & ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus ac nervis, & membris uti non potest*; cujusmodi alia affert idem *Cicero*, quæ ex illo & aliis conjecit *Ferdinandus Abduensis* in oratione pro Jure Civili adversus Philosophos & Medicos, ubi multa pravè intellecta, & in suam sententiam maligno odio contorta, vel mediocris natator, sed animo sincerus, inveniet, multa fabulosa, falsa, & sine authoritate ad libitum iniquo, & contradicendi studio tantùm prolata: quid enim stupidius dici potuit, quàm *Archiatri* nomen, quod vel ex ipsius *Gujacii* explicatione, *lib. 10. Cod. Titul. 52. de professs. & medicis*, Principis medicum significat, vel ex *Beroaldo*, & *Iul. Alexandrino*, medicorum primum & veluti principem, vel ex Marsilio Cognato *lib. 2. cap. 15. Vari. observ.* qui sic dictos ait, quòd Principis favore eveherentur; ille tamen *Atri* latino significato ductus, aut insulsè deceptus, *Principem mæroris & mali*, *Archiatri* verbum interpretatur; *Iatros* medicum Græcè dici vel ignorans, vel certè iniquè dissimulans, ac prætermittens: frivolè etiam à scurris & sciolis toties decantatum medicorum exilium affert, ubi etiam addit medicos ab Atheniensibus exclusos, quòd plures occiderent, quàm sanarent, ac propterea ad Romanos se contulisse, quòd in Græcia Medicinam exercere prohiberentur. Quod quàm falsissimum sit, & à nullo antiquorum scriptum, vel ipse fatebitur Momus, cùm econtra notissimum sit, quanto amore & studio Athenienses & Græci Medicinam ab Ægyptiis susceptam foverint, & prosecuti fuerint, quantis honoribus *Hippocratem*, illius filios, & discipulos cumulaverint, cùm tanquam Diis statuas illis erexerint; imò medicam scientiam tanto in pretio & honore habuerunt, ut legibus caverint, ne mulier, aut servus hanc artem addisceret, aut exerceret, ut *Iul. Hyginius* refert *lib. 1. Tab. cap. 174.* quam tandem legem Agnodice puella sexum mentita omnium prima violare ausa est; unde postea Areopagitæ (uxoribus & multis fœminis sub verecundiæ prætextu reclamantibus) legem emendârunt. Totam historiam ex eodem Hyginio Augusti liberto latiùs scribit Henricus Salmuth apud Pancirolum *Tom. 1. Rerum memorab.* Sed versutus hic calumniator rabie contradicendi percitus, in majores alios errores impegit: Catonem scilicèt Uticensem Romanos in medicorum repulsionem commovisse, itemque eundem filium per epistolas ex Asia, ubi Consulatum gerebat, commonuisse, ut Græcos eorumque medicinam fugeret; qua in re multipliciter hallucinatur, cùm Censorinus potiùs fuerit, de quo & hujusmodi ad filium literis, in epistolis apud *Sextum Pompeium* mentio fit: nam Uticensis, qui Censorini nepos fuit, nullos filios habuit, Marciam conjugem Hortensio amico liberorum causâ concessit, aut avaritiæ; in quo à Cæsare non leviter calumniatus fuit, quòd pauperem dimiserit, & post Hortensii mortem divitem susceperit: tandem Consulatum licèt ambierit, nunquam tamen obtinuit, ac frustra petiit, quòd, ut de eo *Plutarchus*, virtute suâ, & Stoicâ severitate fidens, populo non nimiùm submissè voluerit supplicare. Vide quàm miserè deceptus, in turpissimos errores detrusus, non aliter odium, quàm ignorantiam suam detegat; ut sanè videatur, non quid diceret, sed quàm ineptè, pro meta dicendorum sibi proposuisse.

His igitur argumentis & authoritatibus medicinam devictam osores arbitrantur, & infimo honoris gradu collocandam; ad cujus spolia colligenda & diripienda adversarii, & præcipuè Togati isti ne dicam vultures (ut citrà pudorem loquitur Apuleius) sese accingunt, trophæum statim erigentes, & tyrannico velut fastu superbientes omnia sibi deberi credunt; quæ si jure non possint, per vim arripiunt, ut nihil tantæ gloriæ ambitioni videatur sufficere: nec alios præter suos Papinianos, Servios, Sulpicios, Paulos, Ulpianos, Trebatios, Tuberones, Cassios, Julianos, Tripho-

[Margin notes: 3. — Genes. ult. — 2. Ethicor. cap. 13. & 1 cap. 17. & Polit. 1. cap. ult. — Legum excellentia. — Pro Cluet. — 4. — 2. Delegib. & in lib. de oratore. — Archiatri nomen unde. — Comment. in Suet. cap. 42. — Comment. in lib. 1. Galen. de antid. cap. 1 — 5. — In Catone. — 6. Jurisperiti Togati vultures ab Apuleio dicuntur.]

phonios, Marcianos, Alphenos, & hujusmodi farinæ alios honoris præfatione dignos nominari volunt, quem gradum ut legitimè juris explanatores sibi ipsis impertiuntur. Cùm interim non desint, qui tantam illorum intumescentiam, & mores culpent, stratagemata damnent, & in tanto artis pondere latrocinia execrentur, in medio foro concessa, ut *Columella* dixit, sanguinariâ rapacitate homines excarnificando, quod duro ore taxat *Apuleius*, ut illorum facundiam propterea caninam vocare non dubitaverit *Salustius*. Imò idem *Cicero*, in cujus laudibus tam stupidè hærent, dum fratres irridet Lepaceos, appellat industrios magis in foro fures, quàm fori oratores; de quibus etiam *Divus Bernardus* proclamat sic: *Hi sunt qui docuerunt linguas loqui grandia, cùm operentur exigua, largißimi promissores, parcißimi exhibitores, diversi adversus justitiam, eruditi pro falsitate.* Et rursus: *Sapientes sunt ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum.* Contrà quos, licèt de illorum familia, etiam invehitur Chassanæus: *Hi sunt*, inquit, *qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos. Hi sunt, qui negant civitatibus inducias, mercatoribus nundinas, emptoribus mensuras, reverentiam clericis, originem nobilibus, locum prioribus, cunctis jura, quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi est. Sunt in collocutionibus bestiæ, in quæstionibus statuæ, ad intelligendum laxi, ad judicandum lignei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum Minotauri.* Hinc *Hyperides* rhetores serpentibus similes esse protulit, quòd omnibus odio digni viderentur; & ut *Suidas* & *Verinus* adnotârunt, cùm mali sint omnes, ex ipsis alios aliis esse hominibus nocentiores; quam similitudinem de causidicis evulgat *Aldrovandus*, quòd cunctis nocui esse ferantur: obsunt quippe adversariis, dum eorum jura rationibus contra jus debellare nituntur; clientibus magno sunt incommodo, dum eorum nummos, & munera indies expectant, de quibus quidam poëta sic:

Jurisp. depravati mores taxantur.

Lib. de Consid. ad Eugen. Papam l. 2. cap. 5.

Super illa Psal. 74. Irritat adversus nomen tuum.

Tit. 45. & ex nostris Horat. Aug. tom. 2. epist. 1. cap. 6.

In orat. contra Demadem.

In serpen. lib. cap. 1.

> *Pinguius & melius siquidem declamat agitq́;*
> *Causidicus, palpet quàm tua larga manus.*
> *Utq́; phaleratis verbis diffundere causam*
> *Poßint, & legum garrula verba loqui.*
> *Causidico à tali judex citò fallitur is, qui*
> *Iudicii sceptrum simplicitate regit.*

7. Quâ ratione communiter dictum est Medicos, Theologos, Jurisperitos circà purgationem esse occupatos; nam Medici corpora purgant, Theologi animas, Jurisperiti dant operam ut hominum loculos expurgent & crumenas. Ubi enim leges multæ, ibi & lites multæ, vita mores que pravi, in quibus allegandis leges ut ceram flectere dicuntur; unde non immeritò Terentius: *Ius summum summa sæpè malitia est.* Sed vitia hominum sunt ista, non scientiæ, ut de medicis dicebat *Plinius*; nam illæ (quatenus ex se) bonum quoddam sunt, à quo quidquid optimum est docetur, utile dignoscitur, honestum deducitur, gratum tandem, delectabile, atque proficuum comparatur; nullaque fortunæ bona, aut naturæ fugitiva dona, hominem sic gloriosum, ac scientiæ efficere possunt. Sed cui harum facultatum major insit utilitas, & à qua mortalibus majus adveniat bonum, conabimur modò demonstrare, ut exinde quam præferre debeamus innotescat.

In Heaut. lib. 29. c. 1.

8. Cùm igitur notum sit nobilitatem vel armis, vel literis acquiri, sintque hæ duæ artes potissima Reip. membra, quibus veluti duobus cruribus pace & bello nititur, utra antecellat, lis antiqua est à multis controversa, de qua modò disputare non instituimus. Pugnent pro armorum jure illi, ad quos ea defendere attinet, vel adversus illud furore bellico in summo ea collocent fastigio: Oratorum primipilum *Ciceronem* in media acie nunc galeatum constituant, qui bellico stridore crepans, & superbis Romanorum triumphis insultans sic intonuit: *Summa dignitas est in his, qui militari laude antecellunt.* Et rursus: *Quod si ita est, cedat, opinor Sulpiti, forum castris, otium militiæ, stylus gladio, umbra soli; sit denique in civitate ea primaces, propter quam ipsa civitas omnium princeps est.* Sed nobis literariam primo loco collocantibus sufficiat non à Doctoribus modò, sed à clarissimis Ducibus anteponi; quod videtur fecisse magnus ille Aragoniæ Rex *Alphonsus*, qui interrogatus literisne an armis plus deberet? fertur respondisse: *Per libros armorum studium cognovi, & armorum decreta.* Quam partem videtur etiam secutus Cato ille Major, qui cùm exercitum sæpè duxisset, plus se Reip. credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in literas, quas tanto affe-

Nobilitas armis, aut literis acquiritur.

Cicero arma literis prafert.

Pro l. Mur.

Literas alii armis anteponunt.

Franciscus Thamara in illius dictis.

ctu

ctu prosecutus est, ut jam senex in Græcis addiscendis operam contulerit. Rectè proinde Cato Major apud Vegetium: *Unius ætatis sunt quæ fortiter fiunt, quæ verò pro utilitate publica scribuntur, æterna sunt.* Quippe literæ juvenibus sunt necessariæ, senibus jucundæ, pauperibus opes suppeditant, opulentis adjungunt ornamentum, in rebus adversis solatio sunt, in secundis gloriæ, claro natis genere splendorem augent, obscuro loco genitis claritatis initium conciliant: pereunt itaque omnia, & fortunæ temperantur arbitrio, divitiæ, honores, sanitas, valens etiam corporis robur senectus aufert & morbus; bonorum verò omnium sola doctrina cæleste quoddam est, & immortale, nullis periculis, casibus nullis, nulli temporum varietati obnoxium, & uno verbo quidquid cernitur inter mortales humanitatis, moderationis, prudentiæ, virtutis, ac sapientiæ, totum è literarum purissimis sanctissimisque fontibus profluxit: etenim Socraticum illud est, *Unicum esse bonum scientiam, inscientiam malum unicum.* Et Seneca: *Est aliquid quo Sapiens Deo antecellat, ille naturæ beneficio, non suo sapiens est.* Quandoquidem, ut rectè *Cassiodorus* in epist. *Non potest in mundo aliqua esse fortuna, quam non augeat gloriosa literarum notitia.* Sed ad literariam palæstram conversi sacratissimam Theologiam in excelsissimo honoris vertice relinquamus, cum qua nulla est, nec esse debet æquiparatio, aut contentio; siquidem vel ipso *Aristotele* teste, *Quæ Divinissima, eadem & honoratissima.* Ea enim est, quam maximè Deus habet, & quæ maximè divinorum est, quippe divinarum rerum est scientia, quæ quidem principia penes Deum habet, & mentes Beatorum. Igitur non est, quòd cum hac alia certet, ni amens prorsus fuerit, qui ad talem dementiam; aut vanitatem devenerit, cùm præcipuè nil aliud foret, quàm adversus Deum superbire, quod utique absit.

[Margin: ...terarum ...us.] [Margin: Lib. 2. de re militari cap. 3.] [Margin: Epist. 53.] [Margin: ...eologia ...ter scien... ...s prima ...benda ...] [Margin: 1. Meta. cap. 2.]

Certamen itaque, & contentio inter Medicinam, & Jurisprudentiam superest; nam licèt hæc humanarum & divinarum rerum definiatur scientia, non ideò est, quia de divinis tractet, aut illius objectum sit, quale Theologiæ est, sed justitiam observare facit, mentes hominum vagas, & actiones erroneas componit, castigat, ad æquabilitatem omnia reducendo, ut unusquisque in statione sua & officio maneat; quod non est rerum divinatum peritia uti, sed legibus potius, ut civitas rebus Divinis vacet, quod & ipse *Aristoteles* insinuavit.

[Margin: 9. Jurisp. ...finit. ...uomodo ...telligen... ...um, quod ... Divinis ...ctet.] [Margin: 6. Eth. cap. ult. in fine.]

Antequam tamen ulteriùs progrediamur, supponendum est nobilitatem & præstantiam artium & scientiarum ex tribus tantum deduci, vel ab objecto, vel ab antiquitate, vel tandem ab utilitate, necessitate, & effectu. De primo & secundo infra dicemus: quoad tertium verò, utilior multò videtur Medicus, quàm Orator & Causidicus; talis quippe vel mediocriter prudens quisquis sibi esse potest, & proprias intelligere & defendere causas: deinde actiones, quæ legibus temperantur, à voluntate nostra pendent, à quibus honestus ac providens unusquisque abstinere poterit; valetudo autem nequaquam voluntatis imperio subjacet, cùm & sobriè etiam viventes sæpè morbus arripiat. Præterea in civitate regenda, morali tantùm Philosophiâ opus est, in qua Moderatorem populi, ut Remp. sapienter tractet, exercitatum esse satis est; in medico verò nulla potest esse perfectio sine illa encyclopædia, quæ ad felicitatem viam munit. Ulteriùs, si necessitas & utilitas ex beneficii præstantia metiri debet, quod à medico præstatur cæteris omnibus præferendum esse *Arist.* scribit, dum ita ait: *Honor est existimationis benefactivæ judicium; honorantur ergò maximè atque meritò, qui beneficia contulerunt; beneficentia verò illa primas partes habet, quæ salutis est causa, & ut simus, secunda verò quæ divitiarum vel alterius boni.* Ergo cùm nihil aliud medicus agat, quàm salutem conservare, deperditam restaurare, primum locum illi *Arist.* tribuere certum est. Idem similiter voluisse videtur *Socrates* apud *Platonem* cùm dixit: *Optimum omnium rerum esse prosperam habere valetudinem, secundò egregiam formam, tertiò divitias*; non enim veritus est primas sanitati tribuere. *Agmen ducit sanitas.* Ergò qui hanc procurat, adauget, optimus erit & honorabilior; nam sanitate nil melius esse non Philosophi tantùm, sed Poëtæ etiam commendârunt. *Horatius* nil in hac vita melius ac commodius esse cecinit:

[Margin: ...entia... ...m & ...tium ...æstantia ...de pe... ...nda. ...ledicus ...agis ne... ...ssarius. ...dvocatus ... defen... ... quivis ...è potest. ...ledicus ...ajus be... ...ficium ...æstat ...àm Ju... ...peritus.] [Margin: 1. Reth. cap. 5.] [Margin: ...nitatis ...udes.] [Margin: In Gorgia.]

> *Si ventri benè, si lateri est, pedibusq; tuis, nil*
> *Divitiæ poterunt regales addere majus.*

[Margin: 1. Epistolarum.]

Quid enim sanitate præstantius, aut quid absque illa optimè facere possis? hanc nec cum omnibus Crœsi divitiis, aut auriferi Tagi arenis commutare jure poteris; unde *Ariphon Sicyonius* præter pæana quæstione antecedenti, aliter sanitati sic decantat.

O quâ nec altera vetustior est cœlitum,
O una cunctis expetita sanitas!
Quodcumque reliquum est vitæ, tecum utinam
Agam, & una omnium contubernalis sis mihi!
Quicumque enim fortunis fruitur, aut liberis,
Aut est voluptæ obnoxius aliter suæ,
Te unâ favente cuncta habet propitia.
Afflant & illum Charites, & si media hyems
Rigeat, tamen ver illi flosculos parit.
Absente te sunt cuncta dura & aspera,
Nec grata prorsus cætera est felicitas,
Quin esse planè desinit felicitas.

II. Suavissimos etiam Saluti hymnos cecinerunt *Orpheus*, *Menand.* & eandem extulerunt super omnia *Tyrius Platonicus*, *Theogenes*, *Diogenes*, *Plato*, *Erasmus*, *Posidonius*, & ipse *Cato*: majora forsan *Pythagoras* ille *Samius*, qui eam cæteris omnibus uberiorem thesaurum ratus, omnium primus singulis epistolis seu genuinum instituit, ut præfigeretur exordium, *Sanitatis optio*; & meritò, nam *Thales* interrogatus, quis esset felix? *Qui corpore*, inquit, *sanus est*, *& animo eruditus*. Eodem modo sensisse videtur *Theogenes* antiquiss. auctor, qui sic ait: *Pulcherrima res est justitia, optima sanitatem suavissimam & desideratissimam consequi*; & Cicero: *Homines ad Deos nullâ re propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando.* Quâ de causâ *Gregorius Nyssenus* medicinæ artem rebus omnibus, quæ in vita magni fiunt, præcellere dicebat: nec desunt authores, præter medicos (quos modò ut in propria causa suspectos ejuramus) qui Medicinam Jurisprudentiæ præferant; ex his unus est *Cassiodorus*, cujus sententiam approbat *Olaus Magnus* Episcopus Upsalensis, apud quos sic fermè legimus: *Laudantur fideles causidici & advocati periti, cùm magna atque ardua negotia defenderint singulorum; sed multò gloriosiores habentur, qui artis excellentiâ noverunt expellere, quod mortem videbatur inferre, & salutem reddere sub morbo periclitantem, de qua coactus fuerat vehementi cruciatu desperare. Ars hæc celebris est, quæ in homine plus invenit, quàm in se ipso cognoscit, periclitantia confirmat, quassata corroborat, & futurorum præscia, dolorem [illegible]nguit; propterea inter utilissimas artes, quas ad sustentandum humanæ fragilitatis domicilium, & indigentiam divina tribuerunt, nulla videtur præstare aliquid simile, quàm quod potest auxiliaris medicina conferre: ipsa enim morbo periclitantibus maternâ gratiâ semper assistit, ipsa contrà dolores pro humana fragilitate, & ibi eam sublevare nititur, ubi nullæ divitiæ, nulla dignitas poterit subvenire.* Quibus fortè convictus Scaliger *lib. 3. poëmat. pag. 256.* jurisperitis medicos anteponere non veretur. Nec aliter judicavit *Homerus* omnium, mille instar, qui medicos ita extollit, ut omnes cujuscumque factionis & scientiæ homines illis postposuerit:

Sanitatis optionem quis primus in epist. scribere docuerit.

Auctores & rationes, qui medic. Jurisprudentiæ præferunt.

Pro Marcello. Lib. de Trinitate. Lib. 16. epistolar. cap. 19. Lib. 16. Hist. Septent. cap.

Est medicus prudens multis præstantior unus
Ille viris.

2. Iliad.

Et iterùm:

Medicus, aut quilibet sciens, suprà omnes homines.

Odyssea.

Quare ex eodem:

Unus homo medicus multis æquandus honore est.

Idem existimavit *Theodoretus*:

Hymnidici vates, artis medicæq; periti
Mortales cunctos primi post terga relinquunt,
Sunt ubi Dii superi magnis in honoribus aucti.

12. Notanda certè *Homeri* verba: *Medicus, aut quilibet sciens*; quippe videtur medicum, quà talem, & esse scientem jam & doctum, cùm qui talis non sit, velut medici nomine indignus ab ipso judicetur. Arguit quippe medicinæ magnitudinem, & illius excellentiam, tanta artium & disciplinarum copia, quæ ad illam rectè intelligendam, & exercendam requiruntur, ut quis perfectus evadat: nam præter Grammaticam sermocinationem, Philosophiam imprimis callere decet, deinde Græcæ linguæ peritiam, Astrologiam, Geometriam, prout ejusdem Astrologiæ pars est. Deinde & Geographiam, & Rhetoricam, quam Medicinæ ministram jure appellabat *Vallesius*, dum animi & corporis morbos concionando sedat. Hoc sanè videtur Homericum illud Nepenthes tantoperè ab antiquis celebratum (quidquid juniores ad Labdanum suum opiatum transferant) omnium morborum depulsorem maximum, de quo sic Rhod. *Dignum item relatu, quod annotatum reliquit Philostratus, Antiphotem illum,*

Medicum, quà talem, sapientem esse debere.

Multas artes & scientias in medico requiri.

1. Meth. cap. 15. Lib. 15. c. 3.

illum, qui à persuadendi potentia Nestor est cognominatus, Nepenthes auscultationes promittere solitum, quando nullus tam atrox est, infestusq; dolor, cujus velicationes civili eloquentia, non lenire modo, sed excutere etiam quiret, ex quo arbitror Plutarchum scribere, ab Antiphonte excogitatam alypiæ artem, velut tristitiæ carentiam dixeris. Hoc idem *Seneca* inculcabat, dum ait *epist. 76. Nil ægrum æquè reficit atque adjuvat, quàm amicorum affectus;* & de seipso ægrotante, *Quæ mihi tunc fuerint solatio dicam. Si prius hoc dixero, hæc ipsa quibus acquiescebam, medicinæ vim habuisse, in remedium cedunt honesta solatia, & quidquid animum erexit etiam corpori prodest. Studia mihi nostra saluti fuerunt, Philosophiæ acceptum fero quòd surrexi, quòd convalui.* Hinc Macrobrius 4. Saturnal. *Si hominis,* inquit, *latentem prudentiam scruteris altius, delinimentum istud, quod Helena vino miscuit, non herba, nec ex India succus fuit, sed narrandi opportunitas, quæ hospitem mæroris oblitum flexit ad gaudium.* Satis magnum hujus eventûs exẽplum dedit illustris Aragoniæ Rex *Alphonsus* qui Capuę ægrotans, cum quæsitis undique remedijs, nil levaretur, sola Curtii lectione de Alexandri gestis, invenit. Haud dissimile fuit quod de Suanto Sueciæ principe scribit *Olaus,* qui cùm gravi podraga cruciaretur, frustra omnibus tentatis, nullum aliud remedium invenisse, quàm ex prudentum & optimorum amicorum colloquio fassus est; Cæterum ut ad artes iterum redeamus, tam latè & per omnes scientias medicina difunditur, ut non solum cum omnibus aliquid participare videatur, sed omnium peritiam in illis desiderari, qui multum debent in medicina proficere: Siquidem omnium terræ nascentium, animantium, piscium, volucrum naturam viresque probè intelligere medico convenit, aëris mutationes agnoscere, ventorum omnium naturam, & quid in homine efficiant, pervidere; cœlorum ex syderum concursu motus, & influxus omnes rimari, morborum deinde vires, & nocendi modos, & discrimina omnia explicare, præsidia perscribere, alimenta discernere, Microcosmi fabricam anathomem, & temperamentorum arduam varietatem introspicere, hinc affectus summovere, paratos præcavere, futuros, & præsentium exitus divinare, quod inter amplissimas dotes, nulla amplior, ac divinior quàm præsagiendi scientia hominibus natura concessit, quod solius Dei singularis & propria erat prærogativa, adeoque aliquid augustius in medico requiri, ac desiderari videtur, quàm in alijs professoribus, & professionibus, quas ideò nec mandavit honorari. Sacra igitur medicina, quæ ex sermocinatricibus facultatibus, ac mathematicis nullam relinquit intactam, cœlos, ac meteora explorat, elementa rimatur, terræ cœlique animantium naturas examinat, Oceani arcana & abdita sedulò perscrutatur, inferioris globi secretiora omnia penitùs lustrat, virentium plantarum vires detegit, occultas silvas peragrat, regiones tranat, summi opificis sapientiam in hominis conditura replicat, librat, pandit, nilque tandem est in tota naturæ ambage, seu tanquam omnium doctrinarum enciclios, quod divinæ huic non subjiciatur scientiæ, eidemque famulatum non præstet. Hic jure optimo *Vales.* perfectum medicum, non nisi ex omni doctrinarum encyclopedia constare posse scribit, atque illi deberi. Quod de medicina loquentes, fatentur *Isidorus* & *Erasmus. Medicina,* inquit, *scientia est non una, aut altera, sed omnium consortio doctrinarum consumata:* Nec hoc ignoravit *Porphirius* qui de ea sic proclamat; *hæc est ars, cui sese omnis pariter sapientia debet.* Quod adeò verum est, ut adhuc ipsi jurisperiti hoc fateantur, ut facit *Tiraquel. d. c. n. 73.* ubi ait medicinam ex omnium artium cognitione constare. Eâdem admiratione, si non majori medicinam extollit *Pirisaltus Fastinus* festivissimus poëta, qui de ea.

13\. 14. [marginal numbers]

> *Hæc tibi si placeat, placeat ars, quæ digna polito*
> *Ingenio sapiat quodcumque humana sapit vis.*

15\. *Iurisp. medicorum consilio, ut in multis casibus determinent.*

Hoc contemplabatur *Diogenes,* ut de illo *Laertius* alter, qui dum consideraret hominum vitam, videns medicos & philosophos, *nullum animal dicebat, Sapientius homine:* Nec hoc ignorare debent jurisperiti, qui multoties medicorum votum expectant, & illorum speculationem desiderant, absque qua sæpè sæpiùs hæsitant, & quid judicaturi sint proferre non possunt, quemadmodum in conceptibus, partubus, in venenis exhibitis, in matrimoniorum dissolutionibus, in impotentibus, furiosis, melancholicis, virginibus, strupris, vulneratis, mortibus violentis, & repentinis, sexcentisque alijs, de quibus latè disputat *Paulus Zacchias* doctiss. medicus Romanus, cùm tamen medici nil ab ipsis petant, quod ad morbos curandos possit conducere: quin imò Theologum, medicum consulere non raro visitur, ut multarum

Epist. 78.

Panormit. & Æneas Silvius in dictis & rebus gestis Alphonsi.

Ola. lib. 16. cap. ult. de quo etiam infrà qu. 88. in fine.

6. Contro. in procemio.

4 Etym.

In declamatione pro laud. med. de quo vide Iustum Verpium Haganum in orat. an in med. varia cognit. requiratur.

Solanum Ephe. Isag. cap. 24.

Montum de pertinentibus ad rationalem medic. Conciliat. diffentia. 1.

Lib. 6. de vitis phil.

In quæst. medico legalibus.

herbarum, arborum, lapidum, gemmarum, animalium de quibus in S. P. fit mentio, naturam, virtutesque agnoscat, ut melius sic allegoricos, & methaphoricos Scripturæ sensus, tropos, & figuras, multaque alia probe adipiscatur. Sed quamvis jurisperitorum livor hoc taceat, apertè fatetur *D. Gregorius lib. 4. de doctrina Christiana cap. 16.* per hæc verba. *Medicinæ cognitio, scientijs & scripturis necessaria est.* Ex quibus omnibus tam difusæ & incomprehensibilis artis magnitudo, & excellentia illucescit, quorum omnium cum quis perfectam scientiam habuerit, illisque probe dotatus & insignitus fuerit, vere medicum dixeris, & Dijs similem, ut sciat, velit, atque possit de genere humano in custodienda sanitate bene mereri. Denique, si (ut *Plato* dixit) *difficilia pulchra*, quæ ars in obscuritate, & difficultate cum medicina poterit conferri, de qua Magnus *Hipp.* postquam in ea consenuit, brevissimam agnovit esse vitam, ad illam adipiscendam. Quod intuens *Seneca* dicebat: *Medicinam relinquo, multum laboris, multum vigiliarum.* Hinc *Damascenus. Pelagus sanè quoddam per immensum atque profundum, ars est medica.*

Medicina est scientia difficilis.

Lib. 6. de rep.

5. Controversiarum

Aphoris. 1.

16. His igitur de tam multis, quæ de medicinæ laudibus dici poterant, præfatis, conclusionem eliciendo, dicimus, Iurisprudentiam duas habere partes, alteram, quæ in gerendis Reipub. Regnique Magistratibus versatur, & secundum hanc merito medicinæ anteponi debere; medicus enim unius Socratis, aut Calliæ propriam, non hominis communem incolumitatem curat, Magistratus verò omnium hominum, Ordinumque officia præscribit, moderatur & conservat, & in hoc sensu dicimus loquutum fuisse *Aristotelem*, cum eam medicinæ anteponit, sicque audiendos alios qui primum locum illi concedunt; licet non desint, qui hujusmodi auctores hoc ideò asseruisse dicant, quia medicinam corporis tantum morbos, non animi curare posse, pravè intellexerint, ut ex *Demosthene* suprà atullimus, in quo sanè allusinati sunt, tantam efficaciam medicinæ turpiter denegantes, aut detrahentes, ut mox infrà patebit.

Iurisp. duas habet partes: & secundum primam medante ponitur.

2. Polit. cap. 3.

Alteram verò Iurisp. partem litigiosam, & in causis forensibus occupatam jure optimo medicinæ postponendam censemus, cum non de communi, sed de proprio, & particulari litigantium jure causidici disceptent, sicut medici de peculiari cujusque sanitate laborant, quæ fortunis omnibus, & beneficiis omnibus, quantò præstantior est, & æstimabilior, tantùm medicorum nomen illustrè magis, & gloriosum, quàm causidicorum esse debet, atque ita componitur agitatissima inter medicos & jurisp. contentio, illis dicentibus, se non de fideijussionibus, stipulationibus, aut jure hæreditario agere, quæ ad tuendam rem familiarem tantùm spectant, sed de propulsandis morbis, tuenda valetudine, ac servanda vita, quâ nihil mortalibus, nec carius, nec prætiosus est; his contra respondentibus, se non singulorum hominum, sed totius Reip. vitam, & incolumitatem tueri, hoc est justitiam, & secundùm hanc ut diximus, illis primùm locum tribuendum meritò declaramus, cum civilis hæc pars in gerenda, & regenda rep. versetur, & omni regno, & imperio prospiciat: Cæterùm quoad litigiosam partem, medicum longè advocatum anteire, solùm negabunt illi, qui avaritiæ studentes, fortunæ bona saluti & vitæ æstimationi anteponunt, cum longissimis distent parasangis; Vita enim idem est ac ipsum esse, cætera autem bona, non ad vitam, sed ad commodum vitæ usum inserviunt, & propter quod unum quodque tale, & illud magis. Sic *Valesius* noster, sic *Hucherius*, & plures alii hanc derimentes controversiam, solvendam esse docuerunt: Quòd si aliter in civitatibus visitur observari, avaritia hominum illos evexit, & fecit medicos anteire, vanam illorum intumescentiam, & magistratuum contubernium proponderans & admirans, ipsorum deinde nociva potentia, quàm dum vitare cupiunt cives, magis quam beneficia accipere, honoris tantò auctoritamento, ut prosequerentur in causa fuit; Siquidem antiquitas non benefactoribus tantùm Diis, sed & nocentibus templa erigere consuevit, illis ut bona tribuerent, ijs ut mala averterent; quemadmodum Plutoni, Proserpinæ, Acheronti, Febri, & aliis hujuscemodi lemuribus fecerunt Romani.

Iurisp. pars litigiosa medic. post ponitur, & quare.

De sacra philosophia c. 74. in dedicat. ad prax.

Hominum avaritia omni ex parte jurisp. medico anteponit.

Ad argumentorum jam solutionem deveniendo, multa afferemus quæ ulteriùs medicinæ excellentiam, & eximium pondus abundè & palàm ostendant. Ad primum dicimus singularium tractationem, medicinæ nihil derogare, cûm ad exactam universalium notitiam particularium cognitio summoperè requiratur, deinde cum medicina sit scientia practica ad singularium cognitionem devenire opus

Iurisp. argumentis respondetur.

Medic. de univers. tractat, licet in particularibus se exerceat.

opus habet, ut à posteriori inventa ex eventis certificet, & per modum universalium tradat, haud aliter quàm logicus ex præmissis conclusionem infert, imò circa præcepta universalia versatur, quibus in communi docet, quid pro morbis expellendis utile sit, & si ea utens remedia particularibus applicat, hoc distinctum est, quia operatio pars artis non est, sed effectus ad universalium normam, singularium certificatione redactus: nec obstat quòd ars factiva ab *Hipp.* appelletur, quia hoc artis nomen vulgariùs ac frequentiùs, tanquam ex actionibus evidentibus, quas medicina edit, potiùs quàm ex habitu ullo intellectûs, quem scientia præsuponit, desumptum est.

Ad secundum respondetur bene verum esse, scientiam speciali objecto debere insistere, medicinam verò de contrarijs agere, sed hoc contra eam nil facere, cùm illius objectum, nempè homo, mutationibus varijs sit obnoxium, & quatenus sanabile aut ægrotabile, ad sanitatem & morbum mobile existat, undè contrariorum tractatio & cognitio necessaria existit, quod non tollit quo minùs sit scientia, cum contrariorum eadem omnino sit disciplina, ut philosophi asserunt.

Ad tertium. Concedendo verum esse ad adipiscendam medicinam, multum conducere experientiam, cùm medicamentorum, & alimentorum vires non nisi ab experientia cognoscantur, ut clarè adnotavit *Gal.* præterea pulsuum differentiæ, & febrium diversa tempora, non aliter quàm per calorem, & motum pulsûs & arteriarum cognoscuntur medio tactu; cum hoc tamen dicimus hoc nil tollere ut medicina sit scientia, quia experientia via est, & conditio occasionalis ad scientiam acquirendam, quòd quidem non solum in medicina, sed in alijs etiam scientijs & artibus ad earum cõsecutionem inservit, ut expresè docet *Aristoteles*, & latè & optimè explicant *Fonseca* & *Suarez*, cùm præcipuè medicina in genere considerata certitudinem habeat suorum theorematum, atque ideò quantum ad partes principales assensum evidentem generare scientiæ sufficiẽtem, siquidem quamplures conclusiones in ipsa per demonstrationem probantur, etsi aliquando probabilibus rationibus hoc fit, non verâ demonstratione; unde non potest deduci habitus scientificus & demonstrativus, qui vera scientia dicatur, sed opinativus; hoc non obstat, quin scientia dici debeat, quippè in alijs scientijs, & in omnibus ferè hoc contigit, ut in naturali philosophia, & metaphysica, in quibus multa non demonstratione sed probabiliter tantùm demonstrantur, quod non est sufficiens ad hoc ut dictæ facultates veræ scientiæ non dicantur.

3. Simp. cap. 9. 13. Meth. 6 & 1. de alim. Facult. c. 1.

1. Meth. cap 1. & Fons. ibidem qu. 4. Suar. tom. 1. Meth. disp. 1. sectione 6.

Ad quartum dicimus, verum esse, quod ibi docetur, scientiam nimirum, de necessariis ac perpetuis esse debere, & hoc non minùs in medicina, quàm in cæteris scientijs tradi, & doceri, stabili planè normâ, quæ circa sanitatem & morbum scibilia, vel factibilia sunt, cognoscendo & tradendo, quod si ad singularia descendendo incerta depræhenditur aliquando & varia, hoc quidem non ad uniformiter sese habentis scientiæ inconstantiam, sed in subjecti vario modo dispositi mutabilem naturam, & conditionem referendum esse palam est, ac perspicuum.

Diximus supra, scientiarum, & cujusque artis nobilitatem ab antiquitate etiam desumi, quare & in hoc leges medicinæ præstare contendunt jurisperiti, cùm longè vetustiores esse asserant, eo quòd lex Adamo in Paradiso lata fuerit, *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas.* Ad quod primò respondetur legem illam non fuisse juridicam, sed planè medicam, ut quæ noxium, seu mortem allaturum fructûs esum, vetuerit, unde ejus transgressionem tot mala corporalia, utpotè sudores vultûs, partus doloris, ægritudines omnes, & tandem mortem sunt sequuta. Secundò dicimus quòd antequam lex illa à Domino conderetur, creata jam erat medicina, & abundantissima medica materia prostabat; erant enim ante Adami creationem fabricatæ plantæ, & ingentibus dotibus ac virtutibus à primo rerum conditore locupleratæ, unde evidentissimè patet vetustiorem extitisse medicinam quàm leges, nil enim aliud medicina est, nec aliundè deducitur, quàm ex plantarum, lapidum, & animalium virtutibus, quæ omnia antequam Adamo daretur lex, sic excellentiis suis erant insignita, ut medicam abundè materiam præstare possent, quæ nil aliud est, quàm ipsa medicina, nil enim tunc deficiebat, nisi necessitas & medendi usus, quod non tollit, quo minus dici possit medicinam à primo ortu extitisse, quemadmodum si dicamus Petrum artificem esse alicujus artis à se inventæ, quia tamen eâ non utitur, nec utendi datur occasio, erit

18. *Medicina antequam leges fuerint, creata jam erat.*

Medicina ex quibus eruatur.

quæso verum dicere, talem artem non dari? Minimè quidem, quia si nunquam detur occasio, non erit illius artis usus, ac tamen ars erit, quæ in artificis mente continetur; ergo si erant plantæ & cætera omnia medicis infinitis viribus impregnatæ, ad quid nisi ad medicos usus? Igitur medicina antequam lex illa daretur creata jam erat, quare ratione antiquitatis, priorem locum occupare debet, de quo minimè dubitandum est. Platonicorum princeps *Marsil. Ficinus* Adamum apertè fatetur primum fuisse medicum, quod *Origenes Adamantinus* confirmat, quippè cum alijs scientijs medicina Adamo à Deo infusa est, quod de jurisprudentia dici non potest, quia scientia non est, sed præcepta potiùs à legislatoribus lata, postquam hominum crevit malitia, ad corrigendos, & frænandos depravatos illorum motus, & inhonestas actiones temperandas: quinimò primos illos homines ideò tam fuisse longævos scribit *Nieremb.* non tantum ob primæ mundi ætatis fervorem, quàm ob cognitionem herbarum, quibus non solùm temperiem adjuvabant, sed etiam ab ægritudinibus præservabantur, quod nisi ab Adamo accipere non potuerunt. Moysem verò primum hominum fuisse, qui scriptas leges posteris tradidit, docet *Ioseph.* Non enim secundùm leges, sed indefinitis sententijs, & regum præceptionibus, populos antea regi consuevisse, moribus tantùm & non scripto utentes, idem profert auctor.

Adamus primus fuit medicus. Iurisprud. non est scientia.

Primi homines quare adeo longævi. Moyses primus hominibus leges tradidit.

Lib. 4. epist. Homil super Psal 37.

Lib 1. Philosoph. Curiosæ cap. 33.

Lib 2. contra Apionem.

Nec illud quod objiciunt, sanitatem videlicet, legibus certis contineri, aliquid probat, etsi enim illis concedamus tales leges apud ipsos inveniri, tamen extra aleam sunt juris, nec civili, vel canonico subjiciuntur, utpotè quæ à concentu qualitatum, ab elementis, ex quorum confluxu corpus humanum constituitur, promanent, sintque merè physicæ, atque ideò solis medicis liceat eas præscribere, mutare, abrogare; nec aliter suis ipsorum legibus subjectæ sunt, quinimò tantam habent excellentiam, ut in jurisdictionem suam legum conditores, Cæsares, Reges, Principesque subjectos esse cogant, quas quidem si transcribant, dubium non est quin morborum tormentis exhausti, necem sint obituri, quod perbellè adnotavit *Plinius*, de medicina dicens: *Et una artium Imperatoribus quoque imperat.* Vnde *Plato: in confesso* (inquit) *omnibus est, verum medicum corporum esse principem,* de quo quæstione sexta latiùs agemus.

Lib. 24. in proœm libro 1. de rep.

19. *Medicina Imperatoribus & Regibus imperat.*

Nil etiam valet, quod afferunt, medicinam non videri absolutam, quia medici rarò inter se consentiant, sed quotidie multa addant, mutent, aliter atque aliter instituendo, ordinando; undè illa Cæsaris Hadriani infelicis monumenti inscriptio, turbâ se medicorum perijsse, ut *Plinius* refert, cùm medici famam novitate aliqua aucupantes, animas statim negotiari dicat idem; nil inquam hoc aliquid medicinæ stabilitati officit, quia cùm in illius exercitio medici ab universalibus usque ad individua devolvantur, diligens illa de statu & conditione morborum circa ægros disquisitio, logicis rationibus, & physicis documentis necesse est indagari; quare illorum varius sensus non in artis incertitudinem, sed in individui variè modo sesè habentis convertibilem motum atque naturam conjiciendus est, quandoquidem hac parte jurisprudentia minus videtur absoluta, utpotè in qua plura sint negotia quàm rerum vocabula, & casus, quàm leges, ut ipsi fatentur, undè tot inter illius professores dissentiones, opiniones, altercationesque, ut si litigari audiantur, non ad legum explanationes, sed ad earumdem perversiones potius conductos esse, putare fas sit, quare ex mutuis illorum jurgiis, jurisperitorum discordia legum veritatem perturbare communiter dicitur, quinimò viros medicos, in scopis rationalibus, cognito morbo, vix unquam disentire observantur, quantumvis circa particularem ægri habitudinem non semper conveniant; quare jurisp. trabem priùs ex oculis eruant, antequam ex medicorum pupila festucam decerpant.

Lib. 29. cap. 1. & Dion. Cassius.

Medici inter curandum quare mutare cogantur, & aliquando in se non conveniunt.

Iurisp. in legum explicatione magis varii sunt quam medici in medicina. Medici docti cognito morbo non dissentiunt.

Minùs etiam locum habet, quod impertinenter addunt, se leges in medicina ferre, cùm lupanaria mense Iulio interdicunt, & caniculæ temporibus Creticum vinum prohibent, ne venale extet, siquidem has leges & similes alias à medicis petunt, à quibus, quid pro reip. corporali salute consulendum sit, edocentur, prout etiam in alijs faciunt, illorum judicium requirentes, quemadmodum in Septimestri partu, Magni *Hipp.* auctoritate subscribere coguntur.

Iurisp. leges à medicis petunt.

Ad hunc locum distulimus de præstantia objecti medicinæ & jurisprudentiæ inquirere, siquidem illi fortius suæ præcedentiæ argumentum arbitrantur esse objectum suæ scientiæ, cùm illud statuant animum, circa quod versantes, hominum inquiunt

20.

inquiunt vagas actiones moderantur, illorum insultus reprimunt, ac mentes eorum in pace ac tranquillitate componunt, ut nullus in alium subsultet, aliena invadat, & temerario ausu hostilive manu, multa audeat perpetrare facinorosa, & horribilia, quibus Resp. facili negotio ruat, & in maximam deveniat confusionem, de quibus jam diximus: quod dum in communi Magistratus Reip. prospiciunt, medicum optimo jure præcedere, quatenùs verò lites componunt, & causas inter particulares ortas respiciunt, ut fundus, patrimonia, hæreditates, & cætera fortunæ bona, huic & non illi adjudicant, à Medico in tantum superari, quantum æstimanda magis salus & vita est, quàm res familiares, quæ propter vitam, & ad commodum illius usum sunt necessariæ, non verò ad simpliciter vivendum: propterea *Seneca* Medicinam vocabat *artem optimam, & cui plus, quàm aliis deberetur; in optimis verò artibus, quæ vitam conservant, aut excolunt, qui nil se piùs existimat debere, quàm pepegit, ingratus est.* (6. de benef. cap. 17.)

Cæterùm ad illud, quod autumant altiorem illis deberi gradum, quanto excellentius est objectum animi quàm corporis, quod ad medicum tantùm pertinere ajunt: dicimus illos hac parte multùm medicinæ detrahere, aut illius vires non rectè cognoscere, cùm aut non vident, aut negant quantum in morbis quoque animi præstare possit; nam licèt circà corpus sanabile versetur, circa animum etiam multa conferre valet, non minùs quàm Theologia, Iurisprudentia, & moralis Philosophia; siquidem hominum mentes virtutibus exornat, melancholias sedat, furores pacat & placat, manias compescit, phræneses reprimit, dementatos restituit, & in sanis sanam mentem reficit ac reponit: quid enim furioso faciet Theologus, quid phrænetico, aut maniaco jurisperitus, nisi Medici operâ restituantur, & ad debitam trahantur mentis perfectionem? quid hoc est nisi animæ rationalis depravatos motus, & exorbitantias componere, & reducere, ut ad limites honesti judicii, & rationis debitæ mensuram iterum redeant, & in ipsa contineantur? Ob id Aconistus Medicus ad curam Chariclíæ Virginis, Theaginis herotico amore efflictim irrititæ, accersitus patri respondit, *Nostra ars affecti corporis curationem pollicetur, animæ verò non principaliter, sed tantùm cùm compatitur corpori afflicto; quo sanato, & ipsa convalescit*, ut tradit Eliodorus, eleboro tamen sanitati illam reduxit, quemadmodum Melampus furentes Pæti filias: Rhodigin. quoque author est, Hieronem agrestibus præditum moribus, à febribus præhensum, concinum evasisse, atque mirabilem. Poteram mille exemplis aliis id comprobare; mirandum certè quod de Antigono Rege refert *Pluthar.* (de Alexandro alii narrant) qui à gravi morbo convalescens: *Nihilo prius* (inquit) *siquidem ægritudo monuit nos ne multum efferamur cùm mortales simus.* Quis docuerat Ethericum Regem Philosophiam, Christiano dignam animo? deplorabant amici, ceu magnum malum, quòd tam graviter ægrotasset, illos increpans, ex morbo plus accepisse boni, quàm mali, solabatur; quæ corpus extenuaverat ægritudo, animum reddidit modestiorem, robori non nihil detraxerat, sed animo detraxit insolentiam. Adeò sanè hoc pronum est, & verum, ut quidem meritò *D. Ambrosius*, virtutum officinam infirmitatem appellare voluerit; siquidem fortassis majora præstare potest Medicina, si perfectum & doctum magistrum nanciscatur, ut latè monet *Arnaldus de Villan.* ubi sic. *Quædam medicina facit castum, religiosum, quæ inclinat sanguinem ad paucitatem, & frigiditatem, quædam facit de avaro prodigum, de luxurioso castum, de timido audacem, & generaliter sicut mutat complexionem sanguinis, sequentes inclinationes mutare cogit, & hæc sunt secreta ultima ipsius medicinæ*: postea addit; *insipientes cùm legerint in libris prudentum medicorum, & senum, qui sciverint jam esse secretum medicinæ, cùm vident eos facere bonum intellectum, & facere prudentem, & facere fidelem, valdè deridènt eos, & derisi valdè elongati sunt à secretis medicinæ, & non volunt audire, nec credunt, quòd ad eam spectet, nisi curare dolorem capitis, aut apostema, aut febrem, & ipsi deberent seipsos curare de grossitie intellectûs, donec possent intelligere ea.* Audiamus jam *Platonem*, qui in Phædro sic scripsit. *Animæ igitur naturam aptè putas intelligi posse, non cognitâ totius naturâ? Imo siquidem Hippocrati cui fides adhibenda est, ne corporis quidem naturam absque hâc methodo* &c. Non enim bonam corporis constitutionem solùm tractat medicus, ut *Bartholus Thursianus* ait, sed simul etiam animi passiones, nam illud absque hoc non rectè notari ex Zamolxi dicebat *Plato*: hinc *Valesius* non inconcinnè ex *Gal.* repetit, quòd medicinæ pars, sit etiam Philosophia morum, non solùm quæ ad Reipub. pertinet constitutio-

Marginal notes:

21. *Medicina circa animum plurima præstare valet.*

lib. 6. hist. Æthiop.

lib. 19 c. 28. lect. Antiq.

in Apopth.

In Psal. 36.

lib. de simp. med.

lib. 2. buliatriæ

in Charmide.

Lib. de sacra phi. c. 73. & 2.

stitutionem, sed etiam illa, quæ singulorum moribus componendis sese accommodat, ut latè probat *Aloysius Luisinus*, proprio trium Librorum tractatu *De animi affectibus per moralem Philosophiam & medendi artem compescendis*, quod in *Cratilo* apertè fatebatur *Plato* dum *munus medici* (inquit,) *esse corporis animique puritatem servare*. Nec alia ratione admonet *Ficinus*, convenire maximè literarum exercitio occupatis, corporalis salutis curam habere, quòd animi purificatio maxima ex parte ab illa pendeat; hoc probè agnoscens *Carneades Academicus*, adversùs Zenonem scripturus, ut refert *Gellius*, vel adversùs Chrisippum disputaturus, ut *Val. Max.* scribit, eleboro corpus purgavit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus, ad domicilia usque animæ redundaret, & constantiam vigoremque mentis labefactaret, quod etiam plerosque alios fecisse testatur *Plinius*, ut de eodem Chrisippo *Petronius*, quem ter eleboro animum detersisse commemorat, ut ad inventa scribenda sufficeret. Hoc idem ex *Arist.* comprobari posse videtur, qui eos qui ex valetudinis vitio furerent, aliquid in animis dixit habere præsagiens atque divinum, cui assentit *Cicero*; atque ideò ait *Ficinus in Platonis Phædro* Æsculapio, morientem Socratem gallum sacrificari jussisse, tanquam morborum animi curatori, quorum moriens evadebat liber. Novit hoc *Hipp.* cum sanguinis varietatem, mentem variare docuit: novit *Galenus*, qui non solum peculiari libro. *Quod animi mores corporis temperaturam sequantur*, sed 1. etiam *de natura humana, Comment.* 37. abundè hoc comprobat, sicuti, 2. *de sanitate tuenda cap.* 8. apertis verbis iterùm declarat: corporis enim temperatura, ut quoque ait *Damascenus*, animi affectibus semper cohæret, propterea homines tristitiâ & mœrore laborantes de potestate animi exire scribit *Ælianus*, & humores corporis mutatos animæ actiones mutare *Plato* & *Arist.* confirmant. Hujus veritatis assumptum satis comprobat *Ioubertus*; quinimo exempla præter Hieronis à *Rhod.* supra adducti, alia plura idem citat Auctor & *Cardanus* affert, hominum nempè, qui cùm essent pessimi, ægritudinum vi, humoribus mutatis, ad optimos mores conversi sunt, Cambysis Caligulæ & Heroum aliorum propudusiorum facinorum architectorum insignium, inter quos etiam venit Ptolomeus secundus, qui Argeum, & Magam fratres, alterum occidit, alterum bello lacessivit, & Arsinonem quoque sororem atque uxorem ductam, occisis ex alia conjuge genitis filiis, in exilium egit: tandem diuturno morbo oppressus, relictâ crudelitate, in optimos mores evasit, totusque se studiis dedit & musis, doctoresque habuit Stractonem & Demetrium, undè Bibliothecam illam toto orbe insignem construxit, cui quidquid ex veterum codicibus habemus, & de magno *Hippoc.* medici fruimur, illi deberi fatentur Antiquarii.

Marginalia: Epid. sect. 5. tx. 1. — lib. 17. c. 15. — lib. 7. cap. 8. — Plin. lib. 25. cap. 5. — Petron. in satyra. — probl. 30. 1. — 1. de divinat. — lib. de flat. — in Timæo — 2. de partibus animæ — Ioub. inde clamat quod nutritio naturam vincat. — l. 8 de rer. var. cap. 40. prope f. — 22.

23\. Nec etiam omittendum, quòd immodici animi affectus infinitos penè sustulerint: sic tristitia, timor, pudor, ira, & ipsa quoque jucunditas repentè multos interfecerunt, ut apud *Plin. Val. Max. Fulgosium*, & alios videre est. Sed inter omnes animi affectus, nullus sic corpus quatit, & undique movet, ac effrænatæ libidinis, amoris illa vis, ac immensa solicitudo, quæ corpus macie, tabe, ac mille aliis modis conficit, quorum omnium providentia medicorum solertiam requirit: apud quos etiam pro verissimo illud circumfertur, impossibile esse, quòd corpus virium jacturam patiatur, quin eandem in mente, non sentiat. Tandem quantum in moribus commutandis valeant educationis vis, & alimenta, ex diversis auctoribus exempla collegit doctissimus *Ioan. Gutier de Godoi*, quibus licèt innumeris, ex *Sennert.* non vulgaria duo addi possent, alterum ex *libro* 3. *praxis cap. de ruminatione*; de quodam religioso, qui infans, matre mortuâ, calente vaccarum lacte per biennium nutritus, sicuti boves per totam vitam ruminare consueverat: alterum ex *lib.* 2. *instit. p.* 3. *sect.* 2. *cap.* 4. de alio suillo lacte educato, qui ut ex *Vvenrichio* tradit, postea ad fastidium usque luto immersus volutabatur; cujusmodi alii Hispali accidisse idem scribit *Godoi*; qualis enim educatio est, tales homines fieri, & in mores alimento congeneres & proportionatos devenire haud dubium est: cùm verò nutritionis moderatio, & dispositio ad medicinam spectet, cum corporis humoribus, animi quoque entelechiam, ac energiam mutare posse perspicuum est, ac minimè dubitandum, medicinæ efficaciam in animis instaurandis, & componendis plurimum posse, ac proindè illius objectum hominem esse, quoad corpus, & quoad animum, de cujus affectibus & morbis *Marinellus*, *Curtius*, & *Barth. Perdul.* seorsim scripserunt, quod tanquam certissimum (ut cum poëtis finiamus) statuit & confirmat *Lucretius lib.* 3.

Marginalia: l. de alendis infant. discurso. 3. — l de monstris. — 24. *Medicina objectum homo est quoad corpus, & quoad animum*

Men-

------ Mentem sanari, corpus ut ægrum
Et pariter flecti medicinæ posse videmus.

Quo si auctores initio adducti *Demosth. Arist. Diogen. & Iullius* jurisprudentiam medicinæ anteponere visi sunt, ideò fecisse credendum, quia medicinæ vires non rectè perpenderunt, nec animum illius quoque objectum esse cognoverunt. Quare ex objecti præstantia jurisperitos medicis anteponere velle probabile non est, nec admittendum. Multò minùs quoad scientiæ antiquitatem ut suprà probavimus, & adhuc multò minùs quoad necessitatem, cum Medici paci, & bello sint opportuni, paci quidem ut Resp. incolumis degat, bello autem, ut patriæ propugnatores foveat, illorum robur & sanitatem deperditam tueatur, & restauret, ipsosque ad proprios lares salvos reducat, cum è contrà jurisp. bello sint inutiles, quia ut ipsi fatentur inter arma silent; quare medicinæ quam jurisprudentiæ utilitas major est, ac necessitas, atque ideò probabile est nullam fuisse nationem (si barbarorum paucas, in abditissimis orbis angulis absconditas excipias) quæ medicinam non libenter acceperit, siquidem quod de Romanis dicitur, prorsùs incertum, ac fabulosum reputatur, verissimum verò illud quod *Suetonius*, & *Plutarc.* referunt Iul. Cæs. omnes Romæ degentes medicos civitate donasse: & meritò quidem, quippe nullum præmium cum vita, nullus honor cum salute comparandus. Advocatorum è contra & causidicorum necessitas in Reipub. tanta est, ut integra regna absque illorum adminiculo non solum in pace, & tranquillitate optimè degerint, ut de lusitanis, & Anglis quondam fecisse aliqui referunt, quod hodie quoque, devastissimo Æthiope regno scribitur, ubi sine illis pax, justitia, & æquitas sanctè ac piè triumphat. Quid enim ibi quibusdam literatis, libris onustis à Lusitanorum Rege missis, cum Rege Panufio acciderit, Reverendiss. *P. Fray Luis de Vrreta* ad longum scribit, quos omnes vigilantissimus Rex extra imperii fines abire jussit, sub gravi pœnâ comminans, illorum libros in nili fluentam projecturum, atque ipsos etiam, ni quam citissimè discederent. Ne quis vero de summa horum regnorum gubernatione, & justitia, ambigat, citatum Auctorem per otium legat, & *Alexand. ab Alex.* ubi de harum gentium insigni pietate, religione, & optimo vivendi studio, multa inveniet scitu digna; Christi enim mandata si rectè observentur, nulla aliarum legum necessitas, nulla jurisperitorum sedulitas in christiano homine requiritur, ad ea enim omnia rectè instituta referri possunt; hoc itaque modo causidicorum & litium contentiosas, magis, quam utiles fraudes & ad emulgendam hominum substantiam inventas clavo assistens vigilantissimus Rex, à regno ab urbibus exterminabat, & quos dicendi facundia tanta honoris ambitione, ac superbia inflat, nullius utilitatis ac meriti condignos judicabat, cum è contra medicinæ scientiam, ac medicos tanquam hominum saluti, & vitæ maximè utiles prosequantur, & ad tantam honoris dignitatem extollant, ut honoribus & immunitatibus, regibus solum concessis, fruantur, ut idem *Vrreta* scribit; nec mirùm cum divina eloquia sedulo præscrutentur, & observent, quibus medicum honorandum ipsa sapientia præcipit, & commendat, ideoque hoc tantum, & rationis lumine ductus *Seneca* tanto honore medicum prosequendum scripsit. *Medicinæ apud ægros usus, apud sanos honos existit.*

Medicina paci & bello necessaria, jurisp. inter arma silent.

Iulius Cæsar medicos civitate donavit.

Magna Æthiopiæ Imperator jurisperitos intra regnum non admittit.

Lib. 1. hist. Æthi. c. 19.

Lib. 8 c. 11.

lib. 1. c. 24.

Eccles. cap. 38.

Lib. 1. de Clem. c. 2.

Frivola etiam sunt, quæ adversùs medicinam & medicos jactant, nimirùm versari inter obscæna, & aversabilia, cum illi de cloacis, & stillicidiis, sterquilorum quæsitu judicium ferant: quod si ea cominus non tractant, ut medicus facit, hoc nil scientiæ detrahit cum naturæ majestas talem sic hominem disposuerit, & taliter dispositum, mundi illum epithomem & Dei imaginem fecerit, nec ullus evitare potest, quo minùs excrementa illa inpenitissimis interaneis, ne dum juxta se contineat, illis vivat, & illorum causa tam superbum animal millies vitam finiat, quando ut *Plinius lib. 26. cap.* 8. ait. Major mortalium pars illorum gratia vivit, quin ea persentiscere & odorare, quis non quotidie cogitur, siquidem tantum abest ut hoc medicis vitio vertatur, quinimo magis propterea laudandi æstimandique sunt, utpotè qui ab hujusmodi fæditatibus & putoribus non exhorrescant, nec abstineant, ut hominum saluti per omnia consulant, & provideant ut doctissimè adversus Licinium Imperatorem sordidissimum imperitiæ cõceptaculum, *Hipp.* illi opponens dicebat *Rhodig.* Ea itaque excrementorum consideratio medicinæ nobilitati nil officere debet, sed artificii artisque ad mirati onem potiùs inducere,

25.

lib. 29. c. 13.

cere: quemadmodum enim excellens statuarius, statuæ alicujus elegantiam, & consumatæ membrorum proportione factæ, non materiam, licèt aurum sit, considerat & admiratur, eodem modo medicinæ artificium est, admirandam corporis humani fabricam, & constitutionem, circa quam versatur, contemplari, ut nullo labori & horrori parcens, illius statum rimetur & saluti prospiceat. Vanum igitur fuerit, illa ex quibus natura nos constare voluit, & sine quibus noluit vivere, in dedecorem alicujus hominis aut artis obiicere, præsertim quando in nullo alio divini Protoplastæ opere, illius artificium & scientia magis eluceat, vel ipso clamante divino Psalte, *mirabilis facta est scientia tua ex me.* In cujus fabricæ contemplationem raptus, magnus ille philosophorum *Trismegistus*, & totus in ea immersus exclamat sic, *ubi ille pictor est* &c. quare potiùs cum eodem regio Propheta deberent ita canere: *Confiteor tibi Domine, quia tuæ sapientiæ magnitudinem declarasti in mei corporis fabrica. In formem massam meam viderunt oculi tui* &c. mitto plura alia elogia & admiranda epiteta, quæ de hominis excellentia protulerunt *Pythagoras, Theophrastus, Plato, Arist. Tullius, Plinius, Zeroastes, Sinesius,* & *Barbarus Abdalas*, quæ omnia 1. suæ anathomes *Laurentius* attulit.

Psal. 138.

26. Quod tandem ultimò in medicinæ opprobrium obtrudere cogitant, quòd sit ars servilis à servis quondam, & nunc plerumque ab humilioris fortunæ hominibus exercitata, nil certè quod illius magnitudini & nobilitati detrahat, inculcant, cùm scientiæ omnibus pariter sese præbeant, quisquis sit, qui illas addiscendas velit adire, cùm ingenia, ad illas adipiscendas, non honoris stemma, aut familiæ claritas requiratur; quippe ex se tantam habent excellentiam, ut regibus potiùs sint ornamentum, quàm illorum adventu extollantur: quid enim scientiis ignominiæ advenit, quòd hic vel ille eas tractet, cùm non quis dicat, sed quam benè loquatur, sibique & aliis proficiat attendendum sit, siquidem eis nemo nobilitatem addit, vel tollit, quin imo illis honorantur omnes; propterea dicebat *Cassiodorus. Non potest in mundo aliqua esse fortuna. quam non augeat gloriosa literarum notitia.* Proindè rectè *Seneca. Si quid aliud est in Philosophia boni, hoc est, quòd stemma non inspicit: omnes si ad primam originem revocentur à diis sunt, nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius.* Et iterum *bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles, nec eiicit quemquam philosophia, nec elegit, omnibus lucet, patricius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulos locavit manus, Platonem non accepit nobilem Philosophia sed fecit.* Pluresque alios philosophos præclarissimos, qui servi fuerunt nominat *Gellius lib.* 2. *cap.* 18. inter quos unus fuit insignis *Epictetus* qui de ipso sic.

in epist. epist. 44 & 3 de benef. cap 18.

Servus Epictetus fueram, qui corpore mancus
Pauperie pressus, charus etiam superis.

Quin etiam Menedemus & Asclepiades clarissimi postea Philosophi ob summam ægestatem Philosophiæ interdiu incumbentes, noctu pistori inserviebant, quos tanti ideò fecerunt Areopagitæ, ut ducentas drachmas illis erogari jusserint ob singularem virtutem: historiam latiùs vide apud Atheneum lib. 4. cap. 20. Itaque si cui aliquid debent scientiæ, non certè familiæ splendori addiscentis, sed ingeniis, qui multum profecerunt, & in illarum recondita sacraria aciem intendentes, obscuriora illustrarunt. Quam multi fuerunt, qui humili loco & genere nati ad summas dignitates adhuc & Pontificatus ascenderunt, quàm plurimi etiam reges & imperatores ex humilibus parentibus facti sunt, an propterea illæ dignitates contẽni deberent? absurda sunt hæc, & ridenda potiùs quàm audienda, ignorant fortasis superbi & inflati causidici Alphenum celeberrimum jurisconſ. & sub Sulpitio consulem creatum, barbitonsorem in adolescentia sua priùs fuisse, & tonstrinam exercuisse, prout de eo narrat *Alex. ab Alex.* Quanti cerdones, quanti muliones, & illorum filii, non solum jurisperiti facti sunt, sed consules creati: unde illud Romæ, de Ventidio Basso, referente *Gellio, mulos qui fricabat, Consul factus est.* An propterea consulatus non ampliùs ambiretur nec optaretur? abeant isti Ialemo frigidiores, qui cum rationibus non possint, stultis cavilationibus medicinam adoriuntur. Quod si antiquitùs apud Romanos medici ferè omnes servi inveniebantur, quomodo hoc acciderit, quæstione præcedenti satis explicavimus, quippe Romani integras Grecorum familias à capta Græcia Romam asportabant, quibus servorum loco utentes, inter eas non pauci inveniebantur medici, qui artem medicam exercebant, cum Romanis adhuc artis studium foret incognitum, quam tamen licèt ut servi face-

de his Val. Max lib 3. Sen. epist. 108 Cicero And. Ebor. & fulgosius lib 6 gen. cap. 23. lib. 15. cap. 4.

27. *Medicinam olim apud Rom. quare servi excoluerint.*

facerent, ut liberi, & antequã in Rom. Dominiũ venirent edocti fuerant, nec illis tantũ sæculis, sed multo post, per universã Europam, Gallias, Hispanias, Græci medici inveniebantur, ex quorum numero fuit Paulus Emeritensis Episcopus, quem ob egregias virtutes, & studiorum præstantiam in hanc dignitatem ex medico euectum testatur *Paulus Diaconus*. Et si verò hoc jam ante Romanos usitatum fuisse apud Hæbreos colligunt ex verbis *Gen. cap. ultimo, præcepit servis suis medicis, ut condirent Aromatibus*. Ex quo inferunt jam antiquitus ante Romanorum tempora computatos in usu medicinæ fuisse servos, fatemur sanè; sed illos non fuisse veros medicos nec vllis scientię studijs imbutos, sed potiùs balneorum, & unguentorum ministros, quorum illo tempore maxima erat consuetudo, & illi omnes, qui hoc ministerio inserviebant, coqui, balneatores, pharmacopolæ, clinici, diætarij, medici nominabantur, non ingenui & veri, nec scientiæ ullam rectam normam habentes, sed adumbratam tantum, quod non apud Hæbræos solum, sed apud Romanos usitatissimum fuit, cum illorum tempore luxus & balneorum delitiæ maximo fuerint in pretio, & unguentorum etiam profusiones, pro quibus componendis, & vngendis potentissimi Romanorum, & ditissimi Hæbreorum etiam, inter servorum ingentem numerum, medicorum appellatione donabant illos, qui ad illud munus deputabantur, quod adhuc *Galeni* tempore observari, ipse scripsit, nam & coquum medicum appellari consuevisse tradit, & medicos plures tunc inveniri, quam corporis partes, imo apud Athenienses, & Græcos, nomine medicorum hos fuisse donatos aperte innuit Plato, *nónne dicimus medicos quosdam esse, & quosdam medicorum ministros, quos medicos appellamus*. Hi igitur erant de quibus incitatis locis, *l. 3. cap. de communi fideicomissi. & legat. & lib. 1. §. sin autem.* Mentio fit, qui vendebantur, & emebantur, nullo modo ingenui illi, quos medicinæ scientia, exhibet, & exhiberi solet, & illis temporibus non apud Græcos solũ, sed apud Romanos, & ipsos quoque Hæbreos, quorũ in Syria & præcipue in Palestina, ante, & post Christũ natum celebre medicinæ floruit emporium, in quorum regionum præcipuis civitatibus scientiam exercebant S. Lucas, & S. Paulus, hic in Damasco, ubi quoq; Mesue medicinam professus est, ille in Antiochia. Quæ cum certissima sint, non est cur iuris consulti disceptent an dentium evulsores, qui solum hanc medicinæ partem profitentur, Castratores, & alios qui herbarum potestates cognitas habent, medicorum appellatione veniant dicendi, ut videre est in commentarijs doctorum circa *legem 1. §. medicos. ff de var. & ext. cognit.* & circa rubricam *de verborum signif. & l. 1. C. mand*, nec quod *Vulpianus in d. li. §. medicos. ff. de var. & ext. cognit.* dubitare de eo videatur. Ubi de ijs, qui incantaverint, & inpræcati fuerint, medicorum nomen rectè negat tribuendum, quod hæc non sint medicinæ genera. §. Cum tanta igitur sit, atque fuerit, in hac medicorum appellatione homonimia, ac differentia sanè major, quando etiam in latissimo significato equorum & aliorum animalium curatores, hortorum quoque, florum, atque herbarum cultores, medici nomine cõpellarentur, quid mirum si ex tam infima servilium hominum sorte, & fortunæ conditione, alieni iuris quam plurimi hastæ, seu alia bona subjicerenrur; quid inquam hoc cum doctis, ac ingenuis viris, qui quantis privilegijs, donis, muneribus, immunitatibus, apud reges & imperatores, in omni ævo, fuerint aucti & locupletati ac condecorati, & quãto in pretio apud principes & magnates habiti fuerint, ingentia munera ostendunt, nam sub primis Cęsaribus 250. sestersijs annuâ mercede donatos fuisse Cassios, Calpitanos, Aruntios, Albutios, Rubios scribit *Plinius*, duplicato in Q. Stertino stipendio, qui 500. accepit, adhuc non contentus, majori fortasis quæstu Crinas, qui patriæ muros construxit, opibus ex scientiæ fructu in tantam molitionem cumulatis. Pauca sunt hæc, licet incredibilia, & ingentia mercedum dona, medicis à principibus contributa. Tribunus medicus (author est *Suidas*) Chosroe Persarum rege sanato, multis, ac memorabilibus mercedibus acceptis, iussus tandem petere, si quid ultra vellet, ille aliud nihil concupiuit, quam ut quosdam sibi Romanorum captivos Rex donaret, ille vero termille ei, & quotquot nominatim viros doctos captivos petierat, demisit. Podalyrus Syrnã Dameti regis filiam ex casu ægram, ab eo sanatã, mercedis loco, duxit in uxorem, regnavit, civitates cõdidit, unde hoc, nisi à medicina obtinuit? quin imo, ex Priscorum regibus, quã plures medici extiterunt, è medicis enim Sacerdotes, è Sacerdotibus reges, nec aliter apud Indos, & Ægyptios tales subire dignitates licebat, nisi medica sapientia prius forent exculti, prout author est *Plutarchus*, hanc enim artem, non nisi Heroes, & Deorum filij licebat exercere, ut *Ælianus* quoq; memorat, *Patroclum Achilles medici-*

Apud Rodericum Carum in Maximi Choronico folio mihi 194.

Medici nomen olim multis dabatur coquis, vnguentariis, Balneatoribus.

Lib. 2. de sanit. tuenda cap 11. & lib. de partibus artis med.

Plato lib. prope finem. de leg. & lib. 4. de leg.

Divus Lucas & D. Paulus ubi medicinã professi fuerit.

§.

28.

Medicorum quãta apud Reges, & Imp. æstimatio & ingentia dona.

Tria millia captivi Tribuno medico donati.

Podalyrus medicus, filiam Regis duxit uxorem.

Ægyptii & Indi ex medicis sacerdotes, & reges eligebant.

Lib. 29. c. 1.

Lib. An. Brutis.

Philosophi multi insignes, medicinam à Magis didiscerunt.

nam docuit, Achillem Chyron erudit, disciplinas, nimirum Heroes tantũ, & Heroum filij exercebat. Porro ab Ægyptiorum Sacerdotibus, medicinã didicerunt Pythagoras, Empedocles, Democritus & ipse Plato, quo enim quisq; remedio sanitatẽ recuperabat, id scriptum Menphis in Hephestio, Uulcani & Isidis sacrario deponebant, sicuti pariter Græcorum Sacerdotes, Magi, & Antistites, ea in aditis templorum Apollinis, & Æsculapii in Pergamo etiam recondita servabant, unde sub religionis pertextu, ad Magos quoq; & Dæmonum cultores devoluta est; quare non temere Nicomedes, Pharaonis magos, medicos appellavit; hinc reges illorum & scientię divinitate allecti, illius studijs, incumbere cœperunt, inter quos præcipue numerãtur Giges, & Sabor Medorum, Eva & Sabiel Arabum, quorum ille de simpl. viribus, præclara volumina quæ conscripsit Neroni dicavit, Mithridates etiam Persarum, Ægyptiorum Hermes, Mesues Damasceni Regis Nepos, & Auicennas alter, qui de animalibus scripsit, quẽ Cordubæ Principẽ fuisse tradunt, omnes medicinã tractarunt, & illorum pleriq; circa ipsã scripserunt à medici appellatione haud quaquam abhorrentes, quod & Alex. magnum, Plutarchus in illius vita, Herculẽ, & Dionisium Siculum, Adrianumque Imp. fecisse, non desunt, qui prodant authores, quorũ omniũ medicinæ encomia longe superat, quod sapientissimus Salomon amplitudini suæ, & Regiæ Majestati, minime indignum existimaverit, si à publicis functionibus respirans, in exquirendis naturæ miraculis herbarumq; potestatibus aliquid sibi laxamenti imperaret, illo etiã studio certus magni quoque nominis famam in sæcula transfundi, quare (ut sacræ literæ testantur) de rebus omnibus, minimis, ac maximis, plãtis, arboribus, animalibus, supra quã credibile, erudite, sapienterque disservisse, adeo ut omnium ora, animosque in se converteret, nec toto orbe laudabilis quispiam, ista medicæ professionis parte perfunctus fuerit. Si quidem ad audienda, dicendaque profundissimæ eruditionis præcepta, undique certatim ad illum cõcurrerent, tanquã ad sapientiæ mercatum; nec dubium domum reduces, quæ audierant suos docuisse; nec sine evidenti conjectura creditum, ab hæc fonte si quid Chiron, & illius discipuli, & Cous ipse senex, in docenda exercendaque medica arte sapuerint, labra proluisse, unde mox ad prædictos philosophos devenerit, & ad plures alios; Nichomachum, Aristotelem ejus filium, Erasistratum, & sexcẽtos alios corrivata fuerit, quorum postea sapientiæ fama totum orbem repleverit, quid mirum? si absque hac nulla exacta Encijclopeia inveniatur, si hęc regna, imperia consequebantur, hac etjam qui percellebant, columnis, statuis honorabantur, Deorum numero adscribebantur, per eam inter antiquitatis numina, venerunt numerandi apud Græcos *Apollo*, illius filius *Æsculapius*, *Chiron*, à quo & herba, & Vlcus nomen accepit, *Asclepiades*, *Machaon*, *Podalyrus*, & *Pæon*; apud Ægyptios, *Apis*, *Isiris*, & *Osiris*, per eam *Hipp.* divinos & soli Herculi dicatos honores meruit, propter hanc ab Artaxerxe expetitus, à Cois retentus, ab Atheniensibus elogijs innumerabilibus acclamatus, civitate donatus, corona mille aureorum pondere coronatus. §. Fortassis hęc multa, ut jam manum de tabula, sed nunc super pondij loco addijciamus, non apud Ethnicos solum sed adhuc in Christiana Ecclesia ad maximas dignitates, & ad excelcissimum Pontificatus fastigium medicos non paucos fuisse evectos, ut paulo supra nostra tempora visum in Eusebio Græco, Nicolao V. Ioanne XXI. Vlyssiponensi, cujus scripta fuisse, quæ sub Petri Hispani nomine circumferũtur certificant plurimi; haud multo inferior fortuna Ludovici Patavini, qui ne dum medicus, sed chyrurgus, ab Eugenio IV. intra Cardinalium numerum receptus est, & Aquilensi Patriarchatu desuper insignitus, ut testatur *Fulgosius*, quam quoque dignitatem obtinuisse Vitalem Desurno eximium medicum refert *Aldrovandus*: Minora videbantur hæc si conferantur cum tot medicis sanctitate insignibus, quorum aliquos recitat *Moxius*, de quibus, multis alijs adductis peculiare EcclesiasticumDiarium scripsit *Ioannes Molanus* ubi ex nobilitate medendi, civilem per leges consequi nobilitatem declarat, ut Comitibus in privilegijs & dignitate medici coæquentur, quemadmodum ex titulis iuris, & ex Cæsarij oratione funebri per Gregorium Theologum dicta abunde doceri ait; Nec omittẽdum quod magni Hetruriæ duces ex familia medicea originem trahere, nomine, & affectu gloriantur, ut *Mindererus in Threnod. c. 3. Cardanus in encomio medicinæ* tradunt. In qua etiã necessitudine iuris peritos, introducere conatur. *Vincentius Carrarius in præfat. opusculi de medici officio*, nũc apud reges & principes ultra Hispaniã imperantes, frequenter, ac velut successive in maximis officijs & honoribus, præter medicã, occupentur, quẽadmodum apud reges Galliæ videre est, cujus Archiatri con-

Reges plurimi Medicinam professi.

Avicenna Corduba Princeps qualis fuerit.

29. *Salomon Medicina, & miraculis natura indegandis maxime aditus.*

Medicorum quam-plurimi inter Deos relati.

§.

Ex medicis tres Pontifices creati.

30. *Medici dignitate comitibus æquales erant.*

Plin. lib. 29. cap. 1. & lib. 30. cap. 1. Gal. lib. 5. pergenera, & 6. epid. Comment. 4. tex. 8. Herodot. lib. 1. Celss. in procemio.

Ælianus lib. 11. Philelphus & Ficinus. 1. epist. ad Tho. Valer. ubi plures alios numerat. de Salomone 4. Regum. 4.

Lib. 6.

Lib. 2. c. 20. cap. 37. nu. 14.

Medici apud exteros Reges, & Principes consiliatores fiunt.

tri consiliarij fere omnes efficiuntur, ut in *Ioan. Fernelio. Hieron. Montuo* Mirabili Domino, *Laurentio, Hucherio* & alijs visum est, *Mindorero* apud Ducem Bavariæ, *Langio* in Rheni Palatinus principe, prout idem scribit, cum tamen hæc sit iurisp. dignitas suprema, cui perpetuo inhiant. An non maiora? quæ de celebri medico *Fracastorio* narrat *Pancirolus*, cui ob eruditionis præstantiam, non tantum marmorea statua publicæ Veronę erecta est, sed à magno *Scaligero* erectis aris in mortalitate illum consecravit, semper enim numinis ambitiosa medicina, nescio quos Deitatis igniculos, in medicorum pectoribus ingenerare consuevit, ut cum ipsis quoq; Dijs certare ausi fuerint, quo sane factu Menacrates forsan dementatus, arroganter Iovis Nomen medica superbiens gloria sibi ausus est imponere, ut apud *Plutar.* & *Ælianum* legimus. Quod & Empedocles audire, seq; Deum credi, ac coli non erubuit ut de illo.

Tom. 2. Epist. 1.

Tom. 2. rerum memorab. titul. 1.

—— Immortalis ego conversor apud vos
Vt par est Deus, & tali me dignor honore.

Sic divinitatem aliquam in medicinæ dignitate, cujus scientia rerum adeò abstrusarum reconditarumque est, perspicere emunctę naris homines, potuere. Thracum populi Zalmolxidem, quod medicationum se authorem, cultoremque eximium felici experimento ostẽderet, & Regem, & Deũ suum, homines libere dixerunt, quin & narrante *Æliano*, medicorum, velut Deorum immortalium iussa, violare, morte piandum nefas, Zauleci locrensis lege sancitum, *si quis merũ biberit, non iubente medico, morte luat suppliciũ, quod iniussus biberit:* ita quotquot à condito mundo homines vixere medendi artificium, non mortalium industriæ, sed Cælo deductum Diis suis immortalibus adscripsere: quæ omnia licet turpissimam illam ac vanissimam gentilium superstitionem sapiant, medicinæ tamen superbam gloriam, & medicorum cum Dijs divisum imperium, ingentemque dignitatem satis redolent, sed nullo ex capite major jactantia oriri potest, quam quod ipsissimus Dei filius & mundi Salvator cum hominibus conversans, non in componendis litibus, non in verborum, aut bonorum adstipulationibus, sed in hominum deperdita salute restituẽda, non verbo solum, sed opere patientiæ, & majestatis suæ vires ostendere voluerit, ut qui animarum redemptor venerat, illarum, ac corporum quoq; ægritudinum medicus crederetur, hancq; discipulis & sanctis hominibus præcipuam perrogativam relinquere placuit, ut hoc tantum singulare beneficiũ Deorum ac Cælitum munus esse conjectari debert. Ite nunc (iterũ repeto) superbi terrij filij, vel auri sacra fame, vel regẽdi clavi cõtentioso apparatu certantes, ac contra eos quos semi Deos non vano elogio putavit antiquitas livido rore imbutas linguas acuite, & invtilẽ servorum medicorum illam farraginem, nobis obtrudite, quod adhuc si verum foret medicinę nil detraheret, quando in scientiarũ dignitate diiudicanda, ex magnis beneficijs, quæ hominibus præstãt, non ex personarum delectu earum nobilitas sit metienda, ut latius *Baptista Peregrinus* prosequitur, si quidẽ Servio Tullio non obstitit, talem libertinam, & servam habuisse matrẽ, ut ad regale nomen conscenderet, imo ex hac sortis humilitate clarissimæ familię initiũ capescere voluit, servorũ insigne addito cognomẽto.

In apolog. adversus Phi, & Medi. calumni.

31. *Hæbrei etiã ministros unguentorum, medicos appellabant.*

Eisdem satis cõvincitur illud, quod ex *Gen.* vltimo objiciunt, cum apud Hæbræos similiter servi extarent, quibus de lavandis, fricandis, ungendis, & condiendis mortuorum corporibus officium mandabatur, qui omnes, medici quoque nomine appellabantur, quemadmodum etiam apud Romanos, apud quos in tẽplo Libitinæ Deæ asservabantur ea, quæ ad sepulturam & funebrem pompam necessaria erant, ibique locabantur, & vendebantur, cujus consuetudinis rationem explicat *Plutarchus*, unde *Libitinam* legimus aliquando pro ipso funebri apparatu inquit *Ambros. Calepinus*; qui autem ibi præerant locandis ac vendendis rebus ad tale ministerium necessarijs, *Libitinam* exercere dicebantur, denique servos, aut conductos alios, alebant, quorum opera ad pollienda cadavera utebantur, lavanda, ungenda, cõsuenda, qui tandẽ ab hoc munere vel servi, vel cõducti medici dicebantur, ut à Deę nomine Libitini dici cæperunt, unde forsan corrupto nomine, libertinorum, & servorum appellatio dimanavit, & quod ab officio medici dicerẽtur, in reliquos quoq; nomen corrivatum est: Sed ut fuerit, à veris & ingenuis quemadmodum maximè distincti, jta dignitate, & honoribus longe dispares, quid enim cum docto medico sordidum mãcipium? an hi sunt quos *Iesu Syrac* testimonio, *Ecclesiastico* horandos precipitur, & in cõspectu principum laudari oportere traditur? an hi, quos Romani magna admiratione prosequuti, tot præmijs, tot immunitatibus cumularunt? An hi de quibus

In problemat.

bus *Seneca*. 6. *de benef. cap.* 15. *Horum omnium apud nos maxima caritas maxima reverentiæ est?* an hi, de quibus ipsi Iuris Consf. & legum decreta monent Spurios ad medicam dignitatem, non admittendos, quoniam tantæ nobilitatis habeantur indigni? Sic tenent *Augustinus Anconitanus. Ant. Florentinus*, ut interim *Tiraquellum*, *Gotofredum* & quam plures alios taceam: quæ sane cum Atheniens. decretis conveniunt, à quibus lege sancitum est, ne servi, aut mulieres medicinam adiscerent, aut exercere possent, ut ex Iulio Hygino *Lib.* 1. *Fab. cap.* 174. infra dicebamus. Accommodent, si possunt, ad bardos illos & totius bonæ disciplinæ alienos, illud *Isaiæ Cap.* 8. *Esto nobis Rex &c. Respondebitque in die illa, non sum medicus, & in domo mea non est panis*: ubi saltem, si non Reges oportebat prius fuisse medicos, sapientiam, quæ profacienda medicina requiritur, ad regale officium recte adimplendum, optari non inepte colligitur, cum utriusque sapientiæ scilicet, & medicinæ elogium sit, Prosthesim esse, & Apheresim id est, tales esse, ut defecta substituant, redundantiam detrahant, statuantque medij compotem viam, ut magnus ille bonarum literarum Magister, & ingeniorum antistes attulit *Rhodig.* propterea *Plato*, *& Chrysost.* Regis officium, medici officio comparabant, nempe ut volentibus, ac nolentibus opportunè, & importunè leges ponat, remediaque afferat salutaria, ad debitumque æquilibrium omnia metiatur, quod medicinæ recte utentis proprium est, quippe quæ à medio sic dictam, ac dici debere, non à medendo optime infert *Isidorus.* Atque hoc pacto sapientiæ pars habita est medicina, utpote quod morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio sub eisdem auctoribus fuerit orta, ipso attestante medicorum Principe *Celso* & omnium primo *Hip. lib. decendi ornatu oportet medicinam traducere ad sapientiam, & vicissim sapientiam ad medicinam transferre.* Ut non immerito sapientiæ Hieroglyphicum, quod in Mercurii templo positum fuisse, refert *Plutarchus*, medicinæ etiam adaptari debere; dicendum. *Ego sum omne quod existit, & meum peplum, nemo unquam mortalium detexit.* Quippe quod utraque, non nisi impenso studio, nocturnaque vigilantia, in naturæ & morborum contemplatione assidua valeat adipisci. Hæc habui quæ medicinæ alumnis, offerre possim (plura si voluerint, apud *Lipsium* invenient) quibus ab arroganti Iurisp. superbia, & vaniloqua illorum iactantia & adversus medicos non ferenda contentione sese muniant, ac defendant ipsorumque probosa dicteria, futilia tamen temnant, vilipendant. *Quod doctorum genus.* (ut cum *Rhod.* loquar) *nimio quandoque plus tumens, Sacerdotum decuriæ se adscribit, nam justitiam (inquiunt) colimus, boni atque æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, veram Philosophiam non simulatam affectantes; cæterum uti sincerioris alicujus fuerit functio hæc, ita ab palliatis plerisque, est una tantum elatione insignibus, & prorsum disparata.*

Margin notes: Lib. 2. de potestate Eccles. 3. parte. summæ. Tit. 7. c. 2. — Medicina & sapientiæ idem elogiũ. — Lib. 13. cap. 10. — Lib. de Regno. Chrys. Lib. 12. in acta. — Lib. 4. Etymolog. — Lib. 1 in proœmio. — Lib. de Iside & Osiride. — 32. — In oratione utrum Medicina, an Iurisp. plus boni hominibus attulerit. — 33. — Rhod. lib. 8. cap. 21.

QUÆSTIO TERTIA.

Medecinæ origo, inventores, primi Scriptores, curque Æsculapii simulacrum nodoso baculo, in manu, Draconem adjunctum, & sub pedibus canem, depingere consueverint antiqui, curque eidem Gallum sacrificare mos fuerit.

PRÆCEDENTIBUS quæstionibus adversus medicinam, & medicos protervientium calumnias evincimus, illorum repressimus insultus, & vaniloquam loquendi audaciam furoremque retundimus, tandemque scientiam nostram à Deo datam, nulli inferiorem (Theologiam semper excipimus) sed maioribus illustratam dotibus, antiquiorem fuisse, omnium necessarissimam, & obiecti præstantia, nulli deteriorem esse demonstravimus; quanti eam fecerint Romani, quam omnibus totius orbis hominibus accepta, quam Regibus Imperatoribusque grata fuerit, quantis privilegijs & immunitatibus honorifice condecorata ostendimus; Iurisperitorum in eam debachantium futilia rejecimus; Poetarum, & scurrilium iocosa magis, quam seria propudia postea declarabimus: quare devictis iam Carpentiam syrtibus, & tantorum virulentis morsibus retusis, sospitem, ac soterem medicinam salutare, & in illius laudes prorumpere liceat, cum *Beroaldo* sic acclamando. *Quis nescis*

1. *nescit medicinam ad omnes totius civitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem ætatem pertinere, cum summatibus, infimatibus, viris, fœminis, senibus, pueris ægrotare contingat, cum omnes ab hac utilitatem petant indiscriminatim, meritoque dici potest, medicum rem communem terrarum esse. Et profecto, si vera despicimus, si curiose cuncta perpendimus, sola medicina, soloque medico opus est omnibus, medecina est quæ una contra facta depugnat, eaque itidem expugnat, quæ languentibus vitam prorogat, quæ jam deploratos, jam deflectos, jam in familia orci numeratos, luci auræque vitali persæpe restituit, multique medicæ opere revixisse creduntur.*

In enarrat. quæst. Tuscul. & Cassanus in Catalog. parte 10. Conside 48.

Bonarum igitur disciplinarum opportunissima medicina est, bona ars, imò illustris, & præ nobilitate superba, regia facultas, quid enim augustius, quam arte & industria naturam componere, vires effætos restituere, salutem facere, fugientem animam revocare, & cadaverescentem hominem denuo in hominem refingere, & facere, ut fere de non homine homo revalescat, & iterum homo fiat. Vitam & salutem impertiri solius Dei negotium est, quod cum medico natura communicasse videtur; hæc Deitatis vana præsumptio Menacratem infatuavit, ut Iovis nomen sibi irrogaret, quod medica clava insuperabilis Herculea morbi conatus promptè devinceret, & in similem stultitiam Empedoclem adegit cum Panthiam Agrigentinam ex gravi morbo periclitantem restituisset, ac propterea pro numine coli se videret, immortalitatis atque gloriosæ famæ studio incensus Æthnam insiluit, atque medios ipsius in ignes amens se conjecit. Certè *Clemens Alexand.* Dijs medicos videtur æquiparare. Cum sic

Athen. l. 7. cap. 13.

Ælia. & Val. Maximus. lib. 8.

Empedoclis medici mors.

4. Strom.

Et medici in seclis qui hominum terrestribus insunt
Hinc existunt Dij, sunt quorum maximi honores.

Tanta est hujus artis præstantia, ut arrogantiæ notetur à *Tertuliano*, *medicinam*, inquit, *inspexi, sororem philosophiæ sed viderit utriusque præstantiæ ambitio.* Et sanè videtur ausus arroganter ambitiosus, cadentem hominem de lecti sepulchro attollere, valetudines redonare, vitam redimere, & arte sua facere ut rediuiuus homo vitam redordiatur, hoc inquam humanum excedit fastigium, & similem Deo reddit medicum, quod divinæ humanæque sapientiæ studiosis, Dei munere, immortales fungi haud absurdè visum est; sic sapientissime sensuit *Nissenus*, hanc artem propterea debere magno apud homines esse in pretio, quod soleat pro hominum salute cum morte quasi decertare. Sive eorum usum, sive rerum variarum cognitionem, sive pulchitudinem, sive difficultatem expectemus immortalis mundi hujus vastitate, nullam, quæ vel excellentior vel illustrior, vel vetustior habeatur, fore comperies; auget illius nobilitatem, quod Pontificum, Regum, Reginarum, Heroum, Philosophorum, Poëtarum industria & labore, aucta fuerit semper & illustrata, & quod æstimabilius est, à Prophetis, ab Angelis, imo ab Unigenito veriq; Dei filio benignitate & dignitate condecorata fuerit, & exaltata, & quod artium antiquissima sit, & ultra hominum memoriam vetutissima, constans multorum est opinio, nec levis aut citra maximas veritatis conjecturas indagata, cum ipsa simul à creati mundi luce, cum aliarum infinitarum rerum notitia, à summo, Omnipotentique Deo Prothoplasti, & totius posteritatis parenti Adamo revelata fuit, à quo ad posteros hæreditario quodam iure defluxerit; cujus Nepos Seth, ac de prima classe genuina Soboles, vir ingenio, ac rerum naturalium peritia, denique siderali astrorum, ac totius Mathesios scientia, cæteros de eadem stirpe longe antecellens, ut quam à parentibus velut per manus acceptam, puram ac integram notitiam relinqueret cum ab avo intellexisset, fore, ut hæc pulcherrima orbis machina aquarum, aut ignis, inundatione, aut incendio pessumiret; ne naturalium, cælestiumque rerum Doctrina obliteraretur, quo adnoverat, hierogliphicis literis, quæ animalium erant effigies, insculpta axiomata, duabus columnis, altera ex lapidibus, ut aquæ, altera ex latere coctili; ut igni resisterent, compacta inclusit: §. verum his non obstantibus post temporum curricula, illo deficiente, vel propter hominum desidiam, & socordiam, vel eorundem stupiditatem paulatim omnia ceperunt oblivisci, & ab hominum memoria aboleri, tandemque cum cæteris omnibus scientijs & artibus, & cum omni orbis fabrica, ingenti cataclysmo penitus obrupta, & extincta medicina est, atque in maxima illa rerum omnium caligine, in tenebris latuit, quousque ab illa velut secunda mundi editione, increscentibus ob hominum peccata, quotidie ægritudinibus, major illius usus & necessitas animadversa est, & desiderata, quo factum ut ingeniosi homines ac solertes eandem in naturæ sinu latitantem

Lib. de anima cap. 2.

2.

De columnis Ioseph. L. Antiq. cap. 4. Zonaras annalium 1. de literis Hieroglyphicis. Orus. Clinitus. lib. 7. cap. 3. Plin. lib. 36. cap. 11. Tacitus lib 14. Strabo l. 17. & D. Hiero. in Epist.

§.

tantem

3. *Medicinæ inventio quibus varijs in locis & temporibus adscripta fuerat.*

tantem revocaverint in lucem, & ad pristinum reduxerint splendorem, omnibus fere credentibus tunc artem ortam fuisse, tum repertam, tunc ab hominibus cognosci, ac coli cæpisse, illiusque Authorem *Appollinem*, sive *Æsculapium* ejus filium, sive *Mercurium*, aut *Isidem* & filium *Orum*, sive *Osirim*, aut *Apim*, aut *Tirum Cadmum*, *Arabum*, *Machaonem*, *Chyronem Centaurum*, aut *Podalirum*, (ut varia scribentium fert opinio) assignantes, à quibus mox etiam deficientibus ingenijs in re tam ardua & difficili necessarijs indensissima ignorantię nube, iterum per quingentos ferè annos abscondita medicina est, &ab hominum memoria penè deleta, ob temporis fortassis fælicitatem, in quo vir aliquis interno morbo laborare conspiciebatur, documentis etiam aliquibus & præceptis amissis, quæ primus omnium invenit & scripta relinquerat *Æsculapius*, quorum nil scimus, nec, an ad *Hipp.* tempora pervenerint: latuit itaque iterum medicina ad *Hipp.* usque *Æsculapij*, genere oriundum, qui supra hominum captum scientissimus, & rerum naturæ accerrimus indagator, ac explanator uberrimus, notitiam medicinæ secundo, imo tertio jam jam repululantis hominibus adduxit, & ab illorum memoria fugientem revocavit, nec solum ad sapientiæ studium conjunxit, sed & rudem perpolivit, indigestam digessit, obscuram declaravit, & morborum innumeris auxilijs locupletatam dimisit, partim experientia cognitis, partim à tabulis in Apollinis templo appensis, ubi morborum remedia, quæ vel ex somniorum monitis ibi captabantur, vel aliunde ex multiplici applicatione repertis, magno numinis cultu asservari solebant, Chaldeos ac Ægyptios Græci in hoc imitantes, qui sic factitare consueverant, ne majorum, & avita eorum scriptis monumenta, salutariaque in arte medēdi præcepta, & reperta ab ipsis medicamenta Edaci temporis oblivione perirent, atque ideo templorum quoque columnis scribebant, eisdemque signata animalium, & figurarum characteribus in Ephestij Uulcani templo recondita Ægyptiorum sacerdotes servabant, sicuti Græci illorum mancipia & Simiæ Epidaurum incolentes ea in Æsculapij templo tamquam donaria eisdem sacrata recondebant, quæ vulgo contrectare nefas erat, quod non alio nomine, quam Deorum manus salutares appellabant, ut *Herophilus* narrat; atq; ut indies medicina magis locupletaretur, *Strabone & Herodoto* authoribus, piaculum erat ægrotos de more in publicum stratum delatos præterire, nisi prius quibus aliquis pharmacis à simili morbo convaluisset, in lecto decumbentem ægrotum docuisset, atque ita positos per plateas infirmos circuibant, ut illos à se expertis remedijs iuvare possent, quod apud Assyrios, & Hispaniæ quosdam populos usitatum fuisse author est *Boetius*, & apud Romanos quoque factitatum scribit *Vale. Max.* & non omisit *Plutarchus*, nomina tandem eorum qui optima præsidia experti fuerant, eisdem templis & columnis scribebantur, quemadmodum in Epidauro, Æsculapio Apollinis successori, lucum sacrum, ædificio rotundum, candido marmore incrustatum, quod *Tholum* vocabant sex tantum columnis suffultum ab huc eo vivente fuisse memorat *Pausanias* Græcorum historiographus insignis, quibus tum virorum, tum mulierum nomina, qui illius Dei opera, convaluissent, insertis etiam morbis & remedijs, & qua curationis methodo sanitati fuissent restituti; Nam donaria in templorum testudinis vmbilico, quod propriè Tholum dicebatur *Virgilius* advertit

Hipp. unde remedia medicinæ eruerit.

4.

Lib. sic vive, vt nemo te sentiat vixisse.

Ex lib. 2. Corinthiacorum verb.

9. Æneid.

Suspendi vetholo, aut alta ad fastigia fixi

& Ovidius

6. Fastor.

Mox didici curvo nulla subesse Tholo.

Ad pensum itaque redeuntes, haud dubium est, *Hippocratem* multa ex his collegisse, atque addita mox experientia & ratione, viam optimè medendi, nondum satis usque ad se completam, aut manifestam, sed confusam ac inviam consumasse, primusque omnium, doctrinam, aphoristica brevitate concisam, experientia comprobatam, ratione, & veritate stabilitam posteritati tradidit fruendam, & monstrata via ampliandam, postquam egregij sequuti sunt professores *Diocles* scilicet, *Caristus*, *Praxagoras*, deinde *Aristoteles*, *Erasistratus*, *Serapio*, *Apollonius*, *Hierophilus*, *Asclepiades*, *Empedocles*, *Andromachus*, *Dioscorides*, *Themison*, *Cornelius*, *Archigenes*, *Musa largus*, togatorumque ille doctissimus *Plinius*, & infiniti propemodum alij sexcenti viri, qui omnes nec numerum, nec artem implesse visi sunt, donec *Galeni*, egregio, ac divino penè ingenio, ad eum quem nunc obtinuit splendorem deducta, ac revocata medicina est, cujus quidem doctrinæ elegantia, splendor, gravitas, dicendi ornatus, oratio-

5\. orationis sculptura & styli majestas, ut veterum (*Hipp.* excepto) nomen & famam obscuravit, jta posteriorum iudicio admirationi fuit, & arti locupletissimum ornamentum, cujus incomparabili thesauro ditata facultas, omnibus & plenissimam sui notitiam, & ægris pergrande adiumentum præstare potuit, de quo (ut infinitorum elogia taceam) sic omnisciens ille *Gesnerus, inter medicos eloquentissimus, inter eloquentes medicus acutissimus, inter utrosque diligentissimus, inter omnes maximus.* Quippe qui recitati omnes, & innumeri alij, ab arboribus, plantis, metallis, animalibus, avibus, piscibus, lapidibus, gemmis, terra, igne, oceano, fluminibus, rivis fontibus, salibus, rore, nive, glacie, & pluribus alijs, magistra experientia, quodam veluti silice absconditam medicinam excuserunt, accedente postea ratione quæ probaret inventa, & firmam exinde scientiæ normam stabiliret, quibus admirabilis, & infinita Dei potentia, ac mortalium miseratio agnosceretur, mærentesque dolorum, & morborum acerbitate animæ solarentur, atque imbelles ægrotantium fulcirentur vires.

Medicina in quibus à Deo recondita.

Sic profecto non solum homines observatione ducti, pleraque invenerunt, sed non pauca animalium ostendit industria, à quibus edocti multorum reperta est notitia, & plantarum multorum cognita natura, celebresque artis operationes adeptæ, quæ, ut inquit *Hieronymus*, Adamus per nongentos, & amplius, quos vixit annos, ab eisdē addiscere potuit, ut infusæ scientiæ adjuncta, completæ, & perfectæ artis exemplar posteris traderet: *mutæ enim & irrationales animæ*, Tertull. ait, *medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt.* Sic Felis Calamintha sibi medetur, Cervus sagitta transfixus, ut ferrum expellat scit dictamo sibi medendum, Chelidoniam, scribit *Plin.* visui saluberrimā hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis illâ medentes; plura prosequitur *D. Ambros.* Capra, inquit, vulnerata dictamum quærit, ut de vulnere excludat sagittas, (quod de Cretensibus scribit *Aristoteles*) Leo æger simiam quærit, ut devoret, quo possit sanari, Leopardus Capreæ agrestis sanguinem ebibit, ut vim languoris evitet. Elephantes ut cum *Solino* narrat *Aldrouandus*, chameleonti concolori devorato, Oleastri veneni vim retundunt, ac pestem fugiunt, imo sibi ipsis medici, spicula, sagittasque, & avellunt leviter, & Aloes succo noverunt inungere; omnis fera ægra, Canis hausto curatur sanguine, Vrsus, æger formicas devorat, Cervus oleæ ramusculos mandit, turdus, ne pullos incurset lupus, nido suo squilæ folia superjacit, Vrsa vulneribus saucia gravibus, calenti adhuc vulneri herbas iniiciens & obturans, omni conatu sibi medetur, Vulpes laricis aut piceæ lachrima sibi ipsi auxiliū adinvenit, Testudo viperæ carnibus immodicæ saciata, origani pastu feræ noctimentum, vitare novit: plura affert *D. Basilius.* Cervi, inquit, à certo araneorū genere, Phalangio dicto, percussi, ad maris ripas convolant, & comestis cancris à veneno liberantur, eidem cardum edentes adversus venena se muniunt, Mustela contra mures dimicatura rutam edit, Aprihederâ suas curant ægritudines, Angues, ut senectā deponant, fæniculo oculos fricant, Draco silvestres lactucas masticans, illarum succo se purgat, Canes gravatum stomachum viridi tritico, aut gramine comanso non solum vomitu sarsinam deponunt, sed lumbricos expellunt, Palbumæ trocaces, perdices & grues lauri folijs, suis medentur ægritudinibus, domesticæ & turtures parietaria comesta ventrem emoliunt, anates & ansares sederite, Pantheræ devorata Pardelianches venenosa herba, humano stercore hausto veneni vim retundunt, Ciconiæ vulneratæ origanū imponendo, plagis succurrunt, incomparabile phlebotomiæ beneficium, sine quo tota prorsus medicina corrueret, Nilotico debemus Hipoppothamo, cum se sanguinis copia opprimi sentit, ad acutiores ripæ fractarum harundinum cuspides afflicto fæniore sibi venas pertundit, & superabundans deponit onus, crasso deinde limo adhuc manantia obturat vulnera. Enematum usum jbis, ciconię similis avis edocuit, dum longo rostro acceptā marinam aquam percesessum injicere homines observarunt, ac ventris exonerare proluviē. Dejiciendæ chataractæ mirum opus, capra ostendit, dum obcæcatum oculum spicula forte perfodit, & deperditum visum recuperat, de quo Antiphil. cujus Græcum epig. *Roberius* sic vertit.

Nacta suo ēpastu chari quoque luminis usum
Agrestem accedens cæca capella pirum
Altera nam spinis fuerat male pupula læsa,
Ecce ferus docta plus valet arte frutex.

Addere

6\. *[A]nimalium [a]d proprios [m]orbos cu[r]andos in[s]tinctu natura[...], & [q]uanta ho[m]inibus [m]onstrave[r]int.*

[...]g. Mis[...]es usus [...]le peti[...]

[Cl]ysteria [...]t à quo [...]ntus.

[Ch]aracte[...]iciendæ [...]atio a [...]edocta.

Lib. 7. Eccl.

Lib. de pænitent. in fine.

Lib. 6. Hexamer. cap. 4.

Lib. de mirabil. Auscult.

In historia Elephanti.

Homil. 9.

Gal. lib. introd. cap. 1.

Hocde ibid. vide Pluth. lib. de Iside, & Osirī.

Addere possem plura, ab animalibus monstrata, & ex illorum observatâ industria mutuata, & inde in morborum remedium adducta, quibus medicinæ supellex, dives facta est, Platanum ciconia, accipitres hieratium, corvus arum, upupa adianthum, cornices verbenam, turdi cicutam, & myrthum, arundinem perdices, aquila gallitricum, galeritæ granem, cygni urticem, bufones condrilam, ursi mandragoram adversus formicas, mustela verbascũ, & rutã, cervi dictamũ, hederã apri, testudo cunilam, lacerta graligam, quam cogito esse rutam caprariam, cujus pastu adversus viperam dimicatura vires recuperat, de quo pulchra est apud *Forestum* historia: omnia quippe animalia ab insita naturævi, & maximo illius dono sibi noxia devitant, & quibus remedijs ægritudines curent suas tacitæ illorum & irrationales norunt animæ, *pudendum enim (*dicebat *Plin.) Omnia animalia, quæ sint salutaria ipsis nosse, præter hominem, sua namque norunt animalia in morbus remedia.* Ut mirum non fuerit aliquos excogitasse, brutorum, non hominum medicinæ fuisse inventum.

Lib. 2. de i... crem. vrin... rum. cap. ult.

Lib. 27. c. ...

Sed præter demonstratas ab animalibus plantas, hominum studio & diligentiâ, alias casu, omnium fere innotuit natura, & in quam plurimis illorum, qui ipsarum virtutum notitiam attulerunt, nomina, nunquam peritura fama, gratitudinis ergo, in hunc usque diem retinentur: Ob id *Cicero: mirari*, inquit, *quæ sunt animadversa à medicis herbarum genera, quæ radicum admorsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera, quorum vim & naturam ratio nunquam satis explicuit, utilitate enim ars, & inventor probatus est.* Sic gentiana, à Gentio Illyricorum reperta, sic Macedoniæ rex Lysimachus, à quo Lysimachia adinventa, Thelephium à Thelephio Misiæ regi, Echium, & Anchusa Alcibiadi Atheniensium duci gloriam immortalem largita est, quemadmodum Iubæ Mauritanorum regi Euphorbium, dum per abrupta Cæli-feri Athlantis impiger conscendit, sic climones herba ejusdem nominis repertori, Eupatori Ponti regi Eupatorium dicta, Arthemisia, ejusdem nominis reginæ Mausoli Cariæ regis coniugis, & Helenium ab Helena, quam primum illa severat, sic Valeriana Circææ, & Melãpodium à Melampo pastore, qui eo veratro scilicet nigro Æti furentes filios curavit, & vt infinitas alias omittam, Nicotianam à Nicostio Gallo, qui primus eam Galliarum Reginæ obtulit; nec tandem prætermittenda Compositorum immensa illa farrago, quorum authorum famam, non minus ipsa, quam ingentia ac præclara facinora consecrarunt æternitati, nullo ævi dente vel rodendam vel radendam: de horum numero sunt Theriaca Metridatum, Agrippæ regis unguentũ, ceratum Isidis, electuarium Adrianum, Iustinum, ab Adriano, & Iustino Cæsaribus fabricata, Diarrhoden abbatis, antidotes Esdræ prophetæ, sal sacerdotale, Potio. S. Pauli, unguentum Apostolorum, Syrup. S. Ambrosij, opipara à SS. Medicis Cosma & Damiano reperta, Athanasia idest immortalis, Alcantalon seu bonum nuntium, Anthamaron, id est contra mortem, Triphora, seu iuvenilis, Micleta, id est experta, Methridatum, mater medicinarum, Philantropos, amicus hominis, hiera, id est sacra, diacridium, seu perfecta, & infinita alia quæ in Pharmacopeis, & Antidotarijs abunde prostant, unde quam venusta quondam medicinæ faciës fuerit, quilibet advertere satis potest, necdum mirari, quod hominum industria tot compositorum medicinarum fabricaverit Miriades, tot in Plantis & cæteris alijs rerum conditor medicaminum vires reconderit: Creaverat quippe Deus hominem bonum, nulla vel animi, vel corporis labe deformem, & ab omni morborum carnificina immunem, quamdiu mandato a summo numine accepto obtemperaret; Atqui præviderat illum sui ipsius oblitum stultissima divinitatis ambitione gloriã affectaturum, & infernali peste afflatum sanctissimæ legis repagula, positisq; humanitati limites furibundo impetu transgressurum, atq; in tanti flagitij pænam ab animi pariter & corporis ornamentis merito exutum iri; heu? immane quantum mutatus ab illo, qui nuper.

Lib. 1. de di... vinat.

7. *Plantæ quæ à repertoribus nomina sortita sunt.*

Integer vitæ scelerisq; purus,
Auream servans mediocritatem
totus æterni genitoris alma
luce nitebat.

Igitur extincto sapientiæ lumine, & ad densissimas ignorantiæ tenebras devolutus, caliginosæ quoq; noctis in horrendam formidabilemq; morborum aciem detrusus est, quibus devincendis ac solvendis, summo licet labore iamdudum elaborando, nunquam satis humana, aut sufficere potuit industria, aut acquiescere.

Ceterum

8. Cæterum ad medicinæ inventores, quos stulta gentilium credulitas Deos appellare consuevit, jam deveniendo, illud quamvis notissimum advertendum est, primis illis temporibus, quibus homines glande vescebantur, memorabilem, & præconio dignam consuetudinem inolevisse, ut si quis ingenii industria, quicquam, quod mortalibus usui foret, comperisset, auctori divinos honores, festosque decernerent dies, eumque in deorum censum conscriberent: Est enim honor, virtutis ingeniorumque calcar, ob id Baccho, Ægyprii, quod vites plantasset, Osiri, quod ex hordeo Zytum dequoqueret, Proserpinæ, quod ex frugibus pinsere panes docuisset, Isidi quod morborum medicamenta reperisset, ut Sacrosancta numina venerati sunt, nec solum hominibus, sed animalibus, etiam ut bobus, cocodrilo, felibus, hunc honorem detulerunt, quod illorum exemplo, aliquid, quod hominibus usui foret, reperissent, sicuti porcis, quod tellurem Nilo madidam, rostro velut aratro sulcare docuissent, atque ut *Plinius*; *Innumeros quidem credere atque etiam ex virtutibus vitiisq́ hominum.* Nam apud antiquos, ut idem ait, *Deus erat mortali, iuvare mortalem*, quo effectum, ut tam numerosa Deorum Phalanx, ab ethnicis Ægyptiis & Græcis conscripta sit, quæ immensas Xerxis copias excederet: Quia tamen tam celeberrimæ artis medicinæ, usus & necessitas maior habita semper & expetita est, & inventores maiori venerationis cultu reveriti, & venerati, factum ut gloriæ aviditate plures allecti in perquirendis medicinæ virtutibus & morborum auxilijs sedulo elaboraverint, hinc vel ob singulas artis partes, varijs temporibus inventas, vel ob locorum, & gentium varietatem ad quos tam vtile beneficium primum deductum est, aut inventum, tot insignes viri Deorum numero adscripti, & inter gentium numina culti. Sic Isidi Ægyptiorum Reginæ, cum Mercurio ipsi Ægyptij medicinæ inventum attribuerunt, quod sequitur *Diodorus Siculus*, *Plinius* Arabo Apollinis & Babiloniæ filio. Sic Cadmo Agenoridi referendam esse medicinæ inventionem Tirii contendunt, & *Plutarchus*, Apollini, Minervæ & Vulcani filio rectius alij defendunt cum *Agotho* & *Quintiliano*, quod etiam confirmant *Theoduntius* & *Eusebius*, subscribit *Ovidius*.

Medicina inventio quamplurimis attribuatur.

Inventum medicina meum est, opifexq́ per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Huius etiam opinionis sunt *Serenus Samonicus* poeta celeberrimus & omnium maximus *Virgil.* sequntur *Hyginius* & *Macrobrius*, qui & rationem addit cum inquit. *Huic attribuitur medendi potestas, quia temperatus calor solis morborum omnium fuga est.* Alij tandem Chironem centaurum fuisse affirmant, ut tenet *Germanicus Cæsar*, à quo chirurgiam sic dictam scribit *Diodorus*, nec defuerunt, qui Apim Ægyptium primum tanti beneficii repertorem statuant, quorum opinionem sequitur *Theodoretus*, quem

9. tradit *Diodorus* etiam Osirim appellatum fuisse, quasi *res magna*. Et Syrim, quod in Ægyptiorum lingua sonat *oculus*, ut auctor est *Eusebius*, de quo citati auctores Apollinem eundem fuisse credunt, quia Osiris idem est ac sol, sol autem Apollo, ut referunt *Macrob.* & *Laertius*. Alij Osirim, id est *multoculum* interpretantur, ut *Diodorus* & *Euseb.* testantur, os, enim in eadem lingua, *multum* significat, iris. *Oculum*, ut quoque explicat *Plutarchus*, proinde ac vir oculatissimus ac magno ingenio, magnaque prudentia fuerit, qui tam salutare auxilium mortalibus invenisset, ob idque Apollinem esse eundem volunt plerique & ipsi autumant Ægyptij, quibus, ut ex *Macrob.* jam diximus, Osiris sol est, & sol Apollo, qua propter in Isiris imagine sceptrum depingebant Ægyptij, in cuius summo oculi species erat, ut refert *Alex. ab Alexandro*, an vero idem fuerit Apis, non satis constat. *Cornelius Tacitus* multos existimasse scribit, Æsculapium fuisse quem & Osirim, & Serapim quoque appellarunt, de quo lege *Aldrovandum*. Sed præter hos sunt alii qui medicinæ inventionem nulli adscribant, sed ab experientijs artem conflatam existiment, quorum sententiæ favet *Celsus*, *Quintil.* & *Baldus*, quos sequitur *Tyrius Platonicus*, & videtur placuisse *Galeno*, qui ex *Herodoto* confirmat: Nec defuerunt qui ex insomnijs artem initium habuisse crediderint, ut *Iamblicus*, quod in templo Æsculapii relicti ægrotantes, ibi pernoctando remedia ex insomnijs observabant. Unde *Plautus*.

In Æsculapii Fano ægrotus incumbat.

Quod si optatæ salutis auxilium ibi non captabant, hunc Deum increpantes, his verbis foras exire mandabantur, prout apud eundem *Plautum* loquitur Iupiter.

lib. 2. cap. 7. De dijs Ægy. Diodo. & Herod. lib. 2. Cicero de natura Deorum. De Deorum infinito numero. Plin. lib. 2. cap. 7. Eus. lib. 5. cap. 3. Lactant. & Tertul. Lib. 16. Biblioth. Plin. lib. 7. cap. 56. Synpos. proble. decad. 3. cap. 10. In Plat. Synpos. Quintil. lib. 3. de laude & vituperat. Euseb. 3. de præparat. evangel. Ovid. lib. 1. metamorphos. Virgil. 12. Ænead. Hyg. lib. fabul. cap. 74. Macrob. 1. Satur. Germa. in Arati Phænom. Theodoret. lib. 1. de cura affecti gentilium. Laert. in Proæmio. Lib. de Isid. & Osiri. Lib. 4. geni. c. 12. Tacit. lib. 20. hist. Aug. ad finem. Aldr. in insect. titulo. æquivoca. Celsus. lib. 1. Quint. lib. 2. inst. c. 15. Bald. Cons. 237. lib 2. Tyrius Plat. sermo. 40. Gal. intro. cap. 1. Plaut. Curcu sc. Act.

Migrare certum est jam nunc e fano foras
Quando Æsculapij ita sentio sententiam.

Quippe detineri ægrotantes in templis, non solū in Coo insula, Trica, & Epidauro, sed etiam Romæ, consuetum fuisse probat *Mercurial.* & luculenter testatus est *Strabo*, & *Galenus* aliqua ex insomnijs monitus novisse commemorat. Servabantur etiam in templis tabulæ in quibus veteres Græci, remedia quibus quisq; sanitatem recuperaverat inviolata manebant conscripta, & Cremato post bellum Peloponesiacum templo, *Hipp.* omnium primus ea in lucem eruit, nam Græcos sic facere consuevisse tradit *Plinius lib. 29. cap. 1. & Galen. 5. de comp. per genera*, confirmat *Strabo lib. 7. & 16. Geographiæ*: qui scribit Ægyptios primos medicinæ parentes in hoc imitasse, quippe qui inventa ac vetusta morborum remedia in Hephestio Vulcani sacrario recondita servabant. Quos postea Greci, deinde & Romani, ne temporum oblivione perirent, eodem modo reposita servare consueverunt, ut jam diximus. Quomodocumq; igitur fuerit, nam arduum est rem vetustissimam adeo, & de qua tam multipliciter loquuntur authores ac varie, aliquid certum stabilire; Verum illud indubitatum est, Æsculapium Apollinis, & Coronides Larisseæ filium medicinam eximiè ampliasse, ut tradidit *Soranus*, de quo etiam multa invenisse scribit *Celsus*, & magna medicinæ attulisse incrementa, nam rudem adhuc & vulgarem paulo subtilius excoluit, atq; illustravit, postquam ab Apolline parente, in ea fuit instructus, & absolutam perfectamque primus omnium tradidit, prout de eodem refert *Gal.* quare *D. August.* Archiatum à veteribus nominatum fuisse ait, tamquam primus Princeps ac Deus medicorum, propterea *Thesalus Hipp.* filius Herculem & Æsculapium in hominum utilitatem natos dixit, hunc etiam omnium primum libros in medicina scripsisse narrat *Iulius Firmicus*, quorum vnum *naviculam* vocatum fuisse idem author ait, denique tam præclara circa ægrotantes, & indesperatorum morborum curationibus gessit opera, ut inde poetæ mortuos suscitasse fabularentur, quemadmodum de illo *Serenus Samonicus*

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas.
Nosti, atq; in Cælum manes revocare sepultos,
Qui colis Ægeos, qui Pergama, quiq; Epidaurum.

Testatur idem *Propertius*, affirmat *Claudianus*, & alij multi scriptores inter quos *Xenophon, Heratosthenes, Pausanias, Higinus, Diodorus, Plutarchus, Bocacius, & Volateranus*, qui omnes licet in hoc consentiant, in illo tamen, qui ab Æsculapio suscitatus fuerit, minime conveniunt, quippe *Herastothenes* Hypolitum, *Pausanias* vero, *Higinius & Virgil.* Minois filium Glaucum, fuisse tradunt, *Propertius* Androgeum, quem *Diodorus & Plutarchus* eiusdem Minois etiam filium extitisse aiunt, alij Pindaridem ex Lacædemoniorum regum familia suscitasse scribunt: Verum non vnum aut alterum, imo plures ad vitam revocasse tenet *Ovidius*: Hinç orta est fabula à Iove fulmine percussum, quippe coniurati adversus Æsculapium Dii omnes, ac rubore suffusi, & præcipue Plato, qui Æsculapium Iovi delatum reum egit, quod inveniretur alius, qui contra illorum arbitrium, sepultos, & ad orcum jam destinatos animos ad vitam traduceret, pactum cum Iove inierunt, quod igne tangeretur, quemadmodum *Cyprianus, Virgil.* quoq; tradunt, & *Ovidius*, licet aliter mortis illius causam afferat *Pindarus*, ob avaritiā nempe, & quod nocenter medicinam exerceret, quē sequuntur *Euseb. Trapezuntius & Tertullianus*, quāvis *Plato* hoc negare videtur, quia inquit, *Si Deus quomodo avarus, & si avarus quomodo Apollinis filius*; quare eleganter *Septimius* advertit ob invidiam fuisse [ait sic] *& invidiam fecit Iovi adversus Æsculapium medicinæ arte nobilem avaritiæ merito, quia nocenter medicinam exercebat, (hoc prætexit nomine culpam, fulmine vendicatam) malus Iupiter (si fulmen illius est) impius in nepotem, invidus in artificem salutis.* Quasi dicat apud Iovem Deorum maximum invidiosa fuit medicina Æsculapij, quia eius ars, divinæ munificentiæ, & omnipotentiæ æmula, valetudinem & vitam mortalibus largiebatur, malus inquam Iupiter invidus, quasi adeò excellat medica ars, ut Iovi invidiam faciat, & fulminet medicum Æsculapium, suæ artis præstantia de divinitate cum ipso decertante, & quod negotium solius Dei erat, arroganter præsumat homo sibi arrogare ab ingenio medicinæ, tam enim acutum ac maturum pro facienda medicina desideratur; ut propterea veteres Æsculapium Apollinis, seu Solis filium non tantum finxerint, ut indicarent medicum rationis lumine vigere debere, sed & cum ipso, ætatis

quoq;

Left margin notes:

Galenus aliqua ex insomnijs adeptus est.

10.

Æsculap. Omnium primus Libros in medicina scripsit.

11

Æsculapius cur adeo promissa barba ab antiquis ostenderetur.

Right margin notes:

Lib. 1. var. cap. 22. Strab. lib. 8. geog. Gal. lib. de sang. miss. cap. ult. & lib. 14. meth. c. 8.

In proem. lib. 1.

Introduc. cap. 1. 3. de ciuit. Dei cap. 17. In orat. ad Athen. 5. Math cap. 1 in Oroscop. piscium.

2. Elig. Claud. lib. de vita Stilicon. Xen. lib. de venat. Paus. lib. 2. Hig. lib. fabulatum. c. 40. Diodorus. l. 5. Biblioth. Plut. in Thes. Bocat. Lib. 11. de Deorum genalog. cap. 27. Volat. philolog. cap. 33. Ovid. 6. fastorum. Lib. 4. de Idolo. vanitate. Virgil. 7. æneid. Ovid. 2. metamor. Lib. 3. de præparat. evangel. Tertu. in apolog. Cap. 13. Plat. dialogo de Iusto Sept. apolog. cap. 14.

quoque adiunctam oportere esse experientiam, quam impromissa illius barba intelligi voluerunt.

Plura de Æsculapio, qui voluerit, *Strabonem* legat, *Tullium*, *Pausaniam*, *Tacitum*, *Eusebium* & *Bocacium*: Illud interim cum *Diodoro* monendum, Æsculapium quam plurimos de salute prorsus desperatos à morbis liberasse, propterea creditum fuisse, defunctis restituisse animam, nam aliter dicere mortuos suscitasse fictitium est, & à nullo credendum, cum aperte *Psalmista*. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi*, & Isaias. *Mortui vitam non videbunt, nec medici suscitabunt.* Quare recte *D. Hiero.* ad eundem locum, medicorum de hac re fabulas damnat, qui mortuos suscitasse credebantur, atque idem statuendum est de alijs medicis, de quibus authores mortuos ad vitam revocasse scribunt, quemadmodum de Empedocle narrat *Laertius*, & *Heraclides Ponticus* libro cui titulus est, *Apnus*. Seu de deperdita respiratione, quem aliqui Democrito male tribui contendunt, hujus meminit *Glus. Plinius* nobile volumen appellat, qui etiam de Asclepiade perclaro ac magni nominis medico ait, hominem jam exanimatum frigidum ac rogo mox imponendum, viuum in domũ suam reduxisse, quod de alijs similiter idẽ scribit author, & *Apuleius*: quæ tamen sunt meræ nugæ, & vana mendacia, non certe minora quam illa, quæ de Iuba ad vitam quâdam herbâ revocato tradit idem *Plin.* & de altera (Balim dicebatur) qua ex Xanto mortuum draconem ad vitam revocatum, & eadem ab alio dracone occisum Thylonem, suscitatum fuisse refert, quæ satis inepte pro herbarum summa vi ponderanda, affert *Mathiol.* quippe ipso etiam *Homero* teste. *Anima hominis cum semel è corpore migraverit, numquam rursus, aut remigrare aut instaurari potest.* Verum prædicti authores tantum per hyperbolen, hoc dixisse, accipiendi sunt, ut Æsculapii & cæterorum magnorum medicorum excellentem in artis operibus industriam extollerent, qui morbo victis, deploratis, & jam jam morituris, in summa desperatione positis ac deperitis salubribus remedijs succurerent, & velut exitum jam agitanti animæ obstarent, quare *Celsus* hoc perpendens declarat sic. *Quod Asclepiades funeri obvius intellexit eum vivere, qui efferebatur.*

8 geogra. Tull. de natura Deorũ. Paus. lib. 2. Tacit. li. 12. Euseb. 3. de præpa. evangel. Bocca. de gẽ. Deorum. Psál. 87.

5. de locis. Lib. 7. cap. 52. & de eodem lib. c. 37. lib. 4 florid. lib. 25. cap. 2.

In limine sui Dioscori. Hum. 9. illi.

lib. 2. cap. 6.

§. §. Hæc itaque quamvis in hunc modum se habeant, fateamurque medicum, illud facere non posse, quod naturæ viribus impossibile est, tamẽ quantũ ad eũ attinet, qui vitæ redditur, quid refert utrum anima denuo inartus relictos divinitus reponatur, an penitus in corpore sepulta, morbi victoris oppressa viribus, arte curaque medici suscitetur, jamque certo migratura retineatur, an non pene paria sunt mortuum restituere, & mox moriturum servare, ejusque animam corporis latibulis delitescentẽ ab ipso mortis limine revocare? ut qui sic medicorum solertia revaluerunt, è mortuis suscitatos fuisse diceretur, licet adaugendæ rei gratia fidem omnem superare videretur, præsertim cum novum non sit, nec ita rarum perquam multos adhuc viventes, vulgi tamen & affinium opinione, medicorum etiam aliquando, pro mortuis habitos, efferri, de quibus admirabiles historias recitant *Schenchius*, *Marcelus Donatus & Horstius*, in apopleticis præcipuè, & suffocatis ab utero fæminis, in quibus mirum non est fere omnino deficiente pulsu & respiratione, quæ nullo modo percipi possunt, frigido existente corpore, ut pro mortuis habeantur non â vulgo solum, sed ab ipsis aliquando medicis, quod non statim illis vitio vertendum judicaverit ille, qui apud *Celsum* sic legerit. *Quin etiam vir iure magni nominis Democritus nec finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit, quibus medici credidissent.* Propterea forsan apud antiquos mos fuit mortuorum corpora calida lavare, ut si quid vitalitatis superesset, expulsâ frigiditate appareret, ut notat *Servius*, quod soleret aliquando vitalis spiritus exclusus putari, & homines falli, quemadmodum de Aviola consulari in rogo revixisse scribit *Plinius*, nec succurri potuisse, ac vivum crematum, prævalente flammâ, & hujusmodi exempla plurima præter *Val. Max.* advocat *Kirchmannus*, ex *Manilio*, *Plinio*, *Plutarcho*, *Apuleio*, quod etiam aliorum testimonio confirmari potest, *Platonis* nempe, apud quem, Eris quidam armenius, iræ impositus revixit, ut quoque adduxit, *Artimidorus*. *Eusebius* in disp. nontra Hieroclem notatu dignam historiam refert, de puella, quæ cum putata esset mortua, excitata est ad pluviam aquam ingruentem, nam videlicet scintilla vitalis auræ, quæ medicos [inquit] latuerat, cadente rore revixit. Hujus eventus admirandas historias qui audire voluerit citatos adeat *Schenchium*, *Marcelum*, & *Horstium*, nec sanè omittenda illa apud *Pareum*, quæ

Marcel. Do. l. 7. de med. hist. mirab. Horst. lib. 7. de hist. apud eundẽ Mar.

lib. 2 cap. 6.

Cõt. in lib. 6. virg. Lib. 7. cap. 52. lib. 1. cap. 8. lib. 1. de funeribus Rõ. cap. 13. Man. lib. 4. Plut. lib. de sera numin. Ap. lib. 4. florid. Plat. lib. 10. polit. Arti. lib. 4. cap. 84. Lib. 23. cap. 46.

quæ certe secanti anathomico, infelix fuit & infamis, sicuti inauditæ fortunæ alia, quam inter plurimas narrat *Guill. Fabricius*; Matronæ nobilis cuiusdam peste laborantis, quæ mortua credita & funerata, quod magni prætii gemmam in digito gestasset, vespilones eâdem funeris nocte, ut annulo potirentur, sepulchrum recludunt, quo tempore mulier a deliquio, aut sincope jam exuta, ad se redierat, & ad illorum ingressum a pheretro surgere, & loqui cœpit, quo factum, ut præ metu territi, relictâ, etiam face, quâ datâ portâ, dicto citius fugerent, mulier vero arrepto funali eosdem insequens in propriam domum se recepit; & a marito recognita, attonito tamen, recipitur.

12.

Lib. 23. cap. 46. Cent. 2. observationum Chiru. 95.

§. Non me latet versipellem illum, ac totius fraudis parentem Cacodæmonem mille ludibriis, miseros gentilium animos sæpius inebriasse, circa Necromantiam præcipue, de cuius cæremoniarum ritu ad defunctorum animas excitandas: Calasiris ex Ægypto magus apud *Heliodorum* exactè multa docuit, quo sane commento, & dæmonum vafricie mortuos illos, qui apud Ethnicos vixisse narrantur, excitatos fuisse, non citra rationem plurimi coniectantur, vel spectra subiiciendo, vel cadavera ipsa subintrantes movendo, & sic dæmonum astu, ad vitam rediisse, falso tamen crederentur: hoc modo amicum *Cornelii Agrippæ*, quem, seductor idem suffocaverat, extra domum adduxisse, scribit *Sennertus*, & *Delrius*, qui multis alijs historiis fictã hanc resurrectionẽ à dæmone, divinæ potentiæ affectatori maximo, atq; invido, sæpius simulatam ostendit, de quo etiam apud *Cæsariensem* in illustribus miraculis *lib.* 12. *Cap.* 3. & 4. satis admiranda scribuntur exempla aliquorum qui per annum & plures adhuc vivere videbantur, cum tamen mortua illorum cadavera dæmon gestaret, & moueret. Hoc enim pacto, homines ad ipsius cultũ, & turpissima quandoq; flagitia non raro adegit, ut in Lotharingia Petronio Armentario, Anno 1581. à Succubo miserabiliter decepto accidit, cuius historiã ad longum citatus *Delrius* affert: Cadaver quippe filii, ad cuius necem parentem antea fraudulenter compellerat, per integrum annum gradiendo ac loquendo gestauit, posse enim diabolum saltim per aliquod tempus mortuorum corpora incorrupta servare, præpterquam quod ex multis historiis patet, affirmant *Villalpandus*, *Sennertus*, *Zacchias*, & supra citatus, *Delrius*, diu tamen hoc præstare non posse certum est, quia corruptionis præservatio ab animæ viribus dependet, cuius efficaciam per longum tempus supplere non potest diabolus, quantumvis medicamentorum, aut herbarum virtutibus utens, qualitates aliquas producat, quæ putrefactioni, & corporum corruptioni, resistere valeant. Cum vero memoratos illos, qui a medicis ad vitã revocatos fuisse numerantur, omnes fere diu vixisse visum sit, nullo modo, aut mortuos, aut à dæmone ullâ magicâ vi suscitatos fuisse credendum est, sed potius existimandum ægritudinum magnitudine usquè adeo iactatos, & confectos extitisse, ut feré jam pro mortuis haberentur, cum si tales vere essent opere tantummodo, summi ac Omnipotentis Dei, aut illius iussu ad vitam iterum redire possent.

§.

Lib. 6. hist. Æthio. prope finem.

Lib. de consensu chymi. cũ Gal. cap. 18. Del. lib. 2. quæst. 29. disq. magic.

2. Mag. cap. 24. & 26. Sen. lib. 5. p. 1. sect. 2. cap. 2. Zac. lib. 4. tit. 1. quæst. 10.

Sed his omissis, ad Æsculapium redeuntes, illud indubitatum est, primos illos medicinæ parentes, quoniam rem tam utilem, & ad mortalium usus tantopere necessariam in densissima nube caligantem iterum produxissent, Deorum loco habitos, & à veneranda antiquitate maximè cultos, templis ac fanis, honoratos statuis, & columnis erectos. Æsculapio, de quo hic præcipue agitur, templum condiderunt Cotilus, & Hercules prope Eurotã fluuium, ob curatum vulnus, quod in manus cavitate sibi inflictũ fuerat: similiter aliud Pergami extitisse scribit *Lucianus*, qualiter quoq; Letropoli fuisse author est *Strabo*, qui in Epidauro, Coo etiam insula, & Trica, Æsculapii extitisse ædes cõmemorat, in quibus magna ægrorũ nutriebatur copia, tabulæq; cum curationũ inscriptionibus pendebant, fortassis quod huiusmodi erat valetudinarium, cuius apud *Senecam & Columelam* mentio fit, quod *Mercurialis* affirmare non audet, quare inquit *Cicero*, Æsculapium, ob beneficia humano generi præstita non minus quam liberum Castorem, aut Pollucem inter Deos relatum. Rara & admiranda est inscriptio quædam Mediolani in Lombardia hodie extans, quam sic habere refert *Mendererus*. *Æsculapio, & Hygiæ sacrum, Copius. C.F. Leonos V C. vir, & Aug. honoratus in trib. C. L. Patrum: & liberum Clientium, & ad census patroni Sanctiss. communicipibus suis D.D. quorum dedicatione, singulis decurionibus II. Augustalibus, & colonis cœnam dedit.* Celebre etiam fuit Argiuum, aliud in Titane monte ab Alexanore conditum, aliud in Sicilia Dionisij Tiranni rapinis celebratum, præterea

13. *Æsculap. ubi templa, & à quibus erecta habuerit.*

In Icoro menippo. Strab. Lib. 8. Geog.

Lib. de ira Lib. 11. cap. 16. & lib. 12. cap. 17. Merc. lib. vari. cap. 12. Cic. 2. de leg. In Herrenol. cap. 25.

rea Pergamenum, quod Constantini Magni temporibus eversũ refert *Caßiod.* reditu Christianis adsignato. Vltimum Romæ in Tiberis insula, quod hodie. S. Ioan. Colevitæ vocatur.

Cæterum licet pervulgatum sit & notissimum Æsculapium, plura, ac in plurimis locis templa habuisse, eiusden filio Machaoni fabricata etiam fuisse, non est adeo notum, qui postquam in bello Troiano Græcis strenuum præstitit adiumentum, literis enim non solum, sed armis celeberrimum fuisse ait *Celsus*, quod quoq; testatur *Homerus*, & Thesalus *Hipp.* filius, qui sic inquit, *Æsculapij filij non arte solum, sed etiam armis Græcis auxilium attulerunt, Machaon quidem animam in Troade deposuit, quando ex equo in Priami urbem venit.* Fuit quippe vnus ex illis, qui in equum inclusi suntDivina Palladis arte fabricatum, atq; postquã ibi ab Euriphilo occisus est (Si *Virgilio* credimus) armis & arte partam, operum suarum, perclaram atq; eximiam reliquit famam, ut *Homerus* illum Dijs æquare minimè dubitaverit, de quo etiam scribit *Pausanias* Glaucum Mesenorum regem illi templum condidisse, Æneamq; statuam fabricasse, apposita etiam corona, similiterq; in Rhoda insula Fanum habuisse idem scribit author.

Machaon in bello Troiano mortuus.

In procemio 1. Illiad. Thesa. in orat. ad Athe. 2. Ænæad. 4. Illiad. lib. 4.

Machaoni Æsculapii filio templa quis erexerit.

14.

Æsculapios fuisse tres.

Ad Æsculapium tandem revertendo, tres huius nominis fuisse *Cicero* advertit, eiusdem professionis omnes, nempe medicos, sed duobus relictis, quorum alterum secundi Mercurij fratrem, alterum Arsippo & Arsinoe prognatum ferunt, de famoso illo medicinæ præstite, & parente, tantum hic loquendum, de quo paucula delibabimus, ex plurimis quæ *Henriques Mei-bomius* in Doctiss. ad *Hipp.* commentarijs compilauit. Is igitur, quem medicinæ præesse fabulosa docuit antiquitas Apollinem patrem habuit, quam vero matrem incertum est. *Homerus, Pausanias & Diodorus Siculus*, à Coronide Nympha Phlegyæ acerrimi bellatoris filia editum putant, alij Arsinoem Messeniam ex regia Perieris regis Messeniorum stirpe genus ducentem, matrem illius statuunt, medicina enim illo tempore, non nisi intra regum principumq; palatia colebatur, ut ex *Æliano*, alijsq; plurimis satis liquet. *Lactantius & Tranquillus* incertis parentibus natum aiunt, ut ut fuerit fama est inter prædictos authores & Higinium, Æsculapium à secto matris utreo fuisse extractum, & in vicum quendam delatum, ac expositum, ibiq; à venatoribus ruri humi iacentem repertum, quem canino lacte paverint, ac demum Chyroni Centauro traditum, à quo omnem, quam excoluit medicinam, edoctum autumant, quamvis aliter *Galenus*, non ab illo, sed à patre Apolline in eadem arte institutum affirmet, hunc ideo Ægypti Æsculapium quasi Capricanem dixerunt, Ægyptica enim lingua ex qua illius nomen conflatum *Æsch.* Capram, *Keleph.* Canem significat, vel quod ab hoc custoditus, ab illa nutritus fuerit, vel quod commodo lactis caprini vsu ægris opẽ præstitisset, vulnera vero, & saucias humani corporis partes, haud aliter quam lambentis canis lingua persanasse testari voluerunt, alij vero ut est in *Ethymologico* apud *Eustachium* Homeri interpretem, nomen id Græcæ originis rari interpetrantur, *non sinuentem ossa arescere aut resiccari*, alij *non sinentem interire hominem, aut mori*, ut *Phurnutus* ait, aut ut vult *Suidas*, quod corpora servaret integra, & salva, aut deniq; quod leniter tractaret morbos, sive ut *Mercurialis* quod leniter exerceret ægros. *Orpheo* in hymnis, *donans mitia.* Ut etiam in præfat. *lib. I legit Aurelianus*, quare *Festus Pomp.* qui illius componit figuram, canem sub pedibus collocat, baculum nodosum in manu apponit, & draconem seu anguem adiunctum depingit, vel eodem baculo involutum ac circumdatum.

3. De nat. Deorum.

In Ius-iurandum c. 5.

Lib. 2. c. 18. Tranq. lib. de virib. illust. Hig lib. fab. c. 14. & 161.

In intro. c. 1.

Æsculap. quare sic dictus.

Canis quare cum Æsculapii simulacro adiunctus poneretur.

In Æsclep. Lib. 4. de arte Gimnast cap. 7. Fest. lib. 4.

Æsculapii simulacrum qualiter fingeretur.

Sed quare ita apud antiquos, Æsculapij simulacrum compositum fuerit, scire non erit iniucundum. Ergo pingebatur in delubris ac templis barbatus. Hinc *Luciano* dicitur, ingenti promissaq; barba præditus, & in carmine libero.

In Iove tragœd. epigra. 36.

Intonsa semper Æsculapio barba.

Hæc cum Epidauro Æsculapio esset aurea magni ponderis, Dionisius Tirannus auferri eam iussit; quod affirmaret non convenire filium barbatum conspici, cuius Apollo pater esset imberbis, narrant *Cicero*, *Val. Max. Lactantius, & Arnobius*. Barbæ autem illâ prolixitate nil aliud veteres innuisse voluerunt, quam in medico, multarum rerum usum & experientiam requiri, quod *I. de articul. & aphor. I.* docuit *Hipp.* ideoq; non nisi longo tempore adquiri, nec facile nisi in senem aut provectioris ætatis hominem cadere Huc quoq; respiciunt poetæ, quando ducibus suis medicos adiungunt senes, ut Æneæ apud *Virg. longævius lapis*. Hannibali, apud Silvium

Æsculapio aurea barbam detraxit Dionisius Tirannus.

15.

Æsculap. quare adeo prolixa barba depingeretur.

3. De nat. Deorum Val. lib. 1. cap. 1. Lac. lib. 2. cap. 4. Arno. lib. 6. Lib. 12. Sil. lib. 5.

Sylanus

Æsculap. quare bacul. nodosus pro insigne fuerit.

Sylanus senior. Baculus deinde nodosus manu inerat, de quo *Apuleius. Dei baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit*, per hunc artis difficultatem notari *Festus* author est. Accipitur enim nodus pro ænigmate, aut quæstione difficili, & generaliter pro quacumque difficultate, vnde vetus proverbium, *Nodum in scirpo quærere.* Quare tali hieroglyphico, baculo nempe nodis undique referto, simulacrum exhibebant, illius scientiæ inventoris, quem ideo ut numen coli volebant, sic *Montuus* in anasceve, sic *Ambrosius Nunes* declarant: Sed non desunt qui baculum pro sceptro accipiant, tamquam regis morborum insigne, quasi à Ioue vitæ ac necis imperium, vel datum, vel saltim partitum habuerit Æsculapius, velut *Eusebio* placuit, baculum, quasi ægrotantium sustentaculum Æsculapii simulacro inditum. Draconem seu anguem, ut alij malunt, quare Deo medico sacrum, & quam ob causam, unà adjunctam apponerent, non vnicus apud omnes est sensus: *Pausanias scipionem manu tenebat alterâ, alterâ caput draconis premens.* Alij serpentem spiris contortum, ac convolutum baculo ostendunt: *Macrobius*, & *Aristoph.* Scohiastez dracones simulacris Æsculapij & salutis additos censuerunt, quod uterque Deus præstare crederetur, ut hominum corpora infirmitatis pelle deposita, in pristinum vigorem revirescerent, non aliter ac angues solent, senectutis pelle exutâ, singulis annis novam induere iuuentam, ac vires resumere, quam nunc *Senium*, nunc *senectam* appellat *Plinius*, Græci: *Liberidam.* Aliter idem *Plinius* id factum credit quod multa serpenti remedia insint. Cum multa & rara præsidia ab angue desumantur, ideo valetudinis tutelari illum dedicare voluisse. Alij quia herba à serpente monstrata, & adducta, moribundos & desperatos ad vitam revocasset. Alij quod in serpentum genere, anguis mordendo nil noceat. Alij è contra, draconis caput altera manu prementem effigiebant, quia per draconis caput veneno turgidum, morborum omnegenus repræsentari voluisse, ab Æsculapio profligandum ac vincendum. *Thomas Dempsterus*, ideo anguem seu viperam baculo circumdatam credit, ut ostenderent ingentem fuisse illius dexteritatem in domando serpentis illius exitiali veneno, tamquam solâ Æsculapij virgâ refrænaretur ac mitesceret. Omnium optime *Reusnerus*, quod & omnibus placere videtur, ideo sic depictum, ut adverterent, oportere sane medicos, (quorum principis effigiem ostendebant) vigilantissimos & oculatissimos esse, noctuque & diu vigilaturos, ut difficillimam addiscerent artem, ut ægrorum commodam obirent curationem, illorum causas acutissima mentis acie perscrutando. quia

Apul. lib. 1. meram.
Festus Lib. 9.
In proæm. 1. aph.

Æsculapio quare draco adiunctus pingeretur.

Satur. 1. capp. 20. in Pluto.
lib. 29. cap. 4.
lib. 2. antiq. Rom. cap. 17.
lib. 3. emb.

Non intellecti, nulla est curatio morbi.

Sicque inopinatis morborum eventibus, & insultibus, linceis providerent oculis, perpetuo excubando, nam draco pervigili oculorum acie præditus est, quare insopitum vocavit *Ovidius*.

Meta. 4.

Tertigenasque feras, insopitumque draconem.

Propterea idem *Reusnerus* qui templum Æsculapij effigiauit cum Icone serpentis, hac inscriptione addita. *Vigilandum medico.* Postea octasthicon hujus generis addit.

Cur tibi trux anguis sacer est, Æsclapie magne?
An quod fert medicam sæpius anguis opem?
An quod & in somnis velut est; & pervigil anguis,
pervigiles medicos, sic decet esse bonos?
Sic puto: sic te Roma colit sub imagine tali:
A sæva per te libera facta lue.
Insula templa videt circumflua Tibridis alti,
Iupiter hic magnus proxima fama tenet.

Propterea ædium, aditorum, oraculorum, nec non thesaurorum custodiæ dracones præfigi apud antiquos usitatum, sic Phydias solertem ostendens prudentiam, Palladis simulacris, draconem apponere consueverat, vel ut ambage tacita innuens virgines pervigili cura indigere, ut pudor castus servaretur, atque illibatus, de quo *Altiatus* pulchrum construxit emblema, hac etiam de causa Minervæ sacrum fuisse draconem scribit *Plutarchus*, tamquam scientiarum Deæ, cum illæ non nisi pervigili curâ ac nunquam omisso labore & studio acquirantur, cujusmodi in medica facultate præcipue opus est indefesso ac perenni, in qua vix Argi sufficiunt oculi, ut in depræhendendis morborum causis, & commodis afferendis auxilijs medicus incumbat, quin ab inopinatis eventibus non raro deludatur, & in fatale

16. *Dracones custodiæ & vigilantiæ symbolum esse. Medicinæ difficultas labor & studium.*

emblem. 22. lib. de Iside & Osi.

fatale discrimen miseri deveniant ægrotantes, quod perdocta vetustas animadvertens, ut tantam artis difficultatem ostenderet, & circumspectum redderet medicum, adjunctum Æsculapio depingi voluit draconem, aut illius baculo circumvolutum anguem, ut summam illam prudentiam, quæ in medico desideratur, cum ipso coniungi debere simul indicaret, vel saltem Æsculapij satis excoctam, qua in artis operibus semper emicuit omnium oculis subiiceret, est quippe anguis prudentiæ symbolum, unde apud *D. Matheum*, *Estote prudentes sicuti serpentes*, & Gen. 3. *serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*. Quare magni ingenij vir *Alciatus*, ex literarum summa vigilantia & studio æternitatem consequi indicare nitens, serpentem mordicus caudam tenentem pinxit, & *Claudius Paradinus* ut significaret cunctorum gubernationem, sapientiæ & prudentiæ clavo firmari, serpentes circa olivæ ramum involutos effigiavit inscriptione addita. *Rerum sapientia custos*. Quare divino cultu honoratos fuisse dracones testatur *Ælianus*. In Epidauro precipue, & ibi educatos scribit *Pausanias*, quo loco maxime colebatur is Deus, cui aliquando in draconis forma Romam accersiri placuit, ad pestem delendam, quâ triennali tota vrbs incendebatur. Ex quo sub eadem quâ delectabatur draconis formâ coli cæpit, ac venerari, prout ex *Max. Livio*, *Floro*, *Horatio*, *Aureliano*, *Lactantio*, & alijs jam diximus.

Cap. 10. nu. 16.

Emble. 132. in symb. heroicis.

Lib. 16. cap. 2. & lib. 11. cap. 17. in Corinthiasis

Sed quoniam Æsculapii illustria encomia prosequimur, nec illud omittendum, cur apud veteres illos medicinæ cultores Æsculapio ejusmodi scientiæ Deo gallum sacrificare mos fuerit: sicuti enim cæteris Dijs varia immolabantur animalia, quemadmodum Baccho capra, & asinus, Cereri porca, Soli equus, Dianæ cerva & canis, Priapo asinus, Isidi anser, Fauno capra, & Minervæ, Herculi & Neptuno taurus, Maiæ prægnans sus, Saturno apud Carthaginenses ingenui pueri, & alijs alia, de quibus abunde *Alex. ab Alex.* Sic plurimis etiam Dijs gallus Gallinaceus immolabatur. Nam inprimis Soli & Lunæ sacer fuit, deinde Marti, Maiæ quoque, quam & Proserpinam & Cererem vocabant, Latonæ etiam ut *Ælianus* docet; Romanos quoque Nocti gallum mactasse *Ovidius* scripsit, propterea fuit etiam Mercurio sacer, & Herculi eiusque uxori, Mnesias referente *Æliano*, tradidit: tandem multis alijs gentilium Dijs immolabatur, ut Isidi, Osiri, Hermanubidi, Anubidi, bono maloque Deo, & infinitis alijs lemuribus sacer est habitus, & oblatus quâ tamen de causâ id facerent ex *Ovidio*, *Plinio*, *Æliano*, *Plutarcho*, docte ac suo more compilat *Aldrovandus*, sed inter alios nulli magis quam Æsculapio offerri, & mactari consuevit, haud aliam ob causam inquit idem *Aldrovandus*, quam quod medico vigilantiam sedulamque curam necessariam esse indicarent, quippe ut optimè advertit *Felicianus Betera* pervigili speculatori, pervigil & acre animal immolari decebat; Quod etiam innuisse videtur *Plutarchus lib. de Pyth. orat.* ubi solius vigilantiæ significandæ causa id factum non obscure autumat. Extat certe apud *Platonem* Socratis post assumptam cicutam jam jam animam agentis ad Critonem dictum. Nam cum Crito illi dixisset, *maiore tui corporis partem frigidam habes*, quod ut *Socrates* audivit, respondit sic (quæ, ut *Plato* inquit, ultima illius morientis fuerunt verba) *O Crito Æsculapio gallum debemus, quem reddite, nec negligatis? fiet inquit Crito, quod iubes:* Quo sane loco Socrates Æsculapio gallum sacrum debere fatetur, reddique diligentissime iubet: quod Socratis votum *Lactantius Firmianus* & *Tertulianus* acerbe, seu nimis superstitiosum increpant, illum tamen cum *Ficino* excusare nititur *Rhodig.* verba *Ficini* ibidem in argumento sunt hæc. *Prisci* [inquit] *Æsculapio medico Phebi filio gallum sacrificabant, diei solisque nuntium, id est divinæ beneficentiæ morborum omnium curatrici, quæ divinæ providentiæ filia nominatur, cui diem, id est, vitæ lumen, debere se fatebatur, eiusmodi medicum in superioribus perquiri iusserat, morborum animi curatorem, & quasi jam dubitationis animi metusque morbo liberati sint, gratiam, victimamque Deo referri iubet, reddit ergo Deo votum ut alacer pæana canens cælestem patriam repetat:* hæc *Ficinus*, quæ ex eo affert, *Rhodig.* dum Socratem gallum Æsculapio voventem, explicat, & aliter illum damnantem Lactantium reiicit, quia Platonem ibi de Socrate talia dicentem allegoricè non accipiat, nam quæ obvelatis traduntur figuris, nec nisi allegoricis enarrationibus unquam intelligenda: Platonicum vero nunquam futurum, qui allegorice *Platonem* non putet intelligendum ex veteri sententia monet. Dicamus ergo non alia de causa Socratem gallum Æsculapio medicinæ Deo, & medico tamquam propriam illius victimam vovisse, nisi quod moriens ab huius vitæ laboribus & curis liber jam

17. [...]æ ani[...] [...]a qui[...] [...] sacra[...] [...]lus mul[...] Dijs sa[...] eisdem [...]olaba[...]

Lib. 3. dierũ geni. cap. 12.

Lib. 4. cap. 19.

Lib. 1. fast. in lib. de amore Iouis. Æli. lib. 17. cap. 46.

[...]lus Æs[...] [...]pio sa[...] [...] cur. [...] infra.

Lib. 14. Ornithol.

Lib. 8. deigne pest. cap. 10.

In Phedro. veide anima.

18.

Lib. 3. divin. instuc. Lib. 16. cap. 12.

liber jam evadebat, quasi mors, illarum fuerit medicus. Huc etiam referendus est *Plinius*. Cum huius vitæ miseriam deplorat. *Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocatâ morte, ut nullum sit frequentius votum, natura vero nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius &c.* quod antea lamentabatur *Plato*. §. *quæ pars vitæ calamitatibus valeat?* lege ipsum: peropportune *Plutarchus*, cū afflictum & mæstum Apollonium de morte filij, ex hujus mundi ærumnosis calamitatibus consolaretur, cujuspiam laboribus ac curis obrupti, à vita exire cupientis verba obtulit, qui frequenter sic clamabat. *O mors Pæan medicus adesto.* Itaque [inquit *Plinius*] *multi extiterunt, qui non nasci optimum censerent, aut quam citissime aboleri. Plautus* in Baccidibus.

Lib. 7. c. 50.

19 §.

In dialo. Axiochus. In orat. co sol. ad Ap.

Lib. 7. proœm.

Vixisse minimum satis est, quam occissime mori.

Socrati favet, *Phalaris peropportune* [inquit] *singuli nascimur in miserias, & cum vitâ fungimur, tum demum miseri esse desinimus*: Hoc quidem *Clemens Alex. cum apparuerit mors illorum ut medicus.* Sed jam ad rem: putarunt certe dicti authores ideo Æsculapio gallum Socratem litasse, & ab alijs etiam solitum immolari, quia avis Solaris est, & diei nuntia, quæ cantu suo homines excitet, & ne lux incautis obrepat, canendo somnos exturbet mortalium (ut *Plinij* verbis utar) de quo lepidissima est apud *Lucianum* fabula Martis & excubantis Alectrionis, dum ad Venerem itaret Mars; quare tantæ beneficentiæ, id est fruendæ dulcis vitæ auræ, & diei prænuntiam avem litando, illo præcipue Deo morborum expultrici, ac sic fruendæ ulterius melioris vitæ, quam cum morte commutabat, largitori, gratiæ rependerentur, hujusmodi mactando victimam, nimirum lucis avem, sic appellat *Martialis*.

Strom. ex de ph

Lib. 10. 21.

Cristataq; sonant undique lucis aves.

Lib. 4

Gallus cur Æsculap. sacer.

Sed hujusmodi derelictis non Illepidis, nec contemnendis allegorijs, puto aliam fuisse rationem gallum Æsculapio sacrificandi, nam & gallinas eidem immolari consuevisse scribit *Plutarchus*, & *Festus*, quod & tetigit *Prudentius*.

In apoph

——— Quamvis promittere & ipsi
Gallinam soleant, aut gallum Clinicus ut sic
Dignetur præstare Deus morientibus æquum.

Et adhuc suo tempore *Pierius Valerianus* affirmat, magnam copiam pedum gallinaceorum Romæ fuisse effossam iuxta Cippum, in quo Æsculapii statua steterat, loco, qui hodie vivarium appellatur. Imo & passeres ut *hist. var. lib.* 5 *cap.* 17. docet *Ælianus*, Aterbem enim quendam ait idem, Athenienses morti adiudicarunt quod passerem Æsculapio sacrum ad necem verberasset. Quod non alia de causa factitari solitum, licet coniectare; nisi quia cum medicinæ pars potissima diætetica sit, quæ circa alimoniam versatur, hæc vero frequenter in omnibus fere morbis gallinis pullisque gallinaceis exequatur, utpote salubri carne dotatis, & ex quibus optimus generatur sanguis, ideo fortassis tales litebantur hostiæ, & offerebantur medicinæ Deo, nam & hanc credo causam etiam extitisse, quare eiusmodi aves medicæ dicantur, non à medis ut ineptè auguratur *Rhodig.* sed quod in medendi usu, diæteticam, celebrem medicinæ partem præcipue compleant & perficiant, tamquam optima & salubri alimonia semper ægrotis præferenda, vel etiam aliter suspicari potest, ideo gallum Æsculapio offerri decrevisse tamquam morborum domitori strenuo, ut aperto marte ægritudinem compesceret, & vinceret, ut etiam Marti Lacones consuevisse, quoties prælij victoriam virtutis robore, non consilij calliditate assequebantur, quod in Laconiis testatur *Plutarchus*.

Lib. 16. 13.

QUÆSTIO QVARTA.

Hippocratis magni Laudes. Quibus ab Atheniensibus cultus, curq; illius statuam Pileo contectam exhiberent Prisci. Agitur item de Medicorum Immunitatibus & Privilegijs.

1\. TAm præclara, tamque ingentia sunt magni *Hipp.* encomia, quæ in assidua auctorum lectione sese pandunt, & offerunt, non medicorum modo, sed illorum, qui sive de viris illustribus, sive de scientijs scripserunt ut in panegyrico

nil ultra

nil ultra afferri posse videatur, quod celebre illius nomen ulteriùs possit extollere, & eximiam tanti viri adaugere famam; quare illius laudes compilare potius, quàm novi aliquid adducere videbimur, cùm celeberrimum illius nomen in æviternam temporis memoriam abundè jam propagatum prædicatumque sit, omnium gentium literis, ac linguis ad stuporem usque acclamatum, omnium mentibus illustre, nunquam periturâ famâ supra mortalium gloriam evectum. Omnium quippè primus *Hippocrates* elementorum qualitates, calidi nimirum, frigidi, humidi, ac sicci notione indagavit, aëris & aquæ conditiones explicavit, naturam definivit, fætuum formationem tradidit, ex temporum mutationibus venturos morbos præmonuit, & quales essent futuri prævidit, ægrorum salutes & occubitus præsensit, in medelis ambidexter fuit, humanam prudentiam sibi subjugavit, sapienter mentem suam in tantum excolens, ut quod ipse ignoraverit, post ipsum sciverit nullus. Omnium primus laceræ luxatæque membra artis solidissimâ compage in unam elegantissimi corporis molem redegit, & mirabili artificio consummatam posteris reliquit.

[Hipp. primus elementorum qualitates indagavit.]

— A quo, ceu fonte perenni
Cuncta Machaoniis arva rigantur aquis.

O toties quernam coronam meritissimum senem, si Romanus fuisset! O non modò civium multorum vitæ conservatione, sed & profligatione atrocissimæ pestilitatis è tota Græcia nobilissimum! Sensere in homine plus aliquid quàm hominis sapientissimi veterum Athenienses, qui illum Eleusinis sacris secundum ab *Hercule* monstrorum domitore initiatum divino honore coluerunt: & quantæ existimationi omnibus, admirationique fuerit, arguit quod de eo per frequentia compita passim canebatur.

Lux hominum Hippocrates, dum gentibus ille medetur,
Turba gemens stygias rara petebat aquas.

Nec favore magis, quàm è vero prolatum: *Medicinam Appollo quidem invenit, Æsculapius amplificavit, Hippocrates perfecit.* Ex primis qui hominis raram scientiam admirati sunt, unus fuit *Plato*, qui pro omnibus sufficeret, nam, ut Comicus dicebat *Aristophanes: unicus Plato mihi pro omnibus est:* hic in Phædro apertè illum ab Æsculapio, & Asclepiadorum familia oriundum scribit, in Parmenide *Physiologiæ parentem* appellat. Cicero *lib. de senectute, divinum* vocat, & *Deum Philosophorum*; cujus testimonii *D. August. contra Pelagium lib.* 4. meminit. *Bartolus* dicit, *standum esse libris Hipp. tanquam authenticis*, quem sequitur *Panormitanus*. Paulus jurisconf. ita de eo loquitur: *septimo mense nasci perfectum partum, jam receptum est propter authoritatem magni viri Hippocratis.* Et in plurimis aliis locis Juris cons. *Hippocratem* citat maximâ semper æstimatione, & illius dictis adhibitâ fide, *ut in l. ab intestato §. vult ff. de suis & legit. hæredibus. In decretis canon. in cap. ne tales. de consecrat. l.* 5. D. August. *medicum nobilissimum; creavit Deus Hippocratem tanquam virum in arte medica minimè errantem.* Seneca *medicorum maximum, & medicinæ scientiæ conditorem, & naturæ peritissimum.* Plinius lib. 7. cap. 51. *medicinæ Principem*, Censorinus *naturæ scrutatorem egregium*, Suidas *sidus ac lumen medicinæ utilissimæ*, Macrobius *Æsculapii successorem, quòd tam fallere, quàm falli nesciebat.* Dictum sanè quod soli Deo convenit, ut benè notat *Rasis*: solius enim Dei est *nec fallere, nec falli*; quippè de nullo mortalium certò dici potest, sed tamen *Hippocrati* tribuit *Macrob.* ut admirabilem illius scientiam eveheret & commendaret, cùm præsertim aliquando errasse ipse fateatur *Hippocrates* in capitis suturis, quod scribere & confiteri non erubuit, ne posteris errandi occasio foret: propterea *Celso* & *Quintiliano* majori quàm adhuc erat scientiæ & sinceritatis visus est dignus laude & honore. Eum *Pætus divinum* appellavit, *per totumq; terrarum orbem Æsculapii adjumenta, quemadmodum Triptolemus Cereris semina, disseminasse* scribit, & ob id *salutis & sanitatis parentem, & dolorum ac malorum omnium medicatorem* dicere non dubitavit. *Arist. majorem medicum* vocavit. *Seneca* ad Lucilium: *Hippocrates est maximus medicorum, & istius scientiæ conditor, & naturæ peritissimus.* Plinius, *medendi præcepta primus clarissimè condidit:* Alibi eundem laudat quòd Græcia eosdem honores, quos *Herculi*, illi decreverit. *Cap.* 2. *lib.* 26. de illius laudibus solùm verba facit, quemadmodum. *Cap.* 1. *lib.* 29. non parum in his insumit. Celsus *virum facundiâ & arte insignem* fuisse ait, ac primum ex omnibus memoriâ dignum, *lib.* 7. *totius medicinæ parentem.* Marcellus illustris *medicæ professionis conditorem.* Oribacius Sardan. *in omnibus veracem.* Theophilus Prothospatarius, *Prometheum*, id est, providentissimum & hominum restauratorem, qualiter de eodem Prometheo lepidissimâ fabellâ affert *Servius.* Illius scripta

[Et in dialogo Proth. & de pulchro. Barth. lib. 3. ff. si certa pet. Panor. in cap. 2. in fin de feud. Paulus cap. 7 ff. de stat. hominis 5. de civitate Dei. De brevitate vitæ cap 1. & epist. 95. De die natali c. 6. De som. Scip. c. 6. lib. 1. 6. Aph. 5. Epid. 27. lib. 8. c. 4. In epist. ad Artax. 7. de rep. c. 4. Epist. 95. Lib. 26. c. 1. & lib. 7. cap. 37. In procemio. Apho. 18.]

tan-

tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrari ait *Suidas*: sed majora multò, & suprà modum sunt, quæ à *Galeno* illi decantantur encomia & laudes; plus enim quàm cæteri omnes illum extollit, nec laudandi finem facit, illum nempe *omnium bonarum disciplinarum ducem & authorem vocat, omnium etiam quos novit Philosophorum primum naturæ opera novisse. Recta omnia ab illo tradita fuisse* scribit S. Meth. *admiratione dignum, & eorum inventorem, quæ à pluribus medicis ad hunc usque diem fuissent ignota.* 2. de temp. *admirabilem omnium rerum magistrum.* Lib. de virtutibus animalibus *divinissimum* appellat. lib. de comate. *nullum verbum frustrà adjecisse*, nam & vocabula & syllabas semper aliquid significare apud eum scribit. 1. de usu partium, *illius scripta Dei vocem esse dicit, & ab illius dictione tanquam à Dei voce auspicandum*, & parum antea, *nil malum, nil falsum scripsisse* docet. Lib. de suffig. empyrica, *Expertissimum & amicum veritatis*, 2. de diffi. resp. *diligentissimum Medicum* ad ægrorum salutem fuisse prædicat, & infinita alia de magno *Hippocrate* magna, quæ cumulare longum foret ac laboriosum; ut jure de illo cum *Philone* dicere possimus; *Clarus nominis, laude non adulteratâ per blanditias, sed per veritatem stabilitâ.* Etenim, ut de *Marco Antonio* dicebat *Suidas*, *faciliùs multò est tacitè ipsum admirari, quàm laudare*, quòd oratio nulla viri virtutibus exæquari possit. Dicta tamen modò sufficiant ex *Galeno* & aliis attulisse, cùm constet satis, hæc omnia, & multò plura illi deberi, nec pro meritis unquam posse laudari, quem toties laudatum extollere nondum cessant tot ac tanti omnium scientiarum celebres viri, quorum dicta nos potius collegimus, quàm novi aliquid afferre valeamus.

[Margin: 1. ad G. cap. 1. 3. de C. cap. 1. prognos. 4 aphor. 26. Cap. 9.]

2. *Hippocrates multi.*

Sed cùm plures fuerint *Hippocrates*, ut nominis confusio vitetur, & cui potissimum tam præclara encomia debeantur clarius innotescat, advertendum est, quàm multos fuisse hujus nominis celebres viros; nam licèt *Suidas* septem tantùm annumeret, omnes professione medicos, & ejusdem familiæ, genere Coos, & scriptis editis celebres, *Erotianus* tamen Ionicum *alium* nominat, quem medicum fuisse aliqui conjectantur. Et præter hos *alterius* meminit *Arist.* quem insignem mathematicum, & quadraturæ circuli inveniendæ operam impendisse ait, cujus etiam mentionem facit *Plutarchus*. *Alium* Atheniensium ducem in bello Peloponesiaco *Thucydides*, & *Pausanias in Laconicis* referunt, *Alium* in Chalcedone præfectum *Plutarchus*; *Alium Xenodici* filium *Pindari* scholiastes. *Alium* Apollodori filium *Plato*, *Alium Herodotus lib.* 6. *& Athenæus lib.* 12. inculcant. *Alium Livius lib.* 34. qui *Siracusis* prætor. *Alium* apud *Laërtium lib.* 5. *Alium in epist.* apud *Xenophontem in Paralipom. lib.* 1. rursus *duos Alios Herodotus lib.* 7. & *Thucydides lib.* 6. Adde *illum* cujus filios ut fatuos tradunt *Eupolis* Comicus antiquus apud *Suidam*, & *Aristophanes*, quorum *Galenus* quoq; meminit *lib. quod animi mores*, & tres fuisse notat *Aristophanis* scholiastes, Thelesippum, Demophontem, & Periclem; de quibus in sequentibus agemus *quæst.* 76. Cùm igitur tot fuerint hujus nominis viri, literis & armis famâ conspicui, ut cæteros interim omittamus de septem illis, quos *Suidas* medicos ejusdem familiæ fuisse statuit genere Coos; ex hac inquam *Hippocratum* Pleiade, qui secundo fuit loco, omnium clarissimus, ac reliquos longo intervallo post se reliquit; quippe horum primus *Hippocratis* fuit avus, cujus meminit *Galenus*; secundus illius nepos *Hippocrates* cognomento *Magnus*, quem ubique *Galenus* admiratur, & cui tantum debuit medendi ars, debent medici, qui rursus duos alios ejusdem nominis nepotes Draconis & Thessali filios habuit, quorum etiam mentionem fecit *Galenus*; quintus Tymbri fuit filius, qui alium habuisse dicitur, ipsius Tymbri nepotem: quorum omnium inter magni *Hippocratis* opera illorum aliqua inveniuntur; siquidem *Magni Hippocratis* avum libros de fracturis & de articulis edidisse testatur *Galenus*, sicuti Thessalo & Draconi alii adscribuntur, de quibus abundè notitiam præstant *Lemosius* & *Mercurialis* in judicio operum *Hippocratis*, & *Annuntius Foësius* in *Doctiss. annotationibus* ad *Hipp. opera*, in singulorum librorum initio satis declarat; sed omnes tamen & illorum scripta, si cum magno *Hippocrate* conferantur, styli majestate & dicendi facundiâ longè inferiora conspiciuntur, non enim cuivis tantum ingenium, tantum verborum pondus, tantam in perscrutandis naturæ absconditis ac mirabilibus operibus ac divinam pænè illius dexteritatem facile fuit imitari, utpote qui velut altera natura loquax impenetrabiles illius recessus omnium primus detexit, adyta subivit, & sacro involucro contecta pandit, & in hominum conspectum adduxit, rudem & vix nascentem medicinam excoluit, jacentem erexit, informem expolivit, inventis auxit, ac regulis & normis fruendam, & ampliandam posteris tradidit: hoc non ignorabat *Aristoteles*, qui dicendi ac contradicendi ambitione pruriens, cùm nec *Platoni* magistro pepercisset,

[Margin: In lexico. Lib. 7. endemiorum cap. 14. In Solone. Hist. lib. in Alcibiade. In Protagora. Herod. lib. 6. In nubibus act. 3. sc. 1. 1. de ratione vict. text. 18. 2. Prorrh. 18. Lib. 1. de victus rat. Com. 18.]

tan-

Arist. quã... admo... um raro Hipp. no... minave...

tantum tamen virum, à quo multa edoctus desumpsit, nec reprehendere, nec sugillare unquam est ausus, quin & illius nomen vel rarò admodum scriptis suis inserere voluit; quod tantum abest, ut ingratitudinis vitio vertendum sit, prout facilè illi hanc notam inurere non dubitârunt *Mercurialis*, *Patricius*, *Iulius Alexandrinus*, & *Andreas Laurentius*: siquidem potiùs laudi ipsi dandum, non citra maximam conjecturam judicârunt doctissimi alii, ac præcellentes viri, nimirum, ut ne aliquid de illius gloria detraheret, ejus subticuisse nomen, in iis ipsum carpendo, in quibus ab eo dissentiebat, ut vel contra proprium fecit præceptorem, nedum contra alios omnes suæ & superioris ætatis Philosophos, ut cordatissimè adnotârunt *Lemosius lib. 1. Meth. c. 2* Joannes Talentonius *lib. 3. Thesauri rerum reconditarum cap. 1.*

Merc. in lib. Hipp. de nat. pueri. Schol. 29. 2. de morb. mul. c. 2. aph. 21. Patri. lib. 6. tom. 3. discuss. perip. Julius Alex. in annot. supra caput. 2. lib. 1. meth. med. Lau. lib. 2. Anat. quęst. 37.

Fuit igitur magnus *Hippocrates* genere Doriensis, patriâ Cous, ut doctiss. *Pius* scribit, patre *Heraclide*, matre *Praxitheâ* natus, maiorum origine adeò clarus, ut ab *Hercule* maternâ lineâ, paternâ ab Æsculapio & Jove originem duxisse credatur, quod *Plato* in *Phædro*, & *Soranus* in ipsius vita testantur. Illius autem generis seriem commemorant *Erathostenes*, *Phericides*, *Apollodorus*, & *Arius Farcensis*; ex junioribus verò *Lemosius*, *Mindererus*, *Moxius*, & extensiùs multò *Meybomius* in illustriss. *Comment. ad* Hipp. *jusjurandum cap.* 1. Ex quibus omnibus constat maternâ lineâ vigesimum ab *Hercule* fuisse, paternâ à Jove decimum nonum, ab Æsculap. decimum septimum. *Heraclides* itaque illius pater filius fuit primi *Hippocratis*, qui fuit *Gnodii*, qui fuit *Nebri*, qui fuit *Sostrati tertii*, qui fuit *Theodori secundi*, qui fuit *Crisamidis secundi*, qui fuit *Sostrati secundi*, qui fuit *Theodori*, qui fuit *Crisamidis*, qui fuit *Cleamitidis*, qui fuit *Dardani*, qui fuit *Sostrati*, qui fuit *Hippolochi*, qui fuit *Podaliri*, qui fuit *Æsculapii*, qui fuit *Apollinis*, qui fuit *Iovis*; summi gentium habiti, Regis etiam, & apud illas obcœcatas nationes Deorum & hominum patris. Fuit itaque octavus à *Crisamide* Rege, decimus septimus ab *Æsculapio*, decimus nonus à Jove per masculinam lineam; sicuti per maternam decimus octavus ab *Hercule*, nam ejus mater Praxithea filia fuit Phanerithis, sicuti hic filius Cadami Coorum Principis, & hic decimus quintus ab *Hercule*: quæ omnia ex *Thessalo*, ejusdem *Hippocratis* filio, & ex Pæti ad Regem Artaxerxem data epistola evidenter colliguntur, & latius in citato *Meybomio* infinitis veterum autoritatibus confirmata quivis legere poterit.

Hippocratis magni genealogia.

In ludit. operum cap. 3. In threnod. cap. 25. Mox. lib. 2. cap. 5.

Orat. ad Athen.

Natus est *Hippocrates*, ut tradit *Istomachus*, primò anno Olympiadis 80. die 27. mensis agriarii, tempore *Esdræ* Prophetæ, & ut alii computant, anno mundi 3520. ante Virginis partum 484. floruit Olymp. 89. ut author est *Eusebius*. A patre & avo medicinæ scientiam didicit; in Philosophia præceptores habuit *Gorgiam Leontinum*, & *Democritum*, summum illum Philosophum ac magum, qui futura multa prædixit; omnium primus corpora secuit, si credimus *Pausaniæ* & *Galeno*; primum etiam omnium in medicina scripsisse refert Strabo, licèt ipse *Hippocrates* Cnidias citet sententias adversus quas scripsit, cujus etiam scholæ auditor fuit & discipulus (si *Mercurialis* conjectura probanda est.) Sed quòd *Straboni* hac parte assentiendum non sit non solum facit illud, quod in præcedenti quæstione dicebamus, *Æsculapium* scilicet omnium primum in medicina scripsisse, sed etiam quòd ipse *Hippocrates* plures alios ante se scripsisse commemorat; nisi dicamus aliorum scripta nullâ ratione aut ordine disposita fuisse, quod de Cnidiis sententiis idem *Hippocrates* declarat: Coætaneos habuit Protagoram sophistam, & Phidiam insignem illum statuarium. Etenim quod ad ejus honores attinet, *Thessaliæ*, *Macedoniæ*, & *Thraciæ* servator dictus fuit, ac felix suæ gloriæ expectator extitit, ut qui majores quàm ullus mortalium honores sibi delatos vivus inspexit, venientem ab Illyricis pestilentiam prædixit, & discipulos ad auxiliandum per urbes dimisit; datis ad Histanum epistolis ad eundem Histanum rescriptis ab Ataxerxe expetitus fuit, ad curandam Persarum pestem; cujus mandata & promissa quàm parvi fecerit, quamque masculum fuerit Coorum ad Ataxerxem responsum, ex ejusdem constat epistolis, ad eumdem Histanum rescriptis. Ab Abderitis ad curandum *Democritum*, qui insaniæ morbo laborare credebatur, accersitus, à quibus honorificentissimè receptus, sic per plateas acclamatus. *Hic est sanitatis pater, hic servator, hic dolorum curator, hic divinæ scientiæ particeps. O Iupiter, servato, adjuvato, medicato!* Quid de Atheniensibus referam, nisi illud Senatûs cons. quod hîc paucis subjiciam.

In l. de Hipp. secta.

In chor.

Initio lib. 1. de vict. ratione.

Lib. 1. de diæta.

Hippo. honores.

S. P. Q. ATHENIENSIS SIC CENSUIT.

VTi semper Græcis utilia præ cunctis elegisse videatur, decentemq; & dignam uti gratiam pro meritis referat Hippocrati, *S. P. Q. Atheniensi visum est, & decrevit, magna sacra, & mysteria Cereris* Hippocratem *docere, & participem facere, quemadmodum* Herculem *Iovis filium, coronaq; aureâ mille aureorum pondo coronari, coronamq; eam magnis Minervæ quinquatribus, pænatheisve, in Gymnico certamine, præcone proclamante publicari; & omnibus Coorum liberis liceat, non secùs ac Atheniensium, Athenis pubertatem agere, & institui, quandoquidem eorum patria talem virum procrearit.* Hippocratem *verò, ut civitatis jure, & victu in Pritaneio toto vitæ tempore donari.* Hoc partim *Soranus*, & *Pætus*, partim etiam *Plinius* attingit, quod & ejusdem *Hipp. epist.* insertum cernere est.

Sor. in Hipp. vi[ta] Pætus in e[pist.] ad A[r]tax. Plin. lib. [...] cap. 37.

Obiit *Hippocrates* apud Larissæos, eodem quo *Democritus* mortuus esse fertur, tempore; quo ætatis anno incertum est, cùm alii 85. alii 90. alii centesimo nono affirment, sicuti alii centesimo quarto: sed ad hunc usque diem monumentum ejus ostendi testatur *Soranus*, inter Girtonem & Larissæam, ubi sepultus fuit: quod tamen rarum est & miraculosius, multo tempore supra illius sepulchrum examen apum fuisse, quod mel conficiebat, quo nutrices infantium oris ulcera, (apostemata dicunt Græci) illinendo certissimè sanabant, ut adhuc mortuus videretur ægritudines debellare, & ex frigidis illius cineribus nova repullulare remedia viderentur, quibus provida natura gratitudinis non oblita hominis ostentaret miracula, cui tantum debebat, ut nec humato jam auxiliatricem desineret virtutem ac operam impendere, & qui tantum profuit humano generi, quamvis extinctus ad morbos propulsandos mortuus esse non crederetur; ac si natura ex ipso sepulchro quasi clamaret, per *Hippocratem* hominibus Deum veram medicinam monstrasse; quod nemo minùs miretur, quàm de *Platone* & *Pindaro Ælianus*, de *Virgilio Phocas Grammaticus*, de *Stesichore* Poëtâ *Plinius* narrant, ipsis in lucem editis examen apum in os consedisse, bombisque suis perstrepuisse eloquentiam, & linguæ facundiam suavitatemque jam tum præsagiendo. *Hippocrati* itaque vitâ functo tumulum Græci posuêre, his versibus pulchrè honestatum, & honorificentissimâ hac inscriptione honoratum authore *Adilo*, quam *Morus* ex Græco sic vertit.

Hipp. quo ætatis anno mortuus.

In illius vi[ta].

Lib. 12. Hist. var. cap. 45. Joc. in virg. vita Plin. lib. 10. c. 29.

> *Thessalus* Hippocrates, *Cous genere hâc jacet urnâ*
> *Phœbi immortalis germine progenitus:*
> *Crebra trophæa tulit morborum, armis Higieiæ*
> *Laudem aptus nullâ sorte; sed arte suam.*

In hunc usque diem Coos die quo natus fuit, vigesimo scilicèt sexto mensis agriarii, illi parentari ait *Soranus*, quòd ex Pannonia & Illyride pestilentem ignem omnia devastantem, & in Græciam proficiscentem, ac serpentem jam, diramque stragem minantem igne depulerit, artisque dexteritate defenderit, prout versus habent.

> *Solers occultas rerum cognoscere causas*
> Hippocrates *sacram sustulit igne luem.*

7. Quantum in hoc, quantum in aliis debellandis morbis profuerit testatur Perdicas Macedonum Rex, quem ex amore erga Philem Alexandri parentis demortui pellicem, graviter decumbentem, & ab aliis pro tabido derelictum pristinæ sanitati mirâ restituit industriâ, ut prolixiùs in illius vita narrat *Soranus*: quod optimè confirmat, admonetque Græcum illud elogium, quod latinè sic sonat. Hippocrates *lumen fuit, & salvavit populorum gentes, & mortuorum fuit raritas in inferno.* Quod Nicomedis, aut Basii distichon, quod est Anthol. Græcæ lib. 1. sic poëticè vertit.

> *Lux hominum* Hippocrates, *populos tutatus, in orco*
> *Fecit ut umbrarum copia rara foret.*

Ob hæc omnia *Athenis* aurea statua illi erecta est, & honores uni *Herculi* decretos, *Hippocrati*, ob ejus merita, universa Græcia impertiebatur, ac in plurimis illius imaginibus capite velato *Hippocratem* ostendebant depictum. Qua tamen de causa operto ac velato capite illum depingerent, cùm multi multa referant, placuit hîc adducere

ducere, siquidem cùm illius prosequimur laudes & honores, Priscorum hujus consuetudinis ratio scire affectantibus aperiatur, quando in perscrutandis quæ ad medicam attinent amœnitatibus laborem hunc suscepimus.

Heroum, & magnorum virorum statuas & imagines velato capite, aut Pileo contectas in paucissimis ostendi solitum apud veteres comperies, sed semper honoris causâ, & ut nobilitatis insigne, quemadmodum *Vlysses* ostendebatur depictus, & Marci etiam Bruti statuis, & numismatis, (ut est apud *Alciatum*) Pileolus addebatur, cum pugionibus duobus, restitutæ libertatis argumento, ipsius maximè operâ & Cassii: sed & *Hippocratis* imago, vel Pilei umbraculo, vel pallio contecto capite exhibebatur, non ut aliqui autumant, propter decorum, quòd calvus esset, nec ob capitis imbecillitatem, ut voluerunt alii, nec, ut excogitarunt aliqui, quòd oporteret principis animæ sedem probè munitam esse; nec, ut quidam dixerunt, ne manuum administratio impediretur, comprehensam circumfluentem vestimenti lasciniam in caput rejiciebat, nec, ut alii indè deduxerunt, scriptorum illius obscuritatem significari, nec ob peregrinationis amorem, ut aliquibus visum est, nec tandem, quod alii arbitrati sunt, ut monstraretur etiam sanitatis tempore, quæ nocent, vitari oportere; quippe aliter detecta capita contra vim algoris & caloris gestare, quod ad valetudinem mirè proficeret, multi consuevêre, ut *Varro* significat; atque ideo Ægyptii, quòd detecta gerant capita, habentur firmiores, ècontra Persæ, quòd mitra, aut pileo utantur, semper debiliores, ut vel levi ictu eorum capita offenderentur, de quo latè *Alex. ab Alex.* Hinc, ait idem author, Hannibal, D. Iulius, & alii summi Duces detecto semper capite, seu sol, seu imber esset, incessêre: Massinissa quoq; Numidiæ Rex, nullo frigore aut imbre adduci potuit ut caput tegeret; quod de *Adriano* & *Severo* Principibus traditur, tantæ firmitatis fuisse, ut sævâ & gelidâ hieme per nives & frigora aperto capite semper incesserint: quare capite contecto voluisse ostendere vitanda fore, quæ nocent, tanquam sanitati sic melius consulatur, præter rationem dici videtur, cùm nudato potius saluti prospiciatur meliùs, & fortius caput reddatur, ut à temporum injuria, consuetudine durius redditum, lædatur minùs, & valentiùs resistat.

Emblem. 150.

Hipp. imago cur cap. velato pingeretur.

Lib. 2. genial. c. 19

Consonum igitur, ac rationi congruum videtur, in tali imaginis *Hippocratis* capitis amictu voluisse Antiquos honorem significare *Hippocrati* debitum, tanquam patriæ, & totius Græciæ servatori, qui illam vastare minitantem pestiferam luem debellavit, ac sustulit; in quo miram ostendit benevolentiam & sedulitatem, & in servandis Græcis diligentiam, dimissis suis per loca discipulis, quibus medendi indicavit normam, quâ omnia vastare properantem fervidam pestem securè abigere possent, quoquo modo medicinâ Græcis traditâ. Quare tanti beneficii memores, ut grato persolverent animo, *Herculis* magni Jovis filii honoribus ut initiaretur decreverunt, & eisdem prosequi Senatûs Consulto stabilitum decretumque est, atque in libertatis signum & honoris, *Hippocratis* insigne inducto capite apparere constitutum; statuis deindè & imaginibus eidem erectis, in quibus honoris causâ tanto debiti viro, illam præcipuè partem duxêre velandam, in qua princeps animus residet, & intelligendi pontificium positum est, & nobilitatis illius argumento, ut pro more doctè attulit *Rhodig.* Quibusdam quippe membris in homine religionem inesse, eaque sanctè observari ac coli debere, multi arbitrati sunt: siquidem in hominis capite tanquam in arce, ubi mens, ac sedes animi creditur esse, quæ pars longè sanctissima est, quòd inde originem sumant sensus, religio, & quoddam numen esse fertur; igitur si quem reverebantur veteres aut honore dignum putabant (quòd hodie moris est) ad omnem occursum caput revelare solebant, existimantes nudo, & detecto capite in exhibendis honoribus esse oportere; verùm si ille, qui tanto prosequebatur honore, eâdem non retribuere formâ visebatur, atque operto manere capite, nec itidem resalutare, magnitudinis ac nobilitatis erat insigne, & privilegium, quo excellentis honoris gradus sibi debitus omnibus innotesceret, vel ob regiam dignitatem, vel ob grande facinus, cujusmodi patriæ liberatoribus, aut libertatis, ut Marco Bruto; & eadem de causa *Hippocrati* factum fuisse credere par est, quod Pileo cælata illius imago ostendebat, de quo more non pauca tetigit citatus *Alex. ab Alex.* De ritu verò nudo aut aperto capite salutandi Deos, ac in sacrificiis id velandi, multa idem author & *Rhodig.* de quibus nuperrimè multa adnotavit perdoctus Societatis alumnus Pater *Martinus de Roa*, eâdem elegantiâ, quâ tantæ familiæ assolent doctissimi facere

Lib. 20. antiq. lecti. cap. 12.

 scrip-

scriptores, in libris quos de die natali sacro & profano modo exhibuit, magno studiorum emolumento: sed hæc de magno *Hippocrate* satis.

De Medicorum immunitatibus & privilegiis.

IUrisperitorum erat potius quàm medici studii medicorum immunitates & privilegia nobis afferre, cùm apud ipsos bonarum artium Professoribus nobilitates & jura ab Imperatoribus & legum latoribus concessa meliùs ac uberiùs extent; sed quod plerumque faciunt, illud potius est, in medicos si aliqua inveniant quæ obtrudere possint opprobria facilè divulgant, & intorquent, à summo fastigio divinam pænè artem dejicere tentantes, iniquo prorsus odio, tanquam si injuriæ capax foret scientia, cujus vel primi parentes non in Regum numero, sed Deorum potius adscripti fuerunt & culti. Cæterum illa quæ in medicorum gratiam & laudem conducibilia fore legunt, subticescunt ac tacent, de quibus si illos interroges, nil aliud sciunt nisi, quòd medici quondam servi fuerint, & mancipia, promuntque statim ex *lib*, 3. *c. Com. de fidei Commiss. & legatis, & lib.* 1. §. 5. *C. sint autem, de Com. servorum manumiss.* Ex quibus & aliis arrogantiæ supercilium erigentes, & barbâ tenus elati, medicos tanquam infimæ plebis abjectam prolem despiciunt, ex illorum depressione & injuria sibi laudem quærentes; illud *Tertulliani* minimè advertentes; *Infirma commendatio est, quæ de alterius destructione fulcitur. Multi enim,* dicebat Seneca, *cùm aliis maledicunt, sibi ipsis convicium faciunt.* Igitur quas si non apud ipsos legimus immunitates & honores medicorum cætui habitos, quæ saltem in nostrorum libris invenimus, medicis ipsis modò offerre curabimus, ut quantum antiquitùs benevolentiæ, gratiæ, & honoris à Rom. præcipuè populo, & illius Impp. acceperint, cognitum modò habeant, ac velut in promptuario servent; ut si à togatis istis vulturibus probris aliquando audiant insectari, ex ipsissimis illorum gladiis, libris inquam habeant, quo ineptas ac lividas illorum objectiones infringere, ac in ipsos retorquere possint; ut publicis scriptis *Ferdinandus Abduensis* juris peritus, sed minus prudens orator, adversus medicinæ & Philosophiæ sectatores irrito fecit conatu, quem *Ioan. Baptistæ Peregrini* Bononiensis medici ferula comprehendit, & non leviter sauciavit.

4. Adversus Marc. cap. 5.

Senecam igitur, cujus censuram tanti faciunt, inprimis audiant. *Sicuti medicina apud ægros usus, apud sanos honor est.* Nec aliter *Gregorius Nissenus* medicinam sapientissimè censuit magno apud homines debere esse in pretio, quòd soleat pro eorum salute cum morte quasi decertare. Et hanc sanè utilitatem, nulli quantumvis ingenti beneficio comparandam, antiqui Imperatores & magni Reges intimiùs perspicientes, tantæ artis professores honoribus & immunitatibus cohonestandos fore decreverunt; ideoque omnium primus *Iulius Cæsar* medicos civitate donavit, annuloque equestri nobilitavit, prout apud *Suetonium* & *Lucianum* legitur. Extat sanè epist. Imp. *Constantini Augusti ad Volusianum lib.* 10. *cod. de excus. munerum tit.* 47. *leg.* 6. cujus initii hæc sunt verba: *Medicos & maximè Archiatros, vel ex Archiatris, Grammaticos professores, & liberalium literarum doctores, unà cum uxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus suis possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civilibus immunes esse præcipimus.* Quare in dicta lege audiendus jam est *Gothofredus. Hinc etiam (ait) vi legum medici milites, aut judicem hospitandum non recipiunt, neque equasiæ, aut camelasiæ oneri sunt additi, nec ad judicium deducuntur, nec eximuntur, vel exhibentur, vel injuriam patiuntur ullam; & si quis eos vexaverit, pœnâ arbitrio judicis plectatur; ac ne ullo modo, vel incuratione, vel institutione præpediantur, publico eos salario Imperatores frui voluere.* Julianus etiam Imp. asserente *Mercuriali*, hanc pro medicis legem promulgavit. *Medicinæ scientiam hominibus salutiferam esse, potens ejus usus attestatur, & ideò hanc cœlo delapsam Philosophi meritò prædicant, siquidem cùm naturæ nostræ imbecillitas, tum morbi quotidie incidentes per hanc corrigantur: itaque nos secundùm justitiæ rationem superioribus Regibus consona observari præcipientes, humanitate nostrâ mandamus vos in reliquis temporibus ab omnibus curialibus ministeriis immunes vivere.* Proindè *Ioan. Molanus ex tit. juris de Comitibus & Archiatris,* rectè concludit, medendi scientiæ artifices tantam civilem dignitatem consecutos, ut Comitibus in privilegiis, & dignitate coæquentur: quod etiam ex oratione funebri Cæsarii per *Gregorium* Theologum dictâ abundè probari ait; tot enim, dicit, erant Comites, quot Archiatrorum ordines, eaque propter dabantur Comitiva primi & secundi ordinis, quod spectavit

Lib. de Clem. cap. 2. lib. de Trinit.

Julius Cæsar medicos annulo equestri, & civitate donavit.

In abdicato.

Lib. 1. de arte gymnast. cap. 1. ex epist. Græcis vari.

In medico diario cap 37. num. 14.

ctavit lex *Honorii, & Theodosii ad Monachium*, quæ est prædicto *tit.* 52. *de profess. & medicis*: de quibus, ne multùm immoremur, legendus ex nostris *Io. Talentonius*, ubi hæc & plura recensentur, & *Cassidorus*, qui formam apud veteres Imperatores constituendi, & eligendi Archiatri scripsit. *Dicebant* (inquit) *Archiatro, indulge nostro palatio, habeto fiduciam ingrediendi, fas est tibi nos fatigare jejuniis, fas est contrà nostrum sentire desiderium.* Quid igitur mirandum quòd tantam dignitatem *Claudius Galenus* sub *Commodo* sit consecutus, ut qui Romæ statuâ positâ immortalitate donatus fuerit: auxit & post Commodum Severus Medicorum præmia, annonas eis ex publico addens, & qui post Augustum secuti sunt Imperatores quàm plurima Medicis tribuerunt beneficia & privilegia; idq; justissima de causa se facere professi sunt, & in multis Codicis titulis liberalitatis illorũ extant monumenta, ut *de studiis liberalibus urbis Romæ, & Constantinopolitanæ, de professoribus, & Medicis, de Comitibus & Archiatris*, ut jam audivimus. *Lex etiam* 9. & 10. *ejusdem tituli, & lex unica lib.* 12. *ejusdem codicis titulo de Comitibus, & Archiatris sacri Palatii lex* 8. *titul. de metatis, lex. ultima lib.* 3. *tit. de inoff. testamentis.*

Lib. 1. Thesauri cap. 7. & 9. Cass. lib. 6. epist. cap. 19.

Galeno statua Romæ erecta. Medicis annonæ ex publico Romæ addita.

Felicia tempora in quibus ita artium Professores condigna merebantur præmia & honores! Erat tunc chara & æstimabilis vita, hanc curabant magis, quàm furtum & rapinas, modò verò omnia in pejus devoluta, non nisi auro intabescimus, & sacrâ illius fame infamiter disperitur, & de vitâ, cujus amore talia perpetrantur, nemo cogitat; hanc avarus, hanc ambitiosus circumforaneo tradit, & empyrico nebuloni, ubi & pœnas luit, & finem cupiditatis suæ invenit. Hi jam dudum in medicinam non irrepserunt tantùm, sed eandem rapuerunt, sic forsan permittente Deo, ut multorum castiget impudicos mores, vivendi reprimat audaciam, & illorum sint veluti flagellum quo tanta illorum vapulet inscientia. Sed istis omnibus, & quibuscumque aliis Agyrtis, qui de humano corio ludentes, & imprudentum ignorantiâ patrocinati dolosè ac furtim sese in Medicorum cœtũ audacter injecerunt, ac velut larvati Histriones, quod non sunt repræsentant, & quod non habent damnoso vitæ stellionatu incautis vendere præsumunt; iis, inquam, prædicta privilegia & honores nec instituta fuerunt, nec illis frui debent; sed legitimis medicis, & qui in liberalibus Universitatum studiis scientiam & gradum sunt adepti, tantùm concessa sunt, & ordinata, minimè verò illis qui dentium solummodò evulsionem peragunt, nec herbariis, aut castratoribus de quibus omnibus an medici nomine sint digni disceptant jurisperiti, in Comment. *circa leg.* 1. *§ medicos ff. de variarum. & extr. cogn.* & immeritò dubitat *Vlpianus* in dicta lege, ut quæstione 2. circà finem jam adnotavimus, quia prædicti omnes in latissimo significato tantummodò medici appellandi sunt, ut de coquo, mulario, balneatore, cadaverum pollinctoribus, & adhuc de topiariis, florum & plantarum, hortorumque curatoribus aliquandò profertur; sed horum nullis minori jure quàm idiotis & garrulis empyricis, qui tam ignorantes, quàm audaces hominum animas negotiantur, quorum jam hodiè infinitus est numerus; nam

Medici nomen latissimè accommodatur.

Fingit se medicum, quisquis idiota profanus,
Iudæus, monachus, histrio, rasor, anus.

QUÆSTIO QUINTA.

Barbam cur Medici nutriant?

De pilis multa ac varia, nec scitu indigna, apud medicinæ authores extant problemata, de illorum ortu, defectu, situ, canitie, calvitie, decidentiâ, magnitudine, figurâ, & plura alia, de quibus agere modò instituti nostri non est; siquidem minùs protrita, nec à multis conculcata scribere prosequimur. Inprimis igitur notandum, apud veteres comam nutrire in pretio fuisse, atque hoc non ornamenti tantummodò causâ, imò nobilitatis, arrogantiæ, & severitatis quodammodò extabat insigne; non antiquis modò, sed nostris utique temporibus, hoc plures observant nationes, & inter milites, & proceres præcipuè, tanquam virtutis & roboris additamentum quoddam prolixam ac demissam comam ostentantes, quod *Lucianus* apud Ægyptios, *Athenæus* apud Athenienses maximè nobiles usitatum fuisse scribunt; undè & Galli, quibus hoc maximè familiare, comati dicti sunt, quòd tam viri quàm fæminæ profluentes ac demissos ostentarent capillos; nec non & Spartani, quibus capillorum cultus non arridebat: ex Lycurgi tamen lege militibus hoc jussum, & concessum, quòd hostibus

I.

stibus sic viderentur ferociores & robustiores : quod etiam plerasque alias nationes usitasse author est *Alex. ab Alex.* cùm potisimùm hirsutos & sub alis hircum redolentes homines, tanquam robustiores & ad militiam idoneos expertum sit atque probatum. Vndè *Persius.*

Hinc aliquis de gente hircosâ Centurionem.

Induxit forsan, & probavit divina & miraculosa Samsonis Historia, monstrante & ipsâ non minùs naturâ, quæ non in hominibus solùm, sed in brutis hirsutos, pillosos, comatosque, & jubâ splendidos animantes, robustos, feroces, irâ percitos atque pugnaces, tanquam aliorum animalium victores, domitoresque produxit. Adnotavit *Claudianus.*

In epigram.

Torvus aper, fulvusq; leo coière superbis
Viribus, hic setis sævior, ille jubâ.

Hinc jubâ carentes leones putantur adulterini, crispati ignavi & segnes; verùm prolixiori jubâ ornati, Regii planè, & ferociores. *Martialis.*

O quantum per colla decus, quem spargit honorem
Aurea lunatæ cùm stetit unda jubæ!

8. Epigram.

Nec cognitum hoc tantùm hominibus fuit, sed ipsa quoque bruta roboris cultûsque sui haud ignara, honoris non mediocrem partem in comptis & demissis capillis agnoverunt, à quibus privata marcescunt, & amissum decorem quoad sibi restitutum videant, à grege sese auferunt, ne cæteris ignominiosa appareant ac vilia. Observant Naturales hircos præcisâ barbâ in alienum gregem non abire, equas etiam ut faciliùs ab asinis se iniri patiantur, jubâ & caudâ orbatas reddunt, qui mulorum generationem perrequirunt, ut deposito ornatu minùs superbiant, & asinis similes videantur, sicque illos non aspernentur. Hinc igitur servis apud Græcos comam nutrire denegatum fuisse scribit *Rhodig.* quòd illos minimè deceret cultus, qui Magnorum & Nobilium familiaris erat ac proprius, ne tales superbiæ intumescentia aliquandò invaderet; unde ortum est adagium *Capillus servilis*, de homine quidem vili dictum, & à servis manumittendis tractum, quorum capilli radebantur; unde & comam tondere pro ludificare: quarè *Levitici* 19. sacerdotibus prohibebatur in lege Moysis, quia calva ignominiosa secundùm *Elisæum*, quem pueri ob calvitiem increpabant dicentes: *ascende calve.* Ad quod respiciens *Ovidius*

Lib. 7. cap. 33.

4. Reg. 1 23.

3. de arte.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Quandoquidem stupidorum hominum coma pro ludibrio tonderi apud omnes ferè nationes solita fuit, imò tanquam luctûs & mœroris signum Græcos & Italos barbam & caput radere ad gravem exprimendum dolorem in consanguineorum morte scripsit *Crinitus*; quod quoque Hebræos factitasse advertit *Lira*, & non tacuit *Hierem. Non sepelientur, nec plangentur, & non se incident, neque calvitium fiet pro eis*; repetit Cap. 48. quod ibidem de Moabitarum luctu explicat *Maldonatus*; hodieq; Sarracenos in Africâ sic consuevisse sunt qui affirment, atque lætitia in festivitatem & honorem raso capite deponere existimant. *Quintus Serenus* comatum caput & comptum, honoratum vocavit, cùm de Salamandræ veneno, quod hominem depilet, verba facit.

Cap. 16.

Seu Salamandra potens, nullisq; obnoxia flammis
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

3. Quare & *Galenus* de Medici ornatu agens, Medicum dicebat alopesiam pati, & capillorum defectum non solùm vitium esse præternaturale, sed & turpissimum judicavit; nec hoc tantùm, sed frequentem etiam rasuræ & tonsionis pilorum usum, homines effæminatos ac molles reddere advertit *Lemnius*, quòd spiritus & calorem nativum resolvat & extenuet, magnamque audaciæ & confidentiæ partem in adeundis periculis cordi detrahat. Hæc de capitis ornatu & multò plura adduci poterant, sed & ad barbam descendentes majus aliquid & excellentius habebimus, quod in homine notatu dignum sit, jucundum, atque mirandum, si consideremus occultos affectus, quos in levisimis quarundam partium motibus affixit natura, de quibus plura Physionomicis relinquentes, pauca sed tamen conspicua afferemus; nulla quippe in humano corpore pars est, quam non alicui affectui, ex tacito naturæ motu, agnoverit, atque dicaverit antiquitas: sic caput divinitati, frontem genio, oculos amori, genas pudori, supercilia fastui, pectus consilio, renes libidini, genua misericordiæ, aures imas memoriæ, crines luctui, dextram Majestati, sinistram furacitati, nasum irrisioni; &

6. Epid. Com. 4. tex. 9.

Lib. 4. de occultis cap. 8.

Naturæ occultæ affectiones in partibus multis.

& eisdem hominis mores & affectiones indicari, ut inprimis latam & spatiosam frontem ingenuitatis signum esse; parvam verò atque magnis auriculis adjunctam, brutalem, & asininum indicare hominem, torvam minacem atque ferocem; cùm tamen iræ non leve signum superciliis indiderit, & naso, ciliis & palpebris dubitandi ansam dederit, verecundiam & ruborem maxillis, contemptum, & vilipendium labiis, gravitatem tandem, & majestatem, & honorem, & literarum scientiarumque arrogantiam mento apposuit; quarum qui maximè inflati ac tumidi præsunt, porrectam & extentam, demissisque capillis ornatam barbam Ionico incessu ostentant, ac circumferunt, multùm sibi ex doctrinæ & literarum magnitudine laudis & honoris arrogantes; imò & qui tales haberi volunt, barbâ tenus docti: quod & *Galeni* temporibus usitatum fuisse ipse scripsit, ac senis cujusdam sophistici mores taxat, qui hoc pacto barbâ ad pectus usque promissâ mirè tetricum sese ostentabat. Quod sanè commentum & fallendi studium in plurimis hodiè visitur, fuisseque etiam veterum non pauci Scriptores testantur, apud quos dicteriis, & ridiculis apologis similis irridetu insania, vesanaque ostentatio taxatur. Hinc *Plautus*.

Lib. 1. de pul. diff. cap. 3.

In pseudol.

Heus tu, qui cum Hircinâ adstas barbâ,
Responde, quod rogo.

Affert in bisulcis *Aldrovandus* epigramma Græcum, cui certè non parùm salis.

Si perlonga facit sapientem barba, quid obstat,
Barbatus possit quin caper esse Plato?

Unde in eunucho *Bagoas* ait; *si Philosophos oportet ex barba metiri, hircos primam laudem habituros.* Rectè quidem *Owenus* in indoctum quendam Doctorem.

In Epigram.

Artis nuper eras imberbis inersq; magister,
Barbatus nunc es Doctor, inersq; magis.

4. Ab hoc non multùm abludit proverbium: *Simia barbata*. De quo *Plinius* junior, quòd quidam contumeliæ gratiâ Stoicorum simia dictus, qui barbâ potissimùm & pallio Stoicum præ se ferebat: sic apud *Gellium* perdocto, ac sapienti Favorino cùm quidam commendaret, ut Philosophum audiendi experiundique causâ adiret, accedens, & hominis stupiditatem admiratus, *pallium* (inquit) *& barbam vidi, Philosophum autem non vidi;* sic irridebantur, qui præter pallium & barbam, sophistæ erant potiùs quàm Philosophi; talem quippe jocando *Lucianus profundam barbam* dixit; allusit quoque *Horatius:*

In Epist.

——— *Iussit sapientem pascere barbam.*

De quibus olim *Cassius* dicebat: *pallium & barbam video, at medicum non video;* quibus, si spatiosam vestem, si cultum, ornatum, & annulum detrahas, idem quod Cumano Leoni accidet, qui pelle suâ nudatus, apparuit asinus. Extat sanè elegans apologus vulpis hircum, qui in puteum descenderat, sic incusantis: *Hirce, si tibi tantùm sensûs in mente, quantum est setarum in mento, non prius in puteum descenderes, quàm de reditu cogitâsses.* Hoc autem modo Philosophos insectabatur *Lucianus*, cùm diceret eos in sectas divisos ac variis rationum labyrinthis excogitatis, alios seseStoicos appellare, Academicos alios, alios Epicuræos, alios Peripateticos, aliisque item vocabulis his multò magis ridiculis: deindè ubi venerandum illud virtutis nomen induerint, tunc adductis in altum superciliis promissâque barbâ, fucato habitu obambulare, detestandos mores secum circumferentes, simillimos nimirùm tragœdiarum histrionibus, quibus si personas, stolamque illam auro sparsam detraxeris, quod superest id ridiculum est; nempe homunculus septem denariis ad agonem conductus. Nec aliter *Epictetus* apud *Gellium* eos dicebat, qui barbâ & pallio verbisque magnificis Philosophos agebant, factis procul, verbis tenùs Philosophos esse. Hinc Demonas Philosophus referente *Erasmo lib. 8. apoph.* percunctanti cuidam quam Philosophiæ sectam potissimùm amplecteretur? Quis, inquit, tibi indicavit me esse Philosophum? mox vehementer ridens abiit. Interrogatus, quid rideret? An non ridiculum, ait, si tu me ex barba tantùm judicas Philosophum, ipse barbam non habens?

In extrem. caro. Menipp.

5. S. Hæc licèt sint joci & salis plena dicteria, barbæ tamen promissæ cultus & ornatus urbanitatis, gravitatis, atque modestiæ nescio quid homini adducit, præterquam quod illum sic constituat, gratiamque & sui cultum cæteris ingerat, ac veluti sapientem prodat; vel saltem à veteribus tractâ consuetudine, ut literatorum foret ornatus, quo ita sese aliis commendarent veluti sapientes, & inprimis modestos, tanquam qui sic gererent, nil turpe & indecorum commissuros, imò

ut eloquentes & doctos apud cæteros habitos fuisse docuit experientia. Sanè *Lucianus* Æsculapium Apollini patri introducit sic loquentem: *Ne vereare, quòd imberbis concionem habeas, cùm habeas filium tam ingentis ac prolixæ barbæ Æsculapium. Plutarchus in Laconicis* quemdam ait senem interrogatum, quare gestaret sylvosam ac promissam barbam? respondisse; *ut pilos aspiciens nil indignum illis committam.* Sic Vitoldū Lituaniæ ducem, author est *Æneas Silvius*, populares suos edicto tondêre jubentem, sibi tanquam majestatis insigne barbam intonsam retinuisse. Cæterùm licèt Philosophis & literarum cultoribus commune hoc fuerit, apud Medicos tamen præcipua viguit consuetudo, quibus mos semper fuit hujusmodi barbæ ostentare cultum, tanquam arrogantiæ medicæ superbientis signum, cui complures scientiæ, & omnium ferè encyclopædia deberetur; nec minùs etiam ambitioso licèt vano hoc ornatu jactabundi, in quorum manibus & arte hominum volveretur salus & vita, quæ auro & argento omni æstimabilior, prudenti, modesto, doctoque viro committenda foret, atque tradenda illius cura, & regendæ sanitatis clavus: vel potius dicamus, quòd tanquam *Æsculapii* filii & genuina proles, ipsum imitantes Deum, quem barbatum satis antiqui depingebant, sic in propatulum sese ostentare voluerint, similes nempè scientiæ inventori, jam pro numine culto & venerato, Apollinisque filio; quem tandem Poëtica Theologia licèt imberbem fecerit, filium tamen *Æsculapium* ideò barbatum finxit, ut in medico multarum rerum usum & notitiam requiri demonstraret, sic attestante *Val. Max.* quousque tandem Dionysio Siculo consimilis aliquis, si non Tyrannus, justi æquique amator adveniat, qui vitæ hominum misertus, nebulones & pseudomedicos toto orbe vagantes, qui medicinæ sacrarium polluerunt, & artem duxerunt in rapinam, fraudulentos & agyrtas omnes, si non ex barba, ex barbarie agnoscens, evellat, extirpet, atque pessumdet.

Medicis quare præcipuè barbæ cultus & ornatus deberetur.

Lib. 1. Cap. 2.

QUÆSTIO SEXTA.

Gestandi annuli mos apud Medicos unde originem habuerit?

SEd quoniam topiarii in suavissimis medicinæ hortis fragrantissimos conserimus flores, ex quibus à gravioribus studiis lasi crispatos ac suaviter olentes componant flosculos quorum pergratâ aspiratione recreatus animus novos assumere possit conatus; fuerit non indelectabile aut injucundum, cùm ex medicis non rarò audias sciscitantes, unde apud ipsos gestandi annuli invaluerit consuetudo; nunc inquirere siquidem fulgentissimis gemmis, grandibusque ac nitidissimis lapidibus auro perpolitè inclusis, orbiculatos ac digitis insertos porrigere annulos, ad ostentationem usque medica jactat vanitas, & inanis non rarò ostentat arrogantia, ceu medicæ facultatis superba insignia: propterea hos *Aristoph.* joco vocabat σφραγιδονυχαργοκομήτας, quòd digitos usque ad ungulas annulis onerarent, quandoquidem apud plures his magis, quàm *Hippocratis* aut *Galeni* doctrinâ probè scitâ scientiæ constat nixus: quod nostris utiq; temporibus videtur aliquantulum à Medicis recessisse, ab *Andreâ Lacuno*, *Fransisco Quevedo*, & aliis fortassis obmurmurato hujusmodi pseudomedicorum fastu, qui annulo, pallio, barbâ, chirothecis, & si quæ sunt insignium supellectilia alia, miserum magis ac incautum decipiunt populum, quàm medicâ ope morbos propulsent: quod tandem diligens in omnibus *Hipp.* pulchrâ comparatione irrisit; illius hæc sunt verba. *Omnium profectò artium medicina nobilissima est; verùm propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, eorumq; qui temerè de his judicant, jam omnibus inferior habetur.* Subdit paulò infrà; *Qui quidem personis qui in tragædiis producuntur, similes esse videntur; quemadmodum enim illi formam quidem, habitum, atque personam Histrionis referunt, nec tamen illi ipsi sunt, quorum personam repræsentant; sic etiam medici quidem nomine multi, re autem ipsâ pauci:* namque ut Histrio qui personam Regis induit, minimè tamen Rex est; eodem planè modo quàm plurimi nomine Medici gloriantes, gravi promissâ barbâ, exporrecto annulo, serico amphimallo in procinctu sese utique præbent, quos si tali apparatu exuas, quod ad medicum faciat, invenies nihil. Fuit tamen in omni ævo nebulonum, & impostorum usitata fraus, & dolosa industria, ut quæ in artis usu propter ruditatem & inscitiam deficiunt, nec consequi valent, vafricie suppleant, & ut *Galenus* scribit, quò amabiles populo habean-

In nebulis.

præfat. in Dios. & cap. de saphiro.

Lib. de lege.

beantur, & se dignos esse persuadeant, pretioso vestitu, annulorum apparatu & argenteâ supellectile ornati, magno subsequentium numero stipati, solùm ægris adulari satagunt, Principes domum reducere, divites per urbem comitari, conantes his artibus hominum gratiam inire, apud Potentes plurimùm posse, illorumque authoritate ac exemplo pro artificibus haberi; quod cùm non possint sperare ex his quæ in propria professione essent consecuti, nec ingenii solertiâ assequi, technis contendunt; in hunc finem assumunt annulorum ornatum, & plura alia, quæ ad artem medicam nil conferunt, cùm fastu quodam tantummodo gerantur: fraus certè ab aliis aliarum scientiarum professoribus usitata, teste præsertim Satyrico, qui de Causidicis.

—— Purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina.

Propterea rectè *Erasmus* hos similes esse dicebat circumforaneis, qui dum in medio foro prostant, exoticum aliquod animal ostentant, ut populum advocent, aut facetis jocosisque dicteriis convocant; *Ex quo enim eorum numerus, qui sapientes videri potiùs, quàm esse volunt, non solùm in medicina, verùm in aliis etiam artibus, major esse cœpit, neglecta sunt quæ in disciplinis erant pulcherrima; dataq; est opera ut ea dicantur & fiant, quibus vulgi gratiam ineant, & ab eis approbentur.*

In apopht. 68.

3. Hæc *Galenus* citatus appositè sanè & breviter; siquidem horum ignorantiam & supplantandi artem optimè adnotavit, ac potiùs irridet *Franciscus Iuretus lib. 3. epist. 39, ad Symmachum*, dum de arrogantibus his sciolis loquitur. *Videas*, inquit, *quantoperè incessûs gravitate, annulorum ostentatione, & vestium fastu ignorantiam suam tegere satagant; quod ut fateantur, tam longè abest, ut & vadimonium deserere magis æstiment.* Hoc certè est quod jam dudum deplorabat *Marcellus Illustris*: *Ubi delectus non est personarum, sed eodem modo bonus malusq; habetur, disciplinæ & sectæ observatio perit.* Detestandum quippe ad tam difficilem, & pænè inaccessibilem artem exercendam tot accingi scurras & monstra, tot asinos ipsâ ruditate rudiores, ne quidem literis tinctos, nescio quo experimento confisos, nisi ipsissimâ vulgi ignorantiâ illorum applausu magis probatâ; ut mirum jam non sit, expirante quodammodò Æsculapiorum stirpe, penes quam dumtaxat rationalis medicinæ thesaurus erat, & oraculorum *Hippocratis* sincerior intellectus, divulsam laceramque cæspitasse, & situ obductam fuisse artem medicam. Quis jam cum *D. Ambrosio* non exclamet? *O mercator sæculi, comparator inferni, cur in fraudem & deceptionem convertis naturæ industriam?* Sed cum larvis luctor. De horum fortè numero fuit medicus ille, quem cùm apud vulgus multùm commendari, & laudari maximè audiret Favorinus, eumque reperisset prorsùs ignarum, & medicæ disciplinæ longè inferiorem, quàm ab aliis prædicari audierat, tamen holosericâ veste indutum, pallio, barbâ, rubroque pileo satis comptum, ad alios rediens; *Pallium* (inquit) *& barbam vidi, medicum autem non vidi.* Consimilis apud *Gellium* Attici Herodis cum alio, habitu & amictu Philosophi nomen mentiente, ridicula est historia. Quippè iis rectè adaptantur versus.

Lib. 9. attic. cap. 2.

Non laurus vatem, sed laurum vates honestat,
Plures laurigeros, paucos est cernere Phœbos.

4. Hanc ceu communem orbis infelicitatem, & nebulonum vafritiem jam dudum *Plinius* adnotavit, nec sine dolore planxit. *Verùm hercle, in hac sola scientiarum evenit, ut cuicumque medicum se professo credatur statim; cùm sit periculum in nullo mendacio majus &c.* Mittamus hæc, quorum remedio nec locus, nec spes ulla videtur; caveat sibi unusquisque, alieno malo sapiat: consimiles feras, & hominum pestes, nostra etiam fert ætas, & non fert modò sed alit; pullulant enim, & repullulant quotidiè in civitatibus ac compitis totius sortis homines, qui non nugis tantùm & falsis promissionibus vulgus irretiunt, sed ad necem usque perdunt & occidunt; clamitent licèt *Lacuna*, *Mindererus*, *à Castro*, *Freitagius*, & tota insuper Apollinis familia; si quidem Archiatri ipsi qui Dogmaticorum & Empyricorum scientiam expendunt, ac tentant, sic permittunt & hos vitæ hominum osores, & carnifices, levi acceptâ pecuniolâ per urbes sinunt evagari; imò & magistratui assistentes de hac re parùm sollicitì eosdem fovent potiùs quàm plectunt, nec tam truci malo obviando consilium quærunt; quin potiùs salutem non rarò suam istorum votis committunt, doctiorum interim spreto consilio, cùm videant se ab illis, (qui nil aliud sciunt)

Lib. 29. cap. 1.

sciunt) magis adulari & blandiri, appetitis annui, voluptatibus inserviri; vicissimque pro illorum captandâ gratiâ, adulando potiùs quàm curando, medici gravitatem & authoritatem deponentes, *Hippocratis*, & *Asclepiadis* veros se præbent Antipodas, & infelices fiunt scurræ; pro quibus, si placet, illud parùm cauti reportant, ut in illorum manibus non rarò pœnas luant, de quo apud *Hildanum* celebris est historia. Optimè quidem adnotavit *Lupeus*, indoctos medicos perclaros fieri, qui gratiam invenerunt apud summos magnates; sed habent similes sua labra lactucas, & boves Ciprii suam merendam, siquidem cum imperitis major plerumque intercedit sympathia. Essent felicissimæ artes, si de illis solùm artifices judicarent; sed ô tempora, ô mores! prodeunt quotidiè non solùm execrandæ empyricorum sectæ, subreptitii, ac supposititii nebulones; sed bullati Doctores ad præmia, & honores evecti, & in nescio quibus Academiis velut extemplò Doctoratûs gradum consequuntur, peractis cæremoniis, non examinatis studiis, cathedram ascendunt, &

5. cuncta jam ex alto despicientes, confusum quidpiam murmurant; tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant chirothecæ, & nescio quæ insignia humeris, & capiti imprimuntur: hymno dicto descendit sapiens, qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec *Ovidio* cognita! Tumet ille statim, stupet vulgus, plaudunt affines, qui nil aliud quàm asinum, quem adduxerunt, deportant, Cumano illo indoctiorem, qui chartas vix involvere novit; quem tandem si in medicinis consulas, reperies hunc tot *Decipe* dare quot *Recipe*, mortemque veriùs accire posse quàm valetudinem. Enatum ex hoc proverbium, quod licèt apud Germanos, Hispanis etiam nunc quadrat: *Nos accipimus pecuniam, & mittimus asinos in Hispaniam*: non advertentes illud,

Qui fuit hîc asinus, non erit illic equus.

Pulchra sanè legatio ac aurita, sed dudum agnita, doctorales titulos auro coëmptos secum vehentium: etenim ego talium promotor non fuerim; qui enim in tam gravi negotio, ubi de hominum salute agitur, indignos promovet, reus est omnium errorum, noxarum, ac criminum ab illis per inscitiam patratorum, quin & violator privilegiorum ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Ducibus Academicis concessorum. Hæc cùm aspiceret *Euritius Cordus* medicus & poëta celeberrimus, non immeritò, nec citrà salem, asinam introduxit suum ex collegio medico expulsorem sic alloquentem.

Non me tam duro miserandam verbere cæde,
Quin condiscipulam da residere tuam.
Hanc venio auditum, quam vos hîc discitis artem,
Huic operam studio nunc dabo vestra comes;
Tot siquidem video medicina beavit asellos,
Mutabit sortem forsan & illa meam.

Sed de hoc pluribus jam in nostra reprehensione medicâ.

Ad pensum igitur redeuntes, vanitatis humanæ industriæ inter supellectilia & eximios ornatus, annulorum fuit usus, ubi in parva quantitate & facillimè inæstimabile gestatur pretium, cùm civitatis aliquandò digito sine aliquo feratur impedimento; majoris non rarò emolumenti ob raras & eximias virtutes in lapidibus &

6. gemmis inclusas: & sanè illustriorum gemmarum sexdecim annumerat *Cardanus*. Hæ sunt Adamas, Asteria, Onyx, Sardonyx, Iaspis, Achates, Smaragdus, Beryllus, Prasius, Topasius, Chrysopasus, Chrysolitus, Hyacinthus, Sarda, Carbunculus, Pyropus, & Amethystus; de quibus omnibus disserens ineptias nostras jure miseratur *Tertullianus lib. de hab. muliebri*, in hæc verba prorumpens; *Sed & lapillos istos, qui cum auro superbiam jungunt, quid aliud interpreter, quàm lapillos & calculos ejusdem terræ minutalia? nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis necessaria: solum nunc mulierum stuporem ædificare noverunt; quia tardè teruntur ut niteant, subdolè substruuntur ut floreant, anxiè forantur ut pendeant, & auro lenocinium mutuum præstant.* Illorum vires & mirandas virtutes prosequitur idem *Cardanus* veris multa miscens fabulosa, in subtilitatum præcipuè libris, quorum non pauca facetè & acutè insequitur & taxat *Scaliger*; cujusmodi, vitæ longitudini favere, incolumitati, sapientiæ, divitiis, amori, divinationi, robori, bonæ fortunæ, infelicitatique gemmas facere; ut de Hyacintho, qui à fulmine tutos reddat, & sic de aliis alia admi-

Gemmæ illustriores quæ.

Cap. 18. denom var. riet.

Exercit. lib. 16.

Gemmarum virtutes fabulosæ.

miranda, non tamen credenda magis, quàm de Gygis Lydorum Regis, Midæ annulo fabulosa & ipse censet *Plato*, qui ab ipso Rege gestatus quoties gemmam ad volam verteret, reddebatur invisibilis, econtrà ad assistentes conversâ, conspicuus apparebat; quo sanè commento regnum ex stupro adeptum esse fabulantur. Verius aliquantulùm & credendum magis, quod de Nonio Senatore scribit *Plinius*, gemmam habuisse viginti millib. sext. taxatam: alias etiam incredibilis pretii, & raræ sculpturæ cum characteribus & figuris gemmas fuisse affert *Alexander ab Alexandro*; inter quas majoris admirationis censebitur illa Pyrrhi, in qua Apollo & Musæ cum suis insignibus non efficta, sed nativâ specie visebantur, de quâ sic cecinit *Marbodius*.

Dialogo 2. de rep.

Lib. 37. cap. 6.

Rex Pyrrhus digito gessisse fertur Achatem,
Cujus plena novem signabat pagina Musas,
Et stans in medio citharam tangebat Apollo,
Naturæ non artis opus, mirabile dictu.

Monstrificas & planè explodendas gemmarum vires transcribere modò non libet, quæ non minùs superstitiosa, quàm vana de Topasio, Achate, Hyacintho, & sexcentis aliis, tanquam deliramenta & aniles fabulas tradunt authores; inter quos sunt *Albertus*, *Theophrastus*, *Orus*, *Montuus*, & citati alii; quorum tamen plurima ut futilia reprobat *Sanctorius*, & ad trutinam examinat *Ansel. Boëtius* in pulchro de lapidibus & gemmis edito opere: de physicis etiam annulis dicere supersedimus, de quibus *Rhodiginus* abundè & *Langius*. Cæterùm licèt superstitionis & mendacii plena multa referant scriptores, non omninò tamen contemnenda, quæ rerum usu & magistrâ experientiâ approbârunt doctissimi viri; sic Granatus aëri venenato resistit, & cordi est amicus, Smaragdus cerebro, Saphirus hepati, Coralus ventriculo; Hyacinthus lætitiam conciliare creditur, Topasium theriacæ præfert *Serapio*, Agatem insuper & margaritas adversus pestem valere scribunt; Adamas (si *Plinio* credimus) venena irrita facit. Horum igitur pleraque si annulis gestentur, aut pectori apponantur è regione cordis, ore contineantur, vel quod utilius est, cibariis si in tenuissimum pulverem trita misceantur, miras prædicant habere vires, quas ulteriùs enarrare modò destitimus; dicta obiter tetigisse sat est, licèt ab instituto videantur aliena, cùm ex Neotericis non desint severi ac rigidi supercilii authores, qui hæc omnia, & alia plurima de gemmis & lapidibus encomia & virtutes irrideant, nec approbent modò: qualiter inter alios faciunt *Sanctor Sanctorius*, & *Guido Patinus* Parisiensis medicus, hujus temporis doctissimi, qui lapidum ac gemmarum vires, & quæ ex ipsis parantur confectiones de Hyacintho, Alcarmes, imò & ipsum quoque Bezaar damnant, ac tanquam noxia à medendi usu longè submovent; quod & multis aliis placuisse in subsequentibus quæst. 67. afferemus. Ulterius non vacat operationis illorum modum inquirere, an per sympathiam, aut antipathiam roborent, venenis resistant, aut aliter naturæ beneficium & alterationem possint recipere ut suas exerant vires, an supernaturales habeant, an illarum figuræ, & impressi characteres aliquid præstare valeant? de quibus *Anselmus Boëtius*, *Scaliger*, *Langius* & *Cardanus*, cum *Mundela* videri possunt: nos verò ad annulorum originem, & quare ad medicorum supellectilia tanquàm insigne venerint, jam properamus.

7. Gemmarum aliquarum vires probata.

Lib. 6. cap. 12.

Tom. 1. Epist. 34.

Lib. 8. cap. 11.

Pat. in notis ad tract. de peste Nicolai Ellain.

8.

Igitur annulorum inventum, primaque initia omnes ferè Prometheo tribuunt, qui cùm Jovi Parcarum sortem de Thetidis filio patefecisset, quem patre illustriorem, amplioremq; futurum cecinerant, ab eo in Caucasi rupe vinculis liberatus, eâ tamen conditione ut annulum lapidibus & ferro compactum gestaret, ne omninò pœnâ videretur exolutus; quæ tamen ipse *Plinius* credidit fabulosa, cùm similibus aliis mendaciis non rarò fidem præstet: probabilius quippe est, non unius, sed multorum fuisse inventum, temporibus atque locis diversis excogitatum. Nec hac parte audiendus *Plinius*, qui ante bellum Troianum annulorum nullum usum fuisse tradit, quòd *Homerus* in illius descriptione illorum nullam faciat mentionem, cùm tamen manilia & armillas referat; antiquiorem quippe extitisse ex sacra pagina constat, in cujus *Genesi* legitur Pharaonem ob somnii interpretationem Josepho inter alia quæ donavit, proprium sibi annulum evulsisse, digitoque illius inseruisse; Judas quoque à Thamare nuru deceptus, pignoris loco annulum, armillam & baculum eidem tradidisse, eodem loco scribitur: quod de *Plinio* minùs subit mirari, qui cùm sacram non legisset paginam, mirandum non est, quòd annulorum usum bello Troiano antiquiorem non fecerit.

Lib. 33. cap. 1.

Cap. 41.

Gen. 38.

fecerit.

fecerit. Sed populum Romanum sine annulis multo tempore fuisse, atque apud alias gentes multò prius illorum usû extitisse comperimus; initio quippe Rom. Pop. in duabus tantùm Regum statuis compertos fuisse annulos, Numæ, & S. Tullii ostenderunt, ac Regibus primùm concessum, Legatis mox, qui ad exteros mittebantur, honoris & authoritatis causâ, ex publico Gazophilacio annulos aureos ferre permissum, cùm domi non nisi ferreos gestarent; tam rarus erat tunc auri & argenteæ supellectilis ûsus, ut Fabricius Romanus Imperatores plus quàm unam ex argento pateram habere vetuerit, & Philippum magni Alexandri patrem unicam tantùm ex auro phialam habuisse, quam noctu sub pulvinari celare solitus esset, refert *Athenæus*; cùm tamen post Cræsi, & Massanissæ tempora, in tota Europa argenti & auri tanta invaluerit copia & usus, ut nihil in conviviis magnificentius, quàm pleno se auro proluere; & Poppea Neronis conjux jumentis aureas soleas induerit, tricliniaque & hostiarum cornua fulgentibus auri laminis compingi fecerit: 9. Primum itaque apud Lacedæmonios ferreos fuisse legimus, apud quos consuetudo erat eos ad sponsas, ceremoniæ cujusdam ritu, sponsatos mittere, amabilis fortassis captivitatis pignora tribuentes, atque digito minimo proximo solemni nuptiarum die indebant, pervulgatâ opinione arbitrati quandam ex eo venam tenuissimam ad ima usque cordis penetrare, atque ideò tali digito, velut amoris pignus, annulum inserebant, ut is in summo honore foret, & mutuus amor ad cordis usque intima transiliret; ac propterea Romani minimo proximo lævæ manûs deferebant, ut scribit *Gellius*, ab Ægyptiorum forsan anatomia instituti, qui docebant, nervulum vel arteriam ex hoc digito ad cor pertingere, per quem gemmarum ἀπόῤῥοια ad cor penetraret: ideoque Ægyptiorum Sacerdotes circa Deorum aras hunc digitum confectis odoribus illinebant, & ex medicis *Cartagena* pestis etiam tempore eundem & Alexipharmacis inungi, & Saphiro tangi multùm ait conducere: *Lemnius* etiam & *Laurentius*, quibus assentitur *Fragoso*, tantum huic tribuunt, ut intumentibus podagricorum artubus plerumque annularem digitum inoffensum permanere observatum sæpius fuisse tradant, & nisi humor in illum decumbat, nullum podagricis fore mortis timorem; quæ tamen ridicula & fabulosa cum multis judicamus, cùm insignes anatomici talem nunquam invenerint arteriam aut nervum; ex antiqua tamen & falsa opinione orta consuetudo, quæ temporum curriculo ad nostra usque pervenit, ut propterea illo digito potius quàm in cæteris gestentur annuli, aut eo certè nomine, quòd sinistræ otio annulus minùs quàm dextræ assiduo usu & exercitio atteratur, quod res ipsa ostendit, & plurimis adductis defendit *Macrobius*, & ex ipso *Henricus Cormannus*; tutissimè enim & ab omni læsione securæ ibi gemmæ gestantur, quod rationi magis consonum videtur, quàm ob fictitium illum nervum, aut arteriam ab Ægyptiis excogitatam, ut optimè reprobat *Anastasius Gremonius*.

Annulus cur digito minimo proximo gestetur.

Lib. 6. cap. 4.

Lib. & cap. 10.

Lib. 2. de nat. mira cap. 11. Lau. lib. 8 cap. 7.

7. Satur. cap. 13. Corm. tract. de annulo.

Lib. 2. animad. cap. 8

Illa itaque apud Romanos annulorum fuerunt primordia: primùm Regibus, Legatis mox, sed luxu posteà accrescente, & aureus annulus equestri dignitati donatus, tanquam insigne illius ordinis equitibus, quo nobilitatis quodam jure & ornarentur, & à cæteris forent distincti & cogniti, evulgatâ prius lege, ut de popularibus nemo, aut infimæ sortis, annulum gestaret aureum, 10. solumque equitibus hoc concessum, quæ inter Patricios & Senatores media habebatur dignitas, quæ tanta erat, ut in cubiculi Imperatoris custodiam vocati fuerint atque electi; quæ quidem authoritas & prærogativa ad medicos quomodò postea accesserit, *Niceus*, *Diom.* afferunt, & *Rhodiginus*: quippe cùm Cæsar Augustus non leviter morbo quodam oppressus ægrotaret, à multisque medicis curatus non convalesceret, accedens tandem *Antonius Musa*, mutatis in frigidum calidis, aut ècontra, ut vult *Brassavola*, illum persanavit; cujus operam gratus Imperator compensare deliberans, ingentibus donationibus non tantùm, sed immunitatibus, & insuper aureo annulo, equestri dignitati solùm permisso, illum cohonestavit, universo etiam medicorum ordini jure concesso; unde ipsi, ut nobilitatis insigni, eo uti cœperunt, & temporum decursu apud omnes protritum & usitatum exindè fuit, ne sua immunitate carerent. Hæc sanè fuit medici annuli origo, licèt multi cogitaverint medicos illum ideò gestare consuevisse, ut nitido ac fulgenti auri & gemmarum colore dejectos ægrotantium animos stabilirent, ac contra melancholiæ insultus delinirent; sic autumavit Hispanorum Poëtarum Pindarus *Gongora* cùm cecinit.

Gestandi annuli Jus unde medici obtinuerint.

Lib. 5. Antiq. lect. cap. 12.

En el dedo de un dotor
Engastado en oro vi
Vn finissimo rubi,
Porque es siempre este color
El antidoto mejor
Contra la melancholia.

Sed licèt hoc consonum videatur, medici annuli certissimam illam fuisse originem dubitandum non est, ut ex antiquissimorum Scriptorum testimoniis patet, ac proindè non soulm apud exteras omnes ferè nationes, sed & apud Hispanos talis gestandi annuli viget consuetudo, in quorum præcipuè Universitatibus, qui ad Doctoratûs gradum ascendunt, mercede & Regum privilegio, aurato calcari & aureo donantur annulo, in hoc & libertatem, & nobilitatem quam accipiunt significantes, quorum insigne semper extitit annulus, ut patet apud *I. C. Papinianum & Marcianum in digest. tit. de jure annulorum*; nec tacuit *Plinius*, de quibus etiam illorumque jure & nobilitate *Asconius Pedianus*, & *Alexander ab Alexandro* videri possunt. Itaque vt jam finiamus, hæc fuit origo, & causa nunc est, quòd hujusmodi ornatu inflati pompam adhuc hodie ostentent, quo authoritatem & famam affectant, quam cùm literis acquirere non possint, incautum vulgus, quod non nisi de externis judicat, decipiunt ac fallunt, cùm videant pignora illos gestare aurea, quæ magis illorum, quos neci dederunt, trophæa sunt & spolia, quàm rectæ curationis & salutaris operæ præmia, quos tandem ideò satis mulctatos arguunt *Quevedo*, *Lacuna*, *Petrarcha* & alii.

Lib. 33. Cap. 1.
Lib. 2. genial. cap. 19.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Aristophanis *in Pluto amovetur calumnia, ostenditurq; Virgilium nequaquam fuisse in Medicinam injurium dum ipsam mutam appellavit & ingloriam.*

PRæcedentibus quæstionibus nitidissimam medicinæ faciem deteximus, beneficam in humanum genus illius naturam ostendimus, jurisperitorum quoque calumnias & argumenta evicimus; sed quoniam ex Philosophorum & Poëtarum licentiosa dicacitate nescio quæ aliqui spicula & sentes adhuc colligunt, quibus pulcherrimum illius vultum iterùm defœdare conantur; tantum ipsius splendorem rursus ab his nævis detergere jam properamus, ut deinceps petulantium linguæ, quæ nil aliud quàm virus & nigram fuliginem evomere sciunt, omnibus undique armis confractis conticescant, & probrósas contentiones victi in laudes, velint nolint, nobiscum commutare cogantur. Primo igitur ad Poëtas facto gradu descendamus, qui ab Homerica gravitate discedentes, ex suâ, quam sibi assumpserunt licentiâ, non Poëticas tantummodò transcendunt regulas, sed contra omnem dicendi modestiam suo incalescentes dæmone optima quæque proscindere non erubescunt; quippe qui, si scommate aliquo ingenii subtilitatem ostentare præsumunt, ne sales perdant suos, procacissimè vel adversus Jovem loqui non dubitant, omnimodè modestiæ limites transgredientes, ut sæpissimè ad satyras & convitia magis, quàm ad cygnea & altisona loquenda videantur nati: in quorum albo nulli inferior fuit Comicus *Aristophanes*, qui non solùm liberrimus, sed mordacissimus extitit, imò & spurcissimus, utpote qui passim in suis comœdiis mimum introducat excrementis onustum, ut aliis gustanda offerat & propinet, ut in *Pace* & variis aliis in locis visitur. Cum illo igitur primùm agendum nobis est; deinde cum *Virgilio*, quem licèt grandiloquum semper & styli majestate super alios eminentem, nec adversùs Deos aut artes injurium, de medicinæ tamen gloria detraxisse conantur stabilire, qui procaci effrænatâque linguâ, insectandi ac mordendi rabie prurientes, eam non nisi ad obtrectandum, vituperandumque explicare valent, & tam gloriosæ artis excellentiam non desinunt lacerare, inter authorum scripta quærentes asiduè, quam illius Soli opponant umbram.

Asserunt igitur, & medicis obtrudunt *Aristophanem* in comœdia *Pluto*, ubi mulierem

rem Chremili introducit Carionem servum percunctantem, cùm audisset illum turpiter, ac secus quàm deceret, de Æsculapio loquentem: *tu ergo dicis rusticum esse Deum?* Et respondentem mox, se non rusticum, sed *scatophagon*, id est, merdivoracem Æsculapium appellare. Ex quo loco colligunt, quàm malè & spurcissimè poëta de medicina sentiret, prædictumque scomma in medicos contorquent: quibus tandem modò satisfaciendum est; ut discant quo sensu ab *Aristophane* illud prolatum fuerit, nec adversus medicinam aut medicos contumeliosum fuisse ostendemus, ne deinceps ex hoc loco medicis quidpiam ignominiosum objicere imaginentur. Atque inprimis *Talentonio* superfluum censemus quod *Aristophanem* & illius dictum parvi faciendum dixerit, tamquam impium & scelestum, qui de illo Deo ita turpiter loqueretur, nec ejusdem pertremisceret iram cùm præsertim, ut *Plato* scribit, cavendum, ne quid in Deum aut verbo, aut opere peccemus; & eodem rursus asserente prudentes esse & justos, qui scirent quæ erga Deum & homines agere atque dicere deceat: hoc, inquam, parum medicos & medicinam à petulanti *Aristophanis* dicacitate videtur excusare, cùm gentiles Deorum suorum tanti observatores non extiterint quin aliquando furtis & rapinis, & loquaci denique procacitate, omni deposito metu & reverentiâ, respectum & cultum omnem parvi fecerint; quemadmodum innumeris illorum accidit Regibus, ducibus, militibus, Philosophis, quorum nomina collegit *Textor*; imò ipsi Æsculapio auream barbam avellere non dubitaverit Dionysius; quippe qui omnes non æquè benè de Deorum suorum farragine sentirent, nec eâdem, quâ Socrates, mulctâ punirentur statim: quod tamen non est cur multùm miremur, utpote qui parum antea Deorum contubernio receptos illos Deos familiariter, sicut cæteros homines tractaverant, aut alios qui cum illis conversati fuerant audierant, undè pronum erat de illorum Deitate addubitare, in tanta potissimùm Deorum multitudine, ut minùs propterea eos cultu omni revererentur, & in illos quæ non essent effutienda jactarent, quemadmodum idem *Aristophanes* ipsi Jovi facere non erubuit.

1.

Lib. 3 sauri c. Dia og. Mino. Alcibi.

Parte: officina.

Sed demus *Aristophanem* non ideò sic locutum, ut in Deum videretur commotus, sed quia sub medici nomine Æsculapium introducebat: vel enim illum tanquam medicum mordere voluit, vel illius nomine omnes sugillare medicos; sed neutrum voluisse convincam: nam Æsculapii tempore nulla medicina extabat præter chirurgiam ab illo inventam, nec aliam noverunt illius filii Podalirus & Machaon, qui Troiano bello interfuerunt Agamemnonem secuti (si *Homero* & *Virgilio* credimus) ad vulnera curanda conducti; nam antiquiores omnes Medicos chirurgos tantùm fuisse clarè advertit *Mercurialis*, quod in procemio sui operis etiam *Celsus* affirmat, quippe illo tempore nullus potionum erat usus, nec medici aliquod medicamentum ore propinabant, cùm multò post ab *Hippocrate* medicina Clinice dicta fuerit inventa, sic tradente *Plinio*, quæ potionibus & diætâ morbos sanare docuit. Igitur cùm Æsculapii tempore pocula nulla aut pharmaca ægris exhiberentur, ridiculum est credere illum vel ex excrementis, vel ex herbarum succis, aut aliter horridas ac sordidas potiones confecisse, ut propterea tali illum dicterio duxisset onerandum. Quòd si alios medicos carpere voluit, qui fortè jam post Æsculapium intra Deorum numerum recepti inveniebantur, eodem modo rejicitur, quia illi non nisi chirurgiam ab eo edoctam habere potuerunt; nam *Aristophanes*, qui fuit Socratis æmulus, supra *Hippocratis* tempora centum annos paulò minùs degebat, à quo, ut diximus, pharmaca, & potiones in medicinam introducta fuerunt; imò nec tunc nec postea medici stercorum usum admiserunt, notissimum quippe est à medicamentis rejectum fuisse: namque aut illud dixit, vel quòd stercora ipsi assumerent, aut quòd ægris curando exhibere solerent; primum falsum esse patet ex *Galeno*, siquidem ait *detestandum esse stercus humanum, esseq; probrum gravius homini modesto audire scatophagum*; ubi etiam pravos aliquorum hominum alios mores reprehendit, qui phœnecisant, aut lesbiantur; & huic non dissimile sibi videre illum perpetrare, qui menses bibere sustinet, de quorum verborum explicatione legendus *Mercurialis*; ad quam etiam turpitudinem allusisse videtur *Rhodiginus*, dum Lesbios vocat ore infames, & coinquinatos; *Galenus* enim citatus adversus *Xenocratem*, & lib. 1. adversus *Asclepiadem* ait, quòd de stercore, & aliis excrementis scripserint, tanquam si illa fuissent experti, sicuti reprehensus *Commodus* qui cibis stercora commiscebat Nec in medicos illud poterit contorqueri, quòd ægris pro curandis morbis illa exhibeant, quia si hoc ab illis factitari consuevisset,

2.

Medicos antiquiores Chirurgos tantum fuisse.

Medicina clinice ab Hippocrate inventa & quæ sit.

Lib. 1. riarum Cap. 12

Lib. 29. cap. 1.

Io. sim cap. 1.

Lib. 4. riarum cap. 13. Lib. & c. 18. & lil 14. cap.

visset, infirmi potius quàm medici tali appellatione insectandi forent, ut contra *Aristophanis* calumniam attulit *Baptista Peregrinus.* Cæterùm nec ægrotis propinanda esse scribit prædicto loco *Galenus*, cujus contra *Xenocratem* hæc sunt verba: *At potio sudoris aut urinæ, aut mensium mulieris, abominanda: detestandaq; est; atque horum inprimis stercus, quod tamen scribit Xenocrates, si oris, aut gutturis partibus inungatur, & in ventrem devoretur, quòd præstare valeat: scripsit etiam de aurium sordibus; at ego ne has quidem unquam devorare sustineam, ne si in totum quidem morbo deinceps liber degerem, atque his etiam magis abominandum puto stercus.* Quin etiam de sordibus aurium eas nec degustari, nec ægrotis ut degustentur præcipiendum, sed ut turpes fugiendas esse tradit, explicans *Hipp.* sententiam, qui asserebat illas cum dulcescerent, mortiferas esse; medicos enim fuisse qui hoc facere consuevissent refert, & damnat idem; & licèt dicat jubere nos debere illis, qui afficiuntur, ut sudorem suum degustent, ut certiùs internoscatur, non ideò contrarius videtur, quia hoc honestius duxit, cùm, ut ipse ait, aliquando sponte accidat, ut sudorem gustet ægrotans, dum è fronte delabitur in os; quare aliquando veteres medicos sudores in balneis strigili exceptos & aurium sordes degustare consuevisse, quandoquidem ex horum colore & sapore judicium sumi debeat, idem scripsit.

6. Epid. com. 5. text. 19. Lib. 3. de sympt. diff. cap. 5. 4. De sanit. tuen. cap. 4.

3. Poteramus fortè nos ab hac *Aristophanis* mordacitate vendicare cum *Misaldo* & *Langio*, qui ajunt, non in medicos veros, & scientiâ medicinæ decoratos Poëtam hanc conjecisse calumniam, sed in veterinarios potiùs & mulomedicos; quoniam ut 7. *Meth. cap.* 6. refert *Galenus*, factionis Venetæ & Prasinæ sectatores Romæ stercora equorum adorabant, & gustabant, ut illorum temperaturas intelligerent: sed cùm ibi *Aristophanes* Æsculapium introducat, Plutum (quem per divitias ibidem intelligit) curantem oculis captum, nec aliter de mulomedicis ulla mentio fiat, aut de Hippiatris, *Misaldi* & *Langii* evasionem nullo modo admittendam judicamus.

5. De locis ult. & 6. epid. Comt. 5. Misc. cent. 2 mirab. 71. Lang. epist. 11.

Congruentius igitur videtur, quod adduxit *Talentonius*, noluisse Poëtam ita acerbè Æsculapium tractare, sed finxisse à Carione servo, qui Mimum tunc agebat, facetè, & ut risu dignum illud exciperetur, tanquam ab homine imprudentissimo & stultissimo factum, qui nec loci, nec temporis, nec personarum rationem haberet ullam; siquidem dum erat in adyto & templi secretiori parte, ad quam non nisi sacerdotibus patebat aditus, dumque ut Plutum Deus curaret expectabatur, pultem quæ in sacerdotis erat olla, comedit Carion, moxque ventris creptium emisit, ut & Jaso erubesceret, & Panacea sese averteret, ut facit manu nares apprehendendo, quæ ipsius Æsculapii erant filiæ, siquidem ita facere coactæ fuerunt, risu potiùs, & pernæniam & jocum dictum & factum accipiendo: quod fuit Poëtæ judicium, non verò ut Æsculapium contumeliosè lacesseret, quem parum postea eodem actu summè laudat, & illius potentiam admiratur, quòd Plutum oculis captum citò sanaret; est quippe Comicorum Poëtarum mos in scenis & comœdiis suis facetias, & jocositates, licèt aliquando ineptas, tanquam ingenii sales immiscere, ut audientium abblandiantur auribus, & oblectent; *notissima quippe est*, ut *Laërtius* inquit, *veteris comœdiæ licentia, in qua multa scommata jaciuntur & in ipsos Poëtas, & fabularum personas*; imò addit, *tragœdia non dignatur humiles personas attingere.* Proindè narrat *Xenocratem* à *Bione* dictis lacessitum dixisse: *non sum tibi responsurus, neque enim tragœdia, cùm à comœdia taxatur, dignatur eam responso.* Quin & Socrates, *Erasmo* referente, cùm ab eodem *Aristophane* in comœdia, cui titulus *Nebulæ*, multis & acerbis convitiis proscinderetur, & adstantium quidam diceret; & non hæc iniquo fers animo Socrates? *Non per Iovem* (inquit) *ægrè fero, si in theatro perindè ut in magno convivio salibus mordear.* Nam ex similibus facetiis vel in conviviis, vel theatro jactatis commoveri, ut vehementer incivile putandum atque habendum est, ita certè quemadmodum hodie medicis per jocum objicitur versiculus.

Lib. 3. thes. recond. cap. 3.

Lib. 4. cap. 2.

Lib. 3. Apophth.

Stercus & urina medicorum fercula prima.

Aristophani forsitan ita obvenit, quod Æsculapium, qui tanquam medicus illa excrementa aliquando inspiceret, ita morderet, protervè licèt, & nullo habito numini respectu, non quòd medici talia devorent, aut alicui præbeant devoranda.

Si igitur talia medici non præbent, quid est quòd in illos hoc effutiant? ideò certè est, quia ut etiam adnotavit *Erasmus*, in morborum curationibus frequentet urinas

Adagio bos Cyprius.

nas

nas, fœces aliquando, non rarò sudores, sputa & alia hujusmodi excrementa inspicere, & considerare coguntur, ut morborum causas, morbi statum agnoscant, evacuationes an in ægrorum utilitatem eveniant rectè perpendant, ut debita & congrua inde auxilia, pharmaca huic aut illi humori debita propinent; quod jam dudum medicis laboriosum, & fastidii tædiique plenum advertit *Hippocrates*, sed tamen necessarium horrida illa & injucunda aspicere, & ex aliena in felicitate proprias sibi demetere molestias, ut ægris morigerentur, non aliter ac si Regis tyrannive subessent imperio, ut doctè *Duarenus*: quod tantùm abest ut illis vitio verti debeat, aut ut ignominiosum jactari, ut potiùs propterea maximâ laude dignos esse medicos perspicacissimi viri docuerint, inter quos *Seneca*, qui sic admonet: *Hunc affectum adversùs omnes habet sapiens, quem adversùs ægros medicus, quorum nec obscæna, si remedio egent, contrectare, nec reliquias, & effusa intueri dedignatur.* Siquidem id & addiscendi studio, & mox ut aliis auxilio sint facere non dubitant, quemadmodum ex *Rhodig.* Licinio Imperatori, Literatorum omnium inimico maximo, & osori acerrimo, illi *Hippocratem* hac tantum de causa opponentes, quæst. præcedenti attulimus. *Scimus enim* (ait idem) *perfectissimas artium temperantiam, justitiam, prudentiam, non honesta modò expendere, justa item ac utilia, verùm noxia quoque & turpia.* Quod verò citatus *Rhodig.* dicit *Hippocratem* retrimenta degustasse, fabulam judicamus, ut cum *Mercuriali* loquamur. Quid! Nonne Salvator noster Sanctissimus, ut nos à morte vindicaret & orci faucibus eriperet, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem? non igitur homines ut mortem evadant, & charissimâ vitâ, quâ nil nec amabilius, nec optabilius est, fruantur, horribilia aliqua, oculis adversabunda, & ingrata prorsus ferre sustinebunt? quando divina providentia propria cujuscumque animalis excrementa sic disposuit, ut non solùm debito naturæ ordine procedendo salutem ac vitam tueantur, sed non contemnendis quoque auxiliis eadem donaverit, quibus non rarò in ancipiti & desperato casu, efficacium aliorum omninò ignara humana mens, quàm plurimis morbis subvenire novit, & vel miraculi instar, in maximis ægritudinum periculis, Plutonis peculio jam jam annumeratis succurri quotidiè videmus.

[Margin: 4. *Excrementorum inspectio, & consideratio medicis tædiosa, sed necessaria.* — 5. — Lib. de fracturis princip. — Lib. 1. animadver. cap. 54. — Lib. quò in sapient. non. — Lib. 29. cap. 13. — Lib. 15. cap. 10. — 1. aphor. in præfat. — Divus Paul. ad Philipp. cap. 2.]

Utilitates & morborum auxiliatrices virtutes, quæ in excrementis reperiuntur, si velimus numerare, longum aggredimur iter, & impervium prorsus; multa enim hac parte hominibus proficua invenit experientia, majora fortassis & admirabiliora naturæ involucris latent abscondita, & recondito illius sacrario servantur inclusa, quæ hominum industria & assiduus labor nondum potuit adipisci. Non abs re tamen judicandum pauca hîc attingere, ut Creatori summo, cui sic placuit etiam in spurcissimis rebus magna includere, gratiæ referantur ingentes; siquidem in despicatissimis & abjectissimis in hominis commodum & utilitatem mirabilia potentiæ suæ voluit manifestare: hac ratione multa laudat *Galenus* animalium retrimenta, ut interim felles, pinguedines, pelles, exuvias, medullas, & particulas illorum relinquamus. Ita bubulum stercus siccatum & combustum trium cochlearium mensurâ epotum hydropicis auxilium præstare idem author scripsit, apum & vesparum morsus juvat, inflatos ex ventositate tumores discutit: accipitrum cum aliis epotum, fætum extrudit; asininum recens nyctalopes & lusciosos sanat, illius succus in plantaginis aqua expressus, & cum syrupo Myrthino ebibitus omnem sanguinis fluxum compescit, cujus in operando tam certa & prompta est efficacia, scribente *Gainerio*, & omnibus ex *Scribonio* & *Galeno* attestantibus, ut nisi ab ulcere dimanet, nunquam fallat; ejusdem exsiccatus pulvis naribus absorptus hæmorrhagiam sistit extemplò; quas virtutes etiam in suillo inveniri non pauci affirmant: caninum, cujus usum primus docuit *Antonius Musa*, anginis & dysenteriis summum est remedium, à *Galeno* laudatum, quod & pro ulceribus malignis extollit: caprinum ustum sanat alopecias, Psoras, & lichenas, ad aquam intercutem & spleneticos valet, genuum duros tumores, parotides, bubones, viperarum morsus & auriginem curat, coxendices mirè juvat, adhibitâ potissimum Arabicâ dictâ ustione, quæ ad pollicis foveam juxta carpum inuritur, tandem digerentis est facultatis, & acre adeò ut induratis scirrhosis tumoribus, non lienis modò, sed aliarum partium unicè auxilietur; digerit, resolvit, abstergit, quo pacto diuturnis bubonnibus remedio est, ut proprio cap. docuit *Galenus*, & pro dissolvendis tumoribus utitur *Æsius*, & pro ventosis tu-

[Margin: *Excrementa animalium multis medicis viribus pollent.* — *Bubulum.* — De ther. ad Pison. cap. 9. — *Accipitrinum.* — *Asininum.* — Citat lo. ad Piscon. & 1. simpl. & 9. secund. locos. — 4. Secund. locos. — *Caninum.* — *Caprinum.* — 6. Secundum lo. & 10. simpl. — Tetra. 1. serm. 2. cap. 94.]

tumoribus resolvendis mirè laudat *Varignana*; nam stercus caprarum, præsertim in montibus degentium, ex mente *Dioscoridis* in vino potum regium morbum emendat, menses movet cum odoramentis haustum, partum evocat, tritum & lanis cum thure impositum fœminarum profluvia sistit; cæterosque sanguinis impetus ex aceto cohibet, exustum & cum aceto alopesiis medetur, cum osungia verò impositum podagricis auxiliatur, ut latiùs apud *Mathiolum* & *Amatum* videre est, *Gesnerum* & *Aldrovandum*. Ciconiarum stercus epilepticis medetur; *columbarum* coxendici, hemicraniæ, scotomiæ, vertigini, & alias plures utilitates confert; *Crocodilorum* vitiliginem, & lichenas tollit; *felium* ad alopesios valet; *gallinarum* eis, qui ex comestis fungis, & boletis suffocantur, mirè auxiliatur; *leporinum* difficultati anhelitûs, & columelæ vitiis succurrit; *lacertorum* albugines oculorum emendat; *luporum*, & illorum intestina, colicis miraculi instar subveniunt, vel intus sumpta, vel extra admota; *corvinum* pro infantium tussi laudatur; *formicarum* pilos nasci vetat: eodem modo *murinum*, *passerum*, & omnium ferè animalium fæces & retrimenta ab omnipotenti omnium Conditore innumerabilibus & incognitis, nec adhuc satis experientiâ notis utilitatibus & auxiliis prædita sunt, de quibus admirabilem *Galenum* passim in libris de simpl. & de composit, secundùm locos & genera notitiam præbentem invenies; quòd si humanum ob ingentem fætorem aversatur, Asclepiademque & Xenocratem damnat quòd eo uterentur, ac propterea semper illud detestandum fuisse & abominandum; tamen illius præstantiam ad anginas non negavit, quin imò illis qui suffocantur crematum in potu præbet. *Plinius* quoque pantheram ait, ubi faucium angore vexatur, humano stercore sibi mederi, quod *Aristoteles* confirmat, de quibus etiam sic scribit *Cicero*. *Auditum est pantheras, quæ in barbara venenata carne caperentur, remedium habere, hominis nempè excrementa.* Quod *cap. 2. lib. 27.* etiam repetit *Plinius*; Cyprios etiam boves hominis excrementa appetere ut ventris medeantur torminibus *lib. 28. cap. ultimo*, idem asserit, & multa alia de hominis excrementis prosequitur, quæ itidem adnotavit *Petrus Mexia*; quin & venenatis sagittis ab Indis & Arabibus sauciatas pantheras eodem auxilio remedium sibi quærere, idem *Plinius* & *Aristoteles* docent, quod latè afferunt *Mercurialis* & *Langius*. Similiter *Avicenna* sic audivisse ait, humani stercoris potum theriacam esse adversus sagittas Armenas. Quare dubium non est hominis excrementum contra multorum animalium deleteria venena Alexipharmacum esse; quod non tacuit *Mathiolus*, qui illius aquam vitreis organis extractam canis rabidi, & venenosorum animalium morsibus vehementer resistere asserit, & quod magis mirandum est, affert quidam Neotericus in Occidentali plaga in Provincia dicta *Squilaque* propè civitatem *Burgos* inveniri animal *Gaurit* nomine dictum, quod ictu adeò venenosum est, æstate præsertim, ut illicò à morsu dira & terroris plena concitet symptomata, quorum sævitie occubuêre plures; post morsum, nullum Besoartica epota attulerunt auxilium, attrahentibus antidotis, cauteriis, aut membri præcisione incassùm elaboratum; quin statim ne tantillùm adjuti, angore, deliquio animi, partis livore interibant; unum tantummodò summi Dei beneficio inventum est Alexipharmacum, nimirum ut sauciatus illicò post animalis ictum, stercus vel suum, vel alienum recenter excretum, aquâ Cardiacâ vel communi admixtum ebibat, nam ex improviso omnibus movetur alvus, & copiosè evomunt, quibus certa subsequitur haud dubiè sanitas: hæc *Zacutus* primo *lib. de Principum Hist. obs.* 58. quem etiam lege 3. *praxis mirandæ cap.* 89. *& lib.* 1. *Hist. prin. Hist.* 81. *& lib.* 2. *ejusdem in comment. Hist.* 96. *&* 111. ubi de humano stercore multa invenies. Cæterùm quod de veneno aut ictu istius animalis, & de illius alexipharmaco tradit adeò verum est, ut *R. P. F Didacus Valhermoso* Ordinis Beati Francisci, qui multos annos in insulis propè Manilam commoratus est, sæpiùs mihi enarraverit, se quater humamum stercus sumpsisse, cùm à venenatis feris toties in illis provinciis fuisset commorsus præcipuè ab una, quæ in dicta regione vocatur *Olopon*, ajebatque prædictum remedium, ad quàm plurima ferarum venena in frequenti usu esse, siccatumque & in pulverem redactum à multis gestari, nec tantùm recenter excretum, sed siccatum etiam celerrimè prodesse, ita enim in pixide servatum secum portare consueverat, quo à feris ictos, & aliquando jam moribundos, qui nec os, nec dentes aperire poterant, cùm vi apertis infudisset, statim (mirabile dictu) experrectos ac salvos fuisse: unde credere par est, aut quòd illud animal in

Left margin: *Ciconiarum stercus. Columbarum. Felium. Gallinarum. Leporinum. Lacertorum. Lupinum. Cervinum. Formicarum.*

6. Stercoris humani admirandæ vires.

Right margin: Tract. 19. Diosc. lib. 2. cap. 73. — In Hist. caprar. — Lib. 1. & 10. simp. & secund. locos. cap. 2. De remed. paratu facil. cap. 19. — Plin. lib. 8. cap. 27. — Arist. 9. de Hist. animal. cap. 5. — Cicer. lib. de nat. deor. — Mex. lib. 2. Sylvæ. cap. 41. — Lib. de mirab. auscult. — Mercur. lib. 1. de excremen. — Lang. epist. 68. — Avi. fen. 6. Lib. 4. tra. 1. cap. ulti. — Math. lib. 2. in Diosc. cap. 73.

variis Occidentalium partibus varia nomina habeat, aut quòd tantum hoc remedium multis aliarum ferarum venenis promptissimè adversetur quod certius judico, ut mihi idem Pater affirmabat: quod indubitatum esse plurimi ex medicis confirmant; *Aldrovandus* scribit equum aliquando vidisse humi jacentem, & jam pænè morientem, humano stercore subtus linguam posito, & naribus inuncto, statim revocatum; *Gesnerus* apud *Evonymi thesaurum fol. mihi* 83. ex humano stercore aquam organis vitreis destillatam contra venena mirè laudat, quam etiam ad rabiem, & multa alia valere ait, ut supra ex *Mathiolo* diximus; quod etiam notavit *Albertus Magnus*, qui stercus humanum theriacam adversùs multa venena appellavit, de quo latè cit. *Zacutus*, præsertim *lib.* 3. ubi de Medicinis multorum excrementorum non pauca scripsit; sed multò copiosiùs *Christophorus Landrinus*, Medicus Gallus, qui de hac materia peculiarem libellum evulgavit, ubi multa εὐπόριστα remedia ex vilissimis rebus, & inprimis ex animalium excrementis petita traduntur contra morbos gravissimos & periculosissimos; & de humano præsertim, de cujus admiranda efficacia ad multos morbos videndus *Daniel Bocherus*, nam & contra morsum humanum valere notavit *Crato*: quare dubium non est humilia & abjecta contemptaque sæpè non exiguam præbere utilitatem; quippe, ut dicebat *Plinius*, *nil tam parvum est, quod non gloriam parere possit*. Miror autem doctissimum & diligentissimum *Nierembergium*, qui tot ac tanta in sua Historia naturali Indiarum de plantis & animalibus scripsit, de torculentissimis his anguibus, & de illorum ictibus & medelâ nil locutum, cùm tamen res notissima jam hodie sit.

In hist. de equo tit. de morb. equorum.

In exposit. Arist. ad lib. 9. de Hist. animal.

In Spagyria microcosmi cap. 10. Crato. 6. epist. Plin. lib. 15. cap. 14.

An propterea medici probris insectandi, qui talia præscribunt, & efficacioribus aliis adversùs ægritudines uti non valent, quando vel ea ignorant prorsus, aut utiliora in similibus eventibus non habent experta & cognita? vel hac de causa cum *Aristophanis* ineptiis eosdem insusurrabimus? An non laudibus potius prosequemur, qui indefessâ curâ & labore, nullis vigiliis parcentes, nec à spurcissimis abhorrentes, quò hominum saluti provideant, inquirere non cessant, quando aliis non datur remedium invenire? siquidem summo rerum Conditori sic placuit extare, ut in minimis etiam & abjectissimis illius ostenderetur potentia. Fateor atrox certè, & crudele esse remedium, sed decet talia labra similes habere lactucas: quid si aliter non datur mortem præsentaneam effugere? Nonne pericula magna periculis vincuntur? Clavus non nisi clavo pellitur, & sæpiùs ingens malum non aliter quàm simili alio fugatur, malo enim nodo malus addendus cuneus, & venena venenis profligari ac evinci videmus. An qui in Cetum stercore (si, ut creditum, ambarum est) & in putridis animalis humoribus moscho, & zibeto tantam induxit suavitatem, in tetrissimis aliorum fæculentiis majora recondere non potuit? Et si fecit, an frustra? Abeat amœnitatum rudis plebecula, & auscultationum exors, exsibilanda potius, & risu excipienda, ut quod ex *Aristophanis* dicacitatibus & petulantibus facetiis in medicos conjiciunt, in illos convertamus; siquidem, ut optimè *Ovidius*,

Rebus in exiguis commoda multa latent.

7. Poëtarum igitur sicophantias, quas obtrectando verborum salsugine obliniunt, omninò irridendas esse nemo non videt: *illorum quippe carmina dæmonum cibus, sæcularis scientia, Rethoricorum pompa verborum, ubi nulla veritatis saturitas, nulla justitiæ refectio reperitur*, ut meritò ait D. *Hieronymus*; siquidem, ut optimè *Franciscus Patricius*, *obscœni poetæ omninò negligendi, bonos enim mores corrumpunt, & animum nequitiis imbuunt*; ad depravandos enim juvenum optimos mores valere ex Anonymo docet *Plutarchus*: & optimo jure coaxantibus ranis lascivos ac mordaces versificatores *Adamantinus Origines* comparabat. Quid autem improbius, vel magis importunum carmine impuro, ridiculo, barbaro? dicebat idem; solutam quippe dicendi & obtrectandi licentiam jamdudum sibi compararunt: quod & ipse *Actius* poëta fatebatur, *Erasmo* referente, qui aliquando interrogatus, cur causas non ageret, cùm in tragœdiis optimè tractaret argumenta? *quoniam*, respondit, *in tragœdiis quæ volo dico, in foro adversarii dicerent, quæ minimè vellem*. Et ad rem *Horatius* de poëtis.

Epist. de duob. filiis Patri. lib. 2. de reg. cap. 9. Plut. in Laconic.

Lib. 6. apopht.

Lib. 1. serm. sat. 4.

Fœnum habet in cornu, longè fuge, dummodò risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.

Et ut de Poëtis cum medicis finiamus, apud *Langium* ex Achille in Euripidis Iphigenia perbellè suis coloribus depinguntur. *Quis est vates? Is videlicet, qui vera pauca, falsa dicit plurima, si fors ita ceciderit: atque si minsù, tum arte elabitur suâ.*

Tom. 2. epist. 40.

A Græco poëta ad Latinorum principem *Virgilium* redeamus, à quo jurisperiti, qui totum studium ponunt in medicis cavillandis, deducunt ipsum inter artes ignobiliores & parùm celebres medicinam retulisse; sic enim objecit *Ferdinandus Abduensis.* Sunt verò poëtæ verba ex 12. Æneidos ubi de lapide loquens, sic ait.

8.

In orat. pro jure civili adversus Philos. & med. Et Osualdus Hilligerius l. 3. com. Don. cap. 9.

> *Ille ut depositi proferret fata parentis,*
> *Scire potestates herbarum, usumq; medendi*
> *Maluit, & mutas agitare inglorius artes.*

Ex quibus deducunt, *Virgilium* medicinam inter artes parùm honorificas, & quæ ad summos honores homines non efferant, reputandam fore censuisse, quòd non ut ars militaris, eloquentia, Oratoria, & si quæ sunt hujusmodi aliæ, suos sectatores ad publicas & maximas evehat dignitates; quod ex *Plutarcho* etiam confirmari posse videtur. *Omnium artium* (inquit) *liberalium nulla quàm medicina, quæ minùs elegantiæ, ornatûs & jucunditatis complectatur; magnam tamen contemplationem de sanitate sui studiosis exhibet.*

In salub. præceptis.

Hunc *Virgilii* locum conati sunt explicare quàm plures, non tantùm, ut medicinam & medicos ab hac vindicarent accusatione, sed potius ut *Virgilio* manum porrigerent, & eundem tuerentur, qui Homerica semper secutus vestigia, nunc videretur ab illo longè dissentire; quippe ille, ut jam quæstionibus præcedentibus attulimus, medicum ita extollit, ut hominum nullum voluerit illi anteire: quod tanti facit *Mercurialis*, ut propterea *Virgilium* medicinæ gloriam neutiquam obtrectaturum rectè autumet. Quare ne deinceps in eam contumeliosi ex poëtæ verbis medicos arguere posse sibi persuadeant, illius sensum explicare aggredimur, adductis complurium sententiis, ut quam quis congruentiorem judicaverit, possit amplexari, & medicinam in suo antiquo decore relinquere.

3. Variarum cap. 13

9. ...ma Vir... expla... io Ser...

Igitur non pauci, inter quos est antiquus *Virgilii* paraphrastes *Servius*, cùm lapidem viderent varias artes ab Apolline edoctum, nimirùm augurandi, sagittandi, & musicam, has omnes sprevisse, medicamque tantùm maluisse exercere, colligunt ideò à Poëta mutam fuisse appellatam respectu musicæ, quæ tota sonora in melodia & cantu posita est; ingloriam verò dixisse medicinam, respectu divinitatis, quod ad eam homines non eveheret, sicuti præcipuè augurandi ars, quæ ad summos honores & dignitates homines ducebat, quippe ut ex *Chrysippo* ait *Cicero*, *augurandi ars videbat, cognoscebat, explicabat signa, quæ à Diis hominibus protenderentur, & officium auguratoris erat præcognoscere quâ mente Dii erga homines essent:* quare augures apud Romanos Sacerdotes magnæ religionis habebantur, quantæque fuerint olim æstimationis & reverentiæ scribit *Alexander ab Alexandro*: namq; Regibus assistebant, ut Spartanis fuit in more, qui rerum moderamina suscepturi, apud veteres augurandi priùs artem callere debebant. His igitur rationibus credunt respectu harum artium à poëta medicinam mutam, & ingloriam appellari potuisse. Quæ tamen opinio, licèt defendi possit, doctissimo *Mercuriali* non placuit, cùm majorem excellentiam in medicina, quàm in prædictis artibus agnosceret; quod ex *Diogenis* censura satis patet, qui sapientissimos hominum medicos & Philosophos judicabat, stultissimos verò vates & augures; nec minus etiam per medendi artem quàm per augurandi scientiam homines divinitatem consecutos fuisse, in Æsculapio, Asclepiade, Menocrate, & Hippocrate satis innotuit: quare relicto ad cæterarum artium respectu, aliter existimat *Mercurialis*, mutamque credit medicinam à *Virgilio* dictam, quià tota illius vis in operationibus & remediis potius, quàm in sermonibus, & eloquentia consistat; eandem opinionem sequuntur *Fulvius Ursinus, Rhaphaël Moxius, Andreas Tiraquellus, Zacutus Lusitanus*, qui omnes medicinam ideò mutam à *Virgilio* dictam putant, quòd opere potius quàm verbis niti debeat medicus; sic namque ex *Hippocrate* colligitur *lib. de decenti ornatu: Pleraq; enim non ratiocinatione, sed auxilio indigent.* A quo edoctus *Celsus* ita scripsit; *Itaque ingenium & facundiam vincere, morbos autem non eloquentiâ, sed remediis curari, quæ si quis elinguis usu discreta benè norit, hunc aliquando majorem medicum futurum, quàm si sine usu linguam suam excoluerit:* & juxta Menandrum.

Lib. 2. de divinat.

Lib. 5. dierum gen. cap. 19.

...citur à ...curiali

3. Variar. cap. 13.

10. ...nda ...o ...curia-

In collationibus.
Mox. lib. 1 meth. meden. cap. 37
Tiraq. lib. de nobil. cap. 31. nu. 390.
Zacut. in introitu ad praxim. præcep. 3.
Cels. lib. 1. cap. 1.
Epist. 76.

> *Medicus loquutor, morbus ægrotis novus.*

Sequitur Seneca: *ægrotus* (inquit) *non eloquentem medicum, sed curare scientem quærit*, Proindè rectè *Damascenus* medicum dicebat *efficacem esse oportere in opere, non loquacem in sermone.* Quod & *Taurus* Philosophus à quodam medico optabat apud *Gel-*

lium lib. 18. cap. 10. ad quem sic: *Fac igitur ut experiamur elegantiorem esse te in medendo, quàm in dicendo.* Nec minùs ex ipso *Hippocrate* hoc probat *Moxius*, qui eodem *lib. de decenti ornatu*, iterum sic scribit: *Præclara enim res est, quæ ex opere, quod quis didicit, proficiscitur oratio; quidquid enim artificiosè factum est, à ratione profectum est, quidquid autem artificiosè dictum est, at non ita factum, viam & rationem artis expertem arguit.* Quibus convictus *Mindererus* eodem modo *Virgilium* accipiendum contendit, & eâdem, quâ *Mercurialis*, cum cæteris incedit viâ. Quibus tamen non obstantibus hæc opinio *Io. Talentonio* non arridet, quia falsum judicat medicum sermonibus & eloquentiâ uti non debere, cùm manifestè contrarium ex eodem *Hippocrate* deducatur, qui libro etiam de decenti ornatu, ipso *Mercuriali* interprete, sic ait: *Ad sermones expediti, omne demonstratum proferentes, suaviloquio utentes, gratis affecti.* Quod Foësius sic vertit. *Oratione efficaces, qui quicquid doctrinâ acceperunt, in medium proferant, & facultate dicendi utantur, ad gratiam comparati, & pro gloria, quæ exindè provenit, decertare parati, doctrinam suam ad veritatis lucem repurgantes.* Affert quoque ex alio, cujus nomen supprimit (*Heurnium* cogito) apud quem in ejusdem libri comment. sic legitur. *Hanc χάριν Rhetorica suppeditat, quâ Gorgias apud Platonem dialogo de Rheto triumphat, ut fratri suo medico sese anteponere non vereatur.* Verba *Platonis* sunt hæc: *Sæpè cùm fratre meo aliisq; medicis ad aliquem ægrotantium ingressus, cùm ille vel pharmacum nollet bibere vel secandum urendumq; se medico non permitteret, nec persuaderi posset à medico, ego persuasi non aliâ quàm Rhetoricæ facultate; quò (addit) magis assero, si quam urbem Rhetor accesserit, atq; medicus, certeturq; inter eos verbis in concione, fore quidem ut medicus nusquam appareat, eleganter autem, si modò velit, dicendi peritus.* Ne quis verò *Hippocratem* incuset, tamquam eodem libro de decenti ornatu sibi contraria statuisse videatur, cùm jam auxilia, non ratiocinationes in medico requiri dicat, jam sermonibus expeditum, suaviloquentem & dicendo gratiosum desideret; siquidem ea, si debito modo accipiantur, nec contraria nec incongrua videbuntur; dum enim elegantem, ac dicendi peritum oportere esse scribit, non loquacem ac citrà necessitatem garrulum, aut nimiâ Rhetoricâ utentem desiderat, quæ præter sui muneris rationem, quæ ad morbum rectè curandum semper dirigi debet, multis ambagibus extra rem utatur; sed talem exoptat, nempè quòd in occasione & immorigero ægrotante optimis & efficacibus rationibus, suaviter ac leniter illi necessariam curationis obedientiam persuadere sciat, optimis & evidentibus argumentis rationem morbi exponens, illius causam, & remedii utilitatem artificiose ac comiter demonstrare sciens, & ità convenire faciendum admoneat: hoc enim modo *Hippocrates, Plato*, & cæteri authores sic loquentes accipiendi sunt, quemadmodum idem *Plato* docebat: *Medici munus est docere ægrotantem, & non priùs imperare quid sit faciendum, quàm dicendo persuaserit, id fieri expedire.* Hoc etiam *Aristoteles* à medico expostulabat, qui, ut *Ælianus* refert, cùm ægrotaret, & medicus ei præceptum quoddam injungeret, *Ne mihi* (inquit) *velut bubulco, aut fossori manum adhibueris medicam, sed præstitâ omnium primò ratione; parebo enim, sed more Philosophico, si non tantùm ut credam, verùm etiam ut vera hæc esse sciam, demonstrando effeceris.* Cùm verò auxiliatorem & minimè verbosum medicum exoptat, molestum ac citra curationis necessitatem garrulum damnat, ut ex *Mimermo* poëta supra dicebamus, quibus illud *Plinii* maximè convenit, cùm de medicis loquitur: *Nam ubi quis inter ipsos loquendo polleat, corporum statim fieri principem.* Hoc idem *Plato* in medico culpare videbatur *§. illud ignorare non decet. &c.*

Rejicitur à Talentonio II. — *In thre. nod. ca... Lib. 2. c. cap. 5.* — *I. de leg.* — *Lib. 9. var. hist.* — *Lib. 29. cap. 1.* — *Lib. 9. de leg.*

His itaq; adductus *Talentonius* sententiam *Mercur.* & doctissimorum aliorum eandem opinionem recipientium minimè amplexatur: quare aliter sic *Virgilium* accipiendum contendit, nimirum quòd mutam & ingloriam dixerit, non quia sit ignominiosa ars, sed quia su difficultate paucis se cognoscendam præbeat, eamque ob causam & ipsa obscura remaneat, & gloriosum non reddat habentem; unde infert, non turpem aut ingloriam esse artem, imò propterea majorem illius excellentiam & præstantiam indicari, cùm ex Platone *pulchra sint difficilia*: inquit igitur, Apollinem Iapidi tribuisse artem canendi, sagittandi, augurandi, verùm medicam maluisse, non quòd ignobilior foret, sed quia illas tractando, non mutas, id est, non obscuras & absconditas, sed in omnium conspectu positas tractasset, ob idque sibi honorificas, & quarum ope compluribus esset adjumento, undè maximam sibi gloriam comparare posset; sed medicinam elegisse, non ut multis auxiliaretur, sed ut patri suo tantùm mederetur.

Tertia opinio Talentonii. — *Lib. 2. thes. cap. 5* — *Lib. 6. rep.*

Ille

Ille ut depositi proferret fata parentis.

vitam illius & salutem adjuvando, hoc modo manebat in ipso medicina muta, id est abscondita, & ipse inglorius. Quæ tamen explanatio ad libitum dici videtur, cùm præcipuè *Virgilius*, verbum *mutas* ad artes referat, non ad professorem, ut malè contorquet *Talentonius*, quod ex verbis poëtæ evidenter constat; sicuti etiam artem non accepisse ut patri tantùm mederetur deposito, id est, deplorato jam, & velut derelicto, cùm ibidem *Virgilius* Iapim Æneam sauciatum curantem mox introducat, & complures alios; quare apud Ægyptios inter Deos relatus est, quod nunquam fecissent, si ex unico tantummodò parentis beneficio illius scientiæ utilitas & magnitudo constaret: nec præterea sufficiens erat hoc, ut à poëta inglorius diceretur, cùm satis esset patri allatum auxilium ad magnam æstimationem & gloriam comparandam, in casu potissimùm desperato; & licèt electio artis primùm fuerit, ut parenti remedium conferret jam deposito & animam agenti, tamen non ut soli, imò cæteris, ut in Ænea præstitit.

Doctissimus Societatis Jesu alumnus Pater *Io. Ludovicus de la Cerda* in suis elegantissimis ad *Virgilium* commentariis, aliter, ac meo judicio meliùs, videtur poëtam intellexisse; quippe inquit, mutam ab illo fuisse dictam medicinam, quia eo nomine Empyricam tantùm accepit poëta, quæ cùm nullo modo disputatrix sit, sed remediis nullâ examinatâ ratione conquisitis utatur, nullis magis quàm Empyricis mutos esse convenit, hancque medicinæ partem Iapim ab Apolline fuisse edoctum, quæ illo tempore tantùm in usu erat, cùm medicina rationalis adhuc non extaret; quod ex verbis ejusdem *Virgilii* conatur deducere, *usumq́ medendi*: & licèt de chirurgia etiam poëtam interpretari posset, quam solam Apollo novit, & Iapi tantùm, non aliam potuit docere; primos enim medicos tantummodò fuisse chirurgos dubium non est, ut quæstionis initio satis ostendimus, & mutam esse non minùs quàm de Empyrica dici debeat, cùm tota illius efficacia in opere posita sit; tamen de chirurgia poëtam non explicat, sed tantùm de Empyricis & irrationalibus medicis, qui non nisi ab experientia, nullâ indagatâ ratione, remedia applicant, tantumque ad omnes medicos transferri posse autumat, quia omnibus convenit non esse magnos altercatores; quoniam, ut rectè *Mathæus Grimaldus*, *nimiùm altercando veritas amittitur*, quod etiam ex *Platone* 4. *de legibus* supra retulimus: de loquacibus enim, & impensiùs quàm par est, verba facientibus, *Non medeberis*, inquit, *ô fatue ægrotanti, sed quasi doctrinâ indigeas, non sanitate doces.* Itaque altercari multùm non oportet, in arte præcipuè cujus scopi aberratio vitæ periculum affert; comes etiam medici debet esse modestia, leni quâdam severitate adjunctâ, quæ & respectum & affabilitatem quandam ingeneret, nec nisi ad oblata respondere, ac necessaria tantùm imperare, & quæ in infirmi gratiam cedant proferre, quoniam aliter rectè ex *Menandro Medicus loquax, alter ægrotanti morbus*, ut *sexto epid.* latè eum monet ac instituit *Galenus*; quod plerumque faciunt Empyrici & Imperiti, vanis ac ridiculis promissionibus morborum licèt incurabilium promptissimam victoriam promittendo, ac si summum in illos haberent jus & imperium; quos ideò *Mimermus* acerbè taxat apud *Stobæum*, *quòd mala majora esse ac graviora, plus quàm timendum sit dicant, se ipsos ut extollant*, idest, exaggerent; cùm tamen hoc histrionum, non medicorum studium esse moneat *Hipp.* & non omisit *Celsus* per hæc verba: *sed ut hoc prudenti viro convenit, ita rursus histrionis est parvam rem attollere, quò plus præstitisse videatur*; quos ideò infamiæ notabat *Seneca* 6. *de benef. cap.* 36. *Gravissima infamia est medici, opus quærere. Multi, quos auxerant morbos & incitaverant, ut majore gloriâ sanarentur, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.*

Lib. de opt. stud. rat.

Comment. 4. tex. 8. & 9.

Sermone 100.

In lege & lib. 1. de morbis. Cels. lib. 5. cap. 26.

12. [margin: ...dicis ... mul... ...n con... ...it al... ...cari. / ...edicum ...alis ...ltus de... ...t. / ...perito... ...m, & ...pyrico... ...n vana ...tantia, fallendi ...dium.]

13. Concludamus igitur in politioribus literis verbum *mutos* aut *muti* inveniri quandoque, & per illud taxari solitas hominis literas parum comptas, cùm quis eas profitens in doctiorum concionibus amœnas earum jucunditates non proferat in medium, sed mutus audiendo insistat, aliorum confabulationes ubicumque ferantur sinendo spargi, ipse (quasi statuam dixeris) mutus linguæ vincula nunquam audeat reserare, ut cæterorum consonantiam adjuvet; has certè simulachri potiùs, quàm hominis literas mutas ex adagio legimus, in illis, quæ ex *Lucio*, *Cœlio*, *Erasmo* collecta feruntur: sic etiam libri muti dicuntur magistri, quòd loquendo nunquam, tamen doceant perpetuò, authorum judicia prodant, & doctrinarum dulcissimum nectar libandum offerant, vivæque vocis præceptorum loco continuò suppleant defectum; sic

sic enim libros dici consuevisse scribit *Gellius*, & *Quintilianus*; quare sicuti ad literas & libros, sic etiam mutescentiam metaphorico sensu ad artes authores applicant, ut de pingendi arte dixit *Cicero*, qui mutam illam vocavit, & rectè quidem, quia sine loquela res ipsas exprimit; quod si *Virgilius* ad medicinam transtulit, non est quòd in illius dedecus hoc fecisse credamus, quâ enim de causâ, *Cicero* pingendi artem mutam appellavit, ob eandem & medicinam dici posse non ineptè aliqui arbitrati sunt; nam cùm ex pulsuum & arteriarum tacito motu potissimam exercendæ artis partem medici nanciscantur, quæ veluti mutæ, & prorsus aphonæ illi operandi viam edocent, mirum non est, saltem quoad hanc partem, quæ in medendi artificio potissima est, quòd muta exindè dicatur ars, ut illa pingendi: quin imò & apud veteres invenio quoddam fuisse musicæ genus, quam mutam appellabant, quia gestibus, vultûs, manuum, pedumque nutibus & signis fiebat, de qua *Cassiodorus*, & ex illo *Pancirolus*; quam licèt ab usu recessisse, & in fumum jam abiisse idem tradat *Cassiodorus*; tamen cùm *Virgilii* tempore prævaluerit, forsan poëta de illa intelligi poterit, ita ut Iapim dicat ex artibus, quas illi Apollo obtulit, medicam & musicam accepisse, ut deposito parenti succurreret; siquidem artes, non artem maluisse dicit, & talem musices speciem per verbum *mutas* intelligere potuit; musicam enim morbis non parùm conferre, & illis mederi vulgata res est, de quo in tractatu nostro de Climactæribus satis egimus: tandem cùm musicam dixisset mutam, cujus authores Mimi, & Pantomimi dicebantur, eodem *Cassiodoro* authore, propterea fortasis ingloriam addidit, cùm ubique tales infamiæ notentur; quod rectè talibus mutis, & gesticulosis musicis magis quàm medicinæ convenire nemo non videt. Quòd si de medicina & non de alia arte *Virgilium* locutum fuisse contendant, satis congrua videtur interpretatio, quam doctissimus *Cerda* attulit, quæ meo judicio cæteris jam relatis præferenda est, cùm medicinam ab omni crimine excuset: pro qua gratias illi debitas, quas à nobis medicis requirit, libenter ago, quòd de Empyrica tantùm medicina poëtam accipiat; & certè non aliam Iapidi Apollo tribuere potuit, cùm nulla alia tunc extaret, aut chirurgiam & vulnerariam, quæ sola tunc inveniebatur, de qua rectè dicitur quòd tota in opere sita sit, ut ipsius nomen declarat; & si ad *Virgilium* attendamus, hæc sola belli tempore requirebatur, de cujus conflictu poëta tunc agebat.

Pingendi ars muta dicta.

14.

Quinta opinio aliquorum.

Lib. 14. noct. Att. cap. 2.

3. de o[...]

Lib. 1. [...]riar. epist. 20.

Panci. lib. memorab. cap. 40.

Sed licèt hæc optima videantur, non cessant clarissima ingenia aliquid novum indagare, ut in re difficili aliis ulteriùs progrediendi via aperiatur. Quare *Io. Henricus Meybomius* in alium fertur sensum, scribitque ideò poëtam mutam appellâsse medicinam, quòd taciturnum medicum esse oporteat, & cumprimis silentio ea premere, quæ ab ægris ipsi concreduntur, quæque secreta hi esse cupiunt, & aliis, aut in vulgus esse nota minùs conducit. *Hippocrates* duo à futuro medico stipulatus jurejurando eum adigit, ut non minùs ea, quæ in communi vita, quàm artem factitando, sive viderit, sive audiverit, tacita habeat; itaque quod de servo dicebat *Plautus*, de se omninò dictum putet.

Sexta opinio Meybomii.

15.

In comm. ad jusjur. Hipp.

In Mostell. act. 3. Sc. [...]

Plus oportet scire medicum, quàm loqui.

Verbis divi *Hieronymi* sententiam suam confirmat, qui ad Heliodorum scribens, *Hippocratis* exemplo admonet hortaturque ut silentio studeat, & secreta non revelet. *Officii tui est visitare languentes, nôsse domos matronarum, ac liberos earum, & nobilium virorum custodire secreta; officii tui est non solùm oculos castos servare, sed & linguam. Nunquam de formis mulierum disputes, nec quid agatur in alia, domus alia per te noverit. Hippocrates adjurat discipulos antequam doceat, & in verba sua jurare compellit, extorquet sacramento silentium, sermonem, incessum, habitum, moresque præscribit. Quantò magis nos, quibus animarum cura commissa est &c.* Hæc D. *Hieronymus*, & ex illo *Meybomius*, quæ sanè si poëtæ sensum non attingunt, certè contemnenda non sunt, sed ab omnibus medicis intimo pectore servanda, & observanda.

Epist. 3. ad Heliodor.

Cæterùm cùm infelicis ingenii sit nihil à se promere, & semper imitari, *Nam quemadmodum benè currere non potest, qui pedem studet in alienis ponere vestigiis; ita nec benè scribere, qui tanquam de præscripto non audet egredi*, ut doctè monebat *Angelus Politianus*: hac de causa aliam ad *Virgilium* interpretationem adducere conatus sum à nemine excogitatam, quæ non minùs quàm dictæ recipi poterit, & saltem hoc habebit, quòd inter tot jam adductas aliquid novi afferat non incongruum, si non cæteris anteponendum.

8. Epist.

Dici-

Septima opinio nostra.

Dicimus ergò *Virgilium* mutam dixisse medicinam & illius artificem inglorium; non simpliciter, aut in eam odiosus, nec eo animo ut medicis convitium faceret, sed eo solùm, quia videret artem non semper finem optatum consequi, cùm sæpè sæpius inter medendum ægrotantes adjuvare non possit, & quin pereant obsistere, nec illorum exitiosissimis malis remedium valeat afferre: quare tunc manet scientia muta, & non nisi silere novit, cùm se fine suo frustrari videat, & ipse medicus eo tempore obstupefactus recedat & inglorius, & plerumque malè mulctatus, cui à vulgo multa jactentur ignominiosa potius quàm gloriosa, ut ex eodem *Hipp.* patet, & ex *Democrito*: quod optimè notavit *Perisaltus Faustinus* celebris Poëta, sic de medico scribens.

16.

Epist. ad Democr. Epist. ad Damag. prope finem.

Feceris & postquam, quidquid jubet ipsa medendi
Norma, nisi valeat, subitoq; revixerit æger,
Murmurat insipiens vulgus, linguâq; loquaci
Eloquitur de te convitia talia jactans,
Hei mihi, quàm stultum est medicorum credere nugis!

Nec aliud voluisse *Virgilium* indè colligere est, quòd licèt Japis artem medicam maluerit, ut desperato parenti succurreret, tamen illum suspicor non servasse, nec desideratum auxilium patri attulisse; nam Poëta illum sanasse non scribit, quemadmodum de Ænea sauciato statim addit à vulnere liberatum, mox inter arma se conjecisse, unde adducor ut credam patri voluisse succurrere, non tamen potuisse: quare muta mansit in eo medicina, id est, opere frustrata, & ipse inglorius, utpote qui remedium afferre non valuerit. Quæ si non satisfaciant, aliter etiam judico explicari posse *Virgilium*, nimirùm, ideò mutam dixisse medicinam, quia cùm tota illius vis in herbis & plantis recondita sit, ubi veluti silet, nec nisi experientiâ cognosci potest, meritò muta dicenda venit, utpote in mutis plantis, & lapidibus eâ imprægnatis consistens: hâc de causâ graphicè videbatur ac scitè optare *Euripides*, ut res ipsæ cum hominibus colloquerentur, & se quales essent explicarent, ut procul amandarentur ignorantium artificiosi sermones. Ad hoc respiciens quidam Hispano sermone sic *Virgilium* commutavit.

Octava opinio.

Sus artes dava Apollo; y sus remedios
A divinar, tañer, y tirar flechas;
Para alargar los hados de su padre
Escogio por mejor la medicina,
Y el poder que en las hierbas vio escondido.

Opiniones omnes quas invenimus, aut investigare potuimus, jam retulimus, qualiterque *Virgilius* intelligi possit, dum mutam appellavit medicinam, abundè ex aliorum, & nostro judicio ostendimus, nec minus quare medendi artem aut medicum inglorium dixerit, sed quoniam in hac ἀδοξίᾳ Poëtæ, adhuc præter jam dicta alii aliter explicant, non sanè omittendum duximus. Itaque non extra rem autumant, ingloriam Medicinam dixisse respectu ad chirurgiam, quæ illius pars est, & ab ipso etiam *Hippocrate* vilis appellatur, atque ideò cognitu facilis, licèt in contextu mendum appareat, aut verborum transpositio; quem locum & difficultatem vidit *Valeriola*, & parùm feliciter explicavit, cùm mutatis verbis & suo loco restitutis, germanus *Hippocratis* sensus facilè declaretur, sic enim ait; *Hujus autem artis vilia nosse difficile, seria verò facile*; quod mutatis verbis sic legendum ac restituendum est: *Hujus autem artis seria nosse difficile est, vilia verò facile.* Itaque per *vilia* chirurgiam absque dubio intellexit, quæ usu & operatione facilè comparatur, cùm ex opposito pulchra difficilia, ut ex *Platone* supra dicebamus: & certè si Poëta hoc non voluit, cùm medicum appellavit inglorium, forsan cum respectu ad sua tempora locutus est, & ad Romanos, apud quos suo tempore omnes ferè medici Græci erant & servi. Nam ut *Plinius* dicebat, *solam hanc artium Græcarum nondum exercet Romana gravitas*; quod video placuisse doctiss. *Cerda, & Farnabio*, in elegantissimis notis, quas novissimè ad *Virgilium* addidit.

17.

Inglorium quare Virg. appellaverit medicum, iterum explicatur.

Lib. de fracturis.

Lib. 1. enarrat. 1.

Lib. 29. cap. 1.

Nil tandem superest, nisi ut ad *Plutarchum* respondeamus, ubi scripsit: *Omnium artium liberalium nulla quàm medicina, quæ minùs elegantiæ, ornatûs, & jucunditatis complectatur.* Video tamen hunc locum multò aliter à pluribus legi; nam apud *Cardanum* sic invenio scriptum: At medicina sic est de numero disciplinarum liberalium, ut politiâ, splendore, jucunditate nulli sit inferior. Quòd si hæc lectio minùs arridet, & *Plutarchum* nullam elegantiam aut jucunditatem in medicina agnovisse arguunt, certè ad *Hippocratem* allusit, qui *lib. de flatibus* in principio, me-

18.

Lib. de bonæ valet. præceptis.

In encom. medici.

medicinæ usum laboriosum & molestiæ plenum medico esse ait, cùm non nisi periculo plena & ingrata intueatur & contrectet, & ex aliorum calamitatibus sibi dolorem conciliet; nec aliter videtur censere *Euripides* cùm dixit: *Melius autem est ægrotare, quàm curare ægrotum; illud quidem est simplex, huic adjungitur tristitia mentium, manuumq́ labor.*

In Hippol.

QUÆSTIO OCTAVA.

An apud Senecam *rectè dicantur ægrotantes Medicorum Imperatores? occurritur etiam* Heraclito *&* Macrobio *malè medicos mulctantibus.*

A Poëtis ad Philosophos accedamus, qui supercilio graves, dum magna dicendi pruriunt desiderio, non rarò vel à ratione aliena, & à semetipsis dissentanea proferunt, vel cæteris addubitandi occasionem præbent, si rectum illorum sensum probè non assequantur. Inter hos annumerandus jam venit lucidissimum Cordubæ ingenium *Seneca*, qui sententiarum majestate celebris, non minus quàm affectuosus, cùm medicinam, ac medicos sæpissimè ac multùm laudâsset, illisque multum deberi, nunquam condigna persolvi, & hujusmodi pleraque dixisset, tamen 6. *de benef.* ægrotum appellat medicorum Imperatorem. Sic enim ait: *Quare medico, & præceptori plus quidem debeo, nec adversùs illos mercede defungor, quia ex medico & præceptore in amicum transeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benignâ familiariq́ voluntate. Itaque medico, qui nil amplius quàm manum tangit, & me inter ipsos, quos perambulat ponit, sine ullo affectu facienda, vitandaq́ præcipiens, nil amplius debeo, quia me non tamquam amicum vidit, sed tamquam Imperatorem.* Hunc locum non prætermittentes Iuris Consulti aliam ex eo contra medicos deducunt quam imponant calumniam; invaluisse scilicet apud latinos authores, ut medicorum suorum ægroti dicantur Imperatores, quod stabilire conantur, & multò audaciùs arguere nituntur, quia *in l. medicos, quæ extat in tit. de operis libertorum*, Alpheni locus habetur, qui hujusmodi imperium ægrorum ad medicos confirmet, ubi sic legitur. *Medicus, quòd putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multò plures imperantes sibi habiturum, postulabat ut sequerentur se, nec opus facerent.* Ex quo loco colligit *Franciscus Duarenus*, antiquam fuisse hanc loquendi consuetudinem, & cum præcedenti *Senecæ* nititur probare sed incassum, quippe nullus ex *Seneca* expositoribus, & qui notas ad illum illustrandum fecerunt, eundem eo modo, quo *Duarenus* explicat, receperunt, sed multò aliter, ac econtrà potius stabiliendum esse confirmârunt, quod & nos probabimus; prius tamen illorum expositiones, & versiones afferemus, ut quid sibi voluerit *Seneca* clarius illucescat, ne amplius objurgandi animo tumultuantibus convitiandi præbeat ansam.

Cap. 16.

1. animadvers. cap. 54.

Igitur cùm *Seneca* de beneficiis, quæ à medicis præstantur, & de obligatione in qua illis manent ægroti, deque gratiâ & mercede eisdem retribuendâ hoc loco agat, illam præcipuè nullis donis, nullisque præmiis persolvi posse ait, quæ medico debetur amico, & officioso, & qui non solum remediis ex præscripto sanitatem procuravit, sed amico animo affectuosoque omni labore & industriâ, familiarive voluntate totus incubuit in restauranda infirmi sanitate deperdita, nullis parcens laboribus & vigiliis, quibus videretur non solùm ut medicus, sed ut amicus maximo cum affectu salutem desiderâsse, & pro ea impensè elaborâsse; propterea dicebat *Celsus*: *ideoq́ cùm par scientia sit utiliorem tamen esse medicum amicum, quàm extraneum.* Et D. Hieronymus citat ab Ant. *tum demùm medicum ægroti amicum esse dicebat, cùm in extrema necessitate se diligentissimum ostendit*: addunt etiam quod ex *Iuvenali*, alii ex *Catone* citant.

In proœm. lib. 1. in fine.

Ant. in melis. parte serm. 56.

Corporis auxilium medico committe sodali.

Itaque adversùs hunc, nempè amicum & officiosum medicum mercede nunquam defungi statuit *Seneca*, quia non arte obligat, sed benignâ familiarique voluntate: cæterùm medico, qui nil aliud quàm manum tangit, & reponit ægrum inter illos, quos perambulat, seu invisit, sine ullo affectu, amore inquam, & laboriosâ curâ recuperandæ sanitatis, huic inquit ultra statutam mercedem nil amplius deberi, quia ægrum non amicè vidit, nec affectuosè curavit, sed tanquam Imperatorem; id ipsum antea idem *Seneca* docuerat per hæc verba: *Mercator urbibus prodest, medicus ægris, mango venalibus; sed omnes isti, quia ad alienum commodum,*

4. de benef. cap. 14.

pro suo veniunt, non obligant eos, quibus prosunt. Ad verbum igitur *Imperatorem* jam redeo, quod apud expositores minimè de ullo imperio ægrotantis ergà medicum accipitur, quia nullum imperium ægroti ad medicum agnoscunt; quare aliter ac multipliciter *Senecam* præsenti loco interpretantur. Et inprimis doctissimo *Antonio Mureto* tantum abest ut lectio, *tanquam imperatorem*, placuerit, quin imò cùm multò aliter, & medico potius, quàm ægroto imperium convenire optimè intellexisset, ait se putare legendum, *non tanquam amicus, sed tanquam imperator*; nam, inquit, jubere, & imperare verba sunt medicis usitata. *Terentius:*

13.

Quod jussi, et date bibere, & quantum imperavi, date.

& paulò post:

Non imperabat coram quid facto opus esset puerpera.

Nec sanè inveniri facilè posse ait, ubi ægroti medicis, quorum utuntur operâ, dicantur imperare: quare Alpheni locus non facit pro *Duareno*, cùm nullam aliam afferat probationem. Concludit itaque, quòd licèt in pluribus codicibus ita legatur *Seneca*, tamen apud se in alio ab *Antonio Constantino* sibi donato codice, sine ulla lituræ suspicione melius ita legi, *quia me non tanquam amicum, sed tanquam quemlibet alium vidit.* Quæ sanè, inquit, scriptura rejicienda non est.

Similiter *Ioannes Opsopœus* in suis ad *Senecam* collectaneis, nunquam sibi satisfecisse ait vocem, *Imperatorem*, quare ita scribit: *Nec credere possum ægros à Seneca imperatores medicorum nominari, quos alibi medicorum genua tangere dicit, & si ita esset, æquè id nominis amico ægro competeret atque cuivis alii, & jaceret omninò authoris sententia.* Videndum igitur est (ait) an legi debeat, *qui me non tanquam amicum, sed tanquam intemperantem.* Ad eos namque qui se vino vel cibo ingurgitant accersitus medicus manum tangit, inediam unius atque alterius diei imperat, nulla de re alia solicitus, quia certus illos facilè ad se redituros cùm crapulam exhalârint. Probat ex eodem *Seneca*, ubi sapientem cum medico comparans ait; *Quos non aliter videt, quàm ægros intemperantes.*

Lib. quod in sap. non cadat injuria, cap. 13.

Ad eundem modum *Ferdinandus Pintianus* in spectatissimis ad *Senecam* castigationibus, licèt in omnibus quos viderit exemplaribus verbum *Imperatorem* haberi dicat, minimè tamen assentitur, sed alterutro ex duobus modis corrigendum esse statuit, vel sic; *quia me non tamquam amicum vidit, sed tamquam invocatorem*; accersere enim medicum, invocare appellat Seneca paulò post, cùm ait: *in turba multorum invocantium, ego illi potissima cura fui.* Aut certè *emptorem* legendum pro *imperatorem* vult, ex ipsius *Ciceronis* verbis, quæ mox addit, *non quia pluris est quod vendiderunt quàm emimus.* Et certè Pintiani versio Joanni Molano multùm placuit, qui in Diario sanctorum medicorum vertit *implorantem, impetrantem, & invocatorem.*

Cap. 18.

Habes doctissimorum virorum, & qui in *Seneca* repurgando, corrigendo, & explanando multùm impenderunt operis & laboris, judicia nullatenus contemnenda, quod certè sufficiens erat, cùm ex pluribus qui ad illum scholia fecerunt, nullum reperias, qui simile ægrorum ad medicos imperium velit admittere, nec facilè esse hoc apud authorem aliquem invenire, ex quo deduci posit, ut advertit Muretus, cùm tamen econtrà illis medicos imperare innumera sint quæ attestentur; nam inprimis illorum obedientiam requirit *Hippocrates*, absque qua millies perire, & in maxima venire discrimina, quotidiana docet experientia, & apertiùs *libro de Medico*, dum ita loquitur: *Nam cùm in omnibus rebus multùm sit in justitia præsidii, tum verò medico cum ægris non parum est commercii, dum seipsos illi subditos faciunt.* Hac ratione jubet *Galenus* illos in omnibus medico obedire, nilque ex intemperantia delinquere; obedire enim quid est, nisi medici arbitrio & mandatis obtemperare, & illius subesse imperio? qui enim econtrà agit, perditur, ut inquit Palladius Sophista. Socrates etiam apud *Stobæum*, quantum hoc deceat satis monet: *æger* (inquit) *obediens medico morbo efficitur hostis & medico socius; contrà verò si jussis non obediat.* Plurimis etiam aliis in locis hoc testatur *Galenus*, qui ait, illis qui non obsequuntur medicinale consilium dandum non esse; quin imò 6. *de morbis vulg. comment. 2. tex. 43* ait, periculosos morbos, multos ægrotos occidere medicis morem haud gerentes. Idem etiam apertè medici in ægrum extollit imperium, nam verba adversus medicos adulatores faciens, & eos objurgans, post multa alia sic inquit: *postremò quidquid jubebitur, mancipiorum ritu faciunt, contra quàm veteres illi medici ab Æsculapio oriundi, qui tanquam duces militibus, & tanquam Reges subditis imperare ægris voluerunt; nequaquam verò*

14.

[...]ros de medi[...] obedire.

1. Epid. 1. Apho. & 1. prognost. 2. 1. de dieb. decre. cap. 11. In expos. ad sextum Epidem. secti. 4. tex. 8. & 9. Lib. de sang. miss. & 6. de sanit. tuend. & 1. de crisi. 1. met. cap. 1.

Getarum & Tibiorum, & Phrygum & Thracum emptitiorum ritu parere atque obsequi; hac de causa serviliter adulantes, ob idipsum contemptos fuisse 6. *epid.* scripsit; *nisi enim medicum æger ut Deum quendam veneretur, numquam illius præceptis obtemperaverit*, dicebat idem: quippe qui aliter faciunt, non *Hipp.* aut *Asclepiadis* honore condigni sunt, sed mancipiorum & servorum more adulantur, ita enim *Galenus*: *qui cubantis deliciis subscribit, ejusq; voluntatem, non sanitatem pro meta gerendorum habet, adulatoris* (*officium facit*) horum igitur medicina adulatoria prorsus & non legitima dicenda est; sic namque eam appellabat *Maximus Tyrius* ipsius *Galeni* coævus, si credimus Suidæ: *adulata est*, dicebat, *homines etiam medicina, non legitima, quoniam Æsculapii, & Asclepiadarum curationem relinquentes, nil differentem ostenderunt esse artem coquinariam, malorum corporum malam adulatricem*. Latiùs prosequitur *Plato*, cùm singularium artium studium affert & damnat; nam quemadmodum bonus medicus adulatori adversatur, ita malus ipsi jungitur, illiusque speciem induit, & ut ille molestiam afferendo ægrotum sanat, ita illum hic perdit ipsi obsequendo: ideò dicebat Seneca. *Nullam habet salutis spem æger, ubi ad intemperantiam medicus hortatur*: tales quippe medicos domesticos & familiares appellabat, quòd ægris corporibus non eo quod optimum est, & celerrimum medentur, sed quà licet.

Coment. tex. 9.

12. met. cap. 1.

In extre. sermone

In Gorg.

Epist. 12. lib. quod sapi. non cadat.

§. Igitur quemadmodum hi qui morem ægrotis gerunt, & pro illorum arbitrio ipsorum obtemperant voluntati, suavia propinant, amara avertunt, & in omnibus illorum gustui contra ægrorum salutem & artis præcepta inserviunt, servi, & mancipia illorum verè dicendi sunt; ita veri medici nomine digni, qui in tantum illis morigerantur, in quantum nullus contra ægrorum valetudinem committatur error, & Hippocraticâ severitate, & arrogantiâ, ut ita dicam, palàm medicâ, Galenicaque scientiâ innixi, præscribere, jubere, imperare, negare, annuere, sciunt: hos quidem rectè ægrorum Imperatores dixeris, non quidem quòd loquendo polleant, ut loquitur *Plinius*, sed judicio; de quibus venit intelligendus *Plato*: *In confesso omnibus est, verum medicum corporum esse principem*. Et apertius multò lib. de regno; *existimare verò eos civiles, ac regios homines oportet, qui arte quâdam imperant volentibus ac nolentibus secundùm scripta; nam & medicos sic appellamus, sive invitis, sive volentibus, secando, aut urendo, aut aliter affligendo, scriptis, aut ex usu curent, dummodò qui curant ad bonum corporis respicientes, ex deteriori habitudine in meliorem restituant, ac servent*. Quod idem confessus est *Plinius*: *Hæc una artium Regibus & Imperatoribus quoque imperat*, dicebat de medicina, quam etiam *Galenus* artium Imperatricem vocabat. Iis alludebat veterum Imperatorum consuetudo, apud quos constituendi Archiatri formam sic tradit *Cassiodorus*; *dicebant Archiatro, indulge nostro palatio, habeto fiduciam ingrediendi, fas est tibi nos fatigare jejuniis, fas est contra nostrum sentire desiderium*; sic illos non tantùm initiabantur, sed præstolabantur, ac magnum obsequium monstrabat Imperator. Sed cur illud recusaturi erant ægri, quando totum est in illorum utilitatem? Certè *Galenus* 6. *epid. citat*. Non solum vestes, figuram, introitum, sermones & cætera, quibus ad ægrorum invisionem medicus componi debet, sed & normam & regulam, quam hac parte servare debeat, optimè illum instruens præscribit; monetque ut humanum & moderatum se ægrotis præbeat, non tamen sine gravitate & authoritate, sic enim & illorum gratiam promerebitur, ac obedientes reddet, & sui æstimationem conciliabit. *Consultissimum igitur fuerit* (ait idem) *nec adeò medicum se submittere atque adulari, ut sui contemptum pariat, nec rursùm perindè ac Callanactes, se rusticum atque asperum exhibere; id fiet autem, si & aspectu, & voce, & omni corporis habitu medici gravitatem retineat, ægrotantemq; iis quæ ipse præcipiat, morem gerere edoceat*.

5. Lib. 29. cap. 1.

1. de rep.

Lib. 24. in procem.

De tuend. sanit. & ad Thrasib.

Cass. lib. 6. cap. 19.

Sect. 4. tex. 9.

Hoc igitur prospecto, quid *Senecæ* dicamus ex adductis expositionibus satis patet; vel enim nominativo casu, & non accusativo legendum est, *Imperator* nempe, non *Imperatorem*, ut existimavit *Muretus*; sic enim medici imperium, quod certè est, non ægroti ad medicum, quod apud omnes commentatores ridiculum habetur, satis convincitur, aut ferenda versio alterius codicis ab eodem *Mureto* relata, vel si magis sequendus *Opsopæus*, qui vertit *intemperantem* pro *Imperatorem*; quæ si non satisfaciunt, amplexanda certè lectio *Pintiani*, quæ inter alias videtur optima, qui *impetrantem, implorantem*, seu *invocatorem* dixeris, per *Imperatorem* rectè intelligendum putat; quæ opinio maximè *Molano* arrisit, ut jam diximus, & mihi etiam inter omnes magis placet: nec sanè negligenda est alia

Cap. 18. diari sanct. medic.

alia ejusdem *Pintiani* lectio, quæ *emptorem* vertit pro *Imperatorem*; nam verba ibi ex *Seneca* adducta, *plus quidem debeo, mercede defungor, nil amplius debeo*, & quæ ex *Cicerone* ipse addit, *quia plus est quod vendiderunt, quàm emimus*, verba sunt emptoribus & venditoribus usitata, quę *Cicero* ad medici mercedem ab ægrotis recipiendam accommodat; quem *Seneca* imitatur, qui medicorum opera per modum vendendi & emendi apud ægrotos tractare consuevit; sic enim anteà dixerat: *emis à medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam*; & mox: *non rei pretium, sed opera solvitur*. Quare nihil videtur magis accipiendum quàm *emptorem*, quod ex modo ibi loquendi ejusdem *Senecæ* satis colligitur; nam aliter velle, & prout jacet illum accipere, sibi ipsi contrarius videbitur qui de ægris ad medicos ita loquitur. *At eosdem ægros vide, si mortis periculum admotum est propiùs, medicorum genua tangentes; si metuunt capitale supplicium, omnia sua ut vivant, paratos impendere.* An paria sunt medicis ægros imperare, & illorum tangere genua auxilium implorando? cùm aliàs idem *Seneca* apertè medicis imperium in ægrotantes tribuisse videatur, ut lib. 1. de ira: *Si intrassem valetudinarium exercitatus & sciens, non idem imperassem omnibus per diversa ægrotantibus.* Optimè quidem apud Beverovicium quidam Neotericus ait: *Si Medicus comparetur ad Deum, sit ipsius coöperarius, sit manus; si ad ægrum, sit imperator.*

6. De benef. cap. 15.

De brevit. vitæ cap. 8.

6.

Cap. 16. In epist. de vitæ termino.

Nec aliquid contrà hoc ex *Alpheni* loco probari dicimus, nam ibi legitur plures sibi imperantes habiturum, si servi sui medicinam non facerent: vel enim de servis, vel de aliis intelligendus est; de aliis non apparet, nam quid obstarent servi medici, ut minùs illi imperarent cæteri homines? imò propter servos medicos magis imperarent illi, petendo ut illos mitteret ad curandum. De servis ipsis, quòd illis imperare posset, si medici non essent, etiam admitti non debet; nam si tales erant, quid obstabat, hanc vel illam artem habere, ut minùs essent servi, & domini subjecti voluntati & imperio medici, vel non medici? num, si tales non essent, domino fortassis imperarent? ridiculum est, imò quia medici erant, aliquandò domino, si fortè ægrotaret, imperare poterant, quia ut dicebat Diogenes, *Qui servum habet medicum, aut navis magistrum, illi ut obediat necesse est.* Quod contrà *Alpheni* locum facit, ego sic existimo, & pro medicis potiùs facere; nam plures sibi imperantes habiturum credebat, si liberti sui non essent medici, quia artem exercendo multos in domini gratiam trahebant, qui dum servorum operâ sanabantur, gratitudinis ergò domino in obligatione manebant, ut illi neutiquam posteà imperarent, licèt possent, sed morem potiùs gererent. Quarè convictus ipse Duarenus: *Medico*, inquit, *imperium magis convenit.* Sed *Cujacii* interpretatio ad prædictam legem & *Alpheni* locum omnium optima censenda est, qui sicuti *Pintianus* apud *Senecam* pro *imperatorem*, vertit *impetrantem, implorantem*, sic etiam *Cujacius* prædictum locum ex leg. *Medicum plures sibi imperantes habiturum*, id est, *implorantes* explicat; nam cùm dominus libertorum esset etiam medicus, sicuti liberti, ut constat ex ipsa lege, *Medicum*, quòd putaret econtrà, *plures* (inquit Cujacius) *imperantes, id est, implorantes habiturum, si liberti sui non essent medici*: Nam ad illos etiam ægroti accedebant, ut ab ipsis curarentur; qui fortè ad illum accederent, non ad libertos, si illi medici non fuissent.

7. Medici ægrotantes morbis crudelibus oppressos patienter ferre debent.

Unum tamen minimè prætereundum, quod citatus advertit *Molanus*, ægros scilicèt aliquando per impatientiam medicis imperare velle, ut mirum non sit morbo victos imperiosiùs eos aliquando alloqui, ut scitè adnotavit idem Duarenus: *Quin etiam blandiri, & assentiri ægris, magnasq; non rarò molestias devorare, ut ipsis morigerentur, velut quædam vis ac necessitas est, non secus, ac si Regis tyrannive subessent imperio.* Patienter enim aliquandò medicus se gerere debet, ubi præsertim gravi morbo cruciantur ægrotantes, siquidem afflictis afflictio non est addenda, permittendumque ut morbo oppressi, doloribus impatientes, morte territi, cùm de vita migrare timent, & hanc suavem derelinquere auram adversus medicos, adversus propinquos, parentes, & filios, & adversus semetipsos irascantur ac importuna importunè & imperiosè loquantur.

Cap. 54. animadvers.

Ægrotantium imperium ad medicos quomodò sit intelligendum.

Si quis tamen adhuc velit ægros vice imperantis uti cùm medicos invocant, & ad curandas ægritudines compellunt, hoc ad preces magis quàm imperium referendum est, quemadmodum Salvatori nostro Regulus dixit: *descende priusquàm moriatur filius meus*; & Centurio: *tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*; licèt excellentiori aliâ reverentiâ, quàm medicis, & cordis humilitate, tanquam divino

Joan. 4. Math. 8.

no Medico, ad cujus nutum certissima haud dubiè salus & vita sperari debebat. *Ioan. Molanus* citatus scribit, ex *Cicerone* constare, consuetudinem fuisse, quòd ægroti imperatores medicorum dicerentur; locum tamen apud *Ciceronem* non invenio, nec in citata epistola, nec aliâ: nam quòd ibi *Cicero*, ut in multis aliis epist. facit, imperatorem se dicat, ideò est quia Prætor erat; talibus enim magnarum laudum Prætoribus Imperatoris titulus fuit olim familiaris, quo milites, summosque etiam Duces honestabant, ut notat *Alexander ab Alexandro dierum gen. lib. 1. cap. 2.* nec tamen ibi de ægroto, aut medicis verba facit.

8. A Stoico Philosopho ad *Heraclitum* pergamus, qui medicos malè misit mulctatos, quippe de illis referente *Athenæo* aliquando dicebat: *si non essent medici, nihil stultius foret Grammaticis.* Quod certè apud omnes fœdum & ignominiosum apparet, sed minimè videbitur, si dicamus causam, quam ipse habuit ut talia in ipsos proferret. *Laërtius* in vita *Heracliti* narrat, (quod & ipsemet *Heraclitus* in epist. ad Amphidamantem scripsit) illum hominum tædio ab illorum consortio secessisse, vitamque in montibus duxisse, olera ac herbas comedentem; undè in aquæ intercutis morbum deveniens, ad urbem iterùm descendit, ut sibi & morbo provideret; cumque duo medici ad illum curandum accersiti essent, nec alter alteri concordaret, exindè illorum ignorantiam rectè Philosophus cœpit advertere; quippè ut etiam adnotavit Galenus; *qualemcumque ingredientium exercitationem controversia, justam ignorantiæ suspicionem ostendit.* Hanc animadvertens Heraclitus, quòd in morbo notissimo minimè convenirent curando, per ænigma, vel sarcasticè magis, obscuris verbis (quod sui moris erat) ut illorum inscitiam, atque petulantiam retunderet, ab ipsis quæsivit, ἐκ τῆς ἐπομβρίας ποιεῖν τὸν αὐχμὸν; quod est, an possent ex imbre siccitatem facere? *Hermippus* (eodem *Laërtio* referente) scripsit illum medicis dixisse, *num posset quispiam pressis intestinis humorem exhaurire?* utcumque fuerit, nescientes ignari medici respondere, ab Heraclito expulsi fuerunt; nam cùm suo tempore, qui olympiade 69. claruit, annis antè Hippocratem sexaginta, qui olympiade 80. natus est, medici Empyricem tantùm profiterentur, nec optimas curandi regulas, nec morborum naturas probè tenebant, nec proindè in arte versati erant, aut ullâ Philosophiâ imbuti; siquidem multa antiquos medicos ignorasse *Seneca* non tacuit: quarè mirum non fuit quod hoc recolligens Philosophus ipsos expelleret, & unà haberet stultissimos: ita enim accidisse, & non aliâ de causâ affirmat *Mercurialis.* Erat enim Philosophorum mos, cùm ægrotabant, à medicis ægritudinum causas requirere, ut auxiliorum indè normam intelligerent, ac scirent quâ methodo ad morbum curandum medici se accingerent, quemadmodum *Aristotelem* fecisse quæstionibus præcedentibus ex *Æliano* scripsimus: quod tunc imitatus *Heraclitus* levem & non admodùm inintelligibilem quæstiunculam medicis proposuit; laborabat enim Hydropis morbo, qui ut facilè notis propriis manifestatur, ita arduum non erat illum agnoscere, & curandi rationem ex Philosophi verbis intelligere: ille enim non extrà rationem arbitrabatur omnia in corpore nostro sicuti in mundo magno fieri, ut de eo tradit *Aristoteles*; ac proindè sicuti Deus magna mundi corpora medicatur, dum eorum inæqualitates adæquat, atque contraria contrariis cohibet, perindè medicinam ab hominibus, atque à Deo exercendam. Quæ tandem omnia Empyricos & indoctos medicos ne tantillum quidem assecutos cùm videret, illos non solùm repulit, sed stultissimos meritò habuit, licèt rigidè nimis eosdem ac quasi insectando verberaverit; sed & hoc humaniter ab ipsis ferendum, quandoquidem Philosophos maledicos semper extitisse literis mandare idem *Athenæus* minimè dubitavit.

9.

Lib. 9. — *1. de rat. victus text. 14.* — *Epist. 95.* — *Lib. 3. variar. cap. 19. & cap. de Hydrop.* — *Sect. 13. probl. 6.* — *Lib 5. cap. 14.*

Philosophos semper maledicos extitisse.

Poterat quispiam suspicari ab *Heraclito* dictum hoc fuisse, quia *Hippocratis* filii ob squalorem immodicum stulti in Comicorum fabulis introducuntur, cujusmodi est apud eundem *Aristophanem.*

In nucibus act. 3. sc. 3.

> *Hippocratis filios exhibes, teque vocant*
> *Fatuum.* & iterùm *in Nubibus*
> *Hippocratis prolibus locum dabis.*

Undè & illud proverbii vice elatum apud Suidam: *Hippocratis filiis similis eris, teque vocant Blitomannium*; deridebantur enim ut indocti, suilli, & capitones: *Eupolis* eos appellabat subditos & balantes filiolos. Eorum nomina Telesippus, Demophon, Pericles. Hi itaque ut rudes, & indocti stipites, ac hebeti ingenio traduntur in comœdiis. Illorum meminit *Galenus*, & in *Iunii* adagiis apud *Erasmum* mentio fit. Cæte-

In Demis. — *Lib. quod animi mores. cap. 4.*

re-

terùm hoc non habet locum, cùm de filiis magni *Hippocratis* non possit intelligi, nec illorum nomine de aliis medicis audiendum; nullos enim filios habuit, præter Thessalum, & Draconem, qui doctissimi, & in arte medica præstantissimi fuerunt, ut quæst. 4. jam diximus, & in sequentibus ulteriùs dicemus, quæst. 76. cùm de filiis qui ab optimis parentibus degenerant, verba facturi sumus. Itaque hi magni *Hippocratis* minimè filii fuerunt; sed alterius ejusdem nominis viri, qui an medicus fuerit adhuc ignoratur. Nam octo numerat *Suidas*, & supra 20 *Meybomius*, quorum aliquis jam nominatos habuit filios stultos ac fatuos, ita ut proverbio occasionem dederint; aut si tales filios nullus habuit *Hippocrates*, Comici hoc introduxerunt de discipulis medicorum, qui nomine filiorum *Hippocratis* intelligi posse videntur; nam filios medicorum, illorum discipulos dici posse à verosimili alienum non erat, sicuti filii prophetarum, illorum discipuli dicebantur, qui etiam illorum pueri vocantur, quo sensu videtur dixisse D. Ambros. *Misceri mulieri medicorum etiam pueri corporibus utile esse ferunt.* Namque *pueri medicorum* græca locutio est *Luciano*, & *Theodoreto* inprimis frequens, ut notat *Molanus*. Quarè nomine filiorum *Hippocratis*, medicorum pueri, seu filii, seu discipuli intelligi possunt, qui ut initiati tantùm, necdum experti, dementiâ, & fatuitate aliquâ possunt deprehendi, & in eam incidere præcipuè si in artis operibus sese intromittant, quos Comicus *Aristophanes* ideò malè mulctat; nam aliter vel arti vel medicis fatuitatis notam aut ab *Heraclito*, aut à Comicis adhiberi & inuri ridiculum est. cùm satis constet ex *Hippocrate*, oportere medicinam traducere ad sapientiam, & vicissim sapientiam ad medicinam, optimumque medicum, optimum philosophum debere esse, jam *Galenus* proprio libro declaravit, & virum medicum supra alios *Homerus* evexit.

Epist. 66. Cap. 36. Diarii. Lib. de decenti ornat.

Macrobius, ut tandem ultimò ad illum veniamus, cùm *lib. 7. saturn.* de Physicâ loqueretur, Medicinam extremam Physicæ fæcem appellavit. Qualiter autem hoc ab illo dici potuerit, cùm Medicina totam Physicam in se contineat, difficile non est intelligere; nam ibi *Macrobius* nil aliud dicere voluit, quàm quòd Medicina Physicæ digniorem partem, & sublimiorem, quæ est de incorporeis, non consideret, sed circà corpora, & materialia magis versetur: hoc certè voluit significare *Macrobius*, prout ipsum explicat *Baptista Peregrinus*; sed ille non consideravit sub Medicinæ notitiam plures res incorporeas venire, & de illis inquirere, dum temporum mutationes, cælestes motus, eorundem causas, aëris mutationes, & hujuscemodi alia perpendit. Quod cùm verissimum sit, absque ullo fundamento *Macrobium* illud dixisse fatendum est, ac proindè ex hoc capite nil contrà Medicinam deduci posse, ut *Ferdinandus Abduensis* cogitavit; qui inter alia argumenta, quæ adversùs Medicos jaculatus est, hoc etiam non omisit; totam enim Physicam susque deque Medicina sub se comprehendit, ut de omni naturæ œconomiâ ferè nil intactum relinquere videatur: quod adeò verum est, ut Physici nomen Medico inprimis conveniat, & illi soli debeatur, cùm præcipuus sit naturæ speculator, ac venator acerrimus, cui adjunctâ Philosophiâ, quæ necessariò adjungi debet, jam omne sapientiæ studium medico deberi negandum non est. Hoc considerans *Ioan. Picus Mirandulanus*, vir non minùs generis nobilitate, quàm divitiis ac divino pænè ingenio clarus, dum bonarum artium studiosissimus Bononiæ illis incumberet, animadvertensque leges nil aliud esse, quàm meras hominum traditiones, quarum studium animum verè condecorare non poterat, eas omninò deserens, ad Philosophiam, & rerum divinarum humanarumque speculationem se transtulit.

In apologia advers. Phil. & med. calum.

QVÆ-

QUÆSTIO NONA.

Galeno & Hippocrati, an Platoni *potiùs accedendum, quòd hic Medicum requirat multas in semetipso ægritudines expertum, illi econtrà optimâ fruentem sanitate desiderent; & an Medicus ægrotans seipsum curare valeat?*

IAm verò propinquiùs ad Medicum accedentes, inter excellentes illius dotes & ornamenta, aliqua perquiramus, & inprimis de illius valetudine agendum, quam 1. tantùm *Hippocrates* & *Galenus* commendârunt; cùm tamen *Plato*, si non actu ægrotantem, saltem qui in multos morbos lapsus jam fuerit, exoptet, & requirat: & sanè videntur Medicinæ parentes meliùs sensisse, & optimâ sanitate fruentem medicum rectiùs commendare; quemadmodum enim legislator legem observare primus tenetur, ne aliis occasio sit, & transgrediendi præbeat exemplum; ita medicus, qui salutem aliis promittit, & eandem juvare profitetur, si languidus appareat & morbosus, displicet omninò, utpotè qui cùm semetipsum juvare non possit, multò minus in cæteris hoc præstiturus non ineptè putatur. *Plato* ergò Medicos dixit fieri excellentes, si diu sint cum ægris versati, simulque omnes ægritudines experti, ac firmâ non fruantur valetudine. Sed contraria prorsus *Hippocratis* fuit sententia, qui ita scripsit: *Ad ejus authoritatem pertinere mihi videtur, ut prospiciat, quoad ejus natura feret, benè colorato, & optimè habito sit corpore; qui enim bonâ non sunt corporis habitudine, vulgò existimantur cæterorum curam non rectè habere posse.* Confirmavit apertè *Galenus*, qui inter alia ait, turpissimum esse medico laborare scabie, unguium affectu, pilorum capitis, morbo articulari: quò etiam respexit *Sulpitius* ad Ciceronem rescribens: *Nec imitari malos Medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt.* Hinc evenit ut tales plerumque medici ægrotantes & morbidi frequenter illud audiant, quod *Euripides* primus dixit, ex quo *Plutarchus* affert, & meminit Galenus: *Aliorum medicus, ipse ulceribus scatens;* & non raro ex græco usitatum proverbium: *Medice cura te ipsum*, quod sæpè in illos intorquent. Quarè *Galenus* cit. *ex. 6. epid.* de Quinto medico loquens, cui fœtebat os: *Oportebat*, inquit, *eum priùs sui ipsius symptomati mederi, atque ita ad alios curandos sese accingere*; & de alio ibidem verba faciens, cui simile erat vitium, illum laudat, quòd medicamentis affectum suum persanare curaverat, nec nisi Malabathri folio ori indito, domo exibat. Approbat hoc idem *D. Gregorius* tales sic increpans: *Improbus & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit; ipse, quod patitur, nescit*: firma namque requiritur in medico valetudo ad studiorum & praxis labores, & ad æstimationem apud vulgus conservandam; ideoque non immeritò magni nominis 2. medicus *Asclepiades*, asserente *Plinio*, sponsionem cum fortuna fecisse dicitur, ne medicus crederetur; si unquam ullo morbo fuisset invalidus. Quæ cùm ita sint, & nullo non die accidat, ut languentes, & parùm firmâ valetudine fruentes medicos vulgus irrideat, quid pro *Platone* dicendum sit, superest ut dicamus. Certè ut *Hippocrates* ad popularem auram respexit, & medicos optavit gratiosos, & ipso etiam aspectu commendabiles, sic eosdem *Galenus*, qui licèt vulgi famam contempserit, aliquando tamen eos arguit, qui ansam ad famam & gloriam consequendam, quam sæpiùs fortuna offert, capescere nesciant. *Plato* verò magis ad experientiam respexit, quam in semetipso medicus varias ægritudines perpessus acquirere poterat, & ad commiserationem, utpotè qui tantæ miseriæ & doloris non oblitus, evigilet, & languentibus sedulò prospiciat, & ut possit de remediis & eventu in semetipso expertis rectè providere, & commonefacere, obfirmetque ita ægrorum animos; nam & idem *Plato* obstetricem, quæ sæpius pepererit, desiderat, ut scilicèt exemplo suo & experientiâ possit parturientibus & enixis animum & vires addere; ac sic medicum actu ægrotantem non requirit, sed valetudinarium, & qui diversis ægritudi-

Lib. 3. rep.
Lib. de medico.
6. Epid. com. 4. Tex. 9.
Lib. 4. epist. fam. 5.
Lib. de c... gnos. ad ab amico.
5. De sanit. tuenda. cap. 1.
In past.
Lib. 7. cap. 37.
7. Meth. cap. 1.
5. De locis ult.
In Theæteto.

tudinibus anteà laboraverit. Sic *Talentonius*, sic à *Castro* & alii explicant, nec aliter intelligi posse judicamus, ut *Plato* & medicinæ parentes minimè sibi contraria statuisse videantur; quamvis citrà ullam dubitationem certissimum sit *Galenum* & *Hippocratem* meliùs sensisse, dum medicum optimâ sanitate fruentem, & gratiosum exoptant: sic enim magis omnibus placet, meliorque sic morborum antagonista creditur, & salutis adjutor, maiorique tunc fiduciâ, sine ulla increpatione, aut timore vitam suam unusquisque illi concredere non dubitat; nec experientiam illam, quam *Plato* requirit, necessarium est ut in semetipso agnoscat, cùm abundè ex aliorum ægritudinibus assiduo medendi usu se exercens eandem assequi possit; nec tandem ut de ægrorum laboribus & dolore condoleat, necesse est ut suorum reminiscatur; humanus enim & misericors ex propria natura & medici munere debet esse, ut de ipsius parente *Ausonius Gallus*,

In thesaur. in medico politico.

3.

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ;
Officiumq; meum cum pietate fuit.

Edyllio. 4.

Certissimum quippe est, quod de medico jam dudum dixit *Hippocrates*: *Ex aliena miseria sibi dolorem metit.*

Lib. de fracturis.

Quibus tamen non obstantibus licet hac parte vulgi calumniam non magni facere, dum ægrotantes medicos acerbè culpant, & tanquam ad curandos morbos minùs aptos irrident, explodunt, subsannant; illud minimè advertentes, homines esse ejusdem naturæ & compositionis, & ex eisdem fabricatos elementis, ut proindè appetitûs ratione (licèt contraria sciant) aliquandò tamen in victu delinquere possint, nec semper alias ægrotandi causas effugere valeant, cùm sint propemodùm infinitæ: quare excusandi meritò veniunt, nisi admodùm deliciosi, & intemperantes, minusque sobrii plures committant errores, quibus sibi imponant, & ab aliis objurgari meritò debeant; fieri quippe non potest, ut qui sibi non moderatur, is alios optimè regere valeat: tales enim meritò ridendos esse *Galenus* asseverat, & de illis audienda est invectiva, quam adversùs quendam hujus notæ malè feriatum medicum scripsit *Petrarcha*; quamvis, ut rectè monebat Demosthenes, *sunt qui aliis meliùs consulunt, quàm sibi, salutemq; suam negligant, alienam curent.* Cæterùm quamvis infirmi sint, & parùm firmæ salutis, licet ægrotantes adire, & eisdem mederi, si præsertim integro sint animo, quo, ut ipse dicebat *Plato*, & non corpore curant.

5. de sanit. tuend. cap. 1.
In olinth.
3. de rep. seu de just.

4.
[Me]dicus [s]eip[sum] cu[rare] pos[sit].

Quod verò ad secundum attinet, nempe an medicus jam ægrotans sibi ipsi providere possit, & morbos quos patitur, curare valeat, aut debeat, video non sine ratione aliquos dubitasse. *Aristoteles* 3. politi. cap. ult. sic ait: *Atqui ægrotantes medici alios ad se medicos vocant, & magistri palestræ alios magistros, quasi nequeant verum discernere, qui de propriis judicant & in affectu constituti sunt.* Et certè quòd medicus propriis ægritudinibus rectè medelam adhibere non possit, multa suadere videntur; nam inprimis sui ipsius amor & philautia in causa est, non solùm ut mala non ita periculosa credantur ut aliquando sunt, sed à remediis, præsertim si duriora & aspera sint, abstinere & abhorrere cogat; talia enim sæpiùs expostulantur, ut non nisi imperante alio obedientia præstetur; quo fit ut adhibendi occasio prætermitti possit, & malum augeri. Hinc rectè Celsus *lib. 3. cap. 9.* cùm dixisset, *illos quos ratio non restituit, temeritate adjuvari*, subdit statim: *Ideò hujusmodi medicos meliùs alienos, quàm suos nutrire.* Secundò cùm aliqui morbi ab initio non multùm negotii facessere videantur, qui tamen posteà crudeliùs urgent, accidere potest ut vel ex timore, vel ob incuriam minùs quàm oportet illis provideat, ac principio neglecto in deterius vergant. Tertiò si morbus febrilis sit, aut cum ea conjungatur, ut plerumque evenit, tunc commune principium omnium facultatum & actionum, tam externarum quam internarum, nimirùm calorem naturalem, à fortiori lædi necesse est; undè medicus nec rectè judicare de morbo, nec de auxilio poterit: lædi enim in febri tale omnium facultatum principium fatentur *Castrensis*, *Mercurialis*, *Pereda*, & *Massarias*, quidquid econtrà teneat *Matamoros lib. 1. de feb. disp. 14.* Itaque quod de senibus dicitur, imposibile esse, ut aliquis labem sentiat in corpore, quin in

5.

Lib. 3. de meteoris cap. 2.
Mercu. 5. prac. cap. 1.
Pered. lib. 2. cap. 1. in schol.
Mass. lib. 7. pag. 320. parof. & inflammatos.

animo

animo etiam patiatur, multò probabilius est, quòd qui eandem in corpore ex præternaturali causâ habet, in animo quoque obtineat. Tandem quod *Cicero* de omnibus communiter dixit; *cùm benè valemus recta consilia ægrotis damus*; hoc de Medicis *Philemon*.

Phil. in S... culo.

Homini facile est, alii consulere,
Ipsum verò præstare difficilis res est;
Quod in medicis apparere video,
Qui de continentia apud ægrotos perquam benè
Omnes loquuntur: deinde ubi morbo afficiuntur,
Ipsos facientes videre est, quæ quidem prohibebant.
Non ejusdem est scilicèt dolere posse, & contemplari.

Hoc minimè ignorans *Zwingerus* sic scripsit: *Medetur quis, vel sibi ipsi, vel aliis, habitu licèt eodem, ut multùm tamen dispari confidentiâ & alacritate. Omnes cùm valemus recta consilia ægrotis damus, inquit ille; & qui aliis rectè consulere potest, dum corpore & mente valet, simul atque ægrotare cœpit, animum quoque in consensum corporis imbecillitas trahit, ut vel non videat quid agendum sit, vel certè propter cupiditatum vehementiam à recta via se ut plurimùm abduci patiatur. Itaque rectè Medici ægrotantes, personâ medicâ depositâ, non jam sibi ipsis mederi, sed aliorum medicorum rectè valentium consilia expetere, & exequi solent, debentq́.* Proindè rectè quidem Euripides: *Omnes in discernendis & levandis calamitatibus proximorum plus sapiunt, quàm domesticis fortunis.* Quoniam, ut *Sophocles,*

In proœ. cap. 2.

In Alcme... In Ocipo...

Monere facilius est, quàm sustinere patiendo.

6. Quod enim de affectibus animi, non dissimiliter de corporis morbis statuendum est; quandoquidem de utriusque passionibus optimè illud dicere, & audire convenit, quod *Petrus Monavis* apud *Cratonem*: *Vnusquisque pessimus sibi medicus est, & magister.* Fatemur tamen cum hoc leviores quosdam morbos, præcipuè externos, & febre carentes, medicum sibi curare posse, cùm non ita magnis doloribus, intemperiebus, aut aliis gravioribus symptomatibus mentem & corpus perturbent.

Lib. 2. epist.

QUÆSTIO DECIMA.

An Medico liceat, aut possibile sit, absentem ægrotum per epistolas curare?

Epist. 22.

AN ipsa ratio, an *Senecæ* authoritas huic dubitationi occasionem dederint, ambigitur. Ego utrumque judico; sic ille: *Non potest medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda est. Vetus proverbium est, gladiatorem in arenâ capere consilium: aliquid adversarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri soleat, quid oporteat, in universum & mandari potest, & scribi: tale consilium non tantùm absentibus, sed etiam posteris datur. Illud alterum quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit; cum rebus ipsis deliberandum est. Non tantùm præsentis, sed vigilantis est occasionem observare properantem.* Certè magni momenti rationibus sententiam suam stabilivit *Seneca*, ut suadeat in quovis negotio peragendo rumpendum otium: siquidem, ut ipse ait, quid soleat, quid oporteat fieri, scribi, & mandari potest absentibus; sed quando & quomodò, nemo, inquit, ex longinquo suadebit; cùm ipsis rebus non solùm præsens, sed sedulò evigilando deliberandum est: exemplum tibi dat in medico, qui per epistolas malè cibi aut balnei, (sic & cæterorum auxiliorum) tempus eligere potest; vena, inquit, tangenda est, ut quemadmodum gladiator in arena ex vultu adversarii, ex motu, ex inclinatione, ita medicus ex pulsu, & reliquis ægritudinis signis, & motibus consilium capere debet, ad ea peragenda, quæ curandi methodus, & morbi status, viresque expostulant; nisi enim omnia exquisitè à medico perpendantur, mutationes etiam, quæ per momenta non raro accidunt, & multa alia quæ inopinatè eveniunt, probè observentur, & explorentur, non pauca etiam rogando ab ipsis ægris examinentur, rectè eisdem consulere medicus non poterit. Prætereà ea quæ medico scribuntur, ad perfectam informationem aliquando

1. *Vena pro arteria apud Senecam.*

dò

dò non sufficiunt, ut non immeritò dixerit *Aristoteles*, quòd ii qui ad pauca respiciunt, facilè fallantur; aliquando superfluis necessaria implicantur, & ab his, qui medici non sunt, confusè admodùm referuntur, & fortassis aliqua, quæ ad optimum judicium faciendum requirebantur, omittuntur. Deinde cùm *Galenus* de indicationibus agens, quæ ad morbos curandos necessariæ sunt, à nullo eorum, quæ adhuc non permanent, sumi posse dicat, ut ex usu remedium adhibeatur; & cùm accidere possit, ut modò hâc stante indicatione, statim alia, quæ aliter indicet, adveniat, illud quod de prima indicatum est, jam nihil valet, cùm indicatio non de præterito, aut futuro, sed de præsenti tantùm debeat esse: est enim præsentia accidens inseparabile indicantis; quam doctrinam probat *Aristoteles*, cùm media & extrema dicit esse congenita, & ejusdem temporis; quarè ubi non sunt congenita, consequentiæ non valent; ideoque si remedium præsens non colligitur ab indicante præsente, sed à futuro, vel præterito, nullum erit, & nullas habebit vires, ut morbum pellere possit. Quâ positâ veritate multorum medicorum carpitur vanitas, dum consulunt, quid sit faciendum post tres, vel quatuor dies, aut in sequentem diem remedia ordinant, cùm sæpè post horam omnia varientur indicantia; in quod erratum persæpè incidunt dum à præteritis indicantibus remedia hauriunt, falluntur etiam ægri, qui à medico absente consilium petunt, interim antequam consultationes scribantur, ex morbo morbi succrescunt, & contraria emergunt accidentia, quæ medici consilium reddunt aut irritum, aut perniciosum. Hac de causa *Galenus* absentem medicum in magnis morbis benè mederi non posse affirmabat, & cùm à Cæciliano amico rogaretur, ut filio suo adesse adjuvareque vellet, gravatè id fecit; *cùm enim* (inquit) *puerum hunc nunquam viderim, nec à principio qualis ipsius natura fuerit, qualisq; ob ægritudinem sit cognoverim, sed à vobis tantùm epilepticis accessionibus corripi audiverim, facilè decipi possem.* Tandemque addit, se quidem nunquam anteà id facere solitum fuisse, verùm ne negligens potiùs, quàm rei veritate ductus non obsequi videatur, se hac in parte illius petitioni satisfacturum esse; aliam deinde addit causam, nimirum quòd licèt ipse medicus accuratè omnia moneat, singula tamen in ipso usu etiam ab assistentibus administrari non possint. Se igitur excusat *Galenus* ab absentis epileptici pueri curatione scribenda, duplici scilicèt de causa, & quòd ipsum nondum noverit, nec tractaverit, ideoque minùs illius naturam habuerit perspectam, secundò quòd etiamsi accuratè omnia disponere possit, tamen asistentes poterunt multa præterire, alia indebitè applicare administrareque poterunt, alia extra tempus, alia negligenter omittere: nam quantùm ad perfectam curandi rationem propria ægrotantis naturæ cognitio in medico desideretur, ac necessaria sit, *Hippocrates* & *Galenus* plurimis in locis docuerunt, licèt aliàs hoc ad unguem assequi tam difficile agnoscat, ut Æsculapio, & medicinæ Diis meritò relinquat, cùm individua omnia, ut facie ita complexionibus differant. Assistentium quoque officia quantùm ad morbum rectè curandum faciant, non est cur immoremur dicendo; notissimum est, Medicum, ægrotum, & assistentes, omni studio omnique diligentiâ simul adversus morbum conspirare debere; *tunc enim omnia rectè fient*, dicebat idem *Galenus*, *si ab adstantibus nullum erratum commissum fuerit.* Ex quibus patet quantùm negotii, quantumque laboris facessat curandi industria, nisi cum ægro præsens sit medicus, qui prout decet, omnia inquirat, aspiciat, contempletur, interroget, atque ita, quæ exequenda sunt, disponat, & suo tempore, & ordinatè ex methodo imperet; ut facilè indè innotescat, quàm difficile ac pænè impossibile sit, de absente ægroto rectè judicare, & remedia præscribere, cum non rarò, quæ modò convenire visa sunt, cras in perniciem adhibita fortassè venire poterunt; & occasionem, quæ anima curationis ab *Hippocrate* appellatur, quomodò poterit expiscari, ut tempore debito admoveantur auxilia, cum brevissimè non rarò transeat, ac momentanea sit?

[Left margin: 2. / Indicatio semper est de præsenti, nunquam de futuro. / Medici remedia in sequentem diem ordinantes culpantur. / 3. / 4.]

[Right margin: 4. Meth. 5. & 3. Meth. 1. / Lib 2. post. cap. 11. & 13. / In documento pro puero epileptico. / 1. Epid. sect. 3. tex. 1. & 1. ad Glau. cap. 1. / 1. Meth. 2. 3. Meth. 7. / 1. Aphoris. 1. / Epist. ad Democrit.]

Sed licèt hæc ita se habeant, constat tamen doctissimos viros epistolis & consiliis multos juvisse, ut innumera multorum ostendunt scripta, non sanè contemnenda, cum non exiguam medicinæ partem therapeuticam complectantur: & certè divina res est consilium, ut illorum, quæ sacra appellantur, nomine meritò extollendum fuerit; atque ita qui suâ prudentiâ aliis subveniunt, laudari nunquàm satis merentur. In multis siquidem morbis mediocris sufficit rerum cognitio, & aliquandò consilia à medicis expetuntur, ut collatis inter se opinionibus rectior eligatur, in morbis præsertim insolitis, raris, aut difficilibus; plus enim vident oculi,

 quàm

quàm oculus; quin imò frequenter, dum quæ ab absente medico dantur consilia, à præsenti alio, quid, quomodo, quo tempore deliberandum sit, opportunè exigitur, & illi rectè gubernandi, mutandi, addendi, & exequendi conceditur facultas, & præstatur optio; nec enim humanum urbanumque videtur rogantem deserere, tandemque ipsa experientia quàm plurimis medicorum consilia profuisse, felici eventu comprobavit, atque evicit.

Ergò quid in hoc statuendum sit, paucis demonstrabo. Duplex igitur est morborum conditio, alii acuti, alii chronici sunt, & diuturni; illi celerrimi, & qui ingentes mutationes brevi tempore subeunt, in eodem statu nunquam permanent, propterea de his dicebat *Hippocrates*, difficilem esse prædictionem salutis, aut mortis; hi verò molesti, contumaces, diu durantes, curationi renitentes, & qui hominis patientiam omnem non rarò superant. De primis itaque dicimus, quòd impossibile sit ut per absentem medicum rectè curentur, præsertim cùm per horas & temporum momenta novam induant faciem, & symptomata afferant, quæ nova auxilia requirant, ut methodum, curandique normam mutare sæpiùs cogant, & calido tenuique humore hinc indè propulso, alteri morbo, alterive symptomati occurrendum sit, quòd fieri haudquaquam poterit, nisi præstò medicus adsit; quin imò aliquandò ita diligenter se gerere expedit, ut multis impendentibus ac non leve periculum minantibus, antequàm adsint, sedulò prospicere conveniat. De chronicis verò aliter statuendum est; quippe qui in terreo & frigido humore contumaces, eodem omninò modo permanere videntur, aut saltem ut lentè procedere consueverunt, ita non nisi longo tempore mutationem accipiunt, ac exitum habent, partibus non rarò, quibus hærent, evictis & patiendi labore debilitatis. In istis non est dubium quin absens medicus certiùs de morbo omnique illius eventu informationem accipere possit, & consilio ægrotantem multum juvare, cùm eodem modo frequentiùs procedant, & conditionem, modumque, quo anteà consistere visi sunt, vel paucis mutatis, invadendi & recedendi naturam servent eandem; propterea in tot doctissimorum Scriptorum libris, qui consilia & epistolas scripserunt, de chronicis præcipuè egisse advertere est, raro admodum de acutis, quorum curatio nisi diligenter à præsenti medico provideatur, rectè institui nunquam poterit: propterea *Galenus in consilio pro puero epileptico*, adhuc gravatè fecit, sed tamen omninò se excusare noluit, quia chronica erat ægritudo; in similibus namque per epistolas medicamenta & curationem perscribere non ita difficile est, ac periculosum, sicuti in acutis, quæ celeriter ad exitum cum periculo tendunt; sic enim idem *Galenus* intelligendus est, dum aliquos per epistolas curasse scribit, præsertim suffusionem, & oculorum similes alias affectiones; pro ejusmodi quippe morbis curandis, multas ait epistolas habuisse ex Iberia, Celtica, Asia, Thracia.

[Margin: 2. Aphorism. 19.]

[Margin: 5. *Morbos acutos medicus absens non rectè curare potest.*]

[Margin: *Medicus chronicos morbos per Epist. potest curare.*]

[Margin: Lib 4. de locis cap. 2.]

Ex dictis jam obiter taxanda venit quorundam pessima consuetudo, qui Diagnosticam medicinæ partem, sine qua Therapeutica haudquaquàm exerceri potest, parvi facientes, solius urinæ judicio freti, domi velut Alexandrini medici desides, in solio velut alter Apollinis sacerdos, aut ut anus fatidica ex tripode, non viso ægro, sed tantum conspecto lotii vitro (bone Deus, quàm ambiguè, quàm perplexè!) de ægrotantis morbo, salute, ac morte pronuntiare, imò perfrictâ fronte nugari non erubescunt; & parùm esset, nisi remedia invisis ægrotis statim dictarent, quę in perniciem magis, quàm miserorum utilitatem ullam præscribunt. O vile lucrum! O execranda ambitio! Quantâ diligentiâ veteres illi in morborum agnitione desudarint, sudores strigili excepti & aurium sordium degustatio testata est; modò avarus & turpis pseudomedicus ob levem pecuniolam, quâ scortum non mereret, ægrotantem lædere non formidat! lædes certè, si non perspecto & prævisо morbo adhibes, quæ tu profutura esse haudquaquam nosse potuisti. Vulgi ruditas est, & inscitia, ad quam te accommodas, quâ & temerario tuo fultus judicio de morbo, imò de hominis vitâ ineptire non vereris: talibus popularis aura quàm veritas potior est; sed proh dolor! quantis! Ergò fraudulentis, & nugacibus Empyricis, impostoribus, perniciosum hoc de morbis judicium, mortalium pessimo consilio, damno potiùs introductum relinquamus, aut cum ipsis agyrtis, circulatoribus, infestissimisque nebulonibus, & chymicis fumivendulis explodamus, qui Philosophiæ & medicinæ nec prima quidem rudimenta scientes impunè per mortes experimenta agunt, medici nomen vendicantes, qui ut fuci in aliena apum alvearia, ita in medicinam irrepserunt, fictaque per urinæ inspectionem cognitione

[Margin: 6.]

[Margin: De quibus Gal. lib. 2. De nat. hum. & alib. passim.]

tione, ignorantiam suam vulgarium stupidâ aliâ ignorantiâ celant, & illorum ruditate patrocinati vaticinantur, sicque incautos deludunt consulentes, & miseros interficiunt ægrotantes; qui dum remedium invenire cogitant, in mortem turpiter impingunt. Sed pessimus hic multorum mos jam à legitimis medicis videtur aliquantulum recessisse: faxit Deus, ut ab omnibus tanquam noxius, ac impius dignoscatur, & dimittatur, & damnosa hæc consuetudo ablegetur, contrà quam celeberrimi viri insurgentes longè lateque tantam inscitiam, & temeritatem culpârunt, & lepidis facetisque historiis irriserunt, quas apud *Forestum* & à *Castro* legere poteris, ubi ridiculosæ multæ afferuntur.

Forest. in libris trib. de urinarum increm. ferè per totum Acast. lib. 3. de med. polit. cap. 10. & 11.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An liceat Medico, ægroto jam in extremis degente, de morte illum commonefacere?

Græcorum poëtarum antiquissimus Mimermus acerbè & contumeliosè in medicos invectus, hanc adversus illos promit calumniam, mala eos, quæ sunt exigua, majora quàm sint, solitos esse extollere ut sibi & authoritatem & in curandis morbis industriæ famam comparent. Sic ex illo vertit *Stobæus*:

Serm. 100.

1.

Sicuti Medici solent dicere,
Mala majora, & gravia esse plus, quàm timendum sit,
Seipsos ut extollant.

Sed dolosæ hujus cautionis meritò medicos argueret, si apud omnes hujus fallaciæ constaret norma; quandoquidem tantùm abest, ut apud ipsos commentum hoc sit usitatum, ut etiam primi artis parentes & eximii duces illud maximè damnent, ac vituperent, & tanquam medicis indignum proferant, subdolis & histrionibus tantum similem relinquentes vafriciem. Et inprimis medicorum maximus *Hippocrates* adnotavit id non rectè à medicis fieri, si morbum aliter atque est, esse pronuncient, eum scilicèt, qui parvus sit magnum appellando, & jure optimo *Celsus* ex medicorum albo illos delet, qui id faciunt, aitque non in medicorum numerum, sed histrionum potius referendos; sic ait: *ut hæc prudenti viro conveniunt, sic rursus histrionis est parvam rem attollere, quò plus præstitisse videatur.* Nec hoc commentum *Galenum* latuit, qui licèt ex tali impostura utilitatem aliquam ægrotis & medico succrescere posse scribat, hoc ex aliorum dictis, non ex propria sententia profert, illius sunt verba: *Atqui majora etiam quàm sint, vitia laborantibus apparere utile esse tradunt, ut ne medicis tanquam non celeriter ea curantibus irascantur, utque certæ & exquisitæ victûs rationi obtemperent; nonnulli etiam addunt & munera ampliora, qui sanati fuerint, medicis esse daturos; utpotè magnis languoribus se liberatos esse arbitrantes.* Subdit statim: *Hoc nonnulli rursùs haud secundùm Hippocratis sententiam esse ducunt.* Et sanè verissimum est ipsum *Hippocratem* hanc fraudem acerbè damnasse. & ut futilia inaniaque jactantibus relinquit, sicuti *Celsus* histrionibus, qui quod non sunt jactant, & quæ non intelligunt arroganter proferunt: quamvis tamen à *Galeno* numeratæ utilitates aliquid boni afferre videantur, quia ut idem dicebat; *quin etiam plures homines confisi, perinde ac si sine periculo ægrotarent, medicis non obtemperant.* Circa quod multa in eodem comment. videri possunt, quæ sicuti modò non improbamus, & cùm ægro immorigero & medico reluctanti fieri posse aliquando conducibile videatur, ita tamen illi ignominiosum & indignum, quòd amplioris mercedis spe, & execrandâ ingentis præmii cupiditate talem ægrotis fraudem moliatur, & puritatem Medicinæ lædat, artisque suæ dignitatem dolis deturpet, morbum extollendo, ut plus præstitisse videatur, malè feriato quodam laudis, ac æris aucupio; quâ sanè fallaciâ ignari multi, & subdoli hodiè non infrequenter utuntur, leviores morbos summo haudquaquam periculo carere falsò asserentes, & parvi negotii ægritudinem nescio quibus ambagibus hinc inde conquisitis amplificant; quo fit ut miseri ægrotantes ampliorem mercedem elargiantur illis, à quibus nil ultrà, quàm mortis comminationem, & metum acceperunt,

1. De morbis.

Lib. 5. cap. 16.

2.

Lib. 6. de morb. vulg. com. 5. text. 13.

Lib. 6. de morbis vulg. com. 2. text. 43.

3. *Medici docti aliquandò falluntur, dum ab initio morbum levem, aut gravem esse proferunt.*

perunt; tamen non raró optima fuerit prudentia illorum pepercisse remediis; siquidem rectè *Damascenus*: *Qui neglectâ arte pecuniæ studio deliciisq; servit, ei nulla fides habenda est*. Parum quippe hi distant ab illis, de quibus *Tertullianus* quærit: *Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum morâ præsidii, & periculum extendat dilatatione remedii, quò pretiosiùs, & famosiùs curet?* Cui tamen cum *Seneca* respondendum 6 de benef. cap. 36. *Gravissima Medici infamia est; opus quærere: multi quos auxerant morbos, & irritaverant, ut majori gloriâ sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magnâ miserorum vexatione vicerunt*. Nam præterquam quòd technis plenum sit illud fallendi studium, doctis quoque & circumspectis medicis sæpiùs deceptio obtigit, dum ab initio morbum levem, aut gravem esse arbitrantur, cùm non raró aliter in processu experiantur; imò ipse *Galenus* aliquando hoc sibi evenisse, fateri non erubuit; nam cùm in quodam ægrotante morbum ab initio parvi momenti esse judicaret, posteà gravissimum & periculo plenum agnovit. Quod idem *Damascenus* advertit; quarè inquit: *haud igitur temeré & citrà rationem determinandum*.

(Aph. 1; 4. De loc. cap. 8.; Aph. 97.)

Medicus an ægrotanti mortem denuntiare debeat?

Ergò sicuti turpe hoc extorquendi & avaritiæ detestandum commentum garrulis & histrioniam exercentibus, ex *Hippocrate* & *Celso* relinquendum est, tanquam medicis ignominiosum, ægris inutile; ita non erit incongruum scire, an expediat docto & munus suum optimè exequenti medico, ægrum malè & in extremis habentem, de morte commonefacere, & de extrema necessitate eundem admonere? Priùs igitur quid medici de hac re consulant, dicendum est; posteà quid Theologi, & Christiana religio doceant afferemus. Sanè *Galenus* dubium hoc sic solvere videtur: *Nam si prudentem hominem præterea, non timidum esse cognoveris, vera ipsi dicere conaberis, nil eorum, quæ in morbo futura sunt, subtrahens, nec dissimulans: at si stultum atque timidum, omnia ea quibus ipse meliori animo futurus sit, dicito, nec tamen magnoperè mentiaris. Quòd si interdum ob extremam laborantis formidinem, ipsi certam salutem polliceri coactus fueris, egressus saltem ejus curam gerentibus vera dicito; ita enim nec ille animum despondebit, & tu plerumque vera retuleris*. Verùm *Cornel. Celsus* nec ad hanc prudentiæ & fortitudinis conditionem respiciens, convenire scripsit ægros omnes securos agere, ut corpore tantùm, non animo etiam laborent; atque si quæ sunt quæ exasperatura eorum animos sunt, optimum, inquit, est, ea dum ægrotant, eorum notitiæ subtrahere: quocircà sequenti capite idem *Celsus* dicebat: *Et si quis ejus metus est, eum probabili sermone lenire*. Ejusdem opinionis fuit *Damascenus*, qui in multis Aphorismorum suorum locis Medicum monet, ne in desperationem agat ægrotantem: *Oportet ægrotantibus perpetuò, etiam si desperes, salutem polliceri, neque vel deploratos animum devovere, unquam permittere; temperatura enim corporis animi affectibus semper cohæret*.

Medicus prudentibus & minimè timidis pericula morborum poterit manifestare, aliter stultis & timidis.

(6. de morb. vulg. com. 2. text. 43.; Lib. 3. cap. 5.; Aph. 29. 46. 53. 143.)

4. Proptereà Salmantinus professor *Scortia* in quibusdam ad Medicum animadversionibus, hoc maximè commendabat, ut ægro quantumvis validissimo nunquam mortis periculum denunciaretur; sunt enim plerumque infirmi, ut cum *Valeriola* loquar, suâpte naturâ suspiciosi, & formidolosi, accuratiusque non solùm verba & rationes, sed & gestus, & nutus Medicorum observant, à cunctis, quæ vel nutu, vel sermone significârit Medicus, metuentes; quamobrem prudentis fuerit, inquit ipse, quæ ægro metum allatura putârit, ea simulatione tegere, si lethalia signa, si decretoria mala, si infelicem morbi exitum prospexerit; ea non prodere; ab his enim si perspecta ægro sint, & cognita, difficilis tolerantia, diffidentia, desperatioque sequi solent, neque abs re fuerit, aliud sentire, aliud loqui, ne in desperationem adigatur æger; & fortassis in animi deliquium, aut syncopem facilè incidet, & in mortem, præsertim cùm debilis jam sit, & à morbo superatus. Quapropter dicebat Cassiodorus: *Naturalis cura est ægris lætitiam dare; nam fac invalidum gaudere, & sanatus erit*. Quarè sic præcipit Rasis: *Doctores Medicinæ ægros debent consolari, etsi signa mortis perpendant; corpora enim hominum spiritus eorum sequuntur*. Multùm quippè ad salutem facit consequendam ut æger de Medico magnam spem, & confidentiam habeat, quod in Prognosticorum initio docebat *Hippocrates*, & tam ex sani quàm ægroti imaginatione collegit *Avicenna*, quantùm apud eos vel salutis, vel morbi valeat efficere: *Attende dispositionem infirmi cùm credit se convalescere, aut sani cùm credit se ægrotare; multoties contingit ex hoc ut cùm corroboratur forma in anima ejus, patiatur ex ea ipsius materia, & proveniat ex hoc sanitas aut infirmitas; & est actio hæc efficacior, quàm id quod agit Medicus instrumentis suis & medicinis*. Ergò si ob spem sanantur ægri, quam ipsi de salute imaginantur, multò melius id consequentur, si confidentiam de Medico

5.

(6. Enarrat. 6.; 6. Aph. 17.; Lib. de virib. cordis.)

dico

dico habuerint. Et econtrà si ex eo quòd sanus credat se morbum pati, & ægrotare præsumat, corpus non leviter alterat; quantò potius ægrum morbo confectum, consumptisq; viribus, in animi exolutionem, & mortem deventurum facilè timendum erit, si à Medico in desperationem mortis enuntiatione adigatur? Nec utriusque desunt exempla. Scribit *Vega* quendam phreneticum ad talem dementiam pervenisse, ut obnixè assistentes rogaret, concederent sibi natationem in stagno illo, (monstrabat autem domûs pavimentum) aiebatque constanter statim se convaliturum: tandem permittente Medico cùm per spatium crebrò suprà pavimentum volveretur, summâ jucunditate dicebat, jam sibi aquam accedere ad genua, optareque ut sursum conscenderet; paulò post lætior, jam, inquit, attingit inguina, atque ita juxta magnitudinis conceptum ad guttur usque aquam jam pervenisse hilari facie gestiebat, clamabatque se sanum, ac febre liberum; accessit Medicus, ita esse cognovit, & hominem sanum reperit: tanta hæc fuit imaginationis vis in ægrotante. Quam in sanis non minorem efficaciam obtinere, aliquandò observatum est; cujus exemplum rarum idem author narrat, de quodam, qui cum inter sepulchra patrum nocte deambularet, ex capulo calceo hærente conceptâ opinione, quòd ab avorum manibus vocaretur, intrà hebdomadam decessit. Nec dissimilis alia, & admiratione major, alterius historia à *Manlio* adducta. Morio, inquit, propter excessum aliquem commissum, ad confictum supplicium productus fuit, quasi capitis pœnâ plectendus foret; adest lictor, gladium quidem stringens, ut illi terrorem incuteret, bacillo verò morionis cervicem leviter tantùm percutiens, miserum hominem exanimatum, non sine astantium stupore, concidere fecit. Huic similem aliam refert *Euseb. Nieremb.* de alio, qui cum madido linteo retrò percussus esset, ensem fuisse cogitans, ab ictu statim exspiravit. Igitur si tam vehemens est imaginationis vis, ut in proprio corpore non solùm spiritus & humores huc illuc moveat, accedere, recedereque faciat; diffidentiâ, timore, & desperatione adjunctâ, quis dubitat, quin exanimare possit? Tristitia in melancholiam adegit, ira in furorem, lætitia nimia aliquando in exsolutionem adduxisse visa est, timor & metus in mortem: & si hanc animi affectus repentè inducere valent, quantò potiùs si illis adjungitur desperatio, à Medico in summo virium languore denuntiatâ morte, haud dubiè ingenti metu hominem non tantùm invalidum, sed fortem etiam, & constantem undique quatiens, perturbans, tristans, & omnem animi vigorem dejiciens? Omnium quippe terribilium mors terribilissimum. Hoc ita esse minimè ignorantes Medici cavent magnoperè, & quomodocumque æger se habeat, illi nunquam mortem, sed salutem semper promittere consueverunt; fortis an dejectus sit animo, salubriter an periculosè ægrotet; hoc enim adeò necessarium judicant, non medici solum, sed vulgares etiam, & qui ægrotis assistunt cognati, amici, & cæteri omnes, qui illi famulantur, ut si aliter Medicus fecerit, maximè in illum commoti probris afficiant, & ab infirmi curatione submoveant. Hac de causa dicebat Plato: *Mendacium concedendum esse Medicis, aliis verò minimè; Medici quippe ut ægrotantium animos solentur, promittunt sæpè sanitatem, etiam in ipso mortis agone, ne animum despondeant.*

[Margin: ...oria ...netici ...nagi- ...onis ...iti.] [Margin: In arte med. cap. 85.] [Margin: ...toria ... de ...gina- ...is vi in ...s.] [Margin: In locis com. sub. 5. præcepto.] [Margin: Lib. 1. phil. curio. cap. 20.] [Margin: Lib. 3. de rep.]

16. Sed licèt hæc ita sint, & in praxis quotidiano usu non solùm Medici hoc consulant, sed exequantur, ac tam in timidis, quàm in fortibus id observandum moneant, hâc adhibitâ cautelâ, ut ægrotantium propinquis & familiaribus liberè & palàm morbi conditio, & status dicatur, prout optimè hoc idem advertit Celsus: *deinde*, inquit, *ubi gravis metus sine certa tamen desperatione est, indicare necessariis periclitantis in difficili spem esse, ne si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videatur*; ubi vult ut cognatis, amicis, & propinquis (nam hos omnes necessariorum nomine intelligit) morbi periculum, non ægrotis declaretur: videtur tamen *Galenus* loco anteà adducto in prudenti & nequaquàm timido ægrotante aliter statuere; cui vera dici posse, nilque eorum, quæ in morbo futura sunt, subtrahi, aut dissimulari censet. Cujus tamen consilium non admittit *Augenius*; *quia*, inquit, *imaginari non possum hominem tam composito futurum animo, qui non contristetur ex mortis certo nuntio, cùm omnium terribilium finis sit mors. Quid enim magis exasperare possit morte ipsâ non video; nec est quòd quispiam dicat philosophos ejusmodi esse, quoniam hoc falsum esse convincitur, quòd ille, qui mortis dominus erat, Patri dixit: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Quarè prædictus *Augenius*, & antè adducti omnes, pluresque alii, nec in timidis, nec in fortibus, prudentibusve, tale mortis nuntium à Medico præcipuè un-

[Margin: Lib. 3. cap. 26.] [Margin: Lib. 6. epist. 2.]

unquam audiendum commendant; tam enim horribile hoc ac consternationis plenum omnes arbitrantur, ut si Medicus quispiam minùs circumspectus mortem ægrotanti pronuntiet, non solùm ipse æger, affines, & propinqui malè ferant, sed in Medicum invehantur, mortisque reum accusent, nec domum ulterius intrare permittant; quòd corpore laboranti, animi alium laborem addat, multò difficiliorem tolerando, ac miserum in desperationem detrudat; qui sanè ut corporis ita animi laxamentum requirebat, & malorum depulsorem potiùs, quàm mortis præconem, ad quam quis est qui ire non formidet? & quamvis jam in eo sit statu, ut evadere non posse videatur, auditâ ab illo sententiâ, à quo sanè remedium expectabat, desperatione consternatus ac exsolutus, citiùs quàm accidisset, cadet, & morietur.

7. His ergò relictis, & importunis aliis distinctionibus ab *Augenio* adductis, videndum quid in hac re statuant Theologi, tamquam saluti animarum convenientius, quod præcipuum est, atque omnibus aliis anteferendum. Atque inprimis in morborum periculo versantes de mortis properantis necessitate advertendos esse, tamquam maximè conveniens consulunt; quod probare contendunt ex verbis *Isaiæ* ad Ezechiam Regem ægrotantem: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives.* Secundò quia saluti animarum præcipuè attendendum est, multò magis quàm corporis. Tertiò quià multi de periculo mortis nil cogitantes, non ità ardenter animum in Deum erigunt, ut toto corde delictorum suorum pœnitentes, & contriti remissionem consequantur, qui tamen audito mortis nuntio, de summo Bono cogitantes resipiscunt, & toti ad Deum convertuntur; quod forsan non facerent, si in oblivione permanerent: & quantùm vita æterna momentaneæ hujus sæculi anteferenda est, & præoptanda, tantò magis media ad illius consecutionem præferenda sunt, quàm corporalis salutis. Quò sanè respicientes S. Theologiæ Doctores indubitanter tenent ægrum de morte advertendum; quòd vel per Medicum, vel per alium fieri volunt, ut expressè docet *Ioan. de Neapoli*, creditque quòd talis pronuntiatio ægrotanti utilissima erit: idem tenet *Navarrus*, & est hodie ferè omnibus communis; quin & ex medicis quàmplurimi Christiànè, & ut decet loquentes Theologis consentiunt, ut *Codronchus, Fontecha, Lemosius*; nam Christianæ pietati valdè consentaneum videtur & ægrotanti utile, prudenti quadam lenitate, per se aut per alium mortem vicinam insinuare. Credibile est enim, hominem Christianum, cognitâ morte, diligentiùs ac ferventiùs se ad eam non modò moderatè sed hilariter ferendam paraturum esse, quàm si de ea nihil cogitaret, aut à nemine quidquam audiret: hanc quippe ægri occasionem nacti multis, quæ hactenùs corpus & animum illorum perturbârunt, prospicere possunt; & plures casus in quibus sic fieri oporteat adducit *Navarrus*, nimirùm si confiteri nolit, si testamentum condere recuset, ex quo lites inter affines necessariò emergere debent, & rixæ; addunt Medici, in casu, quo remediis non obediat: sed in his tribus assignatis, sine mortis evidenti periculo, talis comminatio fieri potest, ut si animæ aut corporis remediis reluctetur, sic ad melius judicium reducatur.

Cap. 38. 4. regum cap. 20.

Quodlib. 11. Navar. cap. 25. num. 6. Lib. 1. de Christian. Med. c. 1. Font. lumina. 1. Lemos. 1. Meth. 1.

8. Cæterùm in omnibus ad mortem tendentibus, de facto vitæ finem adesse, jam illis denuntiandum esse, christiana pietas, charitas, & religio docent: quia vel virtute prædìti sunt homines, & qui Deo vixerunt, non mundo; vel peccatis obruti, læsâ conscientiâ periclitantur: si primum, non solùm audire non pœnitebit, sed optabunt, sicuti de quodam inculpatæ vitæ viro narratur, qui auditâ à Medico mortis necessitate, festivè & jucundè ex Psal. 121. exclamavit. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum domini ibimus.* Hinc rectè Marulus: *Pergant nunc nimis anxii vitæ amatores medicamentis sustentare sanitatem, morbos depellere, & brevissimi temporis spatium totis redimere patrimoniis. Inventi sunt Dei servi, qui mori optarent, ut in æternum vivere citiùs inciperent.* Si secundum, & animam non ut oportet mundam, & peccatis exutam retinent, nec ab animi, & mundi hujus affectibus liberi inveniuntur, iis necessarium magis, & conveniens erit; nam si aliter fiat, contra proximi charitatem peccabitur: si enim melius est millies mori, quàm Deum vel levissimè offendere, profectò magis optandum ut corpori vis inferatur, tristeturque mortem cogitando animus, quia talis cogitatio hominem in mortis agone versantem, deque salute animæ periclitantem, Deo reddere potest amicum, si anxietur tunc temporis & pœniteat illum, & ad Salvatoris nostri misericordiam implorandam toto corde convertatur: multo namque majus donum est, mentem sanam habere, quàm

quàm illæsum corpus. Itaque eis magis accedendum, qui animarum salutem corporis saluti anteponunt, & ad æternam felicitatem nobis viam sternunt. Hortabantur certè Antiqui ad audaciam, ad temeritatem, ad mortem fortiter ferendam, sine ulla æternæ gloriæ spe; *Seneca* quantus est in epistolis ad fortiter ferendam mortem ut suadeat! Prudenti viro *Galenus*, non timido ægrotanti infelicem morbi exitum aperiri vult. Ethnici omnes & de animæ immortalitate ignari, (nam & planè eam se ignorare *Galenus* fatetur) audaciam & temeritatem, prudentiam judicabant, & summum bonum æstimabant, qui in consequenda æternitate hoc solùm esse non agnoscebant. Quantò igitur potiùs Christianos decet, ut minimè in discrimen adducant illud, in quo totius felicitatis, aut æterni supplicii volvitur alea, cùm ex momento pendeat æternitas.

9. 7. De usu part. cap. 8. lib de util. resp. cap. 5. lib. de decretis. cap. ult. lib. quod animi mores. cap. 3. & plurimis aliis in locis.

§. Insciis igitur hominibus, atque ethnicis de animæ immortalitate ignaris non decet fidem præstare circà ea, quæ ad illius salutem spectant; multò minùs quibusdam medicis, qui de corporis affectibus magis, quàm de animæ languoribus soliciti, solum de illo cogitant, quod sui juris est; cùm præstaret potiùs, quando nil jam in morbis proficere posse vident, curandi vices, optimo consilio cum salubribus admonitionibus commutare, unaque cum medicis animarum, illarum medelæ sedulò incumbere. Optimè quidem, famâ & scriptis non minùs notus, quàm celebris doctiss. Societatis P. *Possa* advertit, multos ne ad breve tempus ægrotum contristentur, in æternùm duratura tormenta, mortis oblivione detrudere. Credendum itaque Theologis, tanquam vigilantissimis morborum animę medicis, prudentique lenitate, comiter ac lenibus rationibus præ foribus adstarem mortem amicè nuntiandum; quod ut non omittas, audi tam salubre consilium negligentibus *Ezechielis* minas. *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinam, & populus non se custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Quòd si medici minùs diligenter hoc observandum consuluerunt, imò nunquam faciendum scribere ausi sunt; gentilibus jam respondimus, dicimusque illos ac veteres quoque medicos in his, quæ ad animam spectant, minimè audiendos; Christianos in tali pietate, ut impios damnamus: licèt se excusare conentur, quòd ad illorum munus corporis tantùm, non animarum cura pertineat, atque ita nil adversus illam perpetrandum: hoc verum esse illis concedimus, dummodò econtrà facere charitas & religio non doceant; multa enim sunt adhuc in morborum remediis proficua, quibus tamen uti ex divinorum præceptorum obligatione inhibemur, etiamsi ex illorum administratione salus pendeat & vita. Illud tamen summoperè advertendum, non esse medico in mortis præsagio festinandum, nec id rusticè, aut rotundo ore propalandum, præsertim ægrotis; cum aliquando is, qui decumbit, forsan durus sit, & acerbus, ut præsagio audito in medicum commoveatur, & illius curationi amplius se tradere nolit, cujus famæ interest, ne ille vivat (ut protervorum fert opinio) qui auguria sua magis expleri, quàm proximi vitam redimi, cùm semel prolata fuerint, turpiter & inhumanè exoptant. Quòd si medicus ex ægroti mollitie, & dejecto animo collegerit, se mortis significatione multum nociturum, ac silentio potius profuturum, cum etiam aliqui jam in summa positi desperatione, tamen fuerint restituti, qui si à medico mortis nuntio affecti essent, collapsis viribus, terrore & metu, fortè deficere potuissent; tunc prudenter ac tacitâ consideratione ægri animus explorandus, ac si talis appareat, non per se sed per Ecclesiæ ministros, & religiosos viros de proximæ mortis periculo admonendus; hoc enim semper utilius, quàm silentio rem tam necessariam præterire: nec medicos, qui sic consulunt, audiendos unquàm putaverim, cum in his, quæ ad animæ salutem pertinent, ipsi minus, quàm aliquando ægroti interest, solicitos se præbeant, ac diligentes.

In tract. de anjuvando ad bene moriendum.

Cap. 35.

0.

QVÆ-

QUÆSTIO DUODECIMA.

An salutis causâ liceat Medico ægrum decipere?

Rodericus à Castro *in suo medico politico* sufficienter ac optimè ita de hac dubitatione egit, ut pauca addi posse videantur: ne tamen operis nostri stylo deficiat, intactam relinquere nolui; quandoquidem quæ medicam supellectilem exornent, non solùm prosequi animus est, sed medici studium his oblectamentis adornare & instruere, si non ægrotantibus necessariis, medico saltem gratis, & minimè incongruis, ut assiduæ praxis molestam anorexiam, & fastidium lenire possint, atque fallere.

Lib. 3. cap. 9.

1. §. Adduximus quæstione præcedenti *Platonem*, qui etsi mendacium abhorreat, & omne odisse dicat, tamen nonnunquam utile esse credit, conceditque illud ad communem utilitatem, viris præcipuè Rempub. administrantibus, vel hostium vel civium causâ; publicis etiam medicis permittit, & medicamenti loco adjungit, ut confractos, timidos, ac desperatos languentium animos soletur, & in meliorem spem erigat. *Galenus* etiam aliquid hujuscemodi permittere videtur, cùm medicum instruit circà timidum ac stultum ægrum versantem, apud quem multa, quæ illum ad meliorem frugem reducant, constantiam atque animum addant, præfari vult; *nec tamen (inquit) magnoperè mentiaris.* Et parùm infra, de eisdem loquens: *Salutem polliceri tentato, non ut apertè mentientes faciunt.* Videtur ergò, quòd sicuti magnoperè, palàm & apertè medicum mentiri *Galenus* reprobat, ita sanè vult, ut plus quàm ambiguis verbis ad contrarium sensum periclitantem trahat ægrotum, eumque decipiat, ne consternatus citò deficiat, sed in spe contrà spem animosiùs pugnet; & hoc tanti facit *Arethæus*, ut propterea medicum sic operari scientem magnæ virtutis, & excellentiæ esse dicat, talemque ex his dignosci: *Iucundis citrà noxam ægro concedendis, ipsóq; decipiendo, medici virtus atque excellentia dignoscitur.* Et hoc juniorum plurimi non solùm pro comperto habent, sed tanquam maximè necessarium & utile commendant. *Campegius* in speculo: *Medicus ad ægrum reversus salutem promittat, nec eo in casu vereatur mendaciis uti.* Eodem modo *Valeriola*, dolo bono interdum cum ægris agere, non solùm medico licere, sed necessarium esse affirmat; quin imò sententiam *Hippocratis 6. epid. sect. 5. tex. 13.* in hunc sensum adversùs *Fuchsium* interpretatur, & non solùm propter ægrotantium utilitatem, ut medici faciunt, sed etiam pro communi bono captandis fallendisque hostibus, ut viris Rempub. gubernantibus, vel hostium causâ asseverat *Plato* citatus. Atque ita fieri posse testātur alii authores Theologi & profani; sin minùs, veritatem celare, & fallaciâ uti. Sic Quintilianus: *Mendacium dicere aliquando sapienti concessum, & communis utilitas aliquando exigit, ut falsa defendantur.* Eodem modo Livius: *Etiam vana pro veris sæpè valent, maximè in bello.* Et D. Augustinus: *Multùm quippe interest quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur.* Veritati enim ut nunquam fas est adversari, ita celare expedit, & fallere minùs malum est quàm mentiri; sic Abrahamus uxoris frater haberi voluit; sic Iacob se Esaum esse apud patrem finxit, & Rahab exploratores sine crimine, utili servavit mendacio: licèt hæc exempla altioris, & divinioris sensûs, contemplationisque sint.

3. de rep. | Lib. 6. epid. com. 2. tex. 4. | Lib. 3. de caus. diut. cap. 1. | Cap. 7. | 6. enarrat. 5. | Lib. 2. | Lib. 4. c. | cad. 4. | In Enchir.

2. *Medicum in quibus ægrotantem fallere oporteat?*

Quare ut ea SS. Doctoribus, & quæ *Plato* de viris Rempub. administrantibus, & hostium causâ docet, Politicis relinquenda judicamus; sic quid medicum hâc parte deceat, nostri juris erit pro viribus edisserere. §. Igitur medicus apud ægrotantes circà duo præsertim fallaciâ, & dolo bono uti potest; vel enim circà curationem, & in omnibus quæ ad optimum illius finem tendunt sive concedendo, sive negando, sive medicamenta exhibendo, sive iis quæ nocitura sunt, obviam eundo; vel circà prognosticum & morbi statum. Sed quoad hanc ultimam partem, jam præcedenti quæstione conclusimus, iterumque affirmamus in præsentaneo mortis periculo medicum posse, imò debere infirmum admonere, & illi veritatem omnem detegere, verbis quoad possit lenibus, ac animum minùs lædentibus. Quippe ut óptimè *D. Hieronymus*: *Propter timorem mortis veritatem celare, impietas est.* Nam si medicus ex *Senecæ* dicto amicus redditur ægrotantis, ille verus erit, qui in extrema necessitate non solùm se diligentem præbere sciet, sed de eo, quod magis interest, sermonem conferet, & opus promovebit: quæ enim major amicitia, quàm ægrotantem, qui jam de fruendâ hâc vitâ desperatus est, monere,

Super Ezech. | 6. de benef. cap. 16.

ut

ut de æterna cogitet, ut totam in hac spe spem ponat, intimiusque compositus se Deo voveat, animumque in eum erigat, terrestria despiciat, cælestia cogitet? Nonne hæc magis sunt optanda, quàm miserum ægrotantem peculio Proserpinæ jam annumeratum adhuc fallere, & apud cæteros illius vitam, cujus amens nullam potestatem habet, per horas metiri? ô insanus sæculi amor! adhuc in exitu speramus, & tunc etiam falli volumus, cùm mundi errores relinquimus, & ad veritatem properamus. Tantummodò enim medicus mortis omen reticere debet, dum in ambiguo spes fuerit; omninò verò jam devicto ægro apertè loqui expedit, ut qui corpori adjumento esse non potuit, totam operam ad animæ languores, mortis recordatione, etiam conferat & convertat, nullâ fallaciâ, nullo dolo jam utens, sed ipsâ veritate, ad illum, qui solus Veritas est, ægrum adducat.

3. [M]edicus [q]uousque [de] morte [...]ca a[...]m tacere debeat?

Solùm igitur circà curationem, quotiescumque oporteat, medicus ægrotantem fallere potest, & debet, omni dolo, & nullâ non utens cautelâ, ut ægrotantem decipiat immorigerum, adversusque morbum ut validissimum hostem ac pessimum omni contendat arte & industria, nullisque parcat technis. Sic intelligendus *Arethæus*, sic *Galenus*, qui clanculùm scamonium in lactis sero illustri mulieri exhibuit; sic quotidiè dejectoriis utimur celatis, in pomis, in conditis, in vini potu, & in illo, qui ex chocolate paratur: quorum parandi formulas passim apud authores, *Mercatum*, *à Castro*, *Cardanum*, *Cratonem*, *Sennertum*, *Freitagium*, & alios invenies; sicuti apud *Æsium tetrab. I. serm.* 3. Sic etiam fausta pro tristibus supponimus; sic tristia, consanguineorum mortes, repentinos ac infelices casus occultamus; sic pueris formidolosa remedia comminamur, sic morbum extollimus ut obediens reddatur æger, sic aliud loqui, aliud facere officioso mendacio, & minimè serio, non medicis tantùm permittitur, sed necessarium est; hostem fallimus morbum, non ægrotum, ob cujus salutem fingere, dissimulare, polliceri, animum in bonam spem erigere, fallere, veritatem obtegere, dolo bono & omni arte, etiam utiliter mentiendo, uti licitum interdum est; ut quod ægrotantis salutis causâ facere convenit, si palàm fieri non potest, industriâ moliatur; ac hoc nomine & ad hunc finem decipulas tendimus, ut fallantur in suum commodum, qui aliter nec curari possunt, nec parêre volunt. Eleganter quidem *Michaël Ayala* de honestis medicorum imposturis sic in suis epigrammat.

Lib. 14. meth. cap. 17. Cons. 15. à Cas. lib. 2. de morb. mul. cap. 15. Card. lib. 12. de rerum var. cap. 66. Crat. lib. 2. epist. fol. 352. & 3. epist. fol. 51. & 56. Senn. cap. de dysent. Freit. in aurorâ fol. 477.

[Pu]rgandi [for]mas oc[cul]tas, qui [au]thores [...]erant?

> *Prosit ut ægrotis, medicam nil dedecet artem,*
> *Id fiat salvâ religione modò.*

4 *[...]st. rara [m]elancho[lic]i.*

Et quis melancholicum pessimâ cogitatione defixum, & in tanto mentis errore versantem nisi per fraudem sanavit? Cogitabat quidam tam vastum se habere nasum, ut nullum sibi ingressuro sufficiens pateret ostium: non antè se curatum credidit, quàm dissectis frustulatim in subjectam pelvim ingentibus ovium pulmonibus, quos medicus inter manicas naribus admotas latenter, quasi inde detractos, dissecuerat. Hujusmodi plurima apud *Schenckium*, *Marcellum Donatum*, *Zacutum*, & præter medicos doctiss. *Nierembergium*, naturæ scrutatorem maximum; apud quos innumeras melancholicorum historias ridiculas, sed ad praxim utiles invenies. Itaque ut solent Gymnastici inimicos supplantare & decipere, ita medici cum ægrotantibus facere debent; nam ut apud jurisconsultos dolus aliquando bonus licet, quando contra hostes parantur insidiæ, ut apud *Vldaricum Zasium lib.* 4. *tit.* 3. videre est, potiori jure medico ita licebit, ut quacumque ratione hostem, scilicèt morbum oppugnet; tantumque abest ut per hæc media de mendacio, aut de malo dolo argui possit, quin imò solers, industrius, & ingeniosus morborum devictor habendus sit, & laudandus: nam ut optimè *Codronchus*; serium tantum mendacium verbis aut opere ab omnibus alienum statui debet, ac tanquam nocentissimum fugiendum, & execrandum, cum intrinsecè, & in se detestabile malum sit, & res perversissima, quæ in malum dolum, calliditatem, decipiendumque alterum & circumveniendum tenditur, & machinatur; quod quantum ab officioso utili, & sine alterius noxa, imò bonum procurante distinctum sit, ac diversum testatum relinquit *Vlpianus*. Ergò sicuti hâc utili fraude, & ingeniosâ industriâ, laudabilique solertiâ optimum medicum uti decet; ita à turpi & serio maximè esse alienum; de quo Psalmista: *Verbum mendacii longè fac à me*: Quod si omni tempore exequendum, vigilantius multò cum jam mors instat, quando non propinquis solum & amicis, sed ipsi quoque ægroto veritas omnis sine ullo velamine detegenda. Sic enim forsan majorem utilitatem in mortis denuntiatione, quàm in cæteris auxiliis, nil jam profi-

Lib. 1. obs. cap de melanch. Marcel. Don. lib. 2. cap. 1. Zacut. lib. 1. prax. mir. & lib. 1. de princip. hist. Nieremb. lib. 2. thes. cap. 23.

Lib. 4. ff. de dolo malo.

cien-

cientibus, afferet medicus; nam si prudens fuerit ægrotus, & mortis necessitatem, & Dei decretum cogitabit, in cujus benignitate confisus illius misericordiam expectabit. Novi certè solertem & optimi judicii virum, qui amicos & propinquos omnes ægrotantes, cùm à medicis summè periclitari audiebat, ad eos ingressus constanter & palàm sic alloquebatur: Non est jam tempus mentiendi, nec fallendi; tempus veritatis adest, amice frater; propè mors est, de peccatis cogita, intimius pœnite, & Deum exora supplex. Hæc vera sunt, & christianæ pietati satis consona, quidquid medici aliter statuerint, veritatis obliti, ut Fallopius qui impiè medicos ita monet: *Estote mendaces*: forsan enim dum usque in finem à medico & propinquis de corporali salute decipitur æger, de animæ quoque auxiliis nihil cogitando magis decipietur. Insigne hujus veritatis exemplum dedit Æneas Sylvius, qui posteà Pontifex creatus, Pius II. dictus est; jam enim morti vicinus, medicis adhuc meliora promittentibus: *Hæc etiam*, dicebat, *Principibus miseria est, ut ne in morte quidem assentatoribus careant.*

Lib. de v[...] nerib. c[...] 62.

QUÆSTIO DECIMATERTIA.

Medicus an debeat à curatione abstinere, si æger nolit animæ medicum accersiri, ut Christiana munia exequatur?

HUjus quæstionis resolutio Theologis etiam & sacri Canonis Doctoribus potius, quàm medicis convenire videbatur; nil medicus hîc addere, aut subtrahere poterit, tantumque firmiter amplexandum, quidquid hac parte ipsi nobis inculcant; ad illos enim tanquam legitimos animarum medicos, illarum vitia & morbos, quibus & quo tempore medendum, vel à remediis abstinendum sit, docere attinet, & curare: decet tamen corporalem medicum hæc minimè ignorare, ut & languentes moneat, & commonefactos, renitentesque arguat, ut animæ prospiciant suæ, abstergantque quantùm fieri potest, illius languores, ut, divinâ conspirante bonitate, corpus pariter reddatur mundum, & sana sit mens in corpore sano. Propterea sanctissimè admodùm Innocentius III. in Concil. Lateranensi, ne nimio humanæ medicinæ studio divinum auxilium intercluderetur, hoc decretum medicis præscribit: *cùm eos ad infirmos vocari contigerit, illos ante omnia moneant & inducant, quòd medicos advocent animarum, ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis salutis commodum salubriter procedatur, cùm causâ cessante cesset effectus.* Causa verò ægritudinis plerumque non est alia, quàm quæ initio decreti adducitur, ubi sic incipit. *Cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem sanaverat: vade, & ampliùs noli peccare ne deterius aliquid tibi contingat.* Constat siquidem ex sacrâ paginâ homines ob peccata & scelera divinam Dei vindictam provocare & lacessere, ut pestem, bella, famem, & morbos non minetur solùm, sed immittat; & sicuti aliquandò hæc mala in impiorum pœnam, aut ut illos conficiat, & filios ad disciplinam flagellet, sic non rarò morbos immittit, hunc ut auferat, illum ut reducat; hoc in Ezechia, illud in Iorano Rege evenisse in sacrâ paginâ legitur: *Quid enim*, inquit D. Ioan. Chrysost. *admonemur dignè ex peccatis sceleribusq; nostris morbos generari? nam si mors, quæ morborum omnium fons & caput est, à radicibus peccati pullulavit, quid mirum si ægrotationes quoque inde multæ nascantur, unde & ipsa ægrotandi facultas emanavit?* Ecclesiastici siquidem scriptum est: *qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manum medici.* Propterea rectè consulit *D. Gregorius*, ad Deum primum confugiendum, qui verus & omnium præstantissimus medicus animæ & corporis affectiones curare potest. Hoc in *Eccles.* docemur: *Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te; averte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum &c.* Barradas in suis comment. *in concord. Evangel. tom. 2. lib. 5. cap. 20.* sic ad rem: *Qui in morbos incidunt, hunc sequantur ordinem. Si anima simul cum corpore ægrotat, animæ prius quàm corpori medicinam adhibeant; priùs crimina, quæ animæ sunt morbi, expianda sunt, quàm corporis ægritudo curanda. Causæ morbi peccata sæpè sunt; tolle causam, ut tollatur effectus; ecce curationis modus.* Similiter consulit *Magist. hist. Evang. cap. 57.*

Marginalia: 1. — Tit. 37. cap. 15. — Ioan. 5. Levit. 26. num. 12. 2. Reg. 2[...] Deut. 16. 2. Apoc. 2[...] — In Math. hom. 28. — 2. — Cap. 38. quæst. 1. — Cap. 38.

Quia

Quia constat, quòd pro peccatis quandoque ægrotat homo, Medicus visitans ægrotum primùm debet eum monere ad pœnitentiam & confessionem, ne peccato manente, tanquam ferro in vulnere, frustrà sit malagma apponere: cessat enim vindicta divina, si confessio præcurrat humana. Quid quòd gentiles & idolorum cultores morbos, pestem, & alias calamitates à Diis immitti credebant, & expiationes ad Deorum iram placandam conducere existimabant? Apud *Homerum* ob sacerdotis filiæ stuprum ab Apolline Græcorum exercitui legimus pestem immissam; sic ab eisdem passim oblatæ Diis victimæ, & gratiâ avertendæ pestis fusæ preces, consulta sæpiùs oracula, ad ipsum quoque Æsculapium ventum est. Si igitur hoc cum falsis suis Diis operabantur ethnici, quantò potiori jure Christianum decet, à criminibus, quibus divinam justitiam provocavit, nullâ datâ morâ mundari, ut jam in nos ob peccata sævientem avertamus, ut purgato & mundo prius spiritu, corporis languores auferat, & iracundiæ dimittat flagellum. Hac itaque de causa summi Rom. Eccles. Pontifices in animarum utilitatem evigilantes sancta instituerunt decreta, quibus Medici hac parte instituti in vitæ periculo positos ægrotantes commonefaciant, & de expianda anima admoneant, ut sic & veniam & salutem à Domino consequi possint.

Illiad. 1.

§. Prædictam itaque constitutionem *Innocentius III.* per locorum Prælatos primus jussit publicari, & sub excommunicationis pœnâ transgressori additâ observari voluit, & teneri. Quam tandem Pius V. Prælatorum negligentiâ omissam advertens, ex motu proprio Bullam sequentem evulgavit 8. Martii anno 1566. quæ incipit. *Suprà gregem Domini. Cùm Medici ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo confessori omnia peccata sua juxta ritum S. R. Eccles. confiteantur, nec tertio die ulteriùs illos invisitent, nisi longius tempus confessor ob aliam causam infirmo concesserit.* Quæ quidem constititutio renovatur *Cap. cùm infirmitas. De pœnit. & remiss.* & *lib. 3. tit. 16. novæ recompil.* Hoc idem edictum posteà, per motum proprium, custodiri, & observari arctiùs jussit S. Pontif. *Sixtus* V. & prædictus *Pius* ad Academias omnes, omniaque Medicorum collegia perferri curavit, & ad faciendam in posterum Medicinam, & Medicæ promotionis suscipiendum gradum præcludi omnibus aditum, nisi jurejurando ad hujus Apostolicæ constitutionis inviolabilem se obstrinxerint observationem; eos denique Medicos, qui gradum anteà fuerint adepti, nî justam hanc legem subierint, omnibus vult exui privilegiis, & accepto spoliari gradu, & donec resipuerint, ab Ecclesiæ foribus propelli, infames haberi, de honoris gradu dejici, & à Medicorum collegio proscribi, pœnâ demùm mulctari pecuniariâ, suamque constitutionem inter perpetuò valituras extravagantes referri. Hæc à SS. Pontificibus sancita & stabilita decreta inviolabiliter observare, sub determinata forma præstitâ juramenti fide, cùm primùm apud aliquas Universitates Baccalaureatûs gradum accipiunt, Medici promittunt; sed apud Salmantinos nostros in usu non esse, ut tale à Doctoribus juramentum exigant, scribit *Villalobos*. Quod sanè ita est, nec ego, qui apud ipsos gradum accepi, tale juramentum observari unquam vidi; quod nil obstat ut propterea eo minùs observent, imò præ oculis divina illa decreta habere, custodire, & servare deberent, ne tanquam perjurii, aut infideles sancta violarent præcepta, simulque noscere meliùs hoc modo & Medicos curare posse, & infirmos feliciter optatam à Deo consequi sanitatem; cùm inde corporum, & animorum incolumitas, & Medicorum augeatur dignitas.

3.

In sum. tom. 1. nu. 19. dif. 27. nu. 1.

Jam verò videndum est, an ita rigorosè hoc debeant Medici observare, ut nullo modo post tertium diem liceat Medico ad ægrotantem de sacra exomologesi facienda jam admonitum, & renitentem, iterùm curandum accedere? quod Medicis valdè onerosum putat non citrà rationem *Diana*; an verò prædictum decretum aliquas ferat limitationes, qualiter à viris doctis intelligitur, & explicatur. Quidquid verò hac parte à nobis dictum fuerit, omne sub correctione S. R. Ecclesiæ prolatum volumus, & sacris illius Doctoribus illorumque judiciis nos, nostraque omnia subjicimus. Et in primis quòd dicta decreta & Pontificum constitutiones rigorosè, & prout jacent, observari debeant, tenent *Hostiensis*; quia, ait, consilii verba sunt: *Ante omnia moneant & inducant, quòd Medicos advocent animarum*: eandem opinionem defendit *Ruardus Cancellarius* in sua *Sylvestri summa*, aitque Medicum non agere contra charitatem, si propter universalem legem, quæ est jure optima, & est rationabilis, deserat ægrotum pertinacem in exemplum aliorum: *Non enim*, inquit, *est contrà charita-*

4.

Tract. 4. resol. 93.

Part. 3. tit. 7.

ritatem, quod est pro charitate, quæ omnes respicit, constitutum. Hac enim ratione studebunt statim confiteri, ne frustrentur auxilio Medici; si quis tamen sit scrupulosior, adeat Episcopum, & consulat, an velit infirmum fratrem curari, an verò ob bonum publicum illum deseri. Eandem sententiam sequitur *Ioan. Molanus in diario S S. Medic.* & tanquam tutiorem Medicis commendat, ut eam amplectantur, quamdiu hujus dubii nulla ab Apostolica sede resolutio dimanat, unde ejus decisio expectanda videtur. Sequitur ex Medicis *Codronchus*, aitque tutius esse, & Pontificiis verbis convenientius, in prima visitatione ægrotum monere ad petendam confessionem, ità ut qui hoc non facit, mortaliter peccare dicat, propter transgressionem præcepti & constit. Pii V.

Cap. 25. nu. 6.

Lib. de Christ. med. c. 2.

Sed divo *Antonino* dura videtur hæc opinio; quia, inquit, in periculo constitutis, quantumcumque etiam obstinatis, est subveniendum secundùm ordinem charitatis. Plenius respondet *Angelus*, capitulo scilicèt *cùm infirmitas*; non posse dici abrogatum per contrariam consuetudinem, quia non consuetudo, sed corruptela est; subdit statim: *Nihilominùs si infirmus nolit confiteri, non credo quòd propter hoc Medicus debeat desistere à medicamine;* quia decretum intelligendum est inducens effectualiter, quantùm ex parte Medici, non ex parte infirmi, quia si dimitteret eum, fortè moreretur desperatus, qui sanatus poterit posteà converti, & sic præceptum Ecclesiæ videretur contra præceptum Dei de charitate proximi; licèt *Ruardus* adversùs hanc proximi charitatem se opponere videatur, & Medicum, qui talem ægrotum derelinquat, non agere contra eam; quia, inquit, *non est contra charitatem, quod est pro charitate constitutum, quæ omnes respicit, & in optimum aliorum fit exemplum.* In hujus rei confirmationem addit *Molanus*, monachis suis vetuisse *D. Gregorium*, ne Fratrem Justum Medicum in extrema ægritudine positum adirent, quòd in trium nummorum proprietate deprehensus fuisset, quod se fecisse scribit Sanctus Pater ad purgationem morientis, & reliquorum exemplum; itaque concludit idem *Molanus*, non esse improbabile similem constitutionem in Lateranensi concilio piè emanasse.

Part. 3. tit. 7. §. 4.

Lib. 4. dial. 55.

Sed hæc opinio, ut suprà dicebamus, rigorosa & dura multis visa est; quarè quid hodie juniores Theologi, & peritiores teneant, paucis hîc transcribam ex *Diana*, & aliis apud eundem citatis. Primùm itaque docet sufficere ut per alios, non per se Medicus ægrotantem moneat; quia inquit, constitutiones illas interpretari per consuetudinem, & huic consentiunt *Vega*, *Graffius*, *Suarez*, *Homobonus*. Quibus adde *Navarrum*, qui ait juxta receptam observationem sufficere, si parochum, aut illos, qui curam ægri gerunt, admoneat ut Sacramenta dentur, quidquid econtrà teneat *Ioan. de Neapoli quodlib.* 11. Secundò contra *Cherubinum in comp. bullarum tom.* 2. *const.* 3. *Rodriguez in quæst. regul. tom.* 1. *quæst.* 47. *arti.* 3. *D. Antonin.* 3. *parte tit.* 7. §. 4. *Sylvest. in verb. Medicus quæst.* 3. *dict.* 3. tenet, dictas constitutiones Pontificias non obligare in quibuscumque morbis, sed in gravi, aut qui talis timetur futurus. *Ita Nuñes in addit. ad* 3. *p. tom.* 2. *quæst.* 6. *arti.* 5. *diff.* 2. *Sfortia in bulla Pontif. epith.* 89. *theor.* 215. *Suarez tom.* 4. *disp.* 35. *sect.* 3. *nu.* 4. *Tabiena verbo Medicina quæst.* 12. *nu.* 13. *Rosella verb. Medicus nu.* 3. *Angelus eodem verbo nu.* 9. *Graffius p.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 14. *nu.* 7. *Vega in sum. tom.* 2. *cap.* 37. *Homobonus de statib. p.* 2. *cap.* 5. Angelus respondit consultò in omni infirmitate fieri, sed Medicum ad id solùm teneri in morbo periculoso, quia infirmus non tenetur confiteri in omni ægritudine, sed tantùm in periculosa, & in hoc consentiunt *Clau. Rosella*, *Tabiena*, *Armilla Angelica*, *Navarrus*, & *Caietanus*, qui meliùs sic distinguit: non in qualibet ægritudine tenetur Medicus ad hoc, ne in derisum monitio veniat; nec expectanda est periculosa, quoniam sic non prævenietur infirmus, quod ait textûs intentionem requirere; quarè ait mediâ viâ incedendum, & infirmum inducendum in infirmitate ex qua meritò decumbit, qualis est quæ non ex deliciis, nec ex podagrę impedimento, sed ex se lectum ægritudinis exigit: hæc opinio probabilior est, licèt supradicti authores cum Cherubino velint in omnibus morbis Medicum teneri, quos sequitur Archiepiscopus Florentinus, & Archidiaconus, qui asserit Medicos ex toto constitutioni minimè satisfacere, si solùm in periculosis morbis suadeant; quarè inquit Joan. Andr. *Si ægrotantes noverint Medicos in omni ægritudine confessionem suadere ob injunctum sibi munus ab Ecclesia, timor & periculum locum non habebunt.* Multò minùs derisus, quod *Caietanus* timebat; & certè licèt opinio, quod tantum in periculosis Medicus ad monendam confessionem teneatur, probabilior hodiè habeatur, tamen hæc quòd

in

in omnibus, tam Medicis quàm ægrotis utilior & securior videtur; sic enim omninò meliùs constitutioni satisfacient citrà ullum scrupulum, & ægri facilius, quasi ex stabilita consuetudine, & obedient, & timorem abjicient, quem contrahunt credentes confessionem solum in morbis periculosis à Medicis ordinari; præterquam quòd Medici & ægroti sic nunquam frustrarentur, cùm non raró morbus, qui aliquando mitis & securus visus est, repentè periculosus evadat, in quo non vulgares Medici, sed circumspecti, & docti sæpius falluntur, ut ipsi quoque *Galeno* aliquando accidit.

4. De locis cap 8.

5. Conclusio. Tertiò affirmat idem *Diana*, in probabili mortis periculo non esse deserendum ægrotantem à Medico, etiamsi pertinax sit in renuendâ confessione; imò ait, quòd quando certò creditur nil profuturam admonitionem, ob ægri obstinationem, nec Medicus teneatur eum admonere, nec deserere; quia, inquit, Pontificis mens fuit, spiritali ægri saluti consulere, & nil frustraneum præcepit, & in hoc casu frustranea esset admonitio. Ita docent *Sanchez in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 16. num. 10. 11. 16. Villalob. in sum. tom. 1. trac. 9. diff. 27. num. 5. Barbosa in collec. tom. 2. lib. 5. tit. 38. cap. 13. num. 4. Sylv. in addit. ad 3. partem D. Thomæ quæst. 6. art. 5.* & certè hæc opinio tanquam optima ab omnibus approbatur, & communiter in curandi usu Medici sic faciunt, numquam infirmum deserentes. Divina quippe bonitas & clementia talis est, ut & summè obstinatos peccatores numquam à se rejiciat, nec alicujus mortem exoptet, omnium conversionem semper expectans, & amplectens: & cùm numquam non summâ gratiâ & pietate omnibus assistat, benè semper sperare decet; nam qui hodie malus & obstinatus est, cras aut antea resipiscet, & melius sibi consulet, cum præsertim salubribus monitionibus opportunè, & importunè ad illud quod optimum & illi conveniens est, suadeatur; qui alioquin si à Medico derelinqui se videat, non solum forsan magis obstinatus desperabit, sed ipse quoque morbus, si gravis est, auxiliis interim destitutus magis ingravescet, & sic animâ & corpore morietur, qui fortassis in utroque salvari potuisset: atque ita optimè concluditur infirmum à Medico nunquam esse deserendum, licèt confiteri nolit, quia quantùm ex parte suâ, jam monuit, & cum affectu induxit, atque ita mandata implevit, & præstitit promissa. Quartò ait *Diana* minimè esse necessarium, quòd Medicus exigat fidem in scriptis à sacerdote, sed sufficere testes illos, qui ægri curam habent, imò infirmum sufficere si talis est, ut illi fides debeatur. Ita *Didacus Nuñes*, *Filliucius*, *Sfortia*, *Barbosa*. Quintò ait cum suprà dictis Doctoribus, juramentum à Medico præstitum exequendi decreti, solùm intelligi, in quantùm præsens constitutio Pii V. usu recepta est. Ita *Sfortia*, *Sanchez*, *Villalobos*. Tandem concludit decretum Pii V. intelligendum juxta limitationes & interpretationes Doctorum suprà dictorum; quarè prętermittendum duco, quod alii tenent, Medicum posse deserere ægrotantem, qui in periculo non sit; minimè verò illum, qui periculosè decumbat, ne charitati videatur deesse: quæ distinctio supervacanea videtur, cùm constitutio de omnibus loquatur, & nullum excipiat; omitto etiam quod alii asserunt, in casibus repentinis Medicum ad monitionem non teneri, quia defectu remediorum periclitaretur æger; quod etiam ad libitum dici existimo, & citra rationem, cùm sæpiùs in dictis casibus præstò mors non raró accidat, & sæpiùs mens & loquela deficiant: quarè in istis majori diligentiâ de animæ remediis celerrimè cogitandum semper consulerem; nec hoc corporalia impedire poterunt, cùm utrisque subvenire non difficile sit; imò si ad illud quod magis urget, consilium dirigi debet, in casu dubio animæ priùs quàm corpori succurrendum est.

6. Sed quâ arte & dispositione Medicus se in hoc negotio gerere debeat, pro viribus dicere conabor, ut Pontif. mandatis satisfaciat, & periclitantibus afferat auxilium. Sed in primis liceat multorum inscitiam mirari, qui lecto affixi & periculosis morbis gravati se mortales non cogitant, cùm sæculi hujus amore inescati, gravem licèt ægritudinem pro nihilo imaginantur, ac credunt mox ad consueta vitæ munia facilè redituros: interim si à Medico ad christiana officia exequenda moneantur, parùm abest, ut tanquam furiosi & amentes in ipsum invehantur, objurgentque dicentes, minus gravem esse morbum, quàm Medico videatur, & semel ac iterum admoniti, desperatione quâdam agitati recusant, tanquam si criminum suorum expiatio imminentem mortem magis valeat accelerare; quod non nisi in aliquibus idiotis juvenibus, & ab omni bona disciplina alienis, & propriæ miseriæ oblitis homi-

hominibus observant medici, & illud *Galeni* aliquando experiuntur: *Qui plurimùm confidunt, ac si in nullo versentur discrimine, non admodùm obsecundant.* Ipsi etiam Medici in re tanti momenti non rarò caligant, socordesque sunt ac negligentes, cùm non rarò vereantur, si de tali necessitate ægros commonefaciant, ne eos exaniment, abjectosque reddant, & timorosos; quo fit, ut ab initio morbi hoc contemnentes, non nisi desperatis jam rebus, & cùm mors præ foribus adest, in ultimo vitæ die, fortè & horâ, tumultuatim & illi jubeant, & pareant infirmi, cùm jam mens, ratio, & consilium plerumque deest, urget imbecillitas, delirium turbat, & omnia jam confusa fecisse magis videntur, quàm satisfecisse. Tota domus luctu & mœrore jam repletur, illìc pater, hìc mater, istìc uxor, illìc filii, fratres; hìc & amici plorant, lamentantur, jam servi, jussis inter lachrymas haud probè intellectis, currunt, imò discurrunt, & velut attoniti oberrant. Quid inde? alius nondum finitâ confessione clausit oculos, alter vix peractâ sanctiss. Eucharistiam non potuit assumere, alius antequam sacro ungeretur Chrismate, decessit. ô infelix & miser! qui horâ vix unâ, & horâ minùs, æternam felicitatem consequi potuerat, tot retrò omissis, & propriæ conscientiæ oblitus, cum impiis est deputatus. Hoc velim animadvertant Belgarum Medici, quibus mos est, ut nisi deplorato jam ægro de confessione admoneant; sed tamen hoc illis accidere existimo, quòd pessimis Judæis & aliquando hæreticis pro Medicis utantur, qui de emungenda pecunia potiùs, quàm de anima & corpore sanandis cogitant, quâ de re *Langius, Saxonia*, & alii maximè conqueruntur. Proptereà prudenter & sanctè Pontificum decreta sub pœna exauctorationis, aut excommunicationis caverunt, ne quis Christianus sacris initiatus, vel laicus cum Iudæis convivetur, lavet, aut eos ad infirmos accersat, aut medicinam ab eis accipiat: hoc pacto in Catholicorum Universitatibus cautum est, ne Medicinæ studiis initiari permittantur, cùm sint infensissimi Christianorum hostes; nam ut *Gigas Forosempronienʃis* de illis scripsit: *Omnis Iudæus perjurus, & perfidia tam ipsis inhæret, ut illæsâ maledicti corporis substantiâ divelli non possit.* Igitur minimè securum, & temerarium potiùs est, perfidos hos ad sancta Medicinæ officia admittere; quandoquidem & quoscumque spurios, id est, malos homines, à Medicinæ studiis abigendos sanctissimæ leges asserant, ut *quæst.* 2. jam attulimus, & videre est apud *Anconitanum*, & *Ant. Florentinum*, qui à Medicis operibus arcendos esse declarant.

7. *Medicina Judæorum prohibita*

Epist. 71. tom. 1. Sax. in epist. dedicat. Causa 28. quæst. 1. Can. nullus eorum.

Lib. de potest. Eccl. 3. p. tit. 7. cap. 2.

Igitur quomodò in re tanti momenti se gerere debeat Medicus prudens, fidelis, ac de utraque ægrotantium salute studiosus, jam dicamus. Cùm primùm ergò ad infirmum vocatus accesserit, antequàm aut de morbo, aut de illius causis aliquid inquirat, aut pulsum tangat, primus illius sermo talis erit: Dominus æger, credo quòd jam per confessionis Sacramentum erit expiatus. Sic enim infirmus de morbi gravitate, periculo, aut de morte minùs suspicabitur, utpotè qui Medicum hoc admonere advertat, quia sanctè id facere conveniat, non verò quia ex pulsu, aut aliâ morbi notitiâ, cùm nullam anteà habuerit, periclitari præsumat; & si hoc nondum factum fuisse audiat, vel quia heri, vel nudiustertius laborare cœperit, aut quia morbus mitis, & ægrum non multùm vexare visus est, tunc instet Medicus, quod licèt ita sit, & benè sperandum, attamen cùm solus Deus sit vera salus, illum oportere propitium habere, ut conatum Medici adjuvet, & medicamentis benedicat. Vel tandem se aliquatenùs Medicus excuset, dicendo se talem habere consuetudinem, quia præterquam quòd sic facere optimum ac necessarium fuerit, tamen observaverit semper infirmos prosperos ac salutares habuisse eventus, sicque facillimè omnes obedient. Hoc præceptum velim Medici omnes reciperent, & ad artis usum adjungerent; ita enim observandum consulit ex nostris *Fontecha*, & prudenter hoc modo facientem vidi Doctorem *Herrera* Ducis Metinę Medicum, pium sanè, & doctum virum, non solùm in periculosis, sed in omnibus aliis ægritudinibus; nam licèt non nisi in timorosis morbis Medicus, & æger etiam id facere teneantur, optimè tamen monet *Caietanus* non esse expectandum periculum, quoniam sicnon præveniretur infirmus, cum Medici ignaviâ ingravescente malo, aliquando summâ illius infamiâ inconfessus discedere possit; quâ ipsi, & ægroto præsertim, nulla major erit calamitas. Itaque si levis fuerit morbus, & æger facilè obediens, & morigerus, minimeque repugnans, facilè Medico vel Parocho aut propinquis monentibus jussa præstabit: sed quia non rarò accidit, ut in timoroso & satis dubio bis & tertiò admoniti, persuasi, & inducti adhuc repugnent, pertinacesque sint & pervicaces, tunc Medicus pri-

8. *Medicus quâ industriâ infirmos de confess. monere debeat, & quando?*

Lumin. 1.

primùm lenibus verbis & Christianis ad melius judicium illos reducere tentabit, non solùm per se, sed religiosis & piis viris etiam ad hoc introductis; quòd si nec hoc sufficiat, & in duritie & amentia persistant, tunc curationem continuando terrorem illis ex morbi periculo, & mortis inferre debet, seque ampliùs nec reversurum, nec curaturum comminari: quippè si ad hoc ut æger curationi obediat, aliquandò morbi gravitatem & magnitudinem extollere, metumque illi incutere *Galenus* necessarium esse existimavit, quantò magis erit hoc medio uti, ut ad animæ ægritudinem curandam se accingat, & Deo, Ecclesiæque reddatur obediens? si verò nec his auditis resipiscat, tunc medicus, si ex norma Pontif. decreti servanda scrupulosè se habeat, cum *Hostiensi, Ruardo Cancellario*, & reliquis suprà adductis benè poterit ægrum deserere. Legimus quippe *Eccl. Recupera proximum secundùm virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Vndè Seneca: *Succurram alteri, sed ne ipse peream.* Illudque tantò magis persuasum esse debet, Pontifices nil præcipere potuisse, quod charitati foret dissentaneum; securâ enim conscientiâ id faciet, sive in tertio die, sive quarto, aut in sequentibus urgeat morbus; nam præceptum Pontif. *nec ulteriùs tertio die*, necessitatem & periculum supponit, ut omnes communitet tenent authores. Sin minùs, Episcopum adire poterit, aut vicarium, quorum dispensationi acquiescendum; aut si non detur ad illos aditus, parochi consilio, aut docti alterius Theologi prudentiâ utendum erit: quòd si cum cæteris authoribus sentire velis, qui suprà dictis limitationibus Pontif. constitutiones interpretantur, morbo officium præstare poteris, cùm quantùm ex parte tua decuit, cum affectu jam ægro suaseris, & monueris, in omnibus & per omnia præceptis Ecclesiæ obtemperans, & quod tuæ potestatis erat, exequens & adimplens.

Cap. 29.

QUÆSTIO DECIMAQUARTA.

An liceat Medico opem, & auxilium denegare postulanti; & an eidem licitum sit, medicamentum experientiâ probatum, secretum reservare, neque omnibus palàm facere?

QUi in Medicinam sunt contumeliosi & probris medicos ubique insequuntur, hanc fortassis irridebunt quæstionem, cùm dicteriis suis, (præsertim dum sani degunt, & inter pocula invitati, nulli non honestæ disciplinæ detrahunt) sive adsit, sive absit medicus, nullum indè morbis venire emolumentum turpiter inculcent, sed damnum sæpissimè firmiter asserant: interim Epicuri de grege porci voluptatibus indulgentes, dum se vino & dapibus onerant, corpus præparant, ut posteà justo Dei judicio, quam à domino creatam neglectui & derisui habebant medicinam, clamando exoptent, & exoptando clamitent. Ad hos an vocatus medicus ire teneatur, dubitaverim sanè; quandoquidem illorum hoc sit studium, ut medicis non obtemperent, placita rejiciant, consilia taxent ac violent, præcepta non exequantur, sed insequantur, & opinionem suam sequentes fraudes foveant, & somnia potius, quàm artis regulas observent. Quorum tamen ineptiis, & deliriis ne patronus deficeret, inventi sunt qui scriptis & argumentis medicinæ necessitatem impugnarent; qualiter apud Hispanos *Ferdinandus Nonius* Salmanticensis, & apud Gallos *Michaël Montanus*, *Petrarcham*, & dicaces alios Poëtas forsan imitantes, ut apud *Martialem* de Hermocrate, Symmacho, & aliis medicis ridiculi sales, & joci lepidissimi leguntur. Sed *Petrarcha*, quem *Secundus Lancelotus* de Perusia majorem medicorum inimicum appellare non dubitat, non per jocum, sed seriò medicinam & medicos omnes parvifacere, & tanquam damnosos ac minimè utiles rejicere non erubuit; ausus quippè fuit dicere: *Medicis enim nunquam credidi, nec credam quidem.* Ne tamen longiùs immoremur, multis in locis medicos carpit, & in illos invehitur; adversùs quem cum quidam sui temporis medicus horribilem quandam epistolam scripsisset, contrà eum, & generaliter contrà omnes medicos quatuor invectivæ libris iterùm acerbè invehitur: tam enim medicos odio habuit, ut *Clementi V.* ægrotanti aliquandò scribens, à medicis ut vigilanter caveat, illum oret, ac moneat; illius sunt verba: *Horum turbam veluti inimicorum aciem, clementissime Pater, intuere; instruat te illius infausti epigrammatis memoria, inscribi jubentis in sepulchro hoc solum:* TURBA MEDICORUM PERII. *In ætatem nostram potissimùm videtur incidisse illud Marci Catonis vaticinium: Quandocumque Græci ad nos literas suas, &c.* Hi igitur omnes, & plures alii dum medicos ac illorum artem rustico ore & animo ab omni optimâ indole

1. [M]edicus [a] medicis inju[rii]s curan[di]s voca[tu]s, an ire [de]beat?

[Q]ui au[cto]res ad[ver]sus me[dici]nam [scri]pserint.

2. [Fr]anciscus [Pe]trarcha [a]d Cle[me]nti V. [a] medicis [scri]pserit.

In Miscellaneis, Gallicè. les essays. Mart. lib. 6. epig. 53. & lib. 5. epig. 9. Secund. Lanc. in suo hoggedi. disingan. Petrarcha lib. 3 epist. 8. sent. 4. lib. 14. epist. 3. lib. 5. cap. 4. & lib. 12.

dole & rectâ disciplina alieno sugillarunt, scelesti meritò & inurbani, & tamquàm in Deum, in naturam ipsam injurii notati sunt & derisi. Ad hos sanè loquebatur *Tertullianus: Medicinæ præsidium plures refugiunt, plures stulti, plures timidi, & malè verecundi.* Certè de illis optaverim scire, an non gravi aliquo morbo correpti resipuerint, ad sanioremque venerint mentem? An usque in finem insanientes, tanquam in præsepi asinus, aut in trivio canis, etiam adversùs propriam vitam, mordicùs insanierint? An nullo invisente medico decesserint? An ad alicujus ingressum adhuc rabidi oblatraverint? Delirantes certè hydrophobi, qui oblatum aquæ remedium non despiciunt tantùm, sed adversus offerentes insurgunt, carpere conantes, & dilaniare.

In Scorpiaco.

§. Nihilominùs dicimus, quòd si hi morbo victi, aut ab aliis persuasi, medicum requirant, ut illius utantur operâ, licèt parvam aut nullam de medicis auxiliis confidentiam habere videantur, decet tamen ad eos accedere, & pro humanitate debitum præstare officium, & si occasio permiserit, optimis & lenibus verbis illorum austeritatem demulcere, & pravæ mentis poëticique furoris errores auferre, & medicari; forsan consecutâ sanitate judicium mutabunt. Urbanus quippe, lenis, & humanitatis plenus debet esse medicus, ut quosvis suâ operâ indigentes, quantum artis industriâ pollet, adjuvet; & dum corporis morbo remedia applicat, mentis quoque hallucinationes pellere nitatur: quod in similibus hominibus si obtineat, eos ipsos, quos anteà in artis ignominiam audivit jurantes, ejusdem excellentiæ, & præstantiæ habebit acclamatores.

3. *An intemperantes curandos medicus suscipere debeat?*

Ulteriùs nullis remediis intemperantes tangi vult *Galenus*; nam gulæ inservientes, & qui ad devorandum solùm videntur nati, quorum ventriculi ex immodica, & præposterâ ingluvie, pituitâ & cruditatibus referti, qui capite gravati, nervis tremuli, venis obstructi, & toto obesi corpore titubant, auxilia difficilè ferunt, & si accipiant, cùm victûs optimam rationem nunquam observent, nullius utilitatis fuisse comperiuntur, siquidem rectè *Galenus*: *Nullum* (dicebat) *tam efficax remedium medicina habet, quod solidum auxilium afferre valeat, si ei victûs ratio vel resistit, vel non adjuvat*; ideoque illis majora præcipuè remedia negat: *Intemperantes, vinosos, gulæq; deditos, nec sanguinis missione, neque purgatione magnoperè juvabis; nam per vitæ intemperantiam crudorum humorum copiam ocyssimè colligunt.* Quarè subdit statim: *his ne manum quidem admovere tentandum est.* Sed hæc parùm efficacia sunt, ut propterea medicum ab illorum curatione submoveant; si enim vel ex natura, vel ex pravo vivendi ordine in talem corporis dispositionem inciderunt, acerbus & impius foret medicus, si propterea auxiliari eisdem recusaret, quandoquidem ad illum non spectat, naturæ aut morum vitia tanquam durus judex punire, sed corrigere, & emendare, si potest; non enim mores, sed morbos suscepit curandos, (ut *Valesii* verbis utar.) Quòd si *Galenus* dixit, nil præstare remedia posse, ubi proba victûs ratio deficiat, hanc propterea medico convenit disponere & mutare, ac rectè ægrotantem instruere, secundùm morbi exigentiam, ut optatum finem consequatur; & si idem author intéperantes & vinosos, nec manu tangendos esse scripsit, de præcautoria curatione intelligendus est, de quà ibi agebat; hoc forsan timens, ne pessima mala, quæ motis humoribus statim in tanta illorum abundantia evenire solent, in medici culpam rejicerentur: protritum enim in medicorum ore est: *Multa mota nocere, quæ si non moverentur, non nocerent*; quod in hujusmodi hominibus magis quàm in aliis timendum est. Cæterùm, si cum ægritudine jam conflictantur, auxiliares manus præstare debet, sed hoc attentè, paucissimis & lenibus utens remediis, & optimo præcipuè victûs regimine ad meliorem statum eosdem reducere tentabit, & quomodocunque potuerit, in morbis & periculis adjuvare conabitur; quantumvis hi sint, de quibus *Democritus* apud *Hippocratem* sic ait: *Propter intemperantiam enim implacidè se habent ad omnia, & sapientiam insaniam existimant.* Sed ut illorum stultitiam medicus nil pendere, ita intemperantiam & morbos corrigere debet.

Lib. de ther. ad Pamphil.

Lib. de sang. miss. cap. 7.

Medicus non mores sed morbos curat.

Lib. 2. methód. cap. 1.

Epist. ad Dam.

4. *An medicus barbaros & feroces homines curare debeat? & an vocatũ ad illorum provincias adire conveniat?*

Tertio loco venit dubitandum de barbaris & truculentis hominibus, nullam scientiarum rationem, nullam literarum scientiam habentibus, qui ex arbitrio magis quàm ex sagaci artium indagine, non pro ratione, sed pro voluptate & imperio vivunt, & quam industriam studiis non assequuntur, furore compensant, & ad crudelitatem magis, quàm credulitatem reducunt; siquidem hi aliquando morbis oppressi & necessitate compulsi, cujuscumque sortis medicos, ignaros empyricos, nugaces, veneficos, incantatores etiam & maleficos, nullo discrimine admittunt, fini tantùm, & desiderio attenti, non mediis; & si detur, rationalium etiam medicorum operam efflagitant: sic aliquando Mauros, Turcas, & alios Barbaros fecisse legimus; apud quos acciti medici, vel pollicitationibus, vel avaritiâ allecti, tamen à morbis delusi,

delusi, & irrito conatu laborantes, infelicem jacturam, & aliquando mortem mercedis loco reportârunt; quod infortunium multis jam accidisse compertum est, quorum historias referunt *Pancirolus*, & *Beverovicius*, quas in nostra reprehensione medica jam ad longum retulimus: talem quippe mortem subivit *Manes* medicus apud Persarum Regem, quòd filium curare non potuisset; quem sanaturum temerè promiserat; sed magicâ arte malè succedente, horrenda morte non solùm sublatus, sed insepultus asinorum more derelictus est, cute etiam detractâ, & stipulis refertâ, prout *Suidas* & *Epiphanius* referunt. Non dissimili crudelitate usus *Alexander Magnus*, quem Ephæstione amico febre in Media absumpto, Glaucum medicum in crucem egisse scribunt *Diodorus Siculus*, & *Ioan. Monachus*, quòd ægrotantis minùs sedulam curam habuisse videretur. Eandem fortunam expertus est *Zirbus* Medicus Italus narrante *Iovio*, qui cùm grandi pecuniâ accitus ad Triballos usque penetrâsset, ut Scander Bassam intercutis morbo liberaret; nec demum, quod superbè promiserat, præstitisset, à Barbari servis interfectus est. Sed quid de Barbaris miramur, cùm etiam apud Christianos similia exempla non defuerint? Petrus Medices Leonem medicum, doctum magis quàm felicem, in puteum præcipitavit, quòd Laurentium patrem, quem cum fiducia curandum susceperat, non eâdem sorte servare potuisset, expensum Deo referens, quòd secùs accidisset. Eo tamen crudelior etiam censeri potest Austrigildis Guntrani Francorum Tetrarchæ conjux, quæ moribunda maritum jurejurando adegit, ut duos medicos, qui fatum exorare nequiverant, morti addiceret; cui execrandæ voluntati, legibus improbatæ, Rex paruit, ac uxoris manes innoxio sanguine, pessimo exemplo placavit, ut author est *Stephanus Forcatulus*. Nostro ævo Ioannes Daniæ Regis frater febre correptus, jussu magni Moscoviæ Ducis, cujus cum filia mox sponsalia erat celebraturus, decem electis traditur medicis, additis etiam ab ipso Duce minis, sub capitali pœnâ, ni convalesceret: quod ægro mortuo præstitisset, nisi à Daniæ legatis instantissimè exoratus & remollitus esset. In pari vitæ dubio versatus fuit *Rhasis*, prout ipse narrat; nam cum Erresideno Regi sanguinem extrahi jussisset, syncope correpto ægro, ab illius servis torvè inspectus est, qui jam in illius mortem conjuraverant, nisi à syncope libero & soluto Rege, illius timorem, & aliorum crudelitatem vitâsset. Quis igitur medicus immanissimos tales Barbaros velit curare quibus scientiæ non aliter quàm asinis inventæ sunt, & scriptæ? Nec enim naturæ debitum solvere sustinent, & in medicum, qui licèt officium suum rectè præstiterit, assequi tamen intentum non potuit, immaniter irruunt, & non nisi illius cruore luctum solantur: quod & Septemtrionalibus gentibus, nullis non ferocioribus usitatum esse scribit *Olaus Magnus*. Cumances etiam Indi Occidentales, prout refert *Nieremb.* medicos quos dicunt *Piaches* tutissimo pacto conducunt; viderit medicus cujus ægroti curationem suscepit; nam si restituit, liberali præmio donatur, si moritur, mercedis loco medicus occiditur. Barbara inhumanitas & admittentis periculosa conditio! Ego apud ipsos medicus non fuerim, licèt dicat *Seneca*: *Medicina & sceleratis opem monstrat*. Et certè si aliqui sunt homines, quibus artis auxilium negari potest, Barbaris istis minimè præstandum judicarem; nam licèt omnes humanitatis vinculis & naturæ lege simus ligati, illorum tamen feritas & inhumana barbaries deterrere videtur; nec piaculum puto pro illorum salute laborare nolle, qui si eam non consequantur, præmii loco mortis faciunt socios, quos in vita habere non potuerunt. Verùm hoc tantùm intelligendum est, dummodò ad illos curandos, ad illorum provincias & civitates adeundum sit, & ad loca, quæ illorum imperio subjacent, ubi barbaries feritatis suæ potentiam & crudelitatem exequitur: quarè nunquam ego ad illos adire consulerem. Quòd si aliqui vel avari, vel audaces provinciam hanc subire non recusaverint, suam experiantur aleam; sed inprimis eos moneo, ut nullo modo ægrotantibus salutem promittant, imò semper morbum gravem esse, ac periculosum denuntient; ne si victa ars malo fuerit, aut ignorâsse, aut fefellisse videantur, ut consulit *Celsus*. Secundò, quod maximè advertendum est, ut paucissimis remediis & lenibus utantur, quemadmodum fecit *Amatus* in Aidar Turca spadone Epirota, in cujus curatione à multis & fortioribus remediis abstinuisse se ait, ne si fortè obiisset, ipse periclitaretur, ac propterea periculo se subtraxit; quod in tempore facere animadvertant avari, qui talibus se exponunt.

Tom. 2. tit. 1. lib. de vitæ termino propè finem.

Lib. 17. in vita Alex.

Lib. 4. de imp. & philos. Gallorum.

Lib. de casibus qui ipsi acciderunt.

Lib. 16. hist. sept. cap. 6.

In hist. nat. lib. 8. cap. 12.

4. de benef. cap. 26.

Lib. 5. cap. 26.

Gent. 6. curat. 99.

Quartò & de hostibus dubitatur, an in ægritudinum angustia positis medicus debeat subvenire? Sanè *Hippocrates* ad Histanum rescribens nullis auri, argenti, ingentium opum,

In epist.

opum, aut honorum, Artaxerxis promissionibus adduci potuit, ut Persas curandos adiret, quòd barbari essent homines, & Græcorum hostes; & hoc usus argumento Senatu Abderitano condigna præmia pro Democriti curatione offerente, accipere recusavit, æquale dicens esse piaculum hostes servare, & amicos mercede curare. Sprevit certè *Hippocrates* tanta Persarum Regis regalia munera, & honores, non solùm quia Barbarorum feritatem timuit; sed quòd Græcorum communes essent hostes, peste correptos noluit adjuvare, ne in proprios cives & amicos videretur injurius; quid enim aliud foret inimicos servare, quàm amicos perdere? Nec judico contrà charitatis legem, communes nolle adjuvare hostes, qui postmodùm restituti, familiares evertere poterunt. Aliter faciendum, ubi non in communem hostium utilitatem, sed peculiaris unius, vel alterius tantum medicus operam suam contulit; quia licèt hostis sit, nil interest, quòd in multorum numero unus non deficiat: tunc enim charitas alligat, & obligat; & multò magis quando inter medicum & ægrotum mutua intercedit inimicitia; tunc enim ex Dei mandato iis, qui nos oderunt, benefacere jubemur: nulla quippè commodior via esse potest, in gratiam redeundi; *ex medico enim & præceptore*, dicebat Seneca, *statim in amicum transeunt*. Nam & inimicis benefacere præstantissimum judicabat *Aristoteles* apud *Plutarchum*; & Sigismundus Imp. referente Sylvio, *pulchrius esse dictitabat, benè faciendo, quàm potentiâ inimicos vincere. Curandum enim, ut humanitate sis ac virtute superior*; ut Petrarcha monet.

6. de ben. cap. 16. lib. quali ex inim. amicus &c. Dialog. inimico.

6. *Medico an liceat ad phreneticorum & maniacorum curationem non accedere?*

Quintò venit dubitandum de phreneticis, maniacis, & quibuscumque aliis extrà mentem furentibus, qui in notos pariter atque ignotos invehuntur, an securâ conscientiâ medicus vocatus ab eorum invisione excusare se possit? quandoquidem saluti, propriæque vitæ prospicere potiùs quàm alienæ decet, & periculosa effugere. Nec hoc ita rarum est, aut minimè timendum; siquidem non pauci medici à furentibus, & maniacis occisi, aut malè vulnerati sunt: quid enim ab illis sperandum, qui non aliis tantùm, sed sibi ipsis frequenter mortem consciscunt? Quot sunt, qui arreptum ferrum in proprium adegerunt corpus, & immedicabiliter vulnerati perierunt? Quot in altos puteos festinanter sese præcipitârunt? Quot se laqueis suspendentes, vitam & morbum finierunt? Quot sibi manus inferre tentârunt? & quia præventi fuerunt, obstitit, ut consequi non potuerint. Eos ergò non timebit medicus? aut inconsultò & nil meditans securus accedet? aut si nollet, licitè non faciet? *Mercurialis* quendam medicum à maniaco interfectum narrat. *Savanorola* de alio scribit, qui jam ut credebatur sanus, stricto ense medici socium facie vulneravit: quarè, inquit, à fatuis & maniacis cavendum. *Saxonia* Venetiis ait novisse phreneticum qui duos occidit sacerdotes; item alium qui crumenam cum nummis, & totum pulvinar voracissimè, & ferocissimè irascendo comedit. *Arethæus* plurimos dicit, etiam servos interfecisse, & sibi non solùm vestes proscidisse, sed intulisse manus: quarè inquit obvius quisque periculo non vacat. Sic accidit *Foresto*, ut ipse narrat, qui phreneticum invisens, & blandè prout decebat alloquens, de lecto inquit exiliisse, in illumque irruisse, & nisi à viris fortibus, qui tunc aderant, fuisset impeditus, malè mulctatus haud dubiè fuisset: qualiter etiam accidisse refert *Ludovico de Leonibus* Bononiensi medico, qui melancholici cujusdam lenibus verbis confisus, & deceptus est; namque is fortissimè in ejus guttur ingessit manus, & nisi aliorum auxilium obstitisset, indubitanter suffocatus periisset. Innumera sunt exempla, si omnia percurrere foret animus. *Fabricius Hildanus*, alium dum curaret maniacum, fortè solus cum illo in cubiculo manserat; ecce tunc furore correptus è fenestra se præcipitem dare contendebat maniacus, quem dum retinere cogitat, & verbis inducere ut se lecto componat, torvis oculis in medicum facto impetu, ambabus manibus illius gulam apprehendit, & nî pedum audito strepitu alii in subsidium advolâssent, strangulatum dimisisset. Idem author cùm phreneticæ alterius mulieris linguam, an arida esset, explorare vellet, illa digitum dentibus arripuit, atque adeò compressit, ut non nisi satis ex morsu vulneratum extrahere potuerit. Hinc meritò *Lucianus*, de curatione phrenet. agens: *Est hoc, inquit, omnium, quæ sunt in medicina, periculosissimum, hominibus hujusmodi mederi, & ad sic affectos accedere. Fit enim non rarò, ut exæstuante malo rabiem in proximos emittant &c.* Medicus igitur an horum curationes suscipere recusans, culpari minimè debeat, non citrà rationem dubitatur; præsertim cùm *Galenus* sic scribat: *Etenim furiosos ne propè quidem accedere sustinemus; verùm elongamur omni modo, formidantes ne quid mali etiam nobis affricent*; quandoquidem, ut notavit *Olaus Magnus*, *hac phre-*

Medici & alii à phren. & maniacis occisi, & vulnerati.

Cap. de mania. Sava. rub. 14. de mania. Sax. in progn. pract. cap. de phren. Lib 3. diu tur. cap. 6. Lib. 10. obs. 22. & obs. 1. ejusdem libri.

Cent. 4. obs. 8.

Cent. 1. obs. 84.

In abdicat.

Lib. 2. de dif. resp. cap. 10.

phreneticorum gratitudo est, ut proprium curatorem interimant. Sic enim *Iacobum Sylvium* aliquandò fecisse scribit *Dovinetus* apud *Schenckium*. Sed his non obstantibus authorum nullus phreneticos, aut aliter delirantes, & furiosos deserendos esse statuit, & à Medico citrà auxilium relinquendos; sed tamen cautè hoc faciendum, ut sibi prospiciant, & ab illorum furore & periculo caveant, propiùs inprimis non accedendo, ut *Galenus* monet, aut vinculis priùs illos ligando, quemadmodum in communi usu est, & scitè *Celsus* advertit: *Eos verò qui violenter se gerunt, vincire convenit, ne vel alteri, vel sibi noceant. Nec credendum est, si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, sanum jam se fingat, quamvis prudenter & miserabiliter loquatur; quoniam is dolus insanientis est.* Et rursùs de insanientibus loquens: *Vbi perperàm aliquid dixit vel fecit, fame, vinculis, plagis coërcendus est.*

Lib. 3. Apolog. cap. 2.

Lib. 3. c. 18.

7. [...]edicus [...] morbos [...]ntagio[...] & in[...]rabiles [...]scipere [...]beat?

Sextò de contagiosis, præcipuè de peste affectis, & de morbis incurabilibus dubitatur, an Medicus citrà scrupulum possit illorum curationes non suscipere? De contagiosis & peste laborantibus videtur excusari posse; quippè si, ut Medici consulunt, optimum pestis remedium est, *citò longè discedere, & tardè reverti*, imò si hominum frequentiam, & conversationem fugere cum *Ficino* omnes admonent; Medicus quoque tenetur pro se observare, quod cæteris ut optimum consulit: & cùm videamus pestem aliquandò tam crudeliter sævire, ut parentes filios, filii parentes deserant, quæ imprudentia Medici est, quòd vitam adeò habeat exosam, ut medios in ignes se conjiciat, præsertim in morbo cujus non minima pars est imaginatio & metus? Prætereà si morbi incurabiles sunt, ad quid Medicus illorum curationi incumbere debet? quis enim est, qui confirmatam phthisim, aut hydropem sanaverit? Marasmo affectum quis unquam restituit? antiquam epilepsiam, fortem apoplexiam, cancrum occultum, inveteratam podragam, & hujus farinæ sexcentos alios imò & hæreditarios morbos quis evincere potuit? An non meliùs, quod *Hippocrates* de cancris, quòd meliùs sit eos non curare, cum aliis etiam faciendum? nonne ipse *Hippocrates* illorum, qui à morbo victi sunt, curationem non aggrediendam docuit? nam qui hoc à Medicis postulant, ut eodem lib. dicebat idem, non minùs quid faciendum sit, quàm quid non faciendum, ignorant; *Quorum enim facultatem tum per naturam, tum per artium instrumenta consequimur, eorum nos opifices profiteri possumus, aliorum non item. Si quid igitur homini contigerit, quod medicinæ instrumenta superet, id ne sperandum quidem est ab arte Medica.* Hæc Hippocrates, quem *Celsus* imitatus sic elegantissimè inquit: *Est enim prudentis hominis primùm eum, qui servari non potest, non attingere; nec subire spem ejus ut occisi, quem sors ipsius peremit.* Sic *Galenus* morbo victis remedia neganda consuluit; sic alii Medici immedicabilibus morbis auxilia petentibus non facilè annuendum docent: qui enim talium curationes suscipiunt, mali Medici nomen adipiscuntur, ut *Baptista Montanus* advertit.

In epid. antidot. cap. 1 & 5.

Lib. de arte nu. 4.

Lib. 4. cap. 26.

1. Aphoris. 8. & 11. Meth. c. 9.

Tom. 1. consf. 14.

8. Sed licèt hæc omnia rectè dici videantur, non propterea ita rigorosè sunt observanda, ut à dictarum ægritudinum curationibus medicus omnimodè abstinere debeat; nil enim magis humanum est, quàm humana incommoda misereri, & præcipuè peste correptos; impium certè foret, in tantâ calamitate constitutis medica negare auxilia, & metu mortis proximi necessitatibus, & Christianæ pietati deesse. Quid enim pulchrius est, quàm pro patria, pro amicis, omnibus periculis se exponere? quid jucundius, quàm in tanto labore positis, pro humanis viribus, succurrere? Aliter facere, & miseros in tanto agone derelinquere, omni ope, consilio, & solatio destitutos, quid esset, nisi Deum tentare, qui fugienti, & debita officia non præstanti adhuc sua fulmina, suos ignes servat? Decet igitur peste affectis minimè deesse, & fortiter pro aliorum servanda vitâ propriam periculis exponere, animosè agere, & Deum exorare, qui & in peste te salvum servare, & ab illa fugientem interficere potest. Incurabiles etiam morbi non omninò relinquendi sunt (foret enim hoc afflictis addere afflictionem) sed quoad possibile fuerit, opem conferre debemus; sin minùs Medicamentis aliquid utile præstare possumus, verbis solando animum exhilarare: ea enim est medicinæ industria, ut quandò morbi causam avellere non potest, attemperet, & demulceat. Rectè siquidem dicebat Seneca epist. 94. *Ne Medicina quidem morbos insanabiles vincit, tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in levamentum.* Sic itaque lenibus remediis, & blandis persuasionibus ægritudinis vim emollire, & patientis animum laxare expedit, ut in phthisicis & apoplexicis pulchrè consulit Priscanus

lib. 2. cap. 21. *Chronicos verò plenâ jam sub desperatione, non jam ut Medicorum officio, sed tantùm ut amicorum solatio visitamus.* Interim minimè ignorandum non esse abbreviatam manum Domini, qui ea, quæ videbantur impossibilia, aliquandò nobis restituit, & ut hoc consequatur, naturam adjuvat; in qua sicuti monstra non rarò contingunt, ita in morbis, ut dicebat *Averroës*. De præceptis medicis non obedientibus jam in præcedentibus diximus, de deploratis in sequenti quæstione erit sermo. Igitur cujuscumque sortis ægrotantes, in medicinam & medicos injurios, intemperantes, truculentos, barbaros, moribus improbos, vel hostes, item & phreneticos, furentes, maniacos, nec non peste aut immedicabilibus morbis affectos, omnes Medicus suscipere, & sub promissâ & debitâ fide omnium salutem, inquantùm possibile sit, procurare debet; communes hostes communiter ægrotantes excipio, qui morbo erepti majus familiaribus negotium facessere possunt: aliter non præstabit, quam Medicina omnibus promittit, commiserationem, si auxilia neget, quæ per medicamentorum adjutricem vim ægris exhibentur. Scientiæ itaque beneficia, vice mutuâ charitatis humanæ, cum omnibus infirmis, amicis, notis, ignotis, imò cum advenis magis, & pauperibus communicare debemus; quia est Deo acceptior, & homini laudabilior misericordia, quæ hospiti peregrino, egeno, imò inimico defertur. Scientia enim juvandi omnes est medicina, quæ velut per gradus quosdam laborantibus succurrit; magnum siquidem, & suprà hominis naturam semper habitum est, posse aliquem sanare, & deperditam valetudinem restituere, ut illustris vir *Marcellus*, & *Scribonius Largus* affirmant. Maximè igitur culpari merentur, qui remedii utilitatem experti, illius tamen usum denegant, & ut optimè *Heurnius*: *Ingenti scelere in arte medica se contaminant, qui cùm possint juvare, nolint; & temeritate, cùm volunt, quæ præstare nequeunt.*

8.

In epist. ad Theodosium, & Caium Iul.

Com. in jusjurandum.

9. *Medicus nisi vocatus nunquam ad ægros accedat.*

Unum tamen (quod maximè præcipio) obiter medicis advertendum duxi, ut nunquam nisi vocati ad ægrum visendum accedant; quippe qui aliter faciunt, prætérquam quòd de mercede nil sperare debent, vel non benè recipiuntur, nec cum confidentia illorum remedia accipiuntur, vel ut imperiti habentur; magisque hoc observandum est, si cum infirmo aut consanguinitatis, aut amicitiæ familiaritas intercedat: nam si talis erat, ideò te non fecit accersiri, quia tuâ operâ uti noluit; quo tempore si adeas, frustrà præscribes remedia, quæ ægroto non placent, atque ita neglectus abibis, & despicatus: quippe nisi æger ut numen quoddam Medicum veneretur, nunquam illius præceptis obtemperabit. Nec hoc solum faciendum est, sed neque frequenter, & ultrà consuetudinem sine ulla necessitate invisendus est æger; nam licèt *Hippocrates* doceat: *Frequenti utere ingressu*; & *Galenus* apud infirmos sæpiùs pernoctasse se scribat, hoc solùm faciendum, quando necessitas urget aut aliquid oportet observare, quod ad morbum curandum conducit: aliter bis in die pro more tantùm invisendus æger est; ulteriùs facientes rectè culpat, ac taxat *Botalus*: *Frequens* (inquit) *invisio aut Medici imperitiam, aut extorquendi æris cupiditatem significat.* Sed ut hoc Medico convenit docto & perito, qui omnia artis præcepta callet, & ex illa æstimationem suam tuetur & conservat; ita ab Empyricis omnia parvi fiunt: hi enim sunt, qui totum medicinæ nitorem obscurârunt, hi pulchram illius fædârunt faciem, tantamque medicorum venerationem, quâ apud omnes suspiciebantur, jam extinxerunt; quippè qui ab omni doctrina, imò ab ipsis artis rudimentis alieni, & prorsùs ignari, vulgi tantùm ignorantiâ suffulti, vafricie, technis, & vili denique obsequio, non locum, non famam, sed argentum quærunt; ad quod emungendum, si hæc non sufficiunt, infamia fiunt mancipia, & viles scurræ, ut omnibus artibus in gratiam veniant ægrotantium; quibus tamen hic plausus in luctum non rarò solvitur. Artes honore nutriri, vetus est sententia; sed quando tanta nostris temporibus in medicinam obrepsit calamitas, jam cum pudore omnia abiêrunt, & turpis avaritia per mortes hominum, ut mores corrupit, sic medicinæ decorem deturpavit.

Medicus citrà necessitatem ægrotum non visitet.

Galenus apud infirmos pernoctavit.

Lib. de decenti orat.

com. 1. de fract. tex. 22.

Lib. de medici & ægri munere.

10.

Medicus an remedia probata secreta reservare debeat?

Tandem an Medico liceat remedium aliquod propriâ experientiâ cognitum, & probatum, sibi tantùm reservare, nec aliis palàm facere, dubitandi occasionem dederunt aliqui ex antiquioribus Medicis. *Scribonius Largus* hieræ Pachii, & alterius medicamenti mentionem facit; quorum compositionem *Pachius*, & *Apuleius*, *Celsusq;* numquam vivi ulli communicare voluerunt: & certè chymicis multis nebulonibus hodiè in usu est; qualiter balatrones Empyrici etiam faciunt, qui quotidiè sua secre-

De comp. medica. Cap. 22. comp. 97. & cap. 23. comp. 97.

secreta remedia stultis, & imperitis assiduè jactant. Omnia enim istorum remedia secreta sunt, & meo judicio adeò secreta deberent esse, ut nulli innotescerent, aut unquam exhiberentur. Sed vulgus adeò insipiens est ac ignarum, ut facilè illis credat, & famam, quam apud ipsum sibi conciliare student, eisdem non deneget, quasi eruditione & suis ineptis, quas jactant, experientiis Medicis prævaleant. Cæterùm ut hæc stultorum miseranda ingenii infelicitas est, & illud, nebulonum commentum, ut eam, quam captare satagunt famam, Medicis detrahant; ita sanè Christiano Medico indignum, & minimè faciendum, quandoquidem & ipsis gentilibus exosum hoc fuerit. De quo idem Scribonius Largus: *Qui experti sunt remediorum utilitatem, denegant autem usum, valdè culpandi sunt, utpotè, qui crimine invidiæ flagrant. Quod malum præcipuè Medicis invisum esse debet; in quibus nisi plenus misericordiæ, & humanitatis animus est, omnibus Diis & hominibus invisi esse debent.* Quæ enim Deus in omnium auxilium creavit, velle sibi reservare, quid aliud erit, quàm ambitionis, & inanis gloriæ diabolica cogitatio; & hanc vitæ, & hominum saluti anteponere? Quæ enim gratis Altissimus creavit, & communia omnibus esse voluit, an occulta & tibi solùm facta credere par est? Deum sanè tentabis, qui ne avaritiam tuam adjuvet, medicamenti virtutem impedire poterit, cùm occulta, & ad lucrum servaveris, quæ ille ad mortalium utilitatem produxit. *Væ homini, qui talentum sibi à Deo concreditum sub terra defossum abscondit!* ut sacra pagina loquitur. *Malum vas,* dicebat Eusebius Philosophus, *est, qui scientiis eruditus, ob animi malitiam, aliis desiderantibus non communicat bona, quæ recondit, & ne in usum veniant, putrescere sinit.* Solùm quippe

In præf. ad C. Jul. Callistum.

Invidus alterius rebus marcescit opimis.

Horat. 1. epist.

Alexius Pedemontanus, qui magno labore, & longè peregrinando multa optima & secreta collegit remedia, aliquandò hâc temeritate usus est, ut nulli exposcenti communicaret; & exoranti chirurgo, qui celebre & probatum illius remedium pro frangendo calculo bis & ter enixè expostulabat, ut ægrotanti hoc morbo in extremis degenti propinaret, tamen ne in aliorum notitiam veniret, exhibere noluit: at tandem precibus victus ad ægrum accedit, quo tempore ad illius ingressum miser æger animam efflabat, nec locus fuit, ut suos virgæ aureæ pulveres, pro lithiasi tantoperè ab illo decantatos, adhibere posset: quo factum est, ut ipse *Pedemontanus*, qui tantam hujus pulveris efficaciam pro lapide frangendo credebat, hominem ipsius culpâ ob tanti remedii defectum periisse sibi persuadens, hâc calamitate motus, ac pœnitentiâ ductus, omnia quæ magnis sumptibus & laboribus acquisiverat remedia palàm facere statuerit, & fecerit, ut idem in præfatione ad sua secreta ad longum narrat. Hoc in exemplum tibi sufficiat, ut Dei opera mireris, & minimè ingratus omnibus impertiaris, quæ omnibus Deus voluit impertiri, & nulli soli adjunxit. Optimè ergò *Seneca*: *Compositionem remediorum salutarium nemo suppressit, ne sanarentur indigni: quid si digni sunt?* Et si hoc ethnicus, quid Christianus, & charitatis non humanæ solùm, sed divinæ vinculis obstrictus? Cæterùm in tanta hac charitatis obligatione quemadmodum nihil salutaris præsidii secretum servare licet, sed in tempore & necessitate omnibus exhibere, & ejus usum præstare convenit, artis etiam sociis & ministris communicare; ita Empyrici & bardi, qui citrà ullam methodum & rationem, citrà occasionem & modum, omnia omnibus indistinctè exhibent, medicamentisque abutuntur potiùs quàm utuntur, & ex salutaribus mortifera reddunt, hi, inquam, de nullis optimis remediis edocendi sunt, ut in suis, quod ajunt, thesauris recondita servent cum aliis, quæ semper secreta habere blaterant: quippè talia sunt illorum secreta, ut si in lucem protrahantur, thesaurus ille carbones sint, & adulterini nummi; undè accidit, ut probata medicamenta in ipsorum manibus laudem non solùm amittant, sed vituperationem, & infamiam reportent, ut eleganter advertit *Arnoldus*, qui solùm sapientes ait participare nobiscum philosophię dona debere, non indignos alios, qui nec investigant, nec intelligunt quidquid dicatur eis; imò dedecus esse ait, talibus secreta pandere.

4. De benef. c. 28.

12.

Lib. de simp.

QVÆ-

QUÆSTIO DECIMAQUINTA.

Desperati, & deplorati an prognosticis relinquendi?

Depositi & desperati qui dicantur?

1.

DEplorati, desperati, & depositi etiam dicuntur illi, qui morbo jam victi, consumptis viribus, & suprà naturam malo invalescente, nullam spem sanitatis promittunt; sed sive virium statum, sive pulsûs languorem, sive urinæ cruditatem, & cæteram signorum syndromem Medicus consideret, omnia præ foribus mortem adesse, citoque adventantem portendunt: quod plerumque in acutis morbis, & in procinctu necem minantibus observant medici, & miseri experiuntur ægrotantes, necnon & in chronicis, ubi naturâ morbo succumbente vincitur etiam ars, & artificis languet industria. In tanto igitur mortis agone, & in tanta calamitate positos, imò depositos, an Medicus relinquere debeat, & tristis mutusque abire; an remediis pertinaciter insistere, & ad ultimam expirationem ægrotantis conatum adjuvare, & adversùs inexorabilem Parcam contendere, dubium est, si non difficile, saltem antiquorum placitis diversimodè insinuatum. In cujus resolutione non more *Augenii* me latissimè diffundam, sed breviter expediam. Et primùm velim ánimadvertant Medici, non esse de nihilo quæstionem; siquidem ad illorum famam & honorem augendum quantum habeat momenti & utilitatis, illi judicent, qui desertum aliquandò ægrum, & pro moribundo derelictum, vel ex naturæ conatu, vel ex vetulæ, aut Empyrici remedio, nullâ quantumvis artis ratione applicito, ad vitam redire non raro conspexerunt, & non levi suę famæ dispendio gravem contumeliam passi sunt: nam, ut optimè *Ovidius*:

Lib. 8. epist. 1.

Sæpè aliquem solers medicorum cura relinquit,
Nec tamen hic venâ deficiente perit.

Lib. 1. de pont.

Authoritates quæ deploratos non attingere docent

2.

Sed videamus jam quibus authoritatibus decepti multi in hoc errandi causam habuerint. Primus itaque *Hippocrates* medicinam definiens dicit: *Medicina est morbos ab ægris in totum tollere, vehementes illorum impetus obtundere, & illorum, qui à morbo victi sunt, curationem non aggredi.* Quo sensu eodem libro in Medicinæ calumniatores invehitur, qui ideò medicos damnabant, quòd morbo victis manus non admoverent; sic enim ait: *Qui igitur eos reprehendunt, qui victis à morbo manus non admovent, non minùs hi adhortantur ad ea suscipienda, quæ attingere fas non est, quàm quæ fas est. Stultum enim est,* (dicebat idem) *quærere ab arte potentiam ad ea, quæ non profitetur; sicuti à naturâ facultatem ad ea, ad quæ nata non est.* Ratum itaque habuisse videtur *Hippocrates*, non tantùm Medico non convenire deploratis remedia præscribere, sed nefas esse putavit, & minimè licitum; quod clarissimis verbis iterùm scripsit: *Non rectè, si quæ sanari possunt, non cures; & quæ sanari non possunt, te sanaturum recipias:* quarè eodem lib. de arte concludit sic: *Cùm igitur homo morbo afficitur, qui vehementior est, quàm Medicinæ instrumenta, ne sperare quidem oportet, ut à Medicinâ exuperetur.* Hoc idem *Galenus* non solùm amplexatus est, sed scriptis suis firmatum commendari posteris voluit: quippè qui 1. *Aph.* ita loquitur: *Nam quorum vigorem excepit mors, in his eâ solâ parte artis utimur, quæ prognostica nuncupatur, quid futurum sit pronuntiantes, ne rerum eventus nostro adscribantur errori.* Et iterùm: *Recordantibus nobis quòd deploratos non oportet attingere, sed relinquere, & morbi finem tantummodò pronuntiare.* Quocircà ubi ex virium defectu, & cruditatis signis ægrum servari non posse collegit, ullum adhibendum præsidium negat, *esseq́; inquit, imprudentis consilii apud vulgus infamare præsidia, quæ multis fuêre saluti:* medicosque unà taxat, qui in simili desperatione eisdem remediis usi, *adeò nil profecerunt, ut etiam illorum usum inposterùm suspectum, formidolosumq́; reddiderint.* Ideoque de causo laborantibus agens, qui perniciosè, & insalubriter habent, neque per aquam, neque per aliud quidpiam servari posse ait; ac proindè inquit: *Nil illis ministrare sum conatus.* Itaque culpâ immunes se Medicos præstare asserit, si morituros prædixerint, ac nullo generosiori medicamento usi fuerint; quod iterùm consulit *lib.* 12. *Meth. cap.* 3. Celsum imitatus, qui ait: *Est enim prudentis hominis primum eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire spem ejus, ut occisi, quem sors ipsius perêmit.* Eodem etiam modo *Æsius*, qui totum

Lib. de arte.

Lib. 1. de morbis.

1. Aphor. 8.

1. Aphor. 1.

11. Meth. cap. 9.

4 Acut. 12.

Lib. 5. c. 2.

ex *Galeni* meth. locum transferens, vanum censuit calumniis imperitorum præclara auxilia exponere: *At nos* (inquit) *temporum occasiones, & auxilia describimus in his qui servari possunt; nam qui incurabiles sunt ægri, his neque occasio, nec auxilia commodant.* Sequitur *Avicenna*, qui expressiùs sic: *Ex scientia istorum videbit Medicus, & sciet quis moriatur, retrahetq; manus suas à curâ ejus: Sicuti etiam videbit ex scientia eorundem quis evadere debeat, & curari pro tanto notificabit, & prognosticabit illud.*

Tetrab. 2. serm. 1. cap. 78.

Tract. 1. Canticor. tex. 365.

§. Hæc sunt loca quibus Medicinæ Principes, & præcipui authores miseros ægrotantes, tanquam si morbi immanitas non sufficeret, in animi etiam desperationem abjiciunt, & sævitiâ morborum deterriti insanabiles omninò reputant, judicantque artis terminos jam transiliisse; & cum *Agrippa* nullum aliud quàm sequens remedium præscribunt: *R. tabellionem unum, testes numero septem, adde sacerdotem, cum aqua & oleo benedicto, & dispone domui tuæ, quia morieris.* Quos, tanquam si medici sufficere non viderentur, adjuvat *Lucianus*, qui sic: *Si hujusmodi malum sit, ut commodè possimus aggredi, aggredimur, totoq; adnitimur studio, ut ægrotum servemus; sed si affectum jam invaluisse, superâsseq; viderimus, nec manum omninò admolimur, idq; vetustam quandam primorum medicinæ parentum legem observantes.* Hanc tandem opinionem *Cicero* approbare visus est. Sed quàm impiè omnes, turpiterque, & crudeliter, modò commonstrabimus: siquidem & ipsos ferè omnes pro humanâ pietate resipiscentes aliter fecisse credendum est, ut ex multis eorumdem locis colligere est; quorum non pigebit aliqua notare, ut si non sibi ipsis videantur contraria statuisse, aliter in usu remediorum opinionem suam moderâsse appareat, si modestè & prout decet accipiantur, & interpretentur. Certè Hippocrates *in epid. historiis*, nusquam scribit, quòd morbi vi deterritus à remediis abstinuerit; & cum multorum, qui perierunt, casus referat, à curatione de facto abstinuisse, infirmumque reliquisse, minimè apud ipsum legimus: est enim timidi & abjecti animi urgente malo, & invalescente hoste arma projicere. Ideò formidolosus medicus, & parùm constantis animi sicuti ad graves morbos curandos, non conducit, sic miseros patientes citò aget in desperationem, cùm adjutorem, & sui hostis præcipuum oppugnatorem jam dare manus, ac cecidisse videant, & victoriæ spe amissâ, sub dirum Parcæ imperium infelicem ægrum mittere: præstat siquidem, ut minimè inconsultè aliquid agere, ita laborantis animum stabilire, suum obfirmare, animosè ire, confidere, moliri si quid restat; & audaces aliquandò fortuna juvat, & *in ipsa desperatione extrema remedia tentanda* ait *Seneca*. Qui etiam: *Et medici, quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præstant.*

Lib. de vanit. scient. cap. 83.

In abdicato.

Lib. 16. ad Atti.

[...]ici an- [...]deplа- [...]depla- [...] non [...]ebant. [...]3.

[...]licus [...]ido- [...] & [...]dus ad [...]ndum [...]tus est.

[...]edia [...]m in [...] des- [...]to ten- [...]da, ex [...]. & a- [...]um [...]te.

Epist. 29. 1. de ira cap. 6.

Sed sicuti numquam temerè, ita non èratione & ex artis præceptis ipsum *Galenum* sic fecisse comperimus; quippè qui ardentissimæ febris, calidis præcipuè ac siccis naturis advenientis, citoque ad hecticam properantis, ac totum hominis humidum exurenti calore depopulantis, curationem instituens, Thucydidis maximè consilium laudat: *Agentes aliquid, vel periclitari.* Quibus enim (ait) alia salutis ratio non est, & quæ unica videtur, ea dubia, necessarium arbitror, adversus pericula ire. Quantò enim satius est aliquid nonnullâ fiducia, vel cum periculo facere, quàm spe ademptâ certò perire; tantò profectò satius est potentibus præsidiis pugnare, quàm nil agere. Eodem modo Celsus: *Melius est* (inquit) *anceps remedium experiri, quàm nullum.* Auxilia enim cum temeritate rapienda esse scribit idem; nam cum eadem omnibus convenire non possint, ferè quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Similiter *Æsius*, qui sic ait: *Quemadmodum igitur perfectè à malo ejusq; diuturnitate victis frustrà manus admovemus, ita & abstinere ab illis, qui jam affectione corripi & tentari videntur, planè desperantium hominum est, & malignorum; quia humanum & plenum benevolentiæ signum est, in extremis etiam malis usque ad experimentum procedere ad reprimendam difficultatem morbi.* Sic *Trallianus* de mortali agens singultu nullis remediis obtemperante, ad illa quæ à proprietate adjuvant, confugiendum præcepit; *quia impium* (inquit) *erit ægrotum deserere.* Et *Avicenna* tam hoc cavit, ut suadeat in periculosissimis aliquid tentandum: *Ne proportionemur* (inquit) *ad paucitatem misericordiæ; fortassè salvabitur infirmus quandoque, quoniam multoties aliquis evadit sine spe mirabiliter.*

10 Method. cap. 10.

Lib. 2. cap. 10. lib. 3. cap. 7. & 9.

Tetrab. 4. serm 1. cap. 120.

Fen. 4. lib. 4. tract. 2. cap. 10.

4. *Medici antiqui quarè auxilia in desperatis applicanda negârunt.*

Sed tantam authorum & locorum antinomiam explicare non erit admodùm difficile: dicam tamen prius, non paucos fuisse medicos, qui citata Principum loca, ubi Medicum à desperatorum curatione deterrent, parum aut nihil esse attendenda docuerunt; eam tantùm ob causam, quia cum gentiles fuissent, nullaque Christianâ pietate imbuti, ad Medici & auxiliorum famam magis respicere voluerunt, quàm in ultimo periculo versantibus miseris succurrere; cum præsertim nil proficientibus remediis, statim imperitorum calumniis malè mulctari se experirentur: quod abundè *Hippocrates* & *Galenus* insinuare videntur; & hoc timuit etiam *Avicenna* citatus, cum dixit: *Ne superveniat nobis locus sermonis stolidorum, cum hoc quòd parùm conferemus infirmo.* Neotericus quidam doctus in ea est sententia, ut consilium de omittendis præsidiis omninò ab ipsis traditum dicat, ut medicum à calumniis, quibus nimirum vivit obnoxius, potius securum redderent, quàm ut eum deterrerent à tentandis remediis, quæ aliquandò deploratis saluti fuêre: ideò inquit *Pompejus Caimus* Galenicum illud præceptum docere quid Medico conveniat, non quid ægris commodum sit. Sed huic opinioni ego non assentior, utpotè qui videam Antiquos sæpè sæpius aliter fecisse, & licèt scriptum hoc nobis reliquerint, tali tamen consilio in praxi minimè fuisse usos crediderim; quamvis enim ethnici, morum probitate fuerunt insignes, & pietate singulares extiterunt, ut ex *Hippocratis* jurejurando, & ex ipsius præceptionibus facilè constat, ubi peregrinis, pauperibus, & omnibus operâ suâ indigentibus officium præstare promittit. Nec ulla est ratio, quæ rationales homines, & qui scientiam beneficentissimam, & quæ omnibus subvenire profitetur, se exercere agnoscebant, magis præsidiorum authoritati, quàm hominum incolumitati prospexisse convincat, aut suadere possit. Minori certè injuriâ illos afficerent, si dicerent, magnæ authoritatis virum *Hippocratem* hujus opinionis primum authorem fuisse, quam deindè *Celsus* & *Galenus* maximi illius sectatores, cæterique tanti viri placita sequentes, scriptis suis approbârunt; credentes ad artis tutandam dignitatem multùm conducere, pro cujus defensione ipsi multum elaborârunt, illo præsertim tempore in quo ars tantâ sectarum varietate, tot Erasistratis, tot Thessalis, Methodicis, & Empyricis aliis grassantibus summè periclitabatur, & imperitorum calumniis maximè erat obnoxia; quod *Hippocrates* & *Galenus* non obscurè fatentur: contrà quos, & vanissima illorum dogmata, *Galenus* multoties calamum armavit, & pro artis dignitate insurgens acriter decertavit.

Lib. de arte.
Lib. 11. meth. cap. 9.
Lib. 1. de feb. indic. cap. 25.

5. *Desperati morbi dupliciter cõsiderandi.*

Sed ut verum fatear, multò aliter intelligendæ sunt prædictæ Authorum sententię, & apparet certè ipsos non utcumque in omni desperato morbo à remediis abstinuisse, nec hoc nobis præcipere; siquidem si illorum intimius considerentur scripta, haud dubiè colligitur, illos deploratorum morborum duplicem fecisse sensum; unum nempè, cum in summâ facultatum & naturæ dejectione, morbi vehementiâ nulli cedente, omnibus signis non mortem tantum advenientem, sed jam jam imminentem demonstrantibus, cum asphigiâ forsan, & aphoniâ, madidoque sudoris frigidi præ debilitate exitu, tota funesta visitur tragœdia, paulò post luctu & planctu inchoanda: alium verò, in quo licèt multa timorosa signa, & maximus virium defectus, morbi etiam vehementia urgeat, tamen non ita ac in primo conclamatum est; sed quantumvis exigua & dubia, aliqua tamen restat spes, & de ambigua salutis via adhuc hæsitari potest. De primo accipiendi sunt, cum ulla remedia negant adhibenda esse; de secundo intelligenda sunt alia loca, in quibus prædicti authores ægrum non deserere, sed aliquid cum periculo tentare, & remediis adhuc insistere jubent, illud prius magnoperè necessarium monentes, ut non nisi facto prognostico adhibeantur. *Deinde* (inquit Celsus) *ubi gravis metus sine certâ tamen desperatione est, indicare necessariis periclitantis in difficili spem esse; ne si victa ars malo fuerit, vel ignorâsse, vel fefellisse videatur.* Et sanum hoc consilium, ubi sanguinem in debilibus, & vix ad tantum remedium vires habentibus mittere audet, exequitur, ac imitandum proponit: *Ostendere* (inquit) *quàm nulla sine sanguinis missione restet spes, fateriq; quantus in hac re sit metus.* Eodem modo *Galenus*, qui factâ prædictione generosa tantùm auxilia prohibet, non omnia, sicuti in prorsùs morituris dicebat: *Ergò in hujusmodi casu teipsum immunem culpâ præstabis, si ægrum moriturum prædixeris, ac nullo generosiore remedio usus fueris.* Sic Avicenna citat. *Si apparent signa mala, tunc oportet ut abstineamus; si non apparent, tunc permittimus sermo-*

Lib. 5. cap. 26.
Lib. 2. cap. 10.
Lib. 12. Meth. cap. 3.

sermonem dubium in perditione, quæ accidit plurimùm; deinde incipiemus in curatione. Et hanc fuisse illorum mentem ex prædictis illorum verbis facilè conjicitur; ubi notanda *Celsi* verba: *Eum qui servari non potest, non attingere*; & statim: *ubi gravis metus sine certa tamen desperatione est.* En duplex statûs ægritudinis consideratio, quæ clarissimè etiam in *Galeno* legitur; nam ille planè desperatos solis prognosticis relinqui jubet: *In quibus enim omninò desperata salus est*: & iterum: *In quibus accessio futura mortis est, eâ tantummodò artis parte utimur, quæ prognostica nuncupatur.* Et tandem 2. *aph.* 29. *Deploratos non oportet attingere.* Nihilominùs multò aliter sic scribit: *Nam quando salutis via est, eaq; unica, & dubia, necessum est, arbitror, adversùs pericula ire.* An non multùm differt salus omninò desparata, à salutis viâ licèt unicâ & dubiâ? Negat præsidia in illis, adhibet in istis. Sic & *Avicenna*, & alii ferè omnes: longè enim præstantius ac laudabilius est, aliquid cùm periculo aggredi, quàm certâ pernicie cessare; & decentius aliquid etiam lethale committere modò spes aliqua prorogandæ salutis supersit, quàm omninò certæ & præsenti se committere morti; ut præter Medicos doctissimè & abundè probat *Theophil. Raynaudus*. Patet ergò apud Antiquos in maximo fuisse discrimine, ægrum jam moribundum esse & deploratum, aut in summo versari periculo, ubi adhuc aliqua salutis via vel dubiam promittat spem: quod & apud ipsum *Hippocratem*, licèt obscurè, innuitur; siquidem ipse non rarò *Lethale* nomen pro penitùs desperato, aliquandò & pro eo: quod ut plurimùm evenit, proferre videtur, ut *aph.* 18. *sect.* 6. latè authores explicant; quod non advertentes plerique Scriptorum, tantam illorum contrarietatem explicare nescientes culpâ eos affecerunt, & non levi impietatis, inhumanitatisque injuriâ reprehenderunt.

11. Meth. 9.
1. aphoris. 8.
Lib. 19. Meth. cap. 10.
Tract. de ortu infant. contrà nat. cap. 8.

Nec prætermittendum est, quòd adhuc aliqui antiquam hanc Veterum doctrinam sic explicare nituntur, ut in morbis longis tantùm sit observanda, in quibus diuturna morbi duratio, sensim vires atterendo, ad exitum & finem, miserum paulatim conficit ægrotum; quousque ex diuturnitate patiendi omninò victâ naturâ, & viribus consumptis morboque prævalente, nulla restet salutis spes: quod videtur ex *Æsio* sup. cit. colligi posse, qui sic dixit: *Quemadmodum igitur perfectè à malo, ejusq; diuturnitate victis frustrà manum admovemus.* Multò aliter in acutis, in quibus licèt ad tantam virium jacturam & salutis desperationem devenirent, tamen aliquandò, ob humorum tenuitatem & caliditatem, natura ipsa ultimis utens conatibus morbi causam propellere non rarò visitur, & vel evacuatione, vel abscessu, aut saltem recessu, obortâ crisi, qui judicabantur deplorati, ad meliorem statum reducuntur, & paulatim refectis viribus evadunt: quarè inquiunt, sicuti in chronicis ad talem statum reductis à remediis desistendum, sic in acutis nunquam, sed pro morbi statu & virium tolerantia auxiliis adnitendum est. Verùm nec hæc doctrina sequenda est, quia ipsemet *Galenus* in cancro ulcerato, in quo salus omninò est deperdita, monet ægrum non esse relinquendum, & si non detur auxilio magno uti, parvo insistendum, ut saltem abluatur ulcus. Ex quo colligitur, *Galenum* & in longis morbis incurabilibus remedia adhibuisse.

6. aph. 38.

6. *nos sum- espe- nun- sine diis quen-*

De veterum Scriptorum circà desperatos morbos præceptis & curandi normâ hæc sufficiant: quippè licèt credamus, ipsos & de facto moribundis remedia applicare noluisse, & posteris hoc ita faciendum commendâsse; vel aliter pio magis & misericordi affectu commoti, à juvando nunquam abstinuisse; jam apud medicos firmum est, & nullâ ratione dubitandum sic fieri debere: nec pro Christiana solùm pietate, sed pro humana etiam conditione miserentes convenit, etiam nullâ quantumvis apparente sanitatis spe, ægris subvenire; si non ut à morbo liberentur, saltem ut inexpugnabilem illam naturæ necessitatem mitiùs ferant, & ut in ipso etiam exitu aliquid spei affulgeat, quo animum solentur: hoc enim multò erit præstantius, quàm in tanto agone infirmum derelinquere, quod planè crudele foret agreste, & ferinum. Et quod ita faciendum sit humana non solùm docet clementia, sed obligat, & multorum, quibus jam adaperiebatur sepulchrum, inopinata & inexpectata salus arguit & convincit; multò magis judicii nostri vacillatio & imbecillitas, cui minimè tantùm tribuere debemus, ut infallibiliter accidere debeat illud, quod ex infidis & incertis signis aliquandò prævidimus. *Obrepit aliquandò* (*authore Celso*) *deceptio tum in his quæ pestifera, tum in his quæ salutaria sunt; ut interdum convalescant, qui certò videbantur morituri; & moriantur, qui pro certo judicati sunt convalituri.* Nec hoc igno-

Lib. 2. cap. 6.

ignorare visus est *Galenus*, qui aliquando, in morbis præsertim acutis, inopinatam mortem, vel salutem contingere docuit: novit etiam *Hippocrates*, qui hac veritate & experientiâ convictus, in acutis morbis non omninò certas esse prædictiones salutis aut mortis disertè monuit; imò quæ ipse lethalia judicavit, non ita mortis necessitatem important, ut non rarò evadere contingat eos, qui damnati judicabantur, quod 5. *aph.* 1. *&* 2. *Galenus* advertit, & nos convulsionem ex vulnere, quam ibidem mortalem denunciavit, sanatam vidimus. Cogitet apud se quisque, qui in artis praxi diu se exercuerit, quoties ægros derelictos, & mortis potestati ferè jam annumeratos ad vitam omnibus elusis signis redire conspexerit; authorum percurrat scripta, qui desperatos casus, & historias narrant; quantos referunt, vel ex vulneribus, vel ex morbis aliis liberatos, qui ab *Hippocratis* censura & aphorismis damnati evaserunt? Et quàm aliter in divinis decretis, ac in medicinæ legibus fidendum, ac sperandum sit, omninò convincunt tot deploratorum, & ad vitam redeuntium miraculosi eventus; ut impium sit atque inhumanum, exitum non expectare, & ad vitæ usque finem divinæ potentiæ & misericordiæ mirabilia non præstolari. Cerebro vulnerato, hepate, intestinis, transverberato pectore, & pulmone, abscissa matrice, zirbo, liene, ventriculo, quoties visi sunt salvari ægrotantes? Ut non immeritò scripserit Brasavolus: *Hoc autem indies evenit, ut aliqui medicorum legibus desiderari debeant, qui sanantur; & econtrà aliqui, quibus sanitatem promittit ars, tamen occumbant.* Minus est, quod *Avicenna* cit. & ex Arabum familia plurimi hoc attestentur; magis posterûm docuit observatio: & quàm facilis sit in hominum judicio lapsus & deceptio, in ipsissimo videndum est *Galeno*, qui in historia Herophontis ait, illum præter expectationem evasisse. Similes casus apud juniores invenies. Lege *Valeriolam*, vide *Lemosium*; considera deindè, quàm multi non solùm ut desperati, sed pro mortuis habiti, elati, humati, tandem in sepulchris reperti sunt revixisse, & (horrendum dictu!) priusquàm mortui, defossi. Notissima subtilissimi *Scoti* historia satis erat in exemplum; quæris alias? Multas tibi dabit *Fabricius Hildanus* admirandas *cent.* 2. *obs.* 95. & ego amicum habui, cujus mater pestis tempore Libitinæ tradita est, & funerata, quæ tamen aliquos post annos, ad monumenti scalas sedens inventa est; & *Asclepiades* funeri obvius, intellexit eum vivere qui efferebatur, si *Plinio* & *Celso* credimus; quod quantum illi famæ & honoris, ægrotanti utilitatis attulerit, pronum est intelligere: quò & nos *Democrito* magis credamus qui ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit, quibus medici crederentur, ut *Celsus* ibidem notat. Pensita deindè è contrario, si medicus ægrum ut moribundum deserat, desinatque remediis adjuvare; si accedat edentula anus (de quâ festivè sic quidam Poëta;

Nulla quidem vestri tam regula firma Galeni,
Quam non interdum curva refellat anus.)

Et aliquid quantumvis inutile moliatur; quo tempore si æger recolligat, & melius habere incipiat, quid tunc de medico? Subsannatur, irridetur, inscius, idiota, & vetulâ multò inferior habetur, quod de multis dubitat *Cardanus*. Optimè itaque *Chrysologus*: *In arduis languoribus dat crebrò consilium vis doloris, in desperatis casibus est sæpè magistra necessitas, invenit ipsa sibi passio medicinam.* Hoc idem *Salomon* per antinomasiam sapiens nos admonet: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses.* Et ex medicis præter adductos, Arethæus & Soranus, *Pii medici*, ajunt, *& humani munus esse, excruciato in desperatis quoque casibus subvenire: tum ne deserti spem omnem & animum despondeant, tum quia deplorati quidam ægrotantes præter spem ex maximè lethalibus morbis nonnumquam convaluerunt.* Itaque sicuti humanum ac pium decet esse medicum, sic ægro officium, & operam præstare omni tempore, & potissimum cum in summo periculo versari videtur; turpe enim mortalitatis tempore ægrum deserere; & ut *D. Cyprianus*: *Quid illud fratres dilectissimi, quale est, quàm pertinens, quàm necessarium, quod pestis ipsa, quæ horribilis & feralis videtur, explorat judicia singulorum, & mentes humani generis examinat? An infirmis serviant sani, an propinqui cognatos piè diligant, an deprecantes deploratosq́ ægros deserant Medici?* Quandò enim magis deprecabuntur, nisi cum, tacentibus ipsis, clamat morbi inexorabilis rigor, & miseranda infirmi calamitas medicum compellat, ad laborandum tunc magis, & evigilandum, cum inimici vis urget? Nisi enim speremus, quod suprà spem est,

non

Lib. de consti. artis med. cap. 18.
2. apho. 19.
2. apho. 19.
Lib. 3. locorum com. cap. ult.
De præd. rat. cap. 2. & lib. 2. cap. 12.
Lib. 7. cap. 52. & lib. 26. cap. 3. Cels. lib. 2. cap. 6.
Serm. 35.
Proverb. cap. 24.
Lib. de mortalitate cap. 5.

non invenietur, quod inveniri nequit, quia spes dubia semper certâ desperatione potior; tunc enim animosè sperandum, cùm pænè nil spei affulget; nam dum vita est, spes est. Quemadmodum *Philelphus* hos versus ex Theocrito Batto vertit:

> *Fidere Batte decet, meliùs cras forsan habebis;*
> *Sperandum est vivis, non est spes ulla sepultis.*
> *Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere fulget.*

Etenim dum spiro spero, spes mea unica Christus. Ideò optimè dicebat *Philo: tum maximè plerumque Deum adesse, cùm hominum auxilia desunt.* Igitur dum divinam beneficentiam confidendo expectamus, quod in nostra potestate est, nil omittendum; & quousque penetrat humana acies, prout occasio, necessitas, & deploratorum vires ferunt, enitendum est; quippe:

> *Non quia desperes invicti membra Glyconis,*
> *Nodosâ corpus nolis prohibere podagrâ.*
> *Est quoddam prodire tenùs, si non datur ultrà.*

Præterquàm quòd *multos*, ut *Seneca* scribit, *fortuita sanant, & in flumen alicui cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit; quorundam flagellis quartana discussa est.* Habent fortuiti casus suum jus, suum imperium, in medicina non minùs, quàm in aliis rebus; quod 4. *de legibus* Plato non subticuit, dum in navigatione, gubernatione, Medicinâ, militari imperio, omnia fortunis agi rectè dici putat. Hanc itaque quæritans Medicus, quid refert si animosè ægrum interficiat? ut *Galenus* dicebat: *Audacter interfice.* Ubi enim nil subterfugii restat, temeritate quærendum. Et si exemplis agere licet, quis quæso miles, aut Classiarius, jactatâ navi & fluctuum impetu jam jam submergendâ, in medias undas non desiliet, tabulâ vel alio quopiam vitam redempturus? Quis incensâ domo, per altam licèt fenestram non se præcipitem dederit, casu & allisione obteri magis eligens, quàm certissimè flammis extingui? Finge torvum ac rugientem leonem, aliquem devoraturum insequi; si apprehendat dejicere se à sublimi aut prærupto loco, ut certum periculum incerto ac voluntario evadat, quis animosè factum non credat, aut quis animum in periculis generosum non laudaverit? Ità longè conformius est recto judicio & charitati in ægrum, ut in angustiis exponatur accelerandæ licèt mortis periculo, quàm ut certæ dedatur jam jamque instanti; sic enim imminente aliundè infallibili interitu, in summa desperatione remedium quæritur, & tenues illæ spei non prorsùs succisæ fortuitæ reliquiæ explorantur. Hac de causa mihi non placet consilium Christ. à Vega *lib.* 3. *artis Med. sect.* 5. *cap.* 8. qui in desperata angina Medicos à curatione deterret, cùm vel in summa desperatione positis aliquoties laringotomia opem attulerit: quam sanè curationem tentandam in tali casu testantur plurimi tam veteres quàm juniores; de quo videndus *Nicol. Fontanus in analectis quæst.* 3. & plures ibi citati. Ratum igitur veterum præceptis in hoc negotio nil condonandum, nisi quatenùs monent, ut non nisi facto de desperato ægro prognostico, inchoëtur curatio, quamvis nullam spem promittat morbus; quia sicuti in nullo remedio fidendum, sic à nullo desistendum: fortassis Altissimi misericordia, & bonitas votis annuet, qui solus salus est, & vita.

6. de benef. cap. 8.

QUÆSTIO DECIMASEXTA.

Medicorum consultationes, an ad rectam ægrorum curationem utiles habendæ sint, & suscipi debeant?

Deploratorum mentio ad medicas consultationes vel invitos nos compellit; cùm enim morbi vis non solùm in ambiguo trahit spem, sed pugnæ victoriam conclamare jam jam auditur, ad Triarios, ac veteranos res omnis defertur, ut omnibus adhibitis machinis, non solùm adauctis copiis, sed etiam consilio dispositis, foribus jam incumbens hostis omni conatu repellatur. No contemnenda hæc sanè dubitatio, in qua pro utraque parte non desunt rationum momenta, non inter vulga-

gares, sed Medicos etiam; quippe illi, qui semper ex eventu judicant, cùm votis aliquandò successus non respondeat, contradicendi & objurgandi majorem occasionem nacti, in medicorum conciones invehuntur, & illorum scientiam incusant, cùm nec inter multorum judicium utile aliquid excogitari potuerit, quod morbum expugnaret, sed confusio obvenerit potiùs, & inanis remediorum turba, quâ obrutus æger citiùs succumbat; ut meritò dixerit Demosthenes, *Duram esse illorum conditionem, qui in dandis consiliis, & in gerendis rebus solent versari, cùm eorum fides ex eventu soleat æstimari.* Quorum tandem obtrectationibus illud haud dubiè objiciendum, quod *Seneca* præclarè: *Adversùs virtutem hoc possunt calamitates, & injuriæ, quod adversùs solem nebula potest: parvi namq; facienda sunt hæc futilia, & ad honesta vadendi contemnendus est iste contemptus*; ut dicebat idem; ex dolore enim potiùs, quàm ex ratione provenit. Omnes siquidem qui sanâ mente hoc inspexerunt, medicorum consultationes utiles & necessarias esse judicârunt. Si enim apud jurisconsultos definitum est, in quibusdam casibus judices non rectè posse absque consultatione determinare, proùt admonentur *C. prudentia de off. deleg. C. de quibus 20. dist. l. fi. C. de fideicommis*; & notat *Aviles*: cur in re tam difficili & ardua, ubi de vita hominis agitur, æstimandum est non convenire medentium collegia, ut recta fiat remediorum auscultatio, & optima ac facilior curandi innotescat via? *Nam consultatio*, dicebat Aristoteles, *in his versatur, quæ plerumque quidem fieri possunt, incerta tamen sunt, quonam evenient modo, & in quibus est indeterminatio; nam cùm magnis de rebus deliberare volumus, assumimus alios ad consilium, diffidentes nobis ipsis, tanquam non sufficientibus ad discernendum.* Similiter 3. *moral. cap.* 3. Medicinam pro exemplo assumens sic loquitur: *Vnusquisque de iis, quæ per se ipsum agi possunt, consultet; quando, quæ per nos fiunt, nec semper eodem modo eveniunt: & ideò consultamus, ut de his, quæ ad medicam artem spectant.* Ex medicorum itaque concilio non solùm ægris utilitas, & maximum beneficium advenit, sed medicis fama & honos augetur; veritas namque, quę doctorum scientiâ emergit, dignas suas recipit laudes: hinc siquidem cognoscitur medici doctrina, ingenium, modestia, multæque aliæ virtutes, quæ benevolentiam hominibus comparant; imperitia verò aliorum, qui pro doctis habiti sunt, denudatur. Quippè cùm medicinam, artium præstantissimam, exerceant garruli, deliri, senes, axilocachi, multi denique impostores; nec desint vel ex magnatibus, qui horum dictis, & pollicitationibus fidem adhibeant, non minorem quàm eruditis, & expertis; hinc cum maxima bonarum artium exultatione, & ipsorum calamitate deprehenduntur, & illorum vafritie detectâ exsibilantur, excluduntur, & tanquam alieni fuci infixis ignorantiæ spiculis ejiciuntur. Tandem honorabilis illa contentio, quæ ingenia acuit, & laudabilis invidia, quæ stimulos addit, doctos in scientiarum trahit amorem, & addiscendi desiderium excitat; *alit namque*, ut inquit Vellerius Paterculus, *æmulatio ingenia, & nunc invidiâ, nunc admiratione incitat, accendit; naturáq; quod summo studio petitum est, ascendit ad summum.* Prætereà quantùm in morbis prosit ægrorum obedientia, sæpiùs inculcat *Galenus*; hanc verò consultatio parit, redditque infirmos morigeros, & ad faciliùs suscipienda remedia lenitatem quandam importat: quæ tamen si aliquandò adversâ fortunâ non conferunt, & mors accidit, major tunc advenit excusatio & minùs duobus vel tribus medicis imponitur, quàm uni, qui à tanto crimine vix evadere poterit, licèt opportuna fecerit, cùm *in domo morientis*, ut ex *Ava* referunt, *Medicus semper malus.* Quarè ut illa commoda habeat ægrotus, & hæc damna Medicus effugiat, non aliter quàm consultatione providebitur, nil unquam impensè sibi fidendo animus enim qui vereri scit, scit tutò aggredi, ut optimè canebat *Publius*; illudque semper præ oculis habendo, non rarò in medicina facienda, multa quæ fieri expediebat, propter alia præstantiora initia sæpiùs dissolvi; omninò enim non omne fit, quod futurum erat, nec idem quod erit, aut futurum est: quarè prudenti consilio lentè omnia perpendenda sunt; *Erit enim salus, ubi multa consilia fuerint*; ut *proverb.* 4. docemur; & à *Iesu Sirach*: *Sine consilio nil facias, & post factum non pœnitebit*: & *Melius est esse duos, quàm unum.* Undè Plato *quoddam sacrum* consilium meritò appellavit.

Consultationes medicorum, quæ videantur improbare?

Sed hæc omnia, & plurima alia quæ infrà adducemus, aliqui nil facientes medicorum consultationes temnere, & damnare contendunt, rationibus quibusdam, & authoritatibus suffulti, quarum prima est *Damasceni*, qui sic ait: *Qui plures consulit, incidit in errores singulorum*; eandem opinionem habuisse videtur *Rasis*, cùm sic scri-

Marginal notes (left): 1. — 2. — 3.

Marginal notes (right): In O'y[…] — epist. 1[…] — Cap de prætorib[…] — Lib. 3. et[…] cap. 3. — 6. eth. c[…] — 3. polit. — c. 3. & 1[…] — Lib. 1. prog. — Com. 2. lib. epid. sec. 3. tex. 58. — 6. epid. sec. 2. com. 43. — Aph. 38. part. 6. aphor. 73. — Lib. 29. c. 1

scripsit: *Qui plures vocat Medicos, incidit in errores plurimorum.* Hinc apud *Plinium* illa Adriani Cæsaris infelicis monumenti legitur inscriptio: *Turbâ se medicorum periisse.* Nam, ut rectè advertit Socrates, *Multitudo cogitationum judicium impedit, ex quo interdùm sapientissimi falluntur, & contemptus homuncio dat optimum consilium.* Deindè rationibus sic probant; 1. Quia ex *Aristotele* in politicis, unum opus optimè perficitur ab uno artifice, cujus error à recto minimùm distet; ideoque etiam unum dumtaxat medicum eligendum esse. 2. Quia homines de propriis rebus sunt maximè soliciti, de alienis & aliis communibus non ita; quare si multis Medicis committitur æger, redditur communis, & sic minùs fit singulis dilectus. 3. Quia ubi multi concurrunt, unusquisque illorum minùs evigilat, imò fit negligens, & alter pro altero minùs prospicit, cogitatque commilitonem satis debita officia præstiturum, & necessariis abundè provisurum. 4. Quia ubi est multitudo, ibi confusio, & in maximis periculis multa consilia rem potiùs perturbant, quàm adjuvant. 5 Si hominum est errare, quò plures fuerint, errores etiam multiplicabuntur faciliùs, quàm si uni negotium committatur. 6. Quia Medici, qui in concilium conveniunt, vel sunt inter se amici & familiares, vel, ut sæpiùs evenit, ad invicem inimicitias gerunt, & alter in alterius opinionem insultat; quarè utcumque sit, non leve imminet periculum, si verum est illud Ptolomæi: *Amor odiumq́, ne vera eveniant judicia, prohibent; augent siquidem minima, & maxima minuunt.* Itaque si primum, alter alterius semper sequitur vestigia, & de præmio potiùs quàm de remediis conferunt: si secundum, alius in alium insurgit, quidquid dixerit impugnat, & nunquam videntur ad eundem scopum collimare, & in obeundis convenire, sed jurgiis & litibus maximum ægrotanti pariunt fastidium, timoremque incutiunt; & animum perturbant magis, quàm morbus, opinionum perplexitas duraque obstinatio: qui enim conveniunt, rubore singuli perfunduntur, si opinione suâ cæteris non prævaleant; sic enim omnes à se invicem dissentiunt, ut nullus reperiatur, qui citrà exceptionem, additionem, permutationem, præscriptum ab alio pharmacum comprobet, quin imò, qui non laceret, & mordeat; ne videlicèt ipse non doctior, ac melior Medicus videatur, si alterius vel optimo consilio nihil detraxerit; quidquid enim probat unus, ridet alter, ut Medicorum invidia & discordia in proverbium abierit, quod jam dudum in plurimis notavit *Hesiodus*:

In centiloquio sent. 12.

> *Odit ita fabrumq́ faber, figuloq́ molestus*
> *Est figulus, mendico protinùs invidet alter*
> *Mendicus, cantor cantorem lividus odit.*

Nemo enim efficit, inquit Plato, *ut qui falsò opinatur, verè deindè existimet.* Itaque non immeritò advertit *Patricius*, complures Medicos uni ægro adhibitos inter se potius gratiâ ostentationis discernere, quàm ea diluere, quæ laboranti salutem afferre possunt; quapropter medicorum genus nequam esse, ipsorum testimoniis comprobari ait *Agrippa*, cum reverà sint Medici homines omnium scelestissimi, discordantissimi, mendacissimi, invidentissimi. Quâ de causâ *Petrus Apponensis* Medicinæ artem Marti esse adscriptam conjectavit, qui planetarum omnium odiosissimus est, & qui jurgiorum omnisque iniquitatis author existit. Hæc haud dubiè in causâ fuerunt, ut aliqui medicorum consultationes non solum execrarentur, sed ut damnosas, & ægrotantium saluti parum congruas dimittendas fore putârint, quemadmodum *Strabo*, qui sic ait: *Quibus plures sunt Medici, his & ægritudines plurimas adesse probabile est.* Hujus etiam opinionis fuit *Michaël Verinus* poëta celebris, qui sic lusit, sicuti & *Ioan. Owenus*:

In Theoteto.

Cap 83 de vanit. scientiarum.

> *Impediunt certè medicamina plura salutem,*
> *Non plures Medici, sed satis unus erit.*
> *Nunquam, crede mihi, à morbo curabitur æger,*
> *Si multis Medicis creditur una salus.*

Ob hæc unum tantum accersiri voluit *Rasis*, nam ex duobus non fit societas, ut 5. *ethicor.* probat *Aristoteles*: plures plerumque sunt ad invicem contendentes, occasione cælestis influentiæ, ut *dif.* 1. *Conciliator*, & *Zirbus in cautelis* adnotârunt. Hinc festivissimus quidam author verbis magis, quàm rationum pondere magnus, de Medicis dicebat: *Vnus minore cum periculo curat, non tamen securè. Nulla est ægritudo, quæ sola negotium facessat; omnis morbus comites habet medicorum errores.*

Sed tamen hæc omnia nil convincere videntur quò minus partem amplectamur con-

7. *Consultationes medicorum, ut necessariæ laudantur, & approbantur.*

contrariam, & medicorum consultationes utiles asseramus, & necessarias, ægrorumque & medicorum etiam utilitati maximè convenientes: in magnis quippè deliberationibus magno emendum est prudens & fidele consilium, & sapiens sapientium semper extitit; quandoquidem sana consultatio ex eruditione rerumque peritiâ eventum promittat felicem. Hinc Euripides, *victoriam in bona consultatione positam esse* dicebat: siquidem in magnorum discriminum angustiis, ubi domestica & propria consilia remedium non inveniunt, aliorum imploranda sunt suffragia, quorum prudentiam in similibus altioribusque negotiis approbavit experientia: novit enim peritus ex apertis obscura rimare, ex parvulis magna, ex proximis remota; scit quâ viâ aggredi, & egredi debeat, & singula citò, atque distinctè videt. Itaque deliberantibus vel à meditatis, vel immeditatis consilium afferri semper fuit optabile, ac expetitum; plerumque enim mortales opus habent alienâ prudentiâ & consilio: quarè in gravibus negotiis multi sunt audiendi, & una verissima sententia ex omnibus eligenda, ut prudenter *Isocrates* admonuit.

Quæstion. Conclusio. 8.

Sit ergò conclusio omnium fermè votis approbata, corpus humanum gravi ac difficili morbo jactatum plurimis committendum medicis, quorum præcipuus unus sit, quemadmodum ætate senior, ita authoritate & doctrinâ commendabilis, qui ceteros audiat, & quidquid ex plurimorum votis prolatum fuerit, colligat, conferat, utile ab inutili discernat, neque ullum quamvis indoctum despiciat, sed modestè doceat, jurgantes reprehendat, prudentiâ conciliet, errantes circumspectè admoneat, emendetque, ac recolligat, disputantes leniter atque prudenter sinat opiniones suas proferre, permittatque intrà modestiæ limites disputare: siquidem ad judicandum ille potior est, qui tanquam adversarios omnes, oppositas utrimque rationes audit; quandoquidem sic eruatur veritas, expungatur error, doceaturque inscius. *Nunquam enim*, dicebat Cicero, *in ipsa Græcia philosophia in tanto honore fuisset, nisi doctissimorum contentionibus viguisset*; & honestum medicorum certamen ex *Hesiodo* appellabat *Galenus*. Ipse tamen leni comitate inductus, atque in omnibus pariter affectus pro veritate calculum addat, & ex omnium dictis utiliores eligat partes, in nullam nisi ad veritatem pronus; Zeuxis, & aliorum elegantissimorum pictorum artificium æmulatus, qui ad pulcherrimam fœminam depingendam formosissimas ac venustissimas plures eligebat, ut ex laudatissimis earum singulis partibus gratiosissimam componeret effigiem. Itaque naturâ prudens, severitate gravis, doctrinâ & experientiâ munitus, omnes alios & omnia temperet, & moderetur, magistrique vice utatur; minimeque ex altiori gradu superbiens, arrogans, & præceptor fiat potiùs, quàm comes: oportet enim ut convenientes omnes sic majorem unum, scientiâ & experientiâ apprimè dotatum suspiciant ac venerentur, qui omnium rationum momenta optimè librando, non solùm dubitationes auferat, sed de agendis sententiam definiat: sic enim omnes optimâ in ægrum benevolentiâ placidè consentient, & citra ullum rixandi modum, nulloque contradicendi studio præsidia ad sanitatis scopum dirigentur, omnium votis, quantùm fieri possit, unanimiter cohærentibus; sicque optata salus, omnibus grata adveniens, omnium etiam communis erit gratia, ut ægrotantis quoque gratificatio munificaque liberalitas pariter omnibus debeatur. Tandem ipse etiam Decanus, si quandò labi contingat, ut homines sumus, ab aliis etiam corrigi, elato minimè supercilio, sed patienter ferat; non enim tanquam ex Tripode, aut Apollinis arâ, illius amplexandum est votum, sed quatenùs, quod optimum est ac verum, determinare videatur: quarè rationibus auditis, sine ulla refragatione consilium mutare debet; quandoquidem hoc laudabile erit & minimè turpe videbitur, & quidem pro veritate æquum est quemquam sua judicia deponere; quod & cæteri facere potiori jure tenentur: quippè cùm sanitatem velint cupiantque omnes, & tamen media ad illam consequendam varia sæpenumerò sint, aliquandò obscura, non rarò inter se contraria; evenit, ut quemadmodum unus plerumque satis esse non possit inspiciendis considerandisque tam multis, ita oculatissimo cuique, alius forsan utile aliquid suggerere poterit: propterea verum est, quod proverbio dici solet, *unum nihil, duos verò plurimùm posse*; plus enim vident oculi quàm oculus, & quatuor plus quàm duobus penetratur. Hinc *Homeri* illud:

Lib. 1. meth. c.

Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.

Quod probè cognoscens *Aristoteles* non solùm suprà adductis locis consultationem sum-

summoperè laudavit, sed in Medicina necessariam esse scripsit; imò Alexandrum Magnum in quadam epistola sic alloquitur: *Ne uni fidas Medico; potest enim tibi detrimentum afferre, & nullo negotio audet nefas aggredi: quarè si quod pharmacum tibi accipere expediat, id facito consultatione multorum.* Quod licèt de veneni suspicione illum advertere videatur, non ineptè de remediorum optimâ applicatione intelligi potest. Itaque cum seipsum noscere difficillimum sit, ut idem *Aristoteles* docet, nemo se ita præsumat sufficere, ut commilitonem minimè necessarium ducat, cæterosque dedignetur, cum bonus aliquandò dormitet Homerus; & illud advertat, sub sordido palliolo aliquando latere sapientiam; nam & multoties, *quod tu non nosti, fortasse novit Osselus:* imò credat, quòd sapiens audiens erit sapientior.

Apud Joub. 1. de vulgi error. cap. 10. in schol.

2. magn. moral. cap. 15.

5. Sunt igitur consultationes non ægrotis tantùm, sed medicis etiam valdè utiles, si ut decet, & inter optimos medicos conferantur: quarè haudquaquam nos deterreant illa quæ adducit *Cardanus*, garrulâ magis & solutâ loquacitate dicta, quàm veritati consentanea, & quæ ad vulgi potiùs calumniam, quàm ad medentium, & ægrotantium utilitatem respiciunt. Sic ille: *Primùm si curaveris, & pereat, non prævidisse videris; si non curaveris, & sanetur, pro stulto haberis, & eris odiosus: si socium voces, timorem fateberis, atque illi cedes; si non voces, aut serò, & moriatur, illius mors temeritati tuæ imputabitur: quòd si vel te nolente, vel consentiente improbus socius advocetur, periclitaris; sunt enim improbi fere omnes nostrâ ætate, adeò ut nil pejus excogitari possit, præstaretq; nullos esse, quàm hujusmodi, quales nunc sunt fueruntq; jam multis annis, summe avari, ambitiosi, imperiti, crudeles, maligni, mendaces, impudentes, stulti, impii.* Hæc namque pravorum medicorum sunt abominanda vitia, non rectè instituendæ curationis præcepta; & sicuti illa modò detestamur, sic non quid vulgus loquatur, aut quid pravi medici faciant, sed quid fieri debeat, consulimus: & consultationes tantùm abfuit ut negaret *Hippocrates*, ut etiam tanquam Medicinæ parens & magister optimus, nobis præceperit, ut nullo modo id putaremus indecorum; *Nec verò (inquit) indecore se geret medicus, qui in rei præsentis angustiis circà ægrotum versatur, imperitiæ etiam tenebris circumfusus, si alios quoque accersiri jubeat, quò communi consilio, quæ in rem ægri sunt, disquirantur, & illi ad præsidiorum facultatem operas suas conferant: ubi enim assidue urget afflictio, morbusq; increvit, plurima in animi angustia ad præsens opportuna elabuntur.* Idem sentit author libri, qui *Aristoteli* adscribitur, *de regimine Principum*; idem *Galeni* tempore, & ab omnibus anteà usitatum, ut ex ipso patet: nec medicorum ullus adeò fuit audax (si *Rasim* excipiamus.) qui communem hanc medicorum consuetudinem abrogaret, ut damnosam, & ægris noxiam. Nec *Damasceni* locus nobis obstat, quia tantùm ille vituperat ægrorum pessimum morem, qui à plurimis medicis seorsim, quid facto opus sit, inquirunt, & omnium præpostera remedia, quæ non satis cognito morbo præscribunt, adhibere satagunt; minimè verò, optimum & laudabilem consultandi modum, quo ægritudines medicâ ponderantur trutinâ, inquiritur de causâ, examinantur signa, & totus morbus susque deque perpenditur, ut melius sic pateat auxilii inventio. Quarè nec monumenti inscriptio, quam exhibet *Plinius*, aliquid ponderis habet: cùm ibidem solùm videatur Cæsar de contentiosis medicorum prolixis certaminibus conqueri; atque ideò miseras sententiarum concertationes appellat *Plinius*, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius. De quâ nunquam satis reprehensâ, & à popularibus usque derisa medicorum contentiosâ pervicaciâ statim & nos aliquid dicturi sumus; si priùs obstinatam multorum invidiam reprehendamus, qui vel arroganter sibi plus, quàm par est, fidendo, vel, ut alii, ne ignorantia eorum veniat in derisum, comprehendaturque, concilium renuunt adhibendum: peccant enim ambo magnopere; quò enim solertior quis est & ingeniosior, tantò potiùs aliorum vota in re ardua tenetur inquirere, minusque superbire & efferri; tales quippè non raró permittit Deus, ut à simplicioribus superentur; quoniam, ut dicebat Seneca: *Medicinæ bona humilibus contingunt; &* Cicero: *Quid tibi præstat habere sapientiam, si consilium neges, si consulendi copiam intercludas? Clausisti fontem, ut nec aliis influat, nec tibi prosit.* Est quippè modesti hominis, àquopiam velle admoneri, prout doctè in epist. dicebat *Erasmus.* Prosunt inter se boni, & exercent virtutes, & sapientiam in suo statu continent; desiderat uterque aliquem cum quo sermonem conferat: peritos luctandi ars exercet; opus est & sapienti exercitatione virtutum; sic sapiens sapienti proderit: prout rectè elatos hos, & scientiâ inflatos arguit *Seneca.* Sapiant igitur & posthac advertant, faciliùs esse inventa

Com. in 5. prog. tex. 44.

Lib. præceptionum.

Lib. de med. offi. tex. 1.

Lib. 10. meth. cap. 3.

Lib. de cas. pro carte. cap. 1. & aliis in locis.

Lib. 29. cap. 1.

Epist. 82.

5. Offi.

Epist. 119.

con-

consilia comprobare, quàm invenire; quoniam prudentes ex aliorum consilio utile facilè deligunt; quandoquidem omnes errores cavere nec doctissimi viri potuerunt.

13. Sed minùs ferenda imperitorum turpis inscitia, qui vel ut quæstum non amittant, vel famæ consulant, dum hæc magis, quàm ægrorum salutem, pro meta gerendorum habent, alium nolunt accersiri, quòd timeant utrumque illud se perdituros; quo vel solùm commento suam potiùs detegunt ignorantiam: quâ deprehensâ, ægrotantes propinquosque moneo, ut ipsos statim ablegent; optimè siquidem Marulus: *Non petit auxilium, qui non agnoscit periculum*; vel alium afferant adhibeantque æmulum: hæc enim est optima ratio exhortandi cunctantem, aut in rectam viam ducendi errantem. Et similes medicos, (si fuerit invenire, qui se agnoscant) liceat hac parte etiam commonefacere, nil existimationis causâ, sed omnia conscientiæ ductu facienda; præsertim ubi vita hominis periclitatur, quæ nullo redimitur auro. Facessant igitur jam isti inepti, audaculique dementes, qui, ut eis ægrorum committatur imperium, communes ubique consultationes è vestigio fugiunt, confusionem esse in multitudine subindè dictantes, & alia quidem, quę non ad ægrorum utilitatem, sed ad meram eorum tegendam ignorantiam spectant; & ad inanem quandam auræ popularis tutandam gloriam non solùm pugnant, sed & à recto medicorum judicio gravi cum infirmorum jactura dissentiunt; ut in funestâ quadam nobilissimæ fœminæ historiâ recitat *Aloysius Torraus*. Interim (si Deo placet) in miseros ægrotantes lanienam exercent, & de hominum vitâ protervè ludunt, experimenta per mortes agunt; ac ipsis solis hominem occidisse impunitas summa est, quemadmodum illis credere maxima temeritas (cùm sit periculum in nullo mendacio majus, ut *Plinii* verbis utar;) & laborantis non minor infelicitas, qui medicum quærens, carnificem experitur: nostra quippè hâc ætate sordido quæstu fœdisque voluptatibus ita contaminata sunt omnia, ut arti medicæ pænè nullus concedatur locus, ut longâ oratione latius conqueritur *Ioan. Hartmannus Bayerus*.

Lib. 3

Lib. de brib. pr fol. 12

Lib. 29 cap. 1.

14. Accedamus ad illos, qui in consultatione positi unam ægrotantis salutem spectare debebant, & hanc omni gloriæ, omni lucro anteponere, ut suę ipsorum conscientię ægrorumque auxilio prospicerent; & tamen ita ab hoc conspiciuntur alieni, ut potiùs elatus ac superbiens sibi unusquisque omnia arrogare præsumat; quod ut consequatur, & futilem quandam gloriolam comparet, aliorum judicia contentiosè reprobat, nullo sanè alio prætextu, nisi ut ex aliorum depressione sapientior & clarior habeatur. *Infirma certè commendatio*, inquit Tertullianus, *quæ de alterius destructione fulcitur!* Hi, tanquam si à vero nunquam aberrare potuerint, suum tantummodò judicium rectum ac optimum esse acriter contendunt, & plus quàm alios omnes penetrare suadere conantur, ut in illustrium domibus morbis soli assistant, despiciantur alii, & illis aditus interdicatur (nam qui inter ipsos loquendo pollet, corporum se statim principem fieri imaginatur) ac sic majorem famam, ac mercedem consecuturos sperant. Ad quorum improbitatem respiciens *Conciliator* tales Medicos hac definitione carpit: *Medicus est invidiæ pelagus, inexhaustum detractionis organum, indefessæ ambitionis perforata clepsydra, alienæ veritatis garrulus contradictor, propriæ ignorantiæ constantissimus inconfessor, & inexcusabilis ægrorum neglector.* Vitium hoc, proh dolor! inter medicos quosdam adeò commune est, ac pronum (licèt doctis ac probis indignum) ut videantur æmulatione quâdam aliis præminere, majoremque sibi concilient authoritatem, callidâ animi perversitate cæteros student calumniare; & eò quandoque veniunt dementiæ, ut probris ac dicteriis magis, quàm honestâ, ac mutuâ disputatione inter se digladientur: quo fit, ut pertinaciter sic contendentes, non solùm ægrotantes in desperationem cogant; sed à vulgo contempti derideantur: quod etiam notavit *D. Chrysostomus*, qui odiosas illorum altercationes, desperatas appellavit: *Post certamina desperata medicorum*. Nam licèt differentium inter se reprehensiones vituperandas non esse dicat *Cicero*, maledicta tamen, contumeliæ, iracundiæ, contentionesque in disputando pertinaces, Philosophis & Medicis potissimùm indignæ sunt; & certè tam venerando Medici nomine etiam indigni, qui omnem undique calumniandi ansam arrpiunt in eos, qui parùm ab iis, vel in minimis rebus dissentiunt. Hoc certè hominum genus in mundo regnat, quorum regula non pietas, non proximi charitas, sed proprius est affectus. Hanc illorum pervicaciam, (si libeat sic appellare) aut temeritatem potiùs, taxat & damnat *Hippocrates*, qui sic: *Minimè ambitiosè contendere, se ipsos ludibrio exponere (decerno.) Hoc namque jurejurando*

Tract. indoctis Medicis doctorib.

Medicorum improborum definitio.

Serm. 33.

Lib. 1. de finib.

In præcept.

rando affirmare audeam, medicum ratione utentem alterum nunquàm invidiosè calumniaturum; sic enim animi impotentiam prodit: id promptiùs faciunt, qui forensem quæstum sectantur. Ideoque artem apud vulgus gravem pati calumniam, ut medicina non videatur, dicebat idem; in cujus comment. Galenus: *Qualemcumque ingredientium exercitationem controversia, justam ignorantiæ suspicionem ostendit; concordia ipsa magnam cognitionis spem demonstrat.* Et adversùs Julianum cap. 5. *Discordia satis est ad demonstrandam placiti alicujus ignorantiam.* Quarè *lib. de purg. med. facul.* altercantes inter se Medicos à vulgo dicebat irrideri; imò ægrorum vitam suis contentionibus breviorem facere, non citrà rationem clamat Petrarcha: *De concordia medicorum testimonium sit ægrorum vita; certè quam brevem dixère, sæpe suis litibus fecère brevissimam.* Quas tandem improbas, & ultrà modum pertinaces contentiones multò anteà *Cassiodorus* à medicis concionibus ablegandas putavit: *Deponite* (inquit) *medendi artifices noxias ægrotantibus contentiones, ne, cùm vobis non vultis cedere, inventa vestra videamini invicem dissipare.* Hoc satis notum habebat *Heurnius*; in cujus vita tamquam aliquid memorabile narratur, quòd cùm aliquandò in gravi morbo multorum consilium & vota audire necessum haberet, non omnes simul convenire voluit, sed seorsim cum singulis consultationem inivit: addens se medicorum ambitionem; & invidiam noscere, & quàm crebrò bona consilia fastu contradicendi evertantur; utque ex ambitione & invidia ipsorum disputationes nascuntur, ita ut plurimùm in mera audacia & fastuoso supercilio fundamentum tantum habere. Illud proindè *Hesiodi* posthâc advertant Medici: *Maledicentiam stultorum esse thesaurum, quem in lingua reconditum habent.* Quippè ut Marcellus: *Obstinatorum est, cùm rationibus non possunt, malignitate contendere; mansueti verò & placidi dare locum improbitatibus aliorum, neque cum pertinacium malignitate contendere.*

15. Lib. 1. de vict. rat. tex. 15. | Cap. ult. | Lib. 2. de remed. utriusque fort. in præfat. | 16. | Cass. lib. 19. cap. 6.

17. §. Placidè igitur, nulloque commoti invidiæ stimulo, nullo lacerandi œstro perciti, prout doctis convenit, *Hippocratis & Galeni* præceptis innixi, nulla pertinaci contentione, nulla calumniandi labe instructi, de ægritudinibus proferant judicium; nemo in commilitonem insultet, sed modesto animo leni comitate adjunctâ de tam serio negotio inquirant, ut conferre magis, quàm disputare videantur; probè memores, quòd *nimiùm altercando veritas amittitur,* quam pro scopo, ut & ægri salutem semper habere oportet: habebit autem qui ex charitate, sicuti decet, omnia loquetur, audiet, operabitur; quod ut rectè exequatur, probè teneat, quæ de illa D. Paulus: *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate, congaudet veritati, omnia sperat, omnia sustinet.* Alioquin & vulgo contemptum, & ægrotis fastidium ac molestiam parient, qui solatium omne & spem abjicient, & undè remedium expectabant, desperatio & fortassis mors advenire poterit. Quarè, vel me tacente, sciant omnes, neminem, quantumvis eruditione polleat, sitque doctrinâ, & multiplici rerum experientiâ instructus, tantùm sibi arrogare posse, ut cæteros despiciat: quantò enim scientiis & disciplinis onustior, tantò se minus profecisse, & vacuum magis doctrinis animum fateri debet; eò minùs etiam in aliorum adventu irasci, etiamsi in arte ignobiliores habeantur, ut *Galenus* admonuit. Quapropter necesse est, ut quivis medicus lætetur secum habere collocutorem, ut miti & leni concertatione elucescat veritas, atque, sicuti ex silice ignis, eruatur; qui enim consilium renuit, & vult solus esse in præsepi equus, à medicorum cœtu, & ab ægrotantium domibus excludendus, utpote qui in arte conjecturali, & maximis difficultatum labyrinthis tenebras offundente versari se minimè agnoscat.

Ad Corinth. 13. epist. 1. | Quò quis [doc]tior, eò minùs ela[tio]r. | Lib. de med. off. tex. 1. | 118.

§. Ex quibus omnibus patet, quid ad rationes pro parte contraria adductas dicendum sit; quia nil contrà veritatem convincunt, sed partim de aliis & mechanicis artibus accipiendæ sunt, partim pravorum medicorum inertiam accusant, & negligentiam damnant, qui jam contentiosè de eloquentiæ præstantia, jam de aliis, quæ nil ad ægroti rem faciunt, prolixè disceptant, tædiosè & ad satietatem usque disputantes; quo fit, ut auxilia magis dubia videantur facere, quàm certa invenire: in quos *Thead. Priscanus* naturæ & ægroti causam agens sic doctè & acerbè invehitur: *Si medicinam minùs eruditi, & rustici homines naturæ tantum conscientiâ, non tantum Philosophi occupassent, levioribus ægritudinum incommodis vexaremur; quòd fieri possit, ut cùm aut contrarium sit quid, aut salubre, aut incommodum, hujusq; artis repugnantes diversiq; professores, sententias suas singuli servare conentur, jactetur æger magnâ tempestate, &*

Lib. 1. phænomeni. cap. 1. | 119.

moriturò collegii caterua concurrat. Tunc nos non periculi ratio possidet, nec communis naturæ conditio convenit; sed tanquam in Tempico agone, alius eloquentiâ, alius disputando, alius astruendo destruendo alius, inanem gloriam captat. Intereà dum hi inter se luctantur, atque æger sit fatis proprior; nonne videtur Natura ipsa rerum hæc dicere? O frustrà ingratum mortalium genus! Occiditur æger, non moritur; & mihi fragilitas imputatur! Sunt tristes morbi, sed dedi remedia; latent in fructibus venena, sed plura germinant salutis officia. Absit hæc nescio quæ perturbatrix disputatio, atque iste loquacitatis vanus amor. Hæc ego saluti mortalium remedia non dedi, sed magnas seminum ac frugum, herbarumq; potestates. Et quid homines genui? His dictis nonne tibi, frater amantissime, error noster fit clarior; qui ad ægros certandi studio infructuosa verba deferimus? Hucusque Priscanus. *Hæc enim* (dicebat Galenus) *quotidie fieri in medicorum disputationibus, Hiero, vides; & verò semel datâ portâ omnia jam mulierculararum verba ingeruntur, & cùm mutuis se maledictis asperserint, inutiliter amisso tempore discedunt.* Ubi multa alia adversùs illos, qui inter se variis sectis & opinionibus digladiantur, eloquenter scribit; atque ita fit, ut cùm non rarò circà morbum, causas, & remedia minimè conveniant, quin potiùs multis à se para sangis distent, sic sæpè in hominum vitam peccent, ægris medicorum rixas & imperitiam, mutuaque odia, immeritâ semper calamitate luentibus. Quarè qui mutuas inimicitias inter se gerunt Medici, summâ curâ ab ægrorum domibus arcendi sunt, & in consilium minimè vocandi.

Lib. 2. meth. cap. 5.

QUÆSTIO DECIMASEPTIMA.

Fortuna in morborum curationibus, an aliquo modo audiendum sit, quòd Medico aliquid conferat?

QUi in literis vel mediocriter sunt versati, hâc videbuntur minimè indigere quæstione: sed propter sciolos quosdam, & ex rudi plebe malè feriatos garrulos, intactam dimittere nolui; ne etiam in hoc jucundarum difficultatum amœnissimo campo deficeret. Igitur, qui incertæ, & volubili fortunæ tantùm tribuunt, ut & medendi artificem, & amissæ salutis spem illius subjiciant imperio, nil aliud faciunt, quàm justissimam Dei iram provocare, & plenis buccis Medicum imperitum ac inscium cum *Lemosio* appellare. Sed ut plura de fortuna omittamus, nulli meliùs sentiunt, quàm qui nullam dari, nec esse quidem existimant. Divina quippè providentia, ac Deus ipse tantùm est, qui curam eorum omnium, quæ fiunt & accidunt, habet, & perficit; supera namque & infera, mortalia & immortalia, sublimia & terrena, animata & inanimata solus gubernat, temperat, & moderatur: quorum tandem effectuum causæ, dum conspicuæ sunt, & notæ, quiescit humana mens; dum verò occultæ magis, minusque patentes sunt, tunc Ethnicorum & Gentilium prorsùs modo & more, fortunam tanquam numen, boni malive auctricem vel laudant, vel accusant, & criminantur, subtrahentes divinæ providentiæ, quod solius Dei est, & illi soli debetur. Hanc vulgi ignorantiam cùm sæpiùs adnotâsset *Plinius*, his verbis reprehendit: *Invenit inter has utrasque sententias medium sibi ipsa mortalitas numen, quò minùs etiam plana de Deo conjectatio esset; toto quippe mundo, & locis omnibus omnibusq; horis omnium vocibus fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviviis colitur; volubilis à plerisque etiam & cæca existimatur, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit; adeoq; obnoxii sumus sorti, ut sors ipsa pro Deo sit; quâ Deus probatur incertus.* Idcircò inferimus rectè dixisse, qui cecinit:

1.

11 Meth. cap. 1.

2.

Lib. 2. cap. 7.

> *Lusus fortunæ variatur imagine lunæ,*
> *Crescit, decrescit, constans persistere nescit.*

Pinxit illam *Galenus*; ex qua pictura, veluti ex ea, quam ex *Pacutii* sententia adduxit *Tullius*, fortunam nil aliud esse, quàm ignorantiam satis colligitur; & apertiùs lib. 9. de placitis cap. 8. *Semper enim* (inquit) *causa cujus est natura, ejus ut plurimùm eodem modo est effectrix, ut fortuna nunquam, verùm temerè, & sine ordine, ac ut sors tulerit.* Ideoque fortunam in ejusmodi esse dicit, ubi neque mens ulla, nec recta ratio est. Nec aliter

3.

In orât. suas. ad artes. cap. 2. Tull. lib. 2. ad Herennium.

ter Aristoteles: *Ubi mens plurima, ibi fortuna minima; ubi plurima fortuna, ibi mens perexigua.* Quidquid *Iuvenalis* sycophantæ carmine declamet:

Nullum numen abest, si sit prudentia; sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam cæloq; locamus.

Lib. 2. moral. cap. 8.

Sapienter equidem *Boëtius*: *At verò hic etiam nostris malis cumulus accedit, quòd æstimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum.* Proindè *lib. 1. pros. cap. 6.* optimè sic: *Hunccine* (inquit) *mundum temerariis agi fortuitisq; casibus putas? An nullum credis ei inesse regimen rationis? Atqui, inquam, nullo æstimaverim modo, ut fortuitâ temeritate tam certa moveantur. Verùm operi suo conditorem præsidere Deum scio; nec unquam fuerit dies, qui me ab hac sententiæ veritate depellat.* Quarè cùm talis sit fortuna, ut potiùs sit nulla; & si aliqua, amentia sit, & causarum ignorantia, in illius definitione parùm immorabimur, quam tradit Aristoteles: *Causa per accidens eorum, quæ rarò fiunt, in habentibus propositum.* Meliùs quippe *Mantuanus* dicebat: *si fortunam definies, requirenda est eventûs causa, Deus scilicèt.*

4. De consol. Philoso. cap. 4. — Lib. 2. phy cap. 16. — [Fort]una [defin]itio ex [Ari]st.

5. Igitur ad medicum jam accedendo, an illius opera aliquo modo à fortuna pendeant, & quo sensu tandem hoc accipiendum, restat ut videamus: forsitan obcœcatam vulgi mentem in tanto errore versantem ad meliorem reducemus frugem; cùm non paucos invenias, qui parùm doctos Medicos, nec solidè gnaros, aliquo tamen bono successu tumidos, fortunatos appellant; non aliter quàm *Chilo* interrogatus, quid esset fortuna? opportunè respondit: *Ignarus medicus; multos enim excæcat.* Sic multi omni rationis lumine privati, non solùm stultâ hac appellatione illos extollunt, sed adhuc stultiùs, illorum manibus, quàm sapientium sese committere malunt. Igitur videamus jam ex medicorum, & aliorum scriptis loca, in quibus vel desiderant medicum benè fortunatum, vel fortunam ipsam in morborum curatione aliquid adjuvare inculcant. Et inprimis sese offert *Plato*, qui sic: *Siquis humana omnia fortunis agi in navigatione, gubernatione, Medicina, militari imperio affirmaverit, rectè videbitur dicere.* Videtur confirmare Seneca: *Multos fortuita sanant, nec ideò remedia sunt.* Joan. Baptista Peregrinus *in apolog. adversus medicinæ calum. fol. mihi* 242. scribit *Hippocratem* Medicinæ parentem dicere consuevisse, eos, qui medicorum curâ sanari cuperent, medicis fortunatis uti debere; locum tamen non citat, nec ego apud *Hippocratem* invenio: sed tamen *lib. de decenti ornatu* propè finem, *morbos tum à natura, tum à fortuna mutari* scripsit; undè *Celsus* non dubitavit dicere: *In nullo quidem morbo minùs fortuna sibi vendicare potest, quàm ars*; & iterùm, *in morbis multùm fortunam conferre* scribere non erubuit. *Galenus* etiam morbos à natura, ab arte, & à fortuna sanari, sanitatisque causas esse ait: proindè in subfigurat. Empyrica, fortunam dicit non incommoda tantùm offerre, sed commoda, ex quibus ars consequi possit. Hæc præcipua sunt loca, ex quibus medici vanam hanc opinionem in vulgus sparserunt; ut quando ex scientia laudari non possunt, hac popularium stultâ persuasione, industriæ & artis suppleant defectum: & adhuc hodiè multi, sed sanè indocti & rudes, Christianique nominis obliti, & Ethnicorum erroribus etiamnum irretiti, ac imbuti, nefariam hanc opinionem sustinent & fovent; quorum imperitiam, & infelicem amentiam curare, & ad christianam veritatem reducere pro viribus conabimur.

Apud Laërtium in illius vita. — Lib. 4. de leg. — Lib. 6. de benef. c. 8. — Lib. 3. c. 1. Lib. 7 circa initium. Lib. 11. meth. c. 1.

16. Quæ igitur medicorum sunt, ut cum medicis agamus, multò plura apud illos inveniuntur loca, quæ fortunæ nullum jus, nullum imperium esse apertissimè declarant; & inprimis *Hippocrates*, qui haud dubiè multoties apud vulgus hanc fortunæ potentiam & in morbis imperium extolli audivit, vagas ac erroneas in hoc negotio hominum mentes componere aggressus, sic eos alloquitur: *Medicina itaque mihi jam tota inventa esse videtur, quæ sic habet, & quæ docet singulas & consuetudines, & occasiones; qui enim sic medicinam novit, minimè fortunam respicit, sed citrà fortunam, & cum fortuna rectè operatur. Constans enim ac firma est tota medicina, & doctrinæ optimæ in ipsa compositæ minimè fortunâ egere apparent: nam fortuna sui juris est, & nullius imperio subest, nec optantis est ad ipsam pervenire.* Subdit post pauca: *Deindè verò quid opus est medicinæ fortuna, cùm clara sint & manifesta morborum medicamenta? Si verò exhibere ipsa cum fortuna prodest, non magis medicamenta, quàm quæ non sunt medicamenta, sanos facient, si cum fortunâ in morbis porrigantur.* Subjungit mox: *Mihi verò fortunatè assequi, item infortunatè non assequi videntur, qui rectè quid, vel malè facere sciunt: fortunatè enim*

Lib. de locis in homine prope finem.

assequi est rectè facere, non assequi autem est, siquis non sciat, hoc non rectè faciat; indoctus autem qui est, quomodò fortunatè assequi poterit? Totum ferè locum transtuli; qui quidem satis videbatur, sed adhuc idem *Hippocrates* lib. de decenti ornatu: *Admiranda*, inquit, *existimo artis inventa, quòd scilicet prudenter, & rectè inventa sunt; minimeq; à fortuna pendeant.* Et lib. de arte, *bonam*, ait, *ægrotis fortunam contingere, si in bonum; malam, si in malos incidant medicos.* Quin imò *lib. præceptionum* miserabiles illos appellat, qui in arte non fuerint exercitati, fortunæque indigi, à divitibus quærentes remissionem à propriis angustiis, ob opera gloriantes, sed in deterius dilabentes, & ab artis synceritate perpetuò deficientes. Rectè proindè ex Græca poësi *Menander*:

Omnibus quidem benè sapientibus auxiliatur fortuna.

Siquidem rectè ac scienter operantibus optimè pleraque eveniunt; quarè meritò iterùm dicebat idem:

Fortuna rarò viro sapienti intervenit. Nullâ enim opus habet.

7. Nec aliter sensisse visus est Galenus *lib. 9. de placitis* suprà adductus, *& adversus Erasistratum cap. 7.* quarè fortunam sequentes damnabat ut empyricos, *ad Pisonem cap. 11.* idcircò turpe homini esse affirmat in arte nobilissima se manibus improbæ fortunæ committere, cùm cæca sit, vaga, inconstans, volubilis, ac varia. Quòd si rationibus agendum est, non desunt, quibus tota fortunæ machina nullo fundamento innixa facilè corruat. Primò namque fortuna rarissimè finem suum assequitur: at medicina magna ex parte suum consequitur; igitur medicina & fortuna haudquaquam conveniunt. Secundò, quæ fortunâ constant, nullis mediis ad finem ordinantur: sed medicina habet media & regulas ad finem conducentes; ergò non erit fortunæ subjecta. Tertiò, fortuna per se caret ratione: at medicina est habitus rectâ ratione factivus, & ut patet ex *Aristotele*, ars est artificiosissima, quæ maximâ cum præmeditatione facit quidquid operatur; ergò tantum à fortuna differt, quantum à temeritate ratio est aliena. Proindè optimè apud *Stobæum*, Diogeni dicenti, *Malle se fortunæ stillam, quàm sapientiæ dolium*, quendam ex sapientiæ studiis respondisse conjectamus; *pluris sibi esse sapientiæ guttam, quàm fortunæ pelagus.*

Lib. 1. polit.

Serm. 14.

8. §. Quid ergò sibi augurari contendunt rudes scioli, & imperiti balatrones, qui in quovis negotio fortunam compellant? Qui medicos fortunatos requirunt, sciant tali nomine dignos tantùm esse doctos, qui probè ex arte, quid pro salute consequenda faciendum sit, ex regulis, & præceptis illius noverunt; infortunatos verò, rudes, & indociles esse, quorum manibus se committunt, à quibus evadere optima est fortuna: quod tamen non advertentes serò sapiunt, & sub crudeli illorum tyrannide, minùs cauti & miseri pœnas luunt. Hanc *Hippocratis* doctrinam de fortuna circà artifices doctos, vel inscios, & in omni industria languentes, libet ulteriùs comprobare verbis *Ioan. Cratonis* Medici Cæsarei, qui doctissimè sic: *Sed fateamur sanè cum Hippocrate sic se rem habere, ut hi soli fortunatè facere videantur, qui sciunt, & contrà infortunatè, qui ignorant. Fortunâ enim uti, est rectè facere; hoc verò, qui sciunt, faciunt. Non uti fortunâ, neque assequi hoc quod velis, est id facere, minimeq; rectè, quod nescis. Inscius verò atque indoctus quomodò, quæso, fortunatè aliquid ad finem perducet? Siquidem etiamsi aliquò progrediatur, laudabili tamen successu carebit.* Et paulò infrà: *Constare arbitror, nec fortunam arti anteponendam, nec in medicatione locum, nisi arti conjuncta sit habere; & solos artifices fortunatos esse. Qui igitur curationes suas fortunatas esse cupiunt ac felices, ii artem sequantur necesse est, & successus à Deo petant.* Addo *Theoph. Paracelsi* verba, qui quamvis Empyricus, & Spagyricæ magis, quàm Medicæ, novæ sectæ archiater, hac parte (utinam sic in cæteris!) appositissimè ita scripsit: *Non est fortuna, quæ non habeat suam causam, & suam præscientiam apud medicum peritum. Quid aliud est fortuna, quàm servato ordine notam habere naturam? quid infelicitas, quàm contrà naturæ ordinem rem aggredi? Itaque infelicitas est inscitia, felicitas verò peritia. Vtrumque enim felicitas & infelicitas à desperatis dubitatoribus excogitata sunt, apud quos utrumque nil aliud est, quàm aperto ore expectare, an aliquid volando ingredi velit. Vos autem medicos omnes docet adeò peritiâ esse instructos, ut originem felicitatis & infelicitatis cognoscatis; nisi hæc sciveritis, desistite à medicinâ: occidere enim ægrotum non est infortunium, sanare eundem non est felicitas; imò est exitus & finis ostendens qualis sit uniuscujusque peritia & industria*, &c. Quæ cùm ita sint, nescio quid in mentem venerit *Iouberto*, ut felicitatem haud à scientiâ, vel dexteritate pendere, dicere ausus fuerit: forsan illum decepit *Ovidius*:

9.

Epist. dedicat. Montani Consult. Centuria. 2. præfixa.

In paragrano.

Lib. 1. de erroribus vulgi. c. 7.

Car-

—— Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Cùm sæpiùs accidat, ut benè operanti aliquandò effectus non respondeat. Quod proindè non impedit, ut minùs ex ratione & arte operari semper oporteat; si enim & sic facientibus successus aliquandò non respondet, quid à scopo errantibus sperandum sit, ipsa ratio docet.

[M]edicus [qu]o modo [for]tunati [au]t infor[tu]nati no[me]n acqui[r]e possit.

His tamen non obstantibus, videndum est, an aliquo modo medicus dici possit malè aut benè fortunatus? In quâ re dicimus, multis modis accidere posse, ut medicus talis sit, & possit nominari. Primò, cùm non omnes ægritudines æqualis sint periculi & vehementiæ, cùm multæ ex propria natura sint salutares, & quæ non magno negotio finiuntur; aliæ verò non nisi cum morte terminentur, quas nec ipse Apollo cum Musis sanare poterit; potest talis esse medici fortuna, ut ad leves & minimè exitiales vocetur, à quibus paucis exhibitis promptè se expediat: hinc præclaram apud vulgus opinionem facilè adipiscitur, & benè fortunati nomen & famam sine ulla artis industria consequitur. Econtrà si in dubias, implicatas, aut penitùs exitiales incidat, licèt ex arte optimè operetur, cùm tales ægrotantes convalescere possibile non sit, mali medici, parùm fortunati, imò & indocti non rarò acquirit nomen; quantumvis peritus & diligens artifex sit. *Infelix* (dicebat quidam) *Medicus ille, quamvis maximè industrius, cui sæpiùs vocari contingit apud eos, quibus in fatis est mori: felix econtrà; licèt imperitus, quem adhibent ægri, quibus fatale est convalescere, cùm vel nullo labore fiat*; nam ut loquitur *Euripides*, & vertit *Legatus Regius*:

Quod fatum voluit, nulla est fuga;
Quisquis enim contrà luctabitur,
Irritus hunc fessum ludet labor.

10.

11. Sic enim, ut *Paulus Iovius lib.4. Fortuna recta monentes sæpiùs illudit*. Hinc evenit, ut minùs sapientes & idiotæ in civitatibus aliquandò se audiant acclamari, & summis extolli laudibus; docti interim non levem patiantur jacturam & opprobrium, ob meram hominum ignorantiam, qui hoc nec agnoscere, nec assequi potuerunt: quod apposito exemplo declaravit *Hippocrates* in navis nauclero, qui optimo tranquillitatis tempore non solùm rectè navem suam gubernat, sed quamvis delinquat, minimè error fit manifestus; at si ventus navem apprehenderit, & irruat tempestas, illius ignorantia palàm omnibus fit & conspicua, cujus causâ navem perdiderit. Atque hæc prima fortunati medici causa est, ubi non vocatur aut adhibetur ad illos quibus in fatis est mori, & nullâ industriâ convalituri sunt. Secundò, si in quovis laborante Medicus aliquis ex ratione optima applicando medicamenta, finem tamen non assequatur, cùm morbi sua habeant tempora & constitutiones; ægerque moræ impatiens, & salutis avidus, alium accersat, eo jam tempore & occasione, quâ morbus ad exitum properat, auxiliis à primo adhibitis ferè devictus non tamen omni ex parte sublatus: siquidem tunc de novo adveniens alter, indoctus licèt, rudis, ac planè empyricus, vix pauca mutat, vel addit; & ecce convalescens statim æger hunc laudat, qui vel unico tantùm remedio amissam restituerit salutem, ac tanquam suprà alios sapientem & fortunatum ubique prædicat; alium vituperat, quòd ne infinitis quidem remediis aliquid profecerit. Et hoc est, quod *Galenus* dicebat: *Sæpè fortuna adipiscendæ laudis non contemnendam ansam præbet*. Hinc etiam ortum est adagium, quod frequentissimè in medicorum ore auditur: *Beata vetula, quæ venit in horâ crisis*. De simili casu amœnam historiam narrat *Fabricius Hildanus*. Culpa ergò in primum medicum rejicitur, quantumvis solidè doctum, & dexterrimè curantem; & adhuc opprobriis impetitur, deseritur, contemnitur, & dum sinistra vagatur fama, patitur, quantumvis probus & doctus; alius verò, quamvis inscius, idiota, Empyricus, & medici nomine haudquaquam dignus, evehitur, laudatur, præmiis, & acclamationibus honoratur. Hæc secunda est medici fortuna, quam ipsi tribuunt illi, qui cùm meliora non agnoscant, deteriora sequuntur. Hinc non ineptè Plutarchus, *fortunam similem esse* dicebat *malo certaminum præsidi; nam sæpè coronat eos, qui non vicerunt*. Sic Ovidius 1. *de remed. amoris.*

Lib. de veteri medic.

Lib. 5. obs. 68.

12.

In moralibus.

Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.

Quoad ægrotantes etiam multò plura eveniunt, quorum causâ felices fortunatosq; eos dicere possimus; nam si in medicum incidant planè rudem & ignarum, sub cujus inevitabilibus erroribus in peius ruant; si interim resipiscant, & doctum alium

atque

atque industrium accersant, qui solerter & ex arte contrà morbum pugnare sciat; hujus ope felicem consequentes eventum fortunati erunt. Deindè mille sunt casus vitæ, & infiniti successus, à quibus vel in desperatis inopinata advenit salus. Multi sine medico, non sine medicina sanati sunt; huic mala edulia quartanam expulerunt, terrore subito, aut in flumen subitâ & incogitatâ immersione in aliis desiit; Fabio Max. ardenter in acie pugnanti ulteriùs non rediit; sic ira, & dira flagella eandem febrem aliquandò extinxerunt; hic accepto vulnere visum recuperavit, ut in sene nonagenario scribit *Dodonæus*. Eodem modo à coxæ dolore alius malleolo sauciatus liber evasit, & ex eadem causa sanitas melancholico restitui visa est: sic qui pedibus claudicabant, alius accepto vulnere, alius ruinâ è turri factâ, rectè ambulare potuerunt: repentina ira convulsos paralyticos sanitati restituit; fecit & idem ingens metus & angor incensâ domo; leprosos vino, in quo vipera inciderat, casus sanavit, & remedium docuit; podagricum jam diu pedibus ægrè incedentem, ob crimen ad supplicium jam euntem inexpectatæ per nuntium à Principe indulgentiæ repentinum gaudium non tantùm ambulare, sed currere fecit; multos simili morbo in miseriam deductos victûs parsimonia curavit: sic alios alia. Hac ratione intelligendus *Hippocrates*, quandò *lib. de decenti ornatu*, *Morbos* dixit, *tum à naturâ, tum à fortuna mutari.* Non verò numen aliquod, sed illa potiùs quæ extrinsecùs adveniunt, animi passionem & humorum motum efficiunt, quibus fortuitò sanantur immedicabiles ægri, aut interimuntur; statim enim addit: *Multa simul concurrunt, quæ molestiâ afficiunt, & suo impetu præoccupant, & interimunt.* Nam *talia casu accidere dicimus*, ait Galenus, *quæ contraria sunt eis, quæ providè à naturâ & arte fiunt.* Licèt alioquin per fortunam occasionem intelligat *Galenus*; & de eâ *Celsum* interpretatur Lemosius 11. *meth. cap.* 1. in qua si applicentur remedia, optimè cedunt omnia; hanc tantùm extollit *Hippocrates*, ut clarè moneat, medicinæ finem illum invenisse, qui eam novit. Sed *Celsi* locum mendosum esse probè advertit *Mercurialis*, & nomine *fortunæ*, *natura* legendum, disertè ait; quod ex subsequentibus clarè elicitur, cùm dicat statim Celsus, *quòd, nisi adjuvante naturâ, nil medicina proficiat*. Possumus etiam dicere, per *fortunam* ibi innuisse optatæ salutis in deploratis prosperos aliquandò eventus; in quibus audaces Medici temeraria aliqua, citrà, aut cum ratione moliuntur, quæ licèt rarò, aliquandò tamen prosunt; quemadmodum dicebat Seneca: *Temerariis remediis graves morbi sanantur. Nam ubi ratio non juvat, temeritas adjuvat*; eodem *Celso* docente. Est quippè hæc non infima felicitatis ægrorum pars, & Medici aliquando, cui fortuna dat ansam, ut in desperatis casibus vires suas conferente naturâ, vel levibus adhibitis præsidiis optimum sortiatur eventum, quem ex optimis signis edoctus non rarò præsagit; & hoc est quod *Hippocrates* docebat: *Oportet igitur animum fortuitæ occasioni adhibere.*

Fortuitò sanati plurimi.

Amatus. Beneven. Valeriola. Marcellus Donat. Greg. Horst. Schenc. Seneca.

13. *V. de Calium Aurel. in præfat. ad throni.*

Lib. 11. de usurp.

Epist. ad Craterum.

2. var. c. 12.

14.

Lib. 4. contro. 5. Lib. 3. c. p.

In præceptionib.

Cessent igitur parùm grati, ingrati potiùs, & stolidi, Medicos & medicinam accusare, qui ægros non illorum ope, sed fortunæ à morbis suis convaluisse temerè susurrant; nam si per fortunam, divinam intelligunt providentiam, quamvis aptè, non artificiosè loquuntur, cùm nemini dubium sit, à primâ & supremâ omnium rerum causâ omnes effectus produci & dependêre; nos verò de secundis disputamus: si verò de volubili, & inconstanti fortunâ intelligunt, perversè judicant, & malignè sentiunt; ut enim & à natura per se, & ab arte curantur morbi; sic solùm explicato jam modo fortuna aliquid aliquando præstat: quæ tunc nil aliud est, quàm divina clementia, & pietas, quæ miro & ineffabili ordine ex thesauris sapientiæ infinitæ, suam exequitur voluntatem, ut admiranda illius innotescant opera in illis, quos servare adhuc & juvare decrevit. Nam cùm divina providentia duplex sit, communis scilicèt, per quam omnia ordinariâ dispensatione gubernantur; & particularis, per quam rerum eventus, proùt divino arbitrio placuit, dispensantur, ut aliter res mutentur, subsistant, aut cadant: sicuti illam, naturam jure dicimus, sic hanc fortunæ nomine appellare possumus. Quarè ipse naturæ author aliquem casum sic disponens, aut humanam prudentiam gubernans, prosperæ aut adversæ fortunæ causa existit; humanæ tamen menti obscura & ignota. Neque enim fas est homini cunctas divini artificis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone; hoc tantùm perspexisse sufficiat, quòd omnium gubernator Deus est, qui ad bonum dirigens cuncta disponat. Per hoc enim *fortunæ* profanum vocabulum, gentiles divinam etiam intellexisse providentiam, quemadmodum per alias gentilicas voces, multa alia divinitatis

15. *Fortunæ nomine quid possit intelligi.*

tatis attributa, constans & vera est multorum opinio; & *Seneca* clarissimè scribit *fati & fortunæ* Dei nomina esse. Nil etenim temerè ac sine causa, quam Deus statuit accidere potest; sed omnia ex summi artificis præscripto fiunt; qui omnibus prospicit, & quantumvis minima curat. Hoc ita esse ipsa veritas Christus nos docuit, dum ait: *Nonne duo passeres asse vaneunt? Et unus ex his non cadet super terram sine patre vestro: vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* At quorum eventuum causas non assequimur, quæque præter spem, & expectationem accidere solent, ea interim à fortuna, (hoc est à mera Dei voluntate) processisse, licet ethnico modo, dicimus. Hanc doctrinam ut verissimam approbat D. Thomas *de veritate, quæst.* 5. *qua est de providentia, artic.* 5. & 3. *contra gentes, cap.* 92. ubi clarè docet quomodò eventus fortuitus reducatur ad causam per se, Deum scilicet, amittatque rationem fortuiti. Sequitur Durandus *in dist.* 39. *quæst.* 3. Deusquippè occultâ suâ providentiâ, omnia media, causarum confluxum, & tempora (quæ solus habet in manu sua) ita temperat & dispensat, ut nullius fatum, aut lethiferum infortunium in aliud temporis momentum incidat, quàm in illud, quod ipse præfixit. Quippè, ut apud Beverovicium *Gisbertus Voëtius* rectè colligit, hominis conceptioni præsidet; *Psal.* 139. *Iob.* 10. nativitati, *Psal.* 22. pueritiæ, *Psal.* 8. adolescentiæ & virili ætati. *Psal.* 7. senectuti, *Psal.* 71. sanitati ejusque conservationi *Iob.* 33. *Psalm.* 106. 107. etiam cibo, potui, vigiliæ, somno, vestibus, hortis, agris, puteis, bonisque omnibus, exitui tandem & introitui, ut sigillatim docent sacræ literæ: omnes siquidem rerum eventus, certo ordine, numero, mensurâ & modo, ab æterno apud se definivit, & in tempore potenter simul & suaviter omnia operatur. Rectè proindè dixerunt *Cicero*, & *Lactantius*, cæcitatem & ignorantiam rerum, atque causarum fortunæ nomen induxisse; & meritò propterea *Aristotelis* de casu & fortuna disputationes, tanquam effectricibus ignotis causis, à piis viris exploduntur.

Lib. 4. de benef. cap. 8.

16. Math. cap. 10.

Argumento. 10.

17.

Quid igitur contendunt vani isti & inanes scioli fortunæ omnia impiè tribuere, cùm suam potiùs amentiam corrigere oporteret? Qui tamen si his non acquiescunt, sed ut Deam venerantur, aras cum Servio Tullio, & Marcio illi erigant, vel omnipotentem cum *Virgilio* appellent, aut cum *Salustio* rerum dominam; quorum omnium vanitatem, sic seriò ludens, doctissimus deludit *Scaliger*:

Fulminet, insultet, ludat, lasciviet, erret,
Sit Dea, nos illam novimus esse nihil.

Rectè etiam *Philemon* Comicus apud *Clement. Alexand.*

Fortuna non est ullibi nobis Dea,
Non est: sed unicuique siquid obvenit,
Casuq; fit, fortuna nobis dicitur.

Strom. lib. 5.

Miser ergò qui fortunam vel aliquid esse vel posse credit, cùm sive rideat, sive sæviat, imperium nullum habeat; nil enim aliud est illius nomen, quàm gentilium somnium & ethnicorum monstrum; quod irridens *Augustinus* fortunam omnem meritò exsibilat, cùm bona & mala vita, mors, paupertas, & divitiæ à Deo tantùm sint; nec alterius nutu, aut arbitrio dispensentur. Quæ cùm verissima sint, nescio quis malus genius hominum quorundam ingenia adeò perturbavit, ut in Medicinâ magis quàm in cæteris fortunatum medicum requirant; siquidem tam absurdo loquendi modo nil aliud, quàm imperitum exoptare videntur. Quod Plato *in Gorgia* non obscurè monuit: *Peritia* (inquit) *efficit, ut vita nostra per artem incedat: imperitia, ut per fortunam temerè vagetur.* Optimè quidem: nam peritiam ars, imperitiam fortuna sequitur; Et Aristoteles: *Experientia artem fecit, imperitia casum.* Nam non ex eo quòd fortuna huic medico minùs faverit, adversa dicenda est; sed quòd fatali necessitate eò devenerit morbus, ut omni medicamentorum vi, atque omni artificis studio devinci non potuerit. *Adeò enim in medicina etiam* (dicebat Celsus) *ubi perpetuum est fieri, quod fieri debet, attamen perpetuum non est evenire, quod evenire convenit.* Utere igitur tali nomine in imperitos tantùm, minimè in eos, qui dum omnia dextrè agunt, fine tamen suo non potiuntur. *Ægros omnes sanos facere impossibile*, jam dixit Hippocrates: *Et si quid tale medicis liceret, Deorum potentiam anteirent*, inquit Arethæus: *Nec enim* (dicebat Philosophus) *Medicinæ est sanare, sed laborare in sanitate restituenda; licet enim & illos, qui non possunt recuperare sanitatem, benè curare.* Sed de his aliàs plura diximus in nostra reprehensione medica: & hîc certè non pauca de medici fortuna; quæ non minùs inepta & fabulosa credenda est, quàm ridicula alia quæ

8. de civitate Dei cap. 18.

118.

Lib. 1. methaphys. cap. 1.

Lib. 7. cap. 12.

Lib. 1. prognost. 3.

Lib. 7. Chronicor. cap. 5.

Lib. 1. Rhetori. cap. 2.

Astrologi circa hanc rem effutiunt, & fabulantur; dum turpiter inculcant, medicum bonum, felicem, ac fortunatum futurum, in cujus primo ortu Mars & Venus, aut Venus & Mercurius corporaliter (ut loquuntur) aut benevolo aspectu fuerint conjuncti; aut cui Mars & Venus affulserint in sexta cæli domo: ut ex Ptolomæo & veteribus notant *Manfredus, Franc. Iunctinus, Rantzovius*, & alii: quæ omnia mera sunt figmenta, & hominum deliria. Nos interim cristatis aulicis, & ludi circulatoribus aleam omnem relinquamus, & fortunam, felicitatem, prosperitatemque à Domino Deo solum petamus, sine cujus ope nil sumus. Etenim ut *Heurnius* affert:

Ni Deus adfuerit, viresq́, infuderit herbis,
Quid, rogo, dictamus, quid Panacæa juvent?

Namque:

Vna salus ægris, non desperare salutem.
Vna salus, nullam absque Deo sperare salutem.

Hanc itaque pii Medici plenis votis obnixè rogantes, à te summo bonorum omnium largitore, Jesu Christe, expectent, & de tua diviti bonitate confisi humiliter exoptent. Siquis plura de hac quæstione scire aveat, adeat *Sennertum, Freitagium in noctibus medicis, Scidelium, Ioan. Matthæum, Acastrum, Michaël. Doringium de medicina & med. lib. 2. p. 3. sect. 3. pet. 2. 3. 4. 5. Guill. Ballonium conf. med. lib. 1. conf.* 106. *Mindererum in Threnod. Med. cap. 4. Zacutum. hist. princip. lib. 4. hist. 1. quæst. 1. Meybomium comment. in jusjurandum cap. 2. Lemos. lib. 11. meth. cap. 1.* & præter Medicos *Lælium Bisciolam tom. 2. horar. subsecivarum lib. 4. cap.* 5. ubi abundè plurima de fortuna traduntur.

In centiloquio. De jud. nativitatis. Lib. de divinat. Astrolog. Ranz. tract. Astrol. parte 2. cap. 3.

Lib. 5. instit. p. 3. sect. 3. cap. ult. Scid. lib. de morbis incurabilibus. Ioan. Math. quæst. medicarum. 3. a Cast. in med. poli. lib. 2. cap. 14.

QUÆSTIO DECIMAOCTAVA.

Vitæ præfixus à Deo terminus an medicinæ necessitatem excludat?

Libenter & hanc quæstionem omisissem, quia illam determinare ad Theologos magis, quàm ad medicos pertinere videtur; eam tamen ex nostris clarissimus medicus, & excellentis ingenii vir *Ioan. Beverovicius* epistolico & eleganti stylo ad umbilicum usque perduxit, doctissimosque Theologos, & utriusque juris peritissimos, expertissimos etiam medicos de hac re satis pervestigavit; è quorum fœcundissimis scriptis ingentem collegit messem, quæ medicinæ studiosis nunquam pro merito persolvendam utilitatem attulit. Ne tamen in hoc opere desideraretur, in quo de his, quæ ad medicum spectant, oblectamentis agimus, prætermittere nolui; præsertim cum pauci admodum medicinæ authores hanc dubitationem vel à limine salutaverint, ut *Codronchus, Henricus Smetius, Mindererus, Valesius, Cardanus*; cæteri verò (uno dempto *Beverovicio*) sicco pede transierint.

Lib. 2. de Christ. med. cap. 1. Smet. lib. 11. cap. 1. Mind. in thre. cap. 1. Val. de sac. phil. c. 74. Card. in consilio pro Cardin. Alciato. Zacut. lib. 4. hist. 45. In declamationibus.

Ab omni igitur ævo, ut solet summa petere invidia, suos semper medicina habuit calumniatores; & planè supervacaneam & inutilem artem esse contendunt adhuc, qui mortem & vitam, morbos, & sanitatem fatali trium sororum stamini annectunt, & volubili fortunæ temerè committunt, medicinamque vel omninò nullam esse, vel eidem humana corpora ab infirmitatibus, & præmaturâ morte tutandi nullam vim, aut potestatem à Deo concessam esse firmiter asserunt, artemque & artificem penitus explodentes illud *Quintiliani* afferunt: *Fato vivimus, languemus, & morimur; Medicina quid præstat?* Nam quibus mori fatale est, sanari nequeunt; quibus evadere, non possunt mori. Sed præter hos non desunt alii, qui Catholicæ veritati consentanea magis loquendo, astuto nescio quo prædestinationis prætextu ac argumento, totam hanc intercludere artem cogitant, dum vitæ terminum à Deo fixum, & immobilem statuunt; quem sicuti nulli antevertere, ita & nemini transgredi, vel ullis Medicinæ viribus à propriâ sede dimovere permissum, constanter asserunt: etenim cum primum quis ægrotaverit, cum

1.

Seriùs aut citiùs metam properemus ad unam,

eidem certum à Deo vitæ terminum præscriptum, justamque moriendi horam destinatam, religiosè (ut sibi videntur) pronuntiant, juxtà illud *Iob. 14. Breves dies hominis; numerus mensium apud te est; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Adducunt quoque *Virgilium* sic scribentem:

Ovid. ad Liviam de morte filii.

Lib. 10. æneid.

Stat

Stat sua cuique dies; breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Et illud *Propertii*:

Tardiùs aut propiùs mors sua quemque manet.

Lib. 2. elegia ad Jovem.

Urgent ex *Senecâ in choro Thebanorum*:

Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem;
Recipit populos urna citatos.

In Hercule furente.

2. Fuit certè de fato impia & execranda Stoicorum sententia, qui tum vitæ nostræ spatium, morbos, remedia, tum omnia quæ fiunt, quæque futura sunt, ab omni æternitate fato quodam fataliter esse definita crediderunt; suoque fato non superioris inferiorisque mundi machinam tantùm alligârunt, sed illius necessitati ne Deos quidem obsistere posse affirmare non dubitârunt. Impia vox *Senecæ* sic sonat: *Quidquid est, quod nos sic vivere jussit, sic mori, eâdem necessitate & Deos alligat; irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit: ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel jussit.* Simile est, quod ex veteri Poëta affert *Cicero*:

Lib. de provid.

Quod fore paratum est, id summum exuperat Iovem.

Eodem modo *Homerus*:

Illiad. 6.

Nec vis Herculea fatum vitabit acerbum.

Eapropter *Chrysippus* illud appellavit sempiternam rerum seriem & catenam, quę semetipsam volveret, & implicaret per æternum consequentiæ ordinem. Omnia itaque adamantinâ fati lege obstricta credebant, omnia causarum ferreis vinculis alligata, ne ipso quidem exempto Deo, ut *Seneca*:

Fatis agimur, cedite fatis.
Non solicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus;
Quidquid agimus, venit ab alto.
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.

In œdipo.

Et *ad Lucilium epist.* 102. *Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit.* Undè *Virgilius*:

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Lib. 2. æneid.

Miser igitur summus hominum divûmque Imperator Jupiter, qui sibi charissimum Parcis invitis tueri non potest! Infelices medici, si quando in ægros incidant, quibus Parcarum manus, & inimica vis appropinquat! tales nec *Æsculapius* ipse, nec ipsa si cupiat salus, servabit unquam. Hinc forsan *Martialis lib.* 2.

Quid tibi cum Medicis? Dimitte Machaonas omnes.

Etenim, ut *Virgilius*:

Venit summa dies, & ineluctabile fatum.

Lib. 2. ænead.

Eodem modo apud *Ovidium* expertus est ipse Apollo:

——serâq; ope vincere fata
Nititur, & medicas exercet inaniter artes.

3. Sed ad hos suâ vanitate deceptos ac superbientes Stoicos stolidos potiùs, & ad eorum fatum rectè D. Augustinus: *Si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum.* Et meritò sic appellavit, quod dum homines securos faceret, fecit sacrilegos. Cæterùm de fato illiusque sectatoribus Stoicis (relictis interim Platonicorum, Epicuri, & aliorum execrandis magis, quàm recensendis opinionibus) hæc sufficiat attigisse; cùm illis tanquam ethnicis, & suo more loquentibus, condonandum aliquid sit, atque permittendum: quandoquidem, (si fas est ipsos benignè accipere, & in meliorem ac magis pium trahere sensum) dicere possumus, illos fati profano nomine tacitè, quod nos apertè, divinam providentiam intelligere, ut Stoicum fatum, & æternus Altissimi ordo & dispositio facilè cohæreant; cum præsertim idem *Seneca* fatum, *sententiam Dei* appellaverit, & clarius multò 4. *de beneficiis*, de natura, & Jove loquens, per quæ nomina Deum intelligit: *Hunc eundem*, ait, *fatum si dixeris, non mentieris; nam cùm fatum nil aliud sit, quàm series implexa causarum; ille est prima omnium causa, ex qua cæteræ pendent.* Et apertius adhuc cap. sequenti: *Si hunc natu-*

Tract. 57 in Ioan.

Lib. 2. natur. quæst. cap. 36. 4. de benefi. cap. 7. & 8.

 ram

ram vocas, fatum, fortunam, omnia ejusdem Dei nomina sunt, variè utentis suâ potestate.

Jam ergò ad Christianorum magis firmam & congruam opinionem accedamus, cui & hodiè non minima vulgi pars, nempè discriminis inter prædestinationem, ac præscientiam divinam ignara, jam à longo dierum numero inhæret. Quippè illi non cum Epicuræis nos fortuitò natos fuisse, nec fortuitò, tanquam non fuerimus, finem habituros autumant; non cum Stoicis nefando illorum fato omnia, & ipsam quidem infinitam & primam causam, quæ liberrima & omnipotens est, Deum scilicèt, protervè alligant; non cum Mathematicis à cælestium orbium influxu omnia suspendunt: quid igitur? Omne quod factum est, quodque fieri instat, summo & ineffabili Dei consilio firmiter annectunt; hanc primam omnium causam directricem statuunt, hanc liberrimam meritò agnoscunt voluntatem, quæ vires agendi inferat, auferat, transcendat, cum libuit, ac rumpat implexa illa vincula fati. Naturæ itaque authorem sapienter ac ut decet, dominum solum agnoscunt; nulli affixum ordini, nulli connexioni alligatum. Hic secundas omnes causas regit, moderatur, perennique influxu gubernat: cæterorum verò omnium, quæ cum mundo orta sunt, nullus immutabilis est effectus, ac certus, qui ex causarum natura effluere possit. Æternum itaque tantum & inviolabile omnipotentis Dei esse consilium, certum & immutabile decretum, fixum, firmum, semper unum, sui simile; & in his, quæ semel statuit, nil flectentem, nec fluctuantem, sentiunt optimè Christiani. Quæ si ita sunt, ut verè sunt, nónne & vitæ terminus à Deo, prout placuit, cuique definitus suo stabit limite fixo, ac præfixo, quem divina decrevit voluntas, & æterna immutabiliter statuit sententia? Ut credamus, innumera S. Scripturæ testantur loca, *Iob.* 24.15. *Psal.* 38. &c. Statuunt idem Philosophi, *Aristoteles, Cicero, Plutarchus, Seneca;* hunc jam audite: *Nulli natura in æternum spiritum dedit, statutaq; nascentibus in finem vitæ dies est.* Et ad Marciam, *fixum cuique terminum* inquit, *eumq; manere semper, ubi positus est, nec alterius diligentiâ, aut gratiâ promoveri.* Sic Poëtæ suprà adducti verissimum hoc agnoscentes clarè decantârunt, eosdemque comitatus *Silius Italicus:*

(4.) (Suasor. 2. & epist. 102. Arist. lib. 2. de gen. & corrup. tex. 57.)

Et pace, & bello cunctis stat terminus ævi.

(5.) Quid igitur medicina præstabit? Prorogabitne vitam, & quod semel apud divinum tribunal decretum est, mutabit? An herbarum potentiâ, divinæ obstabit; & fixa illius decreta aliorsum trahere poterit? Quid? humana vis contrà divinam ire præsumet? An ulla medicorum diligentia definitum jam à summo Rectore terminum suo loco dimovebit? Absit profanum hoc & temerarium judicium. Quid igitur Medici? Quid valebunt medicamenta? Regit ipsa & omnia, qui vitam dedit, & tempus præscripsit, quibus, quò salus adveniat, & virtutem elargitur, & sinit ut prodesse possint; aliter frustranea foret opera, irritus conatus, inanis labor. Non aliter Cicero: *Si fatum (inquit) tibi est, ex hoc morbo convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, convalesces; si fatum est non convalescere, sive adhibeas, sive non, non convalesces: medicum ergò adhibere quid attinet?* Tantùm momenti, tantum ponderis hæc habent apud plures, ut medicos non explodant modò, sed ablegent; & cùm illorum opera nec salutem assequi, nec vitam prorogare posse firmiter asserant, tamen occidere posse, constanter stabiliunt, aut ridendo obmurmurant, tanquam qui terminum elongare non potuerint, breviorem facere possint, & arctiori contrahere gyro. Sed de horum hominum vesania meritò conqueritur Hippocrates: *Ea, quæ in arte medica rectè fiunt, plerumque quidem hominum vulgus non admodùm laudat, sæpè verò Diis attribuit; si quis verò suâ ipsius sorte perierit, numen prætereuntes, medicos culpant.* Namque licèt medicus à certa, ut videbatur, morte ad vitam, à desperatione ad spem, ab exitio ad salutem, ægrum revocaverit, nullam ei deberi laudem, honorem nullum ejus industriæ habendum opinantur; cum ante fatalem vitæ periodum, quamquàm interclusâ pænè animâ, mortalitatem explere non potuerit: *Quis enim ex vobis solicite cogitando ulnam potest addere mensuræ suæ?* Ubi Bonaventura: *Sicut non potest corpus augere, sic nec terminum vitæ, quem præfixit Dominus, protelare;* ergò nec abbreviare: nam si ille, qui moriturus est, nil medico opus habet; etiam medicus illum, cui nondum mors appropinquat, interficere non poterit, ut cavillantur.

(Lib. de fato.) (Epist. ad Democrit.) (Lucæ. 3[12].)

Quibus tandem præmissis, sistamus jam in acie: & inprimis Dei decreta rata, firma, certa, infallibilia confitemur, & inevitabilia; quod licèt verissimum, affer-

afferre tamen aliqua conabimur, quibus & medicinæ necessitas minimè contemnenda videatur, & cum divina voluntate, & stabilibus illius decretis Medici opera minimè pugnare, nec illis adversa esse, palàm fiat ac manifestum. Esto igitur argumentum: An fatalis ita sit vitæ humanæ terminus, ut nullâ morbis medendi industriâ, nullis rectè vivendi legibus extendi, aut pravâ victûs ratione, intemperantiâ, ægritudinum curationis neglectu, vel aliter causis aliis, aut fortuitis casibus, abbreviari queat?

5.

§. Prodimus omnes quasi bulla ex utero; alter in limine vitam deponit, alter antè moritur, quàm nascitur, & nondum benè infuso spiritu, spiritus eripitur; cursum alii tendunt ad metam properantes; diverso quisque gradu alter alterius sequimur vestigia: hunc infantem, illum puerum arripit Mors; alium adolescentiæ optimis annis fruentem, alium robustum jam virum, alium laboribus & senio fractum excepit fatalis hora: incerto & inæquali itinere ad certum & eundem, nullo aberrante, pertingimus scopum; unusquisque ubi & quando statuit ille, cujus nutu omnia stant, cadunt, vivunt, nascuntur, & obeunt: & quemadmodum sagitta non spontè tendit, sed collimat oculus, mittit manus; sic vita ductorem habet & directorem, & quem nisi Deum? ille est, qui vitam dat, salutem redonat, morbos & mittit, & aufert; hic tandem solus est, qui pro arbitrio mortem dispensat, & terminum ponit, quem præterire non possumus, nec anteire; qui sicuti apud ipsum certus & immutabilis est, sic nobis incognitus & incertus, ne immaturis luctibus contabescerent mortales, & mortem morte anteverterent. Esto igitur inviolabilis & immutabilis præfixus à Deo terminus ab æterno constitutus: quid ergò ais, opus est medico? Quid de pharmacis, ullâve medendi ratione satagere? Mutarine poterit decretum, an irritum reddi? Minimè quidem; sed latet ultima hora, & dum nos fugit arcana Dei voluntas, officium præstandum est, servandaque quamdiu licet vita; dumque de implendo decreto disponit Altissimus, de salute cogitandum. Non aliter *D. Paulus* cùm sportâ per Damasci mœnia elapsus conjuratorum effugit manus, ita per Angelum à Deo certior factus, neminem periturum illorum, quos secum portabat in navi; ingruente tamen tempestate retinere illos jussit, & dare operam, ut tutiùs navis exiret in littus. Non aliter divinus Psaltes Saulis declinabat insidias: & quid erit aliter facere, nisi Dei providentiam ignaviæ nostræ sumere in asylum? scilicèt naturalia quæ dicuntur remedia, potentiam tollent divinam, aut illius obstabunt decretis? Regit ea pro arbitrio æterna potestas, & sapienter eadem ad suum perducit determinatum finem. An tot jam sæculis deceptus in hoc est mundus, & hominum mens in tanto versatur errore, ut frustraneâ medicorum utatur operâ? Quis est qui domum non fugiat, impendentem si cogitet timeatque ruinam? Quis hiante pariete, & casum minante tecto, se non subtrahat, & fabri non utatur industriâ? Quis adversùs acerbam ingruentem hiemem se vestibus non munit? Te Deus vult vivere, & ad statum vitæ terminum perdurare; sed an hoc sine potu, sine victu, sine amictu? Experire, & Dominum tentabis. Gravi jactati tempestate oculos in portu habent, illuc devehi cupiunt: si Dei voluntas, & decretum est, accedent; sed an propterea otiosi expectabunt meliora, expandent vela, & tumentibus undis ventorumque furori se concredent? Nónne rectiùs recolligent, manum applicabunt remis, expedient anchoram, exhaurient sentinam, & perito nauclero obsequentes, obeunda & jussa capessent, ut quò diligentiùs, eò tutiùs evadant? Quid aliter in corporibus nostris judicandum, ac faciendum est? Paria sunt mala, quæ foris circumstant, & quæ intùs morborum turbine, vitæ insidiantur; in illis dicis obstandum, istis cedendum, nulloque adversùs pugnandum auxilio. An solùm in morbis decretum præfixit Deus? non in lapsu, non in sumpto clam veneno, non in mari, & aquis, non in domûs ruinâ, non in fame, quæ non habet solatium, non in infinitis aliis, quæ humana quotidiè experitur miseria? Quid te ab his subtrahis? Quid ea times? & aliis, quæ cum morbis ingruunt, libenter sine ulla defensione committendum dicis? Audi Basilium: *Quemadmodum si in paradiso essemus, agricultura labore non indigeremus; sic sine dolore juxta gratiam, quæ erat antè lapsum, re nullâ ad solamen è medicina egeremus: at postquàm dolorosæ carni, & ad corruptionem damnatæ propter peccatum, & hisce quæ patimur obnoxiæ aptati sumus, hæc ægris producta est medicinæ adminiculatio, quâ quantum fieri potest uteremur.* Creavit Deus hominem nudum, sed qui paulò post indumentis indigeret; unde illa compararet, multa creavit; ita illum for-

17. ...dicina ...s quare ...essarius ...umsi ...a ter...nus præ...us à ...o sit.

9 Actorum. 27. actor.

Lib. 1. reg.

Lib. de reg. fus. disput.

formavit, ut quotidiano alimento opus haberet; innumera produxit, è quibus cibum assumere posset; vitam morbis obnoxiam illi dedit: quarè igitur ad illos curandos remedia daturus non erat? Præstitit ergò plura, & ad quid, nisi ut in tempore illis uteremur? Potens est, quandò vult, absque medicamentis te sanum reddere, sed ex ordinariâ dispensatione mediis rem agi vult, quæ ad suum finem determinavit. An non poterat Deus diem sine sole facere? Poterat, sed vult ut cum sole fiat: ita etiam cui ægritudinem dedit, etsi sanabilem, vult ut à medicina remedium quærat, quam ad hoc disposuit; aliàs frustrà medicinam creâsset. Si quis graviter vulneratus manantem cum mortis periculo ex plagâ sanguinem cohiberi non permitteret, quia diceret, se sine sanguine vivere posse, si Deo placuerit; verum diceret, sed insanè loqueretur, & faceret; quia ex communi ordinatione non vult ut sine sanguine vivat, cùm ad vitam præcisè necessarius sit: ergò hujus amentia mortem accerseret, nec Deum moveret, ut miracula faceret, quæ non nisi magnâ necessitate operatur.

Constituit Deus ab initio hominem, & in manu consilii sui reliquit illum, omnique animantium naturæ instinctum dedit, ut se, vitam, corpusque tueantur, declinentque nocitura, & omni diligentiâ incolumitati prospiciant. Quis ergò est stolidus & amens adeò, qui morbo correptus medicinæ respuat adjumentum? Quis, si crus fregit, aut membrum luxavit, si vulnus accepit, obligari recuset? Quis anginâ pænè suffocatus, diro ac duro calculo gemens, & sub colico impatienter ingemiscens dolore, vertigine rotatus, aut irrequieto alvi murmure diarchæâ confectus, medicum non exorat supplex, & auxiliatrices exoptat illius manus, observat mandata, & totus in vitæ spe, horridam licèt potionem, & exosam conatur ebibere? Ad hoc naturæ ductu impellimur, ut quoad fieri possit, vitam prolongemus, & pro viribus amaræ jam minitanti obsistamus morti. Peccatum grave est, in periculoso morbo se medicinæ non committere. Si hoc non esset error, peccatum non esset; quia peccatum nec indirectè extrà errorem esse potest. Nonne Sapiens Medicum ingruenti morbo consulit accersiri? & *D. Paulus* Timotheo moderatum vini usum, ut languenti succurreret ventriculo? Et quid aliud Angelus, cùm ex felle piscis collirium facere Tobiam docuit pro curanda patris cæcitate? An frustrà sacrę literę tantis medicinam cumulârunt laudibus, dum medicum honorandum, locum illi dandum, opera illius esse necessaria præcipiunt? Nonne ipsemet naturæ author & mundi redemptor Christus benè valentibus medico opus non esse, sed malè habentibus dixit? Tuæne magis fidis mentis illusionibus, & talibus, quæ medendi necessitatem approbant, authoritatibus ac patronis repugnas? Quòd medicaminum effectum non semper votis respondere videas, de efficaciâ & virtute eorundem dubitas? Cogita altiorem esse illum qui dedit, & potentiam adjuvandi, si placeat, aliter impedire posse vel auferre, ut nulla sit medicamentorum vis, si superior illa & ineffabilis non annuat. Divinum mundi protoplastem jam considera totum in creatione occupatum; animalium pensita naturam; plantarum, arborum, lapidum, aquarum recogita vires, & arcanas virtutes: an casu ea tot medicis auxiliis, tot occultis proprietatibus, vix homini notis, donavit ille, qui solus fecit, & solus ea rectè novit? Tanta tam pulchra, tam eximia, cui nisi tibi voluit producere naturæ parens? Frustra alioquin fuisset arbor vitæ in paradiso, frustraque de terra medicinam creâsset ab initio, nisi vitæ hominum termini naturales prolongari medendo possent: & in illorum disquisitione Salomonis sapientia elaboravit. Tu te illis non accommodas? respuis, renuis? Quid ais? ita hæc esse, sed hominibus incognita? fateor, humano tamen captu investigata, si non omnia, certè multa, Benedicet Deus, si, ut oportet, adhibueris; tu fac interim & spera: alioquin contrà Deum, contrà temetipsum ire conaberis, contrà naturæ leges, & hominum; istæ dotis lucrum marito denegant, qui ægrotanti uxori medicum negavit, vel adhuc imperitum adduxit: *Par est enim* (inquit Baldus) *adhibuisse nullum medicum, & imperitum*; & Iustinianus perperàm medentis imperitiam culpę annumerat. Imò *Gratianus* apertè medicinæ necessitatem fatetur *l. 23. q. 4. ff. sed in his omnibus.* ubi sic: *Quamvis sciamus neminem ultrà terminum sibi à Deo præfixum esse victurum, omnibus tamen languentibus non incongruè medemur.* Decipiunturne omnes, & solus sapere vult insipiens? in fato fatuus adhuc persistis? aut si de decreto inviolabili solùm cogitas iners, & in omni languens actione, ad quid in quovis negotio aliquid moliris? Omnia venient, prout determinata jam sunt; nullus te metus, nulla vexet spes: Turcas comitare, & impios hęreticos, qui contrà liberum pugnant arbitriū.

Eccles. cap. 15.

Eccl. c. 38.

Eccl. c. 38.

Math. 9. Marc. 2.

8.

Secundùm glossam in §. si vir. lib. 4. instit. tit. 3. juxta leg. Aquil.

§ Ad-

§. Addamus & Gentilium faces, quorum prima *Seneca*, etsi fatis maximè addictus, tamen lumine rationis & veritate compulsus, sic locutus est: *Cùm sanitas videatur esse de fato, debetur & medico; quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.* Fatetur etiam *Cicero*, qui ait: *Tam fatale est convalescere, quàm medicum adhibere*; ideoque ejusdem locum suprà adductum, cavillosum esse scribit idem: quin *Origenes* eleganter illi se opponit, sophismaque appellat, ignavamque & futilem rationem, contrà quam sic insurgit: *Si fato decretum est ut liberos tollas, sive uxorem ducas, sive non ducas, liberos procreabis; sed si in fato est ut liberos non suscipias, sive uxorem ducas, sive non ducas, non procreabis liberos: sive igitur tibi fatale est, ut procrees, vel non procrees liberos, frustrà cum uxore des operam liberis. Quemadmodum enim, quia non possunt sine congressu cum uxore procreari liberi, non frustrà uxor ducitur; ita quia ex morbo relevari æger sine ope medicinæ non potest, necesse est medicum adhibere.* Quarè concludit: *Falsum est ergò: frustrà Medicum adhibes.*

Lib. 2. nat. quæst. c. 38

Lib. de fato

Tom. 2. contra Celsum.

Sed si nec hisce convictus reclamas iterùm, & plura desideras, quibus intelligas & divinum arbitrium, & medicinæ necessitatem se mutuò non expellere: hoc à Theologis potiùs quàm à Medicis requirendum; quorum non desunt plurimi, qui decretum de vitæ termino dupliciter considerent, unum scilicèt absolutum, de quo infrà, alterum conditionale; nempè, si hoc fiat, fiet; sin minus, non fiet: licèt severiores alii hoc secundum non admittant, & divinæ providentiæ adversum judicent, quòd Deum videatur rerum nostræ vitæ facere incertum. Cùm enim Deus Socratem aut Platonem tali die & horâ discessurum cognovit, & prvæidit, eundem non fati urgentis necessitate, sed suâ culpâ, aut tali vel tali occasione ac modo diem suum obiturum præcognovit: Dei verò præscientia necessitatem rei futuræ non invehit; nec enim præcognovit ut fieret, sed quòd futurum id esset, præscivit, & quâ de causâ, quove modo & occasione futurum prævidit. Ergò decretum conditionale quoad Deum concedi non posse videtur, sed semper absolutum, fixum, ac firmum; cùm in probabiliori sententia *D. Thomæ* scientia media in Deo concedi non debeat. Quod rursùs dupliciter considerari potest, & dividi in decretorium, quod absolutum & naturale etiam dici poterit, & in accidentale: absolutum & naturale illud est, ad quod nos perducit humidi radicalis duratio, quæ terminum vitæ illius consumptione mensurat indifferenter, in aliis plus, in aliis minus, proùt à primordiis generationis unusquisque sortitus est, & prout Domino placuit terminum absolutum præfinire; qui naturalis dicitur, quia ad humidi consumptionem sequitur extinctio caloris, pabulo jam destituti, nec ex viribus naturæ ultrà progredi conceditur. Talem quippe terminum sic præfixit Deus, ut nec punctum ulteriùs transcendi possit; undè illud Job: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Cæterùm hic terminus licèt extendi non possit, potest tamen abbreviari, & ferè omnibus abbreviatur; quia solùm illi, qui nec in victu nec aliis delinquunt, aut morbis corripiuntur, ad constitutum terminum deveniunt; cæteri omnes cùm plurimis casibus in morbos incidant, vix millesimus humidi terminum adæquat, quin priùs moriatur: qui quidem vitæ terminus dicitur accidentalis, & à Deo etiam constitutus, qui præteriri non potest; quia sicuti Deus naturalem præfixit, quia cognovit quousque humidum radicale duraturum erat, sic illius præscientia divina infallibiliter cognovit modum vitæ, casus, errores, quantùm & quomodò unusquisque sibi prospiceret; ex quo quousque vita permanere posset præscivit, & præfixit: & hic termins accidentalis quoad nos dicitur, quia accidentaliter secundùm vitæ & vivendi modum, citiùs aut tardiùs advenit mors omnibus illis, qui ad humidi naturalis consumptionem non pervenerunt. Quod plerumque accidit illis, qui sibi ipsis vel ob peccata, vel ob errores mortem accelerant, aut occulto alio Dei judicio mori jubentur, & subciduntur sicuti à texente, ut ex pluribus S. Scripturæ locis docemur; & latiùs videre est apud *Petrum Moxiam lib. 4. sylvæ cap.* 6. qui prædictos terminos optimè considerat.

Job. 22.
Eccles. 8.
Psal. 54.

Itaque pro conclusione dicimus, quòd secundus hic terminus accidentalis taliter à Deo dirigatur, ut per causas secundas ad suum finem tendat; & sicuti causarum secundarum necessitatem non tollit, sic & medicinæ usum non expellit; utque per illarum operationem ad prædictum terminum pervenitur, ita si benè vel malè ordinentur, citiùs aut seriùs morbi, & mortes accidunt; Deo semper dirigente, ut ad definitum diem & horam deducant, & vitam conservent; aut aliter liberè operari permit-

mittente: quippè qui omnia creavit omnipotens, hanc concessit naturæ facultatem, ut causæ secundùm statutum ordinem operarentur; neque illis unquam contrariatur, nisi aliter ac secùs miraculosè velit aliquid præstare. Sic tres pueros Babylonios in fornace psallentes vorax ignis non exussit; & infinita alia, cùm vult, operatur, causarum secundarum effectum impediens, aut illarum vires auferens: verùm cùm supernaturaliter Deus naturalia non impedit, operari sinit, effectus ut producant suos, & mundus, prout disposuit, conservetur. Vult homines, vult bruta creare? non nisi adhibitis naturalibus causis hoc facit. Vult conservare vitam, & ad terminum, quem præfixit, illam perducere? mediis utitur, quæ si rectè adhibeantur, optimè ad finem disponunt; & si aliquid laboris & periculi ex morborum vi adveniat, remedia produxit, taliter ipsius arbitrio subordinata, ut quandò, & quousque vires suas conferrent, pro nutu & voluntate dispensaverit. Laborare præcipit Deus, & laboranti opem promittit, & præstat; ipse facit, & nos facere vult, & facere jussit: finem quippe optare, & media non capessere insania est. Eleganter *Cato* apud Salustium: *Ubi socordiæ, & ignaviæ te tradideris, nequidquam Deos implores: irati infestiq; sunt.* Propterea optimè à nescio quo poëta dictum:

Ne tu tibi desis, Deus tibi feret opem.

Sicuti enim à Deo maturam omnium bonorum opem, tanquam à summo & solo rerum arbitro & dispensatore expectare debemus; sic minimè desides & ignavos esse oportet: omnis labor & industria adhibenda, tam in omnibus aliis, quàm in morborum ferendis auxiliis; in quorum plurimis tardare quàm sit periculosum *Hippocrates* monuit, & medici nullo non die experiuntur; quod *Maro*: [4. Aph. 1 Georg.]

—— Vivit vitium, crescitq; tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora Deus sedet omnia poscens.

11\.

Itaque sicuti decretorium illum ultimum, & absolutum terminum in humoris radicalis consumptione præfixit Deus, ad quam cùm jam ventum est, nullâ medici ope, nullo humano auxilio vita prolongari potest; ita accidentalem, & casualem, qui præscientiæ etiam terminus dicitur, per totum vitæ decursum, in præpostero vivendi modo, in vitæ erroribus, in vulnere, in incendio, in ruina, & in multis aliis, quæ quotidiè mortales experiuntur, sed potissimùm in morbis constituit, qui solus vitam dat, & aufert. *Præfixit dies* (inquit divus Gregorius) *singulis ab æterno Dei præscientia; nec augeri possunt, nec minui, nisi aut optimis operibus longiores fiant, aut pessimis breviores.* Malis enim ut Deus vitam abbreviat, ita bonos ad absolutum terminum perducit. *Servies Domino Deo tuo,* (ait) *& numerum dierum tuorum explebo.* Et cap. 10. proverb. *Timor Domini apponet dies, & anni improborum abbreviabuntur.* Hac de causa paucissimi sunt, qui ad mortem naturalem perveniant; quàm pauci, ô bone Deus! qui humidi consumptionem æquent! & cùm transcendi non possit illius terminus, ferè omnes antè tempus efferuntur. Peccat hic in victu, ille in hostes incidit; quàm multis crapulâ & vino onustis, aliis immodicâ Venere lacessitis, aliis voluptatibus aliis & cupediis irretitis ac nil tale cogitantibus truculentum morborum advenit agmen, obrepit mors, & antè destinatum humidi ratione terminum in termino sunt & exeunt: sed antè tempus nemo. Nunquam enim præmaturè reposcit Deus, quod suum est, non nostrum: nam ut in tempore solvit, qui exigente creditore debitum solvit; ita qui vitam dat, à quo accepit. Prævidit enim Deus curam, studium, diligentiam, ignaviam, quâ quis se salutemque tueatur, aut præcipitem ruat: non igitur, quia Deus cognovit, sic accidere debuerunt, sed quia futura, ideò Deus cognovit, & terminum fixit, ubi vel peccata, vel voluptates, & cætera vitæ errata metam signaverant; quæ absque dubio multò ulteriùs statuenda erat, si piè ac sobriè vivendi modum ac solertiam habuissent. Non videtur hoc ignorâsse Seneca; qui *posse* inquit *aliquatenùs nostrâ quoque providentiâ, longiorem prorogari huic corpusculo moram; si voluptates, quibus pars maxima perit, potuerimus regere, & coercere.* Propterea *lib. de brevitate vitæ*, optimè dicebat idem: *Non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes ejus, sed prodigi sumus.* Itaque prævidit Deus te talia facturum, sed ut faceres non coëgit; imò præscivit quia sic facturus eras, quamvis ad ea te non compulerit: in media pericula te conjecisti, in medios ignes. Quid divina decreta arguis, & in asylum tuæ ignorantiæ assumis? Liberum tibi dedit arbitrium, te fecit liberum, judicium addidit, ut tibi prospiceres, & quemadmodum ut à periculis [12. In moralibus. Exod. c. 13. Epist. 5]

aver-

averteres, ità ut in ipsis positus, aut morbis correptus, de remedio cogitares; si imprudenter, & incautè agis; patere, peri; sed noli accusare illum, qui te monuit: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et si morbis circumventus nescis quo tempore, quâ ratione, quo modo ad metam perventurus sis, nil ad te hoc; quod tibi restat, officium præsta, partes age tuas, utere medico, utere à Domino creatâ medicina: *Data est*, inquit *Lactantius*, *universis animalibus ratio; brutis tantùm ad vitam tuendam, hominibus ad propagandam.* Quod ut libentiùs facias, audi *Hippocratem*, qui medicinam homines à morte liberare dixit; & *Galenus* de hoc aliquando gloriatur: nam & errores in morbis commissos aut morbi solutionem remorari, aut mortem accelerare scripsit. Ergò jam si in errore est mortis acceleratio, in debitè, & proùt decet applidum, datâ medicinâ aut sanitas, aut mortis retardatio. Verùm si medicis ais non credendum, alios tibi afferam testes, quibus fidem adhibeas erit. Quarè de hoc negotio audi *Raymundum Lullium*, virum undequaque doctissimum: *Vnicuique vita terminus est statutus, quem nullo ingenio transgredi possumus; sed intrà terminum mortem accelerare in promptu est omnibus: ideò à medicina petendum remedium, quo corpus nostrum à putredine præservemus, & infirmum curemus, donec veniat is postremus dies à Deo præstitutus.* Quod si tanti viri authoritas nondum tibi sufficit, nec magni *Basilii* suprà adducti, *Hieremiam Drexelium* Societatis IESU novum ac magnum lumen jam tibi offero, ut intellectûs tui tenebras orationis, quâ pollet, claritate auferat: *Decorum est, mi homo, non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Bellum & omnes clades à Deo sunt, res jam liquida: At hinc mala est ista consecutio; ergò hosti non resistendum, ergò morbis non occurrendum. Nam aliud est voluntas signi (cum Theologis loquor) aliud voluntas beneplaciti. Atque de illa voluntate signi per leges nobis explicata, ut plurimùm satis constat: at verò de hac beneplaciti, non item; nec continuò scire licet, quousque se ista extendat. Nunc exemplo sit morbus. Hic à quacumque causa ortus, divinæ voluntatis est, nec in hac re quidquam ambigendum. Cùm autem ægrotus nesciat, quamdiu se velit Deus in morbo cubare, licitè potest prorsus resistere, & recuperandæ sanitati quidquid est legitimorum remediorum adhibere. Vbi verò tentârit omnia, & nil profecerit, nec convaluerit; persuasissimum sibi habeat, divinæ voluntatis esse se graviùs ac diuturniore invalitudine urgeri. Sic ergò ratiocinandum: Vult te Deus, mi æger, ægrotare; at quia nescis an etiam velit te nunquam sanari, eâ de causâ licitè uteris remediis. Si autem velit morbum perpetuari, subtrahet pharmacis efficaciam, ne saneris. Idem de hostibus dicendum, &c.* Libenter totum locum transtuli, quia paucis doctissimè dubitationem solvit, & explanat. Neque enim Deus, cùm in morbum hominem conjicit, vult, nisi rarissimè & maximis de causis, eundem per se liberare, sed per artem dignissimam, quam in humanæ salutis custodiam & reparationem creavit. Ipse enim Deus vulnerat, & sanat; neutrum tamen nisi per naturales causas: sive enim morbos infert in vindictam, castigationem, aut probationem, sive salutem miseratus nostri largitur, causis utitur secundis; velut Tobiam excæcavit stercore hirundinum, & piscis felle sanavit. Si igitur morbi duplicem habent ortum, divinum, aut naturalem, quid expedit ægros agere? Certè pariter placare Deum, & medicinam adhibere. Si enim ad Deum confugiens curationem negligas, peccas ob imprudentiam in ipsum Deum, qui post expiationes tibi jussit locum dare medico, quem creavit propter necessitatem; quarè falsâ pietatis specie incidis in impietatem, parvi pendens illius opera: si verò precibus & oblationibus derelictis, solis medicinæ confidis operibus, graviùs peccabis, aliquid sine Deo rerum naturam præstare posse confidens; ob quod peccatum Rex Asa dolore pedum vehementissimo vexatus per biennium, mortuus est.

14. 15. 16. (margin numbers)

Lib. de fract. — Lib. 10. meth. c. 10. — Lib. de const. artis med. cap. 18. — Lib. de secret. — In Heliotropio cap. 1. — Eccles. cap. 38. — Paralip. cap. 16.

Mirari igitur liceat, quòd tanta sit hominum quorundam amentia, qui cùm vel fatum vel divinum decretum in vitæ termino præfixo & immobili agnoscant, idem etiam in aliis omnibus non intelligant, & inesse fateantur; quod (velint, nolint) concedere debent. Disposita, ais, & à Dei præscientia, proùt eventura sunt, determinata sunt omnia & definita. Quid ergò bonum fabrum ad opera quæris? Quid ad construendam domum optimum architectum? Quid in lite peritum advocatum? An non sufficit fatum, aut Deus? Quid hominum favorem imploramus? Quid in negotio aut in ægritudine preces ad Deum effundimus? Si proùt eventura sunt, omnia jam determinata fuerunt, otiosorum est aliquid in ulla re moliri, & nimis Dei patientiâ abutentium: curat ille vitam humanam, curat & reliqua. Dormi ergò

in utramque aurem. Ah amens! Nónne ab æterno ita singula potuit disponere, ut quæ consequerentur, proportione suis causis responderent? Cur in chirurgicis etiam à remediis & curatione abstinendum non contendis, & eadem deliria non somnias? An Deus ipse physicus medicus es, non vulnerarius? An quemadmodum in cæteris morbis quod futurum est determinavit, non ita in plagis & vulneribus? Tædet in his immorari: sed tu, quisquis est, qui de divinis decretis & incomprehensibilibus judiciis tam altè sapere vis, & grandia loqui, temetipsum inspice, fragilitati cede tuæ, cede rationi, consilium de humanis, non de divinis institue, Altissimi arcana explorare ne cogites; curiosos & ultrà sobrietatem sapere volentes odio habet Deus. Nam si tangere cælestes ignes vis, liquesces; si scandere in providentiæ arcem, cades: & ut minutus papilio lucernæ lumen circumvolitat, donec amburatur; sic humana mens circà arcanam illam flammam ludit, & quò magis laborat, tantò minùs invenit. Nescire velle, quæ magister maximus te scire noluit, erudita scientia est: hoc est, quod tibi divina sapientia consulit: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in plurimis operibus ejus ne fueris curiosus.* Fac igitur & spera; providebit tibi ut oportet, qui tui curam habet: quòd si terminum tibi abscondit, ideò facit, ut paratus in omni expectes hora.

Ecclesi. ca. 3.

Seneca epist. 26.

QUÆSTIO DECIMANONA.

Medicus an faciat honestè, si mercedem exigat?

1\. RECtè ex *Beroaldo* inquit Chassanæus: *Quis nescit medicum ad omnes totius civitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem ætatem pertinere? cùm summatibus, infimatibus, senibus, pueris, fœminis, ægrotare contingat; & omnes ex hoc utilitatem petant indiscriminatim: meritoq́; dici potest, Medicum rem communem terrarum esse. Et profectò si vera dispicimus, si curiosè cuncta perpendimus, solâ medicinâ, soloq́; medico opus est omnibus. Medicina est, quæ una contrà fata depugnat, eademq́; identidem expugnat, quæ languentibus vitam prorogat, quæ jam deploratos, jam defletos, jam in familia orci numeratos luci auræq́; vitali persæpè restituit; multiq́; medicorum operâ revixisse creduntur.* Loquitur forsan à *Quintiliano* edoctus, qui ita: *Sola est medicina, quâ opus est omnibus; nam licèt reliquis artibus, nec semper, nec omnes egeamus, hujus utilitate constat omnis vita.* Quippè ut testatur Libavius: *Medicina pro incolumitate retinenda, pro repellendis morbis expetenda, usque adeò præclara, utilis, & necessaria est hominum vitæ, ut cùm cæterarum artium studia aliquibus prosint, medicina ipsa omnibus.* Quid igitur mirandum, Reges & Imperatores benignè adeò tantæ scientiæ artificibus prospexisse, gratoque animo tot honoribus, tot muneribus affecisse? Rectè quidem *Seneca* de ægrotis dicebat: *Si capitale supplicium timent, omnia sua paratos impendere.* Cui enim, nisi servatori, recludentur thesauri? Cui, nisi redimendæ vitæ, asservantur? Quem usum præstabunt reconditi, si illa deficiat? Hanc medicinæ utilitatem Ægyptii considerantes, ex publico medicis stipendia, victumque concedebant, ut refert *Diodorus*. Indi (scribit *Strabo lib.* 15.) nullas artes exquisitè addiscebant, præter medicinam; qui etiam tradit Brachmanes (alterum Philosophorum Indorum genus) medicos fuisse multos, & honoratissimos, quos nemo non libenter hospitio excipiebat, nemo rogatus illis non erogabat necessaria victui. Nec immeritò *Plato* bonos medicos dicebat oportere habere in Republica; & apud *Xenocratem* sapientissimus Persarum Rex Cyrus, *urbes* dixit *medicis indigere*. Ad quod respiciens Julius Cæsar medicinæ professores civitate donavit, ut & libentiùs ipsi urbem colerent, & alii appeterent, proùt narrat *Suetonius*. Alexander quoque Severus Romanorum etiam Imperator medicis salaria constituit, ut refert *Lampridius*. Quid mirum? Vetus est sententia, artes honore nutriri; atque hoc est florentis Reipublicæ specimem, ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur.

In catalogo. p. 10. consid. 4

In declamat.

Lib. de brevit. vitæ cap. 8.

Lib. 1. bibliotb.

3. De rep.

Xen. lib.

In vita Iul. Cæsaris.

2\. *Medicorum ingentes donationes & præmia enarrantur.*

Sed ut incipiamus ab ingenti illo, & citrà modum quæstu, quo multi potiti sunt: author est *Plinius*, Erasistratum Antiocho Rege sanato 100. talentis à Ptolomæo ejus filio donatum, quæ summa juxtà *Budæi* calculum 60000. nostrorum aureorum efficit. Celeberrimis medicis Cassiis, Capetanis, Aruntiis, Albutiis, Rubriis, annuæ mercedes 250. sextertiorum fuêre apud Principes, si *Plinio* credimus; quæ ex eodem *Budæo* 6250. aureos efficiunt&: inter hos Craterum pone, de quo *Persius*.

Lib. 29. cap. 1. & lib. 7. cap. 37. lib. 2. de asse.

Sed

Sed quid opus Cratero magnos promittere montes?

Duplo major Quinto Stertino fuit, qui adhuc cæteris imputabat, quingentis se annuis stipendiis contentum: fratri etiam ejus apud Claudium par merces attributa est: Sed incredibile pænè lucrum Crinas Massiliensis obtinuit, qui cautior, & ad siderum motus ex ephemeride Mathematica cibos dando, ita authoritate fuit eximius, & divitiis crevit, ut muris patriæ reliquerit sext. centies, mœnibus aliis non minori summâ extructis. Quid mirum? cùm ab uno ægro ex provincialibus sext. 200. conductum charmide, id est, 5000. aureis, narrant *Dubravius*, *Bonfinius*, & *Æneas Sylvius*. Quàm enim olim ingentia Romæ fuerint medicorum lucra, præmia, & honores ex quadam inscriptione, quam *Mercurialis* vidisse se ait, 3. *variarum cap.* 22. satis colligi potest. Fuêre etiam apud alias gentes, plusquàm pronum sit credere, splendidæ & regales medicorum donationes. Testatur enim *Herodotus*, Democidem annuâ mercede ab Æginetis talento, ab Atheniensibus minis centum, à Polycrate talentis duobus conductum.

Lib. 23. rerum Bohemicar. Lib. 2. decad. 3. Sylvi. in sua Bohemia cap. 35. & 42.

2. Pauca sunt hæc: author est *Suidas*, Chrosroë Persarum Rege à Tribuno medico sanato, post multa ac regalia accepta munera jussum eum tandem petere siquid ultra vellet, nilque aliud petiisse, quàm ut quosdam sibi Romanorum captivos Rex donaret; is verò ter mille, & quotquot, nominatim viros doctos, petierat, dimisit. Podalirius Sirnam Damethi Regis filiam ex casu ægram, & à se sanatam, à patre accepit in uxorem; regnavit, civitates condidit, obtinuitque per medicinam regnum, & uxorem Regis filiam. Nullus apud magnos Reges & clarissimos Principes munerum, & honorum in medicos modus fuit, aut finis. Philippus Macedo, dum ex clavicula fracta laboraret, (ut narrat *Plutarchus*,) medicum nactus indesinenter efflagitantem, (Menecratem aliqui fuisse dicunt) quem cùm implere non posset; *Accipe*, inquit, *quantum vis, quandoquidem clavem habes*. Idem, de quo anteà, Democides à Dario, quem sanitati restituerat, cujus etiam tunc erat captivus, duobus aureis compedibus, & ab uxore aureis phialis donatus est; scribitque *Herodotus* eundem apud Regem & Persas in summo habitum honore, quod ipsum Darium ab inverso pede dolentem, ducentemque plures noctes insomnes, dolore immunem ac sanum reddidisset. Ex Phalaris itidem ad medicum epistolâ constat, Polycletem, qui Phalaridem tyrannum Agrigentinum ex morbo gravissimo laborantem pristinę restituit sanitati, ab eo phialas quatuor ex puro auro accepisse, crateras argenteos duos, poculorum etiam therеclorum paria decem, puellas intactas 206. necnon & alia plurima. *Oribasii* deindè gloriam, opes, & honores, quos adhuc in exilio inter barbaros acquisivit, illius elogium, quod extat *lib.* 1. *Anthologiæ*, satis testatur. DIVO ORIBASIO, QVEM IMMORTALEM PROPTER ARTEM SÆPIUS REVERITA VITAS HOMINUM REMITTEBAT PARCA. De quo sanè illud Themistoclis dici poterat: *Perieram, nisi periissem*.

In apoth.

In thalia.

3. Galenus à Boethio, cujus sanaverat uxorem, 400. accepit aureos, prout ipse narrat, qui, ut computat *Minderenus*, nostrorum 1300. efficiunt, aut 1000. coronas solares, ut refert *Lacuna*, & *Amatus cent.* 3. Garcias ab Horto (ut ad nostros veniamus) à Nyssa Maluco Indiarum Rege plusquàm 120. pardaps pro curatione accepit; & si apud ipsum manere vellet, 400. offerebat; quam monetam duobus marcis lubencibus, aut octo dragmis Hispanicis correspondere scribit *à Castro*; & decem regales Castellanos pardaum pendere idem *Garcias* computat. Nostrâ ætate magnus Mogorus ex Tamerlanis adhuc in India intra Gangem Dominator, Misareno Ægyptio medico centum ferè coronatorum millia annuè assignavit, ut ex *Petri Texeræ* relatione affert idem *à Castro*. Potentissimus Rex Philippus II. Vallesio archiatro suo, ob febrem intrà 7. dies curatam, præter amplissimum stipendium, sex millia ducatorum numerari jussit. Major & prolixior Ludovici 11. Galliarum Regis Christianissimi in Jacobum Cocterium medicum suum liberalitas, cui pro menstrua mercede aureos erogabat 10000. ut scribunt *Argentinus*, & *Philip. Cominæus*. Ex Majorum etiam memoria scimus, Thadæum medicum, seu ut alii dicunt, Petrum de Appono, ab Honorio Summo Pontifice sanato decem aureorum millia reportâsse; cujus etiam tanta fuit authoritas, ut cùm peregrè proficisceretur, in singulos dies non minùs quàm 400. aureos acciperet. Maxima quoque mercatoris cujusdam in duodecim medicos argenti profusio legitur apud *Zacutum*. Plura si aves, præter *Dubravium*, *Bonfinium*, & *Sylvium* citatos lege doctissimum *Beverovicium Erasmum*, *Cardanum*, & *Accursium* insignem Jurisconsultum: ut meritò tunc dici posse crederemus, quod versiculus:

Ad Posthumum cap. 8. In vita. Gal. Lib. 3. de med. polit. cap. 22. lib. 1. cap. 29. & lib. 2. cap. 28.

Lib. 5. hist. 14. In oratione pro laud. medicinæ. Eras. in declam. pro ejusdem artis laud. Cardanus, in Encom. med. Accur. in proœm. digest

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores;
Ex aliis paleas, ex istis collige grana.

Super quem latè videndus citatus *Accursius*. Sunt tamen, & fuerunt prædictę omnes Regum & Principum regales potiùs profusiones & donationes splendidæ, quę ad artis gloriam spectant, quàm æqua beneficiorum pensatio; quibus dantis etiam præclara magnitudo ostenditur, cùm munus & officia longè superent, non æquent. Quamvis, si veritatem, & citrà invidiam loqui fas est, nulli plus quàm medico debetur: de quo inquit Seneca: *Emis à medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam: itaque pretium non rei, sed operæ solvitur; mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferunt. Salus enim hominis nullo beneficio pensatur*, inquit Ammianus Marcellinus; *& doctrina pretio nummario æstimari non potest*, ut de civili sapientiâ dicebat *Vlpianus*. Neque enim hoc est, *vendere scientiam invendibilem, sed locare operas suas*, ut ait *Lex.2. de orig. juris.* Tanta dignum siquidem laude & honore hoc salutis recuperandæ opus est, ut omnem præmii & remunerationis magnitudinem superet. *Omnia* (inquit Iob) *quæ possidet homo, dabit pro anima sua.* Sed licèt potissimus honos & laus, regale existat munus, quòd fumum de patriis focis elevat, & ne lar familiaris frigeat, prohibet; majora tamen sunt, quæ de aliis narrantur, quos in Deorum numerum Antiquitas censuit adscribendos; ut de *Asclepiade, Cleombroto Ceo*, & *Critobulo* narrat *Plinius*: similiter Græcia *Hippocrati*, qui locum inter Persarum potentissimos ab Ataxerxe oblatum recusavit, eosdem, quos Herculi, dicâvit honores. Et profectò, quis major honos esse potest, quàm in Deorum numerum referri? Sic apud Ægyptios, Græcos, aliasque gentes; omnis Antiquitas medendi peritiâ de humano genere benè meritos ab obitu pro Diis coluit: sic inter Deorum cultum Æsculapium evexit, sic Apollinem in Deorum numerum retulit: sic Jul. Cęsar suo Antonio Musæ equestrem erogavit dignitatem; & meritò quidem, quandoquidem Cicero, *Homines ad Deos nullâ re propius accedere, quàm salutem hominibus dando*, sapienter admodum dixerit.

4.

Lib. 6. de benef. cap. 15.
Lib. 14.
L. 1. §. 5. d. de extra ord. cognit.
Lib. 7. cap. 37.
Pro Marcello.

5. Cùm igitur tam magna ac ingentia fuerint medicorum præmia & dignitates, quàm in naturam avarus, & saluti ingratus fuerit, qui debita officia, & justam mercedem medico cumulatè pro viribus non persolvat? Honorem appellabat *Cicero*, qui in epistolis: *Curio misi, ut medico honos habeatur*; ne mercenarius audiret. Quoties ad Tironem libertum scribens, quem ex provincia redux ægrotantem reliquerat, monet ut medico persolvat, reddatque debita munera? *Curio misi, ut medico honos habeatur, & tibi daret, quod opus esset.* Quem *Seneca* imitatus: *Sicut medicinæ apud ægros usus, apud sanos honos est.* Quantus est in mercede medici æstimanda! Quàm numquam pro meritis solvi ait! Quod apertè fatetur, dum ait: *Plus est quod vendiderunt, quàm emimus.* Agnoscebant itaque deberi plurimum medico, persolvi minimè posse.

Lib. 17. familiar. epist. 9.
Lib. 1. de clement. cap. 2.
6. de benef. cap. 16.

6. His tamen præmiis, & splendidis Regum donationibus superbire minimè oportet medicos, nec ex quæstuoso hoc lucro animum erigere, cum hæc grati ac magnifici animi sint munera; ad quæ numquam optimus medicus debet attendere, sed ad ægroti sanitatem, quam pro scopo habere decet. Notatu digna est *Hippocratis* commendatio, quâ medico præcipit curationem exordiri à mercede: *Nam si à mercede inchoaveris* (inquit) *conducit hoc universo negotio; ægroto siquidem cogitationem induces, quòd non ipso relicto abibis; si verò non pacisceris, quod ipsum negliges, & de quibusdam in rem præsentem non admonebis.* Exod. 21. apertè præcipitur solvendas esse medicis impensas. Testatur & *Iesus Sirach*; qui non solùm medicum jubet honorari, sed donationem à Regibus accepturum ait. Quibus tandem medici in pecuniæ execrabilem famem turpiter feruntur; nec desunt avari, & auri lucro inhiantes, qui protervè de mercede paciscantur, tanquam si in restaurandæ salutis opere, quod solius Dei est, aliquid promittere possent. Et quidem alii, dum morbus aut dolor vehementer urgent, ex miseranda ægrotantis calamitate extorquendi pecuniam occasionem nacti, avidiùs expetunt, ac velut crudeles tortores exigunt; nescio quos versiculos susurrantes, à cupidis aut improbis aliquibus lucronibus, non ab aliquo probo medico inventos. Sunt hi:

In præceptionib.
Ecclesi. cap. 38.

Exige dum dolet, post curam medicus olet.

Et illud: *Exige dum dolor est, nam postquam pœna recessit,*
Audebit sanus dicere, multa dedi.

Atq; ita monent, ut *Dum dolet infirmus, medicus sit pignore firmus.*

Quia

Quia inquiunt: *Ars quæ non venditur, vilipenditur.*

Quarè & hoc *Ciceronis* inculcant:

Empta solet carè multos medicina juvare,
Si data sit gratis, nil confert utilitatis.

Ad Octavianum.

Est quippè talium medicorum regula,

Vt dicant da da, cùm dicit languidus ah! ah!

Mille præterea alia jactant optimo sanè medico indigna, & vix in memoriam revocanda; quandoquidem bonus non pecuniam, sed salutem quærat ægroti, ut legimus apud *Plautum*: ingenui quippè, & docti in propulsandis tantummodò morbis versantur, nullâ gloriæ aut argenti cupiditate nixi: quorum potiùs contemptum in medico requiri, sanctè monent *Scribonius Largus* & *Marcellus*. Solùm ergò requirendus in ægrotis grati animi affectus, laboris verò & molestiæ, solicitudinisque compensatio illorum gratitudini relinquenda: quia licèt de accepto beneficio remunerando non statim cogitent, in debito semper manent; imò *Beneficium debere, non minoris est quàm dare*, dicebat *Seneca*: & quis unquam pro recuperatæ salutis beneficio æqualem retribuere potuit mercedem? Etiamsi omnia largiatur, quæ possidet, nedum condigna præmia reportabit medicus, qui vigiliis nullis parcens, de ægri misertus doloribus, elaboravit, anxiè obstitit, diligenterque providit, ut morbus sedulò vinceretur, hostemque profligaret, alienasque miserias, ut ait *Hippocrates*, sibi adjunxit. Rectè Soranus Ephesius: *Merces à medico non exigatur, sed si detur, accipiatur; nam quantum quis dederit, vix unquam mercedem debitam æquavit. Quædam enim* (ait Seneca) *pluris sunt, quàm emuntur.*

Epist. Caio Julio.

6. De benef. c. 15.

Dices tamen: sanitas à Deo est, à medico non venit; ergò illi debetur accepta, non medico. Fateor; adhibuit tamen artem & media: quarè licèt à Deo sit omnis medela, sine quo nil in natura præstari potest, tamen ab ipso creatâ medicinâ usus fuit optimè, & tanquam probum illius instrumentum, creatoris voluntati famulatus est, & operam dedit, ut felix sequeretur eventus. Sapienter quippè dictum est, *Sanitatis authorem esse Deum, Dei instrumentum naturam, sed utriusque ministrum Medicum.* Atque ideò rectè dicebat Cicero: *Tam fatale est convalescere, quàm Medicum adhibere*; & Seneca: *Cùm sanitas debeatur de fato, debetur & Medico, quia ad nos beneficium fati per manus medici venit.* Attende diligentiam, affectum, desiderium, conatum, & officia inspice: hæc, inquam, quo solventur præmio? Dicat ipsa salus, dicat Pyrrhus, qui à Diis nil ultrà eam exigebat. Quid enim absque illa percipitur bonorum, quid gratum, quid jucundum invenitur? Quid verò admirabilius, quàm morborum vim, optatissimam sanitatem profligantium, obtundere, accessum dispicere, & decernere, venientes præsagire, ingruentes avertere, superantes reprimere, mitigare, tollere, & eum, quem desperabant amici, vel ab orco revocare, & naturæ momenta in numerato habere? Luculenta sunt hæc artis beneficia, & nullum habitura pretium, nisi laudem & reverentiam, qualem habebant prisci: *Medicinæ apud nos magna charitas, magna reverentia est* dicebat *Seneca*. Quid enim magnifica te domus juvat? Quid splendida supellex, quid aurea vestis, quid ipsum congestum aurum, si miserum te, & ægrotum destituit sanitas? Quid enim prosunt illa, cùm percipi non possunt? Supplicia sunt & cruciatus. Quid potentia? Quid amplitudo? si te morbus lecto affixum tenet, redditque impotentem. An non ista omnia vel cum brevissimo sanitatis momento commutare cupias? Nullo siquidem pretio æstimabilem sanitatem mortales tunc solùm intelligunt, cùm morbos experiuntur: quippè ut morbus omnia bona interpellat, perturbat, & amara reddit; sic una est sanitas, quæ ipsa, quæ dicuntur bona, jucunda facit, & veluti divinum condimentum, gratiam omnibus addit.

Lib. de fato

Lib. 2. nat. quæst. c. 38

6. De benef. cap. 15

9. Quæ quidem ut verissima sunt, ita impium, & ab omni humanitate rationeque alienum medico, qui tantum beneficium præstitit, levi pignore aut exili munusculo, gratiam hanc summam divendere: imò turpe exigere, quod reddi non potest. Indecorum quippè, ac immodestum, planè etiam mechanicum videbitur medicum peractâ curâ mercedem poscere; *multa enim honestè accipi possunt, quæ eadem petere foret inhonestum.* Sed inurbanus etiam ægroti animus, qui oblatâ tenui mercede, debitam mercedem medico solvisse opinatur: De quo Seneca: *Neque adversus illum mercede defungor.* Et rursus: *Ergò nec medico in majus gratia referri potest; solet enim medicus vitam dare.* Quòd si *Hippocrates* loco anteà adducto medicum instruit, ut de mer-

[...]edicus [...]rbanè [...]it si [...]rcedem [...]igat.

Ulpianus loco supra citato.

6. De benef. cap. 16 & 3. de benef. cap. 35

Explicatur Hippocrat. locus in praced.

mercede paciscatur, curationemque ab ea monet incipiendam; hoc sanè consilium cum respectu ad immorigerum, & obtemperare nolentem ægrotum dedit, qui forsan ne sumptus perdat, quòd sic proficiant meliùs, cogitabit. Et fortassis etiam medico inserviet, qui ob quæstum artem profitetur, & reconditam illius divinitatem, majoraque mysteria, in lucrum tantum jurans, aspernatur. Quos sanè medicos secundùm ipsorum propensionem & studium optimè distinxit *Galenus*: *Apertum* (inquit) *est, medicum, quà medicus est, corporis tantùm sanitati consulere; qui verò ob aliud quid hoc agit, aliam habiturum esse appellationem. Quippè nonnulli lucri causâ medicinam exercent; quidam ob concessam sibi legibus immunitatem, & reip. vacationem; alii humanitate compulsi; gloriâ alii, & honore allecti: quatenùs itaque sanitatis opifices sunt, medici omnes communi nomine vocabuntur; quatenùs verò diversos ob fines munus illud tractant, alius humanus, alius ambitiosus, gloriosus hic, ille quæstuosus appellabitur.* Quapropter ad hoc ipsum respiciens dicebat: *Etenim nisi magna quæpiam miraq; mutatio humanarum rerum fiat, actum de bonis studiis est, utpotè confusis, ac corruptis, nemine veritatem ipsam quærente. Atqui, nisi quis sapientiam propter se ipsam exoptet*, &c. Quâ ratione *lib. Quod optim. medicus.* pecuniarum cupidos, veneficos, non medicos dici debere, scribere non dubitavit. Dicto itaque modo *Hippocrates* accipiendus; nam si aliter, & prout loquitur, accipiatur, non immeritò *Foësius*, & alii docti viri suspectum locum judicant; maximè cùm statim in eodem lib. contrarium scribat: *Neque verò exigendæ mercedis cupiditate duci oportet, nisi ut ad artem addiscendam tuos instruas; suadeoq; ne in eo vehementer nimis te geras, sed ad opum affluentiam & facultates respicias, interdumq; gratis cures; ita ut memoris gratitudinis potiorem, quàm præsentis existimationis, rationem habeas. Quòd si vel hospiti vel egeno opitulandi occasio se offerat, his vel maximè succurrendum est; qui enim ergà homines humanum se exhibuerit, is artis amore teneri censetur. Magnum enim* (ad Caium Julium dicebat *Scribonius Largus*) *& suprà hominum naturam duximus, posse aliquem tueri, & deperditam illius valetudinem recuperare. Quare* (monebat anteà) *humanitatis & misericordiæ plenus in medico debet esse animus secundùm professionis voluntatem.* Rarum sanctissimi fratres *Cosmas* & *Damianus* reliquerunt pietatis exemplum, nil mercedis loco pro morborum curationibus accipientes, & verba illa *Matthæi cap.* 10. perpetuò in ore gerentes: *Gratis accepistis, gratis date.* Propterea *Anargyri* à Græcis dicebantur, quòd gratis & nullâ mercede medicinam facerent: imò *S. Cosmas* fratri *Damiano* graviter infensus fuit, quòd duo ova à Palladia Climęa muliere accepisset, quam curaverat; & eum apud se sepeliri prohibuit. Sed quid mirum in sanctis viris hæc reperiri, cùm alioquin Mauritanæ sectæ *Haliabos* pietatis adeò plenum se præbeat, ut medicis præcipiat, ne ullam mercedem à pauperibus & egenis quærant; imò, si possint, medicamina & pecunias de suis, ipsis erogent: alioquin qui avaritiæ & invidiæ crimine flagrant, Diis & hominibus invisi erunt. Hinc semper benè meruit audiri, quod de patre suo medico refert *Ausonius*:

Lib. 9. de decret. c. — 10. — *Lib. 2. meth. cap. 5. in fine.* — 11.

> *Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ,*
> *Officiumq; meum cum pietate fuit.*

Rectè siquidem dictum est: Mortales maximè Deum imitari, quando benefici sunt; quippè Deus est mortali, qui juvat mortalem. Idcircò *Hippocrates* ad Abderitas: *Mihi ad vos venienti non natura, nec Deus argentum promiserit; at neq; vos per vim obtrudite, sed liberæ artis libera sinite esse opera. Qui autem mercede operam suam locant, hi scientias tanquam ex priori libertate mancipio dantes, servire cogunt.* Et statim: *Miserabilis sanè est humana vita, quòd ad eam totam intolerabilis argenti cupiditas velut hybernus flatus pervaserit. Ad quem morbum, insaniâ graviorem, curandum utinam medici omnes potiùs concurrerent!* Proindè optimè *Damascenus* nullam vult adhiberi fidem medico, qui pecuniæ studio & deliciis inservit: quippè illo indignum est, & ignobile, imò impium de mercede deliberare; ut & certum indicium, quòd ad lucri tantùm, non ad sanitatis collimet scopum. Hanc suspicionem adimere conatur *Scoltius* apud Cratonem, & ut hanc penitùs notam medici effugerent, nobili medico consulit, ut ad ægrum, qui jam convaluit, minimè accedat, ne videatur exigere pecuniam: eâdem ratione *Botalus* frequentes damnabat ægrorum invisiones; significare enim ait, aut inscitiam, aut extorquendi æris cupiditatem: quâ etiam ratione damnantur, qui non vocati ad ægrum accedunt, aut infami diligentiâ se accersiri curant; utrumque enim non caret ambitionis notâ. Quarè hæc omnia & hujuscemodi alia sicuti ab optimo medico debent

12. *Medicum ad ægrum jam convalescentem, si nondum solverit, accedere non debere.* — *In præfat. ad artem pravam.* — *Lib. de med. & ægri munere.* — *Medici plusquàm par est, ægrum invisentes, & qui non vocati accedunt, taxantur.*

bent esse aliena, sic avaris & imperitis tantùm relinquenda: nulla siquidem facultatis laus esse potest, nisi ambitionem omnem è mente radicitùs evellas, quæ quæstui & externorum bonorum affluentiæ innititur; imò indecorum est existimare in his, non in ejus nobilitate, & proprii finis adeptione, artis consistere præstantiam. Igitur laude multâ dignus erit artifex, qui cùm multa possit lucrari, nihilominùs thesaurisare recuset, ne artem ex se liberam servilem reddat. Ideò *Socrates* apud *Xenophontem* dicere solebat: *Quicumque vult propriæ doctrinæ mercedem accipere, ipsius venditorem se facit*: & summè admiratur eum, qui cùm se virtutis magistrum profiteatur, pecuniam tamen exigat, & non potiùs existimet maximum habiturum lucrum, si bonum adipiscatur amicum, si laudem, si venerationem; & honorem consequatur. Quarè nunquam mihi arrisit consilium Weckeri, cùm dixit: *Præmia ne promissa quidem ab his qui possunt, avarè exigat; ab his qui non possunt, nec speret quidem.* Nam sicuti hoc postremum pium & charitatis plenum, ita primum inurbanum, inhonestum, & ambitiosum est. Sed proh dolor! nostro hoc sæculo perierunt naturæ pretia; nil habemus nisi delicias, & præter opes, nullas. Alius enim per vim arripit aliena, alius fraudibus circumvenit, denegat alter debita officia, & in quem gratus esse debebat, iratum se præbet; etiam in medicum non raró, cui cùm multa debeat, & quantùm homo homini vix credere fas est, ne se devinctum fateatur, dicteriis eum onerat, & propriæ vitæ servatorem nec munere nec affectu agnoscere vult. Hæc est vilium, & inurbanorum conditio, ut quem anteà morbo oppressi ut Deum adorabant, sanitati restituti ut dæmonem intueantur; sicque hoc tempore, quo *Musæ mulæ sunt, doctaq; fama fames*, plurimos reperias, qui acceptorum beneficiorum memoriam impudenter deponunt: de quibus in epist. ad *Hippocratem* conquerebatur Democritus. *Et qui sanantur* (aiebat Seneca) *ingrati sunt*. In quos mirè quadrat *Zenonis* senarius ille proverbialis: *Si dolet, meminit; si placet, obliviscitur.* Est enim ingratus perforato dolio similis, in quod omnes immissæ gratiæ in vanum effunduntur; & consuetus mundi mos est, ut pro bonis mala rependat. Hinc videas assumpto medicamine adversùs morbum rectè præscripto, si vel sinistri aliquid ægro attulit, id omne facilè medici erroribus adscribi; si quid autem dextri, in suas extrà omnem methodum factas medicationes ex vetulæ, vel barbitonsoris consilio, vel mendaciter vel nugaciter referunt: interim docto medico, qui multis curis & molestiis, studiisque defatigatus in ægritudinis depulsione laboravit, nulla contingit laus, imò aliquando detractio, & querimonia. Horum propterea depravatos mores elegans poëta & medicus *Euricius Cordus* retulit, & quomodò cum medicis agant, noto sed salso epigrammate facetè sic cecinit:

> *Tres medicus facies habet; unam, quando rogatur,*
> *Angelicam; mox est, cùm juvat, ipse Deus:*
> *Post, ubi curato poscit sua præmia morbo,*
> *Horridus apparet terribilisq; satan.*

Sed adhuc cum majori lepore doctissimus *Henricus ab Heer* sic lusit:

> *Tres medico vultus; nam primùm quando vocatur,*
> *Iam jam adjuturus, creditur esse Deus:*
> *Indè ubi se paulùm morbi violentia fregit,*
> *E supero genius creditur axe datus:*
> *Sed cùm curato poscit sua præmia morbo,*
> *Non Deus, aut genius, sed cacodæmon adest.*

Celebris est cujusdam Hemocratis historia apud *Lucilium*, qui moriens seipsum hæredem bonorum suorum scripsit, ac summè jam ægrotans calculabat, quantùm medico dandum esset, quantumque sibi restaret, & quantum in morbo absumeret; ac nimium esse reputans, *præstat mori*, inquit; atque ita hæredibus amplius quod raperent reliquit. Cui similis est alia Critonis avari, qui cum stomacho cruciaretur, numismate, & non pulegii odore aut alio medicamento, seipsum reficiebat. Sanè ingratus beneficiis hominum animus, talia me dicere compulit; qualiter de Diodoro quodam *Martialis* hoc disticho:

> *Litigat, & podagrâ Diodorus, Flacce, laborat:*
> *Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.*

Nam ut macaronico stylo dicebat quidam:

> *Ordinet ut medicus, æger or donet oportet.*

Re-

Margin notes: 13. [left, partly cut] — ...lium ...eri. ...rcede ...ndas ...roba- [left, partly cut] — Lib. de dictis & factis ejus. — In aphor. ad prax. generalem. — Lib. 4 contro. 5. — Observat. 22. — 14. — 15.

Rectè siquidem *Laërtius* taxabat hominum insaniam, qui stultâ persuasione, curiosaque æstimatione res vilissimas plurimo emerent, pretiosas verò minimo habere nollent; quorum ineptum arbitrium *Crates Thebanus* ironicè objurgabat, sic ibidem dicens: *Ponito coquo minas decem, medico dragmam; adulatori talenta quinque, consiliario fumum; scorto talentum, philosopho triobolum. Sed horum malorum* (inquit Galenus) *in causa divites sunt, atque civitatum principes, qui corporis delectationibus dediti, cùm voluptates virtutibus anteposuerint, nil pendunt eos, qui pulchri quidpiam ad didicerunt; voluptatum tamen artifices ditant, admirantur, & extollunt, disciplinarum verò peritos tanti faciunt, quanti indigent eorum operâ, &c.* Qui sanè prudentiùs facerent, si rectiùs prospicientes officiis & opere benè merentibus debitam persolverent gratiam, probè memores quòd Ixion apud inferos in versatili rota proclamat: *Oportet benèfactoribus beneficii vicem rependere*; cùm & in brutis hanc gratitudinis curam sæpiùs natura ostenderit, & ingratos, qui nihil utile norunt, ignorantiæ & socordiæ accusans, doceat hebes animalium judicium. De quo cùm multæ pulchræque sint historiæ, illa ciconiæ sufficiat, quæ ob crus fractum ab Heraclide muliere curatum, carbunculum verum æthiopum amethystum prætervolans in sinum mulieris fertur dejecisse, si vera protulit *Ælianus*. Quandoquidem & in Leone, animalium ferocissimo, in medicatores suos, quos casus obtulerat, ingens gratitudo & lenitas, omni depositâ feritate animadversa est: de quo celebres historias apud *Appianum* Græcum, ex latinis *Aulum Gellium lib. 5. cap. 14. Plinium lib. 8. cap. 16.* & ex nostris *Ant. Guevaram* abundè videre licet, & latiùs referunt *Aldrovandus in Leonis hist. Majolus colloq. 7.* & *Camerarius operarum subsecivarum cent. 1. & 2.*

[Margin: Lib. 6. c. — Ad Posthumum cap. — 16. — Lib. 8. de animal. hist.]

QVÆSTIO VIGESIMA.

An medicus exauthoretur, si errores, in quos vel in cognitione morbi, vel in curatione lapsus est, palàm faciat, & confiteatur?

1. Barbarus quidam (scribit *Rhodiginus*) interrogatus, quid in hac quasi mundana scena maximè putaret admirabile? Hominem, respondit, omnem planè admirationis captum excedere; ut qui non animalium solùm princeps, & rationis ac mentis splendore divino, sit veluti naturæ totius interpres, sed tanquam Protheus, aut Chamelæon, dissolutoriâ quâdam potestate sese in quodvis subindè transformet. Hanc hominis excellentiam *Phavorinus* philosophus admiratus dicebat: *Nil in terris magnum præter hominem, nil in homine magnum præter mentem.* Nil enim est, per quod magis Diis immortalibus assimilemur, quàm per ipsum *scire*, ut latè probat *Tullius*; atque ideò *Galenus* hominem Deo potestate similem dicere ausus est, *& in orat. suasoria: Omnes artes etiam divinas ingenio assequitur, & cum Diis ratione communicat.* Itaque sive hominis temperiem, sive manuum structuram (propter quam *Anaxagoras* hominem sapientissimum appellavit) sive erectam figuram consideres, tam ex omnibus, quàm ex singulis illius excellentiam facilè assequêris. Siquidem ab illa exactissima temperie eximios mores & animi dotes cognosces, justitiam, pietatem, religionem, & omnium virtutum compagem, ad quas aspirat perpetuò, & erigitur. Manus judicii comites sunt & instrumenta pro armis, quibus cætera animalia omnia vincit & domat. Quid tibi non demonstrabit erecta, & in sublime respiciens facies, tanquam terrena, & reptilia respuens, altissima mentis acie subire gestiens perpetuò, & explorans? Cogita animæ potentias, memoriam præteritorum, præsentium acerrimo judicio moderationem, ac futurorum tandem irrequietâ imaginatione prævisionem. Advolat homo, & in momento immensa peragrat spatia, tranat maria; cedit, recedit, & in altissimo intellectûs conticinio erigit, destruit; cælestia, ac terrena permeat, ac si concilio interesset Deorum, ponit, disponit, ædificat, & solus per omnia, & in omnibus imperare vult; & tandem omnium scientiarum capax, illisque inexplebilis, de homine in Deum transire affectat: ut non immeritò D. Augustinus *magnum miraculum, grande profundum*, hominem appellaverit.

[Margin: Lib. 2. antiq. lect. cap. 10. — Lib. de nat. Deorum. — Lib. an animal sit. — *Manuum hominis præstantia & excellentia.* — Lib. 10. de civit. Dei. & lib. 4. confess. cap. 14.]

Ille igitur à natura licèt vestitu nudus & armis orbatus, ratione tamen munitus, hâc omnia, quibuscumque eget, sibi parat, hâc contrà omnia se defendere audet; & cum sit naturæ miraculum, & Dei imago, quasi cum eis certamen ineat, aggredi nihil recusat, perpetrare nil timet, & cupiditate motus, ac intellectu confisus, omnia sibi promittit, omnia affectat; sed quàm dispari eventu, docet ventus, fumus, & umbra; quippe dum in multa se diffundit, dum plurima audet, in quantis, proh dolor! cadit, errat, nutat! Quid mirum? Homo est, & humus; ideò hîc offendere, illic labi, ut nullo non die solet, sic nulla non hora probat. Optimè Lipsius: *Nam ego me labi & errare posse, non solùm fateor, sed debere.* Quippè *sicuti turpe est, quæ necessaria sunt, nescire; sic exquisitè cuncta, nec facile nec possibile,* dicebat Plato. *Omnium enim memoriam habere, ac in nihilo errare, divinitatis potiùs est, quàm humanitatis. leg. 2. de vet. jure enucleando.* Itaque nunquam aberrare, divinum magis est, quàm humanum; quandoquidem hominum nulli adhuc concessum. Propterea in Mercurii templo sapientiæ extabat hieroglyphicum: *Ego sum omne quod existit, & meum peplum nemo unquam mortalium detexit.* Quis enim est, qui semel non erret? aut quis qui semel tantum erret? Dubito an semper non erremus: igitur sapiens vocandus, non qui nunquam, sed qui rariùs labitur; quoniam suprà captum hominis est nunquam errare, solius optimi artificis quàm minimùm, ut doctè advertit *Galenus*, qui & optimum medicum aliquandò errare scripsit. *Et ut in Philosophia* (inquit idem) *magnos viros & clarissimos Philosophos scimus esse deceptos; ita etiam in medicina usuveniat necesse est.* De qua Plato: *Itaque ut obscuritatem plurimam mixtam habet, ita stabilitatem minimam*; quarè Hippocrates *lib. de vet. medicina: vehementer laudaverim hunc medicum, qui parùm peccet.* & statim: *Nam licèt sui ratione certitudinem promittat ars, ex nostra tamen parte adeò operosum est eam exactè addiscere, ut parùm in eâ erremus.* Præsertim in vita brevi, arte longa, & conjecturali, quæ licèt ad veritatem proximè accedat, aliquandò fallit nos, cùm inter scientiam & ignorantiam sit media. Præclarè hinc Tullius: *Signa (ait) ostendunt ab his verum; in his si quis erraverit, non Deorum natura, sed hominum conjectura peccavit.* Etenim quantumlibet eruditione quis polleat, quantò uberiorem nactus est cognitionem, quantoque disciplinis onustior, tantò se minus profecisse, & vacuum magis scientiis animum fateri debet; usque adeò, ut summam sapientiam in inscientię atque propriæ ignorantię universam denique hominis perfectionem in imperfectionis ingenua confessione, vel ipso approbante Socrate, consistere fatendum sit. Maximo siquidem illi Ecclesiæ lumini *D. Augustino* credendum est, qui in suis *Retractationibus*, decipi tam hominis proprium agnovit, ac fatetur, ut vestigia illorum errores esse scribat: nemo enim de hominis errore scandalizari debet; quin imò si aliquandò scopum attingat, admirari. Nam tu, quisquis es, qui pessimo mentis errore deceptus aliter præsumis, dic: jamne intelligis ea quę sunt sub pedibus tuis, antè oculos tuos, ad aures, & ad manus? Dic age: terra quibus ponderibus librata est? Quiescitnè, an movetur semper? Quibus cavernis sustinet maria? Nostinè causam fluxûs & refluxûs maris? arcanum profondius ipsis abyssis. Quæ substantia aëris, quem continuò trahis? Vndè spiritus formantur, quibus utitur imaginatio, sine quâ ipse intellectus non potest speculari? Ventorumnè sedem, motum, materiam nosti, ô superbe indagator naturæ, ubi ipsa veritas dicit, illos spirare quò velint, & nos nescire unde veniat, & quò vadant? animus noster ubi est? Quid est? Partes nè habet, an simplex est? Dic, medice, quis intelligit cordis motum, arteriarum, venarū valvulas, sanguinis fluxum & refluxum, & hujusmodi sexcenta, quæ tibi referre possem? O Icare! ut alas, quibus in cælum conscendere vis & spiritus, quibus mundum gubernare contendis, citò liquefactos & resolutos videres! Propterea celeberrimi medicinę authores, & pręcipui duces se errasse fateri minimè erubuêre: sic *Galenus* se in seipso ægrotante deceptum fuisse, & aliud alibi ignorasse pronunciat. Historiam etiam hominis refert, cujus morbum, nec seipsum, nec suos præceptores intellexisse apertè scribere non dubitavit. Sic Avicenna *l. 4. tract. 4. cap. 22.* sic Avensoar *lib. 1. trac. 15. cap. 13. & lib. 2. trac. 5. cap. etiam 13.* Arethæus *lib. 4. Chronicorum cap. 1.* Alsarius *lib. 31. pract. sect. cap. 15.* sic alii medicinæ Phœnices palàm & sine rubore confitentur. *Grammaticus* (inquit Ammianus Marcellinus) *locutus est interdum barbarè, & absurdè cecinit musicus, & ignoravit remedium medicus; at non ideò Grammatica, nec Musica, nec Medicina contemnenda est.* Apud *Augenium* celebres medicos sic fecisse narratur:

In politic.

Dialog. 5. de lege.

Plutarchus lib. de Iside & Osiri.

Lib. 3. prog. tex. 41.

2. aphor. 29.

6. epid. sect. 8. tex. 36.

Lib. de summo bono.

2. De locis cap. 5.

6. epid. sect. 7. tex. 1 & ad Posth. cap. 8.

lib. 7. meth. cap. 8.

Lib. 8. epist. 2.

præsertim de eruditissimo medico *Ioan. Baptista Montano*, & aliis. Quid mirum? Omnium maximum *Hippocratem* (sic eum appellat *Seneca*) qui benè noverat ingenui & docti viri esse errorem fateri, suos confiteri nequaquam puduit; imò piaculum celare existimavit, ne quis decipiatur eâdem ratione, quâ quis anteà deceptus est. Ideò se à suturis deceptum fuisse palàm evulgat; quo enim quisque doctior, eò minùs errorem suum fateri eum pudet; *More* (inquit Celsus) *magnorum virorum fiduciam, & peritiam magnarum rerum habentium: nam levia ingenia, quia nil habent, nil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaq; nihilominùs habituro, convenit etiam simplex veri erroris confessio.* Hac de causa Quintilianus: *Hippocrates* (inquit) *clarus ingenio, medendi arte illustris videtur honestissimè fecisse, quòd quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est.* In omni igitur arte, in omni scientia, in omni denique negotio, quando tam pronum est, ut & doctior quispiam hallucinetur, pulchrum sanè magis errorem fateri: illud fragilitatis & naturæ vitium est, hoc illius, qui se & illam agnoscit, & ingenui hominis argumentum. *Vitia sua confiteri sanitatis indicium est*, ait *Seneca*; quare ex eodem, *qui talia non confitentur, in illis etiam nunc sunt. Est enim difficile* (inquit Galenus) *ut qui homo sit, in multis non peccet, quædam videlicet penitùs ignorando, quædam malè judicando, & quædam tandem negligentiùs scriptis tradendo.* Hac de causa homini peccanti dandam esse veniam scribit *lib. 4. de decretis Hipp. & Plat. cap. 3.* Quis enim est qui mecum dicere non possit: homo sum, humani nihil à me alienum puto? Errare, labi, decipi humanum est, & in tanta, tamque immensa rerum varietate, multa texit sacro involucro natura, quæ hominis superant intellectum, & multa incomperta adhuc nobis restant, quæ discere non erubescam: multa denique pravè intellecta quemque habere non dubito, quæ utiliter commutari debere ipsa veritas docere potest; quandoquidem propria mutare consilia sapientiæ loco habitum semper est, in eo præsertim ministerio, quod universale habet emolumentum. Pro veritate enim, *ut Aristoteles ait*, æquum est quemquam sua decreta tollere; potissimùm in medicina, quæ in communem hominum utilitatem sua dogmata dirigit, & in qua alioquin ob momentaneam occasionis lubricitatem, experimenti incertitudinem, judicii difficultatem, tandem hominum varietatem, perfectissimi sæpè medici in varios rapiuntur errores. Quantò igitur potius insciis & imperitis id eveniet, quorum intolerabile vitium est ignorantia, præcipuè si arrogantiâ permixta fuerit. Hoc est, quod *Terentius*:

> *Homine imperito nil quidquam injustius;*
> *Qui nisi, quod ipse facit, nil rectum putat.*

Verissimum enim est, quod *Hippocrates* ait: *Imperitia malus thesaurus, malaq; opes reconditæ, securitatis animi & lætitiæ expers, timiditatis, & audaciæ nutrix.* Hi sunt qui in medicina omnibus tumentiores, ita gloriantur & superbiunt, ut non adulatione tantùm, fastu, & incessûs gravitate, sed officiosis mendaciis, & propriæ laudis pomposis commentis ignobile vulgus in sui trahant admirationem. Quis nescit quòd

> *Insipientis inest major jactantia menti;*
> *Vas etenim pleno tinnit inane magis.*

Sed suam ita ex composito celant ignorantiam: quorum tandem morbo nulla est medela; siquidem, crede mihi, & vadimonium deserere minoris æstimant, quàm ignorantiam ingenuè fateri, idque maximè illorum inscitiam prodit. Quis jam cum *Menandro* non exclamet?

> *O miserrimi terq; quaterq;*
> *Omnes, qui de se magnificè sentiunt inflati!*
> *Ignorant enim hominis conditionem.*
> *Omnis insipiens arrogantiâ & plausibus capitur.*

Sed his, cùm sint planè barbari, & totius Philosophiæ expertes, ignorantia ita mentis aciem, & rectum rationis judicium perstrinxit, ut errores agnoscere non possint, & in veri cognitione planè cæcutiant; imò falsis semper persuasionibus insistentes animos hominum venantur; eosque non modò surdos, sed & cæcos reddunt, ut illorum nec videant, nec agnoscant errata, sicuti nec ipsi sua; atque ita omnium eadem maneat sors infelix. Itaque si cuiquam, maximè medico convenit, erroris & hallucinationis suæ notitiam divulgare, ne aliis errandi existat occasio; cùm præsertim de

Marginal notes (left): 6. *Proprios errores confiteri doctis tantum convenit.* — 7.

Marginal notes (right): Lib. 5. e[...] pid. tex. 2[...] 2. Epid. sec[...] 4. & lib[...] ossium n[...] tura. — Lib. 8. ca[...] 4. — Lib. 3. i[...] stit. Rhe[...] tor. cap. — Epist. 53. — Lib. 2. s[...] cund. lo[...] cos cap. tit. quæ[...] Archigen[...] — Lib. 1. to[...] picor. — In Adel[...] pho. — In lege. — In gubernatore.

de vita hominum agatur, quæ omni auro, omni fortunâ, medicive famâ æstimabilior esse debet. Nec hoc si faciat, ullum afferre potest dedecus, cum præcipuè medicina sit ars, de quâ cum *Themistio* Philosopho dici potest: *Maxima pars illorum quæ scimus, est minima eorum, quæ ignoramus*; aut cum Erasmo: *in ea multùm profecit, qui didicit se nil scire*. Quod probè noscens *Aristoteles* medicinæ practicę difficultatem sic expressit: *Ibi namque mel, vinum, veratrum, adustionem, incisionemve scire, perfacile sanè est: sed quonam modo ad sanitatem efficiendam, & cui, & quando sint tribuenda, tanta est difficultas scire, quanta est medicum esse*. In tanta igitur artis obscuritate, apud doctos & qui scientię ambiguitatem, difficultatemque agnoverunt, minimè timenda erroris confessio: multò minus in scriptis, quæ in multorum utilitatem conscribuntur; in quibus à recto discedere, veritatem obumbrare, scelestum semper erit & malignum. Cæterùm apud rude & indoctum vulgus, & quod in medico plus credit, quàm habet, aut habere potest, siquando errare contingat, ego tacere potius duxerim, quàm peccatum fateri; ne irascantur facilè, qui difficilia nunquam agnoverunt; præsertim cùm ex tali confessione nil utilitatis ægro, aut medico accedere possit. Aliter in consultationibus coràm doctis facere expedit, ubi de salute ægrotantis magis, quàm de defendenda semel adductâ, & malè intellectâ doctrina, aut præpostero remedio approbando cogitandum est, ac elaborandum ut optimi medici re magis quàm nomine famam obtineat, & docti cum doctis; illius memor, quod à *Socrate* apud *Platonem* prudenter dictum: *Æquum est nos meminisse, & me qui disseram, & vos qui judicabitis, homines esse*; quibus ex Aristotele, *æquum est veritatis retinendæ causâ, vel nostra etiam ipsorum dogmata evertere; præsertim cùm simus Philosophi. Nam cùm utraque chara sint, tamen præclarum est pluris æstimare veritatem*; ab ea enim vinci, non solùm utile, sed decorum est. Propterea medicinæ Antesignani, ac præclari viri anteà adducti, scriptis errores suos apertè publicârunt; quorum, ut optimi judicii, vestigia secuti posteri eodem modo faciendum consulunt, ut videre est apud *Alex. Benedictum*, qui magni medici hoc esse ait, & apud *Forestum*, qui inquit: *Propterea medicus publicè errata sua confiteri non erubescat, si fortè decipiatur, cùm multis modis decipi possit*. De quo argumento vide, si placet, Tiraquellum *lib. de nobilit. cap. 3. nu.* 500. & 502. eruditissimè disserentem, & ex medicis Zacutum *lib. 1. de Princip. hist. dubio* 50. & *lib. 3. praxis mirandæ obs.* 140. Itaque te, qui medicus pro hominum salute reparanda sanctè jurasti, exhortor, ac, si fas est, deprecor, ut inscitiam tuam accusare non pudeat: sicuti enim nil turpius, quàm illud profiteri quod nescis; ita nil honestius, quàm quod nescis, ingenuè fateri te nescire; & præcepta, quæ prima putabas, si rebus non consentiant, repudiare ne erubescas: neque unquam putes, te eò pervenire posse, ut tempus non afferat aliquid novi, quod admoneat, ut illa quæ te scire credebas, nunc ignorare agnoscas, & quæ prima putabas, explodenda tanquam postrema judices. Quò enim quis doctior, eò plura ei restant discenda: imò falli, atque errare adeò pronum, ut scitè in suis *retract.* errores esse vestigium hominis *D. Augustinus* scripserit.

Lib. 5. Ethicor. ad Nicomach. cap. 9.

Lib. collect. cap. 1. Lib. 3. de urin. judic. cap. 1.

9. [...]tatio [m]edicos [...] erro[...]ues [...]ten.

QUÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

Medici indocti, & rudes empyrici, & pseudomedici quarè non rarò vulgo magis placeant, quàm docti, & sapientes?

TRadit *Galenus*, omnes qui aliquid agunt, vocari medicos; quod *quæst.* 2. latius jam demonstravimus. In qua sanè consideratione *Chassanæus* quemdam scribit Ducis Mediolani aulicum, cum apud Ducem quereretur de fratre suo, quem ob medicorum incuriam & inscitiam (si fortè non vi morbi) interiisse dicebat, unum Carolinum impositionis petiisse super unumquemque medicum sui Dominii; quod facilè concessit Dux, putans deridere aulicum; qui aliud in mente habens, civitatem perambulans, apud unum de dentium dolore, apud alium de ventriculi cruciatibus, & aliundè apud alios innumeros infirmum se fingens, atque omnes qui remedia præscripserant, inveniens medicos, quòd singuli medicamenta dedissent, plus exegit, quàm Princeps cogitaverat. Similem historiam affert *Saxonia* de Gonella Nicolai Marchionis Ferrariensis joculatore insigni, ac summè faceto, qui etiam

Ad Thrasib. cap. 24. Parte 11. Catalog. gloriæ mund consid. 48.

In dedicat. ad Pantheum, & apud Lemnium. lib. 1. de occul. c. 17. in fine.

etiam ipsum Marchionem lepidè decepit, in similium medicorum numerum eundem adscribens, cum quo certaverat, nullius artis, quàm medicæ, plures in civitate inveniri professores, nec majorem numerum; quod ex multorum (exhibitâ ab eis remediorum summâ, apud quos se infirmum pelle, ore, & gutture obvolutis simulaverat) tabulâ inscriptis nominibus comprobavit, atque pecuniam ex pacto numerari expostulabat, quam convictus Marchio solvi imperavit. Rectè quidem advertit Joubertus *lib. 1. de errorib popul. cap. 7.* rem esse admiratione dignam, quòd cùm medicina scientia adeò obscura sit, & arcana, ut nil magis, nihilominùs nemo tam idiota sit, quin judicium ferat de medicorum scientia. 2. Cæterùm his duabus historiis nil aliud insinuamus, nisi quod apud omnes notissimum est, nempè rarissimum fore aliquem invenire, qui in hoc aut illo morbo aliquid remedii non præsumat consulere; imò non pauci tantâ aliquandò fiduciâ, ut si in aliquo casu benè accidisse observarint, etiam in cæteris jam morbis quoscumque adjuvare posse credant laborantes; à quorum etiam inscitiâ laudibus efferuntur: quo fit ut vanâ hâc persuasione elati, omne medicinæ jus sibi arrogent, seque in morbos imperium habere jactent. Et hâc tantummodò de causâ, & fortuito remedii casu non rarò pseudomedicorum, & empyricorum accrescit barbara multitudo, ut uno naturæ fortè auxilio, non imposturis, sanato, multorum posteà cædibus impunè sæviant.

Horum itaque improbitate eò jam res devênit, ut nescias an medicina sit ars, & quis eam verè profiteatur, dum sese tot Phormiones inepto aliquo experimentiolo confisi pro medicis ubique venditant; quales præcipuè sunt tonsores, pharmacopæi, vetulæ, & sanguinarii alii carnifices. De quibus *Plato* jam audiendus: 3. *Num igitur intelligis, cùm servi & liberi in civitate ægrotent, servos à servis plerumque curari? Qui & in medicorum officinis versantur, & omnia circumeunt, nec rationem ullam de singulis morbis aut reddunt, aut accipiunt; sed quæ usu prodesse videntur, quasi exactè scientes, tyrannorum instar, superbè & pertinaciter imperant, atque ita à servo ad servum medentes transvolant.* Quales verò isti sint medici, & quàm à veritate deflectant, idem *Plato* in Phædro declarat in hunc modum: *Si quis dicat; Ego quidem illa scio corpori admovere, quibus & calescat pro arbitrio meo, & frigeat, & vomitus, & dejectiones, & alia expurgationes perficiantur, & hujusmodi plurima teneo, quibus cognitis & medicum me esse profiteor: quid alium responsurum autumas?* Phædrus; *Nil aliud quàm percunctaturum, numquid etiam sciat, quibus, quando, & quousque singula horum sint adhibenda? Quod si nesciat, necessum est eum insanire, qui quòd quidquam audierit, vel in medelas nonnullas inciderit, medicum evasisse se putet; cùm nec artis aliquid intelligat.* Similia admodùm sunt, quæ *Chrysostomus* lib. 12. in acta: *Extruat* (ait) *quis officinam medicorum, habeat etiam discipulos, habeat & instrumenta, & pharmaca, & ingrediatur ad ægrotos: numquid sufficient hæc, ut præstet nobis medicum? Minimè, sed opus est arte, & sine illa, non solùm hæc nihil prosunt, sed etiam damnosa sunt. Etenim qui non est medicus, melius fuerit neq; pharmaca habere; quoniam non natura pharmacorum est salus solum, sed in arte adhibitis.* 4. Insaniunt certè, dum æris lucrandi cupiditate tantum facinus nullo conscientiæ stimulo temerè aggrediuntur: sed multò magis vulgus & miserrimi ægrotantes insanire videntur, quorum ruditate patrocinati in medicorum albo numerantur; imo optimos quosque calumniari tentant, ut multitudini placeant; quæ tantæ ignorantiæ non rarò in ipsorum empyricorum manibus pœnas luit, nam uno præ temeritate emergente, centum dehiscunt; quoniam, ut optimè advertit *Pareus*, felicem unum aliquem quem sors dederit jactum, mille posteà errorum dispendio luunt. Quippè illorum præposteris medicaminibus non solum morbi plerumque non curantur, sed recrudescunt; & magis horum remediis, quàm propriis ægritudinibus laborant, qui morbo jam affecti, periculosiorem horum auxiliis fieri non agnoscunt, certamenque se cum his medicis tanquam cum hostibus potiùs, quàm cùm morbis inire non advertunt, & ab illorum medicinâ magis quàm à morbo ægrotare non vident. Rectè quidem *Angelus Politianus lib. 2. epist.* ad Nicol. Leonicenum: *Doleo* (inquit) *generis humani vicem, quòd in se grassari tamdiu impunè tristem hanc inscitiam patiatur; atque ab his interdum vitæ spem pretio emat, unde mors certissima proficiscatur. Quis enim non videat plus esse à medico, quàm à morbo periculi? Siquidem & morbus alius pro alio curatur, & alia pro aliis remedia afferuntur, &c.* Sunt enim potissimum horum hominum curationes supplicia quædam,

Dialogo de lege prope finem.

Lib. 1. cap. 1.

qui-

quibus æger dignè luit pœnam accersendi medicum imperitum, qui non tam armatur Æsculapii pharetrâ contrà morbos, quàm inscitiâ, & temeritate ambitionis contra ægros; quibus (ut facetè quidam sacræ Theologiæ Doctor) ideò pecuniæ offerri debebant & alia munera, non ut illos pro industria & labore remunerares, sed ut pacatos habeas, ne crudeliter sęviant. Cautiùs proindè *Pausanias* à morbo convalescens, cùm à rudi & indocto medico interrogaretur, *An quid mali persentisceret?* respondisse fertur: *Nil mali sentio, quia te medico non utor.* At cùm ab ipso increparetur, quòd illa diceret, cùm tamen illius operam & opem nunquam fuisset expertus; acriùs retorsit Philosophus: *Rectè quidem; nam si te unquam medico usus essem, jam te non increparem ampliùs.*

Sed ista cùm omnis literaturæ rudis plebecula advertere minimè possit, nedum intelligere, fortuitum aliquem casum in imperito homine admiratur, & doctissimorum assiduos & optimos successus parvi pendit: & certè possunt excusari, quia majoris admirationis est, quòd qui facit aliquid quod nescit, aliquando assequatur, quàm quòd qui scit, sæpiùs id consequatur, ut ex *Platone* notat *Galenus*. Et sanè multæ alię sunt rationes ob quas in nugatoribus his & agyrtis magis sibi vulgus complaceat: prima namque est sympathia quædam, quâ iners, & omnis bonæ disciplinæ expers popularis inscitia cum similibus facilè cohæret, interceditque inter eos facilis connexio & amor, ut suæ conditionis homunculum extollant; tamquam de ipsorum ruditate aliquid emergat, quod in sublime caput erigere tentet. Deindè indocilis, & ingenio rudis nebulo, cùm optimi ac docti nomen acquirere se non posse videat, facilè se cujuslibet ægrotantis moribus & palato accommodat, ut sic ægrotis gratior fiat; hi quippè cùm se aliter ex scientiæ doctrina, quâ prorsùs carent, ascendere posse minimè sperent, totam industriam & conatum ponunt in frequenti invisione, & famulitio, ac in concedendis ægro jucundis omnibus, quæ appetit, nullo morbi respectu, sed gustui inservientes; quos propterea merè adulatores, non medicos vocabat Galenus: *Qui cubantis deliciis subscribit, & ejus voluptatem, non sanitatem pro meta gerendorum habet, adulatoris officium facit* Quarè 11. *meth.* 15. & 6. *epid. sect.* 4. *text.* 8. divites, quàm pauperes difficiliùs curari dicebat, quòd ipsorum gustui magis inserviant prædicti medici, & quòd quotidiè aliquid circà eorum corpora fieri curent; quâ solùm de causâ similes medicos ægrorum hostes & inimicos jure optimo appellabat, non naturæ ministros: eoque loco abundè adversùs illos disputat, quin & latronibus eos assimilat; nam sicuti hi in montibus, sic illi in civitatibus insidias parant quia ut optimè notavit Botalus: *Non rarò evenit ut cùm officiosissimi esse volunt, eo tunc sint maximè noxii.* Hoc enim est illorum artificium, ut cùm ex optimis scientię regulis curationes instituere non valeant, remediorum multiplicitate supplere, ac complacere studeant, nullâ ratione, aut methodo applicatâ. Longè siquidem hi distant ab *Hippoc.* sententia 6. epid. sect. 2. text. 19. *Contraria contrariis adhibere, & quiescere.* Duę sanè præcipuę totius rectæ curationis partes; hoc enim summè pręcipiebat *Livius*, ut ex ipso refert Massarias cap. de cholera: *Optimos imperatores, ac doctissimos medicos sæpenumerò nihil agendo plurimùm proficere; illos de hostibus, hos de morbis insignes victorias reportare.* Nisi enim medicus noverit festinare lentè, ocyssimè in pœnitendos errores incidet; quos non anteà videbit, quàm irremediabiles esse cognoscat.

Hoc velim animadvertant empyrici, qui recondita sua experimenta; ut aliis ignota, vafricie ac dolo summè extollunt, ut alta, & aliis abstrusa sapere videantur, ut non immerito dixerit Salustius: *Gloriam & honorem bonus & ignavus affectant, & æquè sibi exoptant; ille verâ viâ nititur, huic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit.* Ita enim vaniloquentiâ jactandique fastu horum aliqui turgent, ut varias artes summamque sapientiam sibi attribuant, ac exprimere videantur; nam si cultum inspicias, Deum esse judices; si loquentes audias, satrapam loqui putes: sed si attentiùs circumspicias, nebulonem invenies; si scientiam examines vilissimum scurram agnosces. Sed horum omnium in causâ sunt divites (dicebat optimè *Galenus*) qui voluptates virtutibus anteponunt, & illorum artifices ditant, admirantur, extollunt; & corporis delectationibus dediti, nihili pendunt illos, qui pulchri aliquid addidicerunt: siquidem apud ipsos divites, non qui meliùs artem callent, sed qui adulari aptiùs noverunt, in pretio magis habentur, ut *lib.* 1. *meth. cap* 1. latiùs scribit.

Secunda ratio est, quia cùm natura sit potissima morborum medicatrix, & ipsa so-

Lib. ad Erasistratæos. cap 6.

Lib. 12. meth. c. 1.

Lib. 1. de diebus decret. c. 11.

Lib. ad Posthum. c. 4.

Lib. de medici & ægri munere.

De conjurat. Catilinæ.

Ad Posthu. c. 1.

sola sæpiùs morbos curet, illi qui omnia sibi arrogant, & naturæ potentiam non agnoscunt, quemadmodum etiam vulgus, suis medicamentis effectum tribuunt, qui naturæ & viribus ægri debetur; atque inde continuò apud alios prædicant, multos à morbis operâ suâ liberatos. Sed quàm turpiter hallucinentur ipsi, & miseri qui hoc credentes se illorum manibus committunt, facile est advertere: nam si fingamus aliquem continuâ febre ægrotare, accedatque horum aliquis imperitus, ac stultus, qui venam frustrà secet, purgansque medicamentum in summa humorum cruditate exhibeat, cæteraque contrà totius artis regulas operetur, intempestivè multa alia moliatur, permittatque fieri; ægrotantis tamen natura septimo vel alio critico die resurgat, licèt multis debilitata viis, exhausta modis, erratis oppressa, protrudatque materiam, & sudore, hæmorragiâ, vel aliter expellat, aut paulatim evacuando vires assumens revalescat, & sanitati patientem restituat; dicet tunc nequam ille, se servasse, quem Deus, & natura servavit, imò ipse, quantum in se fuit, peremit. Atque hujusmodi casus tam multi assiduè contingunt, ut imperitorum insolentem inscitiam non solùm obtegant, sed econtrà etiam patrocinentur, & doctos apparere faciant ineptissimos ardeliones, curasseque videantur, cùm tamen nullum servent. Sanè nullibi fallacia major, quàm in medicina; in quà sæpissimè alicui medicamento morbi alicujus sanatio tribuitur, quæ non ab eo provênit, sed vel à naturâ, vel ab aliis anteà remediis optimâ methodo adhibitis, & à prudenti expertoque medico ordinatis, ut pulchrè advertit *Sennertus*. Quod celebri historiâ confirmat *Fabricius Hildanus*, qui cùm aliquandò hominem ex dolore curaret, eique ex arte optima remedia adhibuisset, quibus morbus jam fractus ad exitum properabat; moræ impatiens æger alium accersiri fecit: qui omnia ex ratione peracta comperiens, aliqua tamen, ne asymbolus veniret, præscripsit; quibus statim morbus, qui pænè jam devictus erat, ex toto quievit: quo factum est, ut lætus æger, & maximè gestiens, huic pro unica invisione abundè satisfecerit; qui acceptâ amplâ mercede, *Hildano* jam jam venienti obviàm factus, *Domine* (inquit) *tu sementem fecisti, ego messem.* Ita etiam idiotis his non rarò evenire conspicitur, ut non immeritò dixerit Plato: *Peritiam ars, imperitiam fortuna sequitur.* Et Galenus 5. de locis 7. *Sæpè fortuna adipiscendæ laudis non levem ansam præbet*: sed multoties adeò est improba, ut sæpissimè coronet ac beet illos, qui non vicerunt, aliorum verò optimis successibus invideat; de quo latiùs *Quæst.* 17. multa diximus. Cæterùm cùm illa remediorum applicatio & recta industria nec à vulgo, nec à laborantibus cognosci possit, ideò pauci admodùm sunt, qui sapientem medicum ab agyrta & balatrone secernere valeant; imò evenit aliquando, ut sapientior reputetur, præsertim si linguâ magis solutâ fluensque videatur: quo sanè commento à turbâ præcipuè populari judicatur superior, atque corporum statim fit princeps, si loquendo polleat, ipso attestante *Plinio*; de quibus, quod olim de insigni illo mendacium Ephemeridum scriptore *Nostradamo*, haud dubiè rectè dici potest:

Lib. 5. prax. p. cap. 30.

8\. *Cent. 5. observ. 5.*

Dialogo Gorgia.

Vulgus quare optimum medicum à malo distinguere non valeat.

Lib. 29. c.

Nostra damus, cùm verba damus: nam fallere nostrum est,
Et cùm verba damus, nil nisi nostra damus.

9\. Quandoquidem in curatione doctos ab indoctis distinguere etiam difficile est apud vulgus, qui hoc intelligere minimè potest, nec medicas dissertationes assequi; & cùm eisdem instrumentis omnes uti videat, exitum tantùm quærit, & secundùm illum judicat, cujus licèt acta probari soleant, tamen in medicina ambiguus est, & fallax. Siquidem quemadmodum natura adeò aliquandò dejecta est, & languida, ut nullo opportuno medicamine assurgere queat; ita sæpiùs robustior etiam invenitur, ut non tantùm morborum vim, sed ignari & maligni medici errores ferat, vincereque possit, ac superet, sicque aliquando non arte aut industriâ, sed casu quodam ex voto succedit curatio: quo fit, ut vulgus, qui exitum tantummodò requirit, nilque ultrà considerat, rationem rerum ignorans, bonum medicum malum, & malum bonum judicet. Hoc tamen erroris plenum judicium, non doctiorum, sed vulgi, & indoctæ plebeculæ proprium est: sapiens enim attentè circumspicit, ut inscium à prudenti & docto dignoscat; vulgus verò motui cedit, & nullâ ratione nixum, opinione, & non veritate ducitur; ut meritò dixerit Plutarchus: *Quod vulgo placet, id sapientibus displiceat necesse est*: quoniam, ut inquit *Demosthenes*, quid eligendum, aut omittendum sit, nunquam novit. Atque ideò Seneca *Nullum*, ait, *extare majus argumentum malæ, imò pessimæ rei, quàm turba popularis delectum.* Siquidem, ut pro Pla-

Vulgo nihil bonum aut doctum placet.

10\.

Lib. de educatio.

De brevitat. vitæ & epist. 29.

Planco Tullius, *In vulgo non ratio, non mens, non consilium est; proindè rectè veteres, ea quæ populus fecisset, ferenda esse, non laudanda duxerunt.* Propterea sapienter *Plinius* junior: *Quod nequaquam blandum auribus imperitorum, tantò majorem gratiam apud doctos habere debet, quantò minorem apud indoctos.* Nam ex comico *Aristophane*:

Lib. 3. de artic. text. 47.

Qui multis placuit, vix uni perplacet; at qui
Displicuit multis, hunc sophus omnis amat.

Et iterùm:

Apud eruditos qui nihil valent, apud
Plebem imperitam præminent facundiâ.

Sed hanc vulgi inscitiam quis curare poterit, & mentis illius errorem discutiet? Quisque enim suo simili capitur, & vesania plerosque tenet; hac de causa similibus suis medicis lucrum offerunt, ut notavit *Hippocrates*: sed in quanta deceptione versetur illorum mens, quantoque misera illorum vita pendeat infortunio, artis & operis difficultas satis ostendit. Risu, aut lachrymis potiùs dignum est, equorum aut asinorum lapsam salutem non nisi veterinario, & experto mulo-medico tradi; hominis verò vitam & salutem mulierculis, herbariis, tonsoribus, & omnibus absque discrimine agyrtis, & indoctis. Galenus 5. *meth.* 7. nec juvenibus medicis fidendum ait; vulgi imperitia non nisi imperitos ac inscios quærit. *Hippocrates* vitam & quidem longævam vix ad medicinam addiscendam sufficere judicavit; suam infelix æger fidenter committit medico, qui nec prima elementa novit; qui summâ fiduciâ sanitatem promittit, & quibus remediis consequenda sit ignorat; multa proponit, sed quæ illa sint, & qualiter adhibenda, hoc nescit. Sciret, aut abstineret potiùs si crederet *Herophilo*, qui medicamenta dicebat nil esse, nec aliquid magnum præstare posse, nisi commodum administratorem nacta fuerint; imò sine ipso non magis usui esse, quàm damno: & qui talis non est, ac optimus administrator, quem consecuturum finem sperat? *Fabrum sanitatem fecisse accidens est*, dicebat *Aristoteles*; non enim est aptus, sed medicus: huic quæ illius sunt, relinquenda clamat Horatius; *Fabrilia fabri.* Sed quorum ingenia, nec ad servilia apta sunt, ad naturæ abscondita penetrare audent, & humana corpora tamquam lapides aut ligna tractant. Miraberis, aut ridebis potius, si quibus nec ingenium ad mechanica fuit, ad curandos morbos jam derepentè se accingant, & magis si aliquando quid præstent; sed mirari desine: illic artificis solum operatur industria, in his natura magis; & quia multoties hæc sola sufficit, quod fuit illius opus, deceptori, & agyrtæ tribuitur; inepto prorsus judicio. Fac ut ipsa minus valens medici imploret manus; si optimum invenit, plerumque relevatur; si pessimum, quam tibi promittis spem? Nautis medicos comparavit *Hippocrates*, qui in tranquillo mari quomodocumque benè navem gubernare sciunt; sed si tempestas eandem arripit, tunc peritus naucleros desideratur, alioquin impinget navis; atque ideò D. Paulus dicebat: *Cessat enim in tranquillitate peritia, nec nomen præstat artifici, nisi fuerit vis magna periculi.* Tuum jam medicum considera omnem rectam viam ignorantem, dicentem tamen: juvabo ægrotum, evacuabo, nutriam, venam secabo. Quid præstabunt hæc sine ratione, sine tempore, sine ordine, & sine ulla artis observata regula? Potens natura sæpè sine his sanavit, & cum illis non rarò succumbit: siquidem talium cogitationes nil aliud sunt quàm somnia plena obscuritatis, & ænigmatum. *Ad hunc sanè modum* (prosequitur Hippocrates) *improbi rudesq; medici dum leviter affectos curant, in quibus vel gravissimi errores commissi nil periculi admittunt (cùm multi hujuscemodi morbi ac longè frequentius, quàm graviores, hominibus contingant) in his quidem si delinquant, plebejos latent: ubi verò in vehementem ac periculosum inciderint, tum ipsorum ars, & errores omnibus sunt conspicui; horum enim cujusque vindices pœnæ prastò sunt, nec longùm differunt.*

5. method.

Lib de prisca med.

Epist. 26. & 30.

Cautè igitur attende, & prudenter adverte incertam valdè, & pænè impossibilem esse remediorum inquisitionem, mortis mille modos, ut doctissimus vix, quid facto opus sit, judicare valeat. Quoties hunc post obitum damnas, & remedium, quod in tempore attulit, quòd non sanaverit, etiam post mortem culpas? tamen ut ab illa evadas, indocto fidis, imperitum, ac empyricum accersis,

Immemor hos semper dare verba, & vendere fumos.

13. Qui futilibus, & nugis te circumvenit, mortisque potiùs quàm vitæ prescriptionibus ad eam deducit: quotus enim quisque est, qui novit ægro mortuo aut restituto, utrùm casu, naturæ vi, aut consilio acciderit? Hinc sæpissimè fit, ut impostor palmam,

mam, doctus censuram referat; & ea est hominum credulitas, & ingenii infirmitas, ut sæpenumerò agyrtam, idiotam, aut aniculam sagam erudito anteponant medico; & illos constat omnibus temporibus famâ & vulgi opinione quodammodò rivales hujus fuisse, & curationum celebritate solitos contendere. Causam suspicor potissimam, quia omnes propemodùm artes & scientiæ ex virtute suâ & functione, non successu aut opere judicantur: Advocatum ipsa agendi, aut dicendi facultas, non exitus causæ commendat; gubernatorem navis clavi tenendi peritia, non expeditionis fortuna probat; docendo aut concionando scientiam ostendit Theologus, pingendo pictor; & mechanica etiam officia operis ingenio, & industriâ commendantur, artificisque talentum manifestum faciunt: medicus solùm vix habet actionem propriam, quâ artis specimen, & exercitationis suæ liquidò exhibeat, cùm illius sufficientia velut in fide consistat; imò ab eventu præcipuè honorem aut dedecus reportat, iniquissimo prorsus judicio, & solertissimus medicus tantum infortunium vix unquam effugiet; siquidem in tanta caligine & errore multitudo versatur, ut ipsa veritas proclamet: *Mundus vult decipi; decipiatur.*

Passim toto hoc opere horum hominum, qui non nisi de humano corio ludunt, technas, vafriciem, & dolosas artes, quibus ægrotantium vitæ insidiantur, satis deteximus, & quæ ab *Hippocrate*, *Galeno*, & plurimis aliis de hac re scripta sunt, adduximus, quibus lucem ad tantam ex animis ignorantiam tollendam adferre, & erroneas hominum mentes edocere conati sumus: sed sicuti cæterorum, ita irritum laborem nostrum conjectamus. Inscio quippè vulgo, densisq; amentiæ nebulis immerso, quis poterit lucem afferre? Ad vanissima, & nova præcipuè cæco ductu labi pronum, quis valeat continere? Quis rationem addere, ut fræno probi gubernetur judicii? Scelestam verò empyricorum, & omnium aliorum avaritiam & temeritatem, quibus in omnia audaces de omnibus ægritudinibus judicare contendunt, & in omnium vitam tanquam audacissimi hostes sæviunt, quis poterit reprimere, aut compescere? etsi cum Arabe Ametho diris illos execretur: *Descendat de cælo ignis, & spiritus procellarum, qui faciat eos esse de suburbanis Sodomæ, & Gomorræ.* Quoniam, ut Cordubensis *Averroës* dicebat, *peiores sunt spoliatoribus mortuorum, qui solùm vestimenta deportant.* In quos *Damascenus* invehitur: *Eos esse, qui medicinæ fundamenta, & artium doctrinam penitùs negligentes, vulgarium simplicitate & ruditate obvoluti loculos priùs emungunt, dum in hominum vitam lanienam exercent.* Quis igitur jam cum *Marcello Palingeno* non exclamet?

14. [In proœmio de Tenenis.]

> *O miseræ leges, quæ talia crimina fertis!*
> *O cæci Reges, qui rem non cernitis istam!*
> *Vos quibus imperium est, qui mundi fræna tenetis,*
> *Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem.*

quæ per orbem sensim ac furtim vagatur, ac tanquam Hydræ capita quotidiè emergit, Archiatrorum & Magistratuum, qui clavo assident, culpâ & non ferendâ oblivione; quos ideò *Adamus Contzenius* prudenter admonet, & increpat, ac inter utiles præceptiones, quas Principibus & Rebuspublicis scripsit, hanc ut admodùm necessariam adjungit: *Medicinæ curam oportere esse maximam, atque inprimis medici doctrinam sedulò ac severè explorandam; ut ad exercendam eam, vel docendam, nemo nisi diu accurateq; doctus admittatur.* Et quoniam Academici honores tituliqùe indignis sæpiùs conceduntur, Principes & Magistratus monet eisdem stari non debere, ut si quis alicujus Academiæ testimonio instructus veniat, is medicus statim censeatur. Quid enim indignius, quàm eum, qui aliquot aureis titulum emit, habere jus publicum occidendi? Hos itaque leges improbant, & inhibent *lib. 6. §. Sed improbari. Imperito quippè medico, si ægros curandos susceperit, capitale esto; quamvis fortè curaverit.* Nam bonus exitus ex Deo est, ipsius verò temeritas ægrum perdit. Dedisse philtra, capitale semper fuit; quia dubium medicamentum obtulisse, cædis reum facit; & medicus imperitus certus esse non potest, sed semper anceps hæret, salubréne pharmacum, an venenum obtulerit? cùm si tunc prosit, casu id faciat (ut ex *Aristotele* suprà dicebamus) non scientiâ; quæ ubi deficit, non vacat scelere, illa fecisse, quæ ignorantiâ officere certiùs, quàm prodesse poterant: idiotis in errorem incidere maximè pronum est, & proclive, & hominis vitam qui dubitanter ac inscius curat, contemnit potiùs, quàm adjuvat; nec ipsius error plerumque, nisi cùm desperata res est, agnoscitur. Tanta ergò temeritas gravi pœnâ, etiam capitis, coërcenda meritò

[Lib. 4. cap. 25.]

15

fo-

foret; sic forsan vici non ita nebulonibus & idiotis abundarent: adversùs quos legum vigor non minùs armari deberet, quàm contrà grassatores; cùm plurimos perimant, illosque jurisconsulti & Theologi cædis reos agant. Quippè ut appositissimè D. Gregorius: *In præcipitium pedem porrigit, qui mensurarum suarum limites non attendit; & sæpè amittit quod consequi poterat, qui indiscretè audet arripere, quod nequibat.* Qui enim parcit malis, nocet bonis; &, ut aliàs dicebamus, *Quid leges sine moribus vanæ proficiunt? Quid tristes querimoniæ? Si non supplicio culpa rescinditur.* Sed hoc est nubes verberare, aut Isthmum perfodere. Sed quandoquidem jure, aut legum vi nec arcentur, nec puniuntur, scommatibus, ac jocosis probris liceat eos insectari, de quibus rectè *Ianus Douza*:

In moral. lib. cap. 28.

> *Abi idiota, circulator hinc abi,*
> *Facesse agyrta de foro;*
> *Quibus loquacis affatim arrogantiæ est,*
> *Peritiæ parùm, aut nihil,*
> *Nec ulla mica literarii salis,*
> *Crumeni-mulga natio,*
> *Locutuleja turba, abite simii,*
> *Abite carcinomata,*
> *Iatricem professa lotio tenùs*
> *Sophisticoq; schemate.*

His quippe merè quadrat elogium, quod non ignarus quidam in illos effutit: *Medicorum est honestè vestiri, strenuè mentiri, audenter occidere*; quoniam, ut affert Tiraquellus: *A medico indocto, à cibo bis cocto, & à mala muliere, libera nos Domine.* Quis enim dubitet hujusmodi impostores ipsis etiam prædonibus longè nocentiores esse? Cùm hi pecuniam tantùm viatoribus, nec impunè tamen adimant; at illis, cum vitam & pecuniam ægris eripuerint, etiam merces & gratia referatur. Rectè proindè Genadio medico fuit à *Palladio* inculcatum his verbis:

Tra. de pœnis causa 56.

> *Iudicium melius fuerit subiisse latronis,*
> *Genadii medicas quàm petiisse manus:*
> *Ille etenim cædes sanctè execratur & odit;*
> *Hic pretium capit, & ducit ad Elysios.*

Parùm enim docti, nec satis seduli (ut cum *Sidonio Apollinari* loquar) multos officiosissimè occidunt: sed utilitatem quidem, & eruditionem in medico requirit *Celsus*; ast sedulitas sine doctrina magis nocet quàm proficit. Hinc author libelli *de moribus medicorum*:

Lib. 2. cap. 12.
Lib. 3. cap. 4.

> *Ignavi medici demit medicina salutem;*
> *Dum prodesse putat, semper obesse solet.*

Quare Scribonius Largus ad C. Iul. Cæs. *Quid possum ultrà dicere, nisi genere quodam parricidium eos committere?* Propterea inter eos qui sanguine vivunt, medicos enumerabat *Arthemidorus*; homicidii quippe crimen est, in hominis salutem peccare, ut est apud *Cassiodorum*: cumque nulla lex esset, quæ puniret inscitiam capitalem, & medicis impunè liceret occidere, pœna tandem capitalis in eos promulgata est, qui imperitiâ homicidium commisissent, ut ex *Paulo lib. 5. sentent. tit. 23. in fine, & l. illicitas 6. §. sicuti, de officio præsidis*, & aliis locis probat *Savaro ad Apollin. d. ep. 12.*

Lib. 1. cap. 36.
Lib. 6. epist. 19.

QUÆSTIO VIGESIMASECUNDA.

In verbis an aliqua vis ad morbos curandos?

NOn contemnendæ authoritatis viri tantam efficaciam in verbis reperiri credunt, ut illis morbos curari posse tradant. Insignis juris doctor Tiraquellus, *Plinium* hanc habuisse opinionem affirmat; & sanè exempla plurima affert *Plinius*, quibus sæpius visum admiranda multa, carminum vi, & verborum opere effecta: sed cum in capitis initio dicat idem *Plinius*, hanc quæstionem diu agitatam

2. de nob. quæst. 7. nu. 302.
Lib. 28. cap. 2.

tam

ram, semper incertam extitisse, & sapientissimos quosque non adhibuisse fidem; nec illum præstitisse putarem, quod si palàm negare ausus non fuit, certè nec asserere: ac proindè addit in fine capitis, talia prodendo ingentem sibi obstare verecundiam; propterea concludit: *Libitum fuerit cuique opinari.* Verùm *Ficinus* tam longè abfuit, ut de hoc dubitaret, ut etiam multis probare conetur: *In verbis* (inquit) *certis vim esse certam atque magnam Origenes asserit contra Celsum, & Sinesius, atque Alkindas de magia disputantes; item Zoroastes vetans barbara verba mutare; Iamblicus quoque similiter. Item Pythagorici, verbis & cantibus, atque sonis mirabilia, Phœbi & Orphei more, facere consueti. Quod Hæbreorum antiqui doctores præ cæteris observârunt, omnesq; Poëtæ miranda canunt carminibus effici.* Concludit post multa: *Quorsùm hæc? Vt intelligas quemadmodum ex certa herbarum, vaporumq; compositione confectâ per artem tum medicam, tum astronomicam, resultat communis quædam forma, vel harmonia quædam siderum dotata muneribus; sic ex tonis. &c.* Hâc ratione refert ex Homero *Plinius*, Ulissem carmine sanguinis prosluvium inhibuisse vulnerato femine. Quod de Autolici filiis Poëta scribit, non de Ulisse. Theophrastus sic Ischiadicos sanari tradit. *Cato* luxatis membris carmen auxiliari prodidit: luxatum si quid excantes, hâc cantione sanum fiet; *Motas, danata, daries, dardaries, est ararāries.* Id est: stultus quadratus; & pro eodem affert: *Haut, haut, haut, ista, pista sixta Damiano, Danaustra*, seu multarum nugarum plurima plaustra; item hoc modo: *haut, haut, haut, istagis Turcis, ardanabon damaistra*: sic eveniunt sinistra. Multa sunt præterea quæ de verbo *Agla* à fabulosis fabulosa traduntur; multa de *has has, nachas nachas, bela bela, ce ce*, lingua certè dæmonis, & sermo illius academiæ valdè familiaris ac consuetus. Similia leguntur alia ad canis rabidi morsum; ut in pomi frustulo, *hax, pax, max Deus adimax.* Ad sanguinem fluentem, *soc non, soc non*, item, *Charat, cara, sarite, consona imabolite*; item hoc ad odontalgiam: *Galbes, galbat, galde, galda.* Et quo risu excipiendum non sit illud quod Q. Serenus pro Hæmitritæo depellendo scripsit de verbo ABRACADABRA in coni figuram.

Lib. 3. vita cæl. cap. 21.

Lib. 9. dissert.

In re rust. cap. 6.

2.

ABRACADABRA
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

Inscribis carthæ quod dicitur ABRACADABRA,
Sæpius & subter repetis; sed detrahe summam,
Et magis atque magis desint elementa figuris
Singula quæ semper rapies, & cætera figes
Donec in angustum redigatur litera conum.

Monstra sanè verborum confingunt magi, talibusque ineptiis scatent plurimi, *Marcellus Empyricus, Nonius, Dioscorides*, & multas ejus generis *Constantinus Cæsar*, in Geoponicis, tradit festivas superstitiones in æquali literarum numero morbi & remedii, ut æquè citò terminentur. Subscribunt Poëtæ, quorum libri encomiis versuum referti sunt plurima mala abigentium; quale est apud *Horatium*:

Ah! ah! solutus ambulat.
Veneficæ scientioris carmine.

Muretus *cap.* 4. *variarum* Vindiciami Empyrici versus affert, quos *Quercetanus* in Pathologia cap. 7. *Sereno Samonico*, aut *Marcello Empyrico* tribuit.

Sume igitur medicos pro tempore, proq; labore
Ætatisq; habitu summâ ratione paratos:
Gramine seu malis ægro præstare medelam,
Carmine seu potius, namque est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Inveniuntur itaque apud Poëtas inter seria, commentitia & fabulosa plurima, & execranda; cujusmodi est illud *Apulei*: magico susurro amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes spirare, solem exhiberi, stellas avelli, noctemque teneri, arbores reddi auritas & obtemperantes, saxa moveri. Hinc *Virgilius.*

Carmina vel cælo possunt deducere lunam;
Carminibus Circe socios mutavit Vlysis.

In bucolicis eclog. 8.

Et in eadem eclog. *Atque satas aliò vidi traducere messes.*

Quam idem incantationibus homines in bruta transformasse scribit, & Philtris, quorum præparationem descripsit *Ovidius*. Multa de Medea, Hecuba, & Sagis aliis *Ausonius, Propertius, Ovidius, Valerius Flaccus, Silius Ital.* illorum miracula per incantamenta canentes, & Tucciam Vestalem solâ imprecatione aquam cribro

10. Metaph.

ex-

exhauriisse narrat *Plinius*. De quibus omnibus quàm plurima collegit Mindererus *cap. 20. suæ Threnod.* Apud medicos, præcipuè antiquos, non pauca leguntur, Trallianum, Theophrastum, apud Æsium pro eductione eorum, quæ in tonsillas devorata sunt; sic enim curari ait: statim te ad ægrum sedentem converte, ipsumque tibi attendere jube, & dic: *Egredere os, quemadmodum Iesus Christus ex sepulchro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex ceto.* atque apprehenso ægri gutture dic: *Blasius martyr, & servus Christi dicit; aut ascende, aut descende.* Varro & Cato manifestè tenent morbos verbis evinci, sanarique posse. *Marcellus* scribit quibusdam verbis sordes oculos ingressas elui. Idem Æsius dentium dolorem, vermes, epilepsiam precibus sanari scripsit. *Cælius Aurelianus* Adrianum Imp. aquam intercutem quibusdam verbis eduxisse ait. *Trallianus* in morbis incantationes, & certorum verborum pronunciationem plurimùm prodesse scripsit. Juniores quoque medici similiter multa afferunt: *Conciliator* vidisse se ait aliquem, qui proferendo aliqua verba in aurem tauri, eum prosternebat. Et *Anton. Benevenius* sagittam in cujusdam militis corpore fortiter hærentem carmine excidisse tradit. Jason *cap. de epilepsia* ex *Valesio* pro illa curanda multa affert nomina, quæ ad aures obmurmurari jubet, sancta sanè, sed cautè in usum trahenda; quamvis dicat *Fontecha* experientiam vidisse, recitantibus D. Georgio de Mendoça, & Magistro Pardo Complut. Sunt autem verba, quæ ter in aurem patientis epileptici devotè debent recitari: *Purget & mundet, & muniat nos titulus triumphalis Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Apud *VVeckerum*, *Misaldum*, *Cardanum*, variis in locis multa leguntur, quæ modò omittimus. Apud *Schenckium* ex Neapolitano quodam *Iovianus Pontanus* carmen affert, quo Apuli oppidani adversus rabiem utebantur, novies sabbatho lustrando oppidum, virum è Divorum numero implorantes; idque tribus sabbathis cùm peregissent, tolli rabiem maximè persuasum habebant, sic canentes:

> *Alme Vithe pellicane,*
> *Oram qui tenes Apulam,*
> *Litusq; Polignanicum,*
> *Qui morsus rabidos levas,*
> *Irasq; canum mitigas,*
> *Tu sancte rabiem asperam,*
> *Rictusq; canis luridos,*
> *Tu sævam prohibe luem;*
> *I procul hinc rabies*
> *Procul hinc furor omnis abesto.*

An hîc superstitio? An, quemadmodum de templo D. Bellini scribunt *Rhodiginus* & *Mathiolus*, ad sanandam rabiem aliquorum Sanctorum est prærogativa? Judicent alii; nam & de S. Romano apud Lusitanos magna est fiducia, qui à cane rabido demorsos in illius templum portant, aquamque in cranio Sancti, ibi maximâ reverentiâ custodito, injectam bibere cogunt. Sed hæc ad miracula; illud verò quòd certo die, & numero certo lustrarent oppidum carmine deprecantes, superstitionem atque gentilismum sapit. Prætermitto, quæ de musicis concentibus ex Asclepiade, Xenocrate, Thale, Trepando, Herophilo, *D. Severinus*, *Rhodiginus*, & alii referunt. Incantationes suffumigationes, exorcisationes, & alia perfidæ manifestæque idololatriæ adhibenda esse docuerunt alii, quibus & quinquaginta angelorũ nomina involvunt, additis etiam nominibus quatuor principum hujus mundi cardinum, & alia nescio quæ ex Mahometicis deliriis Arabum decreta: quorum auctores, ut major superstitionum foret fides., afferunt *Germonem Babylonicum*, *Hermetem Ægyptium*, & hujus farinæ alios; quorum numerum, & execranda opera longum esset referre. Quibus magis delusi gentiles censebant magico carmine gladii aciem retundi posse, ut nec levi vulnere cutem queat attingere; & impii insciique milites adhuc hodiè sunt, qui se invulnerabiles esse putant, si arma certis carminibus incantent, ut tradit *Spingerus in Malleo*, vel ferant internum linteum horrendis inscriptum imaginibus, quod vocant inferni camisiam, ut refert *Pomponatius*; vel si periapta quædam ferant characteribus magicis insignita, aut orationes, quas blasphemè & mendaciter tribuunt D. Leoni, vel Carolo Magno. Sunt & plura alia vanissima exempla, & plusquam aniles fabulæ, execrandaque verba, quibus talia perpetrari autumant, quæ legenda sunt apud *Fernelium*; & alia non pauca apud *Delrium* & *Cardanum*, apud quos alios in-

Lib. 28. cap. 2.

Serm. 4. cap. 50.

Lib. 1. chron.

Lib. 6. cap. 4.

Diff. 196.

De abditis cap. 26.

Luminarè. 2. cap. de pil.

Lib. 17. antiq. cap. 28.

Math. lib. 6. in Diosc. cap. 37.

Parte 2. quæst. 1. cap. 16.

Lib. de incant. cap. 5.

Vim in verbis esse, quibus probare nitantur.

invenies, qui his vanitatibus calculum addere non erubuerunt; de quorum classe fuerunt *Agrippa, Paracelsus*, & Platonici alii recentiores; qui ex Cabalistarum fundamentis id probare contendunt, quia ajunt literis & syllabis quandam esse cum cælestibus corporibus & mentibus sympathiæ connexionem; verba autem esse naturâ suâ majoris efficaciæ, quàm vulgò creduntur: tum deindè nomina propria radios quosdam esse rerum quas significant, & in ipsis nominibus vitam quandam latere; quoniam & ea ipsa, quæ creaturis Adamus imposuit, à natura rerum influxum acceperunt. Adhæc, voces significativas primariò quidem per influxum cælestem significare; secundariò ex hominum instituto; & quia in significativis utrumque concurrit, plus virium habere nomina significativa: tandem vim complexorum verborum, utpotè propositionum & orationum, efficaciorem esse; tum quòd veritas eis accidit, tum etiam quia, qui integrum orationis contextum promit, magis animum dictis intendit; quarè vis quoque vehementior imaginationis concurrit. Ex his promanâsse videtur, quòd ethnici, qui verè appellantur simiæ populi Dei, magnam verbis vim, & carminibus tribuerint. Hac ratione contendunt etiam Cabalistæ, Prophetas, Eliam, Elisæum, Isaiam, Danielem, Samuelem, tot tantaque fecisse miracula per nomina sancta Hebræa valdè significantia; quæ siquis benè nosset, & ad usum accommodare sciret, omnia ad libitum posse perficere seriò affirmârunt, ut habetur in libro pestilentis doctrinæ *Artabel in sept. 2.* Quâ ratione vetant mutare nomina, dicuntque ad hoc complendum plus prodesse linguam Hebræam, quàm aliam, quia fuit omnium prima & mater, ut de ea docet *D. Hieronymus*, & hac locuti sunt Adam, & filii ejus, ex *D. August. lib. 16. de civit. Dei.* Quarè testantur nomina rebus per Adamum imposita fuisse secundùm suas uniuscuiusque rei vires, atque naturas; quasi distribuisset cum nominibus vires, & officia quædam, ut nominibus obedirent.

Lib. 2. de abdit c. 1. lib. 3. di Magic. quæst. 4. sect. 9. lib. contr detract. contro. 7.

4.

In Sophon cap. 3.

Secundò adjiciunt experientiam, & mirificas curationes in frequenti militum praxi, qui solo afflatu, osculo, verbis, aut nudi lintei applicatione, etiam atrocissima vulnera, & alios morbos sanâsse visi sunt. Tandem ajunt verba frequenter usitata, divina esse & sancta, in quibus virtus sit eximia & incomparabilis ad omnia peragenda. Confirmant ex D. Paulo: *Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi.* Vltimò bonum actum dicunt esse, sanitatem acquirere deperditam; quarè licitum quocumque modo id conari ut obtineatur, ex *l. 4. c. de maleficiis*; ubi ex Constantino, *Nullis criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus &c.*

Ad Colos. cap. 3.

Rejiciuntur.

Sed captiosum totum hoc, & commentitium, quod de verborum vi & incantationibus tradunt, & qui similibus utuntur magi & incantatores rigidè in sacris literis reprehenduntur; quæ etiam exhortantur, ne in tantam homines deveniant inscitiam: nec immeritò Imperatores nobiles & ignobiles sub capitis damnatione puniri jubent, *ut in l. multi. in l. nemo, & in 12. Tab. §. qui fruges.* Saniori quippè mente, & Philosophicâ veritate instructi has ineptias despexerunt, & ad optimè rem agendam non superstitionem, sed rationem ducem habendam esse, optimè senserunt. Propterea *Calcagninus* sic impudentes has vanitates irridet: *Vanitas olim juncta Miraculo furtivo concubitu genuit Magiam; reformidansq́, nè fortè Veritas, cum qua perpetuas inimicitias gerit, suum partum enecaret, illam Impudentiæ ac Timori junctis connubiali fœdere commendavit: at illi in sinu incomprehensibilitatis è vestigio collocârunt, mandâruntq́, furtim sub præstigiarum crepundiis educandam; quæ mox in grandiorem ætatem adulta, jamq́, pennulis præmunita evolavit in fatuorum arces, ibiq́, nidulans credulitatem peperit; quæ, utpotè parentis beneficiis grata, illam mutuò enutrivit, alioquin breviter interituram.* Propterea *Vlpianus* Iurisconf. libros appellat improbatæ lectionis, & incantationes, quantumvis in morborum curatione proficiant, rejicit, & damnat: *D. August.* ab Ecclesiæ unione illos excludit, qui in collectionibus herbarum carmina dicunt, eosque qui characteres ægrotis ad sanandum imponunt: & in *Conf. Turonensi* sub Carolo Magno falsæ inscriptiones & ligaturæ, quas imprudentes pro morborum curationibus adjuvare putant, ne à quoquam fiant, inhibentur. *Galenus* quoque hujusmodi fraudes rejicit tanquam aniles, & Ægyptiorum, Babyloniorumque præstigiaturas; atque in Pamphilium quendam invehitur, ab illoque fugiendum monet, & ab aliis, qui in herbarum collectionibus imprecationes quasdam admurmurare soliti erant. Ridet & eosdem *Hippocrates*, qui orationibus certis

Deuteron. cap. 18. Paralip. 33. Levit. 20. Isaiæ cap. 2.

Libel. de amat. magia.

Lib. 6. simpl. in proœm. & lib. de morbo sacro.

certis se comitialem morbum sanaturos profitebantur; & ipse Cæsar Nero, qui nullis ad magiam addiscendam pepercit opibus, illius tamen vanitatem expertus, postremò repudiavit, forsan suadente *Senecâ*, qui 7. *nat. quæst.* hæc ut fabulosa & mendacia irridet. Proptereà Numæ Pompilii libri, quòd nullo veritatis fundamento niterentur S.R. decreto in foro combusti sunt. Joannes Fragoso *in glossa titul. de salutatoribus*, scribit, in certis historiis legi, quòd quondam in Achaiæ provincia inventa est mulier, quæ precibus & verbis sine ulla remediorum applicatione morbos curare incepit; quod ut Atheniensibus innotuit, Senatûs decreto eandem lapidibus obrui jussum est hoc addito, Deos, & naturam, non in verbis, sed in herbis & lapidibus remedia posuisse. Rectè etiam *Rabbi Moyses* Ægyptius stultos pronunciat illos, qui soli figuræ, soli scripturæ, solis lineamentis, solis denique vocibus aëre fracto natis tantam miraculorum vim & potestatem tribuunt: & prout ex eodem vertit *Galatinus*, cùm homines quidam hujusmodi verba invenissent, facilitatem sumpserunt mentiendi, atque dicendi, quòd, cùm aliquæ literæ (ut ipsi volunt) conjunguntur, talem, vel talem habeant effectum, puta si tali, vel tali modo scribantur. Post hæc scripta sunt mendacia illa, quæ homines impii adinvenerunt, perveneruntque scripta illa ad insipientium manus, qui ratione, quâ possent verum à falso discernere, prorsùs carebant, & fidem scripturis illis adhibuerunt, confisi quòd veræ essent. Meritò proindè *Socrates* in hujusmodi incantationes invehitur, appellatque verba decipientia rationales animas; & eos qui verbis, aut characteribus utuntur ad sanandos morbos, asserit *D. Thomas* fœdus habere cum malo Dæmone, vel expressum vel tacitum, & miranda illa aliter fieri non posse credit: quin imò & ipsi poëtæ qui has artes commendâsse visi sunt, non rarò illarum vim irrident. Sic *Virgilius:*

Plin. lib. 30 cap. 2.

Suet. in vita illius

Livius lib. 10. dec. 4.

In perplexar. cap. 52.

Lib. 2 de arcanis c. 12

Secunda secundæ quæst. 96. art. 2.

Gens invisa Diis, maculandi callida cæli.

& *Ovidius*:

Fallitur Æmoniæ si quis mala pabula terræ,
Et magicas artes posse juvare putat.

& ibidem

Deme veneficiis carminibusq; fidem.

Rectè *Otto Heurnius* argumento hoc collegit: Omnis artifex dominatur suo instrumento; at magus non dominatur (instrumento quippè se longè potentiori, nempe diabolo, utitur;) ergò nec magus est artifex, nec magia est ars: carmina enim illa & imagines prorsùs sunt inefficacia, irridendique sunt illi influxus, & virtutis communicatio siderum, in quibus tantam energiam agnoscit *Ficinus*, & à nullo docto viro probari debent; quin fabulosa hæc sunt, & contrà Dei eloquia pugnant: Isaiæ 47. *Stent & salutent te augures cæli, & qui contemplantur sidera.* Job. 38. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra?* Quid clariùs potest confutare mundi concordiam cum stellis per ineptam illorum excogitatam similitudinem, & attractum virtutis? Ideò *Mirandulanus* Ficinum ab his deliramentis conatus excusare tradit, voluisse tantùm eum *Plotinum* interpretari, ut hęc aperiret Astrologorum figmenta; quos ipse tunc irridet, nec ex propria mente illud scripsisse, sed tantùm ut *Plotinum* Platonicum interpretaretur. Et ut ut sit rectè *Delrius* scribit, Marsilium *in lib. de vita cælitùs*, dapibus veneni multùm habere commixtum; nulla quippe sunt nomina, quæ sive mente concepta, sive voce prolata, naturaliter tantam potestatem habere possint, ut Probat *D. Thomas* & *Vayerus*. Non loquor de exorcismis & aliis sacris rebus; nam qui sacramenta instituit Christus, vim eis largiri dignatus est; illis etiam, quæ ab Apostolicâ traditione recepimus, etiam moralis vis à Deo tribuitur, quia Apostoli Christi ministri & dispensatores ministeriorum sunt: vim quippe habent hæc supernaturalem ex Dei institutione, & benigno concurrendi modo. Loquimur tantùm de cabalisticis vocibus, de quibus dicunt nomina esse radios quosdam rerum quas significant, ex divinâ eorum impositione; quia nomina quantumvis speciosissima Angelorum, aut Sanctorum, (quibus manifestam inferunt blasphemiam, dum ipsos arte magicâ initiatos fingunt,) nullam habent virtutem operandi, vel naturalem vel artificialem, vel supernaturalem, ut tradunt *Scaliger, Langius*, & *Vallesius*. Non naturalem, quia nomen ignis v.g. combureret, quod nemo unquam suspicatus fuerit. Non artificialem, nam quis illa verba docuit, aut eorum artifex fuit? non homo homini, inquit *Scaliger*: ergò malus Dæmon, non ut hominem faceret potentiorem, sed ut credulitate deciperet. Supernaturalis si foret, id gratiæ, vel miracu-

Lib. 1. contra astrol.

2. 2. Quæst. 96.

Vay. lib. 2. cap. 1.

16. Subtil. nu. 34.

Epist. 33.

In sac. phil. cap. 3.

raculi foret; quod dici nequit, quia Deus nil tale promisit, neque Ecclesiæ suæ revelavit, non solùm quoad modum gratiæ vel miraculi, sed etiam quoad modum prodigiosum, quod naturam non excedit: nec nomina in una lingua producere valent effectus, quos in aliam translata non posse dicunt, ut fuit error *Origenis*; quia sinceræ philosophiæ repugnat principiis, ut & illud non minùs, quod de oratorum periodis ad magica ista deliramenta tradit *Pet. Gregorius*. Proindè nec rei sanctæ significatio, nec hominis probitas, neque linguæ dignitas, ullam qualitatem physicam possunt vocabulis imprimere, ut nugatur *Laurentius Annanias*; quia nomina illa si scripta, sunt quid mortuum & omnis energiæ expers, quæ si quid habent, ab atramento & charta cui inscripta sunt, accipiant oportet: ore verò prolata tantùm vim habent aërem feriendi; & sonus non magis tactum valet immutare, quàm color auditum, & dulcedo visum, cùm istorum minimè sint objecta: quarè sive prolata fuerint, sive scripta, nil horum quæ dicunt possunt efficere. Deindè nomina substantiæ non sunt corporeæ, aut spirituales; nec etiam accidentia, quæ subjecto inhæreant: quarè vitæ & omnis actionis erunt expertia, cùm tantùm sint denominationes quædam extrinsecè rebus advenientes, ex placito impositæ, prout imponenti aptiùs naturam rerum exprimere visa sunt. Quarè nec dicenda sunt radii à rebus emanantes, ut conantur probare magi, & Platonici: atque ita sive ab Adamo, sive ab alio imposita, tantùm ad denuntiandas hominum ideas, & rerum naturas declarandas fuerunt indita; ideoque ab ipsis rebus nullum influxum accipere apta sunt, quia res corporea naturaliter aliquid imprimere non potest in id, quod corporis expers est.

Lib. 1 & contrà Celsum. Lib. 19. Syntag. c. Lib. 3. de nat. dæm.

9. Sit ergò prima conclusio, dari magiam, magosque inveniri, qui multa admiranda, & visu miraculosa efficiant; quos pluviam ventosque concitare, segetes excantare, corpora transmutare, morbos inferre, & alia multa, sive realiter sive apparenter, sed occulto Dei permissu, plus est quàm certum. Patet in multis sacræ Scripturæ locis *Exodi* præcipuè, ubi multa à Pharaonis magis narrantur facta instar miraculorum & signorum quę per Moysem Dominus operabatur, *Levit.* 19. 3. *Reg.* 28. *Ierem.* 27. & aliis in locis, *Psal.* 57. Et hoc supposito, leges etiam & Principum decreta sub constitutis pœnis cavent, ne talia perpetrentur; ut in *l.* 12. *tab. in l.* 3. *c. de malef. & Math.* Sunt enim magi omnes sortilegi & incantatores, apostatæ, hæretici, peccantes contrà naturam, & qui non Deo solùm renunciant, sed cum Dæmone ejus hoste fœdus ineunt, & ab eo edoceri cupiunt; quarè capite damnantur, quæ legitima eorum pœna est, ut tradunt *Abb. & Hostiensis in cap. ad abolita, de hæreticis, & in cap. 1. de apostat. Brunus de hæreticis lib. 5. cap. 3. Coras. lib. 3. miscel. cap.* 8. & alii plures citati apud *Villalpandam*. Imò huic vanitati deditos, & ineptiarum hujuscemodi curiosos plerumque Deus calamitosè sustulit: patet in Ochia rege, Saüle, Manasse, Jezabele, qui magica præsidia quærentes, & illorum facinora imitantes, consulentes divinatores, ac aruspices, miserrimum invenerunt finem; & adhuc inter ethnicos severè experti sunt Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Nero, Julianus Apostata, & ipse magiæ inventor Zoroastres, ab ipso dæmone, quem importuniùs solicitabat, igne succensus, ut narrat *Clemens*; & de aliis *Plutarchus*, *Livius*, *Plinius*, & *Nicephorus*.

Lib. 3. de mag. cap. 7. quæst. 10. & 11.

Lib. de recognit.

Secunda conclusio: Nomina, quantumvis sacra & divina, quibus fraudulenti & commentitii homines utuntur, nullam ex sui natura, aut ex verborum vi, quomodocumque proferantur, aut quocumque idiomate, efficaciam habent ad morbos sanandos. Nam verba aut scripta ex se, si nulla superior accesserit causa, quidpiam efficere, aut vim aliquam naturalem obtinere, philosophia non admittit, cùm omnis nimirùm effectus ex contrariis sit contrarius, Aristotele teste. Hæc verò cùm in eodem genere ponantur, non possunt in diversi generis contraria agere: quare quemadmodum calor in saporem, sapor in odorem vel sonum, sonus in figuram non operantur; ita neque verba, nec figuræ, in morbos quidpiam efficient, quia nil agit ultra speciem suam. Hac ratione captiosa sunt multa, quæ apud medicos leguntur; quemadmodum apud Tharantam, ubi in morbi comit. paroxismo in aurem ter dicere jubet: *Purget, & mundet & muniat nos*, &c. ut jam suprà retulimus; vel versus,

Cap. de epilept.

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum.
Hæc tria qui secum portârit nomina Regum,
Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

Et

Et his in aurem dictis aut in charta scriptis, collo appensis, statim levari ait; quod etiam consuluit præter alios *Gordonius*, qui etiam tradit alia de Evangelio Matthei cap. 9. quæ dicuntur in vindemiis post festum Crucis, ubi legitur; *Erat spumans & stridens.* Quæ omnia inepta & dolosa meritò suspicatur Jason: *Quis enim* (inquit) *sanæ mentis anilibus his assentiatur sermunculis, qui nullâ ratione consistunt, sed apertè vanitatis & damnatæ superstitionis à Christianis viris exsibilantur.* Optimè quidem Chrysostomus super Mattheum: *Quidam aliquam partem Evangelii scriptam circà collum portant: sed nonnè quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus? Cui ergò in auribus Evangelia posita nihil prosunt, quomodò eum possunt circa collum suppensa servare? Deinde ubi est virtus Evangelii, in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris; benè circà collum suspendis: si in intellectu, ergò melius in corde posita prosunt, quàm circà collum suspensa.* Beatus Augustinus sic habet: *Illi, qui seducunt per ligamenta, precationes, & per machinamenta inimici, suis precationibus miscent nomen Christi, ut lateat ipsa seductio.* Et *lib. 2. de doctrina cap. 19. 20.* latius insequitur idem *Augustinus* Quis enim adeò est vecors, ut non advertat ex vocibus ac sibilis nil decidi posse, quod suppetias afferre queat, nisi dæmon operam suam intermisceat? *Vidi* (inquit Fernelius) *scriptâ chartulâ collo subnexâ universi corporis icterum unicâ nocte detergeri; vidi febres verbis & ceremoniis quodamtenùs profligari, sed quæ mox multò deteriùs recurrerent: nam licèt possit dæmon integrè persanare, tantum beneficium in hominem, quem perpetuâ insequitur invidiâ, conferre haudquaquam vult; fictam solùm, simulatamq; exhibet sanationem, cujus admiratione perversas hominum mentes irretiat, sibiq; in fidelitate subjuget. Quippè cùm vidisset Deum per Prophetas plures sanâsse, & à mortis extremo periculo revocâsse, & Christum multò plures, cæcos, claudos, paralyticos, leprosos, mutos, febrientes, & aliis languoribus confectos integrè restituisse, à quo deinde Apostoli, & alii viri religionis sanctitate conspicui eandem potestatem sunt adepti; ut similiter miranda patrare crederetur, & divinitatis cultum, cui maximè inhiat, sibi pararet, magica opera per nefarios improbosq; exequitur, ut tantam divinitatis vim æmuletur, & ipsi etiam ejus cultores, accitâ illius ope, fiant admirandi.* Sic enim commentus est diabolus, ut sanctissimis quibusdam verbis prolatis promptiùs officia sua exequatur, ut faciliùs & libentiùs incauti fidem adhibeant, & irretiantur. Sic quoties talia proferunt verba, non in bonum, sed in malum finem, quantumvis sancta, proferuntur; & plerumque cum profanis, & aliis nihil significantibus, diabolo tamen notis, dicuntur, quæ in pacti signa, ut decipiat, pepegit, ut iniqui mira perpetrarent, quæ non nisi spiritûs immundi commercio celebrari possunt; contrà quos strenuè certant Ciruelus, *pecul. de superst. libro.* Æneus Robertus jurisp. *rerum jud. cap.* 5. Bened. Pereira *de magia*, & ex nostris præter citatos, Hucherius *lib. 4. de malef.* Cæsalpinus, Thomas à Vega *cap. 85. in artem med.* & novissimè Sennertus *cap. 18. de chymicorum consensu* & 6. *praxis parte 9. cap. 8.* est enim in talibus verbis abusus longè maximus; quippe *D. Paulus*, qui omnes usus sacræ Scripturæ & utilitates expressit, nil tale fieri posse docuit: *Tota scriptura divinitùs est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitia.* Atque ita, quò sanctioribus verbis utuntur, tantò superstitiosiores habendos esse docet optimè *Ciruelus.* Propterea licèt sancta ac pia videantur non ideò licita debent censeri; quia diabolus sanctissimis quibusque rebus abutitur, ut graviùs homines seducat; sive, ut ait D. Thomas, *Ut sic non solùm per apostasiam à fide, verùm etiam perfidiâ sacrilegii vitium incurrat, atque ipse creator ampliùs offendatur, & ut majori opportunitate plures ruere faciat, cùm sacris rebus videant hujusmodi pacta commendari.* Quarè etiamsi rebus sacris utantur, ut Evangelio S. Ioannis, vel reliquiis sanctorum, aquâ benedictâ, aut aliis, suspecta semper haberi debent, quia plerumque dæmon sua crimina specie sanctitatis obumbrat, ut incautos decipiat, deceptos faciliùs irretiat, & irretitos in perpetua damnatione retineat, ut docet *Cæsalpinus*; quia tales res Deo debitas, & dedicatas, offerunt diabolo ejus hosti. Qua de causa quidam necromanticus Ypris damnatus fuit, ut tradit Delrius *lib. 3. magicar. cap. 2. quæst. 4. sect. 2.* quia recitatis sacrosanctæ consecrationis verbis vulnera omnia sanabat, & eis utebatur ad eum finem, in quem à Christo non sunt instituta, quod manifesti pacti erat signum. Atque ita eos vocantes, vel curationi eorum consentientes, omnes sunt eodem pacto irretiti, ut tradit *Ciruelus part. 3. cap. 31.* Qualiacumque enim sint verba, quòd in curandis morbis prodesse possint, sive scripta, dicta, aut cogitatione concepta, nemo ostendere

Marginal notes: Cap. de epylept. — In evang. Joan. tract. 7. — 2. De abditis cap. 16. — Ad Thim. cap. 3. — Lib de superst. c. 11. — Parte. 2. quæst. 11. articul. 4. — De investdæm c. 15.

dere poterit: Altissimus siquidem, qui ad humanæ calamitatis solatium medicinam creavit, tam polydædalâ medelarum varietate hominem uti noluit, imò cautum esse voluit; quo fit, ut planè ethnica & ex obscura schola hæc verborum lenocinia profecta sint, & ipsa arcanam arcendi morbos vim in se habere non possint, cùm siquid habeant virium, aliundè mutuari videantur, à nefanda scilicèt ac scelerata magiæ vafricie. Quarè quidquid *Augerius Ferrerius*, & alii dicant, meras esse nugas credimus, & quidem turpissimas: nil enim magicis his incantamentis cum vera medicina commercii, sed noctuæ quædam sunt ad animarum aucupia, ut cum *Heurnio* loquar; quibus, qui commentis hujusmodi insistunt, vel salutem concredunt, unà cum corporibus ipsam quoque animam perdunt, & æternæ morti succumbunt. Digna illorum & magorum merces justo Dei judicio erogata.

13.

Igitur dimittenda hæc omnia tanquam insana documenta, habendusque honos Domino Deo, obedientia & fides, penes quem est omnis potestas; scriptum est enim: *Anima quæ declinaverit ad magos &c. interficiam eam de medio populi sui.* Et iterum: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut non polluamini per eos.* Etenim ut ait Eccles. 34. *Divinatio erroris plena, auguria mendacia, & somnia malefacientium vanitas.* Quòd si ex *Constantino* suprà licitum fuisse aiunt his superstitionibus uti, rectè Anton. Contius respondet, illum rerum fidei rudem, ad finem bonum talia remedia permisisse. Nec ex ipso *Plinio* aliquid conjectandum est, quia ipse potiùs exempla affert, quàm credidit; imò *cap.* 1. *lib.* 30. irridet: & stolidus omninò est, qui credit omni verbo, ut *Proverb.* 14. docemur. Quarè & illud de turpissimis magis, qui verbis taurum, vel aliud animal necare visi sunt, magnum fuit commentum; quia hoc non verborum vi, sed dæmonis interventu facere potuerunt: & ideò magis incredibile, solem, lunam, stellas, elementa, & stipites, cùm ratione careant, vim verborum sentire posse, quantumvis sancta sint verba, Ægyptia, aut Hebræa; nam licèt in ipsa reperiantur voces, quæ optimè rerum naturas exprimant, nullam tamen indè vim sortiuntur, ut in externis subjectis, quorum sunt nomina, aliquid movere possint. Nec harum vocum efficaciâ SS. Patres & Prophetæ miracula tanta perpetrârunt; sed per mirabilem gratiam Dei, & voluntate divinâ voci hominis annuente: atque idem tenendum judico de SS. Dei nominibus, in quacumque lingua proferantur, & de Ecclesiæ exorcismis, & aliis imprecationibus; in quibus non sequitur operatio ex mera vi verborum, sed divinâ potestate illis favente; quia nil aliud sunt quàm preces & orationes, quibus divina gratia imploratur, cujus efficaciâ, & non verborum sanctorum, morbi proborum & virtute præditorum hominum precibus, tactu, afflatu sanantur, dæmonia expelluntur, quibus tunc Deus auxiliatur: licèt de dæmonibus aliter dici possit, quibus cum divinis tanta intercedit antipathia, metus, & horror, ut vel audito SS. Jesus nomine fugiant; non tamen morbi, quia cùm non sint auditûs capaces, aut motûs animati participes, moveri ex se non possunt, sed solùm vel medicamentis devicti, aut supernaturaliter profligati recedunt. Licèt econtrà nitatur asserere *Zacutus* pessimus recutitus; quia ipse magnalia, quæ tantùm sunt Dei, verbis linguæ suæ sanctæ tribuere conatur; cùm in illa nil magis, quàm in cæteris aliquid sit invenire, quod ex verborum vi effectum præstare possit: imò protervè eruditissimo *Delrio* imponit, quòd scripserit divinorum nominum vi omnes morbos sanari posse; quod est merum mendacium, cùm apud dictum *Delrium* nil tale legatur. Imò *quæst.* 3. *lib.* 1. pro conclusione sic scribit: *Nulla vocabula vim habent naturalem vulnera vel morbos sanandi, vel noxia alia depellendi.* Quod sanè adeò verum est, ut adhuc illi, qui verbis aliquam vim tribuere visi sint, veritate convicti sententiam mutare coacti sint, ut ipse *Q. Serenus*; qui sic aliàs scripsit:

Levit.

14.

Lib. 1. de princip. hist. quæ ultima.

> *Multaq; prætereà verborum monstra silebo;*
> *Nam febrem vario depelli carmine posse*
> *Vana superstitio credit.*

Et *Cardanus*, qui nullis non ineptiis fidem præstitit, tamen maximè culpat illos, qui in verbis aliquam vim inesse credunt, de quo aliqua profert exempla; quin ipse *Paracelsus*, infamissimus magus, prout ex eo refert *Alsarius à Cruce*, clarè sic fatetur: *Syrupi & apozemata sunt medicina hominum, verba & characteres Dæmonum.*

Lib. 16. de vanit. rerum c. 92. Cent. 3. de quæsit. per epist. fol. mihi 268.

15. His igitur animadversis tertia elicitur conclusio, in qua dicimus, quòd verbis & nominibus sacris ore prolatis, aut collo appensis pro morborum curationibus licitum

sit

sit uti, si absque ulla superstitione & diaboli commercio hoc fiat, & à divina tantummodò pietate exitus exspectetur, in cujus solum virtute spes omnis reponatur, & in illius voluntate animus, & desideria nostra quiescant. Pro quâ operatione fideliter exequendâ septem conditiones ex D. Thoma & aliis adfert Spingerus in *Malleo P. 2. quæst. 2. cap.* 6. Prima est, Ut verba aut scripta non contineant aliquid, quod pertineat ad invocandum dæmonem expressè, vel tacitè. Secunda, Ne benedictiones seu carmina contineant aliqua verba ignota, in quibus aliquid superstitionis lateat. Tertia, Ne aliquid falsitatis in verbis contineatur. Quarta, Ne ibi contineantur vana, aut characteres aliqui præter signum crucis. Quinta, Ne spes habeatur in modo scribendi, ligandi, aut dicendi, aut in aliquo alio quod ad divinam reverentiam non pertineat; quia aliàs omnia erunt superstitiosa. Sexta, Ut in prolatione divinorum verborum respectus solùm habeatur ad divina & sacra verba, & ad Dei reverentiam, & Virtutem Divinam, à qua exspectetur effectus. Septima, & ultima conditio, Ut divinæ voluntati committatur effectus, qui expectatur: scit enim quid magis in vocanti prosit, sanitas, an tribulatio, ut docet D. Thomas in 1. 2. *in materia de gratia, distinct.* 15. *n.* 4. Atque his conditionibus licitum erit nominibus sacris uti, ut tenet idem D. Thomas supra illud *Marci ult. Signa eos, qui crediderunt.* Et post: *In nomine meo dæmonia ejicient, serpentes tollent, &c.* Aliter si fiat, usurpenturque incantamenta carminum, devotiones effascinantes, magiæ vanitates, & illius authores consulantur, quid aliud hoc erit, quàm cacodæmonem sub honesta larva medicum adhibere?

Quæ omnia sub SS. Ecclesiæ censuris dicta esse volumus; ut si aliquid, quod illis adversum videatur, scriptum fuerit, reponamus, mutemus statim, ac minimè dictum velimus.

QUÆSTIO VIGESIMATERTIA.

An periaptis, characterismis, & appensis sigillis, ridiculisq; aliis administrationibus liceat uti in morborum curationibus?

NOn est hæc dubitatio de nugis illis & fictis illusionibus, quibus medici frequenter adversus melancholicorum deliria utuntur, & hi multoties à depravata quæ eos à mente alienat, opinione liberantur. In his enim medicinæ visitur industria, dum fallaciâ fallaciam pellit; & sic decepti ab imaginatis morbis se jam exutos, ac liberatos esse credunt. Solùm quippè hîc quæritur, an quædam figuræ, lineæ, metallicæ aut alterius materiæ annuli, sigilla, characteres, & similia alia, quibus veterum superstitio multùm fidit, vim aliquam adversus morbos obtineant, & licitè in illorum curationibus adhiberi possint? Et sanè mirandum est, quòd in Antiquorum libris hujus generis fabulæ legantur. Nam præter illa quæ quæstione præcedenti ex *Q. Sereno, Catone*, & aliis adduximus, his nugis fidem adhibuerunt *Aphrodisæus, Porphyrius, Pomponatius*, & cum *Ficino* vanissimi alii Platonicorum. Et ut à veteribus incipiamus, refert *Polydorus Virgilius* M. Servilium Novianum adversus oculorum morbos collo gestare consuevisse chartam duabus literis Græcis signatam α. & ρ. alii dicunt ϖ. & α. Inter medicos se offert potissimùm *Tralianus*, qui Herculis imaginem leonem suffocantis annulo inclusam colicis mederi scripsit: eodem libro ferreum alium annulum contrà colicam effici jubet, circuloque inscribi; *Fuge, fuge, heu bilis alauda quærebat*, addito ibi notato signo; & hujusmodi alia passim affert: contrà podagram laminam auream in qua, lunâ in libra vel leone consistente, inscriptus sit versus Homeri. Imò & ipsum *Galenum* contendit idem author *lib.* 9. *cap.* 4. fidem iis habuisse, cujus librum *de medico Homeri tract* citat. Tradunt quoque *Eudemum* Philosophum annulos contrà serpentum morsus, fascinationes, dæmonia, & morbos confecisse. *Iosephus* gloriatur se præsente Vespasiano quemdam vidisse de gente Hebraica Eleazarum naribus cujusdam obsessi annulum applicuisse, & dæmonem de naribus odorantis extraxisse. Similes annulos *Thebit* Philosophus, & magiæ antistes confecisse dicitur, ex auro, argento, aurichalco, aut quovis alio metallo; quibus animum exhilarare, hostes, cacodæmonem, & morbos profligare, miraculaque hu-

Lib. de prodigiis.

Lib. 10. cap. ult.

Lib. 8. antiquit. cap. 2.

hujuscemodi alia fieri perhibent. *Plato* Gygem Lydorum Regem scribit annulum habuisse, in cujus sphærula lapidem draconis capite exemptum incluserat; huic talis inerat virtus, ut Regem redderet invisibilem. Nec his contenti addunt, Salomonem & Moysem amoris & oblivionis annulos confecisse, & magiæ fuisse peritissimos. Celebris est figura leonis in aurea lamina contrà calculum, cujus *Conciliator*, *Andreas Cordub.* & *Albertus Magnus* meminerunt; & illa draconis radiantis in Jaspide viridi, quam stomachum adhæsione juvare dictitârunt. Tandem *Galenus* periculum fecisse videtur gemmarum characteres quosdam, & literas scriptas habentium. Multò plura affert *Albertus* de annulis & sigillis. *Misaldus* etiam *cent.* 1. & *Averroës* characteres, & diabolica alia scribunt, de quibus etiam *Hieronymus Torella* justum volumen conscripsit.

Lib. 2. repub. — Dif. 10. — 2. Mine- lium trac 3. cap. 1 & 3.

Præterea quæ major nugacitas excogitari potuit, quàm illorum, quæ ex *Ludovico Dulci* refert *Delrius*? Ille igitur ex Hermete ei, qui gemmas cælestibus signis figuratas secum gestârit, vana ac fabulosa multa promittit, ut sapientiam, eloquentiam, prudentiam, unitatem, memoriam, fortunam, divitias, paupertatem, securitatem, castitatem, imò & Deum reddere propitium, & hujusmodi alia deliria, que vel recitata tantum audientium aures offendunt: ego ea hîc non recitabo; harum ineptiarum curiosus apud ipsum *Vives* legere poterit, aliqua apud Delrium *lib.* 1. *disq. mag.* & in Mindereri *thren. cap.* 21. qui omnium duodecim signorum retulit sigilla, & adhuc multò plura tacuit, cùm nulla sit stellæ imago, cui non peculiaris efficacitas tribuatur; quippè his vanitatibus innixa prior ætas, cum se maximè sapere putaret, immensum desipere deprehensa est: utinam & sigillum aliquod ad vanas hujuscemodi doctrinas abolendas, & temulentiam animi ad magiam declinantis fugandam concinnassent!

Lib. 6. de gemmis

Ulterius pro epilepsia curanda nullus fuit magorum, qui mira non promiserit, & præstiterit nulla. Videatur *Æstius*, *Plinius*, *Tralianus*, *Celsus*, *Scribonius*, *Paulus* superstitiosa multa afferentes, partim fœda, partim anilia. Quis non exhorrescat, si & sanguinem humanum adhuc tepentem è gladiatoris corpore spirantem ebibendum tanquam salutare remedium propinaverit omnium crudelitatum magistra Antiquorum inscitia, sorberique efficacissimum putaverit? *Procul à nobis absint* (inquit Plinius:) *Nos remedia discimus, non piacula; vitam quidem non adeò expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit: quisquis es talis, æquè moriêre, etiam cùm obscœnus vixeris. Quis ista invenit ostenta! Tecum res agitur eversor generis humani, monstrorumque artifex, qui primus ea condidisti.* Chaldæos sic increpat *Plinius*, qui Marco Imp. pro Faustinæ amore remedium consulenti, nefandum excogitârunt, magicâ sanè vanitate, & dæmonum præstigio, quos humanâ cæde, & sanguinis effusione delectari noverant: quibus & magus *Hostanes* gratificaturus, religiosissimum esse in sacrificiis hominem occidere tradidit; Euchetis non minus usitatum, ut dæmonia toto conciperent pectore: quorum nefanda sacrificia satis reprehendunt *Psellus* & *Plotinus*. Non minus execranda & horribilia, quæ olim apud Occidentales Indos fieri consuevisse ex *Francisco Hernando* tradit *Eusebius Nierembergius*; qui ait, in templo Mexicano uno tantum die septuaginta sex millia hominum immolata. Humanum quippè sanguinem dæmonum extitisse philtrum colligitur ex *Homero* de Elpenoris anima; præsertim menstruum, quod veteres insignis amentiæ stimulis agitatos non solum immolâsse, sed potitâsse constat.

3. — Lib. 28. cap. 1. — Lib. 8. hist. nat. cap. 24.

4. *Remedia ex sanguine humano parata abominari debent.*

Sed quoniam hîc de sanguine humano incidit sermo, illud obiter adjiciam, semper mihi inhumanum & impium visum fuisse, quòd medici non solum ethnici, sed & Christiani medicamenta aliqua ex illo parata ad certos morbos præscribant, & laudent; olea enim ex illo, balsama, aquas (cujusmodi apud *Beguinum* describuntur *cap.* 1. *lib.* 3. *in Tyrocinio*) & destillationes alias parant nescio qui sanguinarii pharmacopæarum authores: qualiter etiam videre est apud Mylium, Evonymum, & alios ex nefanda *Paracelsi* schola arcana parantes. Quin apud quosdam medicos, crudeliter magis quàm humaniter, ex eodem sanguine medicamenta leguntur; inter quos est *Ficinus*, qui ad vitam prorogandam consulit, ut sectâ venâ hominis sani sanguis exugatur; quemadmodum etiam apud *Claudinum* pro phthisi ex eodem cum carne cochlearum medicamentum præscribitur: ut minus miremur illud *Septimii Florentis in apologetico*, in arena jugulatorum nocentium sanguinem recentem solitum hauriri, quòd sic comitiali

Consult. 21.

morbo

morbo remedium quæri opinarentur: de quo & *Arethæus* narrat aliquos vidisse phialam subjicientes vulneri jugulati hominis, ac haustum cruorem bibentes. *O facinus grande* (inquit) *malum malo piaculo depellere! & num ita ad sanitatem pervenerint, nemo mihi* (ait) *affirmare potuit*. Scribonius Largus etiam scribit quosdam fuisse, qui ex sua vena emissum biberent. *Quid diceret ergo* (inquit Heurnius) *vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra videret Pythagoras? Crediderim sanè, hæc ex obscura magorum, obscænaq; sagarum schola profecta esse, nilq; aliud quàm aucupia satanæ ad crudelitatem*: Stolidè enim hoc facere, & à medicis consuli rectè contrà *Ficinum* damnat *Franciscus Baconus*: esse siquidem abominanda medicamenta, nullus puto negaverit, non minùs quàm illud, quod ad lepram ex balneo humani sanguinis Ægyptii medici Regibus parabant, quod sanè balneum *Galenus* irridet: & ut inquit *Riolanus* pater in meth. generali cap. 11. *crudelius morbo remedium, cui me judice plus inest ostentationis, quàm veritatis.* Quinimò ex potu sanguinis humani juvenem in fatuitatem incidisse narrat *Zacutus lib.* 3. *prax. mirandæ obs.* 73. cum quo *in paralip.* consentit *Sennertus*.

Lib. 7. diuturn. cap. 4. — Cap. 16. — Cap. 23. de affectibus capitis. — In silva silvarum cent. 9. — Lib. 10. simplic.

Sed his derelictis, de quibus etiam *quæst.* 71. ad pensum redeuntes, à curationibus quæ figuris & characteribus fiunt, tantum abfuit *Paracelsus*, ut abhorreret; quin imò dicat, imagines & characteres esse pixides, in quibus magus syderum vires asservet, de quo pluribus agit *lib. de occulta Philos. tit. de characteribus*, & fas esse scribit eis uti ad morbos curandos, qui auro potabili, & quinta sua Antimonii essentia curari non possunt: quin imo *lib. de morbis invisibilibus*, integrum esse ait à diabolo remedia accipere, ut in hominis salutem cedant; quare non veretur characteres alios *lib. Archidexeos magica* componere, nominibus licèt divinis inscriptis, simulatâque pietate, & religionis pretextu infamem suam superstitionem, & magistrum suum diabolum celare tentans. Præter hos etiam *Pomponatius*, *Arnaldus*, *Albertus Magnus* in speculo astronomico, astrologi ferè omnes, & quod magis est, *D. Thomas* characteribus efficaciam aliquam tribuere videntur, cùm naturalis causa talium effectuum nec reddi possit, nec in ea reddenda inter ipsos certi aliquid, quod conveniat, inveniatur. Quapropter in refutandis eorum causis, quas pro tam abstrusis effectibus adduxerunt, tempus conterere nec vacat, nec operę pretium duximus; cùm ex professo *Mirandulanus*, *Delrius*, & ex nostris *Codronchus*, *Sennertus*, *Zacutus* abundè eorum rejecerint opiniones: sufficiat dicere, quòd lapis, vel alia quævis res figurata, ex eo quòd in se habeat imaginem aliquam, aut characterem, qui alterius rei imagini correspondeat, efficaciam indè obtineat, figmentum esse & errorem; quin imaginem, & figuram continere, nil aliud est, quàm denominatio quædam extrinseca, quæ vim nullam potest addere, nec realem, nec naturalem. Quare idem *D. Thomas* videtur aliter sentire; undè colligi potest, eum supradictis locis non ex propria, sed aliorum opinione locutum fuisse, ut credit *Euseb. Nieremb. lib.* 1. *occult. Philos. parte.* 2. *cap.* 59. cùm certissimum sit vim sigillorum, & characterum ex nulla naturali causa provenire posse, & cùm res sint artificiales, in corpus humanum, quod naturale est, agere non valent; omnis quippe agendi vis substantiis competit, quæ à suis formis potentiam agendi obtinent.

Lib. sagacis Philos. cap. 6. — Lib. 3. contra gent. cap. 101. & 104. — 2. 2. quæst. 99. artic. 6.

Hâc veritate convicti plurimi ad imaginationem confugiunt, quam tam multa præstare posse inculcant, ut nil in hoc mundo esse, aut fieri posse, quod imaginationis viribus præstari non valeat, affirmet *Crollius*: sed licèt aliqua causare posse non negaverim, tamen absurdum est, in characterum applicatione, illi tribuere effectus, quos nullo pacto producere potest; quia per se nec in proprio, nec alieno corpore aliquid movere potest, sed tantùm per accidens; nec ad hoc necessaria est characterum applicatio, quia imaginationi nullam vim addere possunt, ut latiùs videre est apud *Vegam lib.* 2. *de arte med. sect.* 6. & apud *Sennert. lib. de cons. Chymicor cum Gal. cap.* 14. & 18. Nec audiendus *Conciliator* qui *diff.* 101. istas vires ex cælo deducere conatur cum *Ptolomæo*, qui *in Centiloquio*, scribit; *vultus sublunarium vultibus cælestibus subjectos esse*; quę licèt illi concedamus, quid pictus, aut effigiatus canis, vel scorpio, cum cælestibus his signis commercii habebit? Meræ sunt nugæ; quapropter si ex his aliquis sequitur effectus, necessarium est ut ad causam supernaturalem reducatur, & ex diabolo sit, qui vi pacti, quod cum suis cultoribus inivit, signis & aliis characteribus invitatur & advocatur. Tales enim figuræ & cæremoniæ alphabetum sunt diaboli; quas licèt nos non intelligamus, ille tamen intelligit, & quasi tesseras militares constituit cum gentilibus primùm, & idololatriæ deditis, deindè omnibus illis,

qui ad tantam venerunt dementiam, ut cum illo se implicarent, sive implicito, sive explicito pacto, à Creatore suo mediisque ab eo creatis temerè discedentes; cùm nil aliud sint, quàm noctuæ quædam diaboli ad animarum aucupia, quibus humano generi insidiatur; honorem interim Deo detrahentes, quem in medicinæ operibus tantum ille honorat, qui Dei opera qualia ab ipso condita sunt contemplatur, admiratur, & celebrat; in Deum verò injustius & impius est, qui rebus vires, quas nec à Deo, nec à natura, aut arte acceperunt, tribuit. Non multùm ab hoc aberat *Plinius*, cùm sic scripsit: *Magia fraudulentissima artium, plurimùm in toto terrarum orbe, plurimisq; sæculis valuit. Authoritatem illi maximam fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa, in unam se redegit. Natam primò è medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse, velut altiorem, sanctioremq; quàm medicina; ita blandissimis desideratissimisq; promissis addidisse vires religionis, ad quam maximè etiam nunc caligat humanum genus.* Et tantam hominum temeritatem acerbè culpat Hermes Trismegistus: *Et quoniam* (inquit) *animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus suis, divinisq; mysteriis, per quas sola idola, & benefaciendi, & malefaciendi vires habere potuissent.*

Lib. 30. cap. 1.

In Asclepio.

8. Patescant igitur hæ nugæ, hæ fraudes; nec fideles hinc aliquid addiscant, Priscorum tantùm ætati relinquantur, quæ in hujusmodi tenebris oberrans, multos posteà obcæcavit, quorum erroneas mentes sic prudentissimè taxavit Cicero: *Non sunt hi aut scientiâ aut arte divini; sed superstitiosi vates imprudentesq; arioli, inertes, insani, qui cùm sibi semitam non sapiant, aliis monstrant viam.* Meritò apud *Plutarchum* quidam ægrotans, amico invisenti ostendens amuletum collo sibi à mulieribus alligatum, dixit optimè, se pessimè esse affectum, qui talem stultitiam in se admisisset. Ejiciendæ quippè sunt hæ fraudes, hæ imposturæ, & extraordinariæ curationes, quæ nullis naturalibus remediis constant, nec inquirendum an prosint, nec ne: nam & sub Antonio Caracalla, ut narrat ex Spartiano *Rhodiginus*, damnati sunt qui remedia collo appensa pro tertianis & quartanis gestarent; idemq; sub Constantino factum, & sub aliis Imperatoribus, apud quos tamquam delictum hoc prohibitum ac punitum fuit; prout testatur Ammianus Marcellinus lib. 19. *Si quis* (inquit) *remedia quartanæ vel alterius doloris collo gestaret, ut veneficus, reus capitis interibat.* Ut in quadam anu contigit, quę intervallatis febribus leni carmine mederi consueverat; & in alio juvene, qui ad stomachum malè affectum septem vocales literas numerabat, utriusque manûs digitos marmori & pectori alternatim admovendo, ut *lib.* 19. tradit idem auctor. Reprobavit etiam hæc omnia *Hippocrates* ut magica & commentitia, & *Galenus*, qui licèt aliquandò expertus fuisse videatur, hoc tantum fuit experiri velle, non credere; & facilè potuit, cum non vetaret religio, moxque veritate & ratione compulsus, respuit hanc vanitatem, appellavitque aniles fabulas, curiosas imposturas, deliras, Ægyptias, sed falsas universas, & minimè narrandas tanquam nugaces, nec etiam pueris utiles existimavit. Quòd si *Tralianus* ex eodem aliter inferre conatur ex *lib. de medic. Homeri*, cum talem librum *Galeni* non habeamus, vel nullam damus fidem, cum ex probatis libris aliter constet; vel si aliquandò extitit, illum ex propriis minimè judicamus, imò inter spurios, & *Galeno* adscriptos meritò debuit numerari, cum acerbè ille hæc figmenta reprehendat; quod nec omisit *Celsus*. Quòd si non fide, rationis saltem lumine sapientes, dæmonum has fraudes, & machinas, quibus imperitis & curiosis hominibus laqueos struit, etiam gentiles contempsisse apparet, & piacula habuisse: à quibus quantùm fugere oporteat abundè plurimis in locis Sacræ Literæ monent. Et certo certius est omnes illos, qui characteres & sigilla probârunt & defenderunt, damnatæ magiæ superstitionibus deditos fuisse, quales *Agrippa*, *Paracelsus*, *à Porta*, *Wierus*, & Platonicorum non pauci, *Platoni* suo fidentes, qui morbos incantationibus in universum sanari posse ausus fuit affirmare; quod etiam apud Lucianum, *Donatus Stoicus*, *Ioan. Platonicus Cleodemus*, imò *Pythagoras*, *Empedocles*, *Thyaneus*, & hujus farinæ sexcenti alii infamiter decepti opinati sunt: contra quos *Gaspar Cirulus* peculiari libro, *Æneas Robertus* jurisperitus; ex Theologis *Vilalpandus*, *Delrius*. *Bened. Pereira*; ex medicis *Vega*, *Hucherius*, *Sennertus*, *Langius*, *Valesius*, & ipse *Galenus* longè lateque disceptantes reprobârunt; nec defuit *Aristoteles*, qui calculum addidit, & incantamenta parvi fecit: & meritò quidem, cum prædicta omnia tanquam execranda, & diaboli fraude irretita abjicienda sint, à quibus nil salutis, aut utilitatis advenire possit, utpote à communi hoste profectis; qui salutis

In Pericle.

Lib. 7. cap. 23.

Lib. de morbo sacro.

Gal. 6. simplicium in proœmio.

Lib. 9. cap. 4.

Lib. 5. cap. 27.

4. de rep.

Lib. 8. de hist. Anim.

spe

ſpe deludens nil aliud cogitat, quàm animæ parare inſidias, & incautos decipere, dum, curioſè magis quàm conſultè, miſerabiliter ſe irretiunt, & hujuſmodi characteribus, diaboli aſtum minimè agnoſcentes, utuntur; cùm tamen nil aliud ſint quàm pacti ſigna diabolica, quibus datis ad ſtultorum animas præſtò advolat, ut vagas illorum mentes obcæcet, honoremque & benedictionem ex naturalibus remediis ſummo Deo ſoli debitam, profanet, & ſibi gloriæ avido peſſimè arroget: hæc, inquam, longè amandanda; quæ, obſecro, divina pietas ab omnium mentibus avertat, ne ſpurciſſimæ, & viliſſimæ creaturæ, cujuſmodi diabolus eſt, inſerviamus. Effectuum enim, qui talibus rebus aſſignantur, nulla naturalis cauſa inveſtigari poteſt; ſive enim in metallo, ſive in gemma, aut quavis alia ſubſtantia imprimantur, nec ratione ſubſtantiæ, nec figuræ, nec ſitûs, aut cæleſtium ſignorum, aut ſiderum vi, nec imaginationis, aut ſympathiæ, antipathiæve, tantam efficaciam poſſunt obtinere; præcipuè quoad monſtrificas illas virtutes, quæ partim fabuloſæ ſunt, & commentitiæ, partim inimici fraudes, & execrandæ ſuperſtitiones, ex hominum mentibus potiùs eradendæ, quàm inani labore an hoc, aut illo modo operentur, inquirendum de quo latè *Anſelmus Boëtius* in eleganti ſuo opere *de lapidibus & gemmis* videri poterit.

Sit igitur communis concluſio. Characteres, periapta, appenſa, ſigilla, & quomodocumque vocari libeat, ſive hac aut illâ figurâ inſtructa, ſive literis inſcripta, in hac aut illa ſubſtantia, cereâ, ligneâ, metallicâ, aut lapidibus, gemmiſque impreſſa, omnia hæc in medicinæ uſum, & pro morborum curatione minimè accipienda: nec enim illorum materię, aut ſigillo impreſſo, ex quibus conſtant, ulla adſcribi poteſt vis; quippe materia, quę à natura eſt, nullam vim habere poteſt ad miracula illa, quæ illorum authores prædicant; nempè ut hominem apud alios gratioſum reddat, ad Principum favorem, ad victoriam in bello, cauſiſque civilibus, felicitatem in mercatura, ad conciliandos amicos, ad ſummos aſſequendos honores, & omnium votorum compotem reddendum, & ſexcenta alia, quæ inſulſi fraudulentique impoſtores diabolicâ arte inſtructi promittunt; multo minùs ad morbos vincendos, adverſus quos nullam obtinet energiam, aut contrarietatem. Nam ſi tales materiæ prædictam vim haberent, etiam ſine charactere & figura illam haberent, quemadmodum magnes, & aliæ gemmæ, quæ ſub quacumque figura, & ſine ſigillo ullo eandem ſortiuntur efficaciam: dicti verò characteres nil aliud ſunt, quàm artificis idea, cui hoc aut illo modo placuit imprimere & ſigillare; & nec ab artifice, nec à ſe ipſis vires ullas habere poſſunt, cùm ex ſe nil ſint aliud, quàm figuræ, & harum nulla in agendo efficacia, cùm ſint ſolum quantitatis nugaces quædam qualitates; agendi verò vis à ſubſtantia principaliter oritur, quæ per ſuas qualitates efficax eſt, non per impreſſam figuram aut ſigilla.

Nec poteſt dici ſubſtantiam à cęlo affici, ut tantam operandi vim ſortiatur; hoc enim à ratione alienum videtur, quia æquè afficeretur ſi characteres nullos haberet inſculptos; nec iſti aliquam diſpoſitionem in materia afferũt, ut cęli influxum & vim recipiat; quia nulla characterum cùm cęleſtibus ſimilitudo, cùm rerum naturalium cum naturalibus, & non cum artificialibus conſenſus ſit; multo minùs cum imaginatione, cui tantum effectum tribuere nituntur, quia licèt aliquando aliquid operetur, conſtat hoc ex accidenti facere ob animi affectus ejus, qui curatur, non verò per naturalem characterum, aut verborum potentiam: ſicuti enim timor, mœſtitia, aut deſperatio morbos augent, & ægros lædunt; ita confidentia & alacritas plurimos ſublevant, atque ita ipſa imaginatio per eos animi motus morbos tollit, aut ſaltem minuit, aut in eis qui vehementiſſimè confidunt, opinionem efficit ſanitatis. Quare generaliter loquendo appenſa ſic conſtructa, (exceptis ſacratis reliquiis & benedictis) ſuperſtitioſe ſolùm prodeſſe fatendum eſt, & à cauſa ſupernaturali, nempe à dæmone, qui vi pacti tacitè invitatur & advocatur. Quæ ludibria licèt olim aliquid ponderis habuiſſe adnotatum ſit, Chriſto jam nato omnis dæmonibus poteſtas adempta eſt; proindè tales nugas, ut in Chriſtum blaſphemias, abjiciendas, puniendas, & ſeverè deteſtandas cavent S S. Canones, vetantque ne quis periaptis, annulis, ſigillis utatur pro recuperanda ſanitate deperditâ, quam poteſt à Deo conſequi, & à medico divini ejus nominis adjutorio. Ne igitur in ſummum Bonum injurii, falſis promiſſis decepti, ad Plutonis tartara de morbis conſilium petituri, & ad ſagas confugiamus, illud utique timentes ne *Ieremias* à nobis ſciſcitari poſſit; *Numquid reſina non eſt in Galaad, & medicus non eſt ibi?*

Can. 16. quæſt. 5.

Cap. 8.

Probatur ulteriùs: nam effectus omnis, qui superat naturæ aut artificii solertiam, si nullatenùs constat quòd sit divinus, de pacto est suspectus; dum enim nec miraculi, nec naturæ vis, nec artificii industria intercedit, superstitio intervenit, & pacto cum dæmone inito tribuendus est, ut probat Angelicus Doctor. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 4. Cajetanus *in summ. V. Incantatio.* Franciscus Viet. *in relat. de magia. nu.* 16. Fernelius 2. *de abdit. cap.* 16. Quarè ex hoc capite suspectæ sunt morborum curationes, quando nulla res naturalis intercedit, cujus vi, aut divina, cujus virtute sanitas recuperetur. Ita ex medicis docent Vairus *lib.* 2. *de fasci. cap.* 9. *&* 10. Codronch. *lib.* 2. *de morbis venef.* Adscribuntur quippè dæmoni, quæ nec à Deo, nec à natura mirabiles præstant effectus: tenent D. Thomas *ubi suprà*, *& opusc.* 25. *de sortil.* Martinus Arles *tract. de superst.* Simancus *de cathol. instit. tit.* 62. *nu.* 33. Chrysostomus *hom.* 43. *in Matthæum cap.* 23. D. Augustinus *lib.* 1. *de cæremoniis & dist. cap.* 31. ad quod genus pertinent omnes ligaturæ, annuli, sigilla, characteres, qui ab aliquibus impiè recitantur; quoties enim imagines adhibentur, quæ nec sunt Dei, aut Deiparæ, aut alterius Sancti percogniti, aut aliud signum præter crucem, aut ipsa crux, aut etiam ista, si aliter ac decet applicentur, de pacto suspicandum est; quia plerique magorum crucibus & aliis rebus sacris incantationes suas occultare solent; qui facilè deprehenduntur, si determinato numero, si tali, vel tali hora, aut sub tali cæli constitutione facere jubeant, vel aliquid simile, quo manifestam idololatricam doctrinam ostendunt. Contendant licèt Platonici, quos impiè defendere nititur *Lud. Dulci* supra cit. ex magico Ptolomæi aphorismo etiam suprà adducto; quod falsum est & hæreticum, quia, ut ait textus *in cap. non licet. nu.* 26. *quæst.* 5. non licet Christianis tenere traditiones gentilium, & observare elementa, aut lunæ, aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam. Omnia quippè anteà dicta, characteres, figuræ, sigilla, annuli, lina, lintea, appensa, materialiter sumpta inania sunt, & inefficacia, imò superstitiosa & vana, vimque nullam ad morbos sanandos habent. Probant Picus Mirandulanus *lib. de magia*, Delrius, Villalpandus, ex medicis Bened. Veron. *lib.* 7. *cap.* 25. *Symphor.* Campegius *in annot. contra Concil.* Brabus petraph. *lib. de Marsis & Psyllis.* Peucerus *lib. de incantat.* & alii plures jam citati: sunt enim omnia à vanitatis authoribus inventa, plebeiis, empyricisque pariter notissima, & ab antiquis philosophis derisa. Sic illa vulnerum prodigiosa militum curatio, & aliorum morborum, quæ ex improviso fiunt, manifestè dæmonis & pacti vim arguunt, cùm naturaliter non nisi longo tempore fieri possint; & tamen ipsi, aut per ipsos diabolus repentè operatur, immediatè per motum localem humores immutando, sic morbos affert, & aufert, aut activa passivis applicando, ut docent Langius *lib. epist.* 38. Marcel. Donat. *lib.* 2. *cap.* 1. Gemma *lib.* 2. *de sign. charact. cap.* 4. Delrius *lib.* 2. *quæst.* 8. Quæ tamen curationes, nec certæ, nec tutæ, sed periculo plenæ, & fallaces sunt, ut advertit Falopius *tract. de vulneribus in gen. cap.* 14. imò recidivationis periculo plenæ, & captiosæ, cùm hostis communis, & inimicus satanas nobis nullum bonum unquam facere intendat, sed ut majora, & deteriora animæ inferat damna, eoque tantum abblandiens mentitur, ut hominibus imponat, ut docet Joannes Heurnius 3. *praxis cap.* 28. nam ut ait *tex. in cap. qui sine, quæst.* 2. *Qui sine Salvatore salutem vult habere, & sine vera sapientia existimat prudentem se fieri; non sanus, sed æger, non sapiens, sed stolidus in damnatione æterna permanebit.* Optimè namque D. Chrysostomus *hom.* 8. *Citius mors homini Christiano subeunda, quàm vita ligaturis redimenda.* Hinc meritò D. Augustinus *serm.* 46 *de sanctis*, *& lib. de honestis mulieribus*: *Qui malunt ægrotare & mori, quàm Deum offendere, admittendo sortilegos.*

Restat tamen de aliis inquirere, quæ citrà ullum pactum, nec ullo dæmonis interventu frequenter à medicis adhibentur, collo appendentibus lapides, gemmas, radices, herbas, & hujusmodi alia, quæ adversùs morborum vim multùm valere prædicant; & in medicorum libris legimus quàm plurima præscribi, & in praxis usum adduci, colloque appendi, & monilibus gestari multa: nam ut anteà dicebamus, nulla est ægritudo, cui tot tantaque ridicula & fabulosa inventa sint, sicuti epilepsiæ, ad quam, & ad fascinum, nephritidem, colicam, dysenteriam, conceptum retinendum, & adversus pestem tradunt efficacem præstare operam; ad commitialem præsertim innumera sunt, quæ prodesse dicuntur, & nulla ferè, quæ utilitatem præstent; ex lapidibus, lapis hirundinis, lapis ætitis, corallium, pyrethrum; ex gemmis chrysolitus, chelidonius, rubeus, smaragdus, collo suspensa. Ex animali-

12

13.

14

malibus, frons asini gestata; ex illius corio zona, vel lupi calcis ungula in pugno complicata, vel annulo inclusa, & annulari digito inserta; dens etiam lupi, aut canis, & infinita alia, quæ longum esset adducere; sed præcipuè Pæoniæ radix tam ab omnibus commendata, quàm effectûs irriti, ac virtutis nullæ: quod *Mercurialis* animadvertens, tempestate nostrâ aut amissam eam judicat, aut quòd hoc munere simus indigni; *quia* (inquit) *nunquam vidi aliquem quidquam beneficii inde habuisse*; quod quoque Gerardus *in viatico* primus adnotavit. Causam verò affert *Nicolus* quòd virtus reperiatur solùm in ea, cujus radix quando frangitur designat interius sculptum crucis signum: atque ideò Avicenna *lib. 2. cap.* 124. expertum à se memorat lignum crucis ad epilepsiam, cujus loco pharmacopolæ viscum quercinum nobis exhibent, lignum crucis communiter vocantes, ut *Gentilis Fulginas* & *Iacobus de partibus*, etiam faciunt. Verùm an ob dictam causam Pæoniæ radix efficaciam non habeat illam à *Galeno* & antiquioribus aliis celebratam, an ob alias causas, quas doctè attulit *Gallego de La Serna*, disceptent alii; ego nullam, aut contemnendam vim unquam expertus sum; experientiam suam afferant alii, quibus meliori fato suis dotibus completam radicem invenire datum est. Pro fascino item plurima sunt, quæ à vetulis, & empyricis partim superstitiosa, partim naturalia commendantur: de primis satis damnat *Cartagena* Hispaniæ quasdam vetulas, de malis artibus non parùm suspectas, quæ quibusdam figuris & characteribus nituntur pueros à fascino absolvere; ex omnibus quippè empyricis ille stultior est, & ineptior, qui aut verbis, aut characteribus refertis codicillis collo appensis, morbos curari posse putat: & ad fascinum curandum, si non superstitiosum, ridendum tamen est, ab ipsis vetulis usitatum remedium, quòd ex veste fascinantis, ipso inscio, frustulum incidunt, quo igne combusto fascinatum suffumigari jubent; quæ meræ sunt nugæ. *Vairus* multa adversùs fascinum priscis usitata collegit, quibus tam invocationibus, quàm ex plantis, radicibus, herbis, animalium partibus utebantur; cujusmodi satyrium orchis dictum, alyssum à *Dioscoride* commendatum, ex *Aristotele* ruta, ex *Democrito* Catochitis lapis, de quo mira *Plinius lib.* 37. *cap.* 10. hyssopum, lilium, magnæ bestiæ ungula, frontis Hyænæ corium, suffumigia ex thure: suspendunt alii hyacinthum, sapphirum, carbunculum, heliotropium, & similia alia, quibus manifestam aliquando inserunt superstitionem, aliquando naturaliter operari posse credunt, ut de argento vivo, aut sublimato, pixidibus & argenteis globulis incluso, & turpiculis ex gagate figuris, quibus teneros infantes quotidiè videmus onustos. Plura tandem refert *Plinius*, & *Aristoteles prob.* 20. Quæ omnia *Valesius in sacra philos. cap.* 68. ut superstitiosa damnat, ac rejicit; de singulis quomodo possint effectum præstare, legatur idem *Valesius* & *Fontecha*, *Vairus*, *Cartagena*, & alii qui de hac re ex professo tractârunt. Illud tamen advertendum, in argenti vivi, aut sublimati pixidibus nil esse quod culpari possit; vel enim paulatim assuefaciendo, aut per sympathiam trahendo malignos & venenosos vapores, non est dubium quòd naturaliter aliquid operari possint, ac utiliter gestari: quemadmodum gagates lapis, quem vel ridiculis figuris distrahendo, ut plerique opinantur, vel ob peculiarem virtutem, quam adversùs malignam qualitatem habere dicitur, prodesse assiduus vulgi usus probat, & docet *Marbodeus cap.* 29. Prætereà ad alios morbos, colicam, nephritidem, & ad multa alia apud *Montuum* in anasceve & in halosi febrium commendatur; quemadmodum apud *Pereda*, in singulis morborum capitibus, & apud alios qui de occultis proprietatibus scripserunt, varia adducuntur, sed commentitia multa, & quæ effectum comprobent perpauca.

15. [...]ia ra[...]uare [...] nul[...]ffica[...]ive[...]r.

Tract. 3. de rat. alendi infantis.

Lib. de fascino.

16

Lib. 26. cap. 4. & lib. 28. cap 4. & 8. Lib. 13. cap. 4. Privil. 10.

17

Pro quibus omnibus dicimus, hæc omnia dupliciter in usum venire, & ægrotantibus applicari: vel enim istorum aliqua, mediante pacto, adhibentur, obmurmuratis verbis, characteribus, aut sigillis inscriptis, certo numero, die certo, vel quomodocumque superstitionibus involuta: quæ ideò his & illorum naturâ examinatâ cognosci possunt, si naturaliter tantam vim habere non posse deprehendantur, nec à peritis, & doctis medicorum libris ut tali efficaciâ dotata approbentur; tunc enim de pacto sunt suspecta, & ut talia abjicienda, partim ut vana, partim ut ridicula. Multa enim talia esse inventa sunt, à perditissimis, aut superstitiosissimis quibusdam ordinata, linteolis consuta, præstitâ fide, ne, quid intùs haberetur, aliquando conspiceretur; quæ tamen detecta, dæmonis lusus, absurda, & horrenda ipsius ludibria, quibus homines decipiendo delectatur, inventa sunt. Hujusmodi aliqua narrat

Min-

Mindererus inventa, quemadmodum illius, qui in charta scripsit pro ophtalmia: *Corvi oculos tibi eruant, & diabolus suo stercore cavitatem repleat.* Alius amuletum servabat religiosissimè, quo à febre liberatum se fuisse credebat; inventum est autem sic scriptum: *Rapiat eum Dæmon, & similes ejus.* Simile fuit alterius, qui pro dentium dolore appendere solebat: *Strigiles, falcesq; dentatæ, dentium dolorem persanate.* Pro eodem morbo in alio, cui periapton suspensum fuerat, sic inventum fuisse refert Heurnius: *Diabolus tibi rumpat collum.* Hujusmodi ineptiæ quotidiè accidunt multæ, & in libro qui dicitur *Floresta Española*, ridicula hujusmodi leguntur aliqua; ut hinc notissimum sit, quæ fides istis adhibenda, & quàm circumspectè quisque se gerere debeat, ne in similes diaboli technas incidat.

18. Cap. 15. threnod. Lib. 3. meth. c. 21.

19. Secundò, in communi usu sunt multa ex gemmis, lapidibus, herbis, radicibus, quibus quotidie uti videmus, & in medicorum libris frequenter legimus; quorum licèt multò inferior sit virtus ab illa, quæ prædicatur, & effectus raró conspiciantur, qui illorum efficaciam comprobent, aliquando tamen aliquid præstare observatum est, vel ex propriæ naturæ & materiæ vi, vel ex gestantis imaginatione, vel quomodocumque eveniat; dummodò citra omne pactum adhibeantur, methodicâ curatione in usum venire poterunt: nam licèt minùs efficacia sint, in gratiam tamen ægrorum corpore aut animo laborantium, illis licitè uti posse dicimus; hoc enim modo animorum superstitionem, & impostorum fraudem minimè confirmamus; de his enim, ut

20 *Conciliator* ait, *ut libitum fuerit, quisque opinetur.* Dolus etiam aliquando bonus permittitur, licetque hostem morbum quâcumque ratione oppugnare; quia ut in præcedentibus ex *Gabriele Ayala* dicebamus, dummodò nullum contra religionem peccatum committatur, omnia sunt licita. Sic ille in suis epigram. medicis:

> *Prosit ut ægrotis, medicam nil dedecet artem,*
> *Id fiat salvâ relligione modò.*
> *Vana superstitio procul hinc, magiciq; susurri,*
> *Nemo tanti à queis decipiatur, emat.*

QVÆSTIO VIGESIMAQUARTA.

An aliqui possint inveniri homines, qui ex innata, & ingenita virtute morbos curent, aut venenis resistant? Obiter de gratis data virtute, quam Reges Hispaniæ & Galliæ pro sanandis scrofulis habere dicuntur.

NOn est hæc quæstio de admiranda illa & supernaturali virtute, quâ probi & sancti viri, divinâ auxiliante gratiâ, miraculosa, & supra naturæ vires miranda præstant opera, omnem hominis potentiam superantia; de quibus D. Paulus: *Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus: unicuique autem datur manifestatio spiritûs ad utilitatem, alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu.* Ita quàm plurimi viri sanctitate conspicui, vivi & defuncti, per donum curationis medici fuerunt, in quorum miraculis recensendis nullus certè finis inveniri poterit. Porrò, ut & hoc obiter advertamus, eximia Sanctorum virtus in morbis expellendis, & divinæ potentiæ vis ex his cognoscitur. Primò, quòd potissimùm ægrorum sanitas non in corpore tantùm, sed in anima etiam appareat. Secundò requiritur, ut morbus vel impossibilis, vel curatu difficilis extiterit; quia miracula circà ardua non circà levia fiunt. Tertiò ut sit gravis, ut febris ardens & maligna, veluti quâ laborabat socrus D. Petri. Quartò requiritur, ut talis morbus non sit in ultima parte statûs, ita ut non multò post naturaliter declinare deberet. Quintò, ut sanitas fiat subitò. Sextò, ut sanatio sit perfecta, non manca, aut concisa: miraculum enim, ut opus à perfectissima & supernaturali causa dimanans, perfectum & absolutum esse debet; quare morbi metastasis in alium morbum, licèt leviorem, si aliter non constet, miraculosa non est habenda. Septimò, ut nulla notatu digna

Ad Corint. cap. 12.

1. *Morbum miraculosè sanatum fuisse ex quibus cognoscatur.*

gna evacuatio præcedat; quia si accidat, tunc merè miraculosa sanatio dicenda non erit, sed vel ex toto vel ex parte naturalis. Octavò, ut recidiva sublato morbo non contingat. Quæ signa morbum miraculosè sanatum attestantur, & diversam indicant sanationem ab illa, quæ fortuitò, naturaliter, aut artificialiter evenire consuevit: miraculosas quippe curationes accidere idem *Hippocrates* fatetur, aut saltem insinuare videtur *lib. de decenti ornatu*; quod tantò libentiùs attuli, ne homines, & præcipuè medici, facilè decipiantur; exquisito enim examine in his opus est, ut tradit *Rocca*. Hoc enim modo, & secundùm conditiones adductas, evenerunt curationes, de quibus in Sacris paginis mentio fit. Non enim in quavis ægritudine, sed in illis, quæ naturalem remediorum vim superant, & incurabiles plerumque sunt, in nomine Jesu Christi miracula conspiciuntur, citoque ac velut repentè morbi recedere visuntur, nullis reliquiis ulteriùs recurrendo; multò aliter ac medicamentis contingit, ubi quantumlibet potentiora sint, quantusque medicus & solertissimus artifex, qui libratim veniunt, non nisi unciatim exire consueverunt.

De Canonizat. Sanct. cap. 25.

Solùm igitur est dubitatio, an ingenita sanandi facultas alicujus aut plurium morborum naturaliter in aliquo homine possit inveniri, & an visu, afflatu, contactu, aut aliter credibile sit, quòd naturaliter homo homini deperditam possit restaurare salutem. De visu inprimis sunt qui cum Platonicis affirment, quod ex eo conantur probare, quòd visio aliquid ab oculo emittendo fiat, quod amor ex mutuo concilietur aspectu, cujus tanta vis in movendis humoribus, ut de adolescente narret *Cornarius*, cui in conspectu Amasiæ sanguis spontè, ruptâ in temporibus venâ, prosilierit; quòd vetula solo aspectu tenerum puerum fascinare possit, & specula vitiare. *Apollonides*, & ex eo *Solinus* scripserunt in Tartaria mulieres esse, quæ iratæ visu interficiebant, de quo multa collegit *Nierembergius*. Addunt Galgali, sive rupiculæ avis vim, de qua Plutarchus 5. *Sympos. q.* 7. ex Heliodoro *lib.* 3. *hist. Æthiop. cap.* 2. tradit, si oculos in ictericum defigat, sibi morbum, ægro sanitatem commutare. Gallinacei & Reguli deindè efficaciam afferunt, ille quòd leoni animalium robustissimo formidinem incutiat; hic quòd propè accedentes interficiat, & semetipsum, si in aquam vel speculum inspiciat, enecare sit potens, ut refert Gordonius *lib.* 1. *cap.* 14. de quo celebris est historia apud Sennertum *ex Ioan. Pinciero ænigm. lib.* 3. *ænigm.* 23. Addunt etiam lupum, qui conspecto homine, vocem eripiat; tardigradam testudinem, quòd oculis ab ovis fœturam excutiat, quod de Strutio camelo etiam proferunt; & ne in his exemplis latiùs divagemur, cum prædictis multa alia leguntur apud Delrium *lib.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 4. & apud Fienum *de virib. imaginat. quæst. etiam* 4. quæ videri possunt; quibus nos addere possumus ex *Scaligero* piscis Arati fluvii prodigiosam naturam, ad cujus contactum febres accenduntur, à quibus dimisso pisce statim liberantur contrectantes.

Lib. 1. cap. 3. consult. med.

Parte 2. occultæ Philo. cap. 28.

Lib. 7. epit. natu. scientiæ. cap. 10.

Exercit. 218. nu. 6.

4. Deindè ad rationes transeunt, quarum potissimæ hæ duæ sunt: Si dantur homines & animalia in rerum natura, quæ visu & interventu tantoperè nocent, erunt & alia, quæ à contrario prodesse possint; siquidem Philosophorum concors est sententia, si in natura rerum reperitur unum contrarium, debet & dari reliquum. Secundò ajunt: Si in herbis, lapidibus, animalibus, inveniuntur admirabiles virtutes sanandi, quid obstat sic in hominibus inveniri posse, & ut tenet *Pomponatius*, quòd in aliquo homine detur virtus unius herbæ, in alio gemmæ? Quod asserere non dubitârunt *Fulginus* medicus, *Agrippa* magus, & *Paracelsus* hæreticus; qui impiè Salvatorem nostrum Christum ob similem temperiem tot sanationis miraculis claruisse, dicere non erubuerunt: & ad hanc doctrinam confirmandam, afferunt Epirotarum Regis Pyrrhi digitum, cujus contactu lienosos persanabat (alii & febres persanâsse addunt) & cæci historiam, quam *Tacitus* scribit, & ex Spartiano refert *Rhodiginus*, cæcum à nativitate ex Pannonia venisse, & ad Adrianum Imperatorem febrientem accessisse, à quo contactus Imperator ut fuit, simul illum reliquit febris, & cæcus visum recuperavit. Vetulam etiam aliam narrat *Spartianus*, cùm ejusdem Adriani genua osculata esset, à cæcitate liberam fuisse; & de Vespasiano idem *Tacitus* mancum sanasse, pede & brachio contactis.

Lib. 2. Lib. 11. cap. 13.

5. Ulteriùs nobis proponunt Christianissimi Regis Galliæ admirandam virtutem, qui tactu, & salivâ strumas certissimè curet; quod etiam de suo Rege Angli aliqui affirmare ausi sunt: quibus addere possumus insignem nostrorum Regum Hispaniæ prærogativam in obsessis à dæmone liberandis, quod non contemnendi asserunt

Scriptores, quos infrà citabimus. Tandem *Plinium* exhibent multis in locis de Psyllis & Marsis, quibus naturaliter adversus serpentum ictus vim inesse narrat. *Contactu* ait *demorsos juvare, & manu impositâ venena extrahere, atque ideò Ophiogenes vocatos*, quod ex *Cratii Pergam.* authoritate tradit, & ex *Calliæ* monumentis refert Ælianus, *nil* inquiens *æquè morsui Cerastis serpentis pestiferi succurrere posse, ac Libycum natione Psyllum*; cujus curandi modum proponit: *Hic namque* (ait ille) *initio plagam salivâ fovebat, deindè malo increscente multam intrà dentes aquam hauriens eaq; os suum colluens, ejectam in poculo, vulnerato sorbendam tradebat; quòd si venenum invalesceret acriùs, nudus ipse nudo ægrotanti accubans proprio suo corpore morbi vim ita debilitabat, atque frangebat, ut totum hominem liberaret.* Similem vim in Italia Marsorum genti inesse ipse *Plinius* & *Solinus* narrant; horum etiam meminit Strabo *lib.* 7. ubi Psyllos dicit apud Cyrenaicam regionem naturalem vim habere contrà serpentes, sicut & Tentyricos, Nili accolas, adversùs Crocodilos, ut nil ab eis patiantur; cumque reliquos homines occidant, tamen ab illius insulæ habitatoribus tantùm abhorrent, ut vocem illorum timeant, ac fugiant; quod etiam *Plinius* scripsit. Cæterùm de Psyllis confirmat *Varro* apud Priscianum *lib.* 1. *rerum humanarum*; ubi eos ait probari, admoto, qui ictum impingat, serpente, & cùm pupugerit, si de genere sit, vivere; sin aliter, emori. Propterea mos erat liberos statim genitos sævissimis objicere serpentibus, eoque modo pudicitiam conjugum experiri; quorum tantum odore sopiebantur, aut fugiebant, sed minimè ab illis, qui illegitimo thoro erant nati. Addit aliud signum *Plinius* ejusdem familiæ, veris tempore odoris virus; ubi etiam exemplo confirmat Exagonis legati, Romæ à Consulibus in serpentum dolium experimenti causâ conjecti, viso statim miraculo circum mulcentibus linguis serpentibus, nec noxam ullam afferentibus. Porro de Psyllis *Gellius* & *Celsus* meminerunt, qui ad audaciam magis, quàm ad specificam naturæ contrarietatem aut adversam venenis vim illud videtur referre: sed peculiares hujusmodi hominum naturas fuisse non illi solùm confirmârunt, sed alii de quibus apud authores mentio fit; quemadmodum de Antagora Argivo refert *Marcellus Donatus*, qui ex scorpionis ictu nullum dolorem sentiebat, & Æthiopes, qui ex adverso Meroum habitant, Hydaspis fluvii accolæ, citrà ullum periculum scorpios & serpentes alios esitant; fortasse Candæi dicti, de quibus *Plinius* idem narrat. Quid mirum? quandoquidem legamus reperiri quorundam hominum proprietates à communi aliorum natura valdè dissimiles. *Rhodiginus* ait, Avicennam scripsisse tempestate sua fuisse hominem, quem serpentes fugerent, pereuntibus statim, qui ad illum appropinquâssent: *Albertus Magnus* ait vidisse Coloniæ Agrippinæ puellam, quæ araneis toto vitæ suæ tempore innoxiè victitabat. Mitto (si verum fuit) quod de pueris *cap.* 3. *de motu animalium*, refert in Germaniâ natis, quorum altero prætereunte secundum latus dextrum, altero verò secundùm sinistrum, clausa aperiebatur janua; quorum etiam meminit Langius *epist.* 35. Demophon quidam, qui *Alexandro* mensæ instructor fuit, ad solem stans frigebat, algebat in balneo, calescebat in umbra. Nescio an magis stupenda Veneti hominis natura, qui authore *Rhodigino* quò magis plagis impensè cæderetur, eò ardentiùs in coitum obortâ tentigine præceps ferebatur. Brabus *lib. de hydroph. fol. mihi* 79. scribit Salmanticæ hominem se novisse, qui in lecto ubi jacebat, cimices omnes & pulices mirè fugabat, ut brevissimo spatio transacto non lectum tantũ sed cubiculum desererent. *Isidorus* etiam author est, quasdam in Africa esse familias, quarum verbis probata intereant, arbores arescant, ac pereant infantes. Et nostro sæculo, ut ait *Aldrovandus*, quidam miles per Cataloniam vagabatur, qui laudum præconio aliquid persequens penitus exterminabat. Exempla forent infinita, si ad antipathias, & ideosyncrasias descendamus, de quibus qui plura voluerit, adeat Marcell. Donat. *lib.* 6. *cap.* 3. Schenck. *lib.* 7. in fine. Zacutum *in praxi miranda lib.* 3. *cap.* 103. 104. Rhodig. *lib.* 11. *cap.* 13. & præcipuè Niereмb. *in occulta, & curiosa Phil.* passim: quorum plurima etsi propter raritatem in admirationem nos rapiant, & fabulosa videantur, credenda tamen sunt; quippè in mirifica naturæ majestate possibilia sunt, quæ talia non videntur; & ut optimè D. Augustinus, *Non ideò negandum quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est.*

Itaque ad assumptum probandum ajunt multùm facere hominis cujusque jejuni salivam, quæ viperæ, scorpioni, & venenatis omnibus exitium est, & venenum; quod non tacuit in theriacis Nicander: cum quo sentiunt *Plinius*, & *Galenus*; & de facto credunt inventos fuisse aliquos, qui curandi, & sanandi efficaciam in se habuerint. Sic ex Michaële de Medina *lib. de recta in Deum fide cap.* 7. puerum afferunt, quem Salman-

Margin: 6. 7. 8. 9. 10. — Lib. 7. cap. 2. — Lib. 1. hist. anim. cap. 27. 28. — Lib. 7. c. 2. Soli. cap. & 40. Plin. lib. 28. cap. Lib. 8. c. 25. & lib. 28 cap. — Lib. 28. cap. 3. — Lib. 16. cap. 11. Cels. lib. cap. 27. — Lib. 6. cap. 3. de medica hist. — Lib. 6. cap. 29. Lib. 11. cap. 13. — Lib. 11. cap. 15. — In monstris, titul. de mirab. humanæ nat. — De bono præs. cap. 14. — Lib. 28. cap. 4. Lib. de inæquali intemp. cap. 6. & lib. 10. simpl.

manticę fuisse ait, qui dicebatur donum sanitatis habere, & solo attactu à gravissimis morbis liberabat; de quo etiam meminerunt *Ficinus, Delrius*, & *Nieremb. lib. 2. cap. 23.* Ut jam minus videatur miraculum de echeneide, quę solo etiam attactu naves firmet, de Triballis, hodie Illyricis, de Thibiis, Ponti gente, qui solo visu fascinabant; si vera sunt quę *Plinius*, & ex Philarco *Plutarchus* tradidêre, de basilisco & catoblepa, qui visu interimant, teste eodem *Plinio*, & *Solino cap. 32.* Hodieque ajunt inveniri plures ex his, qui apud Hispanos salutatores dicuntur, apud Italos S. Catharinæ alumni, propter ejus rotę vestigia, quæ gestare dicuntur scapulis impressa, Belgę filios Paraceves dicunt, quia eo die nati sint; quos omnes dono sanitatis ad varios morbos præditos esse ajunt, & ipsi gloriantur contactu, afflatu, multos sanare. Quapropter Doctor Navarrus *in Manuali, ad primum præceptum*, scribit licitè illos suo opere fungi, quantumvis sint vitiosi & perditi homines, ex eo quòd illa gratia gratis data in aliorum hominum utilitatem sit: in quam partem videtur ire *P. F. Alonso de Vera Crux*, qui quærens, an hi afflatu virtutem habeant adversùs rabiem, aut aliud venenum; an verò supra naturæ vires operentur? concludit universaliter non improbandos, nec approbandos, cùm possibile sit, ut naturaliter sanandi virtutem habeant; & de facto aliquos viros esse, qui tactu infirmitates aliquas curent, scribit Baptista à Porta 8. *magiæ nat. cap. 15.*

[Margin: 5. Simpl. quæst 7.]

[Margin: 11.]

[Margin: In Physf. lib. 2. de anima.]

Hæc sunt potissima, quibus convicti plurimi tales dari posse homines asserere non dubitârunt, ut Petrus Moxia *lib. 1. sylvæ cap. 28.* & novissimè zacutus, qui 3. *de Principum hist. quæst. 31.* inquit: *Non est igitur mirum, si aliqui homines ingenitam sanandi facultatem sint adepti; nec est cur nos illorum saliva aut contactus attonitos reddat, cùm majora multò, magisq́ stupenda quotidiè evenire cernamus.* Mirum quòd ipse, qui tanta mendacia in Praxi sua miranda scripsit, aliquid hujusmodi à se visum non enarraverit; sed mirandum magis, quòd vanissimis exemplis convictus *Brabus Petraphitanus*, (ex quo ipse *Zacutus* ad verbum transtulit) eodem modo affirmare ausus fuerit, deceptus prodigiosâ magnetis virtute, fascinantis anûs efficaciâ, adamantis robore, qui non nisi hircino sanguine teratur, & aliis, quæ ad propositum nil conducunt: quarè concludit in fine libri, intelligi rectè posse, naturæ potentiam, quæ in parvulis & minutulis conspicitur, in homine eadem præstitisse; nec credere (ait) difficilè debemus, virtutem, quam plantis, lapidibus, aut bestiolis natura largita est, homini abnegâsse, vel elargiri non potuisse: quæ Pomponatii, & aliorum hæreticorum suprà relata fuit opinio. Consentire videtur *Iulius Alexandrinus*, nec improbat *Fragoso in glossa*: & sanè vulgus, præcipuè apud Hispanos, eandem tenet opinionem, apud quos in omni civitate, in omni loco frequenter inveniuntur perditissimi homines, & vino madidi (salutatores dicunt) qui diebus præsertim festis in foro, & publicis locis Christi Salvatoris nostri imaginem in cupro, stanno, ære, aut alio metallo sculptam proferentes ad ruralium præcipuè hominum conciones accedunt, & facto crucis signo in Dei nomine benedicunt, oris afflatu in singulos exhalantes, & verborum quodam susurru deprecantes, ut Dominus illos ab omni rabie animalium & ferarum veneno liberet, atque defendat, malasque ægritudines ab eis avertat; tandem pauco potiti argento discedunt: ipsi verò ex illâ potissimùm die à rabidi canis morsu tuti esse creduntur, in quorum mentibus tam altè hæc fixa est dementia, ut aliquando demorsi eosdem salutatores, (nebulones potius, & proditores) festinanter quærant, ut ab illis tangantur, & illorum benedictione, & afflatu ab imminenti rabiei periculo reddantur securi, sicque nullam aliam plagæ curationem necessariam existimant. Memini unum vidisse, qui hâc medelâ confisus post duos menses in subitum aquæ tumorem devenit, citoque extinctus est.

[Margin: 12.]

[Margin: Tract. de Marsis & Psyllis.]

[Margin: Lib. 2. salubrium. c. 12.]

Sed ut ulteriùs hujusmodi hominum fraudes detegam, lepidam unius historiam narrabo. Cùm aliquandò carcere detentos quosdam amicos inviserem, forsan ibi incarceratus tenebatur unus, qui Dominicâ die appropinquante ergastuli custodem rogabat, ut se foris exire permitteret; quòd ita pecuniam, quam illi dare oportebat, facilè acquirere posset, suis in frequenti hominum cœtu benedictionibus utens; quo factum est ut amici hoc audientes ab illo sciscitari cœperint, undenam habuerit notitiam se tali ac tantâ præditum fuisse virtute? Quibus respondit, se à propria matre hoc accepisse; & rursùs interrogatus, unde mater hoc agnoscere potuisset? dicebat, quòd dum puer esset, & cum matre ad ostium domûs sederet, rabiosus canis à pueris insecutus fortè præteriret, tunc illi matrem audacissimè dixisse, quòd obviam cani rabido exiret,

[Margin: 13.]

V 2 ac

ac in illum expueret, ac exsufflaret; quod cum audenter fecisset, protinùs demortuum cecidisse canem: sed cùm postremò illi instarent, & mera omnia videri mendacia dicerent, cùm mater nullâ ratione aut certitudine ducta illud facere potuisset, ut ultrò rabido cani filium objiceret, cùm nullam talis illius virtutis notitiam anteà habuisset; tandem convictus respondit: Domini, vos verum dicitis; sed cùm opificium nullum habeam undè victum acquirere possem, me facilè ex alterius consilio huic technæ accommodavi; sicque multorum inscitiam deludens victum quæro, & otiosè agens, singulo die festo, quo reliquum septimanæ optimè degam, sine labore lucror & fruor. Hæc fuit hominis confessio, qui ex alterius consilio dolosam fallendi artem profiteri se fassus est; quòd similiter & alios facere dicere non erubuit.

Incipiamus igitur ab his ultimis, & in plurium pectoribus altiùs defixam hanc de salutatoribus opinionem penitus eradicemus, quantumvis ex Theologis & medicis non pauci adhuc eandem probent, ac defendant. Sed inprimis non negamus

14\. Deum posse hominibus quibuscumque velit, improbis licèt & perditissimis, sanitatis prærogativam, & curationis donum gratis elargiri, sicuti & Prophetiæ gratiam Balamo & Saüli, aliisque concessit; credimus tamen piè, & quantum catholica patitur fides, sanandi morbos eximiam & præclaram virtutem, quam excellentiorem multò, quàm Prophetiæ donum judicamus, similibus nunquam tribuisse: imò hanc sibi, Apostolis, & ingenti virtute præditis aliis hominibus tantum semper reservavit; quia sicuti animi languores ille solus tollit, & aufert, sic corporis morbi supernaturali vi, vel per naturalia media ab ipso creata & benedicta, illius favore & gratiâ aspirante, solummodò expelluntur, ut admiranda ipsius patescant opera, & mirabilis sit Deus in Sanctis suis. Sic videmus sanctissimum ejus filium Salvatorem nostrum, ut potentiam suam ostenderet, & ut se hominibus notum faceret, multis miraculis claruisse; tamen bona illorum pars in plurimorum corporali salute restituenda visa est: sic pietate conspicui & sancti viri in sanctissimo JESU nomine omnem humanam vim superantia præstitêre opera, innumeros quotidiè à pessimis ægritudinibus liberando; quasi voluerit curationis miraculosum donum ad suæ Sanctorumque gloriæ ostentationem reservare, ut nullus, qui primum probitate & vitæ sanctimoniâ non excelleret, hæc præstaret; ne facilè hominum deceptæ mentes aliquem tanquam divinum colerent, & honore prosequerentur: & hanc judico po-

15\. tissimam causam ob quam adeò rarum sit talem hominem invenire. Sed quia dari minimè impossibile credunt plurimi, lynceis oculis examinandos esse meritò cum *Villalpando* & *Delrio* præcipimus, an gratiâ gratis datâ, an per pactum cum dæmone operentur? Quod maximè necessarium esse nemo negabit; nam si insignis virtutis hominum opera non prius probantur, quàm solerti indagine de illorum vita & virtute rigorosum fiat examen, quantò potius conveniens erit, ut abjectissimorum quorundam, & imperitorum, nullius plerumque probitatis, sed Baccho & deliciis inser-

Lib. 1. disq. mag. cap. 3. quæst. 4.

16\. vientium fraudes, & dolosæ artes examinentur? Et quis adeò erit amens, qui tot tantosque, qui urbes circumeunt & pervagantur, tam præclaram sortitos esse gratiam facilè credat? Quis potius commentitia, & diabolicæ fraudis plena illorum esse opera non præsumat? cum præcipuè ex illorum dictis & factis non difficilè conjectari possit talia esse, & meras nugas, inimicique astus, qui perpetuò illorum quàm plurimis assistit, & adjuvat: de cujus pacto sunt suspecti, præsertim cum dicunt se feriâ quartâ & sextâ majorem habere virtutem; secundò cum ajunt se in præsentia alterius salutatoris vim majorem habentis sanare non posse: cum præsertim, si divina illa vis foret, non retractari; si naturalis, etiam intendi deberet; ergò dæmoniaca & à malis, spiritibus, inter quos superioris ordinis inveniuntur, unde alter minorem cogit parêre, ut expressè tenent Victoria *in repetitione ad magiam*, Torquemada *colloquio* 3. & passim Delrius. Tertiò cum mentiuntur se alios, quos nunquam anteà viderunt, salutatores cognoscere; siquidem hoc non aliter quàm signo à dæmone dato vel imposito, quale dicunt rotam D. Catharinæ esse, facere possunt.

Sed quid evidentius ad id comprobandum quærendum est, quàm illud, quod jactant se per ardens ferrum, aut per acutam ensis aciem nudis pedibus innoxiè ambulare, ignitos carbones tractare, ardentem subire clibanum citrà noxam aliquam? Sancti quidem narrantur aliquandò aliquid hujuscemodi præstitisse, cum in maxima necessitate, & summo periculo aliquos in domorum incendio periclitantes, se & alios per medios ignes sine ullo damno liberârunt: sed quemad-

admodum in ardua necessitate, & à Deo adjuti hoc fecerunt; sic sine ullâ isti ipso diabolo comite, & vel apparenter, vel realiter vim ignis extinguente hoc facere valebunt: ubi enim non datur ingens, quæ cogat, necessitas, ad quid miracula præstabit Deus, ut ex consuetudine & frequenter ea fieri velit, quæ raritate admiranda ad suum tempus reservat? Cognitâ hac veritate apud solertissimos Scriptores de hoc negotio inquirentes, vanitatis plena mendacia omnia quæcumque ab his alexicacis, id est, malorum depulsoribus (immeritò tale nomen habentibus, nebulonibus potiùs) promittuntur, & perpetrantur, habita sunt; ut scitè ex nostris tenent *Codronchus*, *Vairus*, à *Castro*, & *Vega*, qui illos appellant ebrios incontinentes; quorum animi nullâ aut virtute, aut sapientiæ dote illustrentur; & illorum opera si quis probè advertat, superstitionis & fallaciæ plena esse, & à Catholica veritate aliena deprehendet, cùm ea dæmonum machinamentis, & pacto conficiant. Confirmat idem Fienus *lib. de virib. imag. in fine*, cum Mercato *tom.* 1. *lib.* 2, *quæst.* 168. *artic.* 45. ubi ait, illorum opera ficta esse, & diabolicæ superstitionis plena, à catholicaque Religione aberrantia; quin & Bodinus *lib.* 3. *suæ Dæmonolatriæ cap.* 2. salutatores Hispanos magos esse apertè scribit. Propterea citatus Vega *comm. in cap.* 3. *lib.* 1. *de dif. feb.* inquit, quòd si illi res commiteretur, libenter conscientiâ motus eosdem publicè puniret, tanquam augures, impostores, præstigiatores; quorum opera à Catholica fide sunt aliena. Nam cùm talium effectuum causa nec naturalis sit, nec divina, diabolicæ fraudi tribuenda est, ut apud Villalpandum 2. *de magia cap.* 59. probant *Ciruelus*, *D. Thomas*, *Sanchez* & alii: atque ita licèt multa pulcherrima appareant, & magni momenti esse videantur, nullatenùs tamen fidem illis adhibere decet, si ea vel ordinem, quem Deus in humano genere stabilivit, pervertere, vel ipsius verbo, quod nobis reliquit, adversari videantur. Quarè nequaquam illorum opera imploranda, aut admittenda, quæ in Dei contemptum, animæ etiam, reipub. & corporalis salutis detrimentum plerumque fiunt. Propterea rectè concludit *Villalpandus* ex eodem *Ciruelo*, vocantes eos, & fidem eis præbentes eodem pacto irretiri; in quod incidunt multi nil tale cogitantes: ut apud *Torquemada*, ejusdem pater, qui à canis rabidi morsu per unum curatus fuit, qui affirmabat sibi revelari ea, quæ procul in absentia fiebant. Mera sanè dementia, & dæmonis præstigium!

A Cast. lib. 4. de med. polit. cap. 3 Vega lib 2 de arte med. sect. 6

Colloq 3.

Sed cùm jam dictum sit, curationis donum, licèt à Domino, cujus manus non est abbreviata, cuicumque placuerit gratis dari possit, nulli tamen nisi pio, probo, ac virtute insigni homini elargiri; aliorum verò, & horum præcipuè nebulonum perfida esse omnia, & diabolicæ fraudis commenta: videndum restat, an naturaliter tantam vim habere possint? Fundamenta, quibus ad hoc probandum nituntur, ex *Pomponatio*, *Brabo*, & aliis suprà attulimus, ad quæ respondendo dicimus, falsò supponere, quòd visio aliquid extrà oculum emittendo fiat, quod ad visionem conferat; quia visio positis necessariis tantummodò per species fit ab objectis intus receptas: & licèt *Galenus* partim per receptionem, partim per alicujus ab oculo emissionem fieri statuat, adversùs illum cum *Aristotele* & pro veritate acriter pugnant *Laurentius*, *Fienus*, & *Henricus Chromanus*; quos per otium legere ne pigeat. Estque hodiè in scholis receptissima & verior opinio, quidquid alii statuere conentur; nam videndi facultas est potentia merè passiva, quæ alterari, non alterare potest; & ipsa visio actio immanens, quâ finitâ nil in objecto superest. Nec etiam aliquid probat illud quod secundò aiunt, quòd scilicet amor mutuo concilietur aspectu; nam, ut quidam dicebat,

Lib. 7. de placitis cap. 10. Lib. 11. quæst. 1. Lib. de viribus imag. quæst. 12. Chro. de lineis amoris cap. 1.

Nutibus & torvis oculis fatuantur amantes.

Quia ad illum producendum nulla datur necessitas, ut aliquid à pulchro objecto emanet, quod in alterius corpus intrans amorem excitet; sed sufficit ut illa pulchri objecti species in mente concepta desiderium, & exindè potentiam concupiscibilem in hepate residentem moveat, igniculosque amoris accendat: ita enim & non aliter amorem ingenerari tradit *Augustinus Niphus*. Nec enim necessarium est, ut substantia aliqua ex corpore pulchro in aliud transmittatur; nec si ita foret, permanentiam potuisset habere: quia vel esset aliquid in vaporis forma, vel radii igniti corpus ad illum amorem accendentes; quæ tandem substantiæ tenuissimæ, vel antequam reciperentur, facilè in medio dissiparentur; quod etiam receptæ facerent: sed cùm videamus affectum & desiderium tantoperè non solùm permanere sed vexare, & amantem cruciare, in mille affectiones corpus movere, clarum est, quòd concepta pul-

Lib. de pulchro c. 30 & 61.

pulchri species imaginationi repræsentata continuò cæteras facultates etiam movet, ut undequaque totum corpus turbetur, & quatiatur, ut in illius specie objectum assiduè feratur, illud cogitet, ardenter desideret, atque potiri exoptet. Patet ex eo solùm quia obtentâ re amatâ plerumque extinguuntur amoris igniculi; quod fieri minimè deberet, si aliqua foret substantia, quæ tunc magis accenderetur pluribus aliis de novo acceptis & communicatis. Quæ verò circà hanc rem aliter suadere conantur alii, poëtico modo, vel ad libitum dicuntur; ut de sanguineis & cholericis juvenibus vult A porta *lib.* 8. *magiæ nat. cap.* 15. de quibus ait, quòd oculos cùm habeant amplos, nitentes, & glaucos, ex frequenti intuitu, & diutissima imaginatione, cùm aciem aciei dirigunt, radiique radiis, & lumina luminibus conjunguntur, fortasse amor accendi possit. Quod tamen ridiculum judico, ac minimè necessarium: siquidem assidua tantùm cogitatio est, quæ concupiscibilem facultatem movet, fomentum præbet, & faces accendit. Quod adhuc probatur ulteriùs, quia si ob aliquid naturale intrà corpus immissum fieret, omnes eodem modo afficeret; quod econtrà accidit, cùm, quod unus deperit, contemnant cæteri: atque hoc verisimilius est, quàm quòd de subtilibus vaporibus à sanguine tenuiori excitatis, & per oculos immissis scripsit *Ficinus*, cujus vestigia secutus est *Valeriola*, contra quem adductis aliis rationibus optimè insurgit Joan. Freitagius *in noctibus medicis cap.* 74.

[Margin: Comme[nt.] in convi[v.] Plat. Valer. lib. obs. 7.]

21. Quod verò de vetulis referunt specula maculantibus, & fascinum pueris inferentibus, hoc licèt verum sit, nil concludit; nam specula quævis menstruata fœmina maculare potest, dum pravis à menstruo sanguine elevatis vaporibus vitro adhærentibus lumen illorum vitiant, & tenuissimos illius poros obturat; & eisdem formosos & delicatos pueros inficere non est mirum, utpote tetris & venenatâ labe infectis ab anu prodeuntibus, dum in tenerrimis infantium corporibus recipiuntur; quo pacto sic eos lædi non raro visum est: quod non solùm vetulę causare possunt, sed quicumque vel homines, vel mulieres, quibus naturaliter pestilens humor, à quo vapor exhalatur, in corpore generatur, vel ex ægritudine præcedenti in corpore derelinquitur; & quòd ita accidat, historiis aliquibus probat Fontecha *in privileg. prægnantium.* Hæc tamen nil faciunt ad illud quod probare intendunt, ut mox dicemus; & multò minùs, quod de charadrio, & rupicula inculcant: nam licèt hoc in medicorum libris sæpè occurrat, tamen fabulosum est, quidquid *Ælianus*, & *Albertus Magnus* asserant, vel saltem ad aliquam sympathiam referendum, vel antipathiam; ad quam puto rejiciendum illud de gallinaceo cum leone, licèt & hoc ridiculum apud multos habeatur, ut proprio experimento in aula Principis Bavariæ visum testatur *Camerarius.*

[Margin: Lib. 17. animaliu[m]]

22 De Basilisco (licèt etiam hoc animal fabulosum putet *Mathiolus*) forsan credibilius, qui propè accedentes, aut sibilum audientes necat, si vera protulit Galenus *ad Pison. cap.* 8. Æsius *tetrab.* 4. *serm.* 1. *cap.* 29. & 33. & Avicenna 6. 3. Et A porta sacri Palatii collega scripsit tempore Alexandri Magni, cùm Rex civitatem quandam in Asia obsideret, accidisse ut quamplurimi milites repentè morerentur, & causâ investigatâ, cùm nulla grassaretur pestis, tandem inventum ex certa murorum parte Basiliscum contrà exercitum inspicere, qui visu internecabat. Et de Leone IV. Pontifice narrat *Cantarenus*, qui precibus ad Deum fusis alium interfecit, qui civitatem pestilenti halitu infecerat. Sed quid hoc? non negamus, (si verum est dari talem feram, quod etiam ante Mathiolum negavit *Cardanus*) tam exitialis veneni participem esse; sed quòd visu tantùm enecet, hoc fabulosum: tamen propè accedentes, & ad terminum intrà quem malignus vapor ab illo exiens offendere possit, lædi non est mirum. Quippè idem de plurimis aliis narratur, ut de Catoblepa scribunt *Plinius*, *Pomponius Mela*, & *Solinus*, & de Phryno sunt etiam qui tradant; quin & de quadam rubeta in digitatis scribit *Aldrovandus*, veneni adeò pestilentis, ut intuentium faciem insigni pallore suffundat; & Aristoteles *lib. de propriet. element.* draconum meminit, qui venenoso halitu ita inficiebant, ut per vicina iter facientes interirent; undè non immeritò dixisse videtur *Ovidius:*

[Margin: In symb[ol.] Lib. 6. i[n] Diosc. c.]

[Margin: In lib. antiq. Rom.]

[Margin: Lib. 1. de venen. c.]

23.

[Margin: Lib. 8. c. Lib. 3. c. Solin. ca[p.] 43.]

Multaq; corporibus transitione nocent.

Et forsan dracones illi fuerunt, de quibus *Albertus Magnus* scribit, Philippi Maced. Regis tempore Socratis industriâ inventos inter duos Armeniæ montes qui regionem pestilenti veneno ita infecerant, ut transeuntes illicò deficerent; de quibus Savanorola, & Petrus Bairos *lib. de peste* meminerunt. Quòd verò aiunt Basiliscum se ipsum interimere, si in speculum intueatur, ut præter alios scribit *Gordonius*, ridiculum

24.

[Margin: Lib. 1. c.]

lum judicat *Delrius*, & fabulosum *lib. 1. cap. 3. quæst. 4*, cùm ipsius venenum ei naturale sit, & proprium; & cùm intrà corpus detentum illud sine noxa conservet, non est aliqua ratio, quòd à speculo, aut ab aqua reflexum perimere possit: licèt ex historia *Sennerti* supra cit. aliter deduci possit; nam & totum, quod ibi narratur, facilè non crederem. Itaque plurima venenosa animalia ad distans nocere posse non dubitamus; tamen hoc solo visu facere minimè verum putamus, sed venenosâ & tenui substantiâ pestilentique halitu maximè noxiâ, quæ ab ejusdem naturæ humore intus latente elevatur: hoc enim pacto aliqua venenosa animalia visu dicuntur interficere, imò & aliquando homines inventi sunt, qui pueros, equos, aves, animalia, si obnixè, ac fixiùs oculos defigerent, interimerent, ut historiis comprobat *Fontecha* citat. & scribit *Gordonius* eodem cap. & *Aldrovandus*. Quod verò de lupo aiunt, quòd homini vocem adimat, si eum priùs videat, hoc verum esse negant *Scaliger*, & *Laurentius*; sin minùs, ad timorem, qui ex antipathia hominis cum lupo oritur, referendum est, aut tetris, ac crassis vaporibus à lupo per medium aërem communicatis tribuendum. Fabulosum etiam est quod de testudine dicunt, quòd oculis fœtum excludat, cùm hoc à terra communi matre, & illius calore fiat, testudine intereà ova custodiente, ne ab aliis animalibus lædantur. Et quomodocumque sit, prædicta omnia solùm probant dari animalia, quæ ingentem nocendi vim habeant, & qualitates occultas maximè noxias, quibus maximam læsionem causare valent: quod nil convincit, quòd etiam salutaris qualitas in aliquo inveniatur, quę immediatè communicari possit; ut modò latiùs in responsione ad rationes apparebit.

Cap. 14. de feb. In monstris tit. de mirab. humanæ nat.

Ad quarum primam dicimus, falsum esse quod supponunt; nempe quòd, si dantur animalia quæ promptè noceant, debeant etiam dari alia, quæ eodem modo prodesse valeant, quia dato uno contrario ex naturæ consecutione debet dari alterum: fatemur enim hoc verum esse in qualitatibus, coloribus, affectibus, & aliis quamplurimis; in sanitate verò & morbo efficiendis adeò est falsum, ut etiam quærat *Aristoteles*, quarè multi ex accessu ad ægros ægrotent, tamen ex commercio cum sanis nullus sanetur? Ex quo paucis respondemus, sanitatem affectum esse corporis naturalem, qui in quiete, non in motu consistat; morbum verò quid præternaturale, & violentum, quod motu afficit; & sicuti illa ex omnimoda & integra constat causa, sic ex quocumque defectu morbus: quarè multò facilius est aliquid inferre, quod symmetriam illam & proportionem lædat, quàm deperditam in suum statum restituere, quod opus naturæ, & illius naturalibus facultatibus tantùm competit, ab arte plerumque adjutis; nec enim morbus, quicumque sit, aliter evinci potest. Hoc ita esse patet, si omnes illius differentias inquiramus; nam solutum continuum non nisi à natura ab arte adjuta uniri potest: depravata compositio etiam requirit vel ablationem vel repositionem ad debitam partium figuram, vel humorum dissipationem, & evacuationem, quod etiam in intemperie materiali requiritur, ut causa, quæ morbum fovet, à natura victa expellatur; deinde alterationem per contraria, sive simplex, sive maligna qualitas oppugnari debeat, ut ad salubrem statum, & deperditam symmetriam redeat naturalis callor: quæ omnia nullo modo per visum, aut afflatum communicari possunt, nec per contactum, nisi illius rei, quæ contrariam qualitatem valeat imprimere; ad quod faciendum nulla hominis naturalis virtus apta est aut sufficiens, & si daretur in aliquo, etiam in aliis ejusdem speciei individuis dari deberet; & deinde morbus vincitur per adæquata contraria, quæ paulatim adjuvant, ut contrario devicto natura ad naturalem statum reduci possit, & perfectum illum sanitatis gradum acquirere. Absurdum igitur erit existimare, repentè visu aut tactu fieri posse, quod nec per diuturnam moram multis medicamentis intus sumptis obtineri potest; nam sicuti sanitas facilè amittitur, & morbus inducitur, ita difficiliùs multò acquiritur: quod ideò evenit, quia sicuti morbus quædam imperfectio est, & extremitas vitiosa, ita sanitas medium quoddam perfectum, quæ ideò sicuti virtus, difficilè inducitur, morbus facilè; & hac de causa dicebant Pythagorici bonum esse finitum, malum infinitum: quod etiam docuit Galenus *lib. & cap. 1. de diff. resp.* ubi sic scribit: *Unum enim est quod secundùm naturam se habet in animantis corpore, varium autem & dissimile, & multiplici errore involutum id, quod præter naturam se habet; adeò ut necessariò sequatur esse incomprehensibile*: quapropter & *Aristoteles* dicebat bonum consistere in indivisibili, malum in discessu ab hoc. Itaque cùm in plurimis entitatibus morbus consistat, mirum non est quòd, ut per aliquam contagiosam facilè intro-

7. Proble.

2. Ethi. c. 6.

intro-

ducatur; quod de sanitate dici non potest, quæ cùm suam entitatem habeat in indivisibili, non potest includere aliam, quæ rationem contagii habere valeat: sed de hoc latiùs *quæst.* 26. dicendum erit; propterea ait *Aristoteles*, nullum ex conversatione cum sanis sanitatem obtinuisse, ex accessu verò ad ægros ægrotâsse multos.

Ad fundamentum quod assumunt, dicentes credibile esse, posse in homine inveniri virtutem lapidis, gemmæ, aut plantæ, & sicuti natura iis dedit raras virtutes, quibus morbos profligarent, ita homini alicui dare potuisse; *Delrius*, & *Villalpandus*, facilè respondent, disparem esse rationem, quia virtutes illæ inveniuntur in tota specie plantæ aut lapidis, naturaliterque cum illarum essentia infusæ sunt, & à naturali earum temperamento oriuntur; quod naturæ & temperamento hominis nullo modo convenit; nam si in uno inveniretur, etiam in cæteris dari deberet, cùm sint omnes ejusdem speciei: & quemadmodum plantæ & lapides ob proprium temperamentum tales virtutes sortiuntur, ita in hominibus ejusdem naturæ communis & similis foret vis. Sed hæc responsio sufficiens non est, nec omninò satisfacit: primò, quia multò major est diversitas & latitudo in humana specie, quàm in specie plantæ, aut lapidis; quod ob majorem perfectionem evenire conspicuum est. Secundò, adhuc stante illâ naturæ participatione, non est impossibile unum individuum proprietatem quamdam habere sibi peculiarem, quæ cæteris non sit communis, nec in alio, aut rarissimè, inveniatur: sic quàm plurimæ sæpiùs observatæ sunt in hominibus antipathiæ, & idiosyncrasiæ particulares, quorum exempla infinita possent afferri, præter illa, quæ suprà attulimus. Rarum est quod de Alexandro Magno narrant Scriptores, suavissimum nempè & grati odoris fuisse illius sudorem; & de alio qui moschum, aut odorem similem spirabat, refert *Horstius*: Qui carnes, acetum, oleum, caseum, rosas & plura alia aversarentur, plurimi ab authoribus numerantur. Quarè meliùs respondendum est, quòd licèt in hominis natura multò major sit diversitas & latitudo, quàm in cæteris speciebus, non tamen tanta, ut qualitates aliquis sortiatur, quæ talem sanandi effectum producere valeant: non ex primis, quarum effectus non transcendit propriam naturam; non ex occultis, quia quæ in homine hujusmodi observantur proprietates, respectu ejusdem corporis operantur, non in alienis; & licèt lapides & plantæ hoc præstent, plerumque faciunt intrà corpus sumptæ. Quòd si per contactum aliqua operatio admiranda in aliquibus conspicitur, hoc non peculiare illius plantæ aut lapidis est, sed totius speciei propria est operatio & virtus, quam à summi Creatoris benedictione accepit, qui eam sic donavit, ut ex toto illorum temperamento sic operarentur: ita omne Rhabarbarum purgat bilem; omnis magnes ferrum trahit, & sic de cæteris. Hominis verò natura tantam mutationem subire non potest, ut lapidis aut plantæ induat naturam & vires; nec enim quodlibet ex quolibet fit, sed determinatum à determinato: nec respectu proprii temperamenti tale quidpiam obtinuit, quia hominem non creavit Deus, ut foret materia medicinæ, imò subjectum morbis illum fecit: nec etiam ex individui aliquâ peculiari conditione talis effectus evenire potest, quia nec humana species hoc requirit, & illius temperamentum improportionatum est ad illud producendum. Quarè illatio de communi proprietate plantæ aut lapidis ad particulare alicujus individui nil concludit; multò minùs quod de digito Pyrrhi asserunt: nullâ enim naturali aut divinâ vi hæc fecisse credendus est, sed magistro diabolo operante. Eodem modo accipiendi sunt casus, qui referuntur de Imp. Adriano & Vespasiano cum cæco & vetulâ; quia per gentiles & idololatras miracula fieri non permittit Deus. Hoc pacto etiam accidere potuit illud, quod de adolescente quodam narrat *Nierembergius*, qui pedibus tangendo equos, illos curabat. Eâdem ratione, & eodem modo eveniebant illa omnia quæ de Marsis & Psyllis ab authoribus traduntur; omnes enim superstitiosi erant, & pacto cum dæmone illud præstabant; sic tenet *Aldrovandus* in serpentibus, quod probat ex Galeno *lib. de ther. ad Pisonem*, qui illos nullam propriam facultatem contrà serpentes obtinuisse scripsit, sed quibusdam dolis & vanis commentis universam plebem decepisse: locum tamen apud Galenum non invenio; sed quòd magiæ vi illud facerent, etiam advertit *Eusebius Nierembergius*. Quarè ad merum præstigium omne illud reduci debet: nam incantationibus deditos fuisse satis ex *Plutarcho* & *Plinio* colligitur; & clariùs hoc de illis patefecit *Alchimius Avitus lib.* 2. cujus versus apud *Delrium* satis hoc declarant; & *Gellius* apertè ait Marsos à Circe famosâ incantatrice provenisse, eosdemque ait incantamentis usos fuisse, ut miracu-

[Margin: 27; 28.; Parte. 2. curi. phil. lib. 1. c. 5.; Lib. 1. tit. de medela veneni serpentum.; Lib. 1. part. 2. cap. 41. Phil. curios.; Lib. 1. c. 3. in fine.]

cula perpetrare viderentur, imò de eisdem ut talibus loquitur *Ovidius*, *Lucilius*, & *Horatius*.

Cætera quæ afferuntur, tantùm probant ex homine aut feris venenum exhalari posse adeò perniciosum ut alium hominem interficiat, quod facilè concedimus; sed ex hoc non infertur, quòd contrario modo aliquid emanare possit, quod morbum auferat, aut salutiferam qualitatem comitem habeat, quæ alteri communicari possit: lædere enim, & occidere pronum est, quod aut naturaliter, aut ex præstigio fieri potest; sanare verò tactu, aut visu, non nisi divinitùs accidere fatendum est. Quarè illud quod ex *Michaële de Medina* narrant de puero, qui Salmanticæ multos tactu sanabat, plurimi authores ad imaginationis vim referunt; omnes enim paulò post in eundem morbum iterùm devenisse, ipsi authores fatentur: unde patet nec naturalem, nec divinam fuisse vim. Quæ ex *Alberto Magno* narrantur, licèt tanti nominis viro, non adeò pervia sunt; quia, ut inquit *Mirandulanus*, difficilia ideò creditu, quòd tot admiranda ipse solus viderit, & non alius: & fortassè magicâ arte, & aliter quàm naturæ viribus à pueris illis fiebant. Alia etiam individuorum notabilia exempla, licèt admiratione digna (potuerunt enim raræ illæ proprietates in aliquibus inveniri) tamen ad illud, quod intendunt, nil probant, cùm illa in propriis subjectis paterentur, non in aliis corporibus aliquam mutationem aut alteratiouem efficerent: nec quærenti causam difficile fuerit invenire, cùm multa ob consuetudinis vim, alia ob variam humorum dispositionem, & corporis pororum statum, & ob melancholicos affectus, particularesque antipathias & sympathias evenire potuerint; quas sicuti non negamus, ita nullam, quæ vim sanandi habere possit, admittimus, sed lædendi & interficiendi in aliquibus, ob pravam & malignam præcipuè substantiam per medium ad opposita transeuntem, aut tactu ipso communiter cum aliis fatemur. Sic viperæ venenum & hominis saliva mutuò se interficiunt, ut *lib. de inæqua. intemp.* scribit Galenus: sic à Basilisco & aliis feris emanat pestilens vapor: sic à vetula, & menstruatâ exit, qui speculum inficit, quo tenera fascinantur, & morbos malignos patiuntur infantium delicata corpuscula. Siquidem multis modis lædere potest homo, sanare non nisi Deus, & quæ ad illud opus creata ab illo est medicina, ipsius favore & benedictione adjuta; & quamvis diabolus hoc assequi nitatur, vel non consequitur, vel majori compensat damno, animæ aut corporis, ut latè probat *Bodinus*, *Malleus malef.* & ex Theologis complures alii. Scio naturalium causarum ignaros dæmonum præstigio rara aliqua tribuere; sed nulla, quæ in homine tantam excellentiam & vim producat, vel naturalis causa, vel ratio inveniri potest.

Dictum est suprà de virtute digiti Regis Pyrrhi ad sanandos lienosos, de Adriano & Vespasiano, qui in sanandis morbis similia miracula præstiterunt; sed quoniam de paganis talis gratia credi non potest meritò diximus præstigiorum vi talia opera facta fuisse: quemadmodum de Agrippa scribit *Dion*, quem annulo, qui fuit Augusti, similia miracula fecisse ait: quæ tamen omnia diabolicâ fraude & arte, non verò aliter facta fuisse dubium non est. Sed quemadmodum gentiles virtute dæmonis, ita Christianissimi Reges Galliæ divinâ, & gratis datâ strumas sanandi donum habuisse, & hodie habere communis fert opinio, & in omnium ore trita res est; quam referunt Joan. Tilius, Papyrius Massonius *lib.* 3. *Annal.* Cominæus, & ex medicis Tagautius, *lib.* 1. *inst. chirurgicarum*, Guido *in chir. magna tract.* 2. *doct.* 25. Sennert. *lib.* 2. *praxis cap. de strumis*, & And. Laurentius, qui de hac Regum charismate librum scripsit. Cæterùm non hæreditario jure, aut innatâ virtute Reges Galliæ hanc gratiam habuisse, sed ex divina permissione, prædicti & plures alii authores fatentur: tantam quippe prærogativam, ut strumosos tactu sanent, divinum fuit donum; quod Clodoveo primùm concessit Deus, non solùm ut illum ad Catholicam fidem redactum tali præmio afficeret, sed ut cæteros gentilium superstitionibus inservientes tanto hoc miraculo ad Christianam fidem adduceret, ad quod præcipuè munus miracula non rarò operatur. Nam cùm dictus Clodoveus idolorum cultor esset, Cotildis uxoris precibus persuasus, ut Christo nomen daret, feliciterque annuens à Remigio Archiepiscopo Rhemensi baptizatus & Chrismate unctus, ab eo tempore divinam vim hanc pessimam sanandi ægritudinem accepit, & quasi per traducem in alios successores elargiri vult Deus; quod ex eo verum esse patet, quòd in omnibus conspiciatur, & non aliis, licèt ejusdem familiæ fratribus sit communis, sed Regum tantùm propria, dum Christianissimorum nomen fide & opere profiteantur. Alii divinam

In comment. rerum Gallica. lib. 2.

hanc virtutem precibus divi Marculphi regibus illis inditam scribunt, ut volunt Robertus Zonial. & Papyr. Massonius; quod ex eo videtur confirmari posse, quòd finitis coronationis cæremoniis Rex Rhemos proficiscitur, & ad S. Marculphum novendiales ferias agit, ut *Tilius* refert; nec antea strumis infestatos curat. Utcumque sit, divinam esse gratiam gratis datam communis fert opinio, quidquid econtrà stabilire conatus sit *Valdes*, qui ex naturali virtute hoc provenire docuit; alii ad aëris mutationem referunt, alii ad itineris laborem, quòd humores extenuet, diffundat, & solvat; alii tandem, ut Cardanus *lib. contrad. medicarum*, ad suavem Regum anhelitum ex multis aromatibus, quibus in cibis utuntur, qui propterea sub puerili scutica vapulat à *Brodæo*; & meritò, cùm si ita foret, quamplurimi eodem modo similem virtutem sibi comparare potuissent. Sed cùm hæc præclara virtus in nullo alio ex eadem familia inveniatur, divinam fuisse, & nunc esse necessariò fatendum est. Aragoniæ quoque Reges eandem gratiam habuisse testatur *Beuter*. Quapropter cùm Hispaniæ Reges hæreditario jure illius regni Reges sint, eandem etiam gratiam obtinere meritò dicendum est.

Lib. 8 miscel. cap. 1[illegible]

32.

Similes virtutes antiquorum Regum plurimi, ut admirabiles amabilesque omnibus existerent, ad morbos curandos, honorificâ quâdam æmulatione se etiam obtinuisse jactati sunt; aut certè adulationis quodam prætextu ab assentatoribus, qui fallendo magis, quàm vera loquendo abblandiuntur, decepti. Ea quippè est humana ambitio & inanis gloriæ cupiditas, ut cùm ad Majestatis supremum gradum semel ascenderit, cùm jam humani nil supersit, ad numinis originem extolli gestiat, aut saltem Deorum opera imitari contendat. In talem dementiam venerunt plurimi, ut crederent parentes se habuisse non homines sed Deos: de Scipione hoc evulgatum tradunt *Livius, Gellius & Valerius Maximus*; idem de Augusto scripsit *Suetonius*, eumque Apollinis filium existimatum. Galerius quoque Imperator ab agrariis parentibus natus, ne infimo generis ortu regiam pollueret dignitatem, matrem suam, non aliter quàm Olympiam Alexandrum, à dracone compressam, illum concepisse, insolenter commentus est. De eodem verò Alexandro plus est quàm notum, cui similiter persuasum fuit Jovis Ammonidis se fuisse filium, quo nomine ad matrem scribens sic se nominare non dubitavit; *Alexander Rex Iovis Ammonidis filius*. Cui illam festivissimè rescripsisse ajunt Varro & Gyraldus: *Amabo, quiescas, nec deferas me, nec criminère adversus Iunonem. Magnum illa prorsus mihi malum dabit, quùm tu me litteris tuis pellicem illi esse confiteris*. Alii tandem non vulgaria sed miraculosa Deorum opera ut sibi protervè arrogarent, cùm naturaliter non possent, diabolicâ fraude usi sunt, ut se plus quàm homines ostentarent, & cæteros in sui admirationem traherent. De horum classe extitit Pyrrhus, qui pedis pollice lienosos tactu curabat; Adrianus, Vespasianus, Agrippa, quos omnes in morbis sanandis stupenda miracula præstitisse suprà retulimus, sed diaboli vi, non aliquâ naturali aut divinâ potentiâ adjutos.

33.

In fragmentis lib. 15 hist. Deorum.

Nobilissimos itaque, ac insignes Heroës, aliquo singulari Dei dono præter potentiam & divitias donari consuevisse, aliqui tradiderunt, ac alicujus præsertim morbi sanandi peculiari charismate dotatos; hoc modo de Regibus Angliæ, quòd epilepsiam curare valeant, & spasmum, ad quas ægritudines curandas annulos quosdam benedixisse, scribit *Polydorus Virgilius*: quin & contactu strumosos sanare consuevisse tradit; quod divi Eduardi meritis illis concessum ait; alii orationibus Josephi ab Arimathia hoc donum consecutos, qui in illo regno fuisse dicitur: quidam etiam *Guillielmus Tockerus* ejusdem Angliæ reginam Elisabetham tanto hoc dono curandi strumas insigniter dotatam fuisse peculiari libello evulgavit, & multis aliis virtutum excellentiis maximam hanc hæreticæ pravitatis fautricem extollere non erubuit; ut latiùs videre est apud *Delrium*, à quo ille strenuè vapulat. Porrò & eandem ad prædictum morbum curandum vim habuisse Comites domûs Habsburgicæ tradit *Felix Fabrus*, prout ex eo refert Philippus Camerarius *cent. 2. horarum subcess. cap. 42*. Quæ omnia libenter attuli, ut nemo non videat Regum quoque mentes vanæ gloriæ ac invidiæ æstu non leviter concitari, & quàm turpiter ab adulatorum insolente vafricie, & vaniloquâ dicendi libertate se circumveniri patiantur, ac sibi arrogari permittant, quod divina clementia paucis tantummodò concedere voluit. De virtute Regum Hispaniæ ad fugandos dæmones infra *quæst. 28.* aliqua adducemus.

34.

Lib. 8. hist. Angliæ.

Lib. 1. disq. magi. cap. 2. quæst. 4.

Lib. 1. hist. Suev. c. 15.

QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMAQVINTA.

An natura sit effœta, & aliquo modo consenescere dicenda sit?

EX Medicis pauci hoc affirmant, inter quos hanc opinionem tenent *Marcellus Donatus*, *Petrus de Peramato*, & *Dalechampius*; apud alium non memini me legisse: reperiuntur tamen non contemnendæ aliorum authoritates & rationes, quibus naturam in pejus ruere, & jam dudum à pristino nitore & robore defecisse, conjectari posse videtur; si non certè affirmari. Apud *Esdram lib.* 4. *cap.* 5. sic legitur: *Considera ergò & tu, quoniam minori staturâ estis præ his, qui antè vos, & qui post vos, minori quàm vos, quasi jam senescentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætercuntes.* Planè confirmare visus est D. Cyprianus, adversùs quendam Hæreticum scribens, qui audacter affirmare non verebatur, ingentes sui temporis adversitates Christianis imputandas esse, quòd idola adorare recusaverint; cui respondens sic ait: *Illud primo loco scire debes, senuisse jam mundum; non illis viribus stare, quibus priùs steterat, nec vigore & robore eo prævalere, quo anteà prævalebat. Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus æstate torrendis solis tanta flagrantia est, nec sic verna de temperie sua læta sata sunt, nec adeò arboreis fœtibus autumni fœcundi sunt. Minùs de effossis, & fatigatis montibus marmorum eruuntur crustæ; minùs argenti, & auri opes suggerunt exhausta jam metalla, & pauperes venæ tenuantur in dies singulos, & decrescunt. Deficit in agris agricola, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in moribus disciplina. Putasnè tu tantam posse substantiam rei senescentis existere, quantâ priùs potuit novella adhuc & vegeta juventa pollere? Minuatur necesse est, quidquid fine jam proximo in occidua, & in extrema devergit. Sic sol in occasu suo radios minùs claro & igneo splendore jaculatur: sic declinante jam cursu exoletis cornibus luna tenuatur, &c. Hoc* (subdit) *nobis tacentibus mundus ipse jam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur. Hæc sententia mundo data est: hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, aucta senescant, fortia infirmentur, & magna minuantur.* Hoc D. Cyprianus, cujus verba, suppresso authore, *Secundus Lancelotus de Perusio* ad longum transtulit. Hanc quoque fuisse Plinii sententiam, satis colligitur ex illius *cap.* 16. *lib.* 7. ubi sic scripsit: *In plenum autem cuncto mortalium generi minorem indies fieri propemodùm observatur, rarosq; patribus proceriores, consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergat ævum,* Quam etiam opinionem & causam probare videtur Parisanus *nobil. exercit. lib.* 1. *exercit.* 10. Eodem modo Homerus humana corpora indies decrescere scripsit, & Juvenalis:

> *Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero;*
> *Terra malos homines nunc educat, atq; pusillos.*

Videtur ejusdem opinionis Horatius:

> *Damnosa quid non imminuit dies?*
> *Ætas parentum pejor avis, tulit*
> *Nos nequiores, mox daturos*
> *Progeniem vitiosiorem.*

[Margin: Lib. 4. cap. 14. / Lib. de evacuand. rat. cap. 24. / Lib. 2. de peste. / Sfogo 3. 3. di ment. / 5. & 12. iliad. / Satyra. 15. / Lib. 3. ode. 6.]

2. Rationibus deindè contendunt, quòd multa de lapidibus, de plantis, de animalibus, quæ rerum parens produxerat, jam non sit invenire, pretiosa valdè, & quæ Regum & Imperatorum thesauris, & supellectilibus tantùm inventa, varietate semper maximam obtinebant æstimationem. Verum Cinnamomum jam defecisse ajunt, & in Arabiæ sylvis incendio periisse, minimè genuinam nostram esse cassiam: eodem modo Bdellium, Ammomum, Costum, & Malabathrum à legitimis defecisse dicunt, & quę habemus, illegitima & adulterina esse omnia. Sic de folio barbarico asserunt, de quo jurisconsultus Martianus *l. ultima de publican. & vectigal.* & de ungula, de qua *Eccles.* quæ quid sit, ajunt ignorari, quòd non inveniatur: sic de medica herba, sic de vero balsamo, Syriaco præcipuè, & Ægyptio, ut docent Mo-

Monardes & Amatus. Testantur idem de ligno vivo, Amiantho, sive Asbestino, ex quo lintea parabantur, quæ igne nullo modo consumpta, à sordibus purgabantur, quo consuta Regum cadavera cremabantur, ut regalis corporis cineres impermixti servarentur. Eandem fortunam habuisse dicunt metallorum aliqua, ut aurichalcum, quod *Plinii* temporibus jam non inveniebatur, idque, ut idem suspicatur author, quòd sterilis jam terra vires ad illud producendum non haberet: salem verò ammoniacum legitimum nos non obtinere, sed spurium, ait *Matthiolus*. De lapidibus specularibus, de antiquo alabastro, de marmoribus Pario, Porphyrite, Ophite, non nisi memoriam extare ajunt, quemadmodùm de Murrha imò & verum Zapphirum, inquit *Laguna*, jam non habemus, nec Thracium dictum lapidem; Phœnicem verò, & Monocerotem, de quibus in SS. literis fit mentio, & ideò fabulosos non fuisse colligi debet, toto his temporibus pervagato orbe nemo vidit; tandem purpurâ, quæ regum tunicis ambitiosa Majestatis extitit norma, quis hodie potitur? Periisse volunt, & non nisi nomen derelictum. Denique proceræ, & giganteæ staturæ corpora, de quibus innumera narrantur minimè fabulosa, constat fuisse ex sacra pagina, ex *D. Augustino*, *Plinio*, *Solino*, *Isidoro*, *Zonara*, *Pigapheta*, *Herodoto*, *Boccacio*, & sexcentis aliis, quibus impium foret non adhibuisse fidem: proindè illis comparati pumiliones sumus atque Pigmæi. Et si de longævâ Priscorum vitâ inquirere voluerimus, quanto nos superârint spatio, dicant longissimæ primorum hominum ætates, de quibus præter Genesim, legendus ex medicis *Codronchus*, qui multa de hac re compilavit, & ex postremis *Mindererus*, *Deodatus* in nuper edito Pantheo; quæ ut notissima prætermittimus. Igitur non est mirum ex his aliquem inferre posse, pulchram mundi majestatem à prisco nitore aliquantulum recessisse, & vires aliquas naturæ robur amisisse; quandoquidem omnia, quæ finem habitura sunt, non nisi per sensibilem defectum, & paulatinum discessum ad exitum progrediuntur: sic pereunt imperia, sic regna, urbes, homines, & quæcumque natura produxit interitura, per medium transeunt in finem; nec in aliquo servat senectus, quæ in juventute retinuit, & mundum ætates habuisse constat, & hanc ultimam illius esse dubitabit nemo; nec immeritò suspicandum in toto accidere debere, quod in partibus. Hinc *Ovidius*:

[Margin: Tract. ... aunis Cl... mact.]

3.

> *Omnia naturæ præpostera legibus ibunt.*
>
> Et 5. metamorph.
>
> *Nil equidem durare diu sub imagine eadem*
> *Crediderim: sic ad ferrum venistis ab auro*
> *Sæcula, &c.*

Galenum etiam hujus fuisse sententiæ patet ex illius verbis, dum refert *Hippocratis* tempore tutò homines veratrum album assumere; *Quare* (inquit) *si vini æstimaveris corporum ejus sæculi, quam ex hujusmodi victu comparabant, magis adhuc dari veratrum permiseris, cùm quæ vomitus fert incommoda, ferre homines illi facilè potuerint.* Propterea textu 29. sequenti, ubi idem *Hippocrates* antè febrem & parùm febrientibus propinabat, ait ipse Galenus; *Nos verò neque integro homini dare audemus.* Repetit 6. *aph.* 28. ubi eunuchos podagrâ minimè laborare dixerat *Hippocrates*, & certè illius tempore nec eunuchi, nec fœminæ, nec pueri patiebantur, 6. *aph.* 29. 30. quod nostro non raro visitur, de quo jam suo conquerebatur *Seneca*. Quarè non solùm ex hoc morbo, sed ex quàm plurimis aliis, quos noviter humanum genus infestâsse adnotârunt medici, colligi poterat, naturam à pristino robore defecisse: eos numerat *Zacutus*. Tandem antiquorum hominum vires majores extitisse arguit, quòd illo tempore copiosas sanguinis detractiones facilè ferebant. *lib. de sang. miss. cap.* 12. sex libras detrahebat Galenus, & *cap.* 14. ait, aliquibus tam adversam esse sanguinis missionem ut ne libram unam cum dimidia extrahi sustineant; undè patet minimam ejus ætate fuisse quantitatem, quæ hodie apud nos plus est quàm maxima: ex quo solùm infert *Peramatus*, naturam nostram imbecilliorem semper fieri, & minora ferre detrimenta, quàm *Galeni* tempore, sicuti etiam illo, quàm *Hippocratis*, jam deteriore. Quare ait: *Cùm scimus, in quos fines sæculum devenerit, juxtà beatum Apostolum, elementa, & quæ nos alunt mixta, minùs virium habere.*

[Margin: 4. — Comment. 2. de fract. tex. 27. — Epist. 95. — Lib. 3. de praxi mirand. obs. 94. & lib. 2. de princip. hist. quæst. 47. — Lib. de evacuandi rat. cap. 24.]

5. Sed neque his, nec aliis quamplurimis convicta medicorum, & aliorum authorum maxima pars, aliquam in natura agnoscit contractam temporis diuturnitate imbecillitatem, & nostræ ætatis homines eosdem vivere annos, & earundem esse virium cum illis,

illis, qui antiquo sæculo vixerunt, constanter asserit: hujus opinionis sunt Massarias 7. *de feb. cap.* 14. Salius *de affect. part. cap.* 19. Vallesius *in sacra philosoph. cap.* 74. Claud. Deodatus *lib.* 1. *Panthei cap.* 4. Laguna *in Dios. cap.* 172. & 178. *lib.* 4. Zacutus 1. *de hist. Princip. quæst.* 26. & eodem *lib. dubio* 48. ubi hodiernos homines copiosas sanguinis detractiones sustinere posse scribit, cùm antiquis sint viribus æquales; & *lib.* 4. *hist.* 53. asserit cum Heurnio, falsum esse contrarium asserere: sed ut ipse primò falsus inveniatur, anteà eodem *lib.* 4. *hist.* 8. cùm causam redderet, quare *Hippocrates* victum ægrotantium non adaugeret post purgationem, sed minueret, eam esse dixit, quia plurimùm fidebat robori virtutis sui temporis, quo constabant homines; undè evidenter apparet sibi contraria manifestè scripsisse. Tandem cùm prædictis authoribus consentit *Heurnius*, qui *lib.* 3. *prognost.* 40. sic ait: *Non enim natura fatiscit: si enim illa elanguesceret, jam sanè diu internecione deletæ essent quamplurimæ rerum species; imò homines ipsi, nec philosophi ullum argumentum invenissent, quo mundi æternitatem firmâssent.* Eandem sententiam tenet *Vega*; qui ex robore, & ex vitæ periodo adversùs historicos, poëtas, & mathematicos luculenter probat, multis historiis à se visis, nunc homines viribus æquales, & ætatibus esse, ac prisci fuêre: nam si divina mysteria tollas, imò & miracula, quæ de Hercule, Milone, Achille, Hectore, & aliis narrantur, (quorum pleraque fabulosa & poëtica idem credit author) eodem modo vivaces ac validos reperies homines hisce, ac in illis temporibus. Quot semper fuerunt, & hodie sunt, qui 80. annum longo superârunt intervallo? cùm tamen Divinus Psaltes hunc statuat longioris vitæ terminum, & noster Averroës 2. *de gen. & corrup. cap.* 58. naturalem hominis vitam 70. annis finiri dicat; ut intrà 3000. & ampliùs annos, ejusdem naturæ, roboris, & ætatis homines extitisse facilè sit conjectandum. Vidit *Vega* hominem, qui equi pectori admotâ manu cursum illius, licèt admotis ab equite fortiter calcaribus, impediret; vidit, qui ferocem & robustissimum taurum arreptis cornibus subverteret; vidi ego, qui mensam omni ferculorum genere instructam, unicâ manu pede arrepto, in altum elevabat, & sustinebat, & prægrandes duos homines manuum volis extensis brachiis gestabat. Stupenda fuerunt, quæ de quodam Sotillo narrantur, & vidit tota Madritensis aula; is quadratum lapidem plusquam libras 400. ponderantem suprà manum alteram devolvebat, & ad 12. passus projiciebat, currum cum equis à retrò transiliebat, argenteam patinam inter duos digitos intorquebat, & plurima alia patrabat non minora, quàm quæ Plinius *lib.* 7. de Julio Valente, & Milone narrat. Quòd si ad ætates respiciamus, in longissimis illis, quæ apud eundem Plinium *cap.* 48. *lib.* 7. memorantur de Arcadum regibus, de Dandone Illyrico, de Maritimorum Rege, & ejus filio, & de Ægyptiis, quorum aliquibus mille attribuit annos, temporum ignorantia in causa fuit, cùm illorum quidam annum in æstatem & hyemem dividerent, Ægyptiique per menses & lunas computarent, ut apud ipsos mille vixisse annos nil mirum fuerit, cùm 83. solùm nostros, & menses 4. constituant.

[Margin: ...us si- ...tra- ipsit.] *[Margin: Lib. 2 artis med. in præfat.]* *[Margin: Psal. 88.]*

Rationibus etiam probatur ejusdem fortitudinis nunc esse homines, naturamque in nihilo defecisse: quippè si in diminutionem homines tenderent, convincerentur naturales philosophi, qui dicebant mundum futuro tempore perpetuò duraturum, & *Aristoteles*, qui ingenitum & incorruptibilem eum appellavit. Ulteriùs si homo semper tendit in deterius, futurum est ut species perire possit; nam finitum per ablationem finiti, necesse est ut pereat, & ita de aliis dicendum: non igitur forent species perpetuæ. Patet, quia cùm vires humanæ infinitæ non sint, jam dudum homines defecissent; & idem de reliquis animalibus, & plantis sequeretur. Vana igitur & vulgariter eruditorum habenda est hæc opinio, cùm longè probabilius sit, tam firmam, pulchram, ac valentem naturæ faciem nunc esse quàm unquam anteà, & à primis ineuntis mundi incunabulis ad hæc nostra tempora à nativo suo vigore & vivacitate nil deflexisse. Vanum etiam, mundi luminaria, & totum stellarum agmen, aliquid de pristino lumine, calore, motu, & vivificis influxibus amisisse; herbas, fructus, animalia, & mineralia, quantitate, qualitate, & robore diminui; hominis vires, ætates, florentemque juventam, multò quàm anteà fragiliorem esse, ac brevioris vitæ circulo includi. Quippè si per omnium entium classes discurramus, sagacissimam naturam à prima statim origine hucusque, nec in motûs, & quietis principio, nec in rerum productione, seminum explicatione, individuorum renovatione, specierum proprietate, aliquatenùs à destinato cursu deflexisse comperiemus.

Et ut incipiamus à summo & infinito Bono illo, immenso, sapientissimo, cujus nutu omnia reguntur, obediunt, stant, cadunt, renovantur, & conservantur; nonne idem qui semper fuit, est, eritque immutabiliter idem? Mutarine potuit, & incomprehensibilis illius sapientia deficere? Intelligentiæ, cælestes virtutes, superiorum orbium motores, nonne iidem numero, qui post lapsum fuerunt? nonne ipsis ordo, & fortitudinis angelica vis, nullâ ævi duratione effœta, quâ cæli cardines rotantur, & à condito mundo statuto ordine moventur, eâdem servatâ dispositione, quæ semel à summo Conditore dispensata est? Nonne siderum & micantium stellarum idem fulgor, eadem majestas, statio, & perennis errantium motus, planetarum influxus, & incorruptibilia astra, firmissima, & constantissima, ut suo calore, lumine, motu & influxibus sublunarem hunc mundum gubernent, & fæcundent? Quæ in his mutatio, quæ sine ullo contrario incorruptibilia existunt, & nulli perversitatis errori obnoxia sunt?

Veniamus jam ad quatuor illa orbis elementa, mixtarum omnium inferiorum substantiarum materiam, in quibus ab innata scientia operatrix facultas nunquam defuit, nec deesse potuit. Ignis nulli corruptioni subjectus, & quæ illi miscentur incredibili voracitate depascens subire potuit mutationem? an motu, lumine, & perniciosâ urendi, & absumendi vi minorem nunc ostendit vim, quàm vel ab initio habuit? Aëris etiam natura, essentia, & potestas nonne sicuti anteà in cunctis creaturis vivificat, conservat, & refrigerio solatur, exardentesque cordis temperat halitus? Quid obstat quòd aliquando externis ac fœdis vaporibus & exhalationibus permixtus, ingentes hominum extinguat myriades, & horribili peste corruptus cuncta animantia deleat? siquidem à fœda illuvie purgatus, & consumptis, quæ illum in tantam perniciem alterabant, vaporibus ad pristinum statum reductus, eâdem quâ anteà dulci, ac vitali aurâ calentia viventium pectora temperat, ac recreat. Alterum materiale principium aqua, nonne sicuti à primo Creatoris jussu, ita & in hodiernam usque diem omnia in terra crescentia, & quæ ex maris abyssu hauriuntur, producit, & in ea resolvuntur? Vide quas dulci nectare alit plantas, flores, fructus: nonne eodem modo pulchra omnia, viribus, & qualitatibus eisdem quas à prima conditione acceperunt, visuntur? Ut tanta diuturnitate reproducta semina, naturæ suæ simillima prodeant, alant, & suavi delectent fragantium odore: ut indè communissimæ matris terræ virtutem in nihilo defecisse conjectemus, cùm eodem quo semper modo, sine semine, & cum semine omnia sibi commendata producat, sustineat, & ad perfectam maturitatem ferat, ac foveat, & indefessis astrorum virtutibus imprægnata pro soli & temporum varietate, herbas, metalla, & quæcumque continuò produxit, nunc etiam Creatoris manu benedicta, & jussis obtemperans similia offerat, numquam ad mundi finem cessatura, in humanam hanc scenam profundere, quæ victui & amictui convenientia animalium requirit necessitas, & usus expostulat. Denique ne te ampliùs suspensum teneam, doctissimum *Ionstonum* per otium lege, qui tanquam alter naturæ novus Atlas, hodiernam illius pulchritudinem, & firmam compagem nihil ab antiquo suo decore recessisse, abundè satis & luculenter probavit, brevi, sed eleganti, *de natura constantia* editâ diatribe; ubi nec cælestium astrorum vim, nec elementorum potentiam, nec hominum, animaliumque ætates, robur, staturam, nec arborum, plantarum, metallorum, seminum, fructuum, quantitatem, & vires, aliasque excellentias defecisse eleganter demonstrat: quin imò scientiis, artibus, prudentiâ, justitiâ, fortitudine, & in pluribus aliis, nostri ævi homines antiquos illos superare facundè probat.

Ad authores verò & rationes, quibus naturæ inconstantiam & vacillantem illius vim arguere nituntur, jam respondendum: ut neutiquam adversæ sententiæ fautores aliquid ponderis eas habere fateantur. Et in primis *Esdræ* locus, ut & liber, minimè recipiendus, cùm apocryphus sit, nec à Theologis recipiatur. *Cyprianum* verò talia scripsisse haud mirum, cùm acerba, & infelicissima infeliciter viderit tempora, bello, fame, peste sævientia; parumque abfuit, ut Christiani tunc extremum expectarent diem, quibus impius quidam Ethnicus calamitates omnes, quas homines experiebantur, adjudicabat, quòd idola adorare noluissent; contrà quem *D. Cyprianus* scribens, naturam potiùs, & illius à pristino vigore recessum accusabat, ut sic illum à tam sacrilegâ cogitatione diverteret. Sævit quippe ob perversa hominum scelera aliquando divina justitia, ut in pœnam cuncta delere nitatur, facit-

citque ut alius videatur naturæ & mundi vultus, dumque hominum proterviam ulciscitur, totum susque deque orbem concutit, ut rerum proprietates ad tempus infringat, elementorum vires suspendat, non minuat, hominum ætates & vires non communiter enervet, sed in vindictam morbis opprimat, & è medio auferat, ut dimidium non æquent in Deum impii, qui statutum terminum non merentes, ante tempus abripiuntur; in quo sensu ait Propheta: *Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Plinii locus & authoritas non est tanti ponderis; nam forsan ille, ut quondam mundum aquâ deletum, sic modò paulatim exustione periturum putavit: & universim ejus ac nostro tempore inæqualis staturæ fuisse homines fabulosum est, ut latè probat *Ionstonus.* Quarè etiam parvi pendenda ea, quæ ab *Homero, Iuvenali*, & aliis poëtis afferuntur; quia apud ipsos fabulosa multa, & hyperbolicè dicta, quæ ideò apud authores vel nullam, vel certè parvam fidem merentur: & absque dubio poëtæ omnes, quòd *Homerum* hoc scripsisse viderint, nullo rationis lumine examinatâ veritate eandem opinionem secuti sunt; quam præter dictos videtur habuisse *Vigilius*:

Amos. 3.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus!

Lib. 12. Æneados.

& apertiùs multò *Lucretius*:

Iamq; adeò fracta est ætas, effætaq; tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditq; ferarum ingentia corpora partu.

Itaque non absque ratione cogitaverim poëtas, & alios hujus opinionis authores propterea hanc habuisse sententiam, quòd in effossis sepulchris & terræ hiatibus vastissima aliqua gigantum corpora conspexerint; unde idem Virgilius *Georg.* 1.

Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris.

Quorum proceritate stupefacti, æqualis staturæ plerosque antiquorum fuisse putaverint, quæ suæ ætatis hominum corpora longè superaret, ac proindè naturam fatiscere, & à pristino robore defecisse crediderint: sic idem *Plinius* Orionis, Oti, & Orestis vastissima cadavera admiratur. Quæ forsan etiam causa fuit, quarè *D. Augustinus* huic opinioni, & *Virgilii* versibus fidem adstruat: ait enim se dentem in Uticensi littore vidisse tam ingentem, ut si cum nostris æquiparetur, centum facere potuisset; unde apertè omnium antiquorum multò majora, quàm nostra corpora fuisse tradit: in quo sanè hallucinatus est, nam illa omnia ad gigantum particularia corpora referenda sunt, quæ quidem plurimis in locis inventa sunt, & in plurimis regionibus; & etiam nunc inveniuntur proceritatis eximiæ vasta corpora, quæ cum illis antiquorum æquari possent. A priscis enim Hebræorum temporibus ad nostra usque sæcula multa gigantea corpora visa sunt, ut ex *Scaligero, Goropio, Cassanione*, & aliis affert *Ionstonus*, & passim apud authores, qui de gigantibus scripserunt, videre est, & latiùs apud eundem *Cassanionem* & apud *Iosephum Pellicer.* Exempla, si Scriptores percurramus, forent infinita; ego Antverpiæ anno 1650. hominem vidi, qui cæteros omnes plusquam cubito magnitudine superabat; & fateor, cùm illum sedentem primò vidissem, moxque surgentem, me tantam corporis vastitatem satis admiratum fuisse, cùm corporis moles ac crassities proceritati responderet. Ergò cùm historiæ, quæ de tot gigantibus narrantur, ad particularia spectent, non est quòd communiter de antiquis velint statuere, omnes corporum magnitudine hodiernos longè superâsse. Mitto etiam apud veteres, imò in sacris literis gigantes dici consuevisse heroas, viros fortes & bellicosos, ut latè monet *D. Chrysostomus.* De ætatibus & viribus infrà erit sermo.

Lib. 15. de civit. Dei. cap. 9.

De gigantib. cap. 6. Pelli. in com ad Poliphem.

Ridiculum etiam est, quod de plantis & aromatibus contendunt; quia ea non defecisse certum est, periit tantùm usus, & notitia, in nostra præsertim Europa: quòd si in locis ubi anteà nascebantur, ea non est invenire, in aliis tamen reperiuntur; nam aliquando in aliquo loco aliquid deficit, quod ibi terra producebat, tamen in alio ubi anteà non inveniebatur, emergere conspicitur. Hoc pacto pleraque mutantur, non perierunt; quo fit ut in hominum notitiam non veniant, aut paucis cognita sint, & aliquando ob loci diversitatem cælique temperiem mutatâ facie appareant. Verum Ammomum *Garcias ab Horto* vidisse se gloriatur, & à medicis Misamoluci ramum illius ait accepisse, qui pulchrè cum legitimo à *Dioscoride* descripto quadrabat, dictumque ab eisdem jam apud Indos non nasci, sed ab aliis Asiæ regionibus, Persiæ, & Arabię asportari. Idem de costo asserit, quem reperisse scribit, & de cinnamomo,

mo, cujus duos vidisse ramusculos refert *Clusius*; imò *Amatus* inter communem Cassiam, quæ ab India asportatur, non raró ait inveniri: idem judicandum est de antiquo & Syriaco balsamo quod Turcæ & Ægyptii habere se jactant. Eodem modo aurichalcum, Murrham, salem Ammoniacum, & marmora illa reperiri affirmat *Nierembergius*; qui ista omnia & purpuram ad nos non pervenire credit, quia regiones in quibus nascebantur, in Barbarorum potestatem venerunt: siquidem purpuram in Meninge Africæ, non longè à Syrtibus, & in Getulo littore, aliisque exquisitissimis locis nasci authores tradunt, & forsan hodiè non nisi in abditissimis maris recessibus, illiusque profundo; quo fit ut hæc exotica rarissimè inveniantur. Amiantum, sive asbestinum linum adhuc hodie inveniri credendum est, si vera sunt quæ *Ioan. Brabus*, *Langius*, *Mizaldus*, & nuperrimè *Aldrovandus* scripserunt: & simile linteum à Tartaro summo Pontifici missum, suo tempore Romæ vulgatum ait *Langius*, & ab eodem etiam Carolo V. missum refert *Brabus*. Verum sapphirum quòd non habeamus, quamvis dicat Lacuna, probabile non est; & licèt illo careamus, tamen invenitur in Calecut præstantissimum, in Cannamor, & regno Bisnagar apud Indos, ut latè probat *Anselmus Bootius*. Monoceros & Phœnix, si non sunt fabulosi, ideò fuisse, & non perstare minimè dicendi; siquidem non est mirum rarissima quædam in naturæ majestate abscondita obvia non fieri, cùm in Arabiæ præsertim desertis degant, & in locis forsan quò humanus non pervadit oculus: & de Unicorno non desunt, qui animal & illius cornu vidisse dicant. *Ludovicus Berthema* Hispanus apud Aldrovandum in Mecha duos ait conspexisse, quorum formam ibi describit; nec desunt, qui Phœnicem eandem credant ac Semendam avem, quam apud Indos non ita raró conspici tradunt. Itaque nullam ex substantiis, & illarum speciebus, quas ab initio Deus creavit, à mundo defecisse, aut deficere potuisse rectè concludit *D. Chrysostomus*, cujus hæc sunt verba: *Et benedixit illa Deus, & dixit: Crescite, & multiplicamini. Namque animata creaturæ erant animalia, & volebat illa esse perpetua; ideò benedixit illa Deus, & dixit: Crescite & multiplicamini. Verbum enim illud in præsentem usque diem illa conservat, & tantum tempus præteriit, neque unum horum genus imminutum est; nam benedictio Dei, & verbum quod dixerat, ut subsisterent, & durarent, illis contulit.* Confirmat etiam hanc veritatem, quia statim à mundi primordiis omnibus animalium & plantarum speciebus Angelum tutelarem præposuit divina providentia, ut unaquæque species conservaretur perpetuò; quarè & hac ratione nunquam perire potuisse satis probatur.

[Margin: 11. — Lib. 1. c. riosæ ph. cap. 27. — Lib. de psyllis. Lang. epist. 66 Mizal. cent. 1. memora. 74. Aldrov. musæo metallic. — Hom. 4 genesim. — 12]

Fide etiam caret, ut suprà citatus *Massarias* advertit, quod de ætatibus colligunt, nam animalia easdem, quas *Aristoteles* & *Plinius* designârunt, nunc degere videmus; nec aliundè constat ipsa antiquo tempore, quàm nostro, diuturnioris fuisse vitæ: cùm à mundi initio eodem, quo nunc, termino fuerint circumscriptæ: & in homine constat à Regii Psaltis tempore, & à pluribus anteà annis (si aliquorum duratione rarissimas excipiamus) æquales fuisse ætates. Quòd si nullo modo primorum hominum longissimas illas æquare videmus, propterea nullus naturæ defectus arguendus, cùm à mundi origine ad illius propagationem, ut gentibus impleretur, tam longævas permiserit Deus, qui occulto judicio, non ex naturæ imbecillitate abbreviari posteà voluit: quippe hominum malitiæ in dies invalescenti velut injecit habenas, ut properantis mortis consideratio hominibus incuteret terrorem, cùm aliàs longissimo vivendi spatio sisi, in tantæ vitæ largitorem ingrati forent & invidi. Nunquam enim pejores homines extitisse constat, quàm cùm longam annorum seriem sperabant, & numerabant, tunc enim nulla mortis meditatio, & tardus illius accessus ad omnia vitia fores aperiebat, dabatque ad omnia scelera privilegium, & insolentiam; quibus infamatus jam mundus, ut purgaretur necessum fuit, ut animarum saluti potissimùm consuleretur: quo factum est, ut ad 120. annum redacta fuerit hominum ætas; & adhuc illorum scelera, ut breviorem faceret, divinam justitiam compulerunt, sicuti impiis minatur Deus, quòd nec statutum terminum æquabunt. Nec prætereundum est longissimam illam primorum hominum vitam plures alias habuisse causas, partim naturales, partim ex divina dispensatione; nam præter temperantiam, sobrium vivendi modum, parsimoniam in victûs tenuitate, forsan etiam à parenti Adamo multa acceperunt, quæ ex arborum & plantarum virtutibus probè cognitis, ad vitam prolongandam maximè conducere potuerunt, ut latiùs collegit Pereira *in Genesim*, & Tympius *in mensa Theolophilosophica*; qui ad septem

[Margin: 13 — Psalm. 54 — Tit. de Vita.]

eas reducit, & sunt hæ: Bonitas temperaturæ humanorum corporum, quâ primi homines vigebant; sobrietas, & continentia in cibo & potu; alimentorum præstantia, ob eximiam bonitatem terræ, & feracitatem antè diluvium; benigni & salutares siderum aspectus, cælestesq; influxus, qui tunc orto mundo fuisse dicuntur; cognitio Adamica, nam cùm omnium facultates & vires ad unguem novisset, eas illos edocuit, & quæ potissimam vim obtinerent ad conservandam producendamque humanam vitam; Dei voluntas, ut per longam vitam genus humanum multiplicaretur; ultimò, ut diu viventes homines rimari possent, & invenire artes, & scientias ad usus & utilitates vitæ humanæ necessarias, ut tradit Josephus *lib.* 1. *antiq cap.* 4. quæ non nisi longissimâ temporis experientiâ reperiri poterant: undè optimè *Aristoteles* tempus inventorem vocavit, & promotorem artium & scientiarum; quapropter *Rabbi Levi*, citante *Genebrardos*. Patriarcharum longævitatem, opus providentiæ, non naturæ rectè appellabat.

Lib. 5. Chronolo.

In maximo itaque errore versantur, qui longissimam primorum hominum ætatem considerantes, ejus respectu brevissimam hanc nostram ob senescentis mundi & naturæ imbecillitatem ad tam disparem annorum numerum pervenisse volunt, videlicet ab annis 900. & 800 quas tunc homines vixerunt, ad 70. & 80 quos Regius Propheta jam à suo tempore vitæ terminum declaravit, & verum esse hodie quoque experimur: errant, inquam, & maximè caligare videntur; quia si ita foret ut paulatim hominum vita in deterius rueret, jam certè hoc nostro ævo terra non tam homines, quàm pumiliones ferret, & nos non jam annos, sed nec menses vivendi spatio æquaremus. Nam si à creato mundo usque ad Moysis, & divini Psaltis tempora, à 900. & 800. ad 70. 80. aut 100. quod summum est, vita decurtata fuit; quid jam nobis restaret, si eodem declinandi cursu ætas hominum minueretur? & certè majori deberet, cùm mundus propiùs ad finem jam accedendo, magis ac magis imbecillitari deberet. Quòd si hoc non videmus, imò conspicimus eundem terminum æquare hodie homines, quem Davidis tempore & adhuc anteà mensurabant, dent nobis causam, quarè ad illa usque tempora tam celeri cursu naturæ vis in hominis duratione defecerit, ut illius vitam ad tam brevem terminum reduxerit, & quarè exindè ad nostra usque tempora per annos 3000. nil jam de illorum vita imminuendo in eodem statu & termino illam reliquerit. An non ampliùs quàm anteà debilitata est natura? An pedē fixit, quod anteà facere non potuit? Merum itaque est figmentum, & fabula, quòd abhinc 3000. annos homines ætate, viribus, aut staturâ defecerint, ut latè cit. probat *Ionstonus*: præsertim cùm ab antiquissimis veterum legibus, & ad ducenda matrimonia & ad comparandos, vel eximendos à bello milites, eandem, quam hodie, servari normam videamus.

Nil etiam probat, quòd non nisi per medium ad finem veniatur; quippè mundum nullus dicet finem habiturum esse deficiente paulatim, quę illum componit, œconomiâ, aut specierū, quibus integratur, paulatino recessu, sed cum omni suâ mole subito ignis incendio consumendum; alioqui nullâ astrorum & elementorum in producendis speciebus fatigatione, innumeros duraret annos. Alia in cæteris, & individuis est ratio, & ipsius naturæ lex, & mortis necessitas, quę omnia inviolabili jure expostulat. *Seneca:*

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
Omnia sede movet, nil sinit esse diu.
Flumina diffugiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes, & juga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? Cæli pulcherrima moles
Ardebit flammis tota repentè suis.
Omnia mors poscit: lex est, non pœna perire,
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

Et Lucretius:

Denique non lapides quoque vinci cernimus ævo,
Non altas turres ruere, & putrescere saxa,
Non delubra Deûm, simulachraq; fessa fatisci?

Etenim

Quælibet orta cadunt, & finem cœpta videbunt.

Non igitur in toto mundo, quod in partibus illius accidit; hinc cadunt regna, imperia, illinc de novo eriguntur; diruuntur urbes, aliæ instaurantur; pereunt & moriuntur arbores, plantæ, homines, animalia; alia reproducuntur: sic ludit natura, non luit. Ipsa quę veterascunt, mixta sunt, & ex contrariis efformatę substantiæ, quę cùm qualitates inter

ter se pugnantes sortiantur, quoad vincant, vel vincantur, pugnare non desistunt, quousque cum suo elemento ad illius redeunt centrum, terra in terram, ignis in ignem, & sic de aliis: quo fit, ut quamvis innumera sit mixtorum generatio, nunquam tamen in quantitate elementa deficiant, aut jacturam patiantur; & licèt aliquando, viribus exhaustis, imbecilliora videantur, ex innata virtute habent, ut ad pristinum vigorem redeant: proptereà dicebat Seneca: *Rerũ natura nihil dicitur perdere; quia quidquid illi avellitur, ad illam redit, nec perire quidquam potest, quod quo excidat non habet.* Hinc Lucretius:

14.

Lib. 5. benef. c. 8.

Lib. 2.

> *Cedit item retrò, de terrâ quod fuit antè,*
> *In terras, & quod missum est ex ætheris oris,*
> *Id rursùm cæli stellantia templa receptant.*

Sic aquam videmus quomodocumque calefiat aut impensè infrigidetur, ad gradum sibi debitum iterùm redire; sic terræ partem assiduo satu fatigatam, paululùm requiescentem, novas assumere vires in fœcunda segetum ubertate videmus. Ipsa elementa in alia transeunt, & amoris veluti vinculo obligata, novos resumunt conatus, novas exerunt vires, & nisi sibi ipsis deficiant, fatiscere non possunt, imò quasi alimentum se invicem suggerunt, terra aquâ impraegnatur, hæc aëre nutritur, hic igne reficitur, & in illum resolvitur: sic cuncta reparantur, ut ordo non deficiat, & omnia proprios repetant recursus. Hæc tandem naturæ lex est, ut omnia ruant; ipsa velut parens viribus inconcussa semper appareat, utque cuncta perdendo gaudet, pulchrâ renovatione luxurians etiam oblectetur. Nec contrarium ex *Galeno* colligi potest; quippe ille tantùm scribit, *Hippocratis* tempore ob optimum vivendi modum & vitæ regimen homines fortiores fuisse, non verò communiter ex potentioribus naturæ viribus: quòd si adhuc integris elleborum dare formidabat, hoc circumspectè faciebat ob periculum, & quod non ita ad unguem illorum virtutem explorare sperabat, an tanti medicamenti violentiam ferre possent, præsertim cùm leviora alia habuisset, & minus periculosa; quæ *Hippocratis* tempore nondum cognita, nec usitata, in causa erant, quòd elleboro uterentur, ut in illius cap. confirmat *Laguna.* Quin imò *Salius* anteà citatus, quòd in antiquis & nostris hominibus nullam agnoscat in viribus differentiam, ex hâc solùm causâ motus, consulit elleboro nos uti debere, tam in decocto, & infusione, quàm in pulvere, & substantia; imò *Herophilus* priscos medicos, quòd in illius quantitate propinanda avari fuissent; damnabat, & *Laguna* ob eandem rationem scammoneam, colocynthida libenter & sine ullo metu propinat: ex quo patet supervacaneum fuisse *Galeni* timorem, non quòd ullâ hominum ex naturæ viribus defectione motus ab illo abstinuerit. Per accidens itaque, tantùm ob ingluviem, & pessimum vivendi modum, non ex ulla naturæ fractione minùs valentes *Galenus* sui temporis notabat homines; de quo paulò anteà eâdem ratione conquerebatur *Seneca*, ac proptereà morbis obnoxios fieri, & alios aliis advenire, quos *Hippocrates* nunquam anteà accidere annotaverat: hâc etiam de causâ idem *Seneca* antiquorum corpora scribit solida fuisse & firma, & quæ parùm negotii cum medecina habuissent; cùm facili cibo, nec per artem, aut voluptatem corrupto uterentur. Hanc sobrietatem victûsque simplicitatem, & temperantiam à probatissimis viris semper laudatam legimus, apud *Ciceronem*, apud *Macrobium*, nec non apud Poëtas. *Virgil.* 2. Georg. de illa loquens sic ait:

15.

Epist. 95.

Tuscul. quæst. 5. 6. Saturnal. cap. 4.

> *Hanc olim veteres vitam coluère Sabini,*
> *Hanc Remus, & frater. Sic fortis Hetruria crevit;*
> *Ante etiam sceptrum Dictæi Regis, & antè*
> *Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis,*
> *Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

16.

Lib. 2. de bello Iud.

Non aliter *Flavius Iosephus* Essenos narrat quàm longissimè vivere, & ad 100. annos non paucos perdurare, quòd victûs simplicitatem, ac rectam in cibis normam observarent. Optimo proindè jure in cit. epist. idem *Seneca* sui, & jam nostri temporis luxum, & nimiam taxat ingluviem, & quòd morbi, & ægritudinum pericula è culinis exeant, satis deplorat. Paucissimis veterum contenta fuit vita, & tunc ad naturam vivebant homines, edebantque ad vivendum; nunc ad comedendum vivitur, & magnitudo omnis, non in sobrietate, sed in ferculorum multitudine consistere creditur; qui plura consumit, & plura exhaurit pocula, viribus magis fidit, mox defecturis: nec ullus est, qui videat obsonia non esse, quæ devoramus, sed naturæ onera, quibus obruitur, & in tristium morborum doloribus solvenda gaudia; quippe dum sacra Eccles. elogia non attenduntur, & medicinæ præcepta nil penduntur, imò hæc omnia contemnuntur,

tur, pereunt salus, & vita, & ut paululùm vivamus, vivere desinimus; ac vix est, qui alieno, imò suo malo sapiat.

Tandem nil dicimus concludere *Peramatum*, sumpto ex sanguinis missione argumento, qui Galeni tempore majori quantitate, quàm nostro, extrahebatur; siquidem non in omnibus æquali mensurâ, sed pro virium robore, & morbi indigentia fiebat. Ita aliquando *Galenus* ad dimidiam cotylam extraxit, & nostro ævo copiosum mitti, si morbus expostulat, nemo non novit; quippe si auxilia cum morbis debent contendere, ubi magnus est ac celer, firmæ ac robustæ vires, adauctaque plenitudo, ut in synochis videre est, quis quæso non antiquorum more copiosè satis evacuabit, ubi remedii procrastinatio periculi plena est? Quòd si communiter apud antiquos in uberiori quantitate demebatur, consuetudo potiùs illorum in causa fuit, quàm hominum robur, quod ad hoc compelleret; sed cùm quotidianus usus & experientia periculo plenum esse demonstraverit, tam copiosas exequi detractiones, ejusdem Galeni consilio securius judicatum est, meliùs esse infrà subsistere, quàm exquisitissimè evacuare; quod præceptum maximè commendavit *Avicenna* cum inquit: *Melior est multiplicatio numeri, quàm quantitatis*; & alibi de sanguinis missione agens: *Partitio in ea melior est*. Præsertim cùm ex præcipitata evacuatione in magna pericula & mortem aliquando deveniant ægrotantes: sic *cap. 12. de sang. miss.* trium ægrotantium mentionem facit *Galenus*, & aliorum duorum, 9. *meth.* 5. qui ob similem causam in medicorum manibus perierunt. Quapropter consultius est, ut sine ullo exsolutionis metu exerceatur evacuatio per vices, & partita, eodemq; , si necessarium fuerit, die repetatur, quod non bis, sed ter fieri sine dispendio poterit; & si aliquando urgens expostulaverit necessitas, quod rarò evenit, vires tamen ferant, copiosè extrahendum. Hoc enim adhibito consilio *Galenum* imitabimur, & sui, nostrique temporis more, prout requirit occasio, & permittunt ægrorum consuetudo & vires, evacuabimus, nullo debilioris naturæ metu perculsi, aut decepti; quod idem *Galenus* nunquam in mente habuit, imò econtrà *lib. quòd optimus med.* fatetur apertè mundum hunc eundem esse, qui olim fuerit, anni tempora eundem ordinem servare, solem suos circuitus nulla ex parte mutatos percurrere, denique omnes stellas, sive fixas sive errantes, eandem planè statûs rationem tenere. Itaque licèt mundo ætates assignentur, hancque illius ultimam esse appareat, nullo tamen modo eas ex naturæ vi, & naturalis mundi senectutis, ut in animalibus & plantis, metiri debemus: illas enim tantùm secundùm divinas ordinationes, & temporum occasiones sic habet, quas Deus disposuit; quippè non naturalis, nec secundùm naturam fuit illius ortus, ideoq; nec talis futurus est interitus. Fieri quidem potest, ut una, aut altera terræ pars assiduâ culturâ fatigata langueat, tota minimè: neque quæ imbellis redditur particula, verè senescit; nam statim ac quiescit de novo vires recolligit, & pristinũ assumit vigorem. Abeunt enim & circulo quodam redeunt omnia, & per vicissitudines singula crescunt & decrescunt; quę à mundi ortu naturæ semper extitit conditio, ut alternatim omnia jam in summo, jam in infimo conspiciantur gradu. Propterea fortunæ imperium excogitârunt veteres, & illius rotam, ubi illa, quæ alto nunc ostendit apice coruscantia, duræ vicissitudinis inexorabili ratione, calamitosè cadunt revoluta, & tristem cuncta subeunt mutationem.

[Margin: 17. — Cap. 13. de sang. miss. — 2. acut. & 2. aph. 51. — Fen. 1. lib. 4. tract. 4. cap. 46. — 18. — 19.]

Nil igitur æternum & immutabile nisi Deus; nil durans & stabile, nisi mundus, & in mundo nihil, ast omnium minimè homo, de quo Solon: *Putredo in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte*, & Aristoteles: *Imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludus, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina; reliquum verò pituita & bilis*. In quem ideò optimè Nyssenus: *Non erubescis terræ statua, mox pulvis futura, qui in bullæ modum brevi duraturum in te tumorem contines, te superbiâ repleri, fastu tumere, vano spiritu, atque cogitatione mentem inflatam habere? An non respicis ad utrumque vitæ humanæ terminum, undè initium sumat, & in quid desinat?* Et Bernardus: *Nil aliud, quàm sperma fœtidum, stercorum saccus, vermium cibus. Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror.* Sic Pallas Poëta:

[Margin: Apud Stobæum. serm. 96. — Lib. de beatitud. — Lib. de medit.]

Natus es è cœno, quid sic efferris, & ex hoc
Figmento dicat nobiliore aliquis.
Si causam quæris genuinam, dira libido
E guttâ impurâ contulit esse tibi.

Itaque singulæ horæ, imò singula momenta, aliquid à nobis deprædantur, adeò ut, dum loquimur immutemur; ita ut vitæ nostræ typus cum candido ligustri flore rectè com-

comparetur, qui surgente sole floret, occidente marcescit. Talem fatetur Job: *Qui egreditur & conteritur, fugit sicuti umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* De hac quæstione hæc sufficiant: plura si volueris, præter citatum *Ionstonum* & alios, vide *Maggi. lib. 1. miscel. cap. 4. & Secundum Lancelotum de Perusio*, in suo *Haggidì*, quod Italico idiomate edidit; ubi latisimè de hac dubitatione egit.

QUÆSTIO VIGESIMASEXTA.

An possibile sit hominem senio confectum rejuvenescere? Et an senes cum pueris, & juvenibus consuetudinem habentes, & inter illos versantes, salubriter degant, & hac de causa vitam protrahere posint?

VT ciconias (inquit *Plinius*) nemo advenire sentit, sed advenisse; nemo discedere, sed discessisse, quia utrumque clanculùm faciunt: ita juventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse, & senectutem non sentimus advenire, sed advenisse. Labitur occultè, fallitque volubilis ætas, tacitisque senescimus annis. Hoc omnes naturæ debemus, illius creditores sumus, hoc inviolatâ lege à nobis exigit, aut citò & peregrè proficisci, aut inevitabilem senectam durâ ætatum conditione subire, ac tristes illius experiri, imò ferre querimonias. Hinc senectam in pœnam vivacem dicebat *Plinius*: nam senibus plerumque ita odiosa est senectus, ut se onus Ætnâ gravius dicant sustinere, ut *Cicero* adnotavit; de quo apud *Euripidem* senum chorus conqueritur, ac Priamum sæpiùs quàm Troilum ploràsse scripsit *Callimachus*, nempè quòd diutiùs vixerit: adauxit & hanc mortalium querelam, serpentum & anguium in senio deponendo felicitas. *Reusnerus*:

Lib. 10. cap. 23.

Lib. 7. cap. 50.

In Catone majore.

apud Sen. in Her. furente.

In paradiso Poëtico.

> *En novus exuviis serpens revirescit ademptis,*
> *Atque gravi reficit senia membra situ.*

De qua certè invidum humanum genus conditionem suam cum *Tibullo* deplorat:

> *Crudeles Divi! serpens novus exuit annos,*
> *Formæ non ullam fata dedère moram.*
> *Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,*
> *Cur nos angustâ conditione sumus?*

1. Placet quoque & ex Poëtarum figmentis fabellam adjungere: ajunt namque homines olim à Deo multis precibus impetràsse, ut perpetuo juventutis munere donarentur, & nunquam senio contabescerent, sed quamdiu vivere permissum, integris viribus, & florenti semper ætate vegeti persisterent. Hanc igitur simul ac Dei benignitate accepissent, imprudentes adeò fuisse homines, ut eam dossuario asino vectandam commiserint: hunc verò siti ex itinere confectum ad fontem quendam divertisse, apud quem loci custos serpens æstivale construxerat diversorium; cumque bibere tentâsset, à serpente prohibitum, eâ tandem conditione potiundæ gelidæ obtinuisse facultatem, si totum quod vehebat onus angui mercedis loco reliquisset: quod bestia, tantum thesaurum minimè agnoscens, pro simplici aquæ potu anguibus commutavit. Ex quo singulis annis syphar (vernationem, sive senium dixeris) abjectâ senectute deponunt ac juvenescunt; homines verò senio confecti emarcescunt, ac stoliditatis pœnas luunt, quòd juventutem tanto expetitam studio negligenter custodiissent. Totam fabulam *Georgius Sabinus* elegantissimis versibus exposuit, quos apud *Aldrovandum* in serpentibus lector inveniet. Nos interim ad quæstionem transimus.

Lib. 4. Eleg. 3.

2. Celebris est illa quæstio apud medicos, An mors naturalis medicinæ beneficio retardari possit? In cujus enodatione latè disceptant *Valesius*, *Cardanus*, *Peramatus*, *Martinus Pansa*, & plures alii, tam ex neotericis, quàm antiquis; quorum qui partem affirmativam defendunt, satis ab *Arnaldo de Villanueva* irridentur, *lib. de humid. rad. cap. ult.* & impossibile hoc esse confirmat Plato *in Timæo*, & Avicenna *fen. 3. lib. 1. cap. 1.* Galenus *in libris de tuenda valet. & libro de tabe* quo loco vanam cujusdam Philosophi sententiam damnat, qui de immortalitate comparanda librum ediderat: Quippe ut certum est, medicinæ viribus ad extremam usque senectam & exactam humi-

Lib. 6. contro. 1. Card. lib. 1. contro. tract. 3. com. 9. Peram. lib. de temp. quæst. 15. Pansa, p. 1. de prolong. vita.

humidi radicalis consumptionem hominem conservari & perduci posse; ita ab omni ratione alienum & sophisticum asserere, ultrà prædictum terminum ullâ arte ullâ humidi reparatione fieri ut longiùs subsistere possit. Est enim terminus, ut inquit Job, *qui præteriri non potest*, & ut Seneca, *qui stat, ubi nobis illum inexorabilis fatorum necessitas fixit*: quandoquidem si naturalibus viribus hoc foret possibile, forsan & mors evitari potuisset; quod quàm ridiculum sit, mox aliquibus adductis rationibus comprobabimus, licèt *Galenus* mortis & senectutis necessariam consecutionem solâ experientiâ probari posse scribat.

Epist. 102.

Lib. de marcore. cap. 2.

Sed dura non minùs videbitur illorum opinio, qui senio confectum hominem, rugosâ præ siccitate facie squallentem, præ frigidâ pituitâ canitie contectum, & artuum torpore vacillantem, hæc omnia & languescentis naturæ infelicia decrementa, feliciter, & extrà communem illius modum, ac motum, cum juventa commutare posse contendunt: etenim si nullo quantumvis raro artis præsidio effici potest, ut radicali humido accedat aliquid, quo pedem figat, & resolutioni resistat, aut determinatam durationem transeat; quæ, quæso, naturæ, aut remediorum vis consequi poterit, ut retrò agatur, & depositis, quæ senectam insequuntur, invaletudine, torporibus, laborumque & dolorum inevitabilibus querelis, novam, pulchramque, & de novo germinantem induat ætatem, si non annorum numero, viribus tamen exultantem, capillorum nigritie, nitidâ facie, ac juventutis splendido flore iterùm micantem? Certè procax *Paracelsi* arrogantia, & vaniloqua præsumptio, suo vitæ Mercurio hæc & majora præstari posse, ausa fuit asserere; adversùs quem *Ioannes Freitagius* acerbè invehitur, quippè quòd ipse non solùm ferrum, aurum, & alia, in primam materiam, & ex hac in pristinam substantiam convertere, sed ex vetula puellam, ex sene juvenem facere promitteret. An unquam in homine talia præstiterit, non est cur quæramus, cùm nondum senex ipse decesserit; nec sibi ipsi juventam, quam aliis promittebat conservare potuerit, quantò minus deperditam restaurare? Quippe dum aliis Sibyllinos pænè annos, cervinamque, ut aiunt, aut Tithoni ætatem remediis ad id exquisitissimis pollicitus est, ipse cum Lachesi pacisci tantisper haud potuit, ut suprà trigesimum paucos annos assequeretur. Quarè in illius ridiculam pænè mortem, dum aliis sæculum & plusquam viginti lustra promittit, celebri epigrammate fertur *Ioan. Petrus Lotichius*:

Lib. 4. auroræ med. cap. 4.

Lib. 2. obs. cap. 9. obs. 2.

> *Si præcox medici mors scandala præbet, oportet*
> *Scandala præbuerit mors, Paracelse, tua;*
> *Nam; dum Nestoreum promittis pluribus ævum,*
> *Ipse priùs letho præveniente cadis.*
> *Ridiculum medicum! si vis, Panacæa senectam*
> *Conferat ut reliquis, ne moriare prius.*

Sed dum inter se digladiantur, nos pro quæstionis enodatione rationes afferamus quæ hoc impossibile esse convincant. Et inprimis celebris est *Galeni* locus *lib. de marcore cap.* 4. ubi sic legitur: *Si igitur facere potuisset natura, ut postquam animal, vel stirpem ad vigorem usque perduxisset, aliam rursùs viribus parem induceret elementationem, hoc itaq; dumtaxàt modo, sine senio, ac corruptione ejus perdurâsset fabrica.* Nititur Galenus in eo, quòd senectus ex humidi defectione, & paulatino illius defectu accidat; & quia nunquam reparari potest tale ac deperditum est, fieri etiam non poterit, ut senectus, quæ necessariò ad illius consumptionem sequitur, in juventam transeat: difficilius quippè est aliquid vetustum ad naturæ suæ primordia iterùm reducere, quàm in præexistenti statu conservare; hoc impossibile, ergo & illud. Secundò, humidum istud non potest non exsiccari; nam calor innatus, ut agens naturale ab opere non cessat; ergò, quæ ad illius operationem consequuntur, nempè exsiccatio & humidi consumptio necessariò advenient. Tertiò, si fieri non potest ut per humidi radicalis reparationem cujusmodi deperditum est, comparetur, (hoc enim si esset possibile, ad senectutem transitus non fieret) ergò multò minùs fieri poterit, ut non solùm perfectione æquale, sed melius medicamentorum, aut alimentorum vi generetur, ad hoc ut ad juventutem, & retroactam ætatem fiat regressus. Probatur, quia quæ humidi fit exsolutio, semper tenuioris, pinguioris, & optimæ illius partis est; quæ verò generatur, siccior & deterior. Quod resolvatur optima illius pars, ex eo constat, quòd hæc pinguior est, & aëria magis, & quæ talia, ad resolutionem aptiora sunt: & quòd adveniens semper sit deterior, patet, quia humidum adveniens humidum

dum sibi assimilat; ergò cùm semper ex melioris deperditione deterius remaneat, sibi perfectius assimilare non poterit. Quartò, alimenta ex quibus reparatur humidum, non sunt æquè perfecta, ac nostra substantia tunc præexistens; ergò multò minùs ac deperdita, quæ adhuc perfectior fuit, quàm quæ remansit. Ultimò, si hoc possibile esset, daretur etiam in ætatibus retrocessus, quod naturæ ordini repugnat. Mitto alias rationes, & quæ de excrementorum vi apud authores leguntur, quia de senectutis, & mortis naturalis causis tractare modò non instituimus; sed rariora aliqua, & extrà communem naturæ ordinem, quæ in illa visa sunt, miracula solùm percurrere intendimus. Igitur cùm multa passim apud probatissimos Scriptores legantur, quibus fidem detrahere non licet, videndum est, an prædictis argumentis non obstantibus ullâ naturæ vi possibile sit hoc, quod in quæstione quæritur, accidere? ut qui jam defectâ, & decrepitâ curvatur ætate, vires resumat, & habitum nitoremque juvenilem de novo induat, mutentur in nigritiem cani, frigiditas in teporem optimum, torpor in agilitatem abeant, cæteraque corpus recipiat, quæ senectus abstulerat, & iterùm juventute novâ florescat.

5. An non meritò aliquis novercam accusaverit naturam, quòd quotannis arbores, & marcescentes herbas novâ florum frondiumque pulchritudine vestiat, ac quæ anteà omni ademptâ gratiâ, emortua videbantur, rursùm amœnâ foliorum viriditate luxuriantia promat, ut toties felici renovatione instaurata jucundum nobis præbeant aspectum? Quòd anguibus, serpentibus, avibus, senectam pari temporis decursu exuat, novis pennis & pelle vestiat, ut anteacti temporis venustatem, & juvenilis ætatis speciem, decorem, & vires annuo circuitu repetant, & tanto nitore jucundoque oculorum obtutu salientes, psallentesque, novam vitam, nitidiorem ætatem, & adolescentiæ vigorem redordiri videantur? Quòd insectis quamplurimis non solum pertinaci vitâ faverit, sed methempsicosi quâdam Pythagoricâ, aut Ovidianâ methamorphorsi subindè in alia transformet, & abire permittat, ut non ex senecta tantùm, sed ex illorum morte nova repullulet vita? Quis Phœnicis, qui jam fabulosus non creditur, sortem non invideat? Quis sericorum vermium stupendum illum papilionum exitum, & è relicto semine rarum tepido caloris fotu vitæ initium non admiratur? ut jam taceam scarabæum, cicadam, silphem bombycum, & erucarum innumera alia, ut in minimis non stupescat naturæ, artificium & admiranda contempletur opera. Igitur in his omnibus jam mortem novâ vitâ compensari videmus, jam senectam pulchrâ instauratione renovari; ut meritò tantum beneficium Hebem novercam homini denegâsse non crediderit vetustas, cùm infelici bajuli asini errore tantum obvenisse finxit infortunium, qui per imprudentiam à Jove hominibus missum juventutis salutare pharmacum serpentibus obtulit potiundum. Sed dum ista minutissima, & abjectissima, quæ pedibus conculcas, vides & invides, mirari

6. desine & naturam accusare, & sortis pœnitere tuæ. Dedit parens tibi vitæ arborem, cujus fructuum esu, si non æternùm vivere, nullo modo labescentem, sed viribus æquè pollentem ad longissimam duceres ætatem: perdidisti gratiam, & quæ cum ea connexa erant, abierunt. A paradiso primus homo ejectus est ne comederet, & æternùm viveret; & forsan alia, quæ si non tantæ, consimilis efficaciæ produxit natura, abscondidit Deus, quæ nota adhuc esse noluit. Vitis arborem loco arboris vitæ nobis substitutam sunt qui autument, sed quàm dispari utilitate nemo non videt: momentanea sunt hujus commoda, non rarò & majora incommoda; hæc nulla, illa immensa erant, & omnem utilitatem superantia.

7. Sed multa alia latere nondum inventa, nec hominibus cognita, quibus humidum radicale restaurari possit, senectutis ariditas temperari, cæteraque deperdita suppleri tradit *Ficinus*, & quasdam reperiri plantas, (Mirabolanos vocat) quibus in longum tempus & vita conservari possit, & à senectutis squalore homo præservari. Tradunt præterea *Cardanus*, *Langius*, *Zacutus*, (quidquid fabulosum aut desultoriâ hyperbole dictum judicet Andreas Baccius *lib. 6. de thermus cap. 28.*) quod etiam Lusitanorum aliquæ de Indiis testantur historiæ, in Eubonia insula fontem scaturire, cujus aquæ potu senectutis cum juventa fiat mutatio: qui fons, an idem sit cum fonte Lucajon non constat, quem *Petrus Chieza* eandem obtinere virtutem scribit; & exemplo confirmat *Petrus Martyr*, de sene qui amore vitæ ductus, apud fontem lotus, & per aliquot dies ex eo potans virile resumpsit robur, uxorem duxit, & filios genuit. Sed potiùs diversos esse facilè colligi potest, quòd Lucajon in Peru historiis des-

Lib. de vit. longa. Lib. 2. contra. tract. 5. contrad. 9. Lang. epist. 79. Zac. 4. de princip. hist. 45. Part. 2. hist. Peru. c. 51

describatur, tanquam in partibus novi orbis situs de Bonica verò in Orientalis Indiæ plagis, illius mentionem, atque ortum memorant authores. Itaque dari aliquas plantarum, aut aquarum, lapidúmve virtutes, quibus senectus retardetur, & juvenile robur diutiùs conservetur, nobis tamen incognitas, longæva illa primorum hominum vita confirmare videtur: de qua disserentes Theologi, non ad opus providentiæ tantùm illorum hominum diuturnitatem referendam putârunt, sed naturæ aliquam vim agnoscunt, ut præcedenti quæst. adnotavimus; nam cùm fuerint magnâ sapientiâ præditi, excogitâsse aiunt omne præsidium sanitatis, & medicinas secretas, quibus senectus retardabatur, & cùm adveniret, poterat mitigari, & filios eorum hæc præsidia habuisse, & experimenta contra senectutem, quia Deus illos illustravit omni sapientiâ, ut sic diu vivere potuissent.

Sed nostro quoque & superiori ævo prodigiosę aliquę senectutis in juventam retrogradationes observatæ sunt. Et in primis probatissimæ fidei authores longâ, sed certâ enarratione nobilis cujusdam Indi mentionem faciunt, cui annorum, quibus vixit 340. spatio, juventæ florem ter exaruisse & refloruisse authores sunt *Ferdinandus Castañeda, Maffæus*, & Societatis alii reverendi Patres: paucisque abhinc annis totum hoc verum esse cognovi ex misso testimonio à Bengalæ Rectore, additâ quoque fidelium testium comprobatione, & Nuñi à Cuña ducis strenui, qui eodem in regno hominem invenit, & allocutus est, & adhuc in vivis esse dicebatur. An verum sit quod de hac re ultrà audivi, non ausim asserere; aiunt quippe prædictum Indum Mauritanorum sectæ addictum à temporibus D. Francisci, quâdam die Sanctum ad cujusdam fluminis ripam, vadum quærentem invenisse, ac humeris susceptum ad oppositam portâsse; tunc virum Dei beneficio gratum ferunt precatorias sphærulas illi dedisse, prædixisseque, non nisi Christianum & sacro respersum lavacro moriturum: qui tanto assertore fisus, ut mortem sedulò properantem vitaret, procrastinando salutaris aquæ perfusionem tamdiu distulit, probè conscius, Deum Sanctorum verbis atque promissis stare. Addunt præterea multos post annos, postquam Lusitani apud Indos sacras erexêre ædes, templum ingressum, depictum agnovisse Seraphicum, ac totam enarrâsse historiam. Sed si hanc ex miraculo credas, (sic enim aliàs in quodam infideli, nomine Rio, divi Patricii precibus accidisse scribit *Nierembergius*) naturaliter etiam idem accidisse plures aliæ historiæ affirmant. Celebris est illa, quam *Torquemada dialog.* 1. narrat, & illius etiam meminit *Delrius*, Tarenti capularem fuisse senem, qui pilis, & unguibus decidentibus, in juvenilem ætatem apparuit mutatus; ut in adolescentem de sene prodierit, supervixeritque post annos 50. quod quoque alteri in Rioja, Castellæ oppido, non minori felicitate accidisse idem *Torquemada* refert, quod famâ notissimum fuisse ait, & ab Ammira regni sedulò exploratum. Prædictis haud absimilis est casus, quem à muliere accepisse scribit *Valescus de Tharanta*, & ex eo *Marcellus Donatus*, & *Schenckius*, ipso adhuc vivo in oppido Monviedro regni Valentiæ, abbatissam monialium fuisse, quæ senectæ longos numerabat annos; huic subitò menstruorum fluxibus renovatis, denigratâ comâ, dentibus renatis, adæquatisque rugis, pendulæ etiam sororiârunt mammæ, ut denique facie, & toto corporis habitu juvenculam exhibuerit; quare tantâ perculsa novitate, ab omnium oculis se subtrahere nitebatur. Similis casus de sene debili ac morboso, lectoque affixo, legitur apud *Ioan. Petrum Lotichium*, cui ex longo morbo non solùm barbæ & capitis pili deciderant, sed epidermis quoque discussa & ablata est; novam intereà comam, barbamque novam, ac fulvam, (admirandum dictu) induit, color faciei & reliquæ cutis floridus apparuit, corpusque omne anteà senio & morbo languidum, tanto roboris incremento confirmatum est, ut cum uxore juvencula, ipse tamquam juvenculus ac libidinosus convixerit, ac veriùs quàm fallax illa Ovidiana Medæa recoxit Æsonem, fortis evaserit, senectamque omnem deposuerit. In his nulla miraculi causa, aut occasio apparuit, sed ipsa natura velut circuitu quodam se revolvens, novas assumere vires, & ad pristinum robur redire visa est: quod si non in omnibus, nec in plurimis, sed in paucissimis contingere observatum est, non ideò negandum, cùm perrarum fuerit tantæ fortitudinis, & temperiei dari senem, in quo illa inveniatur dispositio, quæ ad repetenda adolescentiæ initia, & juventutis florem instaurandum apta sit & prona. Quoties in ultima ætate degentibus amissi dentes denuò prodire visi sunt? Hoc quamplurimi observârunt, & non pauci suo commodo experti sunt, ut vulgare jam sit, quod anteà raritate fuerat admirandum: in octogenario vidit

Lib. 1. hist. Indiæ.

Ex Mendoça li. 4. Viridarii. probl. 17.

Lib. 2. de mirac. nat. Europ. cap. 47.

Lib 2. disq. Mag. quæst. 23.

Lib. 6. c. 12.

Lib. 6. c. 2.

Schen. lib. 4 cap. de concept.

Lib. 4. obs. c. 9. obs. 2.

Alex.

Dentes valdè senibus renati, pili etiam, & canities in nigredinem versa.

Alex. Benedictus, similiter in eadem ætate alteri accidisse ex *Alberto Magno* refert *Cardanus*, & Sancli Samothraceno civi, cùm jam 104. annum attigisset, eodem modo dentes renatos fuisse scribit *Plinius*. Canos etiam pilos iterùm ad nigritiem rediisse testantur. *Solinus* apud Indos ait gentem esse, quæ in juventute cana, in senectute nigrescit; quod *cap. 4. lib. 9.* confirmat *Gellius*. Victoriæ Fabrianensi, fœminæ octogenariæ, non solùm dentes renatos, sed & capillos, qui defluvio jam abierant, iterùm ortos fuisse narrat *Alex. Benedictus* citatus. Franciscus Baconus *in Sylva Sylvarum cent. 8. nu. 755.* Comitissam Dismondiæ ad 140. annos vitam protraxisse tradit, ac bis, térve veteres dentes novis succedentibus mutâsse. De Joanne Montano Silesio admodum sene & cano scribit *Sennertus*, capitis & barbæ capillos in extrema senectute in nigros fuisse mutatos; quin & Guilielmum Postellum in cruda senectute capite & barbâ denigratum fuisse, cùm anteà per annos 15. totus omninò canus fuisset. Ita etiam non rarò observatum est, ut qui anno 50. perspiciliis uti coacti fuerant, 70. aut 80. quòd clariùs denuò videre se animadvertissent, iterùm illa reliquisse.

Lib. 8. rerum var. c. ... lib. 11. c. ... Soli. c. ... Lib. 6. de curandis morb. c. ... Cap. 17 consensu chymicor.

10. Quid igitur mirum, si quod sæpè per partes, aliquandò etiam (licèt rarissimè) in toto accidat homine? An illa naturæ vis, quę in pilis, dentibus, oculis renovandis inventa est, in tanto hominum numero, & varietate, aliquandò in uno aut altero in toto inveniri non poterit? Certè aut authoribus neganda fides, aut tantum naturę miraculum fatendum est. Sed in reddenda tam rari eventûs causa magis elaborandum. Et in primis non omittendum illud, quod ex Francisco Seniori advertit *Sennertus*, aliquando scilicèt, propter humores pravos, homines ex morbis canescere; quorum capilli correctis eisdem humoribus in pristinum colorem restituuntur: quod etiam in illis, qui visionis imbecillitate laborantes posteà restituti sunt, hoc pacto evenire potuisse, non dubitandum.. Sed hoc in illis, quibus post longam senectam dentes renati sunt, aut capilli qui deficiebant de novo repullulârunt, aut anteà cani nigrescere visi sunt, locum habere non potest; multò minùs in illis, qui à senectute ad juventam transierunt. Alia igitur causa quærenda est, quam difficillimè inveniri posse judicamus: in qua re pauca afferemus, & aliis tam prodigiosi eventûs illam inquirendi occasionem præstabimus, qui forsan acutè magis, ac feliciter eandem rimabuntur.

De causa igitur quarè aliquibus tam felix senectæ cum juventute commutatio acciderit, non memini apud ullum legisse; quarè, quod circà hanc rem nobis probabilius dici posse visum est, paucis dicemus.

11. *Quercetanus*, dum causam nititur invenire, quarè serpentes exuvio deposito novam singulis annis pellem induant, id cuidam balsamo attribuit, quod in terræ sinu, tanquam in proprio loco, matrice, & seminario continetur; quod quidem balsamum è terræ visceribus frigidissimis mensibus serpentes exugere, ac eo ali firmiter asserit, aitque hoc balsamo omnia animari, & vegetari, ac illius ope postmodùm verno tempore omnia reviviscere, ac florentia evadere, multaque alia affert, quæ *Aldrovandus* magis laudat quàm approbat. Sed nec mihi satisfacit, quod ille cum Grevino *lib. 1. de venenis cap. 3.* docet, Serpentum nimirùm vernationem, quam deponunt, pellem non esse, sed potiùs spolium ex muco & sordibus instar musci in latebris circà corpus animalis collectis & siccatis genitum; quod postea vere è cavernis exeuntes, & circà loca angusta se affricantes deponunt. Sed horum opinioni minimè assentiendum puto, cùm si ita esset, dictum spolium non ita durum ac forte existeret, sed potiùs quid friabile ac facilè dissolubile deberet esse; quod in serpentum vernatione non cernimus, sed econtrà pellem esse ipsius substantia, durities, & crassitiei modus ostendit: deindè, si ita foret ut illi judicant, non semper eodem modo accideret, ut singulis annis spolium illud deponerent, nec ejusdem substantiæ, & crassitiei semper foret; quia sordes illæ, ex quibus colligi aiunt, non in omni latibulo eâdem mensurâ, & quantitate inveniuntur, ut serpentum corporibus eâdem etiam mensurâ & modo adhærerent. Quarè opinioni illorum subscribo, qui pellem verè esse statuunt; ac ideò ab ipsis deponi crediderim, quia cùm serpentes ex natura suâ siccam admodùm cutem habeant, ac minimè porosam, & cùm etiam per totam hyemem alimento careant, inde fit, ut magis ac magis illorum cutis siccior reddatur; ita ut alimenti defectu rugosa fiat, atque ita à corpore separetur: undè vere accedente, quando è cavernis exeunt, & alimento utuntur, cùm cutis illa nutriri non valeat ob dictam jam rationem, ex novo

Aldrov. & Grevinus circa serpentum exuvium reprobantur.

In pharm. zoolog. cap. 4. de viperis. In serpent. lib. titul. natur. mores.

vo alimento ad superficiem accedente; nova cutis generatur, & antiqua penitùs deponitur. Hæc de serpentum senio.

Sed in homine cùm prædicta locum non habeant, in indaganda causa quarè aliqui à senectute in juventam inverso naturæ ordine transierint, aliud inquirendum restat; quod pro ingenii tenuitate adnitemur: *Naturæ vis & majestas* (inquit Plinius) *in omnibus momentis fide caret. Quid non miraculo est, cùm primùm in notitiam venit? Quàm multa fieri non posse, antequam sint facta, judicantur?* Quoties enim natura extrà communem operandi normam aliquid molitur, obstupescit humana mens, & in admirationem rapimur. Verùm cùm in omnibus magna sint, & admirabilia illius opera, nusquam ita stupenda, ut in hominis generatione, partu, & in multis aliis, quæ per totum vitæ decursum operatur; & sicuti antè tempus rarissima aliqua perficit, ita collapsa, labefactata, ac pænè deperdita redintegrat, & restaurat: atque ut dentibus plures natos fuisse tradunt *Plinius*, *Solinus*, *Crinitus*, & *Torquemada*; sic in aliis senectute confectis de novo alios produxisse, præter supradictos authores narrant Paræus *lib. 24. cap. 19.* Fragosus *lib. 1. anato. cap. 31.* Schenckius, & alii. Itaque

12. sicuti in illis anticipat, ita in his reparat, reponit, & pro materiæ aptitudine, & obedientiâ, virtutisque robore, cùm ex parte sui nunquam deficiat, vel extrà tempus operatur illud, quod subjecti & materiæ dispositio expostulare videtur, & quasi ad opus eandem advocare. Hoc pacto, licèt rarissimè, accidere tamen poterit, ut humidum radicale vel ex sui naturâ, vel ex vitæ studio talem elementationem sortitum fuerit, ut senectute jam fractum, & quodammodò consumptum ab intrinseca sui vi iterùm ad initia, & pristinum vigorem recurrat, deperditasque vigoris vices repetat. Hoc in raritate rarissimum, & in naturæ potentia miraculum maximum, & paucis,

> —— *Quos æquus amavit*
> *Iupiter, atque ardens evexit ad æthera virtus,*

concessum; sed plus quàm semel visum, nisi fidem authoribus minimè præstandam putes, aut fabulas nobis tradidisse dicas.

Quòd si tantam naturæ vim & potentiam negare contendis, ut initia repetere valeat, forsan par est credere quòd inscienter & casu aliquo, fortunâ sic beante, in remedium inciderit aliquis, quo adjuta natura tantum opus præstare valuerit. Amicum habuisse scribit *Rhasis*, qui potatâ chalcanthi drachmâ, unicâ nocte pilos omnes

13. albos exuit, & ex cygno corvus factus est. *Petrus de Osma* Indum ait vidisse, qui cujusdam herbæ succo à quovis morbo laborantes Hispanos, cæterosq; Indos persanabat, juncturis omnibus succo illitis, pannisque coopertis, à quibus deindè sanguinis copia exsudabat; & repetitâ curatione non à difficillimis tantùm morbis multos sanatos fuisse, sed eodem auxilio plures valdè senes repubescere visum fuit, robustiori recuperato corporis habitu: cæterùm herbam, nec pretio, nec precibus, aut minis patefacere unquam voluit. Hoc pacto Glaucum dicebant antiqui immortalem factum cujusdam herbæ esu. Præterea & compositorum medicaminum efficaciâ talem in homine reciprocationem, & mutationem effici posse, doctissimos spagyricos de facto scripsisse legimus, ut jam *D. Freitagius Paracelsum* non tam acerbè increpet: penes authores sit fides. Narrat *Deodatus* de insigni Archispagyrico Ioanne Montano, quòd suo elixire sumpto, decidentibus canis, & unguibus è totius corporis cute, senectam deposuerit, & juventutis florem de novo comparaverit; quidquid econtrà Franciscus Senior apud citatum *Sennertum* contradicere videatur: qui tandem *Deodatus* asserit non immeritò Hermeticos suo lapide, & elixire corpori humano juventutis recuperationem, & humidi radicalis restaurationem promittere. *Evonymus* aquam describit tantæ virtutis, ut senem rejuvenescere facere sit potens: eodem modo *Pedemontanus*, & passim alii similia medicamenta describunt. Igitur si remediis hoc possibile creditur, cur naturæ, quæ omnium in se majores vires continet, negare audebimus? Nemo certè, cùm præsertim doctissimos quosque, sive Theologos, sive medicos, & jurisperitos assentiri videamus. Tenent *Delrius*, *Nierembergius*,

14. *Villalpandus*; ex medicis præter adductos, *Marcel. Donatus*, *Zacutus*, & plures alii. Sunt enim in naturæ recessibus abscondita mirabilia multa, quæ sub illius tantùm nomine fidem merentur; & minimè ideò neganda, quòd nobis aperta non sint, & obvia: comprehendi quippè non potest illius majestas, & possibilia esse, quæ talia non videntur, fateri necesse est; nec fas alicui, nisi sciolo, contrà naturæ potentiam ire, & doctissimorum judiciis contradicere. Danthonem quendam memorat

Lib. 7. cap. 1.

Lib. 7. cap. 16.

Soli. cap. 40.

Crini. lib. 22. de honesta discipl. cap. 5.

Torque. dialog. 1.

Lib. 25. cont. cap. 24.

Epist. ad Monarndum.

In Pantheo Hygiastico. lib. 1. cap. 8.

In thesauro

Lib. 2. disq. mag. quæst. 23.

Lib. 1. Philosoph. cur. cap. 23.

Villalp. lib. 2. mag. operat. cap. 18.

Valerius Maximus ad 500. vixisse annos, nullo virium defectu labescentem, intrà robustioris ætatis florem, & specimen semper manendo: in quo non contenta natura ad tantum annorum numerum illum perducere, consuetudinis ipsius peregrè in senium proficiscentis velut oblita, nullâ ex parte senescentem, & obsoletum, sed integrum, & juventutis vires ac terminos velut servantem, ad 500. annos usque protraxit; quasi in uno inventâ mortalium naturâ, quæ defluere per ætatum gradus nesciret, & decursûs sui immemor velut stabilis progressa est immensum. Vidit hoc Antiquitas, viderunt, qui paululùm nos antecesserunt, arguit naturæ potentia, promisit etiam Deus in se sperantibus, qui sic apud Isaiam: *Mutabunt fortitudinem, & assument pennas sicut aquilæ.* & Psal. 102. *Renovabitur ut aquila juventus tua.* Quarè cùm jam hoc experientiâ in aliquibus probatum, ac visum fuerit, naturæ recondita vis magis admiranda, quàm neganda; imò dubitare non debemus illud, quod semel fieri potuit, aliàs naturaliter evenire posse. Ex quo sanè argumento concludunt, (si Deus permittat) & à dæmone quoque tantum rejuvenescentiæ beneficium præstari posse; cùm illi, quæ tantam ac talem virtutem continent plantæ, & medicamenta probè sint cognita. Unde non prorsùs fabulosum, quod apud *Æschylum* de Bacchi nutricibus rejuvenescentibus scribitur, & de Æsone à Medea recocto apud *Pherecydem*, & *Lycophron*. De quo Ovidius, *Metamorph. 7. fab. 2.*

Lib. 8. cap. 15.

Cap. 4.

> —— *Barba comaq;*
> *Canitie positâ nigrum rapuêre colorem;*
> *Pulsa fugit macies, abeunt pallorq; situsq;,*
> *Adjectoq; cavæ supplentur corpore rugæ*
> *Membraq; luxuriant.* ——

15. Quòd si *Galenus* ullâ naturæ vi, aut medicaminum efficaciâ tale quidpiam fieri posse negavit; fatemur cum illo, nullum genitum animal insenescibile, cùm omne genitum corruptibile, & senectus via sit ad corruptionem generata omnia necessariò consequentem, & cùm naturæ opera inevitabilia sint, generationis & interitûs ordinem necessariò servant; fatemur quidem, sed hoc de communi eventu accipiendum dicimus: & quamvis tantam virtutem in nullo medicamentorum agnoverit, nec in ulla plantarum nobis cognita sit, non tamen proindè dicendum, non fuisse à natura productam, licèt homini pervia non sint, quæ radicalis humidi amissionem reparare possint. Concedimus enim verum esse, quod in argumento probatur, sed fieri posse impossibile non judicamus, atque ideò frequentiùs non accidere, quia nobis ignota in secreto & abscondito naturæ sinu reservari voluit Deus; nec illi placuit homini per peccatum multorum beneficiorum jam indigno, & ad mortem damnato, quæ vitam prorogarent, concedere, & palàm facere. Nec propterèa si fecisset, protinùs dicendum æternùm vivere posse: namque vitam in multos annos extendere, non in æternum potuisset; quandoquidem nec arboris vitæ fructu, cujus hæc potissima erat prærogativa, hoc consecuturum fuisse Theologi asserant, quod minùs de reliquis dici potuisset.

Lib. de marcore. cap. 2.

16. Tandem illud, quo secundo loco in quæstione quæritur, oportet ut solvamus. An scilicèt senes, si frequenter inter juvenes optimè valentes versentur, aliquid salubre ex illorum prospera sanitate mutuari possint, quod ipsis salutem adaugeat, aut vitam prorogare possit? Quod idem est ac quærere, an sanitas sit communicabilis, sicuti morbus est contagiosus? Doctus quidam Pater è Societate JESU me per epistolas circà hanc dubitationem aliquandò interpellavit, occasione sumptâ ex S. Scripturæ loco, ubi scribitur quæsitam fuisse Regi David puellam Abisag Sunamitidem, quæ ipsum jam senem, & vestibus calefieri non potentem, sinu suo foveret, & optimo vividoque calore Regis torporem calefaceret, ac discuteret, ut sic optatam illius salutem & vitam prolongaret. Quod sanè remedium *Galenus* ad frigidam ventriculi intemperiem utile esse docuit: *Ex his verò* (inquit) *quæ extrinsecùs ventri applicantur, boni habitus puellus unà sic accubans, ut semper abdomen ejus contingat. Sunt qui catellos pingues in hunc usum habeant*: quod *lib. 5. simplicium cap. 6.* iterum repetit. Verùm ista externi cujuspiam medicamenti vim tantùm sortiuntur, quâ ratione Davidi, qui ob caloris imbecillitatem fomentis indigebat, puella admovebatur, ut à *Galeno* quoque consulitur; quemadmodum quævis alia medicamenta, quæ exteriùs admota, ventriculi coctionem, & caliditatis defectum adjuvare possunt: quod licèt puellæ, aut pueri adhæsione procuretur,

3. Regum. cap. 1.

Lib. 7. meth. cap. 7.

non

non propterea dicendum, optimam salutem, quâ fruuntur, seni, ventri, aut ægro communicare, cum illius tantum frigiditatem fovere, & ventriculi imbecillitati aliquantisper succurrere possint.

De salute verò, an sicuti morbus de subjecto in subjectum transire possit, dubium est non contemnendum: de quo *quæst.* 24. jam aliquid attigimus, cetera in hunc locum relinquentes, ubi latius de hac difficultate agendum erit. Observatum quippe est senes, qui juvenum consortio frequenter, conversatione non interruptâ, usi sunt, longævos evasisse: expertum hoc fuisse ajunt in aliquibus Rhetoribus, & antiquis sophistis, qui diu juvenculos auditores & discipulos habuerunt. Tales fuerunt Gorgias, Pythagoras, Isocrates, qui ad 100. annos vixerunt; & Grammaticorum aliqui, ut Orbilius: quibus id contigisse putant ex eo, quòd senum spiritus ex juvenum consortio fuerint non solum recreati, sed aucti. Falluntur tamen, dum hanc spirituum reparationem longævæ illorum vitæ causam statuere conantur; quia spiritus non nisi resoluti è corpore exeunt, quo tempore parvam aut nullam vim secum deferunt, ut utilitatem aliquam præstare possint: & quamvis taliter exirent, ut aliquo modo in alio subjecto recepti, beneficii aliquid conferre possent, hanc probitatem statim deponerent; quia cùm sint substantiæ tenuissimæ, facillimè non solum resolvuntur, sed ab aëre externo alterantur, & corrumpuntur, propriamque virtutem, & energiam non nisi intrà venas contenti conservare possunt. Quare illa spirituum recreatio in senibus à juvenum consortio, & communicatione minimè admitti debet; potiusque dicendum est (si verum est, quod senes ex adolescentum & puerorum assidua conversatione aliquid salubre contrahunt) hoc non ex aliqua substantia, aut qualitate, quam recipiant, & à qua ad meliorem statum reducantur, provenire, sed ex eo tantum, quòd pueriliter inter pueros degentes, illorum moribus veluti assuefiant, atque ita ab animi passionibus, curis, & aliis molestiis minùs offendantur; quo fit ut juvenilem vitam quodammodò redordiri videantur, cum puerorum moribus facilè se accommodent, ac illorum cogitationes, jocosasque affectiones imbibant: hinc placidè obdormiscunt, alacriores fiunt, & cetero puerorum more, pueriles ludos, ac nænias exercent, unde senilium dolorum, & laborum magis expertes degunt; quæ illis ad vitam protrahendam, & salubriùs degendum optima sunt condimenta.

Aliter igitur, salutem sicuti morbum communicabilem esse, & de subjecto in subjectum transire posse, minimè statuendum est; quod possibile esse Philosophus negavit, apertè docens morbum esse contagiosum, minimè verò sanitatem; quærit enim: *Cur à morbis nonnulli ægrotent, qui appropinquant; à sanitate verò nemo sanari potest? An* (inquit) *quoniam morbus motio est, sanitas autem quies; ergò ille movere potest, hæc non potest? An quòd alterum voluntariè, alterum non voluntariè accidit; res autem non voluntariæ, à voluntariis consultisq; plurimùm differunt?* Duplicem itaque statuit *Aristoteles* hujus difficultatis causam; primam, quòd sanitas sit per modum quietis, morbus verò per modum motûs: secundam, quia approximatio ad sanum voluntariè fit, ad ægrum verò violenter, ac velut cum quodam horrore dicas. Itaque morbum dici aut esse per modum motûs, & sanitatem per modum quietis, dupliciter intelligi potest: primò ex eo, quòd sanitas dicat permanentiam in subjecto, non verò morbus; secundò, quòd morbus sit præter naturam, & violentus subjecto, & sic per modum motûs, & transeuntis, utpotè passo non conferente vim; sanitas verò secundùm naturam, & sic per modum quietis, & permanentis, utpote passo conferente vim.

7. probl. 4.

Sed hic dicendi modus difficilis videtur, quia morbus in intrinseca sui ratione dicit permanentiam; est enim affectio præter naturam &c. & permanentiam requirere fatentur omnes cum *Galeno*, qui morbum in permanentium genere statuit: quin *Aristoteles* licèt morbum constituat inter dispositiones facilè à subjecto mobiles, tamen non negat dispositionem condistinctam contrà habitum, permanentiam esse; quia solùm vult habitum magis permanentem esse, quàm dispositionem; atque ita morbus non solùm in ordine ad motum, sed in ordine ad tempus aliquam permanentiam requirit, ut *lib. de diff. sympt. cap.* 1. docet *Galenus*, ubi inquit: *Quod in ipsa fieri essentiam habet, actionem, passionemve nominamus; quod verò in permanentia ad aliquod tempus, sanitatem, morbúmve*: ut latiùs probat *Comes Montanus*. Deinde licèt morbus præter naturam sit & violentus, subjecto illi non conferente vim, econtrà verò sanitas; ex hoc non probatur morbum esse contagiosum, minimè verò sanitatem: nam cùm

Lib. 2. meth. c. 3.

In prædicam cap. de qual.

Lib. de morbis cap. 5.

 sub-

ſubjecta accidentium non ſint activa alicujus operis ad extrà (non enim ſubſtantiæ ſunt immediatè operativæ, ut verior Philoſophorum docet ſententia) ſed omnis actio talis oriatur ab accidenti tanquam à principio effectivo, ſive principali, ſive inſtrumentali; ubi accidens eſt activum propriâ ratione, non amittit hanc activitatem, & potentiam agendi per hoc, quòd ſit in ſubjecto violenter, aut naturaliter. Ignis enim (ut exemplo phyſico utar) ſubjecta quævis juxtà poſita, & apta calefacit; & tamen ibi calor eſt ſecundùm naturam ignis, & per modum quietis informat, igne conferente vim; & aqua calida idem præſtat, ſecundùm caloris gradus, quos præter naturam recepit, & habet per modum motûs, & violenter: ergo morbum aut ſanitatem eſſe per modum motûs, aut quietis, non tollit activitatem, & conſequenter non tollet eſſe contagioſa. Imò videtur quòd actio naturalis ut fiat, indiget quiete, cum indigeat morâ inter agentem & patientem, & hanc potiùs localis motus interrumpat agentis, aut patientis, non verò eſſe præter naturam in ſubjecto.

Secunda etiam ratio, quam *Ariſtoteles* adducit, difficilis videtur; nam ad actiones naturales condiſtinctas contrà ſpontaneas ſufficit applicatio agentis ad id, quod patitur, nec renuente voluntate videtur quòd impediri poſſint: quamvis enim applicatio ſit voluntaria, tamen ſemel applicato agente ad paſſum aptitudine diſpoſitum, impoſſibile eſt per naturam, quòd actio impediatur; ergò licèt approximatio ad ægrum, aut ſanum vi, aut voluntariè fiat, nil conferre videtur, ut morbus contagioſus ſit, ſanitas verò minimè.

19. Aliter igitur debemus *Ariſtotelem* explicare: quod probabiliter fiet, ſi dicamus, nomine motûs, ob quem tribuit morbo contagium, intelligere actum; nomine verò quietis, ob quam negat ſanitatem poſſe alteri communicari, potentiam intelligere. Sed cùm actus & potentia multis modis accipi poſſint, 8. *phyſ.* 4. nunc quando docet morbum eſſe motionem, vult eſſe in actu ad productionem ſui ſimilis in alio: & quando dicit ſanitatem eſſe quietem, vult includere privationem actûs: eſt enim quies privatio motûs, 9. *phyſ.* 1. Undè dicere morbum eſſe contagioſum, quia eſt motio, fuit dicere, quia eſt actus productivus ſui ſimilis: econtrà, ſanitatem non eſſe contagioſam, quia eſt quies, fuit dicere, quia eſt potentia & privatio talis actûs; & quòd ita ſit, manifeſtè colligitur ex verbis ipſius *Ariſtotelis*; poſtquàm enim dixit morbum eſſe motionem, & ſanitatem quietem, addit: ergò ille movere poteſt, hæc non poteſt; quaſi inferat motum ab alio ex motione ejuſdem.

Tandem illud quod *Ariſtoteles* in citato problemate addit, quòd ad ſanum voluntariè, ad ægrotum involuntariè accedamus, videtur ad imaginationis efficaciam referre, ob quam dum ad ſanum accedimus, cùm nil tale cogitemus, nil ab illo accipimus; verùm cùm ad ægrotum, ob intenſiorem imaginandi actum, illius morbus (ſi eſt communicabilis) nobis communicatur. Et licèt idem Philoſophus doceat, naturam non eſſe in noſtra poteſtate, & 3. *de anima* 3. imaginandi potentiam dicat eſſe in externis, cujus actus eſt immanens, & in principio efficienti receptus, idolum tantùm habens pro termino, quod eſt ſimulachrum formale rei imaginatæ, & ut loquuntur Philoſophi, expreſſa ſpecies orta ab impreſſa ſenſuum externorum, & totum ſit intentionale, non potens inducere aliquem affectum in natura extrà potentiam à qua fit, & in qua recipitur: tamen probabile eſt, ex actu efficaci imaginationis poſſe produci effectus reales in proprio ſuppoſito imaginante; quamvis repugnet principiis naturæ, externa poſſe immutare. Igitur meo judicio *Ariſtoteles* voluit morbum eſſe contagioſum, quia eſt in actu reſpectu productionis ſui in alio; & quòd imaginatio accidentis ob timorem de malo futuro conferat ad contagium: quæ omnia deſunt in ſanitate, & ob id contagioſa non eſt; propterea rectè dicebat Eraſmus: *Frequenter autem non minima morbi pars, imaginatio morbi eſt, metuſve.*

Lib. 10. ethi. cap. 9.

Lib. 5. apophth.

Sed adhuc reſtat cauſam reddere, cur morbus ſit in actu ad productionem ſui ſimilis, non verò ſanitas? Quam nec *Ariſtoteles* reddidit, nec reddere facile eſt: conabimur tamen illam tradere. Pro quo ſciendum eſt, ſanitatem in tota ſua latitudine, eſſe noſtri corporis partium debitam proportionem: ſcilicèt partium ſimilarium ſanitas eſt proportio ſecundum elementa, in calido videlicèt, frigido, humido, & ſicco; inſtrumentalium verò, proportio ſecundum magnitudinem, figuram, & ſitum, ut 1. *de ſanit. tuenda cap.* 1. docuit *Galenus*: Morbus verò, ſumptâ ratione à contrario, eſt diſproportio & diſſenſus à dicta proportione, ut ex *Platone* tradit idem *Galenus*.

20. Cùm autem proportio & convenientia plurium inter ſe, ut con-

Lib. 5. de placitis cap. 4.

conservetur, egeat pluribus sibi consentientibus; disproportio verò, & dissensus quolibet variato fiat, sequitur sanitatem consistere ferè in indivisibili, morbum verò magnam habere latitudinem: nam bonum ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu. Sic Pythagorici dicebant bonum esse finitum, malum verò infinitum, ut refert *Arist.* 2. *eth.* 6. Et 7. ejusdem *ad Eudemum* docet bonum esse indivisibile: quod non aliundè fit, nisi quòd bonum consistit in mediocritate, malum verò in discessu ab hac, ut 2. *eth. cap.* 6. ex *Aristotele* constat. Cùm igitur morbus possit consistere in pluribus entitatibus activis, non est mirum aliquam ex illis esse contagiosam; sanitas verò cùm habeat suam essentiam ferè in indivisibili, non includit aliquam, quæ possit habere rationem contagii: licèt enim aliquæ entitates materiales, quæ componunt sanitatem, activæ sint, ut primæ qualitates, quæ redactæ ad proportionem constituunt illam; tamen hæ non sunt contagiosæ ob eandem causam, ob quam non omnis morbus est talis, nec ille, qui consistit in primis qualitatibus: de quo videtur esse major ratio, cùm ab illo possit contingere infectio unius in alium; quæ tamen non fit, quia ad rationem contagii non solùm requiritur productio sui similis in alio, sed ulteriùs necessarium est, ut id quod producitur & recipitur in infecto, invertat temperamentum ejusdem; ita ut de cætero subjectum, cùm effectui resistere nequeat, ab inficienti producto non se reducat, & in contrarium statum naturalem vertat, amissum priùs ex qualitatis morbosæ vi à tota substantia operantis; quo fit, ut malum potens per subjectum in quo recipitur, serpat. Quæ omnia secùs accidunt in his, quæ solùm habent alterationem in primis qualitatibus; nam ablatâ causâ alterante redit subjectum in pristinam naturam & dispositionem virtute formæ contentam, nullâ qualitate à tota substantia id impediente.

Deindè sanitas si sui similem debet producere, aut in sano corpore, aut in morboso id fiet: non in sano, quia ibi nulla datur potentia ad sanitatem; in ægro ex nullo capite potest communicari: nam morbus aut consistit in soluta unitate, aut in compositione, aut in temperamento, & in hoc, aut dependenter, aut independenter à causa. Sed nullum ex his potest auferre sanitas per sui communicationem; ergò nullo modo erit communicabilis: non solutam unitatem, quia partium unio est opus vitale, quod à partibus divisis oritur, dum ex se producuntur, & alimento nutriuntur: non morbum compositionis, quia hic consistit aut in situ, aut in figura vitiata, aut informatione, aut magnitudine auctâ, aut diminutâ; horum verò sanatio in tribus consistit, in motu locali partis malè sitæ & figuratæ, & causæ facientis magnitudinem evacuatione, aut ejusdem diminutæ augmento; quorum nullum potest emendare alterius sanitas: quarè certum est laborantem aliquo ex his morbis sanari non posse per contactum alterius sani, cùm ut sanentur, egeant evacuatione causæ, aut ab arte, aut à natura factâ, & naturæ ipsius actione, quæ concoquat, & resolvat causam, aut tandem arte, quæ luxata componat. Non morbum in temperamento, quoniam sanitas si quid potest producere in corpore morboso, aut sunt primæ qualitates, aut aliæ, quæ relinquant subjectum morbosum aptum, ut de novo easdem producat in proportione, & intensione pro salute deperdita recuperanda; quibus mediantibus morbosæ, & præternaturales deperdantur, & sanitas amissa introducatur: sed tamen hoc non sufficit, quia morbus in intemperie materiali non tollitur per solam qualitatum alterationem; sed requirit causæ, à qua dependet, concoctionem, ablationem, & evacuationem. *Oportet enim*, ut *Galenus* docet, *præire coctionem, subsequi discretionem, ac tandem evacuationem, si optima debet fieri crisis sive judicium.* [4. Aphor. 22.] Sed cùm nil istorum possit facere externa alicujus sanitas, ad subjectum morbosum appropinquantis, ergò sanitas nec sic poterit communicari; multò minùs si qualitas morbosa fuerit habitualis, & independens à causa: quia si natura ægrotantis aut non habet, aut non potest se ad sanitatem reducere; multò minùs id ab aliena alterius proveniet, quæ in subjecto externo nec actionem habet, nec proportionem: nam licèt entitates activæ, quæ componunt sanitatem, possint se alteri communicare, tamen non quælibet seorsim constituit sanitatem, sed omnium symmetria, quæ ad proprium hominem dicit respectum, & pro ratione individui ab alio satis distincta est, imò forsan improportionalis. Quarè rectè cum divo *Chrysostomo* concludimus: [Super Matthæum.] *Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: sic unum pomum facilè centum bona cor-*

 rum-

rumpit, sed centum sana nunquam unum corruptum efficient bonum. Undè Juvenalis *sat.* 2.

Vvaq; conspectâ livorem ducit ab uva.

QUÆSTIO VIGESIMASEPTIMA.

An homini futurorum naturaliter aliqua sit cognitio? An in eo possibilis divinandi facultas? Agitur etiam de melancholicis, & an ipsi, vel alii aliter ægrotantes ex morbosa dispositione in vaticinandi furorem devenire possint?

NIl est in quo sibi indulgentiùs, & licentiùs blandiantur homines etiam non stulti, quàm in futuri divinatione. Indè est quòd tam avidè omnem artem, 1. quæ id venditat, consectentur, eosque qui tale quid pollicentur, omni modo cupiant demereri; & quasi aliquid sint, aut sciant plus, quàm mortalem esse, aut scire fas sit, divinos ex eo appellant; quia pars est nimirùm divinitatis id præscire, quod sit eventurum, cùm ad Deum propriè pertineat hæc facultas, quam nisi ab eo donatam, & infusam, hominum nemo possidere potest. Cùm tam cupidè appetatur, & à curiosis, qui semper plurimi sunt, haud mirum est si multi etiam reperiantur, qui quod nesciant, ultrò ejus rei se perfectissimam habere scientiam fingant: nam falli volentibus nunquam desunt fallere parati, quia stultâ aliorum credulitate ad emolumentum suum & imposturam abutuntur. Inde honos & pretium primò consti- 2. tit arti, quam divinam jactârunt, qui ejus repertores fuêre, quia non solùm facit hominum fata, sed etiam prædicit. Itaque antiquissimus Moyses, & sacra pagina de somniorum expositione per Joseph facta, & de Delbora, & Saulis Pythonissa refert, & prohibet ad ariolos, & magos se conferre. *Homerus*, & *Hesiodus* Calchantem valdè extollunt, *Pherecydes* Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Helenum, Cassandram, & Polybium: denique quotquot habemus, Græci & Latini, & priores his Hebræi authores referunt Babylonicos, Chaldæos, Ægyptios, Indos, vetustissimasque alias gentes divinatione usas. Nec nostra tempora his carent, imò quocumque in angulo, Europæ, Asiæ, Africæ, Indiæ utriusque, in quocumque pago divinatores inveniuntur. Exempla rerum prædictarum omnia recensere, infinitum esset: constat inter nos de veritate prophetarum, inter Priscos de Sibyllarum, Pythii & Delphici Apollinis, Dodonæi, & Ammonii Jovis, Trophonii antri, Boristhenis, Herculis columnarum, & similium: deniquenil in tota vita sive de publicis sive privatis rebus, apud Romanos, multasque alias gentes absque divinatione fiebat. Est & alia ratio, quæ pro divinatione facit, quòd de ea sit scientia, & lex; de eo autem quod non est, nec 3. lex, nec scientia aliqua esse potest: privata multa exempla leguntur apud Ciceronem *lib.* 1. *de divinat.* quo loco, & 2. *de lege* de divinatoribus lex sic habet: *Interpretes Iovis Opt. Max. publici augures signis & auspiciis vidento, disciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgultaq;, & salutem populi auguranto: quiq; agent rem duelli, quiq; populi auspicium præmonento, olliq; obtemperanto; Divorumq; iras providento, ollisq; parento; Cæliq; fulgura regionibus ratis denotanto; urbemq;, agros, & templa liberata, & effata habento: quæq; augur injusta, nefasta, vitiosa, diráve defixerit, irrita infectaq; sunto; quiq; non paruerit, capitale esto.*

Jam igitur hoc magnum in homine quærimus, & an illi futurorum naturalis prædictio esse possit? Siquidem non de nihilo videtur dubium, cùm eximios, qui affir- 4. mare videntur, patronos habeat: in primis sese offert *Plato*, qui divinandi munus animæ adscribit, quod illa ex suis principiis vim quandam adjunctam habeat præsciendi futura. Quod ex antiquis etiam multi tradiderunt, ex quorum numero sunt Q. Hermanus, Tullius *lib. de divinat.* Jamblicus, Porphyrius, quin imò ambo Gregorii *Nyssenus* & *Magnus*, qui eodem modo videntur sentire cum *D. Augustino*, qui saltem in hac re dubius, minimè negare visus est; & *in probl.* eandem opinionem videtur

Dial. de natura, & in Socrat. apolog.

tur habuisse *Aristoteles*, & *Cicero* philosophum secutus ita asserit: *Ergò & hi, quorum animi spretis corporibus evolant, atque excurrunt foras ardore aliquo inflammati, atque incitati, cernunt illa profectò, quæ vaticinantes pronunciant.* Omnes forsan persuasi, quòd animus à sensibus expeditus, ut in somno, & in moribundis præsertim, mirabilia sentiat, & non raro loquatur, quæ vera esse eventus comprobavit. Quòd si exemplis fides adhibenda est, non desunt plurima, quæ hoc attestentur. *Petrus Bovestiu*, de quodam Cornelio Idolorum sacerdote Paduæ vicino narrat, qui Cæsaris & Pompeii temporibus in profundam meditationem raptus, crudelissimum bellum, quod inter utrumque Levirum grassatum posteà fuit, prout gestum est, verissimè multò anteà exposuit: Apollonium etiam refert, cùm Ephesi commoraretur, Neronis mortem eadem die, quâ evenit, prædixisse; puerum quoque extasi arreptum, cùm paulò post ad se rediisset, & in speculo intuitus esset, infelicis successûs Juliano, quem posteà expertus est, omnem historiam exposuisse. Afferunt etiam ex lib. *Ioach. Abbe*, qui omnes Pontifices futuros prædixit, additis eorum formis & nominibus; ubi quoque de Leone Imp. narratur, qui Imperatores omnes, & Græciæ Patriarchas prævidit & declaravit: & apud Josephum, & Pomponatium non minoris admirationis leguntur alia. Quin similia multa addunt ex antiquis, ut Ocyrrhois de Chirone præsagium; & ideò à vi mentis vates dictos fuisse scribit *Isidorus*: tales ajunt extitisse Orpheum, Tiresiam, Sosipatrum, & similes, de quibus *Eunapius*, & *Lactantius.* Talis Pythia Delphis, de qua *Rhodiginus*, tales Dodones fœminæ, talis Evandri mater Nicostrata, Carmenta, Cassandra; de illa Plutarchus *in Romulo*, de hac Virgil. 2. *Æneados.*

Lib. 1. de divinat.

In theatro mundi minoris.

In bello Judaico. lib. de incant. cap. 4. & 10. In vita Ædeisi. lib. 4. inst. lib. 13. lect. antiq. c. 33.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Et aliorum innumera turba, quæ passim in poëtarum libris, profanis etiam & divinis historiis occurrit; ut propterea dixerit Cicero: *Multa cernunt aruspices, multa augures provident, multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somniis, multa portentis.* Poterant etiam his addi prognostica, quæ ex astronomica scientia certo eventu prædicta fuisse narrantur; aliquorum exempla tradit Junctinus Florentinus: *Vnde enim* (inquit) *aruspex Spuria admonuit Cajum Cæsarem, ut caveret periculum, quod non ultrà idus Martii proferretur? Vnde Iulius Marachus, antequam nasceretur Augustus Cæsar, S.P.Q.R. prædixit naturam citò parituram Regem populo Romano? Vnde P. Nigidius perceptâ ejusdem Augusti genitura affirmavit Dominum terrarum orbi natum? Vnde etiam Scribonius Mathematicus Tiberio Cæsari scivit prædicere, quandoque ipsum regnaturum?* Alias quoque historias refert idem author, quibus adjungenda admiranda alia (si vera est) quam in lib. natalium recitat *Haly Ebenrragel*, de qua *quæst.* 55. mentionem faciemus.

Lib. de nat. Deorum.

Lib. de Judic. nativitatum. c. 6.

De illis etiam, qui ægrotantes prophetârunt, sive jam jam morientes, sive adhuc superstites, stupenda sunt quæ scribuntur. Et in primis *Genes.* 49. legitur Jacobum morti jam proximum filios sic allocutum: *Congregamini ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus.* Sic *Homerus* Patroclum introducit, qui paululùm antequam expirâsset, ab Hectore lethaliter percussus, & jam moribundus, ita illi denuntiat:

16. Iliad.

Non sanè, nec tu ipse diutius vives, sed tibi jam
Propè adest mors, & fatum forte
Manibus necando Achillis inculpati Æacidæ.

Hector etiam pari fato affectus ab Achille, divinat fore ut Paris ac Phœbus perdant Achillem; Machaon jam moriturus apud Calab. *lib.* 6. ita ad Euryphilum percussorem suum:

Nec tibi longum tempus à fatis concessum est
Vivere, sed tibi propè adstat lethalis Parca,
In campo Troiano, in quo nunc nefaria committis.

Apud *Euripidem* in Hecuba Polymenstor moriturus prædivinat Cassandræ atque Agamemnoni unicuique infelicem obitum. Domitius apud *Lucanum*:

Lib. 7.

——— *Te sævo Marte subactum*
Pompeioq; graves pœnas, nobisq; daturum
Cum morior sperare licet. ———

Dryas apud Ovidium:

——— *Fatorum pœnas instare tuorum*

7. Metam.

Va-

Vaticinor moriens, nostri solatia lethi.

Idem Calono cum magno Alexandro accidisse refert *Tullius*: quo etiam pacto Socratem morientem vaticinâsse, testatur Plato: *Sum jam eò loci, quo homines maximè vaticinantur in vitæ exitu. Denuntio vobis ô viri, qui me estis interfecturi, ultionem statim vobis post mortem meam multò certè acerbiorem morte, quâ me absumitis.* Ad hanc rem faciunt *Tertulliani* verba, quæ singulariter hîc adaptari possunt; sic ait: *Hinc denique evenit sæpè animam in ipso divortio potentiùs agitari sollicitiore obtutu, extraordinariâ loquacitate, dum ex majore suggestu jam in libero constituta, per superfluum quod adhuc cunctatur in corpore, enunciat quæ vidit, quæ incipit nosse.* Tales itaque prædictiones ibidem ad animæ libertatem refert, mortalem corporis carcerem jam relinquentis, & asserentis se in divinitatem, quæque suo divortio & libertati propior ipsius puriorem radium sentiat. Hanc doctrinam confirmat insignis *Arethæi* locus, cùm de causo laborantibus hæc protulit: *Animus stabilis ac constans est, sensus omnis purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea; primùm quidem se ipsos vitâ migraturos præsentiunt, deinde præsentibus futura denuntiant. Nonnulli eorum dictis fidem non habendam putant, sed eventus homines in eorum admirationem concitat.* Apertè confirmat *Plato*, qui sic: *Nemo dum sanus est, divinum & verum vaticinium assequitur; sed cùm somno prudentiæ vis sopita est, vel oppressa morbo.* Similia in morbis vaticinantium prodigia memorat *Aristoteles* de Eridemo Cyprio, Alexandro Phoræ, Thessaliæ oppidi Tyranno mortem, & sibi ipsi multa prædicente. Tradunt etiam de Pheceride Syro, quòd diem suum jam obiens, victoriam adversus Magnesios auguratus sit: similiter de quodam Rhodio, eum jam animam agentem, sex æquales nominâsse, suoque ordine quis eorum primus, quis secundus, & qui deinceps secuturi essent, vaticinatum esse, quæ tandem haud dubio eventu contigerunt.

7.

Lib. 1. divinat.

In apol. Socrat.

Lib. de anim. c. 53.

Lib. 2. cap. 4.

Dial. de natura.

Addamus etiam exempla aliqua, quæ nostris quoque temporibus evenisse apud authores leguntur: sic de quodam Romæ advocato ferunt, qui moriens, quæ suo ipsius cadaveri eventura erant, haud dubio eventu patefecit. *Ficinus* avunculam suam narrat, paulò antequam deficeret, dixisse, quæ posteà evenerunt. *Eusebius Nierembergius*, cui omnis fides debetur, cùm religione, virtute, ac doctrinâ insignis habeatur vir, satis admirandam historiam narrat, quæ ipsius matri cum quodam ægroto jam jam moriente Matriti evênit. Nec sanè minùs stupenda alia, quam de se ipso refert *Lazarus de Soto*: nam cùm D. Augustini Monachum ex febre ardenti curaret, huic, quia salutis omnis adempta videbatur spes, idem Doctor mortem citò venturam nunciavit; cui ægrotus: Tu prædicis mihi futurum interitum, ego tibi futuram brevi maximam rerum domesticarum ruinam. Nec irritus eventus; nam obortis statim litibus, non domesticæ solùm rei, sed & salutis ingentem ait expertum se fuisse jacturam: in cujus historiæ confirmationem Arethæi locum suprà adductum affert. Imò ipse Arethæus *cap. 3. ejusdem lib. secundi*, cùm de syncope ageret, *Corde laborantes sensûs aciem* ait *habere exquisitiorem, ut plus quàm anteà videant; mente etiam* (inquit) *sunt firmiore, & animo puriore: proindè non tantùm præsentia declarant, verùm etiam futura verissimâ divinatione prædicunt.* Cui Arethæi loco, alterum Galeni favere putat Mercurialis: 5. enim *de locis cap. 2.* cùm de corde vulneratis agit, usque ad mortem semper mente constare & sapere ait. Imò ex præcordiorum vulnere quendam Gasparem Florentinum in vaticinium prorupisse *Ant. Benevenius* longâ enarratione scribit; ita ut quoscumque ad illum invisendum accedentes, dum procul adhuc essent, adfuturos prædiceret; ignotos etiam proprio nomine, quos nunquam noverat, compellabat, multaque, quæ ventura erant, die & horâ quâ consequi deberent, vaticinabatur; & eodem lumine prævidisse suam in Romam profectionem, mortem, exilium, & fugam Petri Medicis, Florentinæ urbis angustias & calamitates, Italiæ subversionem, & alia, quæ ferè omnia expleta jam videmus, inquit *Benevenius*; nam & quâ prædixerat die, & horâ mucro ex vulnere sponte prosiliit; quo ejecto vaticinari destitit, & Romam peregrè profectus, mortuus est. Quæ major esse potest admiratio? Delirantes etiam in vaticinium aliquandò prorumpere, quasi enthusiasmo affectos, notavit Varandæus *part. 2. de progn. medica cap. 4.* stantes de rebus seriis & futuris admonentes, ac tunc repentè mori, cerebri calore nativo jam prostrato, ac ultimos exerente conatus; sicuti lucerna extinctioni proxima majores subitò flammas eructare videtur. In aliis etiam morbis, peste præsertim, impuberes vaticinatos esse testatur *Gregorius Horstius*; & puellam Morsiensem quæ per plu-

Parte. 2. occult. Phil. lib. 1. cap. 71.

In anim. med. ca. 7. nu. 3.

Lib. 5. cap. 16.

Lib. de abditis c. 1.

8.

Lib. 3. epist. sect.

plures annos sine cibo & potu degerat, narrat *Fabricius Hildanus*, multa eam præsagiisse, quæ, sicuti prædixit, evenerunt, civium potissimùm & rusticorum angustias, in quibus non multò posteà versabantur, tam certa omnia, ac si ex Apollinis tripode dicta fuissent: & Philippo Regi Carolum Imp. certo præsagio plura, quæ eventus comprobavit, advertisse ex aliorum relationibus tradit *Marcellus Donatus*. Et hujusmodi alia passim apud auctores leguntur, quibus vel fides neganda, vel causa investiganda est.

Lib. 3. epist. sect. 7. Lib. 5. obs. 33. ad Conradum Pfisterum. Lib. 2. de med. histo. mirab. cap. 1.

Ad melancholicos jam veniendum, de quibus non minora sunt, quæ referuntur. Trallianus: *Nonnulli (ait) tanquam lumine afflati vaticinantur futura.* Et quosdam melancholicos futura prædicere scripsit *Rhasis*, ac vidisse ait Germanum suum in quadam ægritudine phreneticum factum, in qua futura plura prædixit, quæ brevi sic evenerunt. Idem docet *Paulus*; & huc divinum vaticinandi furorem Sibyllarum referendum putavit *Aristoteles*, quòd melancholicæ essent: quippe Plato *in Timæo* sentit, divinationem à Deo datam hominibus errore mentis dumtaxàt affectis. Sed non solùm hoc præstare, sed alienas, quas nunquam calluerunt, linguas, Græcam, Latinam, Germanam, Italam, & quascunque alias locutos, quin & Poëtas evasisse plurimos, exemplis non pauci sunt qui testantur auctores. *Apponensis* se ab amico & fideli medico accepisse ait, quòd illiterata quædam mulier, melancholica dum esset, Latinè congruè loqueretur; sanata minimè posset. *Gainerius* Pinaroli rusticum melancholicum refert habuisse, qui lunâ existente combustâ carmina componebat, transactâ combustione usque ad aliam nullum unquam verbum doctum proferebat; & hunc (inquit) literas nunquam didicisse ajebant; confirmat ex *Gentile*, qui *in quæst. de incantationibus* famosum esse dicit, multos, multasque, quæ nunquam prius literas cognoverant, subitò literatè loqui. Approbant alii oculati testes: Chiliadum auctor asserit, seipso vidente Panacæum celeberrimum medicum Phlyarium quendam patriâ Spoletanum, novo maniæ genere ex vermibus correptum, ita ut probè Teutonicè loqueretur, quod, ubi constabat, & sanus erat, nunquam facere potuerat, facili parato remedio curâsse; qui tandem sibi redditus, nec intelligere, nec loqui ampliùs valebat. *Pomponatius* de uxore Francisci Magtesi historiam recitat, quæ melancholica cùm esset, & variis loqueretur linguis, à Calceario medico elleboro purgata, à furore simul liberata est, & peritiam linguarum amisit. Ex nostris quoque Hispanis *Fontecha* scribit se in hospitio B. V. de Antosana melancholicum vidisse, qui, ut retulerant socii, ne dum prima Grammatices rudimenta gustaverat, in quarundam tamen erraticarum febrium initio exactissimè Latinè omnibus satisfaciebat, aliis temporibus nequaquam: addit & Grammaticum vidisse, qui ebrietate correptus Poëticam mirè exercebat; cùm tamen aliàs sobrius nil tale fecisset. Hoc pacto de Maraco cive Syracusano Poëtâ scribit Aristoteles 30. *probl.* 1. quòd præstantior erat, cùm mente alienaretur. Ut jam verum videatur, quod de illis Arethæus: *Sic ingeniosi namque, ac dociles astronomiam callent absque doctore, Philosophiamq; possident à nemine traditam, Poëticamq; velut à Musis infusam nôrunt.* Exempla in duobus videre est apud *Zacutum*: & similes passim casus invenies, ut apud Rhodiginum *lib.* 17. *cap.* 1. apud Forestum *lib.* 10. *obs.* 19. de muliere, quæ Latinas cantilenas & hymnos aliquando canebat, quos nunquam, referente marito, didicerat. Similiter OEtheus *in obs. propriis*, de rustico febriente narrat, qui cantilenas linguâ Italicâ, quam nunquam anteà noverat, optimè modulabatur. Finiamus cum *Lemnio*, qui sic ait: *Videmus enim nonnullos in æstuosis febribus, quæ ferè æstate urgent, copiosos promptosq; fuisse in disserendo, usosq; oratione cultâ, atque elaboratâ, eoq; idiomate, quod morbo defuncti nullo modo exprimere potuerunt; quos ego pronunciavi, non malo infectoq; genio divexari, nec dæmonis instructu, impulsuq; illos ista peragere, sed vi morbi humorumq; ferociâ, quâ tanquam face subditâ mens hominis exardescit, atque inflammatur.*

Lib. 1. cap. 22. 1. contin. Lib. 3. cap. 14. sect. 30. probl. 1. 30. Probl. 1. Tract. 15. cap. 4. In declamat. pro laudib. medic. Lib. de incantatione cap. 4. Luminare 2. c. de ebrietate. Cap. de furore. Lib. 3. prax. mirandæ obs. 122. Lib. 2. de occultis nat. mira. cap. 2.

Igitur de his omnibus inquirendum, an naturaliter aliquo modo accidere possint? Illud primùm monemus, nos ab hoc consortio segregare degeneres illos Cabalistas magicam suam naturalem esse contendentes, nigromanticos omnes, axiomanticos, dactylomanticos, familiares spiritus in annulis gestantes, & alphitomanticos, quos vocat *Iamblicus* ex farina divinantes, lithomanticos, à lapidibus oracula desumentes, daphnomanticos, quos credit *Proclus* magnas in

magia vires habere, hynomanticos, pagimanticos ex fontibus scita evocantes, pyromanticos ex igne vaticinantes, & hujuscemodi complures alios sordidâ progenie natos provinciam suam sic amplificantes; quorum omnium fraudulenta semper fuit promissio, licèt stupenda, & miraculis plena opera, sed minimè licita, à consueto, & communi naturæ ordine planè devia, ac ad diabolicas fraudes prorsùs referenda, quo artifice incredibilia præstare posse confidunt, & edituros se promittunt. Sic etiam ex avium aspectu, aut animalium extis augurantes, physiomanticos, chiromanticos, onirochriticos, somniorum interpretes, & ex cæli aspectibus judiciariâ arte prædicentes, omnes ab hac classe rejicimus; de quibus abundè Delrius, Villalpandus, & *in sacra Philosop.* Vallesius, longè ac sigillatim disceptant: solumque an rationalis animæ viribus, an humoris temperie, aut corporalis alicujus dispositionis naturaliter possibilis sit in homine futurorum præsensio, & prædictio, disquirere instituimus; quæ propriè dicitur divinatio, & relictis aliis definitionibus rectiùs definitur, quòd sit *Visio interna occultorum nullo rationis discursu obtenta.*

11. Platonicorum fuit error, hominum animas scientiis omnibus instructas creatas esse, ut modò hanc, modò illam, per quandam reminiscentiam exerant; & *Macrobius* hoc supponere videtur, dum animæ in se ipsa reconcentratæ tantam energiam tribuit, ut futura divinare possit. Nec multum ab hoc distare videtur *Lemnius* citatus, qui animam, utpotè cælestis virtutis participem, præscientiam dicit futuri & vaticinandi peritiam habere: propterea idem *Plato* dicebat, nostrum scire, nil aliud esse quàm reminisci; quia animam hominis credebat artibus imbutam esse antè illarum usum, mentemque nostram omnium rerum scientiam, & notionem in se ipsa complecti, quam mole corporis oppressa non facilè promat; in quam etiam sententiam inclinare videtur *Marcellus Donatus.* Quæ tamen minimè admittenda sunt; quia licèt anima cælestis sit originis, & omnium scientiarum capax, nullâ tamen instructa est, nec ullas sortita est artes, sed ad omnes addiscendas promptitudo quædam à Deo illi tributa fuit. Quis enim fuit homo, qui, nisi infusam scientiam à Deo obtinuerit, alicujus scientiæ perfectam obtinuerit cognitionem? Illas ex magistris paulatim addiscimus, quas illi ex aliis acceperunt, assiduâ cogitatione & labore, alter alterius secutus vestigia, paulatim investigantes amplificârunt; & sic inventas esse, & ad tantum pervenisse culmen certum est: imò & artes non à primo inventore penitùs repertas, sed ab uno tantùm, aut pluribus, paulatim posteà usu & necessitate magistrâ ad perfectum gradum deductas fatendum est. Quarè multò minùs de futurorum cognitione asserendum, in animæ aut hominis potestatem cadere eam posse, cùm talis ars non inveniatur, nec in naturæ nostræ potestatem venire possit; præsertim cùm hoc sibi tantùm reservaverit Deus, ut nec Angelis permiserit; ideoque Cicero ipse: *Ista sic reciprocantur, ut si divinatio sit, Dii sint, & si sint Dii, sit divinatio.* Ideò *Pacutius* unà augures omnes, & ex animalium extis divinantes, audiendos monet, non auscultandos: *Nam istos (inquit) qui linguam avium intelligunt, plusq; ex alieno jecore sapiunt, quàm ex suo, magis audiendos, quàm auscultandos censeo.* Quin & idem Cicero: *Neque utile quidem est scire quid futurum sit; miserum est enim nil proficientem angi.* Quarè similium hominum inscitiam, & irritum studium *Horatius* sic increpabat:

12.

In Phæ[d.]

Lib. 1. c. 1. de med. hist. mir.

Lib. 1. de divinatione.

Lib. 3. de nat. Deorum.

Lib. 3.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus,
Ridetq; si mortalis ultrà
Fas trepidat.
———— *Ille potens sui*
Lætusq; deget, cui licet in diem
Dixisse vixi, cras vel atrâ
Nube polum pater occupato
Vel sole puro

Lætus in præsens animus quod, ultrà est
Oderit curare. Meliùs *Lucanus.*

Lib. 2.

Cur

—— Cur hanc tibi, rector Olympi,
Solicitis visum mortalibus addere curam,
Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sit subitum quodcumque paras: sit cæca futuri
Mens hominum fati, liceat sperare timenti.

Rectè proindè *Gellius* in augures illud Æceianum intorquet: *Nil credo auguribus, qui aures verbis ditant alienas, suas ut auro locupletent domos, & loculos*; quandoquidem, ut idem *Horatius*,

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas.

3. *Quid enim insanius* (inquit Polydorus Virgilius *lib. de prod.*) *potuit hominum mentibus inspergi, quàm ut studio quærendi futura per nefarias artes tenerentur? cùm præsertim illud ex usu nostro non esset. Si enim sciremus futura mala, quæ nullo consilio vitari possunt, jam antè nos metu cruciando omnis superioris vitæ fructum perderemus: sin verò bona prævideremus, totum illud expectationis tempus grave nobis foret, & cùm evenirent, multò minùs grata existerent. Atque sic ignoratio futurorum utilior est, quàm scientia, cùm istud nobis modis omnibus negatum sit.*

Sit igitur conclusio. Hominis anima, neque quòd divinitatis sit particeps, nec in seipsa reconcentrata, nec quòd ullis scientiis sit dotata, futurorum cognitionem ullam habere potest. Et primò sic convincitur, quia si divinatio naturalis daretur, non utique in sacra pagina à Deo prohiberetur, & in talem inscitiam devenientibus tot diris comminaretur, ut Levit. 20. *Vir sive mulier in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur; lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos.* Et Eccles. 24. *Divinatio erroris plena, & auguria mendacia, & somnia, malefacientium vanitas est.* Et Num. 23 *Non est augurium in Iacob, nec divinatio in Israël.* Probant deindè Theologi communi & valido argumento, ac solidâ ratione: siquidem creatura, qualis est homo, res cognoscere non potest, nisi vel per existentiam realem, vel per causas existant: sed quæ futura sunt, adhuc non existunt, nec essentiam ullam habent aut in se, aut in causis, cùm à voluntate divina solùm dependeant; ergò nisi à Deo revelentur, cognosci non poterunt. Secundò: Nullum objectum cognosci potest, nisi per illius speciem: sed non existentis nulla est species; ergò nulla dari potest cognitio. Tertiò: Si anima hoc habuisset, ut de futuris notitiam haberet, non minus uni quàm omnibus hominibus eadem foret vis: sed hoc est falsum; ergò & illud. Quartò: Si futurorum aliqua species fuisset cognoscibilis, non minùs ad unum objectum quàm ad omnia cognoscenda daretur naturalis facultas, cùm potentia, quatenùs ex se, ad omnia sit indifferens: sed hoc est impossibile; ergò & primum. Deindè patet ex *Aristotele* futurorum nullam esse scientiam; ergò si nulla datur, in homine inveniri non poterit futurorum cognitio, præsertim cùm ex arbitrii libertate pendeant; quare solius Dei tantum sunt, qui, ut inquit Paul. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Proindè in actis Apost. cap. 1. *Non est vestrum scire tempora, vel momenta &c.* & Eccles. 3. *Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?* Quare apud Isaiam: *Annuntiate nobis, quæ ventura sunt, & sciemus quia Dii estis vos.* Concludimus ergò cum D. Chrysostomo, futurorum prædictionem immortalis Dei dumtaxàt opus esse; ergò non solùm homini, sed ipsi etiam dæmoni liberos eventus cognoscere impossibile est, cujus vaticinia stulta, & ad vulgus decipiendum; passim enim falsa deprehensa sunt. Nam ut rectè Philostratus: *Omnis divinandi ars naturæ metas excedit, & humanæ menti nullo modo pervia, cùm ad hujusmodi ascensum impossibile sit ut feratur, nisi dictante Deo, aut dæmone plerumque falsa suggerente, licèt aliquando vera, ut stultos arctiùs irretiat.*

4.

Lib. 2. perihermen. seu de interpretat.

Ad Rom. cap. 4.

Cap. 44.

5. Solius ... non ... cognoscere.

Hom. 18. in Ioan.

6. Sed dicet aliquis, ideò non omnibus, & omni tempore accidere posse, quia dispositio quædam in corpore, & humoribus requiritur, quæ ad talem operationem disponat; quæ cùm nec semper; nec in omnibus inveniatur, nisi admodùm rarò, & in paucissimis, ideò hoc rarum esse, sed non impossibile; cùm illa dispositio per morbos aliquando possit acquiri, quæ etiam in illis qui propè mortem jam sunt, forsan invenitur, cùm apud plures jam citatos constet tales multa prædixisse, quorum eventus veritatem confirmavit. Igitur de his inquirendum, an in illo corporis statu aliquid inveniri posit, quod tantam animæ præstare valeat energiam, ut quæ ventura sunt, divinare posit? *Marcellus Donatus* hoc animæ tribuit: *Quia* (inquit) *suo divortio & libertati proxima, divini-*

divinitatis ipsius puriorem radium persentit. Tertullianus suprà citatus, *in eodem divortio* ait *potentiùs agitari solicitiore obtutu, ex majori suggestu in libero constitutam.* Causam Vallesius affert: *Quòd nimirùm nunquam veriùs à solicitudinibus hujus sæculi avocatur animus, utillâ horâ extinctis sensuum motibus, & deposito omni animi circà res sensibiles affectu, mens ad eorum, quæ verè sunt, contemplationem conversa, veritatem eò clariùs intueatur, &c.* Melius forsan Aretheus: *Quippe anteà in lutulentis humoribus & caligine demersus erat animus, quos ubi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aëre fiunt, prædicant, exutoq; sordibus animo veracißimi vates efficiuntur.*

De sacra Phil. cap. 30.

Verum, ut quo modo hoc fieri posit, clarius intelligatur, sciendum est, futura dupliciter accipi, ut in cognitionem venire posint; vel enim in se, & quatenus à causis adhuc non dependent, vel quatenus à causis dimanant. Primo modo dicimus impossibile esse, quòd intellectus humanus in ullo qualicumque corporis statu illa assequi valeat, cum solum in voluntate divina existant, cui omnia præsentia sunt, & cujus cognitio suprà omnem temporis differentiam fertur: quæ enim futura sunt, quo modo antequam sint, sui signum dare poterunt? esset signum antè rem, & umbra sine corpore, & motus absque motore, ut doctè prosequitur Franciscus Hernandez *lib. de divinat. per somnium ad Arist.* Ceterum si futura considerentur, quatenus in suis causis existunt, dicimus non esse imposibile ut ab homine cognoscantur, quia cognoscere effectum in sua causa, nil aliud est, quàm cognoscere præsentem causæ inclinationem ad illum producendum: sic Astrologi eclypses, sic nautæ tempestatem, sic medici salutem ac mortem prædicunt. Ulterius futura dupliciter in causis continentur: vel enim ita in illis existunt, ut necessariò eveniant; vel tali modo, ut contingentia esse posint. Primo modo unicuique, cui causa est cognita, erit & effectus; secundo modo erit incerta hominis cognitio, licèt aliquando vera: & licèt hæc cognitio omni intellectui humano rectè disposito pervia esse posit, tamen videtur aliquid desiderari ultrà communes vires, ut validiori prospectu, altiorique indagine intellectus valeat illa assequi; hocque nil aliud esse potest, nisi animus ab omnibus affectibus liber, & abstractio quædam ab externis omnibus, ut ita extinctis sensuum motibus, & animi omni depositâ curâ, mens in altiorem contemplationem feratur, convertaturque, ut sic veritatis abstrusæ ideas aliquas assequatur, & proferat. Quæ quidem omnia cum vel per morbum, vel per statum morti proximum homo comparare posit, & talem acquirere dispositionem; minimè negandum, sed admirandum potius, quòd aliquando in his futurorum prædictio inveniatur, ut præter citat. tenet etiam *Petrus Garçia*; & de facto Beato Francisco Borgiæ accidisse, in illius vita tradit Ribadinera *lib. 2. cap.* 13. Quippè ille in gravi morbo, cum ob mortem, quam mox obventuram judicabant socios lachrymantes audiret, sic ad illos dixisse fertur: *Nondum maturuit hic fructus, ut summi Regis mensæ apponatur; grandis adhuc nobis restat via: imò intrà quatriduum vivus valensq; Vlyßiponem pergam.* Ita factum.

17.

18.

De locis ad fect. disp. 13.

Sed proborum virorum, sicut & sanctorum PP. futurorum prædictiones, ex altiori causa, & sæpius ex divina revelatione proficiscuntur; nos verò de naturæ tantum viribus investigamus: atque ideò dicimus, nullo modo in morientibus, aut ægritudinibus aliter oppresis ideò hæc accidere, quòd tunc anima innatam vaticinandi virtutem liberiorem obtineat, cum nullam habeat, sed ex eo solum quòd dispositionem quandam sortiatur, ut externa melius suscipere posit, vel quæ ab aliquo spiritu suggeruntur advertere; quòd tunc liberior illorum animus nullis solicitudinibus sit implicitus, & remotis circumstantiarum repagulis liberè, quę mens assequitur, proferant. Eandem opinionem tenet *Horstius*, *Eusebius*, & *Mirandulanus*; quia aliter inveniri non potest ratio, ut illa, quæ ab authoribus narrata sunt, accidere potuissent, nisi spiritûs alicujus, sive boni, sive mali inspiratione peracta fuisse dicantur; de quo statim in melancholicis latiùs dicendum. Alioqui ad mentis illam omnium rerum abstractionem confugiendum est, in qua corpus & anima dispositionem illam acquirere potest, quæ, ut citatus *Nierembergius* advertit, non ex morbis solum, aut mortis vicinitate, sed multis modis accidere potest, ut in Elisæo & Saüle passionum quies, quam musica comparavit; in Pharaone & Iosepho sensuum abstractio in somno acquisita; in Elia & Amos solitudo, & locus ab omni turba & arbitris vacuus; in Daniele & Davide oratio: atque ita Prophetas ad recipiendum spiritum vario modo se præparasse scribit *Valesius*, qui sic: *Quæcumque ergò reddunt animum ab externis curis vacuum, naturaliter etiam disponunt, & ad divinorum contemplationem, &* ad

19.

Morientes quâ ratione vaticinari posint.

Lib. 3. epist. sect. 7. Parte 2 occult. phil. cap. 71.

20.

Cap. 30. de sacra Philos.

ad prophetiam: Et sicuti prædicta in corpore & mente sanis ad hæc disponere, & multùm adjuvare creduntur, ita multò meliùs & efficaciùs forsan talis dispositio per alicujus morbi vim, aut in summâ virium corporalium imbecillitate, ut in morientibus, accidere poterit: constat enim ex *Platonis*, *Aristotelis*, *Hippocratis*, *Galeni*, *D. Hieronymi*, & *Gregorii* testimoniis, quantò magis corporis robur, & carnis moles imminuitur, tantò magis animi nostri vires intendi ac perfici. *Plato* in Theocth: *Non rectè anima se habet in denso, aut lutoso, aut molli nimis*: uberius multò, dialogo de natura: *Quandò enim anima corpore admodùm potentior est, exultat in eo &c.* Ideò *Aristoteles* dicebat: *Qui ratione valet, naturæ imperat; qui verò viribus & corpore, paret*: siquidem ut 1. *de diæta* circà finem docebat Hippocrates, *conducit etiam ad sapientiam hominibus, minimè ut sint carnosi.* Quò etiam respiciens *Galenus* sic scripsit: *Crassus venter subtilem intellectum non parit*; & *D. Hieronymus* in epist. *Venter pinguis non generat sensum tenuem*: quare de Athletis dicebat idem, *Animas eorùm ita nimio sanguine ac dapibus quasi luto involutas, nil tenue, nil cæleste cogitare.* Longiùs prosequitur Rhodiginus *lib. 13. cap. 25.* Hinc optimè Tullius: *Valentissimo quisquis est corpore, longè abest à sapientia.* Hoc rectè cognoverat vetula apud *Niceph. Calist.* quæ cùm Jovianum Imp. vidisset, formâ conspicuum, proceritateque, & crassitie corporis excellentem, sed non ita mente, dixisse fertur: *O Dii immortales! quàm corpulenta est stultitia!*

Lib. 1. polit.

Ad Thras. cap. 37.

Lib. 10. cap. ult.

Ad melancholicos jam veniamus, de quibus non minùs admiranda, imò suprà omnem admirationem sunt, quæ proferuntur: sed in quærenda naturali causa maximè elaborant plurimi; nec desunt authores qui asserant, citrà ullum mali genii consortium vaticinatos esse, promptos in disserendo fuisse, comptâ ac elaboratâ oratione, alienoque idiomate usos, & poëticam, quam nunquam anteà calluerunt, pulchrè exercuisse, quod morbo exuti nullo modo facere potuerunt. Sic cum aliis *Lemnius* sentit, qui tales ait curâsse, & somniferis potionibus à morbo, mentisque errore vindicâsse; in quod etiam inclinat *Fontecha*, qui ait difficilè credi posse dæmonem in talibus extitisse, & nullo præsidio tamen fugatum fuisse: quod etiam probat, quia admiranda illa quæ faciebant, ebrietatis tantùm tempore, aut morbi vigore, non alio acciderunt. Et duobus exemplis ex *Ioanne Huarto*, quæ etiam refert *Sennertus*, humoris melancholici vires, & stupenda opera declarantur; cujus rarissimas proprietates, & admirandas motiones, quas in corporibus, ipsa, mentemque perturbando efficit, fusiùs prosequitur *Aristoteles*: ut non in ea, quæ frequenter homini insunt, sed ultrà communem naturæ ordinem, jam in hanc passionem, jam in illam deturbet, ac fixiùs, quàm par est, cogat insistere, pium impium, timidum audacem, confidentem desperantem reddat, totumque aliquando ita supinet ac invertat, ut ex ignavo reddat ingeniosum, ex inscio sapientem. Quin imò sapientes plerumque melancholicos extitisse idem credit *Aristoteles*, qui Socratem, Empedoclem, & Platonem melancholicos fuisse ait; quod de Hercule, Lysandro, Ajace, Alcmenore, ac Bellerophonte tradit *Crinitus*: & tali etiam vitio Galenum nostrum laborâsse retulit Rabbi Moyses, *apho. 25.* Hinc apud *Rhodiginum* heroica affectio dicta est melancholia, quòd *Phavorinus* philosoph. omnium primus eam sic appellaverit: quæ cùm adhuc pauca viderentur, & vaticinandi addiderunt virtutem, quam illis non rarò obtingere plurimis exemplis ex multorum testimonio jam adduximus. Quarè in tam rari eventûs causa modò elaborandum est.

1.

Lumin. 2. cap. de ebrietate.

In Scrutinio ingenior. cap 7.

Lib. 1. prax p. 2. cap. 5.

30 Prob. 1.

2.

Lib. 3. de honesta discip. c. 6.

Lib. 17. antiq. lect. cap. 5.

Igitur melancholicos, vel intrà sanitatis limites ab ipso humore prædominante tales dicimus, vel ab ipsius humoris excessu, qui in maniam vel melancholiam morbum jam devenerunt, nominamus. De primis, quòd prudentes sint, & ad regendam Rempub. & civilia negotia rectè tractanda apti, constans est opinio ab *Aristotele* & à medicis approbata; inter quos *Sylvaticus* latiùs & pulchriùs quàm omnes, hujus eventûs causam indagavit, & in quâ illorum temperie humorisque proportione talis consistat prudentiæ effectus, ac resultet, optimè enodavit. Antiquis etiam philosophis non hoc solùm, sed vaticinandi quoque vim ab humore melancholico illos obtinuisse visum est; & hæc videtur Democratis fuisse sententia, qui nullos dæmones esse credebat: & hac de causa Sibyllas & Bacchas omnes futura prædixisse, docuit *Aristoteles*: cui, ut obiter dicam, minimè assentiendum puto; potius enim *Lactantio* crederem, qui propheticas Sibyllarum inspirationes, non ex naturæ, aut furoris melancholici viribus enatas fuisse, sed eas divinæ revelationis participes extitisse,

Contro. 1.

3. Prob. 1.

3.

Lib. instit. divinar.

cum aliis affirmavit; imò alias dæmone inspirante, ut præter *Iamblicum* scripsit etiam *D. Thomas*. Gaspar Marcuccius *in quadrip. melanch. quæst.* 18. in ea est sententia, quòd vaticinandi peritiam melancholici non morbosi tantùm habent, nullo modo furentes, aut morbi vitio jam oppressi; tamen illi non assentiendum, cùm ex supradictis contrarium abundè pateat, ut ex multis auctoribus, & illorum historiis satis constat: quod si de Cassandra, Manthone, & aliis narratur, quos sine dementiæ morbo, sed ob naturalem tantùm humoris melancholici vim & temperiem tales evasisse autumant, non propterea hoc protinùs credendum, cum probabilius sit prædictos omnes, & plures alios non ab hac causa, sed ab immundi potius spiritûs commercio, & mali genii operâ illa præstitisse: præsertim cum apud medicos nullum habeamus qui, sine valetudinis vitio, & mentis excessu, ac alienatione futura prædixisse legatur: quippe ad talem furorem, & fanaticam vim, melancholicus intrà limites sanitatis ascendere non potest. Ut enim videmus vinum mediocriter sumptum hilares homines primùm, mox loquaces acutosque in disserendo reddere; deinde largiùs sumptum in mille varietates adducere, ut jam pro naturæ temperie & dispositione, hunc religiosum, illum audacem, alium cantantem, alium eloquentem, & plura alia faciat, ad quæ in mediocri compotatione nunquam perventuri erant: ita sanè non qualiscumque humoris abundantia, & intemperies, & illa præsertim quæ intrà sanitatis limites adhuc manet, sufficiens est ac potens; sed illa potiùs, quæ corpus quatere, mentem agitare, & illius sedi calorem adaugere valeat, ut in furoris excessum adigat, & ad tale vaticinandi fastigium devenire cogat. Sic habemus apud citatum *Fontecham* Grammaticum illum, ebrium tantùm, non verò mediocriter potum poëtam egisse optimè, quod anteà facere non conspiciebatur: sic melancholicum puerum apud Huartum, non anteà prudentissimas pro regno administrando regulas dedisse, nisi furoris morbo detentum, quod curatus facere destitit: sic Maracum civem Syracusanum non aliàs poëtam præstantissimum fuisse ait *Aristoteles*, nisi cùm mente alienaretur: sic Plato *in Timæo* dicebat, divinationem à Deo datam hominibus errore mentis dumtaxat affectis. Et licèt concedamus delirium ad hæc omnia peragenda, quantùm ex se, nil posse conducere, nempe ad prudentes rationes efformandas, poësim tractandam, aut futura cognoscenda; tamen cùm prædicti melancholici non perpetuò delirent, sed plerumque per intervalla satis sibi constare videantur, consequens est, non ex ratione delirii, sed ex mentis perspicaciâ, in quam ex morbi & humoris vi devenerunt, illa facere; quia hanc acutiem non induunt, nisi lymphatico priùs furore corripiantur, & ad illam temperiei inæqualitatem, & efficaciam deveniant, quæ priùs illos commovit, & mentem perturbavit, atque ita in vaticinium, aut alienam linguam prorumpant. Sunt quippè humores, & præcipuè melancholici tam violenti atque atroces, ut inflati vel corrupti in eam deveniant naturam, ut in cerebrum delati mentem multis modis distorqueant, ac exagitent; non aliter ac in meracissimo vino & generosissimo observamus: & sicuti istius vaporibus ferventissima fit humorum ebullitio, & spirituum vehemens agitatio, quâ mens humana concutitur, ut perrara illa, quæ in ebriis videmus, non aliundè dimanent; sic profectò quorundam humorum incognito nobis modo vis se erigit, ut menti incidens, in naturæ abstrusioribus, quæ delitescebant plerumque stupenda exerat miracula, & animæ sic agitatæ vires elucescere faciat. Sicuti enim in naturalibus videmus pleraque non statim, quas servant proprietates, & qualitates exhibere, sed agitata prius, & fricatione concalefacta; quemadmodùm in succino ut paleas attrahat, in odoriferis ut fragantiam emittant, & in lapidibus ut non nisi attritione ignem excutiant; sic quæ recondito naturæ jure hominis anima servat, non alio œstro percita, quàm melancholici humoris enormibus proprietatibus convoluta & conquassata promit, & quæ veluti consopita jacebant, sese erigunt, ac velut de potentia ad actum reducuntur. Ne tamen credat aliquis nos hoc loquendi modo, vel animæ aliquam scientiarum cognitionem innatam tribuere, vel reconditam linguarum notitiam, aut futurorum abstrusos eventus concedere; qualiter & quibus modis hæc in melancholicis evenire intelligenda sint, jam dicendum: nos enim cum *D. Thoma*, *Vallesio*, *Petro Garçia*, *Sennerto*, & plurimis aliis Platonicorum illam virtutem, quam hominis animæ concedunt, prorsus denegamus; quidquid *Ficinus*, *Lemnius*, *Gainerius*, & multi alii falsò arbitrentur.

24.

25.

26.

Lib. d[e] myst. Ægypt

2. 2. qu[æst.] 172. ar[t.]

2. 2. Quæst. 72. art. [1]

In sacra phil. c. 30.

Disput. 13 de locis aff.

Lib. 1. pr[ax.] p. 2. c. 15.

Declarato itaque modo, quo melancholicus humor in hominis mente & illius sede ope-

operetur, ut ad recondita illa rimanda sese erigat; qualiter hoc accipiendum sit, paucis nunc exponam. Multis enim de causis accidere potest, ut melancholici de futuris judicium proferant, aliquando certum: constans quippe est doctiorum opinio, quò plus hominis intellectus ad prudentiæ apicem accedit, & ad ingenii acumen devenit, tantò plus angelicæ perspicuitatis habere; ut promptius sic ea quæ aliis non ita acutè cernentibus minimè pervia existunt, ex causis occultis vel transactis, vel præsentibus, assiduâ meditatione inferat, & dijudicet: & ad hunc mentis statum cùm non nisi per morbum plerumque deveniant, talis verò morbus non alius præcipuè habeatur, quàm melancholica cogitatio, quæ eam dispositionem in cerebro pariat, quæ alioquin in salutis optimâ temperie, difficiliùs multò ad talem effectum sufficere poterat; eâ tandem obtentâ, optima accedit conjectatio, & acriùs per rerum eventus fertur discurrendi potentia, & imaginandi vis. Secundò, cùm horum cogitatio ex morbo & humoris vi assidua sit, collimetque perpetuò, ac instet, accidit hinc ut in certitudinem deveniat aliquandò, in aliquo saltem, cùm in omnibus aut pluribus impossibile sit. Tertiò, juvat ad hoc potissimùm ab externis aliis, & sensibilibus abstractio quædam; undè mens in una aut paucis cogitationibus defixa, naturalium causarum motus, qui imprimuntur, meliùs percipit, quàm dum aliis sensibilibus occupata detinebatur. Hanc causam in morientibus adduximus, & in melancholicis non minùs adjuvare credimus; si enim noctambulones tanta, quæ scribuntur, facere videmus, quorum admirandas historias si legere cupis, invenies, (præter illam quam de se ipso Galenus narrat) apud Rhodiginum *lib.* 30. *cap.* 9. Mendoçam *lib.* 4. *viridarii probl.* 16. Bartolum *in l. ut vim §. de just. & jure* Tiraquellum *tract. de pœnis temper. aut remit. causa* 5. & ex medicis apud Greg. Horstium *lib.* 3. *cons. & epist. sect.* 1. Salium *de affect. part. cap.* 18. Hildanum, Fonsecam, Libavium, Sennertum, & plures alios, quos citat & affert Schenckius *lib.* 1. quibus majora sunt, quæ narrat Eusebius *lib.* 2. *thes. cap.* 25. Hæc obiter. Sic somniantes non minùs rara quædam præstant, quæ vigilantes nunquam facerent; nam aliqui acutissimè disserentes, alii optimos syllogismos, & pulchros versus componere visi sunt; imò & aliquando futura certo eventu, vel tacito modo concipientes, vel palàm proferentes, enuntiâsse compertum est, ut de homine Gallo Lacurio dicto, ex *Remundo* affert idem citatu *Eusebius*, qui Clementem Puteanum insignem Societatis JESU concionatorem, non mortuum tantum, sed in feretro jam positum in somniis videbat; cui tandem eleganti poëmate versus, adhuc dormiens, pro epitaphio protulit: unde, inquam, hæc, nisi ab animæ abstractione, quæ à melancholicis humoris viribus, & spirituum splendore magis illustrata, acutius cernere, & certius judicare potuit? Sed cum in paucissimis melancholicorum, aut ita discurrendi, aut præsagiendi lymphaticus ille furor inveniatur, ideò credendum prædicta omnia non sufficere, nisi solertia quædam homini, & naturalis quædam prudentia, ex propriâ temperiei naturâ adjuncta fuerit, quæ illum ad supremum istum ratiocinandi gradum planè inexplicabilem perducat; quo quidem acquisito, quod superest, id totum illi, copiâ humoris fanaticâ virtute imbuti inebriato supervenit; cui si accidat multarum rerum notitia, frequens experientia, & scientiarum studio comparata eruditio, ex quibus omnibus omnimoda encyclopædia resultat, jam totum aderit, nihilque ultrà desiderari poterit, ut futura aliqua, saltem quæ ex causis minus notis dependent, investigare possit, & aliquando attingere: hocque non in morboso solum melancholicorum statu, in quo imaginationis vis magis intenditur, sed in ipso illorum salutis optimo, ex quo prudentiam & solertiam comparari aiunt, provenire posse non diffitendum: Sed hæc nunquam vera divinatio dicenda, sed potius quædam illatio urgentis & acutæ indagationis, ex imaginationis optimo & perspicaci discursu proveniens.

8. Lib. 2. de motu. musc. cap. 4.

Lib. 5. de orig. Hæresum.

9.

Naturales causas tam admirandorum in melancholicis effectuum tradidimus, in quibus tandem plurimos nondum quiescere video; multò minus *Conciliatori*, & *Gainerio arridere*, qui ab astris cælique virtute illas suspendunt, quæ opinio ab omnibus ferè rejicitur, cùm astris tantam vim minimè concedendam putent. Quarè severioris supercilii judices, non nisi optimâ ratione & veritate suffulti, totum hoc, quod in melancholicis visitur, sive prædictiones, sive alienarum linguarum locutiones, & hujuscemodi admiranda alia, à superiori vi, & mali genii consortio oriri affirmant; inter quos maximus dux est *Fernelius*, sequitur *Alsaravius*, *Serapio*, *Licetus*, *Vallesius* & plu-

Tracta. 17. cap. 4.

Lib. 2. de abdit. c. 15. c. de epilep. In relationib. med.

& plures alii Theologi, jurisperiti, atque historici. Alii verò, licèt aliqua concedant, linguam tamen, quam nunquam didicerunt, nisi dæmone vocem movente, loqui non posse constanter asserunt; quippe qui tali occasione abutens se humori melancholico immiscet, ac multa sic agit, quæ non vulgus tantùm, sed medici etiam morbo adscribunt. Hoc itaque modo adducti omnes ferè aliena locutos, & futura prædixisse inculcant: & quòd dæmon hæc sæpè faciat, nemo est qui negare possit; nam cùm pessimus cavillator divinitatis maximus existat affectator, & ad hanc futurorum cognitionem tantum pertinere cognoscat, illam imitari contendit, ut divinæ virtutis æmulus appareat, credaturque; & cùm in quodcumque corpus, Deo permittente, subire possit, melancholicis faciliùs se ingerit, utpote qui dispositionem ad talem hospitem recipiendum aptiorem sortiantur: est quippe hujusmodi humor illius balneum communiter dictus, in quo magis gaudet & voluptuatur, cùm atrâ caligine proprium illi cubiculum construat; & præsertim in nullo alio morbo vafriciem suam promptiùs atque occultiùs simulari cognoscat, cùm huic ægritudini, & humoris illius viribus tales effectus non rarò homines adscribere videat. Sed aliquibus conclusionibus, totum id quod tradidimus, ut, quid in hac re veritati consentaneum judicandum sit, clariùs innotescat, jam distinguendum est.

31.

1. Conclusio.

32. *Prima conclusio.* Vera prædictio, quæ nullâ rerum causalitate nititur, & mera divinatio dicenda est, à nullo quantumvis expertissimo, nec ullo corporis statu, aut prudentiæ viribus acquiri potest. Hoc suprà probavimus, quia non existentis nulla est species, cùm nec in causis, quas nondum habet, nec in essentia, quam nondum obtineret, cognosci possit, sed in libera Dei voluntate tantùm permanentiam habeat. Itaque nullus homo prophetiam callet, ut *D. Petrus* affirmat, sic scribens: *Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Sic Noë edoctus cognovit futurum diluvium; sic Abraham intellexit excidium Sodomæ & Gomorræ; sic Joseph de futura septem annorum fame certior est factus; sic denique Isaias prædixit fore, ut Christus ex virgine nasceretur, atque morte suâ nos ab interitu vindicaret. Itaque divinationem Deo propriam esse ipsa vox significat *divinatio*, quæ à Divo, quod divinum significat, deducta est: quarè futurorum quævis prædictio à Deo non dimanans, si vera fuerit & certa, per accidens tantùm contingit, & judicari debet.

Epist. 2.

2. Conclusio.

33. *Secunda conclusio.* Quoad ea quæ à causis vel aliquo modo manifestis, vel magis occultis rimari, & deduci possunt, facilius erit, & obvium aliquandò, ut prudens & solertissimus aliquis, rerumque usu expertus aliquid assequatur, & de illis, quæ eventura sunt, judicium proferat aliquandò certum. Ad hunc sanè modum ex melancholicis, & illâ potissimùm temperie donatis, quæ ad perfectum illum prudentiæ & ingenii gradum disponit, non mirum si quandoque aliquis, assiduâ contemplatione, imaginandi vi, & mentis perspicaciâ, aliqua antè videat & annuntiet, quæ aliis, quibus rerum naturæ & eventûs causæ minùs patent, occulta erunt, ut non facilè hominis potentiæ subesse judicent. Cæterùm hoc in prædictis melancholicis, & dum intrà sanitatis limites degunt, & etiam illis, qui jam mente laborant, accidere posse non diffitendum; cùm non semper delirent, aliquando etiam vates se esse fingant, & prophetas: quo fit, ut in mentis excessu species aliqua se exerat, vel anteà concepta, vel eo tempore ex confusâ causâ efformata, ex quâ tandem fanatico furore percitus ad subsecuturum eventum collimet, diuque colluctando inferat, & prædicat aliquid, quod posteà adveniens admirationem pariat, cùm cæteris non fuerit facilè perspecta causa, & apprehensibilis, nec in illius perscrutatione elaborando mentem variis specierum idolis obrutam distorquerent, aut assiduè plura imaginando in illam inciderint; quemadmodum dicebat Cicero: *Quis est qui totum diem jaculans, non aliquando collimet?* Sed hæc non vera aut naturalis dicenda est prædictio, imò artificiosa, & prudens conjectura; quæ illis, & non aliis magis in promptu est, utpotè in quibus specierum magna fiat in memoria agitatio, & indè speculorum varietas, ex quibus casu quodam, & raro futurum aliquid rimentur: quod in plerisque dum sic contingit, divinationis parit opinionem; & hoc *Aristotelem* etiam voluisse, patet, cum ait, *Quod in somniantibus & deliriis evenit, ut aliquando excitetur species nova ex variis speciebus conflata, ita fixa, ut circà eam versantes in aliquid impingant futurum, cujus species sic casu obtigit.* Itaque sic accipiendi, qui melancholicis tantam

Lib. 2. de divin.

34.

Lib. de visionibus.

vim

vim conferunt, ut *Conciliator*, *Gainerius*, & alii, licèt, ut jam diximus, ex cæli virtute fieri aut aliter suadere conentur. Adde multos etiam ex melancholicis imaginari se à dæmone possideri, ut ille apud *Schenckium*, qui tres dæmones in corpore se habere imaginabatur; quo fit, ut in vaticinandi delirium incidant, & stupenda sequantur opera.

Tertia Conclusio. Quæ futura à melancholicis prædicuntur, si nulla appareat quantumvis remota, vel obscura causa, ex qua inferri possint; jam non operantis hominis, & virium illius, sed superioris virtutis vis est, dæmonis nempè, præsertim si alia adjungantur, quibus ille manifestari solet, ut impietas, in res sacras & divinas excandescentia, aut aliena præcipuè locutio; tunc enim quid faciant, aut dicant, ne ipsi quidem sentiunt, sed spiritûs, qui illos possidet, totum est opus, qui etiam in alienorum facinorum detectione manifestatur: sed cum homines divinationem videant, inspirationem non agnoscunt. *Et certè* (inquit Vallesius) *suasibilius est dæmonem rem aliquam phantasiæ repræsentare, quàm esse vim aliquam agnoscendi futura, & occulta, quorum formæ per sensuum organa nondum subierint.* Hæc communis omnium ferè est opinio, quantumcumque *Lemnius*, *Forestus* & alii aliter explicare nitantur; sic enim & non aliter in epilepsiâ, ferâ morbi vi, agitatis, quibus dæmon facilè adhæret, vaticinia accidere advertit *Delrius*: qui etiam *lib.* 5. *sect.* 16. celebrem circà hanc rem historiam affert. Verùm quamvis aliquando futura prædicat, plerumque falsa esse, jam suprà ex *D. Chrysostomo* adduximus; nam, ut etiam ait *D. Ambrosius*, licèt illorum malitia, occulta deprehendere nitatur, in id incumbunt, ut faciant quò mortales sibi credant, & credentes fallant: quandoquidem nil illis antiquius, quàm dolis, quàm machinis, quàm fallaciis, ac præstigiis mortales continenter circumvenire; prædicunt enim plerumque, quæ ipsi facturi sunt, aut illa quæ ex causis naturalibus agnoscere possunt. Cætera omnia nullo modo certò aut prædicere, aut prævidere possunt.

De sacra Phil. cap. 30.

Lib. 4. disqui. mag. cap. 1. quæst. 3. sec. 2.

In Evang. Lucæ.

Quarta Conclusio. Quoad variarum linguarum locutiones, multò certiùs credimus nullo pacto fieri posse, ut qui eas nunquam didicerunt, loqui naturaliter possint ex ulla qualicumque tandem temperie, aut humoris vi; sed totum id à dæmone linguæ instrumentum movente, & loquente accidere existimandum. Patet, quia nulla lingua homini propria est, sed unusquisque ex instructione, & continuo auditu quamlibet accipit, ut *quæst.* 55. latius afferemus: & si futurorum prædictio homini est impossibilis, quia non existentis nulla datur species; multò potiori ratione inauditi idiomatis impossibilis erit locutio, ad quod proferendum non una sed infinitæ verborum species in mente debent reservari, ut tempore & ordine proferantur. Quare sive Græcam, sive Hebraicam, Germanam, vel Latinam loquantur, hoc non homini aliquâ humoris efficaciâ adducto, sed diabolo tribuendum: quo sanè signo frequentiùs quàm alio sese manifestare consuevit; unde obsessos agnoscimus. Nam cùm ille nullam propriam linguam habeat, omnes perfectissimè callet, & arripit, obsessique instrumenta vocis dum movet, quamcumque vult, pronunciare valet. Hæc est communis tam Theologorum quàm Medicorum opinio, atque ita in recitatis historiis *Pomponatii*, *Erasmi*, & prædictis aliis quamplurimis accidisse conjectandum est; ut præter alios defendit doctissimus *Petrus Garçia*, apud *Fontecham* citatus *Luminari 2. cap. de ebrietate.* Atque ita in vita Hilarionis refert *D. Hieronymus* quendam melancholicum, qui Syria verba loquebatur anteà ignorata, curatum fuisse ab Hilarione dæmonem fugando: nam ex vi morbi, aut aliter illis accidere, ut alienam linguam loquantur, cum cordatissimis medicis ego nunquam concedam. Quarè verò (ut hoc obiter dicam) diabolus non ita frequenter, ut anteà solebat, per variarum linguarum locutionem se prodat, non sine ratione quærit Hieronymus Mengus, *in flagello dæmonis*, *document.* 13. Putarem ego, hoc facere destitisse quia illius technas Christus non solùm pessumdat, sed & potentiam illi ademit; & forsan vafer iste tam pessimus, quàm astutus, talem consuetudinem omisit, quòd ex tali loquela jam ab omnibus se agnosci videat, & sic ad eundem fugandum, & expellendum divino adjutorio homines se accingant.

Comment. manuscrip. in Paulum Æginetam. cap. de melanch.

Quinta Conclusio. Poëticâ in morbis promptè uti aliquem potuisse, cùm anteà

teà nullo modo fecisse constet, non ita mirandum est, sed distinguendum: si enim hoc in familiari & proprio idiomate, aut latino anteà probè cognito accidat, fieri posse non negamus; jam enim diximus, per morbum aliquando aciem mentis intendi ut ad meliorem statum venire possit. Et sicuti in ebriis pro corporis temperie, varia commotæ mentis motionum genera suboriuntur, & intellectum non mediocrem mutationem subire conspicimus; ita impossibile non est, ut ex morbi præsertim melancholici occultâ naturâ talia contingant: quandoquidem apud auctores legimus insignes sæpiùs mutationes tam animi quàm corporis, per morbos factas. Rara sunt, quæ affert *Rhodiginus* de multis, qui cùm agrestibus ac planè ferinis moribus essent præditi, ægritudinum tandem vi concinni, elegantes, mites, literarumque studiosi evasêre: quod quoque de Antigono *in apopth.* scribit *Plutarchus*. Hoc circà animum. Sed circà corpus admirandum est, quod ex *Wiero* narrat *Gregorius Horstius* apud *Marcel. Donatum*, puellam quandam staturæ mediocris ac vulgaris, post quartanam, quæ aliquot menses duravit, in ingentem corporis proceritatem, ac planè giganteam evasisse; ita ut per diversarum regionum civitates, velut monstruosi hominis idolum, seorsim in conductis ædibus omnibus stipem numerantibus sese ostentaret. Attamen si in latina, aut aliâ nunquam anteà cognitâ accidat, ut tales versus aptè componat, jam obsidentis dæmonis suspicio magna ingeritur. Nec obstat quòd cessante morbo, aut accessionis vigore transacto desinant illud facere; nec quòd absque remedio ullo fugatum fuisse appareat, ut citat. *Fontecha* dubitare videtur: siquidem hoc non probat jam abiisse; potest enim adesse, & nullum signum dare, ut sic vafricie, quâ solet uti, decipiat, iterumque, quando non ita apertè cognosci possit, manifestari, eo præsertim tempore, quo ex morbi vi adstantes provenire intelligant, ac suspicentur, ut sic eos deludat. Cæterùm quoad cantilenas pauculas & Ecclesiæ hymnos, quos melancholica illa apud *Forestum* proferebat, hoc forsan non ex assistentis dæmonis vi, sed naturaliter accidere potuit; quia licèt linguam latinam nunquam didicerit, potuit tamen ex frequenti auditu in Ecclesia species recipere; quas licèt confusè in mente reservatas, naturali humoris vi excitatas repræsentari difficile non fuerit, & sumpto initio ad finem prosequi: sicut enim nobis accidit, ut alicujus orationis non ita promptè reminiscamur, quòd species aliquæ non ita vivæ, sed consumptæ, & confusæ sint, tamen arrepto initio ordine quodam cætera promptiùs suggeruntur, & sese promunt; ita & illa, quæ audierat, reservare in mente hymnorum principia potuit, quorum incepto aliquo alia subsequi facilè potuisse colligitur.

39. 40.

Lib. 19. cap. 28.

Lib. 7. mir. hist. mir. cap. 6.

QUÆSTIO VIGESIMAOCTAVA.

An in naturalibus remediis aliqua sit vis ad fugandos dæmones, & an obsessi medicamentis juvari possint? & de virtute, quam Reges Hispaniæ ad expellendos dæmones habere dicuntur, paucula afferuntur.

Herbarum virtutes prodigiosæ, quæ fabulosæ creduntur. 1.

PRodigiosa sunt, & omnem fidem superantia, quæ de aliquarum herbarum, & lapidum virtutibus plurimi referunt auctores: & ut à *Plinio* incipiamus, qui omnium auctorum apocryphis sæpius assentitur, ille ex *Asclepiade* scribit, Æthiopide herbâ in stagnis injectâ & amnibus, illos exsiccari, & tactu clausa omnia aperiri; Achæmenide plantâ in hostium aciem adductâ trepidare agmina, ac terga vertere; Latacem à Persarum Regibus legatis dari solitam, ut quocumque venissent, omnium rerum copiâ abundarent; de Theombrotio etiam, quæ & semnion à potentiæ magnitudine dicta, quòd eâdem Persarum Reges ad omnia tum corporis, tum animi incommoda uterentur. Multa hujusmodi apud *Matthiolum*

Lib. 26. cap. 4.

lum legimus: de Achæmenide, præter jam dicta, ait, illius radice in vino epotâ noxios per cruciatus variis numinum imaginibus nocte confiteri omnia; hanc *Democritus* electri colore apud Indos nasci scripsit: de Adamantide Armeniæ Cappadociæq; alumnâ, eâ leonibus admotâ resupinari illicò illos laxo hiatu, & quòd sicuti adamantes teri nequeat, nomen inde sortitam: Potamantim ad Indum flumen inveniri, quâ potâ lymphari homines observantibus miraculis: Theangelicam, in Libano Syriæ nasci, quâ devoratâ futura præsagiant homines. Pauca sunt hæc: herbam refert inveniri, balim à magis vocatam, quæ mortuis animantibus vitam restituat, & *Xanthi* antiquissimi scriptoris authoritate probat, qui hujus herbæ virtute draconem resurrexisse affirmavit; imò & Thylonem à dracone occisum eâdem plantâ vitam denuò accepisse. Portentosa & monstrifica sunt hæc, nec minori admiratione digna, quæ ipse *Dioscorides* de Rhamno, vitice, atractilide, conysa, satyrio, erithronio, pentaphyllo, phœnice, sideri sacrâ dictâ herbâ, inguinali, phiteumate, leontopodio, & sexcentis aliis passim adducit, vulgi, hominum, & militum opinione deceptus, cùm nec experientiæ nec Philosophiæ principiis respondeant.

In dedicatoria ad Dioscorid.

Lib. 1. suarum hist.

Sed inter tot stupendas plantarum vires, nonnullas veras existere auctores tradunt: mira sunt, quæ de herba viva (quam Plinius *lib.* 24. *cap.* 17. æschynomenem vocat, quia appropinquante manu folia contrahat) de herba mimosa apud Indos luxuriante, & de arbore tristi, pluribusque aliis narrant *à Costa*, *Garcias ab Horto*, *Scaliger*, *Cardanus*, & alii: quæ prosequi modò non oportet; sed de illis præsertim quas ad magica incantamenta, sive alliciendo, sive exterminando, adversùs malignos spiritus valere ajunt, aliqua afferre conabimur. Et in primis alysso, hypericoni, & moly tam præsentes contrà dæmonum præstigias, veneficia, & fascinum antipathiæ vires inesse tradunt, ut lacunaribus appensa, dæmonum incantamenta amoliri & expiare posse dicant: deinde hypericoni, perforatæ aliter dictæ, à fuga dæmonis nomen etiam inditum; & magię peritissimus vates *Homerus*, Mercurium moly contrà Circes veneficia Vlyssem munivisse cecinit: quin & pentaphyllum non minores vires habere affirmat *Dioscorides*. Ne tamen tædium legentibus afferam, omnia ferè apud *Delrium* collecta invenies, *Codronchum* & *Cæsalpinum*, passimque in medicorum libris occurrunt, non ex plantis solùm, sed lapidibus, præcipuè smaragdo, & gagate; de hoc *Marbodeus*, de illo *Anselmus Boetius*. Squillam herbam dictam, quam Baaras aliqui esse crediderunt, à quibusdam in liminibus januarum suspendi, ad arcendos malignos spiritus, tradunt *Plinius* & *Pythagoras*. *Albertus Magnus* Chalcedonium & Synerip lapides collo suspendi jubet, quòd contrà omnes phantasticas illusiones faciat. Immensum esset, si quæ ex animalium partibus remedia adducuntur, numerare velimus, ut ex capite, cornibus, unguibus, felle, pelle; & quam plurima alia magorum commenta, quæ & pudet dicere, & experiri vetat ratio composita deinde, quibus & *Galenum* fidem præstitisse apparet, cum veneficia ait exterminari excaridio, lato cumino, zochiique radice ad tertiam partem vino decoctis; gestet & glaneum ossa, inquit. Demùm ut hæc veritatis pallio contecta videantur, ex *Iosepho* adferunt radicem illam Baaras, cujus efficaciâ Eleazarum quendam Hebræum dæmonem ab obsessi corpore expulisse scribit; hanc tamen addit herbæ naturam, ut evulsorem non secus quàm vitâ multatum reddat, quod de moly etiam *Homeri* tradit interpres; qualiter etiam Pæoniæ maris nigræ radicem eruentes viso Piro Marcio excæcari, quin & sedem evulsoribus procidere: similes quoque superstitiones circà mandragoræ avulsionem fieri consuevisse *Plinius* scribit. Nec ex prædictis herbis tantùm imminere infortunium, sed de Cynocephalia, quæ Ægyptiis oseritis vocatur, quamque contrà veneficia valere commendant, si eruatur, moriturum statim, qui defoderit, inculcant. An verò hæ plantę diversę sint, an sub diversis nominibus eædem, nugarum auctoribus relinquendum: *Plinii* aglaophotim, quam *lib.* 21. *cap.* 17. & cynospastum vocat, de qua mira est historia apud Ælianum *lib.* 14. *cap.* 24. & 27. & eximii coloris esse tradit, unde nomen acceperit, in Arabiæ marmoribus nascentem marmaritim aliter nuncupatam, qua magos uti scribit, cùm Deos velint evocare, Baaras nomine describi volunt, vocarique ab *Æliano* Cynospastum terreste, *Democrito* marmarida, cynocephaliam & osiritim *Appioni*, *Homero* moly, pæoniam *Galeno*.

Odyss. 10. Lib. 6. magiæ. cap. 2. secti. 2. quæst. 3. lib. 4. de morb. venef. cap. 8. Cæsal. lib. de dæm. investig. cap. 4. Lib. de lap. pret. cap. 29.

Lib. 3. de medic. facilè parab. Lib. 8. antiq. cap. 2. & 7. de bello. Iud. cap. 25. Lib. 25. cap. 13.

Plin. lib. 30. cap. 2.

ut latiùs Guillandinus *in Plin. cap. 3. lib. 13.* Plures aliæ ab eodem authore citato loco adductæ, superstitiosæ potiùs sunt, & magicis delusionibus famam aucupantes, quàm veritate & naturalibus viribus miracula exhibentes. Tu interim vide doctissimum Thomam Bartholinum *lib. 1. de luce animalium cap. 3.* qui prædictam Boaras optimè examinat, ac *Plinii* Nyctegretum, aut illi similem esse credit, quam *lib. 21. cap. 11.* lucentem idem *Plinius* appellat. Tandem ut in corporeis naturis adversùs angelicam maligni spiritûs substantiam vires esse convincant, callionymi piscis cor in medium afferunt, cui talem inesse virtutem ex Raphaëlis monitu, & relatâ in sacra pagina experientiâ stabilire contendunt: deinde & rationibus his probare nituntur.

4.

Tobiæ cap. 6.

Primò: Conjectari potest, ab initio crassiorem aliquorum angelorum naturam extitisse, quæ quarundam substantiarum facultatem ferre non posset: quod si non fuit, videtur quòd sicuti homini multa, quibus illum divina clementia beaverat, per peccatum perdi contigit, (amisit quippè ceterorum animantium respectum, & majestatem illam, quâ ab illis coli, & venerari, tanquam Rex debuerat &c.) sic possibile fuerit, ut malorum angelorum naturam materiæ subjectam fecerit Deus, in supplicium superbiæ & peccati illorum. Secundò: Si ita non esset, non foret in Ecclesia suffituum usus, ut dæmonia expellerentur, quia alioquin superstitiosus foret. In *flagello dæmonum* jubetur, ut sulphuris suffitu perfundatur energumenus, & *Dioscorides* sulphur ad hoc multùm prodesse commendat; quod hodiè à Sacerdotibus factitari videmus, ut corpora obsidentes abigant: nam & antiquorum fuit mos, ut illius fumo domus ab iniquis spiritibus purgarentur; sic Vlyssem legimus, porcorum formas ut expelleret, in quos crudeli nece sævierat, domum sulphuris halitu expiâsse. *Exorcismo* 4. ejusdem operis præcipitur, ut ruta naribus admoveatur. *Exorcis.* 6. in ignem injici jubetur sulphur, galbanum, ruta, hypericon, & aristolochia; quæ si essent fabulosa, non utique illorum usum Ecclesia commendaret. Hypericon dæmonia exterminare docet *Lullius*, & ob eandem causam circà lectulos enixarum cremari ait *Mathiolus*. Targus *in 4. Canticorum* dæmones ait thure suffito expelli: huic opinioni favet Barthol. Fajus *in suo energumenico*, qui asserit naturalibus rebus ab initio suæ creationis virtutem aliquam contrà malos spiritus à Deo concessam; quod etiam tenet *Pet. Gregorius Tholosanus*, qui in naturalibus credit adversus illos aliquam esse efficaciam; quibus assentiri videtur *Grillandus*: si enim quandam sensitivam potentiam in angelis creavit Deus, quantumvis spiritualem, per quam passionibus rerum naturalium subjicerentur, & ignis infernalis actionem paterentur, ut ex *D. Augustino* tradit *Ioan. de Rupes*, consequens est credere, & aliarum substantiarum naturalium vim sentire posse; quæ multorum medicorum etiam concors est opinio, quam sequitur Cardanus *in medicinæ encomio*, ubi hanc artem animos à superstitione vindicare ausus est dicere, & complures alii apud Delrium citati; & apud Zacchiam *lib. 2. titul. 1. quæst. 18.*

5.

Exorc. 3.

Lib. de rit. & ani-ma.

Lib. de quinta essentia cap. 9.

6.

Sed pro contraria sententia stat veritas, quæ docet res naturales in dæmones agere non posse; quia directè & per se potestatem non habent illos cogendi, ut accedant, appareant, fugiant, aut aliquid pro arbitrio nostro ad talium rerum approximationem faciant, vel desinant facere: ideò naturalia remedia ad maleficia illicita esse tenet D. Thomas 2.2. *quæst. 96. & contra gentes 4. cap. 104. & 105.* Vuipina *cap. penult. de superstitione.* Navarrus *in manuali cap. 11. & 25.* Spingerus *in Malleo part. 1. quæst. 8. & part. 2. quæst. 6.* Sanchez de *matrimonio*, & innumeri alii; nam res istæ, ut causæ, nec adhiberi, nec operari possunt, quia nulla virtus illis inest ad talem effectum; qui tamen effectus si sequatur, adhibentur & operantur ut signa, sed non ut Sacramenta, quia talia non sunt; ergò ut signa pacti occulti cum dæmone: prædictis enim rebus, quatenùs propriis viribus consideratis, non magis dæmon movetur, quàm lapis. Quarè rectè *D. Augustinus* concludit adversus Porphyrium, qui dicebat dæmones allici per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, non virtute talium rerum fieri, sed potius signa esse honoris illi exhibiti, cujus maximè cupidus est. Rationibus etiam hoc apertè sic convincitur: Agentis actio, ut operetur, aptitudinem debet habere cum subjecto in quo agit, & eadem in patiente requiritur ut patiatur: sed inter substantias corporeas & incorporeas nulla est proportio; ergo nulla actio. Patet, quia repugnat Principio physico, ut virtus superior inferiori obediat; ergò effectus nullus erit: quia nec agentis naturalis vis

7.

Lib. 21. de civit. Dei cap. 6.

ad

ad supernaturalem extenditur, nec supernaturalis substantia illius actioni subordinatur; ergò nec pati, nec obedire poterit. Et ad illud quod dicebatur, quòd scilicet propter peccatum possibile fuerit, ut in supplicium Deus superbiam illam conterens, subjectam reddiderit illorum naturam, ut à sensibilibus substantiis alteraretur; dicimus hoc facere potuisse, si voluisset: de facto tamen fecisse non constat, cùm quotidianæ experientiæ hoc non correspondeat, quia tantùm ad illatam ignis infernalis pœnam passibilitatem illis addidit, aut ignis actionem elevavit; nec ultrà angelicæ naturæ aliquid subtraxisse, vel addidisse pervulgata ac constans est opinio. Secundò: Quæ incorporea sunt, corruptioni obnoxia non sunt: sed quæ corruptioni obnoxia non sunt, ideò sunt talia, quia nec sensum passibilem habent, nec sensuum organa; ergò cùm istis omnibus careant dæmones, nec dolore nec voluptate à sensibilibus affici poterunt. Hoc autem quatenùs ad naturalium vires intelligi volumus; siquidem supernaturaliter naturalibus rebus potuit Deus vim intendere, v. g. igni, ut eo torqueantur, quemadmodum etiam S S. Crucis signo, & sanctis Ecclesiæ verbis: quod adeò verum est, ut nullâ probatione ampliùs indigeat, de quo dubitare impium foret. Sed his pro utraque parte adductis sit

[margin: ...onclu-] *Prima conclusio.* In naturalibus nil invenitur, nec inveniri poterit, quod directè dæmonem compellere possit, ut stationem & obsessi corpus derelinquat: hoc satis [margin: ...onclus.] ex modò dictis probatum est. *Secunda conclusio.* Indirectè multa sunt quæ naturaliter & variis modis, non per vim cogendo, sed multò aliter operando illum fugare possunt. Hujus opinionis sunt Theologi, ac medici, & alii ferè omnes, inter quos Dionysius Carthusianus Parisiensis, *parte finali de universo*, Lævinus Lemnius, Cæsalpinus, Torreblanca Villalpandus. Et primò constat, dæmonem pessimis & fœdis humoribus delectari, præcipuè melancholicis, qui præviam quandam dispositionem inducunt, ut tanquam in balneo sibi proprio commoretur; talis quippe humor assiduo mœrore, & mœstitiâ cubiculum ei præparat: propterea optimè dicebat Chrysostomus: *Omni diabolicâ actione potentior ad nocendum est mœroris magnitudo; quia dæmon quoscumque superat, per mœrorem superat.* Sed talis humor remediis naturalibus

[margin: In Tob. cap. 8. Levi. Lem. lib. 2. de occult. Cæsalp. lib. de invest. dæm. Torreblan. lib. 2. de mag.]

10. absumi potest; ergò ob defectum istius humoris & dispositionis ab illo inductæ corpus deserere poterit: atque ita de facto accidisse scribit *Erasmus*, in illo qui vermium copiam ejecit, à Panacæo medico purgatus, ac se testem fuisse ait. *Pomponatius* etiam de Francisci Magreti uxore narrat, quam, cùm melancholica esset, ac variis linguis loqueretur, elleboro à Calceario medico purgatam, furore liberavit, & simul linguarum peritiam sustulit: idem ferè de alia muliere recitat Rhodiginus. Martinus etiam Rulandus dæmoniacum & maniacum curâsse scribit, corpore ab atrâ bile purgato; quibus assentitur Langius *tom. 2. epist.* 32. Wierus *lib. de curat. læs. malefic.* 28. C. Lucius *de obs. propriis*, & Schenckius *lib.* 1. *cap. de dæmoniacis.* Postquam enim ampliùs subjectum aptum ac dispositum non invenit, sedem illam relinquit dæmon, alioque migrat: quarè medicamentis idoneis talium curationem impossibilem non esse conjectandum est. Quo sanè modo maleficiatis prodesse poterunt sena, lapis lasuli, veratrum, elleborus, & quæcumque alia quæ tristem, nigrum, fœtidum, & turbulentum illum humorem expellere valent; nam & priscos exorcistas inquit *Pomponatius* apud *Langium*, obsessorum corpora antè conjurationem ab atra bile expurgare consuevisse; firmat Codronchus citatus, Victoria *in relat. de magia quæst.* 6. Vallesius *in sacra philosoph. cap.* 28. Rhaphaël de la Torre *art.* 2. *disp.* 12. Atque ita probatur dæmonem per naturales causas adstringi posse, quæ etsi directè non cogant, indirectè tamen efficere valebunt, ut locum deserat; ideoque elleborus, medicamentum, quod melancholicum humorem strenuè evacuat, ab aliquibus non immeritò fuga dæmonis, potiori jure quàm hypericon appellatum est. Tam enim aptè cum

[margin: Lib. 3. de provid. ad Stagil. In declamat. pro laudib. medic. Lib. 4. de incantat. cap. 4. Lib 17. antiq. lect. cap. 1. Rul. cent. 3 curat. 100. & consil. cent. 3. probl. 1. Tom. 2. epist. 34.]

11. pessimo hoc humore dæmon convenit, ut non solùm illo evacuato & deficiente aliquando recedat, sed illius etiam feritate delinitâ compesci posse autument, ut in Saüle, quem cùm gravissimâ excitatâ à diabolo melancholiâ atque animi angore laborare animadverteret Divinus Psaltes, arreptâ statim cytharâ, harmonico & dulci concentu pessimum ac furentem humorem temperabat: quanta enim musicæ sit vis ad hominum affectus immittendos, auferendos, atque moderandos testantur *Quintilianus*, *à Porta*, *Gellius*, *Plutarchus*, & passim toto suo opere *Rhodiginus*: nec tacuit Cicero 2. *de lege*, qui ait *Mentem demulceri suavi varioq; citharæ vocisq; cantu: hac namque ad animum parandum, ut medicinâ ad corpus sublevandum, usi sunt antiqui, &c.*

[margin: Lib. de musicæ laudib. Porta. lib. 2. mag. Gell. lib. 4. cap. 8. & 16. cap. 19. Plut. lib. de music.]

Sequitur Macrobius *lib. 2. de somno Scip.* apud quem etiam *comm. l. 2. 5.* ægris remedia præstantes, præcinere dicuntur; & musicæ vim in morbos admirandam uberiori oratione explicat Cassiodorus *lib. 2. var. cap. 4.* Equidem sono sive voce, sive flatu, sive manu artificiosè excitato, magnam vim inesse in movendis demulcendisque hominum animis nemo ignorat; quod plurimis antiquorum historiis in nostro Nicomede abundè ostendimus: quandoquidem in eo ad pugnam hortamenta etiam invenêre, qui cum *Virgilio* nôrunt

Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.

12\. Sic porrò quascumque alias affectiones immittit, retrahitque: sic nautæ, sic vinitores, ac viatores, & quotquot manuum fatigant opera, ingens in cantu laborum lenimen inveniunt; nec ipsi infantes aspernantur, qui suavi nutricum modulamine à fletu cessantes, mox soporati altùm conticescunt. *Affectibus quippe obnoxia animæ pars* (inquit Galenus) *cùm sit irrationalis, ipsa sanè motibus quibusdam irrationabilibus, & excitari & sedari per musicam potest.* Hoc pacto de Damone musico narrat idem, qui tibicinæ, quæ adolescentibus quibusdam temulentis insanaque agentibus Phrygium canebat, mutare modum in Dorium jussit, ac continuò illi à temerario impetu destiterunt. Plura afferre possem, sed hæc obiter. Quid igitur mirum, si confectum exulceratumque mœrore furibundum Saülis animum, iis nonnihil leniri, & in ordinem cogi posse medicorum sententia invaluerit? cùm melancholicus Regis fuerit morbus, & forsan, quem nos ἐκμανίαν appellamus, & obsidentis jam dæmonis signa præstaret; quod medici consulti agnoscentes dixerunt: *Ecce spiritus Dei malus exagitat te.*

6. Æneid.

Lib. 5. de Hippocr. & Plat. decretis. c. 6.

1. Reg. 16.

13\. Sed quæritur, an remedium quod Regi consuluerunt, citharæ nempe & musicæ, tantam vim habere potuisset, ut non solùm à furore melancholico relevaretur Saul, & leniùs haberet, sed obsidentem quoque compesceret dæmonem? Ego cum Vallesio *de sacra philosoph. cap. 16. & 28* graviter hallucinari existimarem, qui omne tollendi morbum in organicis canendi & pulsandi instrumentis præsidium collocarent; quia dira sathanæ exagitatio nullâ cantilenâ, nec chordâ reprimi unquam poterit; suavissimo licèt concentu vel ipsos silices, & Marpesia saxa emolliant, stabit contrà immotus insensibilisque veterator ille spiritus, nec latum quidem unguem discedet, nisi flagellantis Dei dextrâ compulsus. Quare arbitror cum Theologis, profuisse quidem remedium partim ut ad melancholiam demulcendam optimum, ac de cætero speciali aliquo privilegio & Dei auxiliantis favore divinum Psaltem obtinuisse, ut dæmonis insultus compescere, ac frænare posset: cùm per obscuras has ambages, haud facilè cuiquam observandas, accitum in regiam aulam voluerit juvenem, quem ad regalem dignitatem aliquandò promovere decreverat, ut jam gratiâ apud aulicos, & populares acceptus foret. Sin minùs, cum *Drexelio* existimandum, Davidem non solùm ut musicum, sed ut poëtam, & psaltem sacrum, divinam atque occultam vim adversùs malum illum genium habuisse; partim etiam quòd non suavibus tantùm, sed & piis sanctisque modulis laborantem Regem reficeret, à quibus dæmon abhorrebat; jam enim anteà ruri similia componere, & canere, Deo dictante consueverat.

In David. cap. 3.

3\. Conclus. *Tertia Conclusio.* Non solùm remediis naturalibus, quæ humorem illum depellant,

14\. & simul dispositionem habitationi dæmonis requisitam auferant, malignus spiritus fugari poterit, modo jam dicto; sed etiam mediis aliis, nimirùm si ex fœtidis, irrisibilibus, & contemptibilibus rebus parentur suffumigia: atque ita compertum est cornuum suffitu, galbani, stercoris caprini, animalium ungulis, & similibus, corpora reliquisse. Quia cùm hæc omnia, quæ circà obsessorum corpora fiunt, in diaboli despectum tendant, & ludibrium superbiæ illius; & cùm alioquin divinos honores ac cultum ardenter appetat, sitque injuriæ intolerabilis, fugere potiùs vult, quàm talia pati: hujuscemodi multa, ex *Galeno, Plinio, Dioscoride*, collegit *Delrius.* Nec valet cujusdam anonymi argumentum, dicentis spiritum illum nequam alterationis esse incapacem; ideò nec sensitivam potentiam habere naturalium respectu, ut ab illis aliquid patiatur, & fœtida aversetur: quippe hæc non præstant effectum, dum tristem, & dolorosum sensum præbent, nec quemadmodum naturalia corpora sic ab illis alterantur; sed mente tantum ludibrium & despectum concipiens, ac injuriam devitans, quorum capax est, & (cùm gloriam & cultum maximè affectet) tantum contemptum ferre non potens, corpus deserere potiùs vult, quàm ludibrium ferre; atque ita hoc modo indirectè abigi posse dubitandum non est. Quocircà putave-

Lib. 3. mag. cap. 2. sect. 2.

taverim, & sulphuris halitum ad idem prodesse. Nam aliter dicere, sulphur, quod carceris infernalis figura sit, & hujusmodi si quæ sunt alia, ex quadam juvare hypothesi, quia signa recordatoria sunt pœnarum, & illarum memoriam ingerunt, quemadmodum adamas, qui obstinati ejus animi duritiem prætendit, ut docet *Marbodeus*, & gagas, qui tristitiam denotat, in quam dæmon ad finem usque est detrusus, mera mihi videntur somnia; quia sic omnia dura & nigro colore perfusa ad idem valerent, cùm nulla sit major ratio unius, quàm alterius. Nec etiam credo pœnarum ullam memoriam aliquid facere posse, quia diabolus ubicumque sit, inferni dolorem & pœnam secum portat, quæ per se satis sufficiens est, ut illarum recordetur; nec fœtidus aut infernalis halitus aliquid poterit adaugere, cùm potentiora sint tormenta, quæ, quocumque tendat, illum cruciant, & sine intermissione patitur: quarè per ludibrium tantùm & despectum sulphur & fœtida omnia, aut amara, effectum aliquando præstare posse dicerem; eodem modo galbanum, & asini pellem ipso *Marbodeo* referente, aptissimum tali hospiti stratum.

Nec etiam assentior illis, qui ense per aërem vibrato fugari posse dæmonem arbitrantur; quia (inquiunt) timet, ne assumptum aërium corpus dissecetur, ut Petrus Thirræus, Macrobius, Rhodiginus, & 6. *ænead.* Virgilius:

Tuq; invade viam, vaginâq; eripe ferrum.

Sed ridiculus nulliusque utilitatis labor, quod & idem *Virgilius* ipso naturæ lumine edoctus perspexit, ac frustrà moliri docuit eodem libro:

Irruat, & frustrà ferro diverberet umbras.

Fabulosum enim esse doctè probat Delrius *lib. 6. cap. 2. sect. 1. quæst. 1.* quippe non semper formato corpore aërio accedit, nec si accedat, minor illi est agilitas, quàm vibrati ensis, ut recedat, & ictum deludat; quin non magis hoc timet quàm culicem elephas, ut idem ait *Delrius*, & doctissimus *Cerda*. Nam incorporea à corporibus pati non posse, unanimi omnium philosophorum sententiâ, exceptis solis Epicuræis, pervulgatum est; namque & ita Lucretius:

At facere, & fungi sine corpore nulla potest res.

Præterquam quòd sensum nullum obtinent, ac proptereà dolorem nullum pati possunt; quidquid aliter putaverit Rhodiginus citatus: quare etiamsi aërium assumptum corpus amputetur, aut percutiatur, nihil inde doloris percipiet, quia divisionem illam momento citiùs colligere & unire potest, ut divisa aqua aut aër promptissimè reduniuntur, & in unum corpus redeunt. De campanarum Ecclesiæ sonitu alia est ratio, cùm prædictus sonus multò aliter operetur, divinorum scilicèt memoriam, & approximationis timorem incutiendo, quidquid *Durandus*, & *Ioan. And.* naturaliter prodesse dicant, quos sequuntur *Grillandus*, *Remigius*, & alii corporali illâ divisione decepti.

Sed multò aliter, naturaliter etiam herbis & plantis abigi posse dicimus, sive intrà sumptis sive extrà appositis: quoties enim mediis naturalibus ad lædendum dæmon utitur, si dispositionis inductæ causa nota fuerit, dubium non est, quòd contraria dispositio per remedia naturalia inducta læsionem tollere possit, si nil ultrà ex sua malitia dæmon addat; quia tunc licèt à dæmone, naturalis tantûm erit morbus à causa externa proveniens, & curatio etiam naturali remedio conquisita. Et in hoc sensu permittitur, ut energumeni herbas & lapides gestent, & alia naturalia: sic pæoniam commendat *Plinius*, hypericum & verbenam *Dioscorides*, & spinam albam *Ovidius*, & alia innumera apud eundem *Plinium, Æsium, Rhasim* occurrunt: nam si piè & devotè adhibeantur tanquam instrumenta divinæ justitiæ, maleficia impedire poterunt, & noxam pellere; quia Deus simul cum virtute naturali concurrit, ut tenet *Ricardus*. Prætereà sunt & aliæ plantæ, quæ altiori virtute adversùs dæmonem multùm prodesse creduntur, quemadmodum de pentaphyllo scribit *Dioscorides*, quod ad expiationes contrà malignos spiritus inciditur; & *Nierembergius* hanc plantam etiam dici pedem Christi ait, de qua tradit quòd, per quamcumque partem radix scindatur, impressam crucis figuram exhibeat; quod non in omnibus, sed in aliquibus inveniri scribit: quarè ex hac causa non mirum si dæmon herbam fugiat, ob crucis signaturam, cum qua perpetuas gerit inimicitias; idque non foret à planta fugere, sed à cruce. Licèt, ut idem auctor inquit, non immeritò aliquis fuerit suspicatus, quòd hujusmodi plantæ propter signum instrumenti redemptionis, virtutem aliquam naturæ illius non debitam potuerit Deus annectere; quamvis sine ullo no-

Parte. 3. de locis infect. cap. 53.
Lib. 5. saturnal.
Lib. 2. lect. antiq. c. 8.
In comment. ad Virg.
De ritu Eccles. Lib 1. c. 21
De officio cust. cap. 1.
Fastor. 6.
Quodlib. 3 quæst. 8.
Lib. 4. c. 43
Lib. 1. curiosæ phil. cap. 50.

novo miraculo crucis figuram abhorreant mali spiritus, ut propterea non semper supernaturalis vis necessaria sit, cùm naturaliter illius præsentiam ferre non possint. Prædictis ergò modis sensibilia & naturalia, indirectè tamen, juvare posse ex plurimorum sententia patet; multò aliter crucis signum, quod tanquam divinum remedium directè operatur, sicuti cætera quibus Ecclesia utitur: de quibus abundè *Delrius*, *Villalpandus*, *Spingerus*, & author flagelli, cum innumeris ibi citatis. Nos verò hìc de naturalibus agere decrevimus, atque ideò de superstitiosis etiam dicere supersedimus, & an licitum sit eisdem uti.

Sed adhuc restant explicanda duo: nimirùm an radix illa Eleazari, quam herbæ Baaras fuisse tradit *Iosephus*, tantam naturaliter potentiam habuerit, ut obsessum ab obsidente dæmone statim liberaret? Secundò, an jecur illius piscis eâdem virtute præditum fuerit, ut ejus suffumigium omne dæmonum genus averteret, quemadmodum expressè Angelus Tobiam docuit? 19. Quoad primum constans est omnium opinio, Eleazarum illum magum ac superstitiosum fuisse, & per signum pacti talia operari potuisse, non radicis ullâ physicâ virtute, ut apertè monet *Delrius*; & Bodinus *in Dæmonomania* perniciosum dicit esse illorum errorem, credentium hujus radicis efficaciâ dæmonem abigi potuisse. Quare cùm hoc merum fuerit commentum, ad secundum accedendum; nam Angelo id asserente fabulosum putare videretur impium, cùm apertè dixerit: *Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Quod posteà factum ac probatum legimus, sicuti Angelus dixerat: *Ipsâ autem nocte incenso jecore piscis fugabitur dæmonium.* Multorum fuit opinio Asmodæum partim vi naturalis remedii indirectè, partim directè jejuniis, & orationibus Saræ, & Angeli virtute depulsum, qui diabolum in deserto ligavit: quomodò autem remedium prodesse potuerit, *Nierembergius* citatus sic conatur explicare. Supponit ergò dæmonem alios occupare, aliis exteriùs tantùm assistere; & in hoc secundo sensu Asmodæum Saram corpore aliquo ex aëre formato extrinsecè occupatam habuisse, cordis verò illius halitum forsan ad aërium illud corpus dissipandum naturalem vim præstare valuisse. Sed hoc ad libitum videtur excogitari; quia aërium illud corpus vel naturaliter tantùm sine diabolica aliqua supernaturali virtute additâ persistebat, vel cum illa: primo modo cujusvis rei calidæ approximatio, aut evaporatio sufficiens erat ad illud attenuandum, & dissipandum; quia quæ à naturali tantùm causa dependent, quibuslibet appropriatis naturalibus obediunt: si verò secundo modo, & diaboli vafricie compactum erat, simul & mali spiritûs existentiam habens, nulla est ratio quæ possit inducere, ut ad cordis piscis suffitum recederet. Quia quàmvis aëria illa condensatio aliquo modo deficeret, & dissiparetur, tamen malignus spiritus permanere debebat; & cùm periculum ab illo, non à nube dimanaret, quid refert an condensatus aër dissiparetur? Præterquam quòd, si necessaria foret illa aëris condensatio, per contrariam alterationem potuisset dæmon ad crassitudinem illam momento reducere: sed aëris illam divisionem jam suprà nihil præstare docuimus.

Martinus Delrius, quamvis suffumigationem illam indirectè ad dæmonem pel- 20. lendum aliquid valuisse adstruat, modum tamen, quo id facere posset, tacuit: quarè, inquit, tota actio Angelo tribuitur, qui in deserto spiritum ligavit, directeque expulit, & ipsum compescuit: *Tunc Rhaphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Quarè cordis vim illam non literali, sed prophetico & allegorico sensu ad Christum Dominum referendam putat cum beato *Prospero*: piscis siquidem ille Christum Dominum prætendebat, cujus passione & dæmones ab orbe pulsi sunt, & humano generi restitutâ mentis illustratione per gratiam cæcitas fuit sublata, ut *colloq.* 9. optimè tradit *Majolus*. Cætera apud ipsum *Delrium* vide, & citatos ibi *Augustinum* & *Tertullianum*. Alii tam severi sunt judices, & censores, ut vel propter hanc historiam de veritate, & auctoritate libri Tobiæ dubitent, ac ideò ex syncero S S. literarum Canone expungendum putent cum *Hugone Cardinali*, qui librum illum apocryphum censuit, & *Dionysio Carthusiano*, qui ait Tobiæ librum non accenseri canoni sacrarum literarum; quamvis de veritate illius non dubitetur: in cujus confirmationem addunt, quòd Raphaël modò Tobiæ filio se Israeliticæ gentis prosapiâ, modò Rageli persuasum voluerit se Niniviticæ captivitatis participem ex tribu Neptalim oriundum; quod inquiunt, integritati & Angelorum naturæ repugnare.

Sed quidquid *Hugo*, & *Carthusianus* censeant, talem circà Tobiæ librum opinionem,

Lib. mag. 27. le | Lib. riosa cap. | Lib. quæst. sect. 3 | Tobiæ | lib. Pr p. 2 c. | Lib. 1. 3. q. 4.

nem multorum hæreticorum fuisse, scribit *Delrius*; quin & hodiè esse *Ioan. Vuesterburgius* apud *Beverovicium* (ambo Calvinianæ sectæ, & pravitatis alumni) clarè ostendit, cùm Tobiæ historiam non alio loco, nisi pro putidissimo alicujus somniantis Iudæi commento habendam procacissimè dicere non vereatur. Sed hæc Theologis relinquamus, interim pro veris & sacris tenentes illa, quæ Ecclesia Romana, & sacra Tridentina Synodus docet, tenet, ac servare jubet: recondita quippè Dei mysteria altiora, quàm ut mortalibus oculis pervestigentur, credimus, ac confitemur. Quarè cùm Angelus fumum illum ad omne genus dæmoniorum extricandum valere Tobiam docuerit, forsan vim habere non immeritò suspicandum adversùs naturale aliquod medium ab ipsis malignis spiritibus frequenter usitatum, nobis verò ignotum; quod indirectè semper accipiendum. Atque ita quamvis aliqui instent Servatorem nostrum dixisse: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & jejunio*; & Apostolum, cùm omnem armaturam doceret ad resistendum insidiis diaboli, cordis hujus piscis haud meminisse: non ideò hæc remedia statim ableganda, & alia multa quæ apud exorcistas leguntur, quarum usum Ecclesia non tollit; quia ibi directa auxilia docentur, qualia sunt divina omnia, & firmissimum præsertim fidei scutum, ut *D. Petrus* etiam monuit, quo nequam istius jacula franguntur. Solis enim mediis sensibilibus nullam contrà diaboli technas vim inesse, ut certissimum habendum; nam cum incorporeus sit, existimare rebus illum externis, aut ullis humanis moveri affectibus, extremæ dementiæ foret, cum rerum corporearum ad incorporeas operatio omnis inanis sit, quæ illum non minus, quam cantus saxa, emolliunt. Ad Deum igitur confugiendum, cujus arbitrio & potestate sicuti ille tantùm lædere potest, ita & cruciari, ac pelli, ut latius monet *D. Augustinus*: nam licèt aliquando ad naturalium applicationem obedire & recedere videatur, absit, ut talium virtute id fieri credas; siquidem hoc potius voluntariè fingit, ut homines in errore teneat, & possideat magis, ut advertit *Lyranus*. Sed jam de hoc satis. De morbis verò dæmonum astutiâ, & diabolicâ arte superstitiosè immissis infrà horrenda ac rarissima exempla tibi referam *quæst.* 97.

In epist. de vitæ termino. epist. ult.

22. *In quæst. ad Simp.*

Sed quandò de naturalibus remediis, quibus dæmon fugari possit, paucula hæc adnotavimus, unum adhuc superest non utique omittendum, quod multi nec indocti viri, ut verissimum, non sine fulgenti naturæ lumine adstruunt: Potentissimum scilicèt Regem nostrum Hispaniarum, insignem adversùs malos spiritus vim obtinere, ut solâ præsentiâ illos ab obsessorum corporibus fugare atque abigere valeat. Hoc ut certissimum asserunt non contemnendi, imò doctissimi, ac probatissimi auctores, quibus vel solis affirmantibus fides omnis deberetur, Carolus Tapia *de constit. Principis in rub. cap. 1. nu. 3.* Henricus Kormanus *lib. de miraculis vivorum*. Besoldus *in dissertat. polit. juridica. De majestate in genere cap. 2. nu. 3.* Fr. Ioan. de la Puente *lib. 2. cap. 6.* Camillus Borellus *de præstantia Regis Catholici. cap. 55. num. 2.* Delrius *disquis. magicarum lib. 1. cap. 3. quæst. 4.* Valdes. *de dignit. Regum Hisp. cap. 15. nu. 13.* Chassanæus *in catalog. parte 5. consid. 1.* ex postremis D. Joan. Solorçano, Ioseph. Pellicerius, Euseb. Nierembergius, omnium ultimus P. Hernandus Castrillo *in magia naturali*.

23. *De jure Indiarum.*

An verò hæc virtus naturalis esse possit, dubitârunt plurimi; ex quibus aliqui affirmare ausi sunt, hoc præcipuo argumento moti, quia in multis Regibus ac Principibus observatum est, eos eximiis virtutibus ad quosdam miraculosos effectus naturaliter præditos fuisse. De Pyrrho, & Vespasiano narratur, solo tactu ægritudines eos persanâsse; & Agrippam annulo, qui fuit Augusti, multos sanitati restituisse scribit *Dion*. Hoc pacto non defuerunt, qui Galliarum Regum virtutem ad sanandas strumas naturalem esse judicarent, sicuti Angliæ Regum ad epilepsiam sanandam: quo etiam modo hanc virtutem ad fugandos dæmones naturaliter innatam ex proprio sanguine, & regali ascendentia promanantem, Reges Hispaniæ obtinuisse, sunt qui sic persuasi scribere non dubitârunt; occultamque hanc vim ad quandam & certam elementorum mixtionem, & ob tacitum & particularem siderum & planetarum influxum taliter dispositum oriri, unde hæc resultet virtus, sicuti in aliis aliæ, ad varios sanandos morbos. Sed hæc Philosophia admodum astrologica est, & cum bonâ ut quadrare possit, nullus efficiet: quippe talis virtus omni humanâ naturâ, & illius viribus superior est, omni elemento, omni denique mixtione & qualitatibus ab ipsa,

24.

25.

aut ab astris resultantibus; quarè impossibile est, ut ab aliquo istorum dimanare possit. Præterea si ita foret, peculiaris in aliquo Regum tantùm inveniretur, minimè in omnibus, cum talem elementorum mixtionem aut astrorum influxum in omnibus aut pluribus admittere & inveniri posse tam impossibile foret, ac incongruum est talia excogitare. Quod verò in assumptum, & pro exemplo afferunt de aliis Regibus ethnicis, merum est figmentum, aut saltem diabolica superstitio fuit, ut *quæst.* 24. suprà latiùs adnotavimus: nam cùm virtutem illam naturalem fuisse vix credibile sit, multò minùs tantam gratiam gentilibus Deum concedere voluisse, conjectari facilè potest. Tandem si ob prædictas causas talis virtus naturalis possibilis esset, in aliquo etiam, ubi ipsæ concurrerunt, inveniri posset. Quarè cùm ex hoc capite nullo modo talis virtus dimanare possit, cùm suprà omnem mixtionem elementorum, & planetarum vim superior sit, & humanæ naturæ vires excedat, à qua Reges quantumvis augustissimi immunes esse non possunt; aliter hujus insignis, & admirabilis effectûs causa investiganda est. Nam dicere, ut aliqui putârunt, quòd non directè, sed adversùs aliquod medium naturale, quo dæmon forsitan frequenter utitur, illa Regum virtus prævalere possit, ut hoc destructo & ipse recedat; quemadmodum de aliquibus plantis, gemmis, & fumo cordis callyonimi piscis aliqui excogitârunt; hoc, inquam, nec facilè credi, nec probari potest, quatenùs ad naturalem vim, quia ex parte suppositi eadem manet difficultas, cùm dicta qualitas & vis in omnibus per traducem, aut hæreditario jure inveniri deberet; quod impossibile videtur: deindè ut ita accideret, & qualitas illa operaretur, oportebat ut semper, ac eodem modo eisdem causis & mediis dæmon uteretur; quod nullus dixit, aut affirmare poterit, cùm veterator ille infinita machinari possit, ut non solùm lædat, sed illudat.

Igitur, si verum est, quod circà hanc rem tot viri doctissimi ut certum stabiliunt, & ut credamus non leves conjecturæ, nec contemnendæ movent; quæ in arduo hoc casu ingenii tenuitate assequi potui, aggredior jam dicere, facem libenter aliis tradens, quorum clariori intellectûs lumine adjuta majorem huic veritati lucem afferat.

Absit itaque invidia, absit patrius amor, ipseque proprii domini affectus absit, veritas ipsa solidis tamen conjecturis innixa loquatur: & (ut liberè proferam) tantæ hujus & rarissimæ efficaciæ adversùs malum genium mihi triplex occurrit causa, altera miraculosa ex parte Dei, altera supernaturalis ex parte dæmonis, ultima naturalis, quæ suo modo ad miraculosas reduci debet; sic enim eas libuit distinguere & appellare. Et ut ab ultima incipiamus, admiratione dignum est, quòd celeberrimi, ac doctissimi auctores literis tradiderunt, de peculiaribus donis Regum, & Principum nonnullorum ad ægros sanandos, de quibus non pauca collegit *Philippus Camerarius*: de Pyrrhi Regis digito, ut notissimum, in illius vita refert *Plutarchus*, cujus tantummodò tactu lienosos persanabat: ferè eadem de Achille scribit *Homerus*. Non minora sunt, quæ de Vespasiano Suetonius: *E plebe (ait) luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonstratam à Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset, ideoq; nec experiri auderet; extremò hortantibus amicis, palàm pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit.* De Adriano ferè eadem *Suetonius*, & ex Spartiano affert *Rhodiginus*, qui cæcum ex Pannonia venientem contactu sanavit; quo etiam vitio laborantem vetulam aliam visum recuperâsse, cùm illius genua osculata esset, idem *Spartianus* narrat, ut *quæst.* 24. uberiùs jam adduximus. Aliis etiam insignibus donis clarissimos alios Principes à natura dotatos fuisse legimus: Augustum Octavianum refert *Suetonius*, adeò splendidos habuisse oculos, ut acriùs in aliquem contuendo, is quasi ad solis fulgorem vultum submitteret; ac simili oculorum lumine noctu cuncta vidisse Tiberium, præter eundem *Tranquillum*, auctores sunt *Plinius*, & *Aul. Gellius*; quod & de Alexandro Magno, ut noctu non secùs atque interdiu cuncta videret, refert Kormanus *de linea amoris cap.* 1. Illud verò ut certissimum quamplurimi tradunt, & præter Plutarchum in illius vita, ex Joan. Monacho refert Rhodiginus *lib.* 22. *cap.* 20. *& lib.* 29. *cap.* 17. ex illius scilicèt corpore & ore, membrisque omnibus fragrantiam mirè suavem emanâsse, ac aromaticam præstantissimam; adeò ut vestes jucundissimo odore subinde opplerentur. Vt jam appareat naturam in magnis Heroibus, & in supremæ majestatis præcipuè Monarchis, insigne aliquid addere voluisse; ut cæteros homines, quibus imperare debebant, non dignitate so-

26. Cent. 3. rarum lect. cap. 42. In Vespa. cap. 7. Lib. 2. Lib. 11. cap. 13. In illius vita. Cap. 68. Plin. lib. 11. cap. 37. Gell. lib. noct. Att. cap. 4. Kor. de linea amoris cap. 1.

27.

solum antecellerent, sed insigni virtutis aliquâ prærogativâ, ac gratuito naturæ dono aliis minimè communi subindè insignirentur. Quare cùm hoc in tot Regibus, adhuc Ethnicis & gentilibus observatum toties fuerit; consequens erat, Catholicissimo Regi, & imperii dominatione cæteris majori, magnum aliquid & admirandum naturam addere voluisse; atque hoc non corporeum, sed potiùs angelicum, ac prorsùs divinum: *Non enim mirandum*, de eodem Alexandro (quod de Philippo nostro meritò dicendum) Kormanus inquit, *naturam in domitore mundi monarcha peculiare quidpiam ostendere voluisse, quod reliquis hominibus communem servans modum denegaverit.*

3. Cæterùm quando hoc commune cum ethnicis Regibus Christiani quoque habuerint, ut in illis superstitionis non defuit opinio, ita in his consentaneum magis videbitur eximios fidei promotores, & Christianæ veritatis acerrimos defensores, Deum gratis datâ aliquâ insigni virtute, & peculiari cæli favore beare voluisse. Hoc pacto olim Angliæ Regibus Herculei morbi sanandi donum concessit, Galliæ ad curandas strumas virtutem addidit, quam & Aragoniæ habuisse, testatur *Beuterus*. Sed Hispaniarum Regi, utpotè imperii magnitudine, & veræ fidei præstantiâ eminenti, ac tanquam inclyto ac potissimo Catholicæ Ecclesiæ non tantùm athletæ, sed Athlanti maximo, propugnatori ac defensori vigilantissimo, majus aliquid impertiri placuit; quo non solùm supereminentis majestatis splendor, sed reconditæ etiam divinitatis, humano licèt pectore, inclusa vis effulgeret; sicque hanc malignis spiritibus adeò adversam virtutem impressit. Quandoquidem, ut ex pervulgata historia nemo non novit, humilis illa ad sanctissimum Christi Corpus reverentia, & obsequium Habsburgicis Comitibus non majoris claritatis, & regalis ascendentiæ initia tantum dederit, sed divinam quoque beneficentiam ad supernaturalia dona retribuenda fortassis compulerit, quæ in familiæ potentissimo pariter ac Catholicissimo Principe præcipuè elucescerent; atque ita insignis hujus virtutis miraculosam hanc causam, ac gratiam gratis datam potissimam assignamus. Sed & tertiam ex parte dæmonis addere placet. Traditum à Cassiano legimus *Collat. Patr.* 14. *lib.* 2. *cap.* 7. ex quo refert Majolus, *colloq.* 3. de olitore, quòd annos undecim uxori cohabitasset, ac virginem perpetuò servasset, dæmonium statim illo conspecto fugisse ab obsesso. Quin ex venerabili Beda *Ang. hist. lib.* 4. *cap.* 28. enarrat idem Majolus, Farnensium insulam Lindem dæmonum frequentiâ infamem, ac propterea incultam, frugum, arborumque expertem fuisse, & quod majus est, etiam aquæ erat penuria; sed simul ac eò est profectus Cudberecht sanctissimam vitam acturus, dæmones præ imbecillitate devictos solum vertisse, ac aliò migrasse, insulamque à Dei servis obsequio divino coli cœptam. Ex quibus patet, quantum à castitate & virtute insignibus viris dæmon abhorreat, quamque illorum præsentiam ferre, ac sustinere non possit: unde non immeritò inferre possumus, ad Hispani quoque Regis adventum, licèt alia de causa, maximè dæmones exhorrescere, atque trepidare tanquam capitis, inclyti Ducis ac domini ejus gentis, quæ illius jussui, arbitrio ac legibus parens, non solùm à propriis laribus omnes Ethnicorum, & hæreticæ pravitatis abominandos errores radicitùs absterserit, sed etiam ad remotissimas, & ignotas occidentalis orbis plagas Christi vexilla comportaverit: quo factum est, ut non solùm cultum, quo ibi tanquam Deus honorabatur, sed grandem insuper animarum cumulum amiserit. Quorum omnium successus jam à longinquo prævidens dæmon, (nam & gentibus illis multo anteà prædixerat) & hæc omnia recolens, mirum non est, si tanti Principis conspectum formidet, ac ferre non valeat, qui illius caput contrivit, & imperii ejus potissimam partem sustulit, ac tandem velut alter Pan, se devictum ac mortuum conclamet, ut de illo *Plutarchus* scribit *lib. de oraculorum defectu*. Scio aliquos meritis Recaredi, virtute ac pietate insignis Regis hoc attribuisse; sed quæ à nobis causa hujus divini doni affertur, mihi magis placet.

Colloq. 24.

QVÆSTIO VIGESIMANONA.

An philtris & remediis à dæmone petitis amor aut odium induci possint?

1. OCulum amoris esse proxenetam, rectè à quibusdam dictum; ideoque fortassis Cupido sagittarius depingitur, quia à longinquo vulnerat: unde *Socrates* apud *Xenophontem* ignis vim minùs efficacem, quàm oculorum agnoscit; cùm ille quos attingit tantùm adurat, pulchritudo etiam eos qui procul adstiterint, accendat. Est enim visus capiendi amoris veluti ansa: hinc prima amoris dicitur linea, ut habetur *in glossa, in l. quod ait. lex. D. ad Iul. de adulteriis.*

Visus, & alloquium, tactus, post oscula factum.

Ideò Virgil. *Georg.* 3. *Carpit enim vires paulatim, uritq; videndo*
Fœmina.

Et Propert. *Si nescis, oculi sunt in amore duces*

Propterea *Euripides* animæ aulicos, *Theseus* voluntatis anteambulones oculos non immeritò appellabat. Hinc Medea Iasoni apud *Ovidium*, epist. 12.

Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire quis esses;
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Vt vidi, ut perii, nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.

2. Itaque quòd per oculos sese in medullas inserat amor, ἔρως à Græcis, & apud *Platonem*, quòd per eosdem animo & hepati influat, erota dictus est; hinc etiam barbari eros, & hoc malo intabescentes eroticos appellârunt: terribilis sanè passio, quæ miserum hominis animum pulchritudinis laqueis jam irretitum, nullius apud se arbitrii, alterius ita subnectit imperio, & potiundæ amasiæ desiderio ita intabescere cogit, ut non solum corpus, sed ipsas quoque ossium medullas absumat, & mentem nullâ datâ euthymiâ quatiat, nullaque animi laxitate à præcepta defixaque objecti cogitatione recedere permittat; imò tali tempestate abrepta mens non facilè aliò se avertat, nil aliud appetat, nil frui desideret, nil denique pulchrum ac delectabile, nisi excogitatæ Pandoræ suæ vultum, agnoscat. Hoc pacto oculis imbibito veneno, perpetuâ pulchri meditatione, velut flabello incensus ignis ardet, ac viscera depascitur, assiduaque vulnerati cordis plagâ jactatus animus, omnium velut oblitus, alieni juris potiùs fit, & miserum corpus irrequieto labore conficit, & ad extremam usque maciem deducit; liquescit enim humidi substantia omnis, & veluti ardore quodam consumpta, in cupidinis trophæum corpus & mens ipsa rapiuntur. Quàm multi diu in spe contrà spem luctati, tandem in eam venerunt desperationem, ut charissimam vitam haberent exosam, & viscera depascentem flammam, nullo quàm mortis remedio extingui posse judicarent. Impigri, & ad tantum facinus audaces, sævo malo devicti, mortem potiùs eligere, quàm à tam dulci pœna consumi maluerunt: sic multi adacto in pectus ferro, alii in præruptos puteos sese præcipitantes, alii sumpto clam veneno, non pauci tandem laqueo suspensi, vitam finierunt. Trita sunt, quæ de his amorum pater:

3.

Cur aliquis laqueo collum nodatus amator
A trabe sublimi triste pependit onus?
Cur aliquis rigido fodiat sua pectora ferro?

Similem ob causam plurimos in omni ævo crudeles sibi injecisse manus, apud medicos, & historicos legimus; quin & multos affectionis, & doloris vi sublatos fuisse non rarò visum. Si scire cupis, adi *Schenckium*, *Ronsæum*, *Amatum*, *Cornacem*, *Crinitum*, & apud alios passim invenies; nec sanè paucos enumerat in diætetica *Quercetanus cap.* 39. ut non immeritò apud *Herculanum* divina passio dicatur, quæ hominem non hominem reddat, & contrarios prorsùs affectus ingeneret, ut in eodem corde circà idem objectum contraria appetere, & renuere simul cogat. *Quis est enim* (inquit ex Plutarcho Stobæus) *qui oderit simul, & amet; fugiat, & prosequatur; minetur, & supplicet; irascatur & misereatur; desinere velit, ac nolit; eadem re maximè gaudeat, & tristetur?* &c. Ita sæpenumerò sus-

4.

Plutarch. lib. de more. ... Stobæus

In Timæ...

Lib. 1. ... remedi... amoris.

De partu cæsareo. lib. 3. de honest. discipli. cap. 9.

Serm. 62

ſuſpirant, mœrent, gemunt, lamentantur, plorant, ejulant, turbantur, nunquam conſiſtunt, deſipiunt, delirant, inſaniunt, ſe ipſos confodiunt, jugulant, ſuſpendunt, interimunt: ſunt quippè amantium affectiones ita inter ſe diſcrepantes, cùm ab una eademque cauſa oriantur, ut divinitatis aliquam ſuſpicionem ingerant, cùm humanam omnem vim ſuperent, & rabido quodam furore abalienatos animos in mille diſtrahant modos; ut ſunt velle, nolle; amare, odiſſe; blandiri, irridere; fallere, fingere; jocari, flere; miſereri, flecti; placere, diſplicere; iraſci, placari; dejici, attolli; titubare, ſubſiſtere; progredi, retroverti; inchoare, deſinere; dubitare, errare, falli; neſcire, diſcere; obliviſci, meminiſſe; invidere, contemnere; minari, parcere; faſtidire, deſpicere, ſimulque ſuſcipere; & potiſſima illa quatuor furoris plena, ſperare, ſeu cupere, gaudere, metuere, & dolere; appetere, reſpuere; ſequi, declinare; proſequi & omittere: hinc optimè *Catullus*:

Odi, & amo; quarè id faciam, fortaſſe requiris?
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Pulchriùs id omne Plautus in *ciſtella*:

Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer,
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior; ita nullam mentem
Animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum; ubi non ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt, quod libet, non libet jam id continuò,
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur; quod dat, non dat, deludit,
Modò quod ſuaſit, diſſuadet; quod diſſuaſit, id oſtentat.

Et plura, quæ Seneca in *Hippolyto*. Siquidem cùm delectabile malum menti nimis imprimitur, continuo jactu, ut œſtro quodam, irrequieto motu memoriam exagitat, adamatam ſpeciem aſſiduè ingerit, ut omnem aliam concipere recuſet; tunc flagrat, ardet, aduritur, dulcique mœrore inebriatus animus ab omnium cætu ſe eripit, & totus in amaſiæ deſideria & in illius imaginatione defixus amabilem pulchritudinem tantùm contemplatur, vivamque ſpeciem cordi impreſſam complectitur, & amplexatur; quippè tunc jam ſatis irretito homine,

Labitur totas furor in medullas
Igne furtivo populante venas;
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitùs medullas.

5. Ut idem *Seneca* ſcribit. Deperit itaque, & niſi depereat, perit; ſiquidem unde mortem, inde & ſolatium haurit paſſio; nam ut optimè Apulejus: *Doloris mei cauſa, & remedium ex te proficiſcitur; iſti oculi tui per oculos meos ad intima delapſi præcordia, acerrimum meis medullis commovent incendium.* Horribile ſanè malum, quod in exacerbatione remedium invenit, & ut quieſcat plures accendit faces, quæ flammam alendo morbum alunt, & medicinam præſtant. Peropportunè dixit ille, qui ſic:

In aſino aureo.

Neſcis quid ſit amor? Furor eſt, poſt omnia mentem
Eripit, & damnis paſcitur ille ſuis.

6. Sed quid in amoris affectu admirabilius, quàm quòd contrarios inter ſe prorſùs affectus ingenerare valeat? Quemadmodum enim ingenuos & optimæ indolis adoleſcentes extrà mentem non raro rapit, ita quandoque ruſticos & ſylveſtres homines ad ſanam mentem redigit; ut de quodam Cimone narrat *Boccatius*. Quid tandem mirum? ſi quos affectus continet mali cauſa, eoſdem in ipſum, quem percuſſit, ingerat. Meritò igitur:

Eſt mulier tactu viſcus, viſu baſiliſcus;
Flet, ridet, ſimulat, dat, petit, odit, amat.

& quod Horatius de inconſtantia:

Quod petiit ſpernit, repetit quod nuper omiſit,
Æſtuat, & vitæ diſconvenit ordine toto.

7. Sed, ô miſeri! tantum hoc naturæ artificium, amorem inquam, à quo nec inanimata libera eſſe voluit natura, homo evitare non poteſt; quin imò totus in illum pronus, quantacumque ſit illius prudentia, ubi fulgentibus puellæ radiis, ab oculis velut ſagittis emiſſis, vulnera experitur, captus jam mentem omnem in amorem & amentiam ſolutam ſentit ſtatim, gaudetque, & ut faciliùs comprehendatur propiùs accedit, dat manus, & quò magis victus, magis vinci appetit, & vinciri. Rectè

 pro-

proindè *D. Hieronymus*: Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior: mulierum tamen amore capti sunt. Hinc quidam:

In epist. ad Nepot.

8.

Adam, Samsonem, Petrum, Davidem, Salomonem
Decepit mulier, quis modò tutus erit? aut, ut alius:
Lothum, Samsonem, Davidemq́, & Salomonem
Decepit mulier. de qua lepidè sic nonnemo:
Mulier melle mollior,
Et quò nitentior, eò nocentior,
Quæ dum te fovet, sibi favet,
Et dum ridet, rodit, ac radit,
Quæ corpus carpit, & aurum haurit,
Idq́ latenter ac lactenter,
Non virgo, nec virago, sed vorago
Quæ viros vorat, & amando mandit.

In hunc sensum adversùs mulieres facetissimus epigrammatum scriptor:
Est mulier mera bilis, habet duo commoda solùm,
Cùm jacet in thalamo, cùm jacet in tumulo.

Hoc multò anteà cecinit *Philippides*:
Dicebam tibi ne uxorem duceres, sed suaviter viveres.
Bini sunt cum uxore jucundissimi dies,
Alter quo ducitur, alter quo mortua effertur.

Ad quod respiciens *Morus*, non minori sale sic de eadem:
Uxor amice tibi est semper mala; cùm male tractas,
Fit peior; sed fit pessima, quando benè.
Sed bona si moriatur erit, melior tamen, id si
Te faciat vivo, ast optima, si properè.

Has amantium ærumnas, & quæ ex mulierum fraudibus, ac dolosis artibus, hominibus damna, ac calamitates adveniunt, affabrè bracteatâ quâdam sententiâ, ac nullâ non horâ repetendâ, Magnus ille *Cato* explicabat: *Si absque fœminis in mundo degeremus, conversatio nostra non foret absque Diis.* Tantum hoc periculum nôrunt multi, sed cavent pauci; imò dicam, nemo alieno periculo sapit, nec suo: Est quippè Amor suavis oculorum delectatio, delectabile vulnus, sapidissimum venenum, dulcis amaritudo, deliciosa ægritudo, cura timoris plena, vis quæ judicii potentiis vim infert, voluntatem ligat, libertatem aufert, rationis oblivio, vesaniæ & furoris parens, animi lassitudo, appetibilis mors, laborum omnium series, & infinitorum malorum congeries. Aut si illa placet magis *Epicteti* descriptio: Quod amor? Otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in juvene ardor, in sene risus, in derisore delicti nequitium est. Si igitur hæc, & innumerabilia alia, quæ nullâ poëtarum, quantumvis loquaci verborum licentiâ, satis videntur exarata, illorum fabulis majora, in amore insunt; quid mirandum, quòd tantâ ærumnarum mole obrutus hominis animus, dubiâ spe vacillans, nutans, ac fluctuans, irrequieto voti potiundi desiderio ardenter flagrans, tanto ferendo ponderi viribus impar, ratione amissâ, exosâ vitâ, imò amasiæ cum libertate omnibus exhibitis, aut micanti oculorum intuitu & tyrannico pulchritudinis imperio per vim ereptis, susque deque omnia quatiat, remedium quæritans, nec ullâ requie, aut potiundi desiderii inventâ viâ, œstro percitus, exagitatus, furens, illam dolosis artibus nitatur invenire? Rectè quidem Budæus: *Quis nescit quosdam aliquando, stimulante vesanâ cupiditate, per fas, nefasq́, sensus suos auxisse?*

9.

An igitur talibus artibus, nimirùm philtris, amor alterius induci possit, ut vel invitus ad aliquem amandum trahatur, inquirendum jam est. Philtrum itaque nil aliud est, quàm pharmacum amorem quomodocumque concilians, sive hoc in poculo, cibo, sive aliter exhibeatur: qui enim copiosè de occulta philosophia scripserunt, homines incantationum virtute, aut amore, aut odio capi, vel in morbos, & id genus affectus incidere tradiderunt; idque plurimis modis, hoc est, per venena verbis mixta, collyria, unctiones, potiones, alligationes, suspensiones, annulos, fascinationes, imagines, characteres, incantationes, imprecationes, lumina, numeros, verba, nomina, invocationes, sacrificia, adjurationes, consecrationes, devotiones, perque varias superstitiones & observationes, quibus imperitum vulgus fidem adhibet,

10.

bet. Quæ tamen omnia ad duo potissimùm, medicamenta scilicet, & verba reduci plurimi opinantur.

Dubitandi ansam nobis obtulerunt authores multi, qui hujusmodi philtra dari, & herbarum virtuti tam insignem vim esse, vel fidem aliis præstantes, vel temerè, & superstitiosè credentes, asserere non dubitârunt: putantes certè hoc in hominis corde, mutabili natura, & conditione, quæ naturalium viribus subjecta multiplicem alterationem suscipit, facilè accidere posse, multò aliter quàm in angelica, quæ nullo modo alterabilis, aut corruptibilis, à substantiis omnibus libera est, & immunis. Hoc pacto legitur in vita S. Hilarii abbatis, quòd in civitate Gasa quidam juvenis puellam honestam ardenter deperibat; qui cùm illam in suam voluntatem adducere non posset, à magis, qui in civitate Memphis in templo Æsculapii sacerdotum officiis fungebantur, remedium petiisse fertur; à quibus laminam accepit, horrendis quibusdam characteribus inscriptam, quam ex illorum consilio in limine domûs puellæ abscondidit, protinusque in tantum amorem, & concupiscentiam puella devenit, ut eundem juvenem altâ voce continuò compellare cogeretur: quàrè videtur ex hac historia voluntas puellæ à dæmone coacta fuisse, ut in adolescentis illius, quem anteà rejiciebat, amorem deveniret. Sanè *Dioscorides* de phiteumate, leontopodio, & utraque catanance herbis, quòd ad amatoria conducant, scriptum reliquit. *Lobelius* stellam leguminosam ad conciliandos amores summis laudibus celebrari ait. Flaviam herbam *M. Aurelius* Imp. tradit, *epist. ad Antigonum*, in insula Lethir, Arcadio ibi monte nasci, ac maximè ad amatoria valere, & si quis ab alio eâ tangatur, occultâ quâdam ratione in amorem trahi illius, qui tetigerit; quod experimento comperisse testatur idem Imp.: nam cùm quemdam ejusdem succo tetigisset, non priùs quàm morte mutuus amor refrixit, quâ solâ dissolutus est. Hæc *Mondognetus* in vita M. Aurelii, & ex illo *Majolus*. De hac herba flavia apud alium mentionem non invenio, nisi eadem sit cum catanance, quam Plinius *lib. 7. cap.* 28. Thessalam herbam indigitat, illiusque descriptionem supervacaneam esse tradit cùm ad amatoria tantùm conveniat, & ad magicas detegendas vanitates electam esse pronunciat: confirmat idem *Dalechampius*, & qui eâ utantur, amatas mulieres rapere etiam invitas, ac veluti contractis ungulis retinere, quoniam & arescens planta ad exanimati milvi unguium speciem se contrahat. Putidum commentum, & incongrua ratio! quid enim præstabunt folia, hâc aut illâ figurâ, si vel mille uncis, aut hamis effigiata reddantur? Plantarum signaturas ego cum multis nec improbo, nec damno; sed quæ illa unguium esse potest vis in planta, ut nollentem fœminam amore inebriet, & invitam trahat? Non minùs quàm, qui stellarum figuram habent flores, in cœlum ducere possunt. Idem est de Anterrhino, quam ad philtra annumerat *Porta*, ex eo solùm quòd humanam calvariam referat: nec dissimilia sunt, quæ idem *Plinius* tradit de comos herba, quam cassutham alii, leontopodium alii esse credunt. Quid dicam de herba quadam Indica, *Viva* dictâ, quæ tangere volentis manum contractis foliis refugere, & tacta exsiccari statim, ac marcescere fertur? quam pro conciliando amore multùm valere audivisse se testatur *Acosta* à quodam gentili medico, qui hanc illius proprietatem tam certam ac efficacem esse affirmabat, ut quamcumque mulierem ad destinatum amorem facillimè compelleret: quod adeò verùm esse Indus contendebat, ut caput amputandum libenter se offerre diceret, nisi eventus certitudinem comprobâsset; quod *Acosta* noluit experiri, ait tamen *in cap. fine*, herbam hanc inter vestes delicatæ cujusdam amasiæ invenisse.

Lib. 4. cap. 31. 32. 35.

Lib. 3. cap. 10.

Colloq. 20.

Ab herbis ad lapides veniamus: *Albertus Magnus* aquilæ lapidem proprietate occultâ amorem ait conciliare; & certè de lapidibus, quòd hæc vis stupenda in aliquibus inveniatur, videtur probari posse ex quadam historia Imp. Caroli Magni, quam refert *Petrarcha*, & ex eodem *Kormanus*, qui amasiam adhuc mortuam perditè etiam deperibat, ob philtrum ex lapide, qui annulo inclusus subtùs demortuæ linguam inventus est; secum enim cadaver in cubiculo asservabat Imperator: quod tandem à Coloniensi Antistite miraculo & revelatione cognitum ut fuit, exempto ab ore lapide, à turpissimo illo amore, & miserrima vita liber factus est Imperator. Præterea *Omnes* (inquit ex *Alberto Mizaldus*) *te amabunt, si cor hirundinis tecum gestaveris; & mulier perditè amabit, à quo columbini cordis pulveres in potu, vel esca acceperit.* Mathiolus de fungo cervino scribit, quòd superstitiosæ mulieres eo quibusdam obmurmuratis in poculis amatoriis utantur. De ave Iynge, seu Torquilla, quòd ad amatoriâ multùm

Lib. 1. epist. 3.

Parte. 2. de mirac. mortuor. cap. 14.

Lib. 3. epist. ult.

pro-

prosit, apud Ornithologos legitur, quod & Langius *tom.* 1. adnotavit. Jam celebre & à pluribus decantatum Hippomanes philtrum, cujus triplicem statuunt differentiam; dicitur enim de herba quadam in Arcadia nascente, & forsan illa est, quam flaviam ex *M. Aurelio* suprà nominavimus, cujus etiam meminit Theocritus *in Pharmaceut.*; de qua tandem *lib.* 4. *Hieroglyph.* dubitat *Pierius*: Secundò, pro nigra caruncula nascentis pulli fronti adhærescente, de qua 4. *Æneid.* Virgilius:

15.

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.

& Juvenalis *sat.* 6.

Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.

Tertiò demum significat virus quoddam, quod ex equæ pudendis ad Venerem concitatæ fluit, veneficiis expetitum. Porrò de caruncula illa, quòd potissimum habeatur philtrum Ælianus: *Pullum non nutrit, cui ablata illa insignis benevolentiæ, & amoris nota.* Pastoribus hoc notum dixerat anteà, ac si illo egeant, ut aliquibus moliantur amatorias insidias, & ad Venerem inflamment; quippe ut ibidem idem author: *Si quis autem per insidias carunculam illam gestaverit, constringitur intemperanti amore, exæstuat, vociferatur, & effrænatè, ac furenter rapitur.* Accensent etiam his extremum pilum caudæ lupi, & os de rana viridi in formicarum acervo exesa; sinistri enim ossis contactu amorem, dextri verò dissidium excitari tradunt. Tandem præter hæc omnia, carminibus etiam amorem conciliari posse aliqui cum *Virgilio* putârunt, qui de Massylæ gentis veneficæ Sacerdotissa sic:

Lib. 1 hist. an.

Lib. 4 Æneid.

Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, & aliis duras immittere curas.

& Juvenalis *Sat.* 6.

Hic magicos cantus affert, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

16.

Annumerant deinde his commentis cerebrum felis, vel asini, uterum hyænæ, virgam lupi, remoram, rubetam, & quæ pudor vetat dicere, sanguinem menstruum, sperma viri, & alia; ut taceam multa, quæ extrinsecùs corpori adhibere jubent: nam præter mixturas ex herbis, foliis, radicibus, metallis, reptilibus, plumis, membris avium, piscium, animalium, expetunt malefici pilos, unguium resegmina, fasciæ aut vestimenti partem, & similia, quibus maleficiandum corpus tangant, aut epistolam, quibus adhibent ligaturas, aut tunicis consuunt, absconduntve sub lecto, culcitris imponunt, aut in ostii limine; omnia, quatenus ex sese, tam vana ac futilia, quàm irridenda & cum authoribus penitùs explodenda, & detestanda.

17.

Tandem, quod absurdissimum est, sunt qui rationibus philtrorum vim probare conentur; nam aiunt, quòd sicuti voluntas in alicujus odium ligari posse creditur, ita in amorem impelli: quia, inquiunt, sicuti fures ligantur, ne in aliquo loco furari possint, mercatores ne in emporio negotiari valeant, exercitus ne limites transgrediatur, naves ne moveri possint, & nec expansis velis, nec ullâ ventorum vi portum assequi queant, & hujusmodi alia; ita & animum ad amorem destinatum cogere non erit impossibile. Secundò, quia multa dantur pharmaca, quæ humores turbando, semen quoque irritant, ut totum corpus coëundi œstro prurire faciant. Ultimò tandem, quia hujus maleficii & amatorii philtri *in lib. Baruch* mentio invenitur, cùm mulieres narrat in viis sedere funibus circumdatas, & ossa olivarum succendentes, ut prætereuntes in venerem attraherent: cujus tandem consuetudinis Babylonicis mulieribus usitatæ rationem reddit doctissimus *Delrius*, & ex *Herodoto* & aliis confirmat, adductis etiam aliis philtrorum generibus, quæ tetigit in pharmaceut. *Virgilius*:

18.

Cap. 6.

Lib. 3. d quæst. Mag.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Uno eodemq; igne, sic nostro Daphnis amore.

& in *Heroidum lib.* Ovidius:

Devovet absentes, simulachraq; cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Nec oportet in vanissimis his recensendis multùm immorari, cùm passim apud complures legantur: sed quod magis ridiculum est, non defuerunt, qui hujuscemodi deliriis fidem præstarent; quippe amorem philtris, & amatoriis poculis induci posse firmârunt

runt *Nicephorus Calistus*, *Theocritus*, *Lilius Gyraldus*, *Gothius*, & alii, ut *Theophilum* taceam, qui mandragoram amoris philtrum esse tradidit.

Lib. 5. hist. Eccles. cap. 27. Theoc. in pharm. Lilius syntagma 13. de idolis gent. Goth. lib. 6. hist. Goth. cap. 24.

Cæterum hæc omnia, ut meras fabulas, & vanissima diaboli commenta, ex omnium mentibus meritò eradicanda præcipimus; & tanquam firmum ac certum statuimus nullis philtris, nullis poculis, aliisvè pharmacis, quantumvis diabolicâ fraude excogitatis, aut humanâ curiositate inventis, alicujus animum cogi posse, ut certum aliquem quispiam amet. Hanc veritatem innumeri sunt, qui comprobant auctores; & præter D. Thomam tenent Sprengerus in *malleo malef. parte* 1. *quæst.* 7. Medina *lib.* 2. *de recta in Deum fide.* Castro *lib.* 1. *de justa hæret. punit.* Suarez *lib.* 2. *de relig.* Rhapaël de la Torre *lib.* 2. *de vitiis oppositis.* Ex jurisperitis Grilland. *de sortileg.* Nider. *in formic.* Tiraquellus, Binsfeldius, & complures alii citati apud Delrium *lib.* 3. *mag. p.* 1. *quæst.* 2. & apud Villalpandum *lib.* 2. *cap.* 47. similiter ex medicis Langius *epist.* 34. à Castro *in medico politico lib.* 4. *cap.* 2. Quercetanus *in diætetico*, Sennertus *lib.* 1. *praxis* & in *instit.* pluresque alii: quippè voluntas propter arbitrii libertatem nullis verbis, aut magicis artibus cogi potest; objectum enim solùm sensum movet, sensus intellectum, & is appetitum, sed venereum præcipuè, si ætas, & cætera respondeant. Secundò, si philtris amor induci posset, etiam nunquam visa, nec cognita in amorem trahi potuissent, nec rei amatæ aspectus necessarius foret, quod experientiæ repugnat: scimus quippè Proceres, & Principes effigies suas ad absentes, seu amasias, seu sponsas ad conciliandum amorem mittere solitos, ut sic appetentiam, desiderium, & amorem faciliùs ingerant, quoniam ignoti nulla cupido. Tertiò; quia si in certam personam philtra agere valerent, ergò & quemcumque hostem, & animum illius in amorem trahere poterunt; sicque ad pacem inter dissidentes Principes conciliandam medium optimum, & divinum daretur: siquidem parvo hoc labore concordiæ & amicitiæ vinculum facilè foret invenire, ac tot hominum, tot regnorum strages, & ruinæ evitari potuissent. Sed quænam herba, quod pharmacum, tantam naturali vi efficaciam obtinebit? Ubi locorum provenit illa, aut tale medicamentum, seu divinum alexiterium concinnatur, quod liberum arbitrium quoquoversus inflectat, ac cogat? Sanè non levis videtur amentia hoc inquirere, & corrupti potius judicii est credere de humano arbitrio, quod altissima Dei providentia ità dominatui suo subjecit, ut & hominis imperio, & voluntati permiserit, utcumque liberè regi, & gubernari, & latissimas veluti laxaverit habenas, quibus huc illuc homo suo ipsius ductu feratur, eat, sistat, retroagatur, in bonum, aut in malum pronus ambulare sit potens, cadere, aut erigi; quas tandem solus qui fecit, suo tempore, aut recolligit, aut laxat. An plantis, herbis, animalium fœtoribus, & putridis ossibus, aut ipso dæmoni infimæ & infamissimæ creaturæ, quod divinæ majestatis tantùm est, commune debuit fieri? Abeant hæc, & cum omnibus suis cultoribus, & magicæ dementiæ vanitatibus in inferos detrusa jaceant, & à Christiana mente, nullo relicto vestigio, radicitùs evellantur. Deus etenim creavit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, *Eccles.* 17. & Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi*; quia liberum est hominum arbitrium, ut constat *Deut. cap.* 30. *Ios.* 24. *Psal.* 26. *Corinth.* 1. *cap.* 3. Unde cùm Deus hanc homini potestatem contulerit, nulli angeli, nec principatus sunt, qui sibi eandem valeant vindicare, ut clarè *Apost. ad Roman. cap.* 8. declarat: ergò multò minùs diabolus, cujus potestas in tentatione solum versatur *Apoc. c.* 2. & minimè in voluntatem agit, cum homo possit resistere, ut testatur *Apost. ad Corinth. cap.* 10. Quarè qui dixerit posse dæmonem poculo amatorio, aut aliquibus artibus ad amorem hominem cogere, & qui petit à dæmone ea, quæ sunt contrà humani arbitrii libertatem, ut qui cogit mulierem ad consuetudinem libidinosi hominis, & qui credens dæmonem ista posse illum invocat, hæreticus habendus est; nam credere liberum arbitrium hominis à dæmone posse cogi, hæresis est, ut tradit Bernardus Basinus *de artibus magicis concl.* 6. quod adeò verum est, ut ipsis etiam ethnicis diabolicum hoc commentum nullius efficaciæ, sed vanitatis plenum mendacium, ratione optimâ visum fuerit. Hinc *Tibullus:*

Quid credam? Nempè hæc eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos.

Et apud Numisianum

Quid prodest, quòd me peregrini mater Amyntæ

 Ter-

Ter vittis, ter fronde sacrâ, ter thure vaporo
Lustrârit: Sequitur *Ovidius*:
Fallitur, Æmonias si quis decurrit ad artes,
Datq; quod à teneri fronte revellit equi.
Non faciunt, ut vivat amor, Medëides herbæ,
Mistaq; cum magicis Marsa venena sonis.

23. Hæc quæ dicta sunt, de naturali plantarum, lapidum, aut alterius pharmaci, sive simplicis, sive compositi, virtute intelligi volumus; in quibus nullam ad talem operationem vim dari posse dicimus. Similiter quoad diabolicas artes, & illarum potentiam, in humanam voluntatem propter arbitrii libertatem, nullam actionem, jurisdictionem, aut imperium directè habere firmiter asserimus.

24. Dicimus secundò, indirectè, & alio modo quàm voluntatem movendo, dæmonem posse aliquem in certum alicujus amorem trahere; quæ sententia auctoribus jam adductis communis est: siquidem potest diabolus, vel intrà corpus humores & spiritus movendo, vel venereis medicamentis aliter à malefico propinatis, totum corpus interiùs quatere, accendere, ac imaginationem perturbare; adeò ut quis, dæmone variis tentationum illecebris interiùs certante, œstro quodam libidinis turgeat, ac sic facilè ad desiderium carnalis copulæ trahatur, primò cum aliquo, vel aliquâ in genere: quòd si tunc temporis maleficus amator accedat, vel à dæmone feratur, & artibus quibus mulieres decipi solent, instanter urgeat, & à tentatore phantasia unà moveatur exhibendo talem hominis speciem, & circumstantias, propter quas amore dignus videatur, facilè accidere potest, ut diabolico hoc hamo trahatur, aut in appositam nassam præda cadat.

25. Atque hic certè modus est, quo diabolus talia solet operari; & cùm vulgus inter actiones voluntatis, & concupiscentiæ discrimen non advertat; ineptè dæmonem voluntatem trahendo hoc peragere posse credit, cùm in illam nullam potentiam, aut actionem habeat; sed prædicto tantùm modo hæc plerumque machinetur: imò turpi veneris desiderio inescati volendo renuunt, & renuendo volunt, ac tandem committunt, faces assiduè diabolo ministrante; & in his, quæ ad coitum spectant, præcipuè jus suum exequitur, cùm magna illius potestas in lumbis sit, & per carnis luxuriam multùm dominetur hominibus, non per voluntatem, quæ in suo opere semper libera est, nec cogi valet per ullam

26. creaturam nisi à Deo, qui eam regere potest. Quarè nec dæmon, nec maleficus ad amorem, aut odium illam cogere poterunt, ut multis aliis probat *Sprengerus*; benè tamen phantasiam assiduâ veneris meditatione excitare, ex alicujus objecto, quod persuadeat amore dignum, ut prosequatur, aut corporis humores calidos ad coitûs membra transmittendo, vel eosdem calidis & turbulentis medicinis circà eadem loca disturbando, sicuti alimentis adaugendo; quo sensu *Kyramides* perdicum ova in cibum sumpta amatorium poculum vocabat. Cæterùm similes potiones minimè philtra dicendæ sunt, sed potiùs venerea pharmaca appellandæ; quia nullum in se philtrum habent, sed excitandæ veneris stimulum tantummodò continent. Talia verò medicamenta plerumque vel ex sua natura diabolo magistro edocta, vel

27. superstitiosa illius virtute adjuta, tam exitialia ut plurimùm existunt, ut in mortem sæpè, aut in magna pericula, & labores, miseros nil tale cogitantes non raro conjiciant, & non solùm corpori, sed menti etiam ingentem noxam inferant, non sumpta modò, sed exteriùs aliquando applicata. Hinc prudentissimè *Ovidius*:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis;
Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.

Amatoriis poculis qui vitam finierint.

Tritum enim est, attestantibus *Suetonio* & *Iuvenale*, Caligulam hac de causa sublatum, ab uxore Cæsonia amatorio poculo infectum, licèt aliter Cassicharex, & Cornel. Sabini conjuratione occisum scribat *Dion*. Nec minùs notum Lucretium poëtam ex simili potu primò dementatum, mox doloris impatientiâ semetipsum interemisse, à Lucila uxore propinato philtro. Idem de Lucullo prodidit *Plutarchus*; de Duce Austriæ amatorio toxico interempto auctor est *Cuspinianus*; de Stephano quodam equite Neapolitano *Panormitanus*; de aliis eâdem infelicitate sublatis mentionem facit Quercetanus. *Itaq; Livia* (inquit Rhodiginus) *virum suum interfecit, quem nimis odit; Lucila suum, quem nimis amavit: illa spontè miscuit aconitum; Lucila decepta furorem propinavit pro amoris poculo*. Hinc meritò *Politianus*:

In mall. malef. p.

In Caligul. Crinitus de Poëtis latinis cap. 19. Plin. lib. 25. cap. 4. In diæte. lib. & cap. 14. Lib. 14 antiq. lect. cap. 14.

Hic

Hic qui philtra bibit, nimioq; insanus amore
Mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnem.

In nutritiis.

Nec sanè tacendus est Caroli IV. Imp. casus, quem refert *Math. Vilanus*; quippè illius uxor Adolphi III. Ducis de Clevis filia, cùm maritum in maximum sui amorem trahere conaretur, nullum damnum aut periculum cogitans, simplici animo illi potionem parari fecit; quâ assumptâ morti succubuisset Imperator, nisi citò ac subitò remedia obstitissent, & non nisi pilis orbatus, & fœdo corporis habitu evasit: inscius tandem Imperator, in duorum prætorum suspicionem devenit, quos propterea statim ad mortem damnavit; quorum tamen innocentiam advertens Regina ad Regis pedes procubuit, & patrata narrans culpam in se probè convertit; quibus auditis, & mulieris simplicitatem agnoscens Carolus, uxori indulsit, alios liberos dimisit. Plura exempla apud *Schenckium* invenies, & certè satis mirandum illud, quod *Henriquez ab Her* de quodam adolescente propè Leodium accidisse refert; sicuti de alio *Balduinus Ronsæus*, cui ardens amasia, ut remorantes nuptias properaret, nil mali imprudenter cogitans, philtrum propinavit, quo in lentissimam mortem paulatim, nullis proficientibus auxiliis, eundem deduxit. Eodem quoque infortunio vitam finivit insignis spei adolescens Petrus Lotichius, quem Bononiæ amatorio seu Circæo potius poculo miserrimè interfectum ex *Georgio Fabricio* narrat *Freitagius*. Reddunt enim talia medicamenta homines plerumque debiles & emotæ mentis, & quod piscibus accidit, qui non hamo, sed medicamentis capiuntur, attoniti fiunt, omni prorsus arbitrio, & ratione carentes, ut de calceario VVitrembergensi narrat Sennertus *lib.* 1. *praxis cap. de amore insano.* Propterea leges non aliter quàm pœnâ capitis puniri decreverunt eos, qui similia pocula propinare audent, si in necem aliquem adducant; sin minus, relegationis in nobiles, vilioribus in metallum pœna constituitur, ut *in l. si quis aliquod id: D. de pœnis. l. nemo aruspex. c. de malef. & math. Iul. Paul. lib.* 3. *recept. titul. ad legem Cornel. de sicariis.* Licèt hodie ad judicis arbitrium redacta sit, ut Grillandus *de sortileg.* Binsfeldius, Menochius scribunt; quoniam amoris delicta mitius punienda, & à pœna ordinaria excusanda, ut testatur Ant. Gomez, Simanc, Tiraquellus, Iul. Clarus *in praxi*, Pancirolus, *memorab. parte* 1. *tit.* 16. & ex med. Paul. Zacchias *lib.* 2. *tit.* 1. *quæst* 10. apud quem plures alii citantur. Siquidem potentissima est amoris affectio, quæ non consilio, sed furore ducitur, ut latius docet Villalpandus *lib.* 2. *cap.* 47. *de mag. operat.* Amor enim, si *Aristoteli* credimus. 7. *ethi.* 7. quasi furor est, quem cohibere perfectæ philosophiæ esse ipsemet etiam *Iustinianus* putavit. *§. illud auth. quibus mod. natura offic. sui.* Quarè illi omnia terræ, marisque subjecta esse meritò *Alciatus* emblemate expressit, cùm alterâ manu flores, alterâ piscem tenentem eundem Amorem depinxit:

8.

Obs. 13.
Epist. 48.

In noct. med. cap. 16.

29.

Lib. 2. de arbit. cas. 358.
Gom. 3. vari. cap. 14 nu. 28.
Farin. in prax. crimi. lib. 3. p. 2. tit. 2. quæst. 98. casu 13. n. 78.

30.

Embl. 106.

Altera sed manuum flores gerit, altera piscem;
Scilicèt ut terræ jura det, atque mari.

31.

Tandem ad rationes & argumenta facilis est responsio; vanissima quippe sunt omnia quæ afferuntur, & incantatorum commenta: plerumque enim omnia quæ dæmonum potentiâ fieri arbitrantur, partim mendacia, partim ludicra esse existimandum est, & ad illusiones & impiam credulitatem potiùs, quàm ad veritatem referri debent, ut ipse etiam *Wierus* abundè fassus est; atque ita tantummodò in sensu à nobis explicato aliquid fieri posse credendum est. Ex historia verò illa puellæ cujus in vita S. Hilarii mentio fit, nil infertur, ut credamus dæmonem directè voluntatem puellæ extorquere potuisse; nam quòd puella juvenem altâ voce compellaret, ideò faciebat, quia dæmon intrà illius corpus sese insinuavit, qui illas voces proferebat, non verò puella, ut in historia narratur.

Lib. 2. de præstig.

32.
Amoris verissimum philtrum pulchritudo.

Finem igitur huic dubitationi jam imponendo concludimus, unicum esse amoris philtrum, corporis scilicet venustatem & elegantem formam, quæ per translationem & indirectè ab aliquibus philtrum appellatur: ego tamen verissimum hoc philtrum potiùs esse, quàm ullum medicatum poculum existimo; nam hoc falsissima res est, menti & corpori plerumque damnum inferens, illud verò vel unico tantùm intuitu incautum & nil tale cogitantem arripit, & amorem intimius defigit. Scita est Philippi Macedonis historia à *Plutarcho* adducta, qui formosissimæ puellæ amore delinitus, cùm Olympiæ uxori persuaderetur, Regem non ali-

aliter, quàm veneficiorum vi, sic deperditè in puellæ amorem venire potuisse, illam ad se regina venire curavit; quâ tandem conspectâ, & gratiæ pulchritudinisque lenocinium admirata, abire jussit, hoc addens: *Abeant calumniæ; tu in te ipsa veneficium habes.* Aliter sic dixisse ferunt alii: *Hæc est illa forma, & gratia, quæ virum meum fascinavit, & Deos quoque fascinare posset.* Quod etiam de uxore Demetrii narratur, quæ visâ Lamiâ scorto venustissimo, sui conjugis pellice, illam in decoro vultu Regis veneficium gestare pronunciavit: *Valeant*, inquit, *calumniæ, tu in te philtra habes.* Rectè proindè festivissimus *Ovidius*:

> ——— *Valeant Medëides herbæ,*
> *Moribus ac formâ conciliatur amor.*
> *Sit procul omne nefas: ut ameris, amabilis esto.*

33. Propterea Theophrastus pulchritudinem *tacitam deceptionem*, aut ut alii vertunt *silentem fraudem* appellabat; Theocritus, *eburneum detrimentum*; Plato referente Brusan. cap. 44. lib. 2. *Naturæ privilegium* vocavit; & *Carneades* rogatus, quid forma hominis esset; *Regnum sine satellitio* respondit, quoniam formosi impetrant quidquid volunt, nullâ vi adhibitâ. Hinc Agesilaus interrogatus, cur quæ pulchra sunt amarentur, argutissimè respondit: *Cæci hanc esse interrogationem*, ut legitur apud Stobæum *serm.* 63. *de pulchrit.* Finio epigrammate non illepidi cujusdam Poëtæ, qui de amoris vi & insidiis satis argutè sic conqueritur:

Diog. Laert. lib. 5.

> *Me nive candenti petiit Victoria; rebar*
> *Igne carere nivem, nix tamen ignis erat.*
> *Quid nive frigidius? pectus tamen urere nostrum*
> *Nix potuit, manibus missa, puella, tuis.*
> *Quis locus insidiis dabitur mihi tutus amoris,*
> *Frigore concretâ si latet ignis aquâ?*
> *Nostras sola potes Victoria tollere flammas,*
> *Non nive, non glacie, sed potes igne pari.*

Hinc illa symbola: Magnes amoris amor. Philtrum vel poculum amatorium amor.
34. Magnum satellitium amor; & magnæ opes amor.

QVÆSTIO TRIGESIMA.

An dæmones morbos, quos non intulerunt, curare possint?

HIc non est dubium de morbis veneficio illatis, quos dæmon vel ipse per se, vel per sagas & maleficos aliquando operatur; istos enim certum est ab illis curari posse, & de facto curari, destructis per illos, aut in ignem projectis superstitiosis rebus, quibus utuntur, vel per aliam superstitionem, quâ seu volens, seu tandem invitus recedere cogatur, ut ministris suis operam præstet, & abblandiatur. Complures hujuscemodi casus, horrendis cæremoniis, & quibus vix conspectis, diabolici commenti & artis esse satis cognoscuntur, à *Delrio*, *Spingero*, *Cæsalpino*, *Remigio*, *Cigogna*, & ab aliis passim afferuntur. Solùm ergò inquirimus, an qui ex naturali causa producuntur morbi, dæmonis virtute & viribus sanari possint? Pauca sanè sunt, quæ contrariam partem probare possint. Licèt Dæmonum potentia finita sit & limitata, hoc cum respectu ad divinam accipiendum est; quandoquidem ipsi non valent aliquid ex nihilo facere, quod solius Dei est: quippè finitæ substantiæ, qualis illorum est, finita etiam est potentia. Nec etiam aliquid ex aliquo perpetuò facere possunt, cùm quævis ex quovis facere infinitatem denotet, ut si quid ex nihilo fiat; quoniam materia nil ad effectum conferens, nihili rationem obtinet. Ceterùm si respectu humanæ potentiæ consideretur, multò nos superare intervallo fatendum est; angelicam quippe illam vim, & intellectum adhuc retinere, & præter gratiam nil amisisse Theologi docent, & admiranda terribiliaque illorum opera humanis viribus nunquam propulsanda, nec facienda satis attestantur: cumque à prima ipsorum creatione omnium artium, & scientiarum plenam notitiam acceperint, nil in hominibus aliquâ industriâ, aut studio comparatum dari potest, quod perfectissimè non calleant; & quidquid humanis men-

1. *Dæmonum potentia finita & limitata.*

mentibus longâ patuit experientiâ, vel multorum labore investigatum est, longævâ, & non interruptâ duratione meliùs multò didicêre, ubериùs cognovêre, firmiùs ac in æternum duraturum retinuêre: nulla ergò scientiæ ullius, nulla philosophiæ abditissima licèt ignorant, substantiarum proprietates, & naturalium omnium rerum virtutes ad unguem cognoscunt, ut summi philosophi, ac proindè consummatissimi medici, si eis uti velint, absque dubio sint; nisi Altissimi imperio præpediantur, ut id ipsum quod possunt, Deo inhibente non possint. Sunt quippè spiritus potentissimi, omnium doctrinarum capacissimi, scientiis omnibus instructissimi, qui licèt ab angelorum cætu ob peccatum repulsi sint, vires tamen, & totius encyclopediæ profundissimum illud pelagus ereptum eis non fuit; quare quòd possint naturalibus morbis, similibus remediis obviàm ire, & dexterrimè curare, dubium non est, si illis à Domino permissum fuerit: nec propterea credendum omnes ægritudines ab ipsis curari posse, ob limitatam illorum potentiam, sed illas tantummodò, quæ per causæ ablationem, alterationem, aut alicujus rei generationem, eorum, quæ in corpore retinentur: usu enim medicamentorum, quæ nobis incognita sunt, cùm vix medicinæ immensam profunditatem summis labiis gustaverimus, complures morbos nobis incurabiles curare poterunt. Verùm si pars aliqua amputata, vel emortua fuerit, hoc utique nullis dæmonum viribus resarciri, aut corrigi posse asserimus; quia solius Dei opere, ac eorum quibus ex singulari gratiâ concessum est divinitùs, talis curatio perfici poterit: prædictorum verò aliorum morborum curationem, certum est dæmoni callidissimo, ac expertissimo medico perviam esse & notissimam; ac facilè, si Deus permittat, naturalibus medicamentis ab eo fieri posse. Namque si multorum est sententia, medicum aliquandò obviàm ire posse morbis, quos dæmon rebus naturalibus intulit, longè faciliùs ac promptiùs nequissimus ille naturaliter evenientibus obstare poterit, & illorum vim retundere; cùm omnium aliorum medicorum scientiam longissimè superet, ac suprà mortales omnes, omnium quæ creavit Altissimus medicinalium naturas, effectum, ac etiam morborum causas prævideat, ad unguem cognoscat, & angelico perscrutetur acumine; ac proindè quo tempore, quo gradu, & mensurâ applicanda sint, perfectissimè sciat, & abditissima quæque, & remotissima promptè & sine mora adducere possit, & suo tempore & occasione applicare.

Cæterùm, ut hoc certum est, ita minimè dubium, vafrum hunc & versipellem cacodæmonem tantum nobis beneficium nullo pacto præstiturum; cùm infensissimus generis humani sit hostis, perpetuoque nobis invideat, mille technas, ac tentationum reticulas continuò struat, ut præcipites in æternam adigat mortem: cùm etiam tam longè absit, ut laborum & calamitatum nostrarum misereatur, ac condoleat, ut econtrà infortunia quæcumque nostra & ærumnæ, illius solatia sint & delectamenta, quibus suas veluti solatur ac temperat; nec prætereà ullâ vi aut precibus adduci potest, ut utilitatis aliquid nobis afferat. Proindè impium, ac temerarium salutem ab ipso aut petere, aut sperare; imò vanissimum, cùm perennis sit hostis, & qui nunquam cesset hominibus insidiari: quo fit, ut omnia illius subsidia, vel per illum (si hoc fieri potest) vel per illius ministros adhibita, diabolica sint & fraudulenta, animæque & corpori adeò perniciosa, ut nemo sanæ mentis pietatis, propriæque salutis studiosus, ea appetere possit. Foret enim dementis, non quidem existimare modò, sed somniare, quidquam propitium ab istis veritatis, pietatis, ac justitiæ hostibus proficisci posse; aut credere importunam illorum artem ad aliquid aliud valere, quàm ad fraudem ac damnum similiter ab ea petentium auxilium; quandoquidem talis sint naturæ, ut eis nil antiquius sit, quàm dolis, quàm machinis, quàm fallaciis, ac præstigiis mortales continenter circumvenire, & in errorem trahere. Igitur auxilium, quod plus detrimenti, quàm emolumenti haud dubiè conferet, quis implorabit? Quid prodest sathanam tot annorum centenis physicum eximium, rerumque naturalium, & medicinarum omnium peritissimum esse, cùm ex pessimâ suâ naturâ omnis mendacii, falsitatis, & fallaciæ sit pater, & ex tota indole infestissimus generis humani osor, insidiator, hostis, &, sicubi permissum, perditor; qui non corpori tantùm, sed animæ sedulò exitium machinatur, ac tanquam leo circuit quærens quem devoret, & assiduè artes meditatur, quibus nos seducat, veteratorieque decipiat, ut apud Deum accusandi ansam nanciscatur. Absit, ut à tam execrando fraudum architecto boni quidpiam aliquis sperare ausit, ac sibi promittat;

4.

5.

tat: quandoquidem sicuti astutus latro, qui parvo & momentaneo xenio aliquem munerat, aut ei famulanter obsequitur, ut datâ operâ, auri & argenti pretiosam omnem gazam surripiat; ita nequissimus alicujus dolorem interdum juvare simulat, ut adulterinâ clave obstupentis animæ reseret seras, & illam in prædam rapiat, nisi misellus sopito dolore jam illaqueatus pedem retrahat, & seriò resipiscat.

Ergò attendendus finis est, quem dolosus artifex intendit, cùm per mancipia & suos mago-medicos hunc aut illum sanare simulat; hos ut in officio & impiâ credulitate contineat, arctiusque devinciat; deindè miseros ægrotantes, qui per sagas, aut magos impetratâ operâ curari desiderant, ad se superstitione involutos trahat, in animæque extremum periculum præcipitet, & fiduciam omnem in Deo vero solùm habendam ad semetipsum convertat; sin minùs, conscientiâ sauciatos in desperationem inclinet. Proprium enim lucrum quærens, mille dolis, & intertextis periculis utitur, auxiliis & palliatis curationibus decipiens, ut tantillùm beneficii corpori tribuens animam trucidet, & enecet; quod si non possit, quæ salutaria attulit præsidia, in deleteria alia convertens corpus exulcerat, & multò deteriores plagas incutit, ut sic benè mulctatus maneat, qui auxiliatrices tam crudelis & inimici medici optavit manus. Rectè proindè admonet D. Chrysostomus: *Si quis medicus bonus est, potionemq; dat, accipienda; nec curiosè inquirendum qualis ea sit, sed habenda uti sanitati conducens: sin verò veneficus est, magus, incantator, non modò non inquirendum qualis sit, sed & etiam vox fugienda.* Quales namque sint illorum & sathanæ curationes, & beneficia quæ homini præstat, abundè multis exemplis ostendit *Bodinus*: inter alia hoc refert de Hulino Parvo Aureliensi materiario, qui magicâ sorte affectus lethaliter, accersiri curavit hominem, ut superstitiosis, quibus utebatur, artibus à morbo sanus fieret; & hunc respondisse ait, se ægrum curare non posse, nisi morbum derivet in filium ejusdem ægrotantis: annuit pater, sed nutrix re cognitâ cum puero aufugit, & brevi percurato patre magus puerum afferri expostulat; quo non invento repentè exclamavit: Actum est de me; puer ubinam est? sed vixdum abiens pedem januâ extulerat, cùm eum diabolus interemit subitò, quòd morbum curaverit, & in alium non transtulerit, ut pactus & pollicitus fuerat.

6. | Lib. de[...] cap. 7. | Lib. 3. [...] giæ dæ[...] cap. 2.

Vanum itaque à sentibus petere uvas, & hunc, qui naturæ proprietate inimicus est, & acerbus antephilus, nilque boni, aut auxilii in nos conferre vult, implorare, cùm præsertim si quid præsentet, totum fallax sit, fraudulentum, & inferni hamus. Optimè quidem Fernelius pessimam hanc illius industriam & vafriciem detegit: *Potest* (inquit) *dæmon quosdam integrè persanare, sed tantum beneficium in hominem, quem perpetuâ sectatur invidiâ, conferre haudquaquam vult; fictam, simulatamq; dumtaxat præstat sanationem, cujus admiratione perversas hominum mentes irretiat, sibiq; in fidelitate subjuget; hoc unum cumprimis adnitens, ut ab his quos seduxerit, divino cultu & honore dignetur: simulat enim astutus nequam, ac persuadet, se his sacrilegiis in alloquia & obsequia cogi, & in ceteris etiam vel naturæ, vel artificii vim mentitur.* Nam, ut idem ait author, *Vidi scriptâ cartulâ collo subnexâ universi corporis icterum unicâ nocte detergi; vidi febres verbis, cæremoniis, quadamtenùs profligari, sed quæ mox similiter, aut multò deteriùs recurrerent.* Siquidem ut in magicis artibus dæmon non res ipsas, quas generare non potest, sed solas rerum species, & spectra quædam exhibet, quibus hominum mentes quasi præstigiis illudat, & oculorum aciem perstringat; ita in his, quæ ad medendi usum quovis modo accommodat, nec certa, nec tuta, sed captiosa, & plena sanatio est. Quæ cùm verissima sint, vide quanto odio digna sit Paracelsi impia & execranda opinio, qui in Deum & homines blasphemus, *Parum refert*, ait, *Deúsne an diabolus, angeli; vel immundi spiritus opem ægro ferant, dummodò morbus sanetur.* O verum contumeliæ vas! superstitionum omnium restaurator! quid aliud regula hæc est, nisi exquisitissimus diaboli uncus, quo multorum animas in orci foveam pertrahere tentas, & in æternum allicis exitium? Credamus nos potiùs D. Augustino, qui sic monet: *Permittit Deus ad probandum Christianum, ut interdum per sacrilega remedia, aliquid opis sentiant ægri, qui faciliùs posteà diabolo credunt: sed qui religionem christianam custodire desiderat, totâ animi virtute illa contemnere necesse est.* Et lib. 2. de doct. Christ. cap. 23. *Occulto Dei judicio contingere*, ait, *ut cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi decipientibus illos prævaricatoribus Angelis; quorum illusionibus evenit, ut multa secundùm observantium voluntatem eveniant, à quibus implicati*

7. | Lib. 1. [...] abditis. [...] cap. 16

8. | Serm. 2. de temp[...]

cati curiosiores fiunt, & sese magis in multiplices perniciosissimi erroris laqueos inserunt.

Salubre igitur, ac salutare D. Chrysostomi consilium amplexandum: *Potiùs mors homini Christiano subeunda, quàm vita ligaturis redimenda.* Omnes siquidem hujusmodi artes in infideli & dolosa dæmonum amicitia constitutæ, Christiano penitùs sunt repudiandæ ac fugiendæ; summoque Deo laus & ingens gratiarum actio tribuenda, qui hæc dæmonum ludibria, quæ olim aliquid ponderis habuerunt, Christo ex illibata Virgine nato destruxit, & illorum potestatem ademit, hominumque mentes illuminavit, ut magorum hæc incantamenta meras esse nugas agnoscerent, Deo execrabiles, cùm legibus, Pontificumque sacris decretis, divinis eloquiis, & preceptis magnoperè vetitæ, & prohibitæ sint. *Deuter.* 18. *Levit.* 19. *Michea* 5. *Malachiæ* 3. *Isaia* 8. *Exod.* 22. *Levit.* 20. *Ierem.* 5. *& Regum* 2. *cap.* 1. *Decreta Pontif. quæst.* 26. *canon.* 7. *Conc. Laodicense can.* 36 *Tolet.* 4. *can.* 30. quin & *Nemesis Carolina cap.* 1009. ut latiùs docet & affert Freitagius *in noctib. medicis cap.* 30. Quoniam medicus tantummodò, & præcipuè Altissimus qui illum creavit, morbis subsidium afferre possunt; non pessimus ille, qui corpus & animam pessimo ulcere inficere continuò satagit, & affectat.

Nemo igitur sit qui ignorare debeat, securissimè semper medica præsidia arripi, diabolica nunquam: Deus juvare potest, & cùm ex re nostra est, juvat; dæmon, nisi Deo permittente, non potest, & cùm juvat, plus nocet: ille nos permittit aliquando diu sub cruce, ut salvet; hic liberat, ut enecet, trucidet, capiat: Ille mali aliquid immittit, ut sequatur decuplum boni; hic aliquid apparentis boni prætendit, ut decuplum mali accersat. Posuit enim Deus à mundi initio inter ipsum & hominem inimicitias. *Genes.* 3. nec ullum exemplum in sacris literis, vel historiis legitur, quòd diabolus homini unquam quid boni fecerit: sat multæ Angelorum legiones sunt, quorum ministerio Deus, ubi vult, homines adjuvare potest; nequam verò iste, nato Christo, nil se jam posse, nec ab eo aliquid petendum vel invitè fassus est: quandoquidem apud *Suidam & Eusebium*, cùm Augustus Cæsar, sub quo Christus natus est, Pythiam de successore, qui post ipsum futurus esset orbis terrarum monarcha, percunctaretur, hoc accepit responsum:

Lib. 5. de præparat. Evang. c. 8.

> *Puer Hebræus Diis beatis imperans*
> *Iubet me hanc ædem relinquere, & in orcum redire.*

Quod alii sic exprimunt:

> *Me puer Hebræus jubet hinc (rex ille Deorum)*
> *Tartareas remeare domos, hâc æde relictâ:*
> *Dehinc ora tenens, altaria nostra relinquas.*

Meritò igitur cum *Majolo* concludimus: Si quispiam aliquo incantamento usus deprehensus fuerit, sive id restituendæ, conservandæque valetudinis, sive avertendæ à rebus frugiferis calamitatis causâ fecerit, hic apostatarum pœnam subiens, ultimum supplicium sustineto. Tanti ergò (omnes obsecro) ne sit ulla calamitas, ut operâ sathanæ, relicto Deo, ab ea liberari cupiat; prout doctissimo hoc epigrammate *F. Iacob. Grandensis* consulit:

> *Si qua valetudo fato grassante sinistro*
> *Corpora curari nescia tristis agat:*
> *Herba licèt pariat nihil Anticyra salutis,*
> *Nilq; Machaonicis potio mixta viris,*
> *Iupiter è rapido, post vota precesq; dolori,*
> *Nec succursuram miserit axe manum;*
> *Nulla fides unquam tamen est adhibenda magiis,*
> *Et temerè infandam hanc nemo requiret opem.*

QVÆ-

QUÆSTIO TRIGESIMAPRIMA.

An capite præciso vivere poßit animal, saltem per breve tempus; An ad aliquod spatium progredi? Et an recisum caput loqui naturaliter poßit?

Quoad primam hujus dubitationis partem, nimirùm An præciso, & avulso capite vivere possit animal, ut respondeamus, videndum priùs est, quid sit vita. *Ioan. Argenterius* versatis doctus, multorum affert opiniones, qui vitæ definitionem tradiderunt; quos tandem ad unum refutans concludit, vitam nil aliud esse, quàm essentiam, subsistentiam, & permanentiam rerum animatarum; & hanc optimam vitæ definitionem credit, & meritò, cùm vita nil aliud sit, quàm actus animæ, qui philosophis primus dici assolet; seu, ut unico verbo rem exponam, essentialis vita ipsa anima est, corpus informans, actuans, idque per unionem essentialem formaliter vivum reddens, nec ab anima realiter, sed solùm modaliter differens, ita ut synonima sint anima, & ipsa vita.

1. *Vita definitio.* — 1. Aph.

Ad dubitationem igitur accedendo, dubium non est de miraculosis illis eventibus, quos virtute divinâ accidisse annotatum est, ut in Sanctorum Martyriis non rarò evenisse fertur; quemadmodum Dionysio Areopagitæ contigisse in illius vita narratur, qui jam decollatus proprium caput manibus assumpsit, ac mediocre confecit iter, quousque Catullæ mulieri obviàm factus idem suum caput illi tradidit: similiter de S. Quiteria scribitur eam præciso capite in proximam civitatem iter fecisse,& de S. Victore idem in temporum enchiridio scribit Venerus. Nec etiam de insectis, & sanguine carentibus, aut imperfectis animalibus inquirimus, quandoquidem omnibus notum est, illorum pleraque non capite truncata modò,sed vel per medium aut in partes dissecta vivere, moveri, sentire; imò insectorum omne genus oleo perfusum emori, sed aceto conspersum reviviscere testantur *Ælianus*, & *Plinius*. Et ut à minimis incipiamus, pulicem per medium discissam reviviscere tradit *Albertus Magnus*,& in pediculis non hoc solùm visitur, sed planè mortuos, si vestibus adhæreant, corporisque calore foveantur, ad vitam redire certum est: cicadas, & grillos abscisso capite non tantùm supervivere diu, sed etiam canere observavit *Cardanus*: de muscis, vespis, locustis *Tertullianus*; de fucis apibus *Calcidius*, affirmant, quòd adempto capite, non vivant tantùm, sed avolent, aculeis feriant, & se defendere conentur; quin & de ranis scribit *Plinius*, semestri spatio in limum resolvi, ex quo demùm accedente vere renascuntur. Ergò de insectis quòd tenacissimæ sint vitæ, præciso capite & in plures partes diviso corpore diu in vita manere, & huc illuc moveri, præsertim quæ inter ipsa longiora sunt, & plures pedes habent, asserunt omnes ferè qui de naturalibus scripserunt, cum Aristotele *lib. 4. de part. animal. cap. 7.* & propriâ experientiâ *lib. de animæ quantit.* confirmat *D. Augustinus*: causam ex multorum authoritatibus tradit *Aldrovandus*, quòd internarum partium œconomiâ careant, nimirùm pulmone, hepate, & pluribus aliis; non enim ad vitam tot officinarum operationibus indiguerunt, & principum partium officiis, ad vitæ præsidia comparanda, cùm quamplurimis careant: ut non immeritò *Aristoteles* illorum vitam à plantarum vita non multùm dissimilem fecerit, quæ & recisæ diu vivant, quoniam in qualibet parte potentiâ & virtute germen habent ac radicem; & 3. *de partibus cap.* 10. aliam causam addit, quòd naturam dissimilem sortiantur, sicuti sanguinea similem; quare apertè de illis, quòd truncato capite vivere possint, eodem loco affirmat, quod *lib. 21. cap. 1.* etiam fatetur *Rhodiginus*. Igitur prædictis animalibus, quòd minori influxu cordis & cerebri indigeant, cùm respiratione plerumque careant, provida natura defectum compensans pertinaci vitâ favit.

2.

3. — Lib. 1 cap. 9 53. — Lib. 7. rerum riet. ca — Lib. 9.

4. *Insecta quare pertinacis sint vitæ, ita ut divisa vivant.* — In inse

Plantæ quare recisæ diu tamen vivant. — Lib. 4. partib. mal. c. lib. de vent. & nect.

Cæterum si ad perfecta animalia veniamus, tradit *Ælianus* testudines reciso capite non statim mori, sed videre, ut admotam manum etiam mordere tentent, marinas præsertim; unde constat non solùm vivere, sed sensum quoque servare, ut sese defendere

Lib. 4. cap. 28

dere conentur. Confirmat *Rondoletius*, quod propter frigidi ſucci conſtantiam evenire ait, ob quam rationem ſine ullo cibo diu perſiſtunt: *Averroës* arietem ait vidiſſe, præciſo capite huc illuc motantem; ſed & apud *Plutarchum* legimus boves tali ictu dejectos non protinus expirâſſe, ſed linguam extrà & intus movendo aliquatenus permanſiſſe: quid plura, cum videamus anguillam decollatam, pelle nudatam, in fruſta diſſectam, oleo frixam adhuc moveri? & de lacerta ſcribit Majolus *colloq*. 8. eâ per medium diviſâ à capite uſque ad caudam, neutram partem emori, ſed ſeorſim duobus pedibus gradi ac vivere. Et ut ad hominem accedamus, admirandum eſt quod narrat *Euſebius Nierembergius*, præteritis annis accidiſſe in quodam conflictu inter Imperiales, & Palatinatûs rebelles; Hungarum, & Polacum obviam factos, Hungaro irrito conatu hoſtem petente, curvo & lato enſe unico ictu Polacus caput illi dejecit; tamen ſic decapitatum currente equo, antequam caderet, mediocre ſpatium confeciſſe: hinc inferre nititur non mortuum, ſed vivum totum illud tempus permanſiſſe. Sed majori admiratione digna eſt hiſtoria, quam ex *Math. Villano* ſcribit *Marcellus Donatus*: ait namque Florentiæ Gualterio cuidam publicè reſecto capite, dum cadaver arcæ impoſitum ad Eccleſiam ſanctæ Crucis humandum geſtaretur, repentè concuſſione validâ adeò agitatum, ut arcæ tabulata invicem disjungerentur, ac pænè ex geſtantium humeris decideret, quod ad jactum baliſtariæ ſagittæ dum funus progrederetur perſeveravit, non ſine geſtantium admiratione magna. Tandem *Zacutus* in puero decenni ex hydrocephalo mortuo, aperto capite cerebrum nullum inventum ait; ergò videtur quòd iſte ſine cerebro vixerit, quod idem eſt ac ſi ſine capite viveret: quod etiam confirmat *Gemma*, qui aliqua ait animalia ſine cerebro inventa fuiſſe.

Lib. 3. curi. Philoſ. c. 21.

Hiſt. ſui temp. lib. 3. cap. 46.

Lib. 2. de med. hiſt. mirab. cap. 3.

Lib. 1. de prax. miranda obſ. 4.

Hi ſunt caſus & hiſtoriæ, quibus an ulla fides tribuenda ſit, judicent alii; quippe rationibus hoc probare impoſsibile videtur, licèt aliqui animalia alia objiciant, quæ ſine capite vivunt, ut de oſtreis tradit *Plinius*, quas ideò *Turpilius* vocavit inoras: de monſtris etiam afferunt, quòd multa ſine capite prodiiſſe obſervatum ſit, ut ſcribunt *Paræus*, *Georg. Schenckius*, *Licetus*, ac ultimò *Aldrovandus*; qui complures monſtrorum affert hiſtorias, quæ ſine capite nata non tamen propterea ſenſu & motu carebant, dum viva manere viſa ſunt. Ulteriùs dubitationem auget, quod *Huldericus*, afferente eodem Aldrovando in hiſt. ſuæ navigationis narrat, in Regno Guianæ, inter lacum Caſſiſe, & ſtagnum Parime ſito, genus hominum acephalon vivere, oculis & facie in pectore collocatis; quod ex *Plinio* confirmari poteſt, qui ad montem Milo in Aſia Occidentem verſùs, hominum genus ſine capite vivere aſſerit: quod de Blemmiis idem tradit auctor, capita illis abeſſe, ore & oculis pectori affixis: quod ne quis fabuloſum putet, credendum *D. Auguſtino*, qui *ſerm*. 37. hoc habet: *Ego jam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibuſdam Chriſti ſervis ad Æthiopiam perrexi, ut eis Chriſti Evangelium prædicarem; & vidimus ibi multos homines & mulieres capita non habentes, ſed oculos in pectore.*

Lib. 11. cap. 37.

Cap. 3. de monſtris.

Lib. 5. cap. 8.

ſio.

Attamen his non obſtantibus tanquam verum ac firmum accipiendum eſt, perfectum quodcumque animal, & hominem potiſsimùm rectè conformatum, abſciſſo capite vivere nec tantillùm temporis poſſe: quia licèt vita à capite & cerebro non dependeat, ſed à corde immediatè proficiſcatur, ſenſus tamen, & præcipuè motus, ſine quo thorax dilatari non poteſt, à cerebro oriuntur; quo deficiente perſpicuum eſt reſpirationem ſtatim defecturam, cum grynapium ſive truncus parte alia ex qua motus dimanet, omninò careat, nempè cerebro deficiente, & inſtrumentis etiam reſpirationis, cum aſpera arteria, per quam aër ingreditur, planè ſit diſſecta, quæ & thoracis motum requirit, ut aër per illam ingredi & egredi valeat, quo deficiente cordis refrigeratio & motus ceſſare debent, & cum eis vita: nec obſtat quòd motum aliquem facere videantur, quia ille motus facultatis corpus gubernantis non eſt, ſed nervorum quædam concuſsio ex ſpiritibus ibi relictis, quæ illis citò exhalatis ſtatim deficit; nec ſi aliquatenùs duret, tamen vita dicenda erit, quoniam ut anteà dicebamus, vita eſt eſſentia cum permanentia rerum animatarum: nec phyſico modo vita dici poteſt, quia & in trunco corporis, & in capite anima manere non poteſt, alioquin diviſibilis foret, quod ridiculum eſt. Et licèt nec cor propter cerebrum, nec cerebrum propter cor factum ſit, ut adverſus Ariſtotelem *in libris de uſu partium* probat *Galenus*, tamen ut ſuo munere fungantur, ita alterum alterius exiſtentiam & facultates expoſtulat, ut non tantùm deficiente capite, ſed facultate pereunte, cordis etiam facultatem in conſenſum trahat; talem quippe inter ſe ad vitam ſuſtentandam connexionem ſervant, ut aliquâ

8. De uſu partium. cap. 4.

pereunte reliquas quoque perire necessum sit, ut 9. *meth. cap.* 10. docebat *Galenus*.

Igitur in capitis à corpore divisione, vitam etsi per breve tempus manere credendum non est; nam in utraque parte vel ob animæ indivisibilitatem hoc asserere temerarium foret: in corporis trunco, utpote quod cor contineat potissimum vitæ principium, fieri non posse ex dictis convincitur; quia cerebri influxu deficiente, thoracis quoque motum & respirationem statim deficere debere consequens est, sine qua dari vita non potest: de capite verò à corpore & corde disjuncto clarius patet, quòd vita frui non possit; unde enim vitalis aura illi adveniet, quæ à corde præstabatur? Hinc meritò *Licetus* cùm ageret de capite à muliere Augustana, reliquo corpore carente, enixo, ob cordis defectum minimè vivere potuisse concludit; nam licèt aliquatenus moveri videatur, palpitatio potius quædam est, & exeuntium spirituum concussiones, quàm proprius ac vitalis motus à facultate dimanans. Quarè motus illi capitis testudinis, & linguæ bovium, qui ex *Plutarcho* afferuntur, per brevissimum tantum tempus durare potuerunt: nec sanè vitales fuère, cùm à cordis consortio segregatum caput nullum ab ipso beneficium suscipere posset; sed in capite aliquatenùs durare potuerunt, cùm movendi principium inde dimanet, & ad capitis partes influxum adhuc aliquem præstare potuisset, quoad penitùs extinctâ animalis facultatis virtute conciderent partes, quod brevi eventurum erat. Undè magis mirandum, quod de ariete tradit *Averrhoës*, (si verum est, quod ego non crediderim) licèt crassorum spirituum natura, non ita facilè dissipabilis, adhuc moram aliquam in nervis & musculis faciens, ad passus aliquos motum juvare potuerit, dum qui forsan eundo percussus est aries, eodem quo ferebatur motu tantisper perduraret; quod minus fortè spatium fuit, quàm ab auctore enarratur: sed quomodocumque acciderit, jam diximus hoc non esse vivere, sed extremis brevibusq; & ultimis conatibus, intrinsecisq; spirituum motibus colluctari.

Lib. 2. monstr. cap. 3.

De Hungaro equite quod affertur, nil admirationis continet; quia ille non movebatur, sed equus, qui tam directè ac leniter cursum peregit, stapedibus innixo corporis trunco, qui pedibus benè firmatus ac rigidus manserat, ut spatium illud, antequam caderet, conficere potuerit: nam & demortua corpora militum equitando vecta, & agmen secuta aliquandò fuisse observatum est, ut ex *Theonesto* scribit *Forestus*; quin & equitem, equumque vitâ functos, stetisse tamen vestigio immobiles, idem prodit auctor. Nec etiam ea, quæ de Gualterii cadavere narrat *Villanus*, aliquid convincunt, multùm licèt temporis à resecto capite, quoad corpus humandum duceretur, interpositum fuisset: quoniam vel spiritus aliquis flatulentus inclusus exitum quærens cadaveris molem concutere potuit, vel diaboli superstitio aliqua fuit, ut adstantes deterreret; quippè aliter dicere, adhuc vitæ participem extitisse, ridiculum est, & nullo pacto admittendum. Tandem ad historiam, quæ ex *Zacuto* affertur, respondetur illud minimè credi debere; atque ideò falsum esse meritò judicat *Sennertus* in *paralipomenis ad lib.* 1. *praxis cap.* 6. cum, si historia vera esset, non cerebrum officina spirituum animalium, sed alius eorum generationi locus quærendus foret; quarè inquit se optare ut tempus, locus, & testes hujus observationis adscripti fuissent: & licèt *Nicolaus Fontanus* in suis *responsionibus medicinalibus Doctori Costero, folio mihi* 16. se testem oculatum præbeat similis casûs anno 1629. die 14. Decembris, mihi adhuc cum Sennerto incredibile apparet sine cerebro hominem vivere posse. Nec auctores, quos in confirmationem idem *Fontanus* adducit, illi aliquatenùs favent: nam Valeriola *lib.* 4. *obs.* 10. tantum de ingentibus vulneribus, ac periculosissimis verba facit, aliquem verò sine cerebro vidisse, aut vixisse non ait; nec Schenckius *lib.* 1. quem Fontanus citat. Verum quidem est, quod *lib.* 7. ex Doct. Guarnero *de obs. propriis*, in infamis libidinis gallicato, aperto cranio nil cerebri repertum scribit; uti & in petulantissimi cujusdam histrionis capite, quòd admodum libidinosus esset, exiguam cerebri portiunculam tantum repertam ex *Alberto Magno* scribit *Andreas Laurentius*; quod quoque referunt *Langius* & *Marcellus Donatus*: sed his non obstantibus *Sennerto* assentiendum judico; nam licèt verum sit, quòd ex immodico coitu cerebrum admodùm afficiatur, & illius substantia imminuatur, non solùm quia admodum mollis, & quæ facilè exhauritur, sed etiam quòd testium tractioni minùs resistere valeat, cùm ultima pars sit, in qua cessat vis trahens, & finitur; hoc tamen nil probat, aliquem omninò sine cerebro vivere posse, cùm sit pars corporis humani valdè præcipua, & sine qua tota hominis œconomia perit, & spirituum animalium generationem statim deficere necesse est, ad quorum defectum, sensum, motum, imò respirationem intercidere haud dubium est. Cerebri verò particulâ amissâ, & exemptâ ali-

9.

Lib. 1. obs. 41.

10.

Cerebrum in coitu quarè nimis afficiatur, & extenuetur?

Lib. 8. an. to. quæst. 4. Lang. tu. 1. epist. Mar. Do. lib. 4. h. medi. m. rab. cap.

aliquos vixisse, apud *Schenckium*, *Hildanum*, *Sennertum*, & plures alios legimus; dummodò ad cerebri ventriculos damnum non accedat: & sic potuerunt cum aliqua cerebri imminutione gallicatus ille, & histrio aliquantisper vivere, cùm adhuc facultas animalis officium suum quadamtenùs præstaret; sed hoc jam vel ob cerebri substantiæ defectum, vel aliâ ex causa deficiente, statim hominem extingui debere, quis negare audebit? Siquidem videmus fortissimam apoplexiam brevissimo tempore hominem abripere; vidi ego in homine robustissimo, qui dum manè è lecto surgeret, hoc affectu correptus intrà dimidium horæ quadrantem sublatus est.

2\. Dicamus ergò vel cerebrum in puero illo circà mortem ex aliqua interna causa putrefactum, ac in putridam saniem resolutum; vel falsissimam esse historiam, quam *Zacutus* nobis affert: fuit quippè pessimus hic Judæus alter mendaciorum pater, ut de *Amato* illi simillimo non absq; ratione dicebat *Fallopius*; uterque enim, ut legentes in sui admirationem trahant, & novitatibus, inauditisque demulceant, chimæras mille, atque putidissima mendacia scribere non erubuerunt: cujus audaciæ, vaniloquentiæ, ac Judaicæ falsitatis & commenti, acerbè & non citrà rationem eundem *Zacutum* convincit & taxat *Fortunatus Plempius* insignis Lovanii primarius Doctor, cum quo Antverpiæ conveniens latè de hac re sermonem habui. Ad illud verò quòd de monstris sine capite ortis adducitur, facilè etiam respondetur, talia statim ab exortu extincta apparuisse, & anteà fuisse; undè colligi potest, non animalem, sed quodammodò vegetativam egisse vitam: quòd si ex motu & sensu vitam per breve tempus extrà uterum, vel intrà habuisse inferunt, idemque ex acephalis animalibus comprobare nituntur, ut de ostreis dictum est, quod alii de pisce orbe affirmant, & generatim de omni cancrorum genere, & de illis, qui tenui crustâ teguntur meminit *Galenus*, pro his omnibus cum eodem citatis in locis respondendum, particulam scilicèt, quæ sensuum dux est, & motûs voluntarii, omninò illis in pectore locatam esse; quod etiam *Aristoteli* placuisse apud ipsum legimus: nam & aquatilium & insectorum pleraque vero corde destituuntur, cerebro nulla. Atque etiam, si vera sunt quæ de hominibus in Æthiopia visis narrant D. Augustinus & Huldericus, sine capite viventibus, quamvis difficilè credi posse, scribat *Aldrovandus*, tamen propter tanti viri auctoritatem tales collo etiam carere suspicatur, capite thoraci adhærente, unde pro animalis motione functio dimanaret; atque ideò rectè dicendum sine capite vivere, non verò sine influxu animali, quem si non à capite rectè conformato, ab alia parte, quæ cerebri virtutis functionem præstet, facultatem accipere certum est. Sed hoc nihil concludit, cùm hìc solum quæratur de illis animalibus, quæ caput optimè conformatum sortiuntur, ut de homine, & quadrupedibus: de quibus nec ultrà vivere nec nisi paucissimos

3\. gressus ambulare posse cum *Aldrovando*, & *Arist.* asserimus; cum utplurimum statim cadere conspiciantur, ut *lib. de juvent. & senect.* Aristoteles confirmat per hæc verba: *Quæ verò perfectissimâ corporis fabricatione formantur, dissecta vivere non queunt, quoniam illorum natura, quoad fieri potest, maximè una est: quamobrem partes quædam dissectæ brevi tempore exiliterque sentiunt, quia tametsi quandam sentientis animæ affectionem obtineant, sentiendi tamen carent animâ.* Quare *lib. 3. de partib. animali. cap.* 10. apertè ait corpus detracto capite quoquàm progredi non facilè credi posse; imò nec vivere dicendum, ut rectè *D. Ambros.* qui sic inquit: *Naturam nemo accusat, quòd membra omnia moriantur capite præciso: manus, pedes, brachium, amputari possunt, reliqua tamen vivere; imò, ut ista vivant, illa non nunquam amputantur; ademptio capite actum est de membris omnibus.* Quæ de homine præcipuè accipienda sunt, cujus œconomiæ perfectio, & animæ indivisibilitas præsertim in causa est, ut nec per brevissimum tempus pars aliqua dissecta vivere posse dicatur. Aliter in brutis, & præcipuè in insectis, in quibus minori difficultate hoc concedi, & accidere potest; si vera est illorum opinio, qui illorum formam & animam divisibilem esse statuunt, & quòd pars illius cum corporis partibus conformetur: quod in homine dici non potest, quia tota in toto corpore una est, & pars illius cum parte uniri non potest.

4\. Ad ultimam quæstionis partem accedendo, prætereundæ inprimis non sunt adumbratæ & superstitiosæ illæ locutiones, quas in cadaveribus & mortuorum calvariis dæmon respondisse narratur, atque in eisdem ad gentiles loqui ipsis visus est; de quibus Delrius *lib. 2. sect. 3. quæst.* 28. ut de illâ Policriti narratur apud Phlegon. *lib.* 1. *mirabilium*, Gabini apud Plinium Seniorem *lib.* 7. *cap.* 5. item de cranio magi apud Franciscum Picum 7. *prænoct. cap.* 10. quibus accensendum

In lib. 1. Diosc. de medic. mat.

Lib. 4. opthalmog. probl. 47.

Lib. 6. de usu part. cap. 2. & 4.

Tom. 4. lib. de Noë & arca. cap. 14.

 caput

caput illud æreum Alberti Magni Secundùm D. Thomam 3. *contrà gentes cap.* 104. de quo latè disputat Tostatus *in cap.* 12. *numerorum quæst.* 19. & caput Trajani Imp. D. Gregorii orationibus ab inferis liberatum, quod de suo statu, vitâ moribus, viro Dei interroganti respondisse fertur; ut narrat Ioan. Diaconus, D. Thomas *in sent.* 4. Sed sicuti hæc omnia (si D. Gregorii historiam excipiamus, & dubiam aliam Alberti Magni relinquamus) diaboli fuerunt commenta, & illusiones, qui non solùm ex cadaveribus & calvariis, sed ex metallicis statuis, aut lapideis responsa sua non rarò dare consuevit (ut latiùs apud Calcagninum *lib. de oraculis*, Jul. Syren. *lib.* 6. *de fato*, & alios scribitur, nec sanè pauca apud *Delrium*) sic divinâ jubente gratiâ in sanctorum virorum cadaveribus & martyriis miracula accidisse plurima, & divinas locutiones, apud *Marium*, *Fulgosium*, *Eborensem* passim legimus, in quibus ex summi Dei jussu, & ineffabili virtute, mirabilem & infinitam illius potentiam sæpius innotuisse haud dubiè fatendum est. Hoc modo D. Gregorii Pontificis VI. cadaver ad templi valvas feretro impositum, divino numine adjutum (quod anteà moriens promiserat) templum intrâsse inventum est. *Fulg. lib.* 3. sic de quodam interfecto narratur jubente Macario homicidam indicante; sic de alio jam humato, quem D. Antonius suscitavit, ut patrem ad supplicium jam euntem liberaret; sic de Africæ martyribus, qui persecutione Vandalicâ radicitùs abscisis linguis, adhuc clarè loquebantur. Sed an miraculosis his annumerari debeat caput illud ferreum mirè loquax, quod Tavaræ fuisse dicitur, aliis pensitandum relinquo: licèt enim *Tostatus* modò citat. naturaliter illud accidere posse probè neget, & diabolico ingenio talem metallicorum capitum locutionem peractam fuisse statuat, hoc non impedit, quò minùs miraculosè aliqua Deus permittat in providentiæ divinæ argumentum; ut de capite illo suspicari possumus, quod ad ingressum alicujus Judæi intrà civitatem, quoad exiret, aut extrà pelleretur, clamare non cessabat: *Iudæus adest, Iudæus adest.* Plura qui videre voluerit, apud *Euseb. Nierembergium* inveniet: sed magnâ dignum admiratione, quod *Anton. Bonfinius* scribit *lib.* 3. *hist. Hungaricæ*, anno scilicèt tertio post cladem Sigismundi Imp. à Turcis acceptam, cùm multi in eum campum descenderent, emissam inter ossa vocem auditam, Iesu Christi & Mariæ nomina intonantem, loquaxq; inter cadavera caput inventum, se Christianum proclamans, ac inconfessum & inexpiatum bello illo occubuisse, sed Deiparæ precibus æterni ignis supplicium evasisse; ac proindè confessorem, ut delicta fateatur, accersiri rogabat: illo verò à proximo pago adducto probè jam expiatus reticuit, perpetuoque quievit. Obstupescant ad tam illustre miraculum, & resipiscant Christiani, ut magis ac magis immaculatæ & SS. Virginis devotionem augeant, cujus beneficio tantum prodigium factum ajunt: ut jam videamus quanto pondere, & animi alacritate suscipienda sint melliflui *Bernardi* verba, qui sic nos *in serm.* admonet: *Si criminum immanitate turbatus es, si conscientiæ fœditate confusus, si judicii horrore perterritus, si barathro desperationis absorptus, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat à corde, non recedat ab ore; nam ipsam rogitans non erras, ipsam cogitans non desperas, ipsâ protegente non metuis.* Nescio an admiratione majus, quod in Pauli Apostoli martyrio conspectum, cujus abscissum caput ter per humum prosiliens, ter Iesu Christi nomen invocavit, tres fonticulos scaturire fecit, & de vulnere lac, deinde sanguis emanavit; videri hodiè prædictos fontes, secundo ab urbe lapide inter Ostiensem & Adriaticam viam, qui fuso Apostoli sanguine eruperunt, refert Blondus Flavius *lib.* 3. *instauratæ Romæ.* Hæc magis credenda, quàm quæ de similibus locutionibus apud gentiles evenisse legimus; quemadmodum de Pamphilio quodam Valerius Maximus, Leopardus, & Plato memorant, eum in acie mortuum, postquam decem dies jacuisset, cùm rogo tandem imponeretur, revixisse, ac mira quædam mortis tempore visa narrâsse; de quo etiam Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *Stromat.* mentionem facit. De Gabieno Cæsaris Classiario refert *Plinius*, quòd cùm Pompeii jussu cervix illi præcisa fuisset, in littore jacuerit; sed cùm ad vesperasceret, gemitibus precibusq; congregatâ multitudine petierit, ut Pompeius ad se veniret, aut charissimos mitteret aliquos. Simile exemplum de Jovis sacerdote Hophosino in Caria scribunt *Plato*, & *Valerius Maximus* (de quo etiam apud *Aristotelem* & *Rhodiginum* fit mentio) qui cùm occisus fuisset inventus, percussorque tamen ignoraretur, præcisum caput ajunt multoties inclamâsse: *Viro super virum Cercidas occidit.* Sed sicuti hæc diabolicæ astutiæ adumbratæ fuerunt locutiones, sic Sanctorum illæ ex Omnipotentis decreto miraculosæ extiterunt; ut incredulis tortoribus in-

Margin: 15. 16. 17. — In v. Greg. lib. 2 cap. 4 — Lib. 2 mag. 19. — Parte … cul. pl. lib. 1. 72. — Lib. 1. lib. 9. c. 2. Plato in … liticis. — Lib. 7. c. 52. — 5. de part. animal. cap. 10. Lib. 2. … tiq. lect. cap. 23.

infinita illius potentia, & Sanctorum virtus innotesceret, quorum animas æternùm victuras, ac victrices jam, stupendis signis in Barbarorum confusionem honorare decreverat.

Sed miraculis jam, & dæmonum commentis relictis, naturaliter accidere posse ut præcisum caput loquatur negandum est; quidquid *Felicianus Betera* vidisse dicat in capite cæsis, ob convenientiam spiritûs in cor & caput, post decollationem paucula quædam dixisse: quod alii ex *Homero* probare nituntur, quasi ob hanc rem ille dixerit:

Cap. 14. de igne pesti.

Ipseq; dum loquitur miscetur pulvere vertex.

Non enim dum ipse homo, sed dum ipse vertex intelligi volunt. Quos tamen ipse *Aristoteles* reprobat: etenim dubium hoc quærens fabulosum esse ait, quòd abscissum caput loquatur; nec apud Barbaros, qui summa cum celeritate abscindunt, tale quidpiam evenisse unquam accepisse fatetur: causam reddit philosophus ob defectum motûs pulmonis, quoniam humanæ voces ex pulmonis respiratione, & motu per aëris attractionem formantur; siquidem ad edendam vocem pulmonis usus maximè necessarius est, ut anatomici omnes fatentur, quo deficiente necessariò loquendi facultas adimitur. Rursùs ad loquendum plura alia requiruntur, quæ detracto capite deficiunt; nec enim sufficit pulmonis motus, nec linguæ & cæterorum instrumentorum, quæ illam movent, naturalis dispositio: quippè antequam ab omnibus istis verba proferantur, ab intellectu & sensibus debent promanare species, quæ secùndùm conceptum locutionem ministrent, ut à lingua explicentur ea, quæ in sensu fuerunt concepta. Quid verò ista in dejecto capite supplere valebit? Aut quid pulmonis usum præstabit, aut gutturis, vel in ipso momento ab humeris separato capite? Quantùm verò ipsum guttur ad vocem efformandam conducat, Galenus 2. *de placitis. cap. 3.* declarat sic scribens: *Quod si asperam arteriam incideris, ampliùs vocale animal non erit, quamvis liberè anhelitum trahat.* Et statim: *Quòd si homo vulnus eâ parte acceperit; accinget se ad vocem emittendam, & loqui cupiet, nil verò nisi quodam cum sibilo expirationem audies; exsufflationem appellare consuevimus.* Et rursùs: *Vulnere affectâ arteriâ ad vocis expressionem labor omnis inanis, ac frustrà suscipitur:* Ergò si vulneratâ tantùm arteriâ hoc accidit, quid abscisso omninò capite dicendum? Adjiciam licèt Hispano idiomate, quod de quodam optimæ vitæ viro, qui ejus martyrio & decollationi interfuit, sic non ineleganter cecinit:

Lib. 3. de partib. c. 10

Vn martir santo esperava
El cuchillo del tirano,
Quere que con cruda mano
De muerte le amenazava;
Ia el brazo caminava
A executar presto su
Rigor, y al dezir IESV,
El Martir con viva fee,
Enpezo à pronunciar IE,
Y no puedo acabar SV.

Patet itaque in homine ob prædictas causas hoc accidere naturaliter minimè posse; quòd si in aliis animalibus detractum caput vocem aliquam edidisse conspectum est, (quod fieri posse non negat *Aristoteles*) hoc mirum non est, quia licèt pulmonibus ad voces suas proferendas utantur, illas non ex conceptis speciebus proferunt; nec illorum locutio, ut in homine, articulata est, sed balatus, aut mugitus, qui hiante ore, levique motione perfici potest à spiritu & facultate in membris derelictis: quod in homine concedi non debet, licèt de cordis & cæterarum facultatum viribus ibi aliquid relinquatur; quia ob prædictas causas, & ob perfectionem conformationis illius, hujusmodi actionis in illo excellentiam, & præsertim ob animæ indivisibilitatem, non solùm non loqui, sed nec vivere momento posse certissimum est, ut de sanguineis omnibus 10. *probl. ultimo* fatetur *Aristoteles*; sanguineorum verò animalium omnia longo intervallo superat homo, sicuti perfectione sanguinis, & cerebri copiâ.

QVÆSTIO TRIGESIMASECVNDA.

An sine corde vivere possit animal, & an ipso exempto loqui, aut per breve tempus ambulare?

HÆc dubitatio apud Hispalenses coràm excellentissimo Comite de Palma, & aliis Proceribus, paucis abhinc annis controversa est, occasione cujusdam viri, cui, ut narrat *Iosephus à Costa*, Indi suis Diis sacrificantes cor extraxerunt, ac eo evulso postquam corpus per triginta ferè scalas decidit, clarè fertur dixisse: *O nobiles, quarè me occiditis?* De quo cùm adstantium aliqui valdè dubitâssent, doctissimus medicus *Franciscus Figueroa*, qui concioni interfuerat, brevem sed doctum tractatum de hac re Comiti dicavit. Dubium quippè facile est, quod Galenus 2. *de placit. cap.* 4. abundè dissolvit, Lemosius 1. *de facult. cap.* 6. & quamvis laconicè, satis doctè Eusebius Nierembergius 3. *philosoph. curiosæ cap.* 14. & 15. novissimè exposuit, ut nostro calamo non indigeat; sed ob præcedentis connexionem de hac re inquirere decrevimus, ne etiam hac parte amœnitatum curiosis deficere videremur.

1.

Cordis igitur præstantiam ex *Hippocrate*, *Galeno*, *Paulo*, *Aphrodisæo*, & pluribus aliis adductis commonstrat *Laurentius*; quare de illius excellentia, necessitate, & usu aliquid dicere supersedimus, cùm omnibus notissimum sit, non medicis tantum, sed cujuscumque professionis hominibus, dignitate, necessitate, & præstantiâ potissimam corporis partem esse: siquidem ex tribus illius præcipuis, hepate scilicèt, cerebro, corde, principalissima ad vitam sustentandam officina cor est, & inter alias omnes regia, & potissima vitæ ars; quam ad ultimum conatum natura defendere nititur, probè conscia, hâc morbo victâ cætera corporis fulcimenta facilè labi, ac penitùs dejecta concidere, tanquam à duce destituta, & valido illius auxilio, sine quo permanere non possunt, orbata. Licèt verò cerebrum corde præstantius judicetur, quòd præcipua sit animæ sedes, & quòd sensum motumque animali præstet, quorum ratione animal constituitur: tamen quoad vitæ functionem potissimum ac primum est cordis instrumentum, ex quo omnes corporis partes, & ipsum etiam cerebrum totam vivendi prærogativam suscipiunt; ut non immeritò primum vivens, & ultimum moriens à philosopho dicatur, qui nec grave propterea vitium pati posse 3. *de partibus animal.* scripsit: cum quo Peripatetici & Stoici ferè omnes ita consentiunt, ut non solùm primum vitæ sensorium, sed facultatum omnium movendi, sentiendi, & hæmatosis primum etiam principium cor constituerint, ac animæ præcipuam sedem, cùm & *Hippocrates* illam in cordis sinistro ventriculo apertè locare non dubitaverit. Cùm igitur tam excellens sit viscus, tam mirabile ac necessarium vitæ propugnaculum, ad cujus offensam reliquorum membrorum & facultatum vires corruunt, credine potest illo deficiente, licèt per breve tempus, adhuc stare vitam posse? Maximè quidem, & apud omnes medicinæ professores ratum, ac multorum experientiâ probatum est, ac firmum.

Lib. 8. quæst. ... luæ ana...

Libello de corde.

2.

Plura non congeram, quæ apud Schenckium per otium legi possunt: ibi enim cordis apostemata, ulcera, vulnera, non exiguo tempore, sed per plures etiam dies cum vita durâsse leguntur; imò ad septimum usque, & amplius vixisse quendam, cui sclopetario globulo cordis basis trajecta est, vidit *Henricus ab Her*: ut jam maximè verum existimandum sit, quod Galenus 5. *de locis* 1. scribit, nisi ad cordis ventrem vulnus perveniat, ex quo cum maxima sanguinis effusione protinùs homo emoriatur, (præcipuè si sinistra pars fuerit sauciata, aliter si in cordis substantia consistat) læsum ad sequentem, & plures dies durare posse: quippè sic percussum ad 200. passus ensem vibrando, & hostem prosequendo, priusquam caderet, cucurrisse vidit *Paræus*; & utroque cordis ventriculo transverberato longam plateam discurrentem antequam concideret, observavit Cyriacus Lucius apud *Schenckium*, qui & horam supervixit; quod in lepore etiam accidisse testatur *Iul. Alexandrinus* cordis medio glande perfosso, ad teli jactum cursu præcipiti durante, ut idem narrat author: dextro cordis ventriculo vulnere transfosso ad 15. dies hominem durâsse, longâ historiâ narrat

Obs. 11.

Lib. 9. cap. 30.

narrat *Nicol. Mullerus* apud Jonstonum *in thaumat. classe* 10. *c.* 6. *art.* 1. Pauca sunt hæc: narrat *in coacis* Jacotius *fol. mihi* 995. inventam cervam, quæ sagittæ aculeum longo tempore cordi infixum gestaret; quod quoque apud Vegam *com. ad cap.* 1. *lib.* 5. *de locis* adnotatum est. Sed ne ob raritatem hæc fidem demereantur, à Doctore *Victoria* Complutensi, & medicinæ Decano, qui propriis oculis in cervo idem conspexit, similem historiam accepisse testatur Fontecha *lumin.* 2. *cap. de corde*, sagittæ parte cum cordis substantia jam unitâ & contextâ, quod nisi longo tempore fieri impossibile fuerit. Forsan tantum naturæ miraculum, & vis dictamno adscribenda, cui tam ingentem ad cervorum vulnera curanda facultatem illa tribuit, ut ab eisdem depastâ herbâ sagittas è corpore valeant expellere; aut saltem illius esu tanto etiam cordis vulnerum periculo subvenire, quod *Dioscorides* adnotavit, & verum esse fatentur Botanici: sin minùs consolidare, & vulnera illorum sanare quamvis cordi impressa. Quod eleganter pulchro emblemate ostendit *Claudius Paradinus*, qui ut Amoris plagam incurabilem omnibus contemplandam exhibeat, cervorum etiam cordicitus adacta vulnera dictamno sanari ait, appositâ pro Amore literâ: *Hoc remedium habet, ego non.* Hæc de corde læso durante vitâ: sed tabidum ipsum & torrefactum in quodam mœrore ac vigiliis consumpto vidit *Iordanus*; in homine diuturno morbo, & extremâ macie confecto, nullum, nisi illius tunicam tantùm Bernard. Telesius *lib.* 5. *cap.* 28 *rerum naturalium.* Quæ cùm non nisi longo tempore fieri potuerint, hos sine corde, aut cum valdè notabili ejus damno vixisse fatendum erit: quod ne impossibile videatur, omissis miraculis de Senensi virgine S. Catharina, & Raconisio, in quibus sine corde per aliquod tempus vitam permansisse ferunt, Tertullianus *lib. de anima* de aliquibus capris, anguibus, & testudinibus scribit, quòd sine corde viverent: Rhodiginus *lib.* 21. *antiq. cap.* 1. de testudinibus idem asserit, quod exempto corde moveantur, quod de aliis animalibus *lib.* 16. *cap.* 4. ex Avicenna iterùm refert, Calcidius *in Platonis Timæum* crocodilum annumerat, Aphrodisæus chamelæontem; Aristoteles *cap.* 7. *de respirat.* de aliquibus hoc admittit, quòd sine corde ambulent. Cæsari Dictatori, quo die primùm veste purpureâ processit, atque in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis cor defuisse authores sunt *Cicero*, *Valerius Maximus*, *Suetonius*, *Plinius*, & *Plutarchus*; quamvis hoc citrà possibilitatem dici rectè affirmet Rhodiginus *lib.* 4. *cap.* 16. quo die etiam Pertinax Imp. occisus, in victima cor non inventum, inquit *Capitolinus.* Nec refert quòd dæmonis commento hoc accidisse suspicari possimus: nam quamvis sic factum fuerit, si vita necessariò & immediatè à corde dependeret, nullâ magicâ vi suppleri poterat, ut absque corde illa animalia viverent; quoniam idem foret in vivis detinere illos, qui mori naturaliter debebant, ac mortuos restituere: sed cùm sæpius observatum sit, animalia deficiente & avulso corde adhuc vivere, fugere, vociferari, ut experientia non rarò ostendit; ad nullum miraculum, aut dæmonis vafriciem confugere oportet. Confirmat hoc Galenus: *Conspicitur* (inquit) *in sacrificiis, quæ de more peragi consueverunt, in quibus interdum victima erepto corde arisq; imposito, cùm respirare & intensè clamare, tum etiam fugere tantisper visa est.* & statim: *Quamdiu tamen vixerit, respirat, vocem mittit, & currit.* Realdus quoque Columbus expertissimus anatomicus ait, si cani subtiliter cor detrahatur, vulnusque probè consuatur, & ligetur, illum tandem vinculis solutum latrare, currere videbimus; ubi & modum, quo hoc opus dexterrimè faciendum sit, optimè tradit: *Andreas Laurentius* hoc se sæpiùs expertum narrat. Nec sanè in cæteris animalibus tantum, sed in homine aliquando accidisse, accidereque posse ex multis experientiis, & historiis facile est colligere, & imprimis ex illa à *Iosepho à Costa* suprà adducta: sic apud Anglos in publicis suppliciis, ubi damnatis legis more corda evellere consueverunt, illo detracto quosdam locutos fuisse, visum atque observatum est.

Patet itaque ex his omnibus, animalia corde radicitùs extracto vivere adhuc, respirare, currere, clamare; & hominem sic exenteratum aliquando non solùm locutum, sed rationi consentanea protulisse, imò ratiocinari posse, ut *Lemosius* citat. etiam fatetur. Propterea omninò falsum statui debet, quod de corde Peripatetici asserebant, unicum scilicèt esse omnium facultatum principium, ac vegetantis, sentientis, & ratiocinantis animæ sedem, ac domicilium; quod *Aristoteles*, citrà rationem tamen, affirmare non dubitavit, & post ipsum *Averrhoës*, *Aphrodisæus*, & ex Græcorum, & Arabum familia alii; quos omnes arguit & convincit *Laurentius*, cùm illa om-

In annotat. ad caput. 4. lib. 2. Gal. de placit. Hippocr. & Plat.

Lib. 1. c. 18. de peste.

Lib. 2. de placit. c. 4.

Lib. 8. anat. quæst. 27.

Lib de respirat. cap. 1. Lib. 1. quæst. 2.

omnia ex unanimi & communi sententia in cerebro potiùs collocari debeant, ubi animæ & rationis vires elucescunt: cor verò curia quædam est, & regium forum, in quo naturalis caloris, & vitalium spirituum officina continetur, ut in totum corpus per arterias & venas indè dispensentur. Quare nihil mirum quòd sine corde adhuc paululùm vita constet, & per consequens ipsa etiam ratio, memoria, intellectus, & quidquid ad interiores animæ facultates pertinet, ut adversùs Chrysippum 3. *de placitis*, & 5. statuit Galenus; ubi manifestè cordi, quatenùs ad vitam attinet, principatum concedit, sed non absolutum, nec primum principium illud agnoscit; sed cerebro potiùs imperium, cordi obedientiam naturam demandâsse ait: quod certè non ineptè ex eo inferri videtur, quòd fœtus proportione reliquorum membrorum grandiori capite in lucem exeat, amplum animæ locum & satis capacem naturâ formante, quo velut ex alto eminens regiam ostentet dignitatem, reliquaque omnia corporis membra obsequium præstitura inferiùs posuit, ut promptiùs mandata ad nutum exequerentur. Constat ergò potissimam animæ sedem cor non esse, & hinc facilè infertur ipso deficiente non protinùs animam deficere debere; & cùm movendi sentiendique vis & potentia à cerebro influat, conspicuum est sine ullo cordis adminiculo per nervos animalem ejus virtutem communicari, ut ipsâ mediante cum cordis etiam defectu, & vita & motus servari possit, quousque saltem vitalis & animalis spiritus in venis, arteriis, nervisque derelictus, & anteà communicatus, resolutus & exhaustus sit, neque ampliùs suppetat, ut latius docet Greg. Horstius *lib. 2. de nat. humana exercit. 5. quæst. 1.* quo tempore statim animal necessariò extinguitur: ut hinc liceat intelligere vitæ illud spatium, & motûs etiam vigorem à cordis anteà derelicto influxu, & spiritibus promanâsse; cùm hi animalibus spiritibus, qui in cerebro procreantur, & pabulum & materiam præstent, sine qua ipsos quoque animales spiritus non multò post deficere necessarium est, vitâ & motu ad illorum durationem permanente, quod sanè brevi temporis spatio concluditur.

Vox & loquela quibus instrumentis fiat.

6. De clamore, voce, & loquela eodem modo sentiendum; quippe instrumenta, quæ ad hanc actionem natura deputavit, nullum immediatum subsidium à corde suscipiunt: siquidem ut Galenus *in lib. de usu part. lib. de dissect. instru. vocis*, & 2. *de placitis*, pluribusque aliis in locis declarat, quæ ad vocem efformandam requiruntur instrumenta, sunt præcipuè pulmo, musculi intercostales, larynx, aspera arteria, quæ ad vocem proferendam potissimum inserviunt, quibus ad sermonem pronunciandum lingua necessariò addita est; cui etiam operi nasus & dentes adjuvant, partim ut percussus aër feriendo exeat, & velut elisus resonet, partim ut libera ingrediendi via pateat, partim ut proprio motu actionem promant, quem quidem lingua à septem nervorum conjugatione recipit. Unde cor, quod omnia ista membra tanquam caloris naturalis fons & author vivificat, & adjuvat, mediata tantum, non immediata vocis & sermonis causa dicendum est; ita ut deficiente illo locutio necessariò non deficiat, aliter quàm pulsandi facultas, quæ ab ipso immediatè dependet. Quæ doctrina non apud medicos tantum ut vera admittitur, sed apud omnes ferè communis est; ut videri potest apud *Vesalium*, *Laurentium*, *Spigelium*, *Riolanum*, & insignes alios Anatomiæ professores: quibus alii assentiuntur, ut præter *Aristotelem* docent Nicenus *lib. de hominis opificio. cap. 9.* Theodoretus *serm. de providentia.* & Lactantius *lib. de opific. Dei. cap. 11.*

7. Anat. cap. 4. Lib. 9. hist. anim. cap. 1.

Sed adhuc restant explicanda duo: Primum est, quòd cùm *Galenus* loco *de placit.* anteà adducto dicat animalia exempto corde respirare, videtur hoc impossibile; quia si, ut philosophorum & medicorum communis est opinio, respiratio solùm propter cordis attemperationem à natura intenta fuit, videtur quòd ipso deficiente nullâ necessitate à natura promoveatur: nam cessante causâ necessariò debet cessare effectus. Patet hoc ulteriùs, quia pulmo, qui aërem inspiratione recipit, corde extracto quiescere debet, quia ad motum cordis naturaliter movetur, sine aliqua cerebri virtute communicata. Secundum: Si verum est quod *Aristoteles* inquit, cor esse primum vivens, & ultimum moriens; quod quoque fatetur Galenus *c. 1. lib. de locis*, vel ipsum evulsum adhuc vivere dicendum est, quoad corpus deficiat, quod impossibile videtur; vel saltem in hoc casu fatendum est, emortuo corde animal adhuc vivere: unde non omninò vera est *Aristotelis* opinio. Sed iis facilè respondetur quòd licèt respiratio cordis gratiâ à natura fuerit ordinata, tamen cùm ipsa non à corde, sed ab aliis instrumentis, quæ motum & facultatem à cerebro recipiunt, perficiatur,

Lib. 2. de gen. anim. & lib. de vita & morte.

7.

mi-

mirum non est, etiam deficiente causâ finali actionem suam continuare; quia cùm natura non ex intellectu, sed naturaliter ex vi facultatum operetur, & hæc nervis & musculis thoracis communicari nondum cesset; probabile est, in opere suo permanendo insistere debere & posse, & quamvis lentè conatum adjuvare, ut saltem pulmo & thoracis partes, quæ etiamnum calent, refrigerium suscipiant. Quòd si nec pulmo movetur, nec unde susceptum aërem ministret jam habet, cùm cordi illum præparet; tamen exiguam illam portionem, quæ levi motione ingreditur, suscipit, & in propriam substantiam recipit, quoad cerebrum ab animali munere deficiat: videmus enim in morientibus, quamvis jam cordis calor sit penitùs extinctus, respirationem ad ultimam usque expirationem durare, nullo jam pulsu apparente; quod caloris & cordis virium summam extinctionem significat. Ad secundum, negandum non est verum esse prædictum axioma, dum intrà corpus & suo debito loco cor ad finem vitæ permanet, paulatimque facultatum omnium & vitæ defectio procedit: aliud est, si in sano homine viscus detrahatur, quo tempore cùm corpus vitæ aliqua fomenta retineat, non aliundè quàm ab ipso corde derelicta sunt; quæ non ita citò quàm cor ipsum extinguuntur, quia illud aëri jam expositum, & à loco suo exemptum, tantam injuriam ferre diutiùs non sustinet, nec undè illi aliquid fulcimenti adveniat sortitur; cùm tamen in reliquo corpore aliter omnia se habeant, & animali spiritu adhuc fruatur, quod Philosophi sententiæ non est adversum. Tu interim vide Bartholomæum Sibyllam *in speculo peregrinar. quæst. decad.* 1. *cap.* 2. *quæst.* 6. & Kormanum *part.* 7. *de mirac. mort. cap.* 57.

QVÆSTIO TRIGESIMATERTIA.

An effusionis sanguinis, qui aliquoties in violentâ morte sublatis ex vulnere, vel ex alia parte, coràm interfectore promanare observatus est, naturalis causa assignari possit? An necessariò ad miraculum aut superiorem aliam vim recurrendum sit?

HAnc quæstionem obiter attigerunt plurimi, nec sanè pauci altiùs ingenia acuentes in ea feliciter se exercuerunt; quorum qui majori laude visi sunt digni, *Delrius* nomina minimè suppressit: sed tanquam in re ardua ac satis difficili, multiplex ac varia fuit opinio. Ego illorum, quos videre potui, sententias afferam; breviter aliquorum non satis congruas indicabo; ac tandem probabiliorem sequar, aliis si quid novi adducere conentur, facem libenter porrigens.

In Senecæ Octaviam versu. 127.

Tractârunt hanc dubitationem Theologi, Medici, & Jurisperiti: illi, ut si quid miraculosum aut diabolicum intercederet, agnosceretur; medici, ut naturæ occultam vim ac illius miranda opera indagarent; ac tandem jurisperiti ut ex utroque incognitum sæpius necis reum invenirent, debitoque supplicio latâ sententiâ afficerent. Ne tamen de veritate aliquis addubitare possit, inprimis referendi sunt quamplurimi casus, in quibus talem sanguinis effusionem accidisse non rarò adnotatum est, & literis scriptum. Nec enim facilè credendum, doctissimos in omni scientia viros in re commentitia tam sedulò inquirendâ tempus frustrà trivisse, cum experientia multoties verum hoc extitisse comprobaverit; ut proindè apud Hesychii, & Sophoclis Electræ scholiastem scriptum sit, quòd homicidæ si quam cædem patraverint, talem effluxum præcaveri didicerint, si vel aures, vel nares interfecto abscinderent, aut corporis partem aliam, eamque sub axilla ferrent: existimabant enim mortuum ita lacerum, omninò invalidum reddi ad se ulciscendum. In primis igitur apud antiquos, poëtas præsertim, haudquaquàm fabulosum habitum fuisse colligitur ex *Homero*, & *Lucretio*, qui sic *lib.* 4.

Lib. 17. Iliados.

Idq; petit corpus, mens undè est saucia amore:
Namq; homines plerumque cadunt in vulnus, & illam

 Emicat

Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu,
Et ſi cominùs eſt, hoſtem ruber occupat humor.

Ex Theologis ſufficeret *Delrius*, qui loco citat. & in *lib. de magiâ* non ſemel hujus rei meminit, ſed eleganter & diffusè *Nierembergius*. Hiſtorici etiam, medici, & juriſperiti, inter quos Paris de Puteo *tract. de ſyndicatu, verbo, tortorum cap. 3.* Hippol. de Marſiliis *in pract. criminali. §. diligenter. nu.* 181. Chaſſanæus *in tract. de indiciis. cap.* 3. Angelus Neſianus, Boërius *deciſ.* 166. Hieron. Maggius *lib. 5. miſcel. cap. 5.* Caſſonus, Gandavus, Ægidius Romanus, Palæotus, Maſcardus *de probat lib. 2. conſil.* 867. Menochius *de præſumpt. part. 1. lib. 1. quæſt. 3. & quæſt.* 89. Greg. Tholoſanus *lib. 6. cap. 20. ſyntag.* Merſennius *in cap. 4. Geneſ.* & plures alii. Ex medicis etiam quam plurimi, Lemnius, Langius, Libavius, Pictorius, Gemma, Marcellus Donatus, Hucherus, Fabricius Hildanus, Valleriola, Aldrovandus, Coſtæus *lib. 4. diſquiſiti Phyſiologicarum*, Conciliator *in problem. Ariſt. ſect. 6. probl. 7.* qui Venetiis hoc accidiſſe ſcribit; Nicolus etiam Florent. *ſerm. 5. pract. 1. cap. 6.* ait ſuo tempore in præſentia occiſoris emanâſſe, qui ob id prehenſus, & tortus, ex confeſſione condemnatus eſt; & innumeri alii, quorum nomina & loca apud eundem *Marcellum Donatum* invenies; noviſsimè tandem *Greg. Horſtius*, & *Franciſcus Ranchinus*, qui de cruentatione cadaverum luculenter ſcripſerunt: ut interim plures alios omittamus cum *Bodino*, & *Ficino*, qui *lib. de anim. immortal.* non paucis de hac re agit. Cæterum in omnium ferè ſcriptis admirandæ hiſtoriæ inveniuntur, quarum notatu digniores hîc aliquas tranſſcribam: & inprimis *Paris de Puteo* inquit, hoc Romæ accidiſſe tempore quo Angelus Fuſcus Cardinalis D. Marci occiſus eſt; *Ioannes Stromerus* ſe in ſimili caſu ocularem teſtem fuiſſe affirmat; *Crucius* ſcribit, anno 1510. feriâ tertiâ, quâ Bacchanalia de more celebrari conſueverunt, ex quodam vulnere Joannem Abuſterum interemptum, neque per dies aliquot de interfectore notitia habita eſt; tandem de duobus venatoribus increbuit ſuſpicio, quos conſanguinei comprehendi diligenter curârunt: hos tandem judex compulit, ut poſitis ſuper cadaver manibus jurarent, vulneri etiam ſub digitis albiſſimâ lanâ ſuppoſitâ; ſed cùm primus nil notabili apparente jurâſſet, ſecundo adventante ſtatim vulnus rubro colore tingi cœpit, mox ſanguis unà erumpere; quo ſolùm indicio homicidium faſſus, capitali ſupplicio damnatus pœnas luit. Refert etiam *Sebaſtianus Franco*, quòd miles quidam Joan. Spiſius nomine propriam uxorem pulvinari ſuffocârit, & propterea ad quæſtionem ductus ſit; ſed cùm ab eodem judices nil extorquere potuiſſent, mulieris cadaver viginti jam dies humatum effodi jubent, & ad maritum appropinquari. Mirum dictu! cum propius jam accederet, ſanguis cum ſudore paulatim erumpere cœpit; & cum jam manus ſuper corpus demortuæ ad jurandum imponeret, majori copiâ ſanguis per feretrum fluere viſus eſt. Nec minus ſtupenda eſt hiſtoria apud *Hippolytum de Marſiliis*, qui *in pract. §. diligenter. nu.* 181. ſic ad verbum ait: *Memini tempore juventutis meæ vidiſſe rem mirabilem, & ſtupendam, dum eram Gubernator civitatis Albinliganæ, ultrà Savonam per 30. milliaria. Nam fuerat mortuus quidam homo nocturno tempore, & neſciebatur à quo, attamen multi erant ſuſpecti; quidam ſenex dixit mihi: Domine Gubernator vultis ſcire veritatem hujus homicidii? Faciatis coràm vobis portari cadaver, poſteà faciatis vocari illos, qui ſunt ſuſpecti, unus poſt alium ad cadaver accedat; & cùm ſupervenerit verus homicida, vulnera illius fluent ſanguinem de novo, & ſic habebitis certitudinem. Quo audito* (inquit auctor) *feci portari cadaver coràm me, & ſuſpectos feci vocari; & cùm ſupervenit verus homicida, vulnera illius inceperunt mittere ſanguinem, de quo ſummè fui admiratus.* Addit, ſe nil tunc, eò quòd dubitaret, feciſſe; ſed poſt plures dies creſcentibus indiciis ad torturam ſufficientibus, hominem comprehendi fecit, & abſque tortura crimen confitentem ſecundum juris formam damnavit. Nicol. Boërius *lib. deciſ. aurearum q.* 166. (ubi quærit an ſanguinis illa è mortui corporis effuſio ſufficiens ſit indicium ad torturam) narrat duos vidiſſe proceſſus, unum de puero, quem mater interfecerat, & octo diebus tranſactis juxtà corpus tranſiens, ac in illud reſpiciens, ſanguis è cadaveris naribus emanavit; alterum majoris admirationis de quodam interfecto à duobus menſibus jam humato, cujus vulnera ad interfectoris ſui tranſitum ſanguine manârunt. Similem quoque caſum in Oppido Ledeſmæ accidiſſe anno 1546. tradit Ant. Gomes *tom. 3. var. reſol. cap.* 13. de muto & ejus fratre, qui in itinere quemdam interfecerunt. Hac de cauſa tradit *Iul. Pollux*, antiquam fuiſſe conſuetudinem, quando de interfectore non conſtabat, dierum aliquot terminum ſignare,

in-

Margin notes (left): 2. — Hiſt. 1. — Hiſt. 2. — Hiſt. 3. — Hiſt. 4. — Hiſt. 5. — Hiſt. 6. — Hiſt. 7.

Margin notes (right, partly cut off): Par ri. lib. 46. — Lib. 3. de gor. d. nem. — Lib. cap. 5 animam mortal.

intrà quem emortui corpus, à quo violentiam accepisset, commonstrare valuisset.

Similes eventus in medicorum libris etiam legimus, ut apud *Valleriolam*, qui sic ad verbum: *Cùm Iacobus ab Aqueria Patricius Arelatenus è vulnere mortuus esset, & qui vulneraverat, à Magistratu comprehensus in conspectum cadaveris delatus fuisset, ut occisum recognosceret, & scelus fateretur; mox ebulliens sanguis multo cum fervore & bullis prodire è vulnere & naribus cœpit spectantibus cunctis.* Joan. Fragosus *in Gloss. quæst.* 76. scribit à quodam chirurgo accepisse, in urbe Calatajut à quodam mulierem decollatam, ac in flumen projectam, quâ extractâ cùm interfectorem jam de morte suspectum magistratus ad cadaver deportâsset, sanguis è vulnere statim emanavit: quarè ad torturam delatus, & confessus est. Notatu etiam digna est historia, quam *Andreas Hildebran* refert apud Greg. Horstium. *Accidit, cùm Holpis adhuc essem, in vicino pago Schmolsim, ut Præfecti ejus loci expatiatum euntis canis aquaticus fortè fortunâ infantem terrâ conditum, & jam semiputridum erueret; quem cùm Præfectus in pagum reportari curâsset, puellas, viduas, reliquasq; omnes extrà matrimonium viventes convocari jussit, & singulas infantem ulnis gestare, Deum deprecantes, ut innocentis illius interfectorem aliquo suæ potentiæ ostento detegeret, insontes verò liberaret: indè cùm ad Agnetem proximam reæ ordo pervenit, pauxillùm sanguinis è naribus, & quidem lentè effluxit; ubi verò in manus propriæ matris traditus est, (quæ virginali adhuc incedebat habitu, & ut postmodùm per torturam confessa est, Dantisci à primario quodam mercatore imprægnata fuerat) copiosissimum ac rubicundissimum stillare cœpit sanguinem, multis instar miraculi id spectantibus, cùm antè octiduum jam terræ commissus foret.* Ultimam addo, quam *Franciscus Ranchinus* insignis medicus Monspeliensis à Joanne Ranchino suo consanguineo aulæ Castris Consiliario Regio sibi communicatam Gallico idiomate ad longum refert; de morte Danielis Pradel, quem in Oppido Mas, Provinciæ de Foix, pater & filius, Petrus & Jacobus Lafont interfecerunt anno 1639. cujus cadaver jussu prædicti Joan. Ranchini & cæterorum Consulum in oppidi forum adductum est, ibique multitudine magnâ spectante, primum ipsi judices ter hinc inde suprà dictum cadaver transierunt, absque eo quòd signum aliquod in plaga apparuisset; mox dictum Iacobum Lafont (quem jam anteà ob suspicionem captum, & compedibus vinctum secum adduxerant) à ferreis vinculis solutum, similiter transire fecerunt: & cum primum transiisset, plaga statim velut aperiri cœpit, aliquo rubore & sanguine apparente; sed cùm iterùm secundò suprà cadaver transiliisset, in majori copia jam sanguis emanare visus est; tertiò tandem cùm postremò idem fecisset, in magna copia è vulnere profluxit: quo tandem linteo absterso, & resiccato; ut major fieret comprobatio, assistentes alii Petrus Sainet, Michaël, & Franciscus Marere, prædicti oppidi mercatores, transire jussi sunt, ad quorum transitum nil sanguinis in vulnere comparuit. Cætera apud eundem Ranchinum vide: alia exempla apud Eugelium *in itinerario rerum marchicat fol.* 173. Saurium *in diario fol.* 343. VVinrichium *de ortu monstrorum cap.* 17. & Henric. Kormanum *de miracul. mortuor. parte* 9. *cap.* 23. *qui cap.* 24. & 25. ex Thoma Cantipratano *lib.* 1. *miracul. cap.* 16 *& lib.* 2. *cap.* 29. duas refert satis admirandas & miraculosas historias; alteram Henrici in monasterio D. Mariæ de Burgo Blæsensis abbatis, qui per tres scelestissimos homines ab aliis duobus monachis conductos occisus est: locato tamen in Ecclesia cadavere, in qua funus parabatur, ubi rei criminis intraverunt, statim sanguis per vulnera, quæ jam sicca remanserant, magno impetu copiosissimè manavit. Secunda historia est cujusdam puellæ, quam anno 1271. in villa Teutonicæ Pfortzheim nomine, malignissima vetula parentibus orbatam perfidis Iudæis vendidit occidendam; hanc eandem post multa vulnera & tormenta defunctam in fluvium projecerunt: (audi miraculum magnum) post tertiam diem, per manum ad cælum erectam à piscatoribus inventa est, & extracta in oppidum comportatur, populo interim horrente, & clamante ab impiis Iudæis tantum flagitium perpetratum. Erat autem in vicinia Marchio de Baden, qui audito tanto piaculo pervenit ad corpus; statimq; ipsum erectum residens tetendit manus ad Principem, quasi misericordiam & vindictam imploraret: post horam verò dimidiam se reposuit defuncti more supinum, adductisq; impiis Iudæis ad hoc spectaculum, majus aliud visum; vulnera quippe statim eruperunt, & in horrendæ necis testimonium copiosum sanguinem effuderunt: Iudæi capti pœnam dederunt. Lud. à Paramo *lib.* 2. *de off. S. inquis. tit.* 2. *quæst.* 8. *art.* 25. *ad* 27. narrat Inquisitorem Martinum de la Raga à seditiosis, & petulantissimis hominibus, dum in Ecclesia flexis genibus oraret, le-

Lib. 2. obs. 7.

Lib. 1. epist. sect. 9. fol. mihi. 432.

Tract. de cruentat. corpor. mortuor.

tha-

thaliter vulneratum sequenti die animam efflâsse; ac tandem quarto post die cùm cadaver eodem templo humaretur, sanguinem qui ex vulneribus profluxerat, sancti corporis accessu mirabiliter referbuisse, quod ex authentica notariorum fide comprobatum est.

3. Sed historiarum jam satis: plures si legere cupis, invenies apud *Libavium*, & *Greg. Horstium*, qui de cruentatione cadaverum latissimè scripserunt. Ad auctorum opiniones in causa tam admirabilis effectûs tempus est ut accedamus: offert sese inprimis *Marcellus Donatus*, qui horum omnium historias negare audens, de exemplorum veritate dubitat, & poëticè hoc à nonnullis tantùm propositum dici posse autumat, difficultate forsan perterritus; quarè ad aliorum sententias longè inter se diversas ac varias lectorem remittit, omnium ferè nomina & loca, qui de hac re scripserunt, interim afferre contentus. Pomponatius *lib. de animæ immortal.* hunc sanguinis fluxum inde oriri arbitratur, quòd occisi anima interfectori indignetur: eandem sententiam habuerunt Bonaciola, *lib. de format. fœtûs*, & Bodinus, *Marsil. Ficinum* secuti, qui forsan desperans invenire causam physicam admirabilis hujus eventûs, liberam aliquam esse opinatur, sicuti occisi animam, quæ interfectorem insequens eundem tam stupendo artificio detegere nititur; vel genium forsan aliis invisibilem, qui abditâ & secretâ manu refrigeratum jam sanguinem fovet, ac suscitat, ut à vulnere iterùm effluat: quo sensu idem Bodinus, & Maggius *cap. 5. lib. 3. & 12. lib. 4. de animarum post obitum recursu*, & ad corporis in percussorem odium multa referunt; quæ ex quadam historia *Plinii* minoris de Arthemidoro Philosopho, qui Athenis in domo spectris infami commorabatur, possent comprobari, & ex simili alia, quam in dialogis narrat *Torquemada* de quodam Hispano Ayala dicto, Bononiæ literis operam dante: quibus non absimilis est altera ex Cicerone *lib. 1. de divinat.* & Valerio Maximo *lib. 1. cap. 7.* duorum familiarium Athenis Megaram iter facientium, quam citatus *Bonaciola* in hujus opinionis comprobationem narrat; cujusmodi aliæ multæ apud *Petrum Thirræum* & *Cardanum* legi possunt. Idcircò Plato *in Phæd.* pollutas & impuras animas, cùm corpore decesserint, circà monumenta & sepulchra vagari tradit; & quidem præcipuè eorum, qui mortem sibi consciverunt, aut violentam passi sunt, eas post fatum magis cadaveri alligari, & adhærescere putant; hincque nata umbrarum, & lemurum terriculamenta colligunt: ad quod etiam credunt respexisse Virgilium *Ænead. 4.*

1. sententia illorum, qui animæ occisi hoc tribuunt.

Lib. 7.

Parte 1. locis inf. cap. 1. lib. 16. rerum riet. cap. 93.

4.

> *Et cùm frigida mors animæ seduxerit artus,*
> *Omnibus umbra locis adero.*

Ejusdem opinionis fuit *Democritus*, qui credidit animas post mortem corpori adhærere, ac propterea posse in vitam redire, ob idemque corpora asservari commendavit, ut ex illo affert *Plinius*, & *Tertullianus*, qui Democritum in hanc forsan opinionem devenisse ait, quòd ungues & capillos mortuis crescere ad aliquod temporis spatium videret. Sed certè *Plinius* vanam hanc Democriti opinionem appellat; imò *Cicero* eandem tanto Philosopho indignam reputat, & ab *Epicuro* Democritum insimulatum, quòd sensum aliquem post mortem in corpore restare censuerit; quod etiam idem *Cicero* meritò rejicit: *Fac* (inquit) *animum sic interire, ut corpus. Num igitur aliquis dolor, aut omninò post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem dixit, etsi Democritum insimulat Epicurus.* Et sanè dicta opinio vel unico tantum argumento rejicitur, quia anima à corpore segregata nullam potest iram concipere, cùm corpore careat, in quo iracundia officinam suam & sedem obtinet. Nec illud *Platonis* aliquid probat; quippè propriè animas non esse verissimè credendum est: quòd si aliquid aliquando visitur, vapores sunt (inquit *Cardanus*) qui à corpore humido recens sepulto elevati, pro ejusdem magnitudine corpus efformant, ac veluti repræsentant, præsertim si profondiùs non fuerit defossum: deinde humani spiritus incarcerati & depositi sunt suo determinato loco, & unicuique debito, nec ipsis liberum est inter nosmetipsos vagari; ut illi quoque, qui fidei mysteria ignorârunt, suspicati sunt. Cætera verò, quæ de animarum post mortem apparitione adducunt, non est hujus loci inquirere; videndus *Delrius*, *Villalpandus*, *Thirræus*, & alii.

Lib 7. c. 53. Lib. de anima cap. 1. Tusc.

Refellitur 1. opinio.

5.

2. Opinio Paracelsi ad imaginationis vim.

Eisdem fermè refutantur, qui ad imaginationis vim hoc reducere tentârunt, ex quorum numero fuerunt *Paracelsus* & *Baconus*; cùm tamen, qualiter ab imaginatione hoc fiat, nulla ratio demonstrare possit: nam anima demortui, quæ à cadavere longissimè distat, quomodò imaginationem movere, aut talem in

In Sylva, fol. mihi 588.

6.

cor-

corpore mutationem causare valebit? Interfectoris imaginationi multò minùs hoc tribuendum, quia in alienum corpus imaginationem alterius nil posse, ut certissimum omnes advertunt, quidquid è contra *Avicenna* falsò nobis persuadere voluerit. Quarè hæc opinio rejicienda est, non minùs ac illorum, qui ad astra hoc referri debere vanissimè excogitârunt: quorum opinionem sequitur Heurnius *lib.* 3. *meth. ad praxim. cap.* 9. Sed adversùs *Theophrastum* latè *Fienus*, & *Marcellus Donatus*: licèt *Lemnius*, qui imaginationis vires admodùm extollit, aliquid illi tribuere nitatur; quemadmodum *Conciliator*, qui talem eventum forti imaginationi tribuit, quæ spiritus vindictæ commovet, quos illic mansisse ait.

Parte. 7. probl. 16.

Cornel. Gemma novam aliam rationem quærens, in tortuosam satis incidit; inquit igitur, densatum & coagulatum jam sanguinem adversùs necis authorem moveri propter ideas quasdam, quas in se insculptas & figuratas habet: sed hoc merum est figmentum, & ad libitum tales ideæ finguntur, quæ in mortuo non debent, nec possunt concedi; nec etiam ipsæ aliquid concipere, aut sentire valent, cùm sensu careant, & propterea nec occisorem præsentem esse percipere, multò minùs quâ virtute aut potentiâ sanguinem liquefaciant, ut foras exeat. Quâ ratione admittenda etiam non est opinio Claudii Deodati *lib.* 1. *Panthei Hygiast. cap.* 11. *post medium*, qui nescio quos fingit characteres in mortuo remanere ad tempus, in quibus omnium rerum, quæ fuerunt in anima, & anteactæ cædis plenus spiritus hostilisque figura reserventur impressa; unde de novo occurrente per illud impressum & adhuc recens vestigium residuum sanguinis moveatur, & propter adhærentes ideas in obvium percussorem concitetur, ac tandem per vulnus erumpat. Sed totum hoc de characteribus derelictis, sicuti de ideis, ad libitum dicitur, & probatione indiget; quæ adeò difficilis est, sicuti facilis responsio ad exempla, quæ ibidem affert, quod modò prætermittimus.

Parte. 9. de miracul. mort. c. 23.

Henricus Kormanus credit animam iterum corpus intrare, & cum ad vitam movere non posit, movere ad vindictam: sed de animarum oberratione juxtà corpus opinionem jam suprà rejecimus; præterquàm quòd dicere animam iterum corpus intrare mera est inscitia: nam vel daretur in cadavere dispositio ad illius introductionem, quod nullus dicere poterit; vel daretur forma cadaveris cum forma hominis in eodem subjecto, quod cogitare absurdissimum esset.

Majolus *colloquio* 1. ex aëris attractione, & spiritûs simul infectione causari judicat; nam licèt cadaver (inquit idem) spiritu sit destitutum, neque quidquam sentiat, horrore tamen concuti ait, transeunte vel accedente occisore; quia spiritus ibidem in vulnere sunt quadamtenus infecti à spiritibus interficientis. Sed totum hoc quod affert probatione indiget, quod nec ipse præstitit, nec alius ostendere poterit: quarè tanquam ad libitum dictum non admittimus.

Cap. 22. de doct. promis.

Galeotus Martius hoc ostendere nititur ex eo, quòd interfecti & interfectoris spiritus mutuo conflictu & odio inter se commutantur, atque in contrarii corpus sese inserunt: posteà, cùm iterùm in conspectum accedunt, suas matrices agnoscere, atque ita debito suo loco restitui velle ait; quo tempore non levis alteratio in corporibus accidit, quæ sanguinolentæ illius effusionis causa existit. Cæterùm quàm ista à vera philosophia distent, paucis convincitur, & totum quod asserit tam credi quàm probari non potest, & non minus impossibile videtur, quàm rationem ad illius assertum obstringere: quis enim spirituum illam permutationem suadere, aut ostendere poterit? deindè quo sensu propriam habitationem cognoscant, inclinationemque ad originem suam, & antiquam stationem habeant, ut in eamdem reverti desiderent. Difficilia sunt hæc omnia, & tanquam à veritatis scopo longè quæsita aberrant.

Lib. 2. obs. 7.

Ferè eadem sunt, quæ *Valleriola* pro hac solvenda difficultate excogitavit: nam postquam de amantium affectione, & quomodò hominem corripiat, & illaqueatum suavissimè irretiat, longâ oratione proposuit; causam inquit esse levem quandam auram, & tenuissimos levesque spiritus, qui à pulchro objecto exeuntes sese per amantis oculos ex adverso adstantis leniter diffundunt, pluraque alia, quæ ex *Ficino* absque dubio mutuavit: eodem modo in præsenti casu philosophatur, statuitque ad vulnus, confestim ac illatum est, spiritus concurrere, qui quoniam leves sunt, ad vulnerantem hominem volantes in eum migrant, servanturque aliquamdiu, nempè ad horas sex, vel septem; quo temporis intervallo, si qui interemit in conspectu interempti illum intentè aspiciat, vulnus cruorem adversùs interfectorem ejicit, quod non

In Platon. conviv. à c. 4. usque ad 10.

nondum in cadavere recèns confosso, ad horas aliquot vis omnis interior, calorque extinctus sit; undè à latente & interiori vi efficitur, ut sanguis spiritus repetat suos, atque etiam spiritus ipsi suum attrahant sanguinem, unde illius manatio & effluxus consequitur: illam verò vim incognitam nobis, & occultam esse pronunciat.

Sed *Valleriola* prædictis haudquaquàm dubii difficultatem evinci conspiciens ad arcanum Dei judicium confugit, qui malefactorem tali signo tanquam propriâ ac peculiari notâ designare & prodere voluit. Certum enim est, totum illud quod de spirituum transmissione ex *Ficino* transtulit, falsum esse, ut *quæst.* 24. adversùs illum ex Freitagio adduximus: nec etiam tacita illa vis & occulta, quæ ultionem clamat, admittenda in corpore demortuo; cùm irascibilis potentia, quæ in hepate præcipuè sedem habet, non aliter quàm à vindictæ cupiditate, & hæc ab injuriæ memoria excitari possit: quæ omnia in cadavere inveniri nullus nisi amens fatebitur. Quapropter *Langius* dum hujus dubii causam quæreret, nil affirmare ausus, dubitanter respondit sic: An aliquas sensilis animæ cupiditates scilicèt, & vindictæ vires etiam post mortem adhuc in sanguine donec putrescat subsistere, cum philosophis quibusdam affirmabimus? Quod ex *Lucretii* versibus suprà adductis confirmari posse sibi persuadet. Ego verò ad credendum minimè adducor; quippe in demortuo, vel ab ipso temporis momento quo spiritus evolavit, nulla animæ vestigia agnosco, & brevi calor, qui à naturali & spiritibus à corde amandatis derelictus fuit, extinguitur, nulloque modo ab aliqua animæ virtute ibi derelicta dependet; & cùm sit qualitas quædam quæ per contrariæ alterationem evincitur, tantummodò permanet, quoad illi opposita vel ab intrinseco dimanet, vel ab extrinseco agat, & evincat; alioquin, si facilè mobilis fuisset, & sine contrarii alteratione extingui potuisset, nullum dubium est, quin statim post mortem cadaver frigidum redderetur. Nec ulla aut occulta, aut manifesta actio, aut qualitas ibi invenitur, aut inveniri potest, ob quam aliquid ibi ab anima derelictum colligi possit: sicuti enim luce in opaco & obscuro cubiculo introductâ, postquam foris detracta, aut extincta est, nil ibi emolumenti, quod lux anteà exhibebat, invenitur; & sicuti qui instrumentum pulsat, statim ac illud deponit, nil in illo relinquit, quod operationem aliquam efficere possit: ita sanè in anima conjectandum est, à qua jam liberum corpus de illâ nil participat; & humorum ille motus, qui anteà fervente bile totum corpus calefaciebat & agitabat, licèt adhuc post mortem aliquantisper durare possit ob bilis fervorem & sanguinis circà cor, tamen animâ deficiente jam non ab aliqua naturali facultate regitur, nec ab ira aliqua, licèt initium sic acceperit; sed solùm, prout data via, inordinatè movetur quousque frigiditate obtorpescat. Ulteriùs licèt diutiùs duraret, unde præsentis adversarii cognitio, ut ad conspectum magis ebulliret, effervesceretque, ut foras expelleretur, aut cum ipsa sanguis? præterquàm quòd per multos dies post mortem visum est cadavera cruentâsse, ubi jam nullus motus, nec accensæ bilis fervor, nec caloris sensus in corpore dabatur; quin etiam in recenter natis infantibus occisis accidisse legimus, in quibus nullam vindictæ cupiditatem, nullum bilis motum dari potuisse colligitur.

Refellitur. 7. *Epist.*

Quapropter nec *Delrii* opinio placet, qui nescio quam odii qualitatem in occiso corpore derelictam excogitavit: sed ego ab illo quærerem, an talis qualitas ab indicibili aliqua substantiæ proprietate in illo homine dum viveret anteà fuerit? an inimicitiæ occasione, & iracundiæ furore de novo advenerit? Si primum, (nam antipathiam illam in natura humana dari non judico impossibile, si verum est quod *Gregorius Mileus* de quodam patre refert, qui proprium filium ab ipso natali nec aspicere quidem poterat; sed hoc magis rarum, quàm cadaveris cruentatio ad occisoris conspectum) dato quòd sic fuerit, tales occultæ qualitates, sicuti hujusmodi aliæ, post mortem quiescunt, nec in mortuis permanere dicendum est; quia licèt à totius substantiæ mixtione dependeant, sensum tamen requirunt, ut objecta percipiant, qui jam abest. Si secundum, improbabile prorsùs videtur, cùm aversio illa inter inimicos ab injuriæ memoria, & vindictæ desiderio tantùm oriatur, quæ in mortuo non inveniuntur; & hoc nil aliud est, quàm cogitatio quædam honoris vindex, quæ licèt corpus perturbet & commoveat, qualitatem tamen occultam non video quâ ratione producere valeat, vehementem adeò, ut etiam post mortem durare sit potens. Quibus etiam meo judicio convincitur *Lemosius*, & *Lævinus Lemnius*, qui ad antipathiam hoc referunt, & ad sympathiam, cùm aquâ suffocatos coràm amicis per nares

8. Opinio Delrii. Non admittitur. 8.

cruen-

cruentâsse aliquoties observatum fuerit, ut ipse narrat, quod sympathiæ tribuit, nam & alii oculos aperuisse testantur: cæterùm illa submersorum cruentatio ex alia causa dependet, ut mox dicemus; oculorum verò apertio aut imaginaria fuit, aut ab aquæ evacuatione, quæ oculos tumidos fecerat, ipsis resiccatis fieri potuit. Vim verò vegetantem in mortuis ad tempus manere, ut ipse *Lemnius* putat, quòd crines & ungues illis accrescant, falsum omninò est: nec pili, aut ungues ex tali causa elongantur, sed ex effluxu propriæ substantiæ; quo fit ut magis ad radicem detecti, longiores videantur. *Costæus* suprà citat. vult hujusmodi cruentationem potiùs operâ interfectoris quàm interfecti accidere, dum ex eo in interfectum maligni erumpunt spiritus tanquam exposcentes siquid est reliquum vitæ, & quod in eo sanguinis remanet attractrice quâdam vi evocant: sed sicuti de imaginatione anteà dicebamus, nec ipsius, nec animæ aliqua vis esse potest, ut in alieno corpore aliquid moveat.

L. 5. meth. disp. 2. Lib. 2. de occul. naturæ. mirac. c. 7. Villalp. lib. 1. mag. c. 2. nu. 33. Vincent. in hist. nat. lib. 4. c. 13.

Doctissimus *Nierembergius* toties hoc opere citatus, postquàm multorum sententias reprobavit, aliam excogitavit, quam ut diversam ab aliis tradit, atque optimam censet. Inquit enim, malevolentiam, indignationem, & odium, aversionémve occisi & interfectoris, corpora illorum alterare posse, ita ut oppositas qualitates imprimant, quibus dum conveniunt physicè alterentur; ad quod sensum aliquem minimè necessarium esse ait, quoniam & in plantis lapidibusque, cùm sensu careant, similis inimicitia non rarò invenitur: & ad hoc supponit mirabiles affectiones, quæ ex animi affectibus procreantur & excitantur, nec minùs raras operationes esse, quàm quæ ex corporum exspirationibus & exhalationibus oriri conspiciuntur; & quod magis est, tenet etiam post mortem similes emanationes aliquamdiu perseverare posse, quæ qualitatibus suis & spiritibus notabiles efficiant motiones. Cui sententiæ favere videtur illud, quod Textor *in officina, cap. de ira* de Etheocle & Polynice fratribus narrat, qui ad invicem odio in tantum exarserunt, ut mutuis vulneribus, frustrà retinente matre, se confecerint: quin etiam pertinax ille odii tenor in cadaveribus apparuit nam dum cremarentur, rogus ipse in duas partes se divisit. De quibus Euripides, Seneca, Statius, Ovidius 9. *metam.* & Lucanus *lib. 1.*

Scinditur in partes geminoq; cacumine surgit
Thebanos imitata rogos.

Et ne prorsus fabulas putes, similem historiam nostro sæculo visam, & adhuc admirabiliorem invenies apud Cæsariensem *lib. 11. illust. miracul. cap.* 56.

Sed ego non benè percipio in quo hæc opinio ab antipathia differat, nec ab opinione *Langii*, qui ad qualitatem odii ab anima derelictam hujus eventûs causam retulit: & licèt primum & secundum, quod supponit, illi concedamus; tertium tamen, quòd scilicèt in demortuis dictæ qualitates permanere possint, minimè crederem ob rationes suprà adductas: nec exempla quæ affert de plantis & lapidibus aliquid convincere putaverim, quia illorum qualitates totius speciei communes sunt, plantæ & lapidis & ipsorum naturæ propriæ, nec de novo introductæ; imò plerumque tractu temporis obtorpescunt, & hebetantur, cùm paulatim lapis aut planta à suo vigore & nitore deficiant, & diuturnitate corrumpantur, quæ illorum est mors, ut ita dixerim; sicque longè abest ut ab interitu possint de novo aliæ repullulare nunquam anteà visæ, cùm mors omnium facultatum & actionum inde ab anima emanantium extinctio sit. Et quis credet, quòd, cùm omnium etiam occultarum qualitatum efficacia perit, inde consimilium aliarum proventus dimanet? Quis enim vidit hominem qui caseum per totam vitam abhorruit, murem videre non sustinuit, rosarum conspectum & odorem sustinere non potuit, & similia alia, eundem jam mortuum aliquo motu eadem aversari & horrescere? Si enim hæ occultæ proprietates in mortuo deficiunt, qui viventis tantummodò sunt; cur credendum non est, alias quomodocumque in conflictu & irâ genitas interire non debere, cùm minorem sensationem non requirant, quidquid author supponat? Rursùs si illa occulta qualitas ex malevolentia & odio causatur, quî fieri potest, ut dum vivunt, non appareat in illis qui se mutuis odiis conficiunt, sed in mortuis tunc renascatur? An viventis sensatio obstabat, & qualitas tantoperè sensitiva mortem, quæ omnium sensuum vim extinguit, expectabat ut ab ipsa oriretur? Hæc philosophia incomprehensibilis est, imò omni contraria: videmus quippè maximas inimicitias & pertinacissimum odium quæ aliqui non rarò inter se habuerunt, rursùs in veram concordiam & amorem devenisse, imò mortuo aliquo, aut interfe-

terfecto plerumque inimicitia non tantùm finitur, sed & facti pœnitentia & dolor statim ingruunt. Dicamus ergò in demortuis nullas occultas qualitates oriri posse, nisi illas, quæ ratione propriæ substantiæ corruptionis & putredinis illis debitæ sunt & germanæ.

Conclusio difficultat. & vere causa assignantur.

Rarissimi igitur hujus eventûs, qui multorum animos sæpiùs in admirationem rapuit, & plurimorum ingenia cruciavit, duplicem causam statui posse suspicamur: aut enim est divinæ justitiæ providentia, quæ innocentis sanguinis vindex sceleris authorem non patitur impunitum manere; aut per accidens hoc ex interno aut externo aliquo corporis aut humorum motu, tenuitate & calore naturaliter se moventium accidit. Hoc ultimum tunc præcipuè evenit, cùm non longè ab obitu, nimirùm per totum illud tempus quo cadaver calorem servat, sanguis profluit, ut 5. *epid. text.* 87. scribit Vallesius, ita ut sex aut septem horas constituat *Valleriola*, & ad summum usque ad diem tertium, aut paulò post evenit, ut docet Paulus Zacchias *lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 10. *num.* 33. Quòd verò miraculo, & ex summi judicis providentiâ aliquandò eveniat, videtur comprobare intenta illa ad primum fratricidam divini tribunalis vox: *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra.* In quem sensum illud *Apoc.* etiam aliqui afferunt: *Usquequò Domine non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra!* Non enim sanguis clamabat, aut clamare poterat, sed iniquitatis & sceleris ultrix justitia innocentis vindictam, & interfectoris pœnam expostulabat; & quia nullus erat judex, qui supplicio afficeret, rei punitionem Dei æquitas requirebat; sic quando per justitiæ diligentiam adhuc reus non agnoscitur, mirum non est, si divina, quando illum ostendere & punire decrevit, magnum aliquid moliatur, cùm illi ob absconditas nobis causas sic facere placuerit; quod plerumque evenire puto, cùm in tenellis infantibus, aut innocentibus aliis, nullam injuriam inferentibus tantum facinus committitur, quemadmodum *in hist.* 8. quam suprà ex *Andrea Hildebran* attulimus, visum est. Eodem modo sic evenire putandum in illis, in quibus post aliquot à morte dies, quando jam sanguis non solùm frigidus & concretus, sed etiam putridus naturaliter debet esse, cùm iterùm è terra effodiuntur, sanguis profluere conspicitur; quod non aliter quàm miraculo accidere credendum est, ut ex historia *Crucii, Sebastiani Franci, Hippolyti de Marsiliis, Nicolai Boërii, Ludovici à Paramo*, & *Ioan. Fragosi* colligi facilè potest: nam relati ab eis omnes post multos dies à morte, & jam humati cruentâsse visi sunt. Propterea hanc causam talis eventûs, & non aliam esse Theologi affirmant, cæteras omnes meras nugas existimantes; quos non solùm ex medicis, sed ex aliis bona pars sequitur: tenent hanc opinionem Maggius, Petrus Gregorius Tholosanus *lib.* 6. *cap.* 20. *Syntag.* Barth. Sibylla *in speculo peregrinar. quæst. cap.* 8. *decad.* 3. ubi ait divino miraculo hoc tribuendum ad peccati horrorem & detestationem, nec aliam causam quærere necessarium esse ait; cum quo convenit Henricus de Asia *super Genesim. cap.* 4. qui Deo, aut Angelis hoc adscribendum putat, interfectoris iniquitatem detegentibus, aut ulciscentibus; Tympius *in mensa Theophil. parte* 1. *cap. de homine nu.* 31. Majolus, *colloq.* 1. *dierum canicul.* Euseb. Nierembergius *lib.* 2. *philosoph. curios. part.* 1. *cap.* 12. & *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 105. & 107. ubi multùm dubitat an naturalis causa inveniri possit; Bodinus *lib.* 2. *dæmonom. cap.* 3. Gemma *lib.* 1. *Cosmocrit. cap.* 6. Horstius *in scriptio. medica de casu quodam admirando, quæst.* 2. ubi Libavium, Prosperum Farinacium, & alios citat: quia licèt horum omnium plurimi in naturali causa quærenda multùm desudaverint, & aliquas adducere conati sint; tandem nulli rationi aut opinioni acquiescentes ad arcanum Dei judicium confugiunt; & meritò quidem, quia ut Hier. Nymanus, *Orat. de imaginat. quæst.* 7. *In cadavere coràm occisore sanguinem stillante, si à divina providentia recedamus, nulla sese manifesta offert ratio.*

12. 13. 14.

Gen. *Cap.*

15\. Multis itaque modis Deus utitur, cum reos in delicti supplicium adducere vult, illos vel detegendo, vel homines admonendo; ut de duobus amicis narrat Cicero *lib.* 1. *de divinat.* & Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 7. qui cum Megaram adventâssent, alter ad cauponem, ad hospitem alter se contulerunt: huic in somnis ille apparuit orans ut præstò subveniret, quòd à caupone illi pararetur interitus; ac primum perterritus surrexit, sed cum ista ut somnia parvi facienda duxisset, iterum se recolligit; attamen secundò dormienti visus est rogans, ut quoniam sibi vivo non subvenisset, saltem mortuum haud inultum pateretur; seque à caupone interfectum in plaustrum conjectum, & stercore contectum extrà urbem ferri denunciavit, atque manè ad

por-

portam adesset, priusquàm plaustrum oppido exiret, obnixè rogavit: sed hæc majora somniorum ludibriis contemplans, manè vectori ad portam impiger adfuit, ac quid in plaustro esset, ab eo exquisivit; illo fugam capessente, mortuus erutus est, & re patefactâ caupo occisus. Quin non in cadaveribus tantùm, sed in exanguibus & sanguine prorsùs carentibus similia prodigia Deus aliquandò ostendit, ut in casu illo qui anno 1503. accidit, & refertur ab Eusebio *part. 2. lib. 1. Philos. curiosæ cap. 49.* ait enim quòd in superiori Belgio pauper quidam mercenarius, nomine Burgelinus, pecuniolam, quam labore suo acquisiverat, apud quendam deposuerit; qui ut eâ frueretur, propriamque haberet, & ne ejus dominus illam repeteret, prædictum mercenarium quodam in monte occidit: sed cadavere posteà invento, rumore & famâ de interfectore increbrescente, cùm eidem falx ostenderetur, & an illam agnosceret interrogatus fuisset, rarum dictu! ubi primùm manibus dictam falcem accepit, ex illa sanguinis sudor emanavit; perterritus homo & culpam fassus, morti traditus est. Alia non minoris admirationis *dicto cap.* leguntur exempla, quæ videri possunt sicuti alia quæ narrat Kormanus *de miraculis mortuorum classe. 5. cap. 8. & 9.* sed inter ista non præteribo admirabilem historiam, quam ex Surio narrant *Tympius* & *Majolus* citati, de Beato Thoma Herefordiensi in Anglia Episcopo, quem Gilbertus de Clara Comes Gloverniæ maximis affecerat injuriis, quòd Ecclesiæ jura ipse Episcopus tueretur, quæ ille invadebat: obiit tandem diem suum Thomas, necessarii verò ejus ad Ecclesiam deferenda ossa carne prorsùs nudata curaverunt; mox ubi obviàm factus est Comes, è puris nudatisque omni carne ossibus plurimus manavit sanguis: quod conspicatus Comes pœnitentiâ ductus, ac terrore concussus, Ecclesiastica jura omnia à se invasa restituit.

En duo exempla divinæ providentiæ, alterum, ut nefandi sceleris reum proderet, & debito supplicio afficeret; alterum, ut audacissimi ac sacrilegi hominis cor, quod nec Ecclesiæ immunitati pepercerat, conscientiâ tactum resipisceret. Quòd si in exanguibus, & in illis, qui omni sensu semper caruerunt, admiranda hæc arcani judicii opera Deus aliquando ostendit, quanto potiùs in cadavere coràm occisore talia præstare cum prædictis auctoribus credendum est? occultâ enim Dei potestate à legibus naturæ tam aliena fiunt, partim ut sanguinis vinculum intelligamus, partim ut homicidii auctores prodantur, ac meritas pœnas luant. Ad hanc etiam miraculosam causam exempla aliqua referuntur quæ apud gentiles contigerunt, ut notat Cornel. à Lapide *ad cap. 21. Deuteronom.* quale illud fuit de cane à Pyrrho rege juxtà cadaver domini invento, qui posteà milites interfectores summo conatu invadens detexit, ut *lib. de animar. operat.* narrat *Plutarchus*; & similia alia exempla de canibus, quorum operâ dominorum interfectores comprehensi sunt, tradunt Solinus *cap. 25. polyhist.* Scaliger *exercit. 200. cap. 6.* Philippus Camerarius *cent. 2. cap. 94.* D. Ambrosius *lib. 6. Hexaim cap. 4.* Quæ omnia miraculosè accidisse ajunt, divinâ providentiâ sic bruta & irrationalia movente; quemadmodum de Ibiro poëta idem narrat Plutarchus *lib. de loquacit.* cujus mortem grues detexerunt, quas ipse, dum à latronibus ruri necaretur, transeuntes conspicatus, nefariæ mortis testes, (cùm alios non haberet) adsciverat. Propterea Abulensis: *Est enim*, inquit, *naturale quoddam quasi miraculum, ut si occisor advenerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem sudent.* Et licèt vel per se, vel per Angelos ut suprà ex *Henrico de Asia* dicebamus, hoc operetur Deus; tamen illo permittente à diabolo aliquando fieri posse tenent *Miggius*, *Petrus Gregorius*, *Hucherus* & *Fienus* jam citat. Aut enim realiter talem sanguinis effusionem efficere potest, aut diabolicis illusionibus homines decipere; vel ut innocentes falsò accuset, vel ut nocentes in desperationem adducat, aut aliter divinam voluntatem exequatur: & quamvis de hac re exemplum non habeamus, tamen sic fieri posse non impossibile judicandum; nec enim aliter de duobus fratribus Etheocle, & Polynice Cadmiâ pugnâ sese interimentibus casum accidere potuisse suspicarer: quia licèt dæmon nec sceleris reum manifestare, nec innocentem aliquem damnare, aut in desperationem nocentem adducere pyræ & ignis divisione intenderet; tamen quod ad talem exitum illos perduxerat, odii adhuc in rogo ludibundus pertinaciam adumbrare volebat, ut malevolentiæ & indignationi illud adscriberetur, quod technis & vafricie machinabatur. Talia quippè ludibria pessimus nugator frequenter apud gentiles ostentare consueverat, quemadmodum in statuis, in quibus eum cachinnos, lachrymas, sudorem, & sanguinis aliquando effluxum edidisse, apud *Plutarchum*, *Valerium Maximum*, *Obsequentem*, & alios legimus; quod si in marmoribus & metallis, cur in cadaveribus eadem non faceret?

5.

7.

8.

Sed quemadmodum ex miraculoso eventu, & supernaturali causa hoc non rarò contigisse fatendum, ita sæpiùs casu & corporis humorumque naturali dispositione evenire posse, ut indubitatum existimamus: nec ad hoc colligendum desunt historiæ & casus, in quibus ita factum fuisse judicare possumus. *Horstius* singulare narrat exemplum de infante ab ancilla matre occiso, atque in fossam cujusdam nobilis per locum secretum hyemali tempore projecto; qui tandem per loci Prætorem post duas septimanas inventus, & exemptus, recenti sanguine stillare cœpit copiosissimè, cum tamen mater præsens non esset, quæ incognita adhuc morbum simulans alibi decumbebat; quarè divinitùs hoc miraculo effectum nil suadet, quia filicida mater absens erat, nisi dicamus admirando hoc signo Deum voluisse judicis animum stimulare, ut tam immanis sceleris sontem omni diligentiâ quæreret, & supplicio debito afficeret: sed quid auctor sentiat, & quid circà prædictæ historiæ causam congruentius videatur, statim dicemus. Non minoris admirationis est alia, quam apud eundem *Horstium*, nî fallor, legisse memini, quæ in Austria anno 1604. accidit; nam cùm die 26. Decembris cuidam nobili vulnus impactum foret, ense à postica ad anticam partem per transeunte, indeque 4. die mortuus esset, à 30. Decembris usque ad 8. Ianuarii sanguis è vulnere manare non cessavit; quo tempore jam retentus, iterùm 13. Februarii ex eodem vulnere ad horas ferè duas emanavit, corpore interim vivido colore suffuso, & nullo putredinis odore corrupto: consulti Viennenses Medici, naturaliter totum hoc accidere potuisse declarârunt; nam cùm in istis nulla occisoris præsentia fuerit, ad miraculum confugere nulla cogit necessitas, quærendaque naturalis causa, ex qua sanguis moveri possit & foras exire.

19.

Lib. [illegible] pist. [illegible] fol. [illegible] 433.

20.

Igitur quod casu, & ex naturali corporis & humorum dispositione eveniat, tenet in primis Barthol. Ambrosinus apud *Aldrovandum*; qui nullâ antipathiæ aut occultæ qualitatis, vel ab anima derelictæ, vel male volentiæ odio acquisitæ mentione factâ, per accidens tantùm hoc accidere credit: in eandem sententiam video inclinare Hucherum *lib.* 4. *de peste. cap.* 10. & Fabricius Hildanus *cent.* 3. *obs.* 12. similiter eandem sequitur. Verùm hujus fortuiti eventûs naturalis causa multiplex sanè à citatis auctoribus & ab aliis assignatur: *Aldrovandus* hoc fieri putat, cùm venæ multo & aquoso, ichorosoque sanguine redundaverint: *Hucherus* spontaneo sanguinis motu ex recenti conflictu etiamnum fervidi, & vaporosi: *Fab. Hildanus* motu humorum extrinsecè, vel intrinsecè accepto; non enim illicò post mortem cessat, in illis præcipuè, qui chronico morbo non sunt consumpti: nam quamvis efflatâ animâ corpus subitò refrigerari videatur, porosque & ductus coarctari debere, ut humores sanguisque in locis suis retineantur; propter insitam tamen venarum & arteriarum proprietatem, sanguis quamdiu in ipsis continetur, non congelatur, sed semper liquidum ac fluidum conservari ait, ut auptosia ipsa in anatomicis sectionibus quotidie ostendit. Horum rationes si inter se conferamus, nulla certè displicere videbitur; nam illa aquosi & ichorosi sanguinis abundantia in venis contenta, quæ massam sanguinariam liquidiorem, & fluxioni aptam necessariò reddit, naturaliter in occiso aliquo eo tempore inveniri potuit, & in aqua suffocatis ob prædictam moriendi causam perspicuum est concedi debere; siquidem suffocationis tempore multa aquæ quantitas totum corpus per patentes illius meatus à fortiori ingreditur, quæ reliquis humoribus permixta eos diluit, & aqueos reddit; quarè mirum non est, si submerso corpore ex aqua extracto, quod antea fundo quieverat, vel motione & distractione illâ vena aliqua putredine jam facilè dissolubilis rumpatur, vel ad corporis motum dilutus sanguis moveatur & exeat, cedente ex alia parte venarum substantiâ aliquali jam putredine flaccidâ & extenuatâ, aut reseratis illarum ostiis, præ nimia humiditate & humorum aquositate laxatis atque madentibus. Quarè ita in illis infantibus aquâ suffocatis, quorum historias ex *Andrea Hildebran* apud *Horstium*, & ex ipso *Horstio* suprà retulimus, accidisse conjectari non sine ratione potest: magis enim hoc mihi placet, quàm *Horstii* ratio, qui ambientis calore reseratis poris hoc in infante evenisse tradit, à centro ad circumferentiam sanguine se movente; cùm tamen multò faciliùs modo à nobis explicato contingere possit: quod non solùm in aqua suffocatis, sed in aliis occisis, in quibus talis ichorosorum humorum dispositio invenitur, accidere posse non dubitandum; quin imò si tales sint humores, ut qualitate & calore attenuent, arrodant, aperiant, & hoc pacto etiam viam sibi parare & exire poterunt, aut moto & agitato corpore erumpere, ut præter *Hildanum*,

In me[illegible] stris t[illegible] proble[illegible] f. 162. [illegible] præfic[illegible] Bonon[illegible]

danum Lemnius quoque advertit; sicque sudore, aut narium fluxu, vel per vulnus, si acceptum fuit, sese effundere.

Sed dubitabit non immeritò aliquis, in aliquo ex vulnere interempto, cui talis ichorosi sanguinis quantitas in corpore existebat, quî fieri possit, ut illa sanguinis abundantia facilè fluida non omninò exeat, sed partim jam per vulnus evacuata, iterum postquam semel quieverit, post aliquot horas vel dies de novo fluere incipiat? Ad quod dicimus, hoc non difficilè evenire posse, aliquo sanguinis grumo vias intercludente, aut frigidis & demortuis venis in se coincidentibus; quo tamen grumo labente aut dissoluto, aut corpore de novo moto, cursum iterùm repetat, & successivè ad id quod evacuatur paulatim exeat. *Hucheri* ratio de humoris sanguinisque motu ex recenti conflictu adhuc fervidi & vaporosi videtur sanè optima, cùm non multo pòst tempore, sed paucas post horas cruentatio è vulnere accidit, ut suprà etiam ex *Valleriola* dicebamus; alioquin si in sequentibus diebus accidat, nullo corporis motu, aut violentâ ad vulnus manuum applicatione, supernaturalem causam divinam, aut diabolicam agnoscit.

Nec minùs amplexanda est *Hildani* opinio, quia satis congrua videtur, & multis casibus ac Scriptorum auctoritate comprobari potest: quoniam quamvis mors caloris naturalis extinctio sit, ut 2. *de temp.* docet Galenus, tamen è mortuo homine cum sanguis in venis & arteriis diu fluidus & inconcretus permaneat, saltem quoad corrumpatur, ut in corporum dissectionibus sępiùs observatum fuisse suprà dicebamus, in illis præsertim, qui non ex vi morbi alicujus consumpti perierunt, quales potissimum sunt, qui vulneribus transfossi vitam finierunt, in quorum corporibus venarum vis, & proprietas sanguinem conservandi integra ac vegeta inveniebatur; consequens est, ut non ita celeriter humores corrumpantur, sed per plures dies fluidi in venis & loco suo naturali conserventur, ut multis aliis adductis probat *Ioannes Talentonius*. Multipliciter ergò conjcteandum est, sanguinem naturaliter è vulnere fluere posse: vel enim è vaporibus putrescentis caloris vi jam jam se elevare incipientibus sumpto motûs initio; vel à nimia sanguinis copia, & quantitate, ob fluxilem substantiam naturaliter ad venarum patentia ostia, quæ mucrone ruptæ fuerunt, sese diffundens, aut aliter ab extrinseco emoto corpore sanguis ex sua natura fluidus & gravis descendit & exit; aut si tenuis corrosivam ac mordacem qualitatem adjunctam habeat, quâ venarum orificia reseret, & aperiat; vel tandem serosâ illuvie laxando & humectando id fieri poterit: atque ita aliquo ex his modis mirum non est, si post paucas horas, aut etiam per intervalla sanguis prodire conspiciatur, cùm fluidus adhuc maneat, & quoquoversùm naturali pondere se moveat, nullâ retentrice facultate eum gubernante. Nam si hoc in plurimis, qui ex variis morbis perierunt, non raró observatum est, in quorum præcipuè corporibus pletorica dispositio & sanguinis abundantia inveniebatur, brevique dierum spatio à morbo devicti mortui sunt, cùm tamen patens via ad sanguinis fluxum accommodata in illis non daretur, sicuti in vulneratis; cur in istis, ubi venæ dilaceratæ & ruptæ sunt, fieri posse negandum erit? Idem *Fabricius* in mulieribus, quæ ob sanguinis abundantiam apoplexiâ correptæ perierunt, multas post horas à morte corpora cruentâsse observavit. *Schenckius* ex Joanne Bauhino, in homine eodem morbo sublato aliquibus transactis horis ferventem spumam per os & nares ebullientis fontis instar exeuntem conspexit; quod ad nil aliud, quàm ad sanguinem ebullientem refert, cùm tamen sanguis multò tenuior, & calidor sit, ut exire possit. *Horstius* ex Libavio in suspenso quodam sanguinem per crura & brachia emanâsse scribit; quod ad illius abundantiam in homine satis eusarco & pletorico referendum putat. *Kormanus* Myrtilleti in Palatinatu in alio suspenso vegeto juvene, quòd per 14. dies sanguinem sudaret, vidisse ait, & *cap.* 9. *sequenti* ex Joanne Henrico Camerario de alio idem tradit, qui in furca suspensus post octo dies ad matris accessum sanguinem per longum tempus stillare cœpit.

Langius *epistolâ suprà citatâ* de muliere narrat, cui post sectas cucurbitulas sanguis à scarificationibus defluens nullis remediis cohiberi potuit, nec post mortem stillare desiit, & fluente adhuc illo humata est; quod ad scalpellum pulvere venenato infectum rejicit auctor: sed quòd ex hac causa emanaverit, incertum est. Rectiùs *Capivaccus* apud Cratonem, de juvene ex ægritudine mortuo,

Lib. 4. thesauri rerum recondit. cap. 14.

Cent. 3. obs. 11. & 12.

Titul. de apoplex.

Lib. 2. epist. sec. 17.

Part. 5. de miracul. mortuor. cap. 8.

Lib. 7. Consil. 8.

cujus cadaver post decem horas tumescere cœpit, & atrum sanguinem naribus effundere, causam reddit: *Quoniam spiritus & humores anteà à materia deleteria revocati, liberi jam & soluti, eandem refugientes, quodam modo ad partes relabuntur, & sic universum corpus attollunt, & ora venarum aperiunt, unde sanguis effluit.* Quippè in illis, qui malignorum & pestiferorum morborum vi extinguuntur, hoc aliquandò evenire tradit *Ioubertus*, & suo tempore Lugduni sæpius observatum; quod quoque testatur Salius *lib. de peste fol. mihi* 120. qui non à virtute aliqua expulsiva (cùm nulla in cadavere remaneat) sed caloris evaporantis ratione hoc fieri ait, qui unà secum humores effundit, & ad exteriora rapit: unde in demortuis, & animâ jam exutis, non solùm malignæ ac venenatæ qualitatis indicia maculis tunc erumpentibus se produnt, quæ anteà non apparuerant; sed tumores aliquando repullulant, & sanguinis rara profluvia, ut tradit etiam Vallesius 5. *epid. tex.* 87. Quin aliquando cadavera sese movere, vel secundum partes, vel secundum totum, sanguinem effundere, rubore perfundi, commaculari, & rubris stigmatibus conspergi, calida per longum tempus ab obitu permanere, & aliquando etiam per se stare; insuper retractiones quædam, seu potius convulsivi quidam membrorum motus observati sunt, ut penis erectio in suspensis; quod pluries animadversum est, ut latius affert Zacchias *lib.* 4. *quæst. medico-legal. quæst.* 10. *nu.* 31. Narrat etiam Fortun. Fidelis *lib.* 4. *relat. med. cap.* 1. ex Marcello Donato *hist. mirab. lib.* 2. *cap.* 3. moniali cuidam, cùm alterius monialis demortuæ manum exoscularetur, ter manum à demortua fuisse constrictam adeò fortiter, ut viva adhuc putaretur: pleraque etiam, & aliquando antè mortem, ut in pestiferâ lue correptis, observavit Zacutus *lib.* 3. *praxis mirandæ obs.* 40. & multi alii, ut infrà *quæst.* 86. de sudore sanguineo latius afferemus.

Cap. 8. peste.

24.

25. Verùm sanguinis emanationis, quam scarificatis cucurbitulis aliquandò cohiberi non posse visum est, alia videtur esse causa; nam ob pravam humorum putredinem sanguis corruptis fibris densari adhuc intrà venas potest, quod pessimum signum plerumque mortis est, ut idem Zacutus *eodem lib.* 3. *obs.* 58. advertit de sanguine per venam extracto; & *obs.* 41. & 66. de scarificationibus, à quibus sanguis compesci non potuit, mentionem facit, quod in gallicatis, & pravis malignisque variolis correptis plerumque accidit; & quinquies jam hoc vidisse memini in pueris totidem, qui ex tali morbo sublati sunt; siquidem scalpello facta vulnera fluente sanguine minimè consolidari potuerunt, atque omnes periisse conspexi. Propterea Galenus *de bonit. & vitio succorum cap.* 1. in febre pestilenti venarum sectiones ægrè ad cicatricem venire docuit. Quarè cùm tot ob causas naturaliter & sine ullo miraculo sanguis profluere possit (licèt ex divina providentia aliquando, sed rarissimè evenire credatur) non est cur ad occultam animæ vim, aut qualitates, vel aliter odio contractas, vel per antipathiam hîc ad libitum excogitatas recurramus; cùm sanè ob aliquod istorum, ab aliqua ex relatis causis emanare possit: non enim facile est in eadem specie hujusmodi antipathias invenire & concedere; dato enim quòd concedantur & inveniri possint, quî fit ut in vivis, ubi duo inimici ad invicem concurrunt, talis effectus nunquam observatus sit? an mors aliquid corpori addere potest, ut magis sentiat, & moveatur? Absurdum sanè videtur; quia malevolentia inter contrarios ex fortuitis casibus evenit, & per accidens etiam illa sanguinis excretio, uno ab altero per vim interempto. Quòd si in aqua suffocatis, aut suspensis, ob quandam etiam sympathiam coràm amicis, aut sanguine & amore conjunctis, aliquando accidisse volunt; hoc libentius illis permitterem, cum talis sympathia inter ejusdem speciei animalia faciliùs inveniri possit, & inter symbola concedi, antipathia difficillimè, ut ipsæ naturæ ordo & speciei affinitas expostulat.

Itaque arduæ hujus difficultatis, quæ doctissimos in omni facultate viros & ingenia non solùm cruciavit, sed in quandam velut desperationem adduxit, hæc summa est, & resolutio, cùm multipliciter à pluribus causis à nobis adductis talis sanguinis fluxus vel ex vulnere, vel aliundè emanare possit; sicque inter auctores componitur dissidium, dum Theologi, & cum ipsis *Fienus* & *Nymanus*, multique alii non nisi à causa supernaturali oriri posse censent; alii, ut *Torreblanca Villalpandus*, nullam nisi naturalem esse credunt, alii ab hac invenienda totaliter desperant, alii aliter; ita ut non defuerint qui à natura communi ad manifestandum delictum hoc fieri crediderint, ut putârunt Vairus, Franciscus Cassonus *lib. de indic. ad torment. in præfatione.*

Lib. 1. n giæ cap

Lib de f cap. 4.

Neoval-

Neovaldus *in exegesi purgat. Sagarum. p.* 24. & secundùm alios est quædam natura in homine, quæ ipsum cogit aut fateri, aut aliter delictum manifestare; undè in sacra Pagina legitur: *Fugit impius nemine persequente*; quippe, ut dicebat quidam, occisores à propria conscientia excarnificantur. Inde Quintilianus: *Conscientia mille testes*; & *Ovidius*:

Proverb. cap. 28.

2. Metam.

Heu quàm difficile est, crimen non prodere vultu!

Hanc partem aliqui vocârunt furiam, alii conscientiam scelerum; hinc forsan Nemesim Deam finxerunt antiqui, scelerum nempè ultricem, quam & Rhamnusiam dixerunt. Cur verò præsente occisore non semper sanguinem stillat occisus? Respondet *Nymanus*: Cùm Deus liberrimum sit agens, liberè quoque omnia administrat; nec semper authorem cædis prodit, vel quia satis notum, vel quia peremptus causam præbuit, aut talem pœnam anteà suis facinoribus meritus est, vel quia authorem ad aliam majorem reservat pœnam, vel quia improvisa aut involuntaria fuit cædes veniâ aliquâ digna, vel tandem hoc divinæ providentiæ imperscrutabile est judicium. Quarè meritò laudandi sunt prudentes & eruditi Judices & Jurisconsulti, qui in hoc casu cautè & circumspectè se gerunt, nec volunt eum, ad cujus præsentiam sanguis ex vulnere profluxit, quæstionibus statim subjici, aut capitali supplicio affici, nisi alia firmiora ac certiora concurrant testimonia: nec immeritò culpandi Boërius *in decis.* 166. Paris de Puteo *in tract. syndicatûs in verb. Tortura*, M. Ant. Blancus *de indic. num.* 408. qui magnum dicit esse indicium & experientiam, à qua non erit per judicem recedendum, cùm sit rerum omnium magistra; Henricus de Grand. *in quodlibet.* 7. & alii, quos refert *Compilator decis. Cameralium in ordine alphab. digest. sub. tit.* C. A quibus meritò dissentit Gomez *variarum resol. tom.* 3. *cap.* 13. ubi scribit contrarium practicari debere, quia indicium nobis est incertissimum, & ex causis nobis incognitis & valdè remotis, quem sequuntur Zanger, *de quæst. cap.* 2. *nu.* 60. Ant. Thesaurus *decis.* 173. Joseph. Mascardus *de probat. vol.* 2. *conclus.* 867. *nu.* 24. ubi tenet, quòd tunc solùm indicium faciat, concurrente scilicet famâ, vel inimicitiâ, aliàs minimè; prout indè tradidit Novellus *reg.* 184. quos sequitur Godelman. *de lamiis lib.* 3. *in copia responsionum.* Francis. Cassonus, *in præmissis de indiciis, & torment. cap.* 3. quibus consentit Henricus Bocerus *in placitis feudatalibus tract. de quæst. & tortura. cap.* 3. *nu.* 21. item Angelus *in tit. de homicidio.* Farinacius *quæst.* 52. *nu.* 156. & novissimè advertit Aillon. *ad varias Gomez. cap.* 13. *ad nu.* 15. Communiterque hodiè apud omnes Jurisconsultos sic practicari accepi à doctissimo *D. D. Ant. de Cabreros* regii Granatensis fori meritissimo ac maximo criminum vindice, cujus singularis & suprà humanum captum æquitas & prudentia, literarumque recondita eruditio ad majores supremasque Jurisperitorum dignitates gradum parat & maximè meretur.

Orat. de imag. quæst. 7.

QUÆSTIO TRIGESIMAQUARTA.

Humanum cadaver à multis annis sepultum jam & humatum, si incorruptum inveniatur, an semper ad miraculum recurrendum? An naturaliter hoc accidere possit, & quænam reddi possit hujus eventûs causa?

PRæcedentis quæstionis occasione præsens occurrit; nam cùm similes casus non rarò se offerant, statim de hominis vita, cujus corpus ita incorruptum repertum est, inquiritur, inventâque probitatis mediocris notitiâ protinùs ad miracula confugiendum non pauci opinantur: tali quippe signo divinæ beneficentiæ, & remunerationis favorem ostendi & præmium, non immeritò judicant, ac in primis commendari debere existimant. Exempla à plurimis quotidiè audiuntur, nec pauca ab authoribus memorantur illorum, in quibus vel in parte talis in cadaveribus integritas terræ à multis annis mandatis inventa est. Et licèt feretro jam diu asservata corpora, tecta ac conclusa, integra suis membris situm & figuram suam retinentibus sæpiùs con-

conspiciantur, tamen mota, vel levi aurâ contacta, in tenuissimum pollinem ac cinerem apertis feretris evanescere plurimi observârunt, & in provocatione *Brunonis Scidelii* notavit *Ioubertus*. De istis, quòd nil admirationis contineant, non loquimur; sed de illis, quorum corporis moles inconsumpta, & minimè putrefacta post annorum plurimas decades adhuc permanere inventa est, totâ membrorum compage stabili ac integrâ, ut cognosci etiam facilè potuissent, si noti accederent: quemadmodum aliquibus in locis aliqua Sanctorum hodiè corpora ostenduntur, quorum virtutem, & vitæ probitatem, puritatemque animi ac carnis, his & similibus prodigiis hominibus notam facere constituit divina bonitas, ut tum eorum animas cælo æternùm duraturas vivere, tum corpora nullâ vitiorum labe fœdata, atque ideò à communi corruptione libera extitisse nobis innotescat, ac palàm fiat. De hac re in Sanctorum vitis multa leguntur; sed ingenti admiratione dignum, quòd aliquando reliquo corpore consumpto partis alicujus, cui perfectionis donum & virtutis prærogativa præcipuè debebatur, substantia omnis integra incorrupta & vivido colore perfusa animadversa sit & inventa, quemadmodum de Ægyptia virgine Edgari, Anglorum Regis filiâ, scribit *Marulus*, cujus corpusculum à multis annis sepulchro conditum, aperto sarcophago cùm in pulverem abiisset, venter & genitalia cunctis mirantibus integra apparuerunt; quòd virginitate sanctificata, & nullâ libidinis labe inquinata, quamdiu vixit, sensuum etiam integritate præstitisset, & pudicitiæ maximum semper specimen exhibuisset. Nec absimile quod de Britanniæ Rege Osualdo tradit idem auctor, cujus in pauperes & egenos ingens charitas & liberalis manus fecit, ut eadem dextra, quæ toties ad erogandam eleëmosynam dexterrimè & promptè movebatur, nullo pacto marcescens, sed integra & illibata in sepulchro permanserit: quod Adrianum Indefranensem Episcopum eandem deosculantem, cùm adhuc Rex viveret, precatum esse commemorant; quippè qui aliquando cum Rege deambulans, pauperi obvenienti marsupium auro plenum Regem ipsum porrexisse viderit, eximiamque charitatem admiratus, eandem deosculans & congratulans fertur dixisse: *Nunquam marcescat manus ista.* Eodem miraculo D. Antonii lingua cùm trigesimo secundo anno ab illius morte sepulchrum aperiretur, vivida ac rubens, nullâque corruptionis labe infecta inventa est; quam S. Bonaventura ordinis D. Francisci tunc Generalis manu tenens, exclamavit: *O lingua benedicta, quæ semper Deum laudâsti, & ut alii laudarent, in causa fuisti!* De oculo S. Ludovici Cathalanensi Episcopi idem narrat Cantipratanus. Digitum D. Joannis Baptistæ, quo Salvatorem nostrum Jesum Christum monstravit, integrum ac incorruptum inter cætera ossa, quæ Juliani apostatæ jussu igni tradita sunt, repertum fuisse, in libello quodam Gallico, qui inscribitur *Vita Christi*, ex Joanne Beleth. testatur *Kormanus*: eum verò digitum, qui comburi non potuit, S. Thecla ex ultrà-marinis partibus in Normanniam attulit, ubi in S. Joannis honorem ecclesiam fabricavit. Quin & cujusdam devotæ & Christo sacratæ Virginis pollicem omnibus aliis membris putrefactis incorruptum extitisse auctor est *F. Lud. Granatensis*; quod in honorem Passionis Domini frequentissimè pectus suum signo Crucis munire solita fuisset. Hæc enim magis credibilia sunt, quàm quæ de pollice Pyrrhi narrantur, quem cremari non potuisse tradit *Plinius*, ex quo *Fulgosius*, *Vairus*, & alii referunt; aut quod de corde Germanici Cæsaris idem Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. scribit; aut de corde Joannæ virginis Gallicæ non exusto narrant *Æneas Sylvius*, *Fulgosius*, & plures alii auctores Gallici.

Miraculosa exempla Sanctorum, qui toto corpore incorrupti permanserunt, lubens prætermitto, ut de beato Theodulpho, S. Lamberto, S. Luciâ, & Euphemiâ, Catharinâ Bononiensi, & S. Francisco Xaverio Societatis JESU Indiæ Orientalis Apostolo, & aliis in illorum vitis scribitur; & quod majus est, ungues & capillos aliquibus crescere, ut de eadem Catharina Bononiensi, & de B. Salome, tradunt *Hieron. ex Capugnano*, & Alcoran. Franciscan. Prodigiosam etiam admirationem peperit sepulchri cujusdam Constantinopoli apertio, imperante Constantino; in quo inventum est corpus omnibus membris undique completum & incorruptum (Platonis fuisse aliqui nescio quibus conjecturis persuasi tradiderunt) de cujus collo aurea pendebat lamina sic inscripta: *Christus nascetur de Virgine Maria, & ego credo in eum. O sol iterùm me videbis sub Constantino & Irene.* ut præter Cedrenum referunt D. Thomas 2. 2. 11. *art.* 13. & Eutropius. Quod haud aliter quàm miraculo accidisse, negare non audeam; cùm certissimam nostræ salutis propheticam inspirationem

Marginal numbers: 2. 3. 4. 5. 6.

Marginal notes (partly cut off): Lib. … Ebore… exemp… | Lib. … Andre… Ebor. … exemp… | Ribad… in illius … ta. | Lib. 7. … rac. c. … | In lib. … Christi … | Lib. 7. … Fulg. lib. … cap. 6. Vair. lib. … de fasc. c. … | In itine… rio Itali… p. 1. de B… nonia. Francis… lib. 1. p. 156. | Lib. 2… Constan… & Irene…

nem homo habuerit, qui tali laminâ indutus sepulchro conditus fuit, & divina providentia sic eum integrum ac nullâ carie aut putredine confectum servare voluerit; ut veritatis, quæ postea mundo eluxit, non vivi tantùm, sed mortui quoque testimonium darent.

De his igitur cadaveribus, quæ miraculo & divinâ virtute ita servari comperta sunt, nil ultrà dicere possumus, nisi quòd illorum hominum probitatem & vitæ sanctimoniam, ut omnibus constaret; tali corporum incorruptibilitate Deus ostendere voluerit: quarè ut sic ex miraculo servari nobis ampliùs innotescat, illud inprimis observari debet, quod non solùm secundùm solidiores & siccions partes talis incorruptio inveniri debet, sed etiam secundùm molliores & humidiores, & secundùm eas, quæ magis sunt putrefactioni obnoxiæ; quarè & dictas partes ab omni corruptionis & putrefactionis genere immunes esse oportet: deinde nullo artis præsidio, aut diligentiâ, corporisve conditurâ præparata fuisse constare debet; idcircò nullâ cadaveris exenteratione aut evisceratione, nullâ excrementorum purgatione, nullâ temporis ac loci conditione, nullâ aromatum vi, sed ipsis corruptivis causis præsentibus, & minimè ullo artificio amotis aut impeditis sic incorrupta permanere debent; ut de Hectoris corpore scripsit *Homerus*, ad Troiæ muros protracto, quod Deorum munere imputidum fuisse ait: quod ego ad hyperbolica poëtarum figmenta potiùs reducerem. Illud prætereà addiderim signum fore maximum, & virtutis inculpatæque vitæ argumentum, si in illis, quæ sic permanent, corporibus (præter colorem, qui quasi viventium floridus, ac minimè mortuorum pallore suffusus aliquoties in Sanctorum vultibus post mortem adhuc persistere observatus est) non rigida artuum compago, sed flexilis tractabilisque appareat, peregrinúsve aliquis & cælestis odor in circumstantium ora se diffundat; tunc enim probabiliter scriptum cælo nomen, animamque in cæleste consortium delatam intelligere & judicare poterimus, cujus corpus communem carnis putredinem non experiatur, nullâque temporum attritione corruptum unà cum anima vivere appareat. Memini me in cadavere cujusdam Religiosi laici Ordinis D. Francisci hæc observâsse, ad quod visendum anno 1631. Hispalim cum aliis medicis perductus fui; nam color vividus, qualis viventis & sanissimi hominis, ac floridus erat, suavissimus odor à corpore expirabat, digitorumque omnium artus hinc inde flectebantur: quæ omnia cum vitæ nobilissima probitate, virtutis & sanctimoniæ magnum præbebant indicium. Et licèt hujuscemodi aliqua non longè ab obitu naturaliter fieri posse credantur, puta in primo, secundo, aut ad summum tertio die; ita ut quò longiùs ab obitu, majorem miraculi probabilitatem ingerant: tamen si inculpatæ vitæ, & virtutis opinio inveniatur, primis licèt diebus conspiciantur, ingens miraculi conjectatio aderit, & major quò longior ab obitu distantia fuerit; ut de B. Agnete de Monte Politiano quæst. præcedenti retulimus, è cujus corpore post centum à morte annos sanguis defluxit: idem etiam in B. Francisco Xaverio visum fuisse constat, cùm brachium illi abscindere incepissent, ut in Hispaniam ex India apportarent; statim enim sanguis exsiluit, ad primumque novaculæ ictum copiosè emanavit.

Sed quamvis prædicta corporum incorruptibilitas miraculoso modo accidere possit, quemadmodum hoc in probis & virtute præditis hominibus, quando ita visitur, evenisse putandum est: ita si quando in aliis accidat, in quibus nullâ vitæ probitas fidem adauget, ut tam cælesti dono à Deo insignitos fuisse credamus; tunc ad alias causas recurrere necessariò debemus, quæ cùm plurimæ esse possint, de illis jam agendum est. Sed illud in primis advertendum, diaboli dolo & potentiâ hoc aliquando præstari posse: potest enim dæmon corpora non solùm intrare, ipsaque jam defuncta velut animare, in ipsis loqui, ambulare, & omnia illa, quæ vivus homo faciebat, promptiùs exequi, sed etiam corpora à putredine reservare, quod multis modis præstare posse non dubitandum. Sic, ut suorum cultorum affectatam sanctitatem vulgo suaderet, illorum corpora, ne putrescerent, aliquando servâsse visus est; sic in ignem projecta cadavera ne in cinerem redigantur prohibuit, ut de quodam Guidone de Lachia narrat *Bernardus Luxemburgicus*. Et quis aliter accidisse credat ea quæ de corde Germanici Cæsaris narrat Plinius *lib. 11. cap. 37.* quòd reliquo corpore igne consumpto cremari non potuerit? Ut de altero gladiatoris corde, Zuinglii Helveti nomine, scribit *Thuanus*; aut quod de pollice Pyrrhi idem *Plinius* tradidit *lib. 7. cap. 2.* nisi dicamus dæmonum commenta hæc fuisse, ut sequaces suos adhuc post

In catalago hæreticorum lit G.

Lib. 1. hist. sui temporis.

post mortem technis & admirandis nugis apud posteros commendaret. Cæterùm ut in particulis hæc præstitit, ita corpora integra aliquando intrâsse, & à putredine diutiùs libera servâsse (manente enim adhuc corporis mortui organismo potest dæmon, velut vestem homo, corpus organizatum subintrare, & ad voces & verba fauces reformare; non tamen ad longum tempus, quia naturam corporis fluxilem sine anima vegetabili in robore debito sustinere non potest, quin adlentato humore citò corrumpatur) admirandæ, si veræ sunt, testantur historiæ. Apud Delrium notissima est illa, quam de Agrippæ commensali refert, quem anteà ab ipso dæmone suffocatum ac mortuum ejusdem Agrippæ jussu in illius corpus ingressus à Musæo ad forum usque Lovanii nocte sustulit, aliisque notis obviàm factus aufugit, qui regebat, veterator, concidente statim cadavere. Et licèt diabolus multas illusiones in cadaveribus facere consueverit, quemadmodum de multis, quos apud gentiles revixisse creditum est, *sect.* 1. *ejusdem quæst.* citat. Delrius affert; tamen corpora defunctorum aliquando intrando ea diu gestâsse, ac nullâ putredine corrupta conservâsse, ex admiranda quadam historia colligitur, quam ut certissimam ex *Nicolao Remigio* dicto loco idem Delrius adducit: constat enim ex ea dæmonem per integrum annum pueri cadaver incorruptum gestâsse, quem pater, ipso dæmone ejusdem etiam succubo instigante, anteà falsis promissionibus deceptus interfecerat. Peucerus etiam *lib. de divinationum gen.* huic non admodum dissimilem historiam refert de citharistria Bononiensi virgine, & ex eo Kormanus *cap.* 10 *part. secundæ*, apud quem videri potest. Patet igitur ex prædictis, dæmonem corpora illa gestâsse, & ne corrumperentur diutius præcavisse; quod non aliter quàm naturalibus mediis utens efficere potest, vel motu locali noxia pellendo, vel medicamentorum vi juvantia applicando: quod sanè credere difficile non erit, cùm omnium naturalium rerum vires (de quibus statim sumus dicturi) quarum efficaciâ incorrupta corpora servari possunt, probè noscat, & quando velit promptissimè adhibere possit; ut etiam tenet Torreblanca *in epitome delict. lib.* 1. *c.* 14. *ann.* 1. Sed quantâcumque utatur industriâ, semel extincti ut verè respirent, facere non poterit, nec vitales halitus afflare, nec solutam jam à corporis vinculis animam reducere, nec corpus in eam dispositionem adducere, ut ampliùs nutriatur; cùm sine anima nil ex his consequi possit.

11. 12.

Lib. 2 quæst. — *Lib. pe rich.* — *De mi cul. m*

Cæterùm quando remediis naturalibus hoc à dæmone præstatur, sine illius opera eodem modo multipliciter hæc corporum integritas & incorruptibilitas accidere aut procurari poterit; & de facto multa cadavera à longo jam tempore humata, cùm iterum effossa essent, integra fuisse narrantur. *Paulus Zacchias* scribit superioribus annis in templo D. Cæciliæ trans Tiberim inventum Cardinalis cujusdam Angli corpus undequaque integrum, nullaque labe contaminatum, qui jam à trecentis annis decesserat. Alterum ait Bononiæ in Ecclesia D. Dominici inventum integrum nilque labefactatum, quod Alex. Tartagni Jurisconsulti clarissimi fuisse dicebatur, qui à centum quinquaginta annis mortuus fuerat: idem narrat de Bonifacii VIII. corpore, cùm vetustissimum S. Petri templum demoliretur, exhumato. *Platerus* matronam quandam post multos annos integram inventam fuisse refert: sed quia multoties, & multis in locis hoc visum est, plures historias congerere non oportet; satis multas collegit Kormanus *in opere de miraculis mortuorum ferè per totum*, ubi videri possunt. Hanc solùm addam ut antiquissimam & rarissimam, quam in Eliacis narrat Pausanias *lib.* 5. *propè finem*, de milite quodam, cujus cadaver inventum est, vulneribus adhuc recentibus apparentibus, cùm tamen antè olympiades 62. vel annos 310. circiter obiisset.

13.

Lib. 4. 1. quæst. num. 1 — *Lib. 1. c*

Prima causa naturalis ob quam cadavera incorrupta servari possunt.

14.

Quod ad causas attinet naturales hujus effectûs, variæ ab auctoribus assignantur, & inprimis loci & sitûs temperies naturalis aut stellarum vi communicata, ut præ nimia siccitate & frigore putredini resistere valeat, vel propter exhalationes aliquas inde emanantes, quæ medicamentorum vim similem effectum producentium æquent; nec aliter *Pausanias* scribit hominem in Junonis Eliæ templo inter tabulatum & scandalare tectum inventum fuisse, nullâ putredine aut fœtore corruptum; ut de alio integro cadavere armato meminit *Aristarchus*: sunt quippè loca aliqua admirandæ & insignis virtutis, quæ naturaliter effectus præstant rarissimos, quorum causam non facilè assequi possumus. In Occidentali Conactiæ solo insula quædam posita est (ait *Gyraldus Cambrensis c.* 6.) cui nomen Arnan, in qua hominum corpora nec humantur nec putrescunt, sed sub dio exposita permanent incorrupta, hìc homines avos, atavos, & tri-

Lib. 5. Scriptor Græcor. in olymp

& tritavos, longamque stirpis retrò seriem mirantes conspiciunt & cognoscunt: ajunt ex *D. Bernardi* consecratione talem illi obtigisse dotem. Similiter inter quosdam Indiæ Occidentalis montes carnes servari incorruptas scribit *Cardanus*, quod etiam juxtà Cuscum urbem accidere ait; ita ut equi à mensibus quatuor jam mortui tam recentes & sine fœtore inveniantur, ac si statim mortui essent. Audivi etiam à viro fide digno, qui Occidentalem illam Indiarum plagam diutiùs frequentavit, vidisse in arenosâ planitie, quæ inter Limam & Trusilum posita est, multa Indorum corpora sub dio exposita, quæ è sepulchris eruta fuerant, exsiccata & nullâ putredine corrupta: quod etiam *Philip. Camerarius* adnotavit, *cent. 2. cap. 70.* & ex D. Paludani medici eximii opinione ad venti meridionalis vim refert; quod in Chiliensi provincia præcipuè accidit, ubi hic ventus peculiaris est. Quin & in Septentrionalibus locis Kioviam fuisse urbem ex Laurentio Mullero narrat idem *Camerarius*, in qua templum egregiis constructum fornicibus, in quibus reposita cadavera minimè putrescerent; & idem *Gyraldus* aliique scriptores de insula quadam Momoniæ scribunt, in ea nec hominem nec aliud animal unquam aut mortuum fuisse aut mori posse, quod *Abrah. Ortelius* cosmographus diligentissimus verum esse confirmat. Aliam etiam insulam in eadem provincia prædicti auctores memorant, in quam quidquid fœminei sexûs ingreditur, sive mulier sive aliud animal, statim moritur; quod multoties variis animalibus introductis probatum fuisse ajunt. Si igitur in variis terræ locis mirandæ hæ inveniuntur proprietates, (quæ in fontium aquis non minoris admirationis etiam visuntur, de quibus passim apud plures mentio fit) quid mirum, si cadavera incorrupta conservandi vis aliquibus in locis inveniatur? cum præsertim terra qualitatibus polleat putredini resistentibus, quibus corruptionem aliquatenus arcere valeat. Hâc ratione forsan motus doctissimus medicus *Felix Platerus* ausus est dicere, corpora terræ mandata, si altè defossa fuerint, minimè putrescere; & post plures menses, quin annorum etiam spatiis exactis, rursùm integra spectari, arida siccaque, ut fumigatæ carnes videntur: quarè ait longè meliùs terrâ ipsâ, quâ nil siccius existit, hujusmodi corpora, quàm pice aut sale à putredine præservari; quarè magnates increpat, quòd neglecto hoc vindicandi à putredine tam facili modo, artificialibus aliis utantur. Nec aliâ ratione putandum plumbeos sarcophagos inventos, nisi quòd siccitate & frigore, quibus plumbum pollet, corpora à putredine maximè præservare possint.

Lib. 7. de rerum variet. cap. 39.

In theat. orbis tabul. 14. de Irland.

In centur. posthuma quæst. 9.

5. 6. 7. 8.

Secundò. Cadaveris ipsius temperies & status, qui talis alicujus dispositionis ratione esse potest, ut perquàm diu putredini resistere valeat: dicta verò dispositio multis modis acquiri potest; siquidem vi morbi, ut in consumptis, tabidis & emaciatis, & hecticâ marasmoque affectis, tota pænè corporis humiditas caloris & siccitatis morbosæ vi depasta & absumpta, in causa esse potest, ut quod residuum carnis relinquitur, siccum & humoris expers remaneat, ac tamquàm fumo induratum diu putredine non infestetur: vel etiam si ex parsimonia & austeritate talis resultet dispositio, dum tenuissimo victu, & nutrimento sustentato corpore, ob debitæ quantitatis alimoniæ defectum naturalis calor, qui pabulo necessariò indiget, omnem corporis humorem lambat ac devoret, & velut arefactum quod reliquum est dimittat, quo tempore humido omni prorsùs deficiente, homo tandem extinctus pereat; quemadmodum in anachoretarum, & discalceatorum Fratrum defunctis corporibus, apertis sepulchris, ubi diu anteà posita fuerant, non raró observatum est: nimia quippè sobrietas, & cibi abstinentia, morbis præcipuè qui ex putredine oriuntur obsistit, & ad omnem corruptionem viam intercludit; nec solùm dum vita manet, sed in cadaveribus etiam eundē præstat effectum. Hâc ratione Persæ, qui, ut *Xenophon* ait, pane, nasturtio, & aquâ tantùm victitare solebant, sicca corpora, nullâque crudorum humorum sarcinâ replera sibi parabant, & nec tussi, aut narium phlegmate vexabantur; quarè apud ipsos (eodē narrante) nares emungere magnum erat opprobrium: hinc factum est, ut cùm circà Amidam civitatem, quam Sapor Persarū Rex oppugnaverat, Romanorum & Persarum corpora ad sepulturā requirerentur, per Descenium Tribunum animadversum sit, Romanos, cæterosq; Europæos, quatriduo putrefactos atque corruptos esse, ut non facilè qui fuerant dignoscerentur (hunc enim terminū esse ad cadaverum corruptionem ex sacra Pagina colligi potest in historia Lazari, de quo sorores ad Salvatorem, qui illum suscitare decreverat, sic dixerunt: *Quatriduanus est; jam fætet*,) cùm econtrà Persarum corpora velut siccata ligna durescere invenirentur, ut ex Ammiano Marcellino tradit

Ioan. cap. 11.

Rhodiginus: parcior enim vita, ne liquescerent membra, aut sanie perfusa madescerent, effecerat; quod de patre suo refert *Cardanus*, cujus corpus post 20. annos, cùm lapis inscripto epitaphio reponeretur, vidisse se ait, absumptis tantùm labiorum, nasi, & oculorum summitatibus.

19.

Lib. 26. tiq. lect. cap. 24. Lib. 8. rerum v. rier. cap.

Nec etiam omitti debet, quod de fulmine tactis corporibus *Plutarchus* & *Seneca* tradunt, eorum cadavera putredinem non sentire: quod forsan magis credendum, quàm quod *Plinius* asserit, minimè cremari eorum corda, qui vel cardiaco morbo, vel veneno perierint, quod fabulosum esse suprà retulimus; at non ita de fulmine tactis, cùm in hoc ratio naturalis non deficiat: potest enim caloris vis corporis humiditates absumere, ut putredini reddantur inepta; potest occulta vis fulminis corporis substantiam ita fixam ac indissolubilem reddere, ut non solùm putredini, sed defluxioni quoque resistat: nec hoc mirum, si vera sunt admiranda multa, quæ de fulgurum incredibilibus effectibus narrantur, de quibus vide *Cardanum*. Quarè quòd corpora à fulmine tacta putredini resistant, credere non dubitandum; cùm ex rebus aliis, quæ minori siccandi & adstringendi vi prędita sunt, eundem effectum causari, tanquam certissimum doctissimi affirment Scriptores; ut de veneno externo interfectis corporibus, quæ non putrefieri tradit Cardanus *lib. 12. de subt.* unde eadem verminationem non experiri docet Seneca *in nat. quæst.* & nec à feris aut avibus tangi scripsit Plinius *lib. 2. cap. 62.* quarè nec putrefieri, ut certum tradit Fort. Fidelis *cap. 31. de relat. medicis.* Cui consentit Alex. Tasson. *lib. 9. quæst. 2.* ubi mulieris veneno sublatæ historiam narrat, quæ à morte ita riguit, ut in petram versa videretur; quin & Alexandri Magni corpus, quòd post septimum diem ita imputre fuerit inventum, ut *Q. Curtius* narrat *lib. 10.* magnam inde suspicionem assumpti veneni dedisse creditur. Et ob similes adversùs putredinem qualitates clavum ex ære chalcitide conflatum carnibus quibuscumque infixum, eas diu imputres conservare scripsit *Plutarchus*; quod experientiæ respondere affirmat Langius *Epist. 36. lib. 2.* & ex Cardano refert Kormanus, *p. 2. cap. 37.* Hac forsan ratione ducti prisci illi Ægyptii in defunctorum corporibus imaguncul aquasdam æreas recondere solebant, non tam suorum idolorum devotione, quàm ut ipsa à putredine vindicarent, ut latiùs docent Philip. Camerarius, & Kormanus *p. 3. de mirac. mort. cap. 7.* unde apud Horatium: *Monumentum ære perennius.*

20.

In natur. quæst. 11. cap.

Lib. de fulg.

21.

22.

3. Sym cap. ult.

Operum subcesi. cent. 2. 70. &

Tertia causa incorrup. cadaverum.

Sed præter jam dictas causas tertiam non solùm astrologi, sed aliqui quoque medici addunt, astrorum nempè influxu & virtute hoc fieri posse credentes; ut *Ruis de Fontecha*, qui mortis tempore talem aliquando planetarum influxum dari posse ait, qui corpori influens putrefactioni ineptum reddat, unde post multorum annorum decursum absque ullo miraculo integrum reperiatur: *Ad quod* (inquit) *adjuvare potest sepulchri situs & positio, quæ ad aliquam cæli & stellarum partem determinatam respectum sortiatur.* Nec propterea dicendum perpetuò in eodem sarcophago, quod alicui, aliis etiam corporibus accidere debere; cùm nec influxus continuò inveniatur, nec dispositio in omnibus eadem; sine quâ nulla causa suum effectum producere valet. Quo quidem stante lithopædium illud, seu è lapide factum infantem, qui in mulieris Sennonensis utero talem lapideam duritiem contraxit, (cujus historiam *Iacob. Augustus Thuanus*, & *Ioan. Albosius* describunt, & ex medicis afferunt *Augenius*, *Schenckius*, *Sennertus*, *Licetus*, *Horstius*, & plures alii) ob prædictam astrorum vim sic lapideum factum, & in matris utero per 28. annos gestatum, non immeritò idem *Fontecha* suspicatur; quamvis *Augenius* & *Sennertus* plures alias hujus eventûs causas adducere conentur; & quod magis est, hodiè adhuc corpusculum illud Agendici prætereuntibus miraculi instar ostendi ait *Licetus*, putredinis atque teredinis expers. Et ad astrorum vim redeuntes, difficile credi non debet, quòd illorum influxus quâdam in parte aliquid magnum operetur, à quo nil alia quantumvis vicina participet; quia quantùm ad influentiam, multùm distat: nam quemadmodum in circulo lineæ, quæ à centro prodeunt, licèt propè centrum proximæ sint, tamen cùm in circuli circumferentiam discedunt, à seipsis multùm distant; sic ob varia zenith, quæ contigua existunt, quoad cælestem influxum per plura milliaria differunt: ut hinc etiam causam discamus, quarè domo aliquâ pestilenti lue multùm laborante, in vicinis nil mali sentiatur; zenith enim lineæ perpendiculares, quæ perniciem huic infundunt, licèt ab una origine prodeant, multùm tamen in circumferentia distant, ut quod huic communicare valent, di-

23.

De priv. leg. pra

Lib. 3. hom. pa infine. Schen. 4. Senn. l. 4. p. 2. 4. cap. Licet. l. de mo causis. 45.

24.

stan-

distantissimis admodùm locis per aliam lineam, & non in vicinia impertiantur. Quarè non est cur planetarum ingentem vim in hæc inferiora negemus, cum à Matheseos professoribus illorum potentiæ particularia multa adscribantur; quorum causam, nisi ad astra recurratur, haud facile est invenire: & quoad humanam speciem, nativitatis & obitûs horâ eorum operationes magis imprimi certum est, ob dispositionem quam imbecilla morientium, & infantium tenella corpora sortiuntur, ut tunc facilius ob resistentiæ defectum qualitates eorum suscipiant. In cujus rei confirmationem si lepidam historiam desideras, apud Stephanum Rodericum Castrensem in *Meteoris Microcosmi* pulchram invenies; cui similes aliæ apud alios leguntur, ut Polistrati & Hippoclidis apud *Valerium Maximum*, Medardi & Gerardi apud *Fulgosium*; cujusmodi alias affert Gordonius *part. 5. de prognost. cap. 7.* ex quibus probatur multùm conducere influentias & siderum constellationes ad proprietates & affectiones individuales: licèt non desint, qui omnes hos siderum effectus irrideant, & ab illis minimè provenire posse contendant, ut inter alios probare nititur Torreblanca Villalpandus *lib. 1. magiæ divin. cap. 8.* ubi plures alios invenies.

Lib. 1. cap. 17. lib. 1.

Ex dictis constat tribus ex causis cadavera imputria & incorrupta naturaliter, & sine ullo miraculo per multum tempus durare posse: vel enim ratione sitûs & loci, vel ratione dispositionis corporis morbi alicujus vi, aut vitæ modo acquisitæ, vel tandem ex peculiari aliquo cæli influxu, qui aut in corpore, aut in loco ubi positum est influens, taliter illum disponat, ut putrefactioni ineptum reddat, & causis putrefacientibus resistat: præter quæ etiam notatu dignum, ac maximè admirandum est, quod *lib. de nativit. infantium* scribit Venerabilis Beda; in anno scilicèt tres esse dies ac noctes, in quibus qui nati fuerunt, corpora illorum absque dubio integra & incorrupta manebunt usque in diem judicii: sunt verò dies 27. Januarii, & 30. ejusdem, & 13. Februarii, de quibus inquit: *Suum mysterium mirabile est valdè*. Sed de hoc alii judicent.

6.

...usio.

Itaque ex prædictis omnibus patet conclusio; pro qua asserimus, si corpora humana integra & incorrupta inveniantur, post multos licèt annos effossa, miraculo statim hoc minimè tribuendum, cùm ex aliis causis naturalibus jam dictis provenire possit: quarè corporis hanc incorruptibilitatem tanquam proprium sanctimoniæ, virtutis, & inculpatæ vitæ signum perpetuò habendum minimè existimamus, nisi ex aliis actis & notis, prævisisque aliis rebus, probitas & morum integritas constet; quibus stantibus, si corpus taliter incorruptum inveniatur, magnum jam ad virtutem agnoscendam, & ad miraculosam causam indicium sese prodere colligendum est. Hoc tamen animadvertendum duximus, virtute præditorum hominum non esse hoc perpetuum signum, ut modò dicebamus, cùm in paucissimis inveniatur. Nec etiam in omnibus Sanctorum corporibus hæc corporum integritas desideranda est, nam putrefacto licèt corpore potest quis Deo maximè gratus esse; Sancti enim non abhorrent fœtorem naturæ, sed culpæ: unde sicuti corruptio virtutis opinioni non officere debet, ita incorruptio, nisi ex aliis multis virtus constet, ad ejusdem probationem nil efficiet; non enim omnes mortui putrescunt, etiamsi causæ ratio nos lateat; infinita quippe pænè sunt, quorum rationem assequi nequimus. Anno 1656. cùm potentissimi Regis nostri PHILIPPI jussu antecessorum suorum Regia cadavera ad insigne illud Pantheonis monumentum traducerentur, invictissimi Imperatoris Caroli V. cadaver adhuc incorruptum repertum est, labe nullâ, nullâ temporis edacitate, aut putredinis carie infectum; spectaculum sanè mirificum, & planè admirandum, post annos 96. incorruptum permansisse, ut tradit P. F. Franciscus de los sanctos *in descriptione fabricæ D. Laurentii & Pantheonis.* Verum cùm nullis balsamis aut medicamentis pollinctum fuerit regale cadaver, quæ à corruptione præservare potuissent, ipso Imperatore sic antè obitum jubente; quid aliud dicere possumus, nisi eximium illius animi candorem & virtutis splendorem, cujus ingentem semper dedit specimen, posteris Deum ostendere voluisse? cujus adhuc multò antea certissima indicia præstolatus fuerat: nam cum anno 14. ab illius obitu, in cænobio S. Justi corpus exhumaretur, non solum integrum & incorruptum inventum est, sed thymi quoque ramusculi, quibus monachorum more respersum fuerat, virides & optimum odorem adhuc spirantes apparuerunt: maximum sanè probitatis, & præclaræ sancti-

sanctimoniæ argumentum, imò & militaris roboris prærogativa, quâ Deus illum beare voluit, atque omnibus palàm ostendere, corpus illud, quod nulla bellorum ac hostium vis atterere nec frangere unquam potuerat, etiam adversus temporum edacitatem & humanæ fragilitatis miseram conditionem integrum atque invincibile permanere debuisse. Ex quibus omnibus & illud haud dubiè, sin minùs piè intelligere possumus, corporis hanc integritatem tam sanctæ vitæ, ac fidei propugnatoris maximi præmium extitisse.

Sed quando incorruptibilitatis cadaverum supernaturales & naturales causas jam adduximus, restat ut de artificiosa corporum conservatione aliqua dicamus: nam licèt ad propositam difficultatem parùm conducere videatur, obiter tamen rariora aliqua circà hanc rem prælibabimus, quæ huic tractationi non incongrua videbuntur.

27. Igitur condiendi cadavera vetustissimum fuisse inventum ex *Genes.* ultimo constat: quippe apud antiquos Judæos & Romanos balsamicis & suavissimis unguentis, exenteratis priùs visceribus, corpora perfundi, repleri, & pollinciri consuevisse nemini non notum. Sed præcipuam hanc Ægyptiorum curam fuisse, eosque exactam præ cæteris diligentiam in condiendis corporibus habuisse ex *Gen.* cap. ult. & ex Platonis *Phædone* constat, ubi ait ad incredibile quoddam tempus fermè integra manere: causam, ob quas sic faciebant, tradit Pet. Bellon. *lib.* 2. *obs. cap.* 47. De quibus etiam Silius Italicus:

> ——— *Ægyptia tellus*
> *Claudit odorato post funus stantia saxo*
> *Corpora, & à mensis exanguem haud separat umbram.*

Hodiè in omnibus ferè nationibus Nobilium & magnatum præsertim cadavera eodem modo asservari satis notum est; ut sic qui mortis inexorabilem necessitatem evadere non possunt, corporis saltem obnoxiam corruptionem omni industriâ devitare studeant. Constabant itaque prædicta unguenta ex myrrha, aloë, cedro, melle, sale, cera, croco, bitumine, pissasphalto, & pretiosis aliis odoramentis; quorum bal-

28. samicâ vi & fragrantissimis exhalationibus ad longum tempus, si non viva, incorrupta tamen corpora permanebant. Cleopatræ famosæ illius reginæ corpus 126. olympiadas, annos nimirùm 600. anteà humatum, integrum ac incorruptum Heraclius Imp. Alexandriæ invenit, ut ex illius epist. ad Sophoclem sapientem amicum suum constat, quam *p.* 3. *cap.* 21. affert Kormanus; unde quàm potens unguentorum & medicinarum vis fuerit colligi potest: sed majoris forsan efficaciæ illud, quod Tulliolæ Ciceronis filiæ cadaver nullâ putredine læsum à suo tempore usque ad Sixti IV. P. Max. per annos fermè 1700. conservavit, quod in via Appia Romæ incorruptum inventum est, ut tradunt *Alexander ab Alexandro* & *Rhodiginus*: ipsum Tulliolæ cadaver vidisse ac tetigisse scribit Gabriel Zerbus *in sua anat. corporis humani, fol. mihi* 105. tumulo extractum, cujus etiam capilli conservati, & aureâ fibulâ adhuc ornati visebantur; sed à loco submotum, & Romam asportatum (inquit ipse) in tribus diebus computruit, quòd unguento, quo conservabatur, spoliatum fuisset, quod ex mumia & myrrha paratum fuisse credit. Sed circà corporum incorruptibilitatem omnem superat admirationem illud, quod Kormanus *part.* 8. *de mirac. mortu. cap.* 26.

Lib. 3. [...]rum gen. cap. 2. Lib. 3. [...]tiq. lect. cap. 23.

29. scribit; nullum quippè auctorem citat, nec apud aliquem in Hispania, ubi tantum hoc prodigium repertum est, ejus notitiam inveni; sic verò ipse Kormanus: *Valentia est urbs Hispaniæ, in qua plures inscriptiones veteres videntur, & præcipuè in arce. Anno Domini* 1490. *(ut fertur) inventum fuit sepulchrum vetustatis admirandæ; in eo cadaver, quod balsamo conditum hucusque fuerat, servatum proceritatis non vulgaris, sed solito procerioris; habebat & hodiè habet in fronte lineas duas literis Hebræis, quarum sensus hujusmodi est: Hoc est sepulchrum Adonizan servi Regis Salomonis, qui huc venit ut exigeret illius tributum, & mortuus est. Habes* 1. *Regum* 4. *Adonizan Salomonis servum esse.* Hæc ille: ut jam miremur tantæ virtutis & efficaciæ antiquos medicamenta habuisse & præparâsse, ut plusquam 2500. annos integra & imputrida corpora servare possent; sed quæ illa fuerint, & quâ mixturâ librarentur, non est facile assequi, cùm hujuscemodi multa, quibus hodie caremus, antiquos habuisse constet, aut saltem legitima, & nullo fuco aut mixtione adulterata. Laguna *cap. de Naphta* pyxidem perfectissimâ

30. mumiâ plenam à Licentiato Fuentes accepisse scribit detractam à cadavere cujusdã Marci sanguinei viri Romani, cujus sepulchrum sumptuosissimum in Nicitæ insula plusquàm 1500. annos conditum, integro adhuc corpore inventum est. Sed apud

Lib. 1. in Diosc. cap. 81.

nul-

nullos, quàm apud Ægyptios, pretiosiora & efficacissimè corpora à putredine vindicantia medicamenta, atque unguenta fuisse, ex illorum monumentis apparet; cùm à ter mille annis absque membri alicujus corruptione aut putrefactione integra corpora in hunc usque diem conservata reperiri non pauci, qui oculis viderunt, certò affirment. Hujus rei fidelem testem se præbet *Nicolaus Christophorus Radzivilius* Olikiæ dux, in *Hierosolymitana sua peregrinatione*; *epist.* 3. in qua (prout ex illo transfert *Mindererus*) sic scribit: *Primo mane conscensis asinis, quos Cairo præmiseramus, progressi sumus ad unum bonum milliare inter pyramides ad myriadem positas; penes quas sunt plurima subterranea in petra excisa, quæ vel parochiæ olim, vel familiarum diversarum sepulchra fuerunt, nunc omnia sunt arenis oppleta, quibus amotis per funes in cryptas hujusmodi descenditur: quamobrem & nos ad pyramidem quandam altiorem in foramen decem & ampliùs ulnas profundum nos eâdem ratione demisimus; ubi in petra reperimus plura alia antra ad longum excisa, in quibus multa hominum cadavera erant sepulta, è quibus mumia, quam vocant, petitur. Affirmant ea corpora sive balsamo, sive aliis diversarum herbarum unguentis condîta fuisse; quæ qualia fuerint, discurrant medici: apparet certè aliquid egregium & singulare fuisse, quandoquidem à tribus annorum millibus absq; minimi alicujus membri putrefactione ejusmodi corpora integra in hanc usque diem conservantur.* Confirmat idem *Mindererus*, qui horum corporum unum Cairo adductum conspexisse ait; cujus cranium post tantam annorum seriem candidissimum adhuc erat, ipsa quoque involucra à conditura, quâ corpus pollinctum fuerat, incorrupta etiam conspiciebantur, ut ex quo lanificii genere contexta fuerint cognosci potuisset. Ego Antverpiæ anno 1649. simile corpus integrum & illæsum vidi, quod conspiciendum ferebatur, & ut videndi cupidinem inducerent, cujusdam Ægyptii Regis fuisse divulgabatur, coronâ & sceptro additis; & forsan idem fuisse putaverim, quod vidisse scribit *Philip. Camerarius*: & Isidis corpus fuisse, ficto (ut putabatur) addito encomio, ductores inculcabant, quæ olim tam religiosè ab Ægyptiis tanquam Dea culta fuit; hujus iconem affabrè exhibuit Joan. Struppe *in consensu de mumia*, additis etiam hieroglyphicis notis, & characteribus, qui in fasciis depicti visebantur. Porrò horum corporum tria, quo tempore ipse in Cairo esset, allata fuisse, paulò anteà à sepulchris exempta, tradit *Petrus Bellonius*, qui pyramides illas, & illarum cryptas describit, in quas etiam intrâsse ait, multasque sepulchrorum cameras inspexisse, quorum infinitum numerum circà pyramides extare dicit.

1. In thren. c. 14.
2. Cent. 2. horarum subces. cap. 70.
Lib 2. obs. sing. c. 42. 43. 44. & 47.

Constat igitur non annorum centena tantùm, sed myriadas etiam corpora sic condîta durare incorrupta & integra potuisse, nullâ carie, nullo defluente tabo maculata; nam & cerebrum, partem sanè humidissimam & facilè ideò putrescibilem, quam propterea à cadaveribus pollinctores in condituræ præparatione extrahunt, *Fabricius Hildanus* in sepulchro post annos 50. effosso, integrum & incorruptum vidisse scribit, balsamicis alicujus unguenti viribus, ut credit, conservatum. De hujusmodi unguentis Corippus Africanus, *de laudibus Iustini*, sic:

3. Cent. 5. obs. 4.

> *Thura Sabæa crepant, fragrantia mella locatis*
> *Infundunt pateris, & odoro balsama succo;*
> *Centum aliæ species, unguentaq; mira feruntur*
> *Tempus in æternum sacrum servantia corpus.*

Hoc pacto Alexandri Magni, & Ptolomæi condîta corpora, & à pluribus annis in sepulchris reposita, Augustus Cæsar in Ægyptum veniens fertur invenisse, ac sic ea servari potuisse valdè admiratum, cùm membra etiam omnia & cutis ipsa extaret, in regione licèt calidissima. Itaque ut finem huic tractationi imponamus, de medicamentis, quibus veteres ad putredinem prohibendam potissimùm in cadaverum conditura utebantur, passim apud auctores mentio fit; de sale Plinius *lib.* 30. *cap.* 9. de nitro Herodotus *lib.* 11. de asphalto sive bitumine Godomæorum Strabo *lib.* 16. de cera Herodot. *lib.* 1 Cicero 1. *Tuscul.* Strabo *lib.* 15. de myrrhâ Philo Carpath. *epist. in cantica.* de balsamis Corippus *lib.* 3. *de funere Iustini Imp.* de gypso Herodot. *lib.* 3. de calce Maffæus in *indicis cap.* 8. de melle Plinius *lib.* 22. *cap.* 24. Herodot. *lib.* 1. Strabo. *lib.* 3. Ita Xenophon *lib.* 5. *de rebus Græcorum*, Agesipolidis Regis cadaver in melle conditum domum reportatum, cùm non longè ab urbe Olyntho mortuus esset, memoriæ mandavit; ut refert Marcel. Donatus *in dilucidat. in Titum Livium lib.* 4. Sic Cornel. Nepos de Agesilao (cui & Plutarchus consentit) scribit, quòd eum amici, quo faciliùs Spartam perferre possent, cùm mel non haberent, cerâ

34.
35.

râ circumfuderint, licèt *Diodorus* in melle Spartam reportatum scriptum reliquerit. Tandem de Cedro scholiastes Nicandri, & Plinius *lib.* 24. *cap.* 5. quod medicamentum inter cætera efficacissimum erat: hinc *Cedro dignum* proverbialis locutio inventa est, de eo usurpata, cujus oratio propter verborum nitorem ac sententiarum gravitatem, immortale nomen & durationem promeretur, ut ad posteritatem debeat transmitti; ad quod haud dubiè allusit Horatius *de arte*:

——Animos ærugo, & cura peculî
Cùm semel imbuerit, speremus carmina fingi
Posse linenda cedro, & levi servanda cupresso?

36. Hinc Numæ libri tot defossi duraverunt annis, quòd cedri succo obducti, & cedrinis candelis essent involuti, ut ex *Plinio* colligere est: cedrus enim cùm ob insignem sui amaritudinem, tum ob ingentem quam habet siccandi vim, non solùm causam corruptricem interiorem compescit, verùm etiam semel sibi credita in immensum tuetur, ut latiùs docet Pancirolus *memorab. lib.* 1. *titul.* 42. & de prædictis omnibus condiendi medicamentis copiosè Joann. Kirchmanus *lib.* 1. *de funeribus Rom. cap.* 8. ad quem benevolum lectorem remittimus. Quòd si hæc ars hodiè aliquantulùm defecisse apparet, & quæ in tantam durationem corpora asservet, conditurам adhibere non valemus; ideò sanè est, quia pretiosis illis unguentis & efficacissimis rebus, ex quibus parabantur, caremus, & illarum debitam proportionem & mensuram ignoramus; quam Ægyptii non solùm probè callebant, sed copia illis suppetebat maxima: nec minor in pollinctura & unctione adhibendis erat dexteritas; de quorum conditura Herodotus & Diodorus *lib.* 2. *hist.* & 1. *biblioth.* scripserunt: de hodiernâ verò nostris usitatâ quomodò & quibus parari debeat, aliqui medici docuerunt, inter quos videndus Paræus *tract. de renunciationibus, & embammatibus*, Solenander *sect.* 5. *cons.* 14. & ex postremis facilè & diligenter Aldrovandus *in insectis, cap. de vermibus*, qui quomodò apud Europæos hodiè paretur, optimè describit.

Lib. 13. [margin]

37. [margin]

QVÆSTIO TRIGESIMAQVINTA.

De quibusdam hominum corporibus, à quibus manifestè ignis visus est exilire: an hoc naturaliter evenire possit dubitatur, & quanam ex causa quæritur.

Aquam & aërem in nostris corporibus perpetuò reperiri, imò sine his nos haudquaquam vivere posse, tam verum est, quàm omnibus notum; dari etiam terram, non illam solùm, in quam à morte & elementorum separatione resolvimur, sed aliam quam ex arenulis & lapidibus, dum vivimus, quotidiè in quamplurimis cernimus, nemini non patet; animalia etiam diversa, ac multiplicis speciei, hinc inde prosilientia in corporis humani cuniculis generari, abundè in sequenti quæst. monstrabimus. Cæterùm cùm perfectissimum mixtum homo sit, & microcosmi ad macrocosmi conspicua & maxima etiam sit analogia, an ignis quoque quemadmodum in magno, ita in parvo mundo inveniatur necesse, est ut quæramus. Verùm ignis nomine non calorem illum naturalem, vitæ & actionum opificem maximum, cujus continuo à corde influxu persistimus, nec febrilem illum, quem in igneam naturam conversum *Galenus*, & ignis nomine toties *in epid.* appellavit *Hippocrates*, hîc accipi volumus; sed planè coruscantem, & elementali similem, flammantem, & scintillantem intelligimus: non enim hæc tam fastidiosa delicatulis videbuntur, quàm illa, quæ alii summo studio in hominis opificio consideranda proponunt, dari scilicet stellas, solem, planetas, & meteora omnia; deindè plantas, arbores, metalla, & quidquid universa mundi machina continet, in eodem inveniri debere, per nescio quam similitudinem autumant. Igitur sicuti in hac vastissima terræ mole latens & absconditum ignis elementum horribili & stupendo stridore ac impetu, immensa illius pondera, & montium integra jugera maximo disrumpens strepitu, per aëra ferri videmus; sic ex hominis corpore purum ignis ac micans elementum aliquandò erupisse antiquorum & nostrorum historiæ comprobant & con-

1. [margin]

2. [margin]

& conspicuum in nobis ignem esse ostendunt. Fabulas putares, si hæc poëtæ tantùm scriberent; sed quando multorum experientia hoc affirmat, non est cur fidem denegemus, & multis qui oculares testes extiterunt, non credamus: ignem in Ascanii capite manifestè visum tradit *Virgilius*:

2. Æneid.

Ecce levis summo de vertice visus Iüli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circùm tempora pasci.

& 7. *Æneid.* Laviniæ idem accidisse narrat:

Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flammâ crepitante cremari,
Regalesq; accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.

Et ne à poëta excogitatum aut fabulosum credas, aliorum testimonia comprobabunt, quæ negari haud certè poterunt; cùm rari hujus eventûs exempla non antiquorum tantùm, sed & nostrorum plurima extent. Et in primis Servio Tullio etiamnum puero, ut inquiunt Plinius, Valerius Maximus, & Livius, *lib.* 1. dormienti circà caput flammam emicuisse domestici oculi adnotârunt; quod prodigium Tanaquil Tarquinii Regis uxor admirata, Servium servâ natum in filii modum educavit, & ad regium fastigium evexit. Hoc verum extitisse confirmant Florus, Apuleius, & Halicarnassæus *lib. antiquit. Rom.* nec omisit Ovidius *fastor.* 6.

Lib. 2. cap. 107. Val. lib. 1. cap. 6.

Signa dedit Genitor, tum cùm caput igne corusco
Contigit, inq; comis flammeus arsit apex.

Propterea ad regiam dignitatem conspicuum fuisse omen cum Plutarcho existimat doctissimus *Cerda*: innocuum quippè ignem felicitatis indicium non immeritò judicant, quantumvis hoc ridiculum putet Polydorus Virgilius *in opere de prodigiis*; quandoquidem de Bamba Gothorum Rege idem tradit Sabellicus *lib.* 1. *cap.* 4. qui ad supremum regni fastigium efferendus per flammam in formam columnæ à capite ascendentem secuturi imperii omine proceres curiæ admonuit. De Alexandro Magno in illius vita narratur, quòd in quodam conflictu cum Indis, illis strenuè obsistentibus, irâ percitus flammam ex se emiserit; quo sanè portento non Macedonica virtus, sed Barbarorum terror victoriam dedit. Hoc idem de Lucio Marcio Pœnos aggressuro narrat Livius *lib.* 25. & Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 6. & duci Asdrubali concionanti flammam è capite fusam sine ipsius sensu, cum magno circumstantium pavore.

In comment. ad Virg. lib. 2. & 7. Æneid.

Sed nostris quoque temporibus hoc multoties observatum innumera testantur exempla, & non pauci, qui viderunt, auctores affirmant: *Eusebius Nierembergius* de Theodorici patre scribit, quòd quoties membra fricaret, flammas ignis à corpore discuteret; de Antonio Cianfio, & Max. Aquilano, qui solo lintei tactu velut ignis scintillas emittebant in majori copia, quàm si ferro excuterentur è silice: addit postremò idem author ex *Ioan. Fabro* philochymico, qui in *Palladio* ait suis oculis vidisse virginem, cui dum caput pectebatur, velut scintillæ in sinum cadebant, aut quemadmodum è cælo stellæ cadere videntur, magno astantium stupore: huic prorsùs similis Caumontiæ Heroina apud Scaligerum *exercit.* 174 cui mediis in tenebris capillus dum pecteretur, ignem vomere videbatur. *Cardanus* inter miracula hominis magnum illud censet, quod monacho Carmelitani Ordinis per annos 13. perpetuos evenit; nam quoties capillitium reducebat ad occiput, è capillis scintillæ ignis erumpebant, & propterea ad convivia frequenter vocabatur: & *cap.* 49. sequenti de alio amico suo refert, qui cùm horâ primâ noctis venisset, in pallii consueta depositione scintillas à dorso petasii emittebat; intrà dies autem 15. veneficii accusatus, in exilium missus est. *Castrensis*, & *Licetus* latiùs hæc in homine meteora, & coruscationes comprobant; ego (inquit *Licetus*) à Josepho patre sæpiùs audivi, se, dum juvenis in insula Corsicæ medicinam faceret, Francisco Guido Jurisperito, artificiosæ memoriæ dote memorabili familiariter usum; qui sæpenumerò, dum nudus in lecto recumberet, casu brachia manufrictione lævigans flammas evidenter excutere consueverat, non aliter quàm si aridæ truncum hederæ virentis lauri baculo vehementissimo nisu ac concitatissimo attrivisset: quin & dum Pisis ageret, se ab Antonio Cianfio Bibliopola ait audivisse, eum bis dum subuculam exueret arctiorem, flammas

In prolus. ad hist. nat. §. 5.

Lib. 8. de rerum variet. cap. 43.

Lib. 3. de meteoris. cap. 2. Lib. 2. de monstris cap. 48.

5.

mas è dorso & brachiis cum crepitu efflâsse, ut præsens universa familia miraretur; quod de alio puero etiam narrat *Libavius*, qui detractâ per occiput interulâ scintillas copiosè unà excitabat. Ex Philalthei quoque testimonio *Alexandrinus* medicus asseverat à vertebra coxæ in laborante coxendice ignem exiliisse, inspicientisque oculos combussisse: quod ne quis fabulosum judicet, fidem facit alia magis adhuc admiranda historia, quam ex Cornel. Gemma affert *Marcel. Donatus*, de muliere, cui in actu pariendi accidit cum strepitu magno ignem ab utero excuti, qui non solùm infantem jam ejectum combussit, sed obstetricis etiam manus; quod in alterius mulieris cadavere, cùm ad causam mortis investigandam à medicis aperiretur, etiam accidisse, & ad Renatum Moreau Parisiensem medicum ab amico scriptum tradit Bartholinus *lib.* 1. *de luce animal. cap.* 18. De Carolo Gonzaga Mantuæ Duce constans fama tulit, levi per totam cutem factâ frictione flagrantes species exire solitas, ut de eo narrat etiam Bartholinus *lib.* 1. *de luce animalium cap.* 9. *de luce hominum*, apud quem de hac materia multa inveniuntur non minùs jucunda, quàm eruditè tractata.

6.

Satis jam historiarum videbatur, sed non tacebo quòd paucis abhinc annis in novo orbe, in civitate quæ dicitur S. Fée, inventus est puer, à cujus corpore cùm concitanter movebatur, conspicuæ & rutilantes ignis scintillæ prodibant: viderunt hoc plurimi, audierunt multi, qui aliis in Hispania narrârunt. Sed quid opus est à tam longinquo testimonia adducere? Joan. de Viana *tract. de peste Malagensi fol.* 46. scribit, quòd uxor Doctoris *Freilas*, qui illustrissimi D. Cardinalis Bernardi de Rojas Sandovalis Archiepiscopi Toletani medicus à cubiculo fuit, ignem naturaliter per arterias transpiratione emittebat; nam quoties baltheum exuebat, quem propè camisiam indutum gestabat, aëre frigido statim ac tangebatur, incendebatur baltheus, & veluti lucem cum quodam rugitu dare videbatur, ac si multa tormentarii pulveris grana ac dispersa igne tangerentur: quod ideò illi evenire credidit auctor, quia cùm calida admodum esset mulier, multisque excrementis tenuibus & igneis abundaret, ambientis frigore condensata accendebantur, ut in conspectum venire possent.

7.

Itaque non in homine tantùm, verùm & in equis hoc aliquando observatum est: quippe cùm animalia sint exuperanti calore fervida, temperieque & sanguinis copiâ non multùm ab homine diversa, & irâ quoque suprà modum excandescentia, non mirum in tantum aliquando exardescere, ut calidissimos vapores in flammam conversos efflent; quod de Tiberii Cæsaris equo narratur, qui in præliis accensus per os ignis flammas exufflando emittebat: hoc *Ioachimus Fortius Ringelbergius* confirmat, qui ait sæpenumerò per nigri equi collum se manum sursùm ac deorsùm in tenebris duxisse, & undique ignis scintillas erumpere conspexisse; quin & de alio coloris albi, quem ad cataphracti usum habebat *Scaliger*, è Calabria asportatum, qui ubi strigili in tenebris fricaretur, easdem ejaculari videbatur. Quod de aliis refert Th. Bartholinus *lib.* 2. *cap.* 3. *de luce brutorum*: in quorum numero venit etiam bovis illius historia quam *Iul. obsequens* in prodigiis narrat L. Gracho, & M. Juvencio Coss. ex cujus ore flamma erupit: *Ad forum* (inquit) *Esii bovem flamma ex ipsius ore nata non læsit*.

8.

Ex relatis historiis patet ignem naturaliter in corporibus accendi & excuti posse; quem lambentem ideò appellant, quia sine ulla noxa excutitur, brevique cùm lucem ac scintillas accendit, evanescit tanquam ex tenuissima vaporis substantia productus. Antequam verò ad causas accedamus hujus effectûs naturales, illud priùs advertendum duxi, multis modis hoc accidere posse: crediderim quippè ego dæmonis aliquando fuisse commentum, ut suos, quos præ cæteris extollere cogitabat, tali vafricie redderet commendatos & admirandos; quid enim aliter pensitare possumus de Marcio illo Romano duorum exercituum Duce strenuo, qui (prout Livius *lib.* 25. scribit) cum ad populum publicè concionaretur ignea lux dictantis capiti undique emicuit? Nec aliâ de causâ evenisse putaverim quod *Suetonius* de multis aliis tradidit, in quorum capitibus paulò antè Jul. Cæsaris mortem ardens ignis visus est; cùm enim non uni, sed pluribus eodem modo ac tempore acciderit, quid aliud quàm à dæmone factum fuisse suspicari possumus? temporibus præsertim illis & gentibus, quas mille fraudum & technarum machinamentis circumvenire consueverat. Nec etiam aliter Iülo seu Ascanio, (si verum est quod *Virg.* scribit) evenisse conjectare possum, quem

9.

quem ad regni fastigium evehere satagebat; sicuti & Servio, de quo ex prodigioso luminis & ignis splendore Tanaquil regina adipiscendi regni omen, augurum etiam suadentibus auspiciis, conjectata est. Simili ostento in bovis illius flamma usum dicere ausim, ad fraudes sibi ipsi notas, cùm gentilibus aliquid superstitiosum suadere conabatur; sic etiam sæpiùs illos loqui fecisse constat, & alia similia exequebatur, ut latiùs apud Aldrovandum *in Bisulcis lib. & cap.* 1. *titul. de auspiciis, & prodigiis.* Cæterùm & divinitùs aliquandò similia accidisse prodigia ex miraculosis eventibus inferre poterimus; cujusmodi putaverim fuisse illud, quod de rege Bamba narrat Funccius *in Chron.* nam cùm rex inungeretur, oleum ait de se minutissimas flammas sparsisse, quod fidei Christianæ acerrimum illum defensorem futurum forsitan indicabat. Similiter quod de S. Martino refert *Sabellicus*, cui primam Missam celebranti accidit ex hostia flammam emicuisse, quod sancti viri in Christum maximum desiderium, & animi ardorem ostendisse, piè ex tanto hoc miraculo inferre non videtur à ratione alienum. Prætereà nec prætermittendum est, prodigiosam hanc ignis coruscationem aliquos astutiâ & arte finxisse, ut populum in nova facilè corruentem, admirationibusque attonitum ad se pellicerent; sic Eunum Syrum fecisse narrat *Fulgosius*, qui Siciliæ gentibus Deæ Syræ sacra cæremoniasque vehementius ut suaderet, ori inclusam nucem cum sulphure & igne gestabat, tali artificio, ut loquens persæpè flammas effundere conspiceretur; quâ sanè vafricie servorum & infimæ plebis magnum ad se numerum pertraxit. Tot igitur modis lambentis hujus ignis splendor & flamma in corporibus provenire posse videtur, ut ex allatis historiis non obscurè patet: sed naturaliter multoties ac pluribus accidisse compertum est, paucis verò notum, quod de duobus equitibus Polonis narrat Thom. Bartholinus *lib. de luce animalium cap.* 18. quibus tempore reginæ Bonæ Sfortiæ accidit, ut sumptis duobus ardentis vini cyathis flammam evomuerint, ac combusti mortui sint; sed plures casus circà hanc rem satis admirandos apud eundem *Thomam Bartholinum* legere poteris.

[Margin: 10. — Lib. 1. cap. 4. — Lib. 7. — 11.]

12. Ad causam verò naturalis hujus effectûs jam accedendo, non una sed multiplex excogitari posse videtur. *Ionstonus* in refractione luminis in subjecto lævi eam statuit; *Sicuti enim* (inquit) *in aëre rorante guttulæ sunt quasi singula specula, ita in capite piloso, pingui, viscido, squammoso, pili vel squammæ.* Tamen si ad Paracelsicorum doctrinam accedamus, multò aliter ac facilius hujus eventûs causa reddi poterit; quippe cum ipsi in corpore humano salis, nitri, sulphurisque materiam inveniri doceant, pronum erit ut de sulphuris tenuissima substantia per modum vaporis aliquid elevetur, cujus tanta ad ignis transmutationem aptitudo sit, ut facilè vel ipso motu in flammigerantem illam lucem evadat; præsertim si oleaginosæ substantiæ aliquid in vaporibus illis mixtum adhæreat, quod ad primum luminis ictum quàm citissimè consumatur, atque ideò statim extinguatur flamma, cùm sine pabulo permanere non possit; & ob ingentem quoque tenuitatem materiæ, ac flammæ raritatem, ob quam velocissimè extinguitur, non lædat. Et licèt *Paracelsi* doctrinam medici sint exosi, & tanquam à communi & verâ aliena ubique passim ab omnibus explodatur, tamen quatenus ad harum substantiarum in corpore existentiam à quamplurimis recipitur, ut passim apud *Sennertum* videre est: non quòd elementa illius sint, ut idem *Paracelsus* pessimè cogitavit ac docuit, quem meritò ideo redarguit *Freitagius*; sed quia ex multarum ægritudinum effectibus non ineptè colligitur, quorum causas hujusmodi aliquid habere ex effectu deduci potest, ut doctè in *Meteoris* probavit *Castrensis*: hinc ulcera serpentia, hinc vesicas attolli, hinc erysipelata, & ignem sacrum dictum oriri, quæ prout ex salsa aut sulphurea hac materia & igne plus aut minùs participant, combusta, aut in scaræ modum exusta videantur, ut in antracibus & carbunco conspicimus. Quòd si nec his assentiris, & *Paracelsi* hæc cum innumeris aliis meras esse nugas contendis; dic in calidissimis corporibus illud accidere posse, quorum tenuissimos ac subtilissimos vapores in poris contentos, ibique pinguedinis oleaginosæque substantiæ calore liquefactę aliquid imbibentes, cùm à motu magis calefiant & attenuentur, in exitu aëre frigido contactos subitò velut contrarium refugientes, aliquantulùm magis condensari & inter se collidi evenit; unde ex motu oleaginosa & tenuissima illa materia, ex qua constabant, subitò accenditur, quæ

[Margin: Lib. 4. cap. 9. — 13.]

ob ingentem raritatem ad primum luminis jactum & consumitur, & ignea quoque lux evanescit. Vel etiam dicere possumus, calidos illos vapores ad naturam ignis propiùs accedentes, (quasi potentiâ ignem dixeris) agentis tantùm alicujus actionem expectare, quæ illos ad actum reducat, ut in flammam facilè transeant; hanc verò ab externo calidissimo aëre æstivo tempore accipere, ac sic promptissimè accendi: ita enim non solùm ex vivis corporibus, sed ex mortuorum quoque sepulchris soli præsertim expositis vapores exiisse, à quibus ignea flamma in aëre excitabatur, vidit *Benevenius*, ex cujus visione maximo terrore abreptus in ephemeram incidisse idem auctor scribit; quod etiam *epist.* 36. *tom.* 2. adnotavit *Langius*: quandoquidem tales vapores è sepulchris exeuntes, hominis sepulti pro magnitudine & figura effigiem efformare *quæst.* 33. ex *Cardano* adduximus. Cæterùm cum prima ratione à nobis adducta videtur convenire Jonstonus *in thaumath.* qui noctis frigido ambiente vapores illos calidos per antiperistasim accendi putavit; viscosâ enim & pingui exhalatione tanquam parente gaudent, ut ipse inquit, qui & fatuum ignem appellat, qui accedentes fugere videtur, recedentes verò sequi, quia aëris incursu propellitur, & fugiendo attrahitur; apud quem de Polluce & Castore, Helenaque sidere navigantibus tempestatis nuncio, aut serenitatis, ut alii credunt, verè fatuo igne dicto plura alia leges: sicuti apud Plinium *lib.* 2. *cap.* 27. de quo multa ex variis auctoribus collegit Kormanus *part.* 7. *de miracul. mortu. cap.* 68.

14. 15. [margin numbers]

Cap. 6[?] abditis. *Lib. 15. rerum v[ar.] cap. 93.*

QUÆSTIO TRIGESIMASEXTA.

Animalia diversa an & quibus ex causis in vivis hominum corporibus generari possint? An etiam plantas, lapides, gypsum, aurum, in eisdem naturaliter provenire possibile sit?

QUando igitur ignem elementali similem in homine jam invenimus, videndum est, an in hac microcosmi κατάςασι sicuti in magno, diversa quoque animalia, lapides, metalla, atque ipsum aurum provenire generarique possint. Siquidem ex corruptorum humorum mixtione pessima ac fœtidissima animalia sæpiùs genita, & à corporibus excludi visa sunt: nam ut pediculos ac lendes omittamus, lumbricos, vermes, ranas, bufones, scarabæos, mures, angues, viperas, & aliorum nescio quam illuviem rarissimis & ignotis figuris horrorem & metum incutientibus à corpore humano excreta, non desunt qui scribant, ac vidisse testentur; quin illorum animalium aliqua tantâ vivacitate prædita, ut ab exitu celeri cursu latebras & domuncularum cavernas quærerent, quò se ab oculis subtraherent ac mortem effugerent, parietesque velociter perreptarent atque ascenderent. Exempla propemodùm sunt infinita: & ut à minutissimis illis incipiamus, quis non mirabitur rarum illum pediculorum proventum, non tantùm ex sordidis humoribus & capitis excrementis assiduè scaturientem, sed à toto etiam corpore resolutis, & in hujuscemodi putredinem devenientibus ichoribus, quæ ad tantorum & talium animalculorum generationem apta fuerit, tantaque cum labe corruptis, ut ipsa quoque corporis moles & carnis substantia in has despicatissimas bestiolas resolvi & absumi videatur, quæ tandem putido fœtore & morsibus miserum insomnem agant, & exedendo perimant? Horrendâ hac ægritudine sublatos Syllam Dictatorem, Alemanem poëtam, Pherecydem Syrum, referunt *Plinius*, *Suidas*, *Ælianus*, qui de Pherecyde non naturalem, sed ab Apollinis ira immissum morbum passum fuisse asserit. De quo *Quint. Serenus*:

1. *Pediculorum morbo qui mortui fuerint.*

Sed quis non paveat Pherecydis fata tragædi,
Qui nimio sudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt?
Sylla quoque infelix tali languore peresus
Corruit, & fædo se vidit ab agmine vinci.

Et

Et de eisdem Pherecyde & Alemane poëta testatus est *Aristoteles*, quòd pediculis consumpti perierint; serpentes vocavit Plinius *lib. 7. cap.* 51. qui eundem Pherecydem serpentum ab ejus corpore erumpentium copiâ expirâsse ait. Verum & plures alii ab auctoribus narrantur, qui hoc morbo & fœtore consumpti perierunt: Speusippum Eurymedontis filium, Atheniensemque Philosophum, Acastum Peliæ filium, Callisthenem Olynthium, Mummium Jurisconsultum, Eunum belli in Cilicia auctorem, tali morbo obiisse testatur Plutarchus, *lib. de sera numinis vindicta*; quo pacto Calvinum Hæresiarcham ultorem Deum sic expertum fuisse tradit *Surius*, & ex eo *Majolus*: quandoquidem inter plagas divinæ justitiæ pediculorum copiam esse, & octavam pediculorum fuisse, quâ cyniphum morsibus Ægyptiorum corpora divexabantur, scripsit *Josephus*, quem sequitur Dionysius Carthusianus *lib. de quat. noviss. art.* 37. Porrò Cassandrum Macedoniæ Regem eâdem ægritudine consumptum legitur apud Justinum *lib.* 16. nec desunt, qui in eadem miseria *Platonem* introducant; & Honorius Vandalorum Rex, postquam per annos octo Christianam religionem insectatus est, eâdem calamitate pœnas luit, ut de eo *Volaterranus*; quo etiam supplicio Arnulphum Imp. cum ad templorum spoliationem animum convertisset, affectum auctores sunt *Bapt. Egnatius*, *Platina*, *Æmilius*, & ex historicis multi alii confirmant, ut *Jovius*, & *Garivai* in *hist. Hisp. lib.* 9. *cap.* 28. quod anno 901. accidisse scribit. Similiter & Antiocho Regi evenisse ex 2. *Machab.* 9. in S. pagina docemur; quemadmodum de Herode *cap.* 12. *act. Apost.* legimus: nam quamvis vermibus consumptos dicat, pediculos fuisse non desunt qui tradant Theologi. Horum itaque multos ob illorum impietatem Dei manu punitos corruisse, & animæ fœditatem corpori non absimili immissâ ægritudine contabefactos solvisse, par est ut credamus, erodente se ipso corpore, & supplicia sibi gignente; ut de Sylla illius proscriptionis crudelitatem exprobans dicebat *Plinius*. Tandem eodem modo absumptum Antonium Picenium Eremitam videntur innuere *Panormitanus*, & *Æneas Sylvius*, cum vermibus extinctum narrant; & Nobilem alium Vlyssiponensem refert Amatus *cent.* 3. *curat.* 58. à cujus corpore in tanta copia prodiisse inquit, ut plenos cophinos servi in littus deferrent.

Lib. 5. de hist. animal. cap. 31.

Colloquio 5. in fine.

Lib. 2. antiq. cap. 13.

Lib. de gestis Alphons.

Ex his satis intelligitur crudelem hujus morbi esse diritatem, nec remediis ullis vinci posse; hinc etiam miseriæ humanæ fragilitatem & Altissimi potentiam licet contemplari, quæ omnium animantium superbissimum hominem tam sordidæ & minutissimæ bestiolæ viribus dejiciat & conterat, cum tam ingentibus & malignis eas aliquando donaverit, ut cum nec oculis quasi pateat, nec morsus sentiatur, veneni tamen talis sit pernicies, quæ faciat sanguinem per urinam erumpere, vomitu etiam stomachum supinet, & ex pectore, pulmone, dentiumque radicibus, cruorem nullâ proficiente medicinâ ejiciat; si verum est quod ex *Galeno* scripsit *Avicenna*; locum tamen *Galeni* alius indicabit, quippè apud ipsum ego non invenio. Mercurialis *lib. de morb. Gall. cap. 2. & lib. 1. de arte Gymnast. cap.* 1. ex Agatharchida refert quoddam morbi genus circà Rubrum mare pervagatum esse, quo qui corripiebantur, alatos pediculos è corpore emittebant, quousque ad mortem mira sequeretur scabies: *lib. 2. variarum lect. cap.* 20. latius totam Agatharchidæ historiam narrat; quod etiam Photius *in sua Bibliotheca lib.* 5. exposuit, nec non *Strabo*, & *Diodorus*, qui hoc addit, pediculorum vermiumque alatorum, visu variorum, specie horridorum ac turpium, tantam è corpore copiam effluxisse, aliis super alios tanquam è perforato vase scaturientibus, ut deleri non possent. *Strabo* autem de Æthiopibus, Syllis finitimis agens, quos brevioris vitæ esse ait, ac rarò quadragesimum annum transcendere, *eorum carne jam*, non *in ferinam versâ* (ut malè non solùm vetus, sed etiam Xylander recentior vertit interpres) sed aut *in pediculos versâ* (ut aliis placuit) aut *in parvos serpentes versâ*, ut Græca verba sonant. *Plutarchus* de maris rubri accolis hoc tradidisse Agatharchidam memorat: *Affectionibus novis, & nunquam auditis tentati sunt; nam dracunculi quidam parvi crura & brachia edentes eruperunt, qui si tangebantur, statim emergebant, atque musculis infixi minimè tolerabiles inflammationes pariebant. Hoc morbi genus priùs nemo vidit unquam, nec posteriùs aliis nisi his solis obtigisse comperit, ut alia multa.* Hoc ex Agatharchidâ *Plutarchus*; ex quo etiam *Photius*, *Diodorus*, & *Strabo*. Sed cùm dicat: *Hanc ægritudinem nemo unquam priùs aut posteriùs vidit*,

Fen. 6. lib. 4. tract. 5. cap. 12.

8. sympos. 9.

vidit, & circà mare rubrum fuisse; non sine ingenti conjectura arbitratur *Nierembergius* Agatharchidam in sacra Pagina apud Moysem hoc legisse, ac dictum morbum illum fuisse, quem in ingratissimos Hebræos Deus immisit, ut *cap.* 21. *numerorum* scribitur. Nam ignitos illos serpentes, quos in ipsos Deus immisisse ait sacra Pagina, non adventitios sed innatos fuisse eruditè ex nostris dilucidat *Fortunius Licetus*. Sed hoc non est facile determinare; quippè dicti serpentes extrinsecùs advenire potuerunt, ut in plurimis Ægyptiorum plagis anteà accidit. Joan. Herbutus *in hist. Polonicæ compend. lib.* 18. *cap.* 5. narrat anno 1285. Prusiam novo vermium genere infestatam qui caudis cancrorum prædití, quoscunque aculeo pupugissent, triduo extinguebantur: quod Cromerus *lib.* 10. *de reb. Polon.* etiam confirmat. Auctor etiam est Joan. Villanus *hist. sui temp. lib.* 7. *cap.* 101. Philippo Francorum Rege Gytonam Cathaloniæ urbem obsidente, muscas in exercitu obortas, quæ morsu venenato homines atque animalia pungentes velocissimè neci dabant. Quarè Israëlitico populo extrinsecùs, an intrinsecùs advenisse serpentes illos non, video undè facilè dignosci posset: ignitos verò putaverim à Moyse dictos ab effectu, ob ingentem inflammationem & ardentissimos dolores, quos membra erodendo afferebant. Quæ si ita sunt, minimè *Mercuriali* assentirer, cùm *citato loco variarum*. morbum ab Agatharchida relatum eundem fuisse putat cum illo, quem juniores & antiquiores medici *Dracunculum* appellârunt; nam cùm ibidem *Plutarchus* dicat: *Id morbi genus priùs aut posteriùs ullis aliis obtigisse nemo comperit*, iræ divinæ aliquid peculiare nunquam anteà visum denotat: & sanè decebat ingentem tantis beneficiis ingratissimam (quod Deo & hominibus maximè invisum est) humanæ speciei, in sceleris pœnam, aliquid etiam mali adversitate rarum, & nunquàm aliàs conspectum immittere; Dracunculus verò morbus est, quilicèt rarus, & à *Galeno* (ut ipse fatetur) nunquam visus, tamen de illo scripserunt *Æsius & Paulus*, de quo etiam Avicenna *lib.* 4. *p.* 3. *tract.* 3. *cap.* 21. & 22. & ex posterioribus Guido de Gauliaco, Paræus *lib.* 7. *cap.* 21. Scholtius *epist.* 27. Reusnerus, VVierus *tract. de Dracunculis*, Forestus *lib.* 20. Langius *tom.* 2. *epist.* 42. Sennertus *lib.* 2. *p.* 2. *cap.* 24. Schenckius *lib.* 5. Marcel. Donatus, *lib.* 4. *hist. med. mirab. cap.* 29. quem quidem affectum cum alio, qui in infantibus aliquando visitur (cirones & vermes dorsi appellant practici) auctores confundunt, & similem faciunt de quo Georgius Kufnerus apud Leon. Faventinum *tract. de morbis puerorum*, centum abhinc ferè annis jam egit, & de illius causa optimè Greg. Horstius cum Guilielmo Fabricio Hildano *cent.* 5. *obs. chirurg.* 51. & ipse Horstius *tom.* 1. *obs. fol. mihi* 405. & 358. ut proptereà mirer me aliquando à medico quodam non vulgari audiisse, se apud practicos nil de hoc affectu legisse; sed de his infrà paucula afferemus.

Lib. 1 hist. na cap. [3]

Lib. d spont. ventum ortu.

6.

Tetrab. serm. 2. cap. 80. Paul. lib cap. 59.

7.

8. A minimis ad majuscula pergamus. Tradit *Philoxenus* apud Æsium *tetrab.* 4. *sermo.* 3. *cap.* 7. quod & Galenus *lib. de tumoribus præter naturam* fatetur, se in tumoribus animalia culicibus aut parvis muscis similia reperisse, *Fallopius* vermes, Nicolaus Remigius *lib.* 3. *dæmonolatriæ cap.* 1 ait vidisse globulum vermium ex cujusdam vomica in sura adaperta. Quid si lapides, ligna, testas, aliaque hujuscemodi plura addidero ipso Galeno auctore 2. *ad Glau. cap.* 7. & 14. *meth. cap.* 11. & unguium segmenta, pilorum, ossium inventa fuisse scribit Lemnius *lib.* 3. *de nat. mira. cap.* 40. In tam varia humanos humores mutari posse ipsa experientia ostendit, & medici experiuntur: licèt non desint qui superstitionum vi hæc tantum fieri posse credant, nec aliter quàm illarum dolo corporibus immissa dicant; prout apud citatum *Remigium*, *Langium*, & alios videre est. Sed majus fuit prodigium, quod narrante *Lycosthene* anno Domini 1125. in pueri cujusdam tumore in pago Dullefelt visum est, in cujus apertione non sanies, non pus, aut sanguis, sed siliginis & hordei grana exierunt: quod naturaliter ex materia in abscessibus putrescente fieri posse etiam aliqui contendunt; quod non magis crediderim, quàm illud quod de muliere ex *Obsequente* narrat idem *Lycosthenes* quæ anno urbis 658. Arretii integras farri spicas evomuit, & naribus ejecit. Apage tam dirum mendacium dicant scioli; sed hi quæ in recondita naturæ majestate latent, tam non investigare, quàm credere unquam poterunt: verum ad ingentem illius potentiam altius contemplandam eos attentiores similia alia exempla reddent, ex quibus occurrit primum illud quod *Marcel. Donatus* narrat *cap.* 12. *lib.* 2. *hist. mirab.* nucleum scilicèt cerasi in pueri auris foramen intrusum, & cum nullis remediis extrahi potuis-

Plantæ & arbores in hominibus germinantes.

9.

potuisset, tandem post multos dies germinare cœpisse. Similem aliam historiam recitat de anagyridis semine, quod cùm Joanni Mariæ Bonardo in aurem per incuriam incidisset, & illud extrahere conaretur, impensiùs detrusit, ac intimiùs impulit; inde per plures menses inflammatione & apostemate ortis, non parùm afflictionis sustinuit, donec tandem germinante semine, ac germine prominente semen extractum est fructificatum jam & suæ speciei nova germina prodens. Majus est quod sequitur, sed publico instrumento & testimonio ex Molina Atragonis ad *Ioan. Euseb. Nierembergium* missum, pastori tempè cuidam Axiacantham, sive spinam albam, plantam propè ventriculum enatam, quæ singulis annis cæterarum arborum more suo tempore germinabat: an in causa fuerit aliquid seminis devorati non tradit; fortaissis sic contingere potuit. Sed absque hujusmodi principio enasci potuisse ipsa naturæ vis ostendere videtur, cùm in humana plantarum vires reperiri & lapidum, nobis non contemnendi philosophi inculcent, ut latè & doctè probat Josephus Phavorinus à calvariis in *synopsi de hominis excellentia*, satis magno volumine. Credenda igitur quæ fabulosa videntur, quippe & in mirifica naturæ majestate possibilia sunt, quæ talia non judicantur; nec ideò negandum quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum. Si quis igitur prodigii illius de muliere, quæ spicas farrj ore & naribus ejecit, naturalem causam indagare voluerit, *Licetum* adeat, qui *lib. 3. de spontaneo viventium ortu* scitè rem hanc discutit ac determinat.

Vide illum lib. 2. occult. phil. cap. 48. & in prologo ad prolus. hist. naturalis.

10.

Ad animalia iterùm redeamus, & de lumbricis illa, quæ nemini non nota, prætermittendo, inprimis rarum, quod non per os tantum & nares, sed & per oculos aliquando exierint; rarissimum, sed tamen aliquoties visum, quòd ventrem & abdomen perforando exitum quærerent, quod apud *Schenckium*, *Sennertum*, & alios legimus, & ego quoque in puella vidi, quæ tamen è tanto malo evasit, à pessimo derelicto ulcere curata. Sedecim vermes à juvene per urinam excretos, se præsente vivos, ac matulam tenente vidisse narrat Henricus ab Her *in sua Spadacrene cap. 9.* cæterùm quod in horum genere majorem præstat admirationem tineæ sunt, aliter fasciæ, seu latissimi vermes, quos multi ab humano alvo prodiisse conspexerunt, tantæ longitudinis, ut tricenûm pedum aliquando fuisse dicat *Plinius*. Majores & longiores alii viderunt; ego unum vidi spithamorum 41. longum, in homine exiguæ admodùm & tenuis staturæ: hic jam diu caprino lacte nutritus in ventris tormina devenerat, quibus nullis remediis proficientibus, haud ullum levamen susceperat; tandem quadam die cùm alvum deponere cogitaret, vermem ab ano exeuntem persensit, & manibus trahere nitebatur; sed cùm exeuntis finem non videret, perterritus uxorem, (victoria illi nomen erat) ut præstò adesset, altâ voce compellat, maximo clamore sibi omnia intestina decidere pronuncians, cujus adjumento bestiam jam dictam exclusit, viperino capite, utrimque ad latera bifurcato, quæ ad 12. horas in aquam frustulatim ejecta supervixit. Doctor *Hidalgo* Hispanus Chirurgus de alio refert verme, qui ad fenestram domi appensus, ambobus extremitatibus solum tangebat. Apud *Schenckium*, *Marcel. Donatum*, & plures alios multorum similia exempla colliguntur. Hollerius *cap. 1. praxis* ex ocymi odore vermem in capite cujusdam Itali natum scribit, qui post longos cruciatus mortem attulit. Sed in capite nasci haud mirum, cùm arietibus hoc commune sit, quod hominibus etiam evenire tradit Avicenna 1. 3. *tract. 2. c. 7.* Dioscorides, Plinius, & Chrysippus tradunt ab ocymi victu fugiendum, quòd eo contuso & ad solem posito inde scorpio oriatur: quod nec difficile nec incredibile videbitur si *Zacuto* ulla debetur fides, qui apertâ in crure venâ vermem palmi longitudine extractum vidisse ait, qui intolerabiles dolores excitaverat; quod ideò magis mirandum, quia venæ tam sordidæ putredinis capaces non videntur, ut ex corrupta ibidem materia animalia generentur; quàliter in ulceribus videmus, manantibus auribus, & apostematibus, in quibus aliquando repertos tradit Marcel. Donatus *lib. 4. cap. 16.* Sed potuit forsan aliundè ad venas penetrare: passim enim apud auctores admiranda hæc occurrunt, ut naturæ magnalia in rarissimis humani corporis eventibus quotidie pateant; ut meritò admirari debeamus, cùm in perfectissimo animali, velut in terra, luxuriet, ac in viva, homine inquam, sicuti in mortua & elementali, ex putredine animalia producat; nec in visceribus tantùm, ubi potissimùm excrementa abundant, sed in aliis quoque partibus succulentâ carne refertis, alia atque alia procreet, quem admodum de dracunculis paulò antea dicebamus: nec dracunculos solum, sed veros dracones & serpentes in corporibus huma-

11. 12. Lib. 11. cap. 33. 13. Lib. 3. prax. mirand. obs. 05. 14.

humanis enaſci tam certum eſt, quàm verum, ut multorum comprobat authoritas: non enim opus eſt ut *Plinius* huic faveat, qui Pherecydem copiâ ſerpentum, non pediculorum, è corpore prodeuntium expiràſſe exiſtimat; nam ut ut fuerit, aliorum ſcripta hoc ſæpiùs accidiſſe teſtantur.

Et in primis ſerpentes ex mulierum capillis oriri ex *Avicenna* tradit Rhodiginus *lib. 2. cap. 11. lect. ant.* Petrarcha *lib. 2. de remed. utriuſque fortunæ* ſuo tempore magnum quendam virum à vermibus toto corpore ſcatentibus, ut & à muribus alium, exeſum commemorat. Saxonia *lib. 10. de plica. c. 18.* viperas & lacertas in corporibus

15. humanis aliquando enatas ait, ut mille homines inde perierint: quo ſanè morbi genere Hungarorum plura millia juxtà fluvinm Theiſam interempta fuiſſe ex *Ioan. Bapt. à Porta* relatu poſteris tradiderunt *Fincelius*, *Franciſcus Bebercius*, & *Ægidius Aquila*; quorum ſcriptis cùm careamus, ex noſtris medicis hiſtoriam ſubnectimus: eam Geſnerus *lib. de quadrup. oviparis* tradit. *Anno* (inquit) 1551. *pervenit ad nos hiſtoria Viennæ impreſſa hujuſmodi. Hac æſtate circà diem D. Margaritæ in Hungaria propè pagum Zichſiam, juxtà Theiſam fluvium accidit, ut in multorum hominum corporibus ſerpentes & lacertæ naturalibus ſimiles naſcerentur; undè ſæviſſimi dolores oborti tandem eos miſerè necârunt, ita ut tria circiter hominum millia ſic periiſſe ferantur: quibuſdam humi ad ſolem jacentibus ſerpentes & lacertæ per os aliquatenùs emerſerunt, ſed mox iterùm ſeſe in ventribus abdiderunt. Nobili cuidam puellæ diris cruciatibus mortuæ cùm venter incideretur, ſerpentes duo prodierunt.* Hæc *Geſnerus*: quæ licèt ob peculiare Dei flagellum eveniſſe ſuſpicari poſſimus, potuit etiam aliqua epidemica lues graſſari, ob cujus determinatam vim talis diſpoſitio & putredo in corporibus reſultaret, ex qua animalia illa orirentur; cùm ob diverſas illas putredinum diſpoſitiones, variis formis & figuris inſignita exiiſſe ſæpiùs viſum ſit, unde multiplex horum animalium differentia ſuccreſcit.

16. Ex odore baſilicæ herbæ duos ſcorpiones in cerebro natos ſcribit Geſnerus *lib. 5. de hiſt. animal*, alterum ex eadem cauſa obſervavit *Hollerius*: lacertas duas viridis coloris vivas ejectas Horſtius *lib. 1. epiſt. ſect. 5.* Salamandram ex ſoceri relatu Marſpurgii ab alterius ventre excretam idem author memorat. *Fernelius* duos vermes corniculatos ac villoſos, multis pedibus refertos, è naribus prodeuntes vidiſſe ſcribit, qui

17. militem in furorem & mortem tandem adduxerunt. *Gemma* præter vermes ingentem cimicum copiam in cujuſdam matronæ calvaria, quæ ex doloris capitis vehementiâ occubuerat, reperiſſe ait *lib. 2. coſmog.* Millepedum animal dictum per urinarium meatum excluſum adnotavit *Duretus*; corniculatum aliud animal teſtudinis in modum teſtâ obductum Lutetiæ per eundem locum ejectum Vidius *lib. 10. cap. 14.* vermes quamplurimos per vomitum figurâ aſpectuque difformes multi apud *Schenckium* vidiſſe tradiderunt; muſcas, ſcarabæos, & hujuſcemodi alia Foreſtus *lib. 18. obſ. 19.* Præter illa quæ frequenter ab alvo viſuntur, rarum ſatis & admirandum illud,

18. quod *Gemma* à puellæ Lovanienſis ano excretum narrat animal vivum, ſeſquipedem longum, pollice craſſius, anguillæ ſimile, niſi quòd cauda valdè piloſa erat.

Jam ſi ad mulierum uterum accedamus, cæterarum partium acetabula & æquivoca

19. procreandi vis multò inferior habebitur; nam quaſi prodigiorum alterum vaſculum, aut quemadmodum Africa in ferarum genere monſtrifica, aliquid ſemper novi importat; nam præter illa, quæ ex turpi ac diſſimili congreſſu horrenda ac monſtroſa traduntur, aut imaginationis vi effecta ac formata fuiſſe creduntur; elephantes, leones, feles, canes, porcellos, & multa alia ex corruptis ſemine & humoribus, humano in utero formari, foveri, & ex illo excludi indubitatæ fidei auctores confirmant. A mulieris utero viperam exiiſſe, cùm partus expectaretur, tradit Sabellicus *lib. 3.* Notum & vetus illud eſt quod de Longobardis, & Apuliæ mulieribus quàm multi ſcribunt, & de Neapolitanis *Torque-*

20. *mada*; apud quas nationes frequens eſt, ut cum fœtu aliàs benè formato, ranas, bufones, lacertas, & ſerpentum, harpyarumque neſcio quas torvas & mali ominis figuras excludant: propterà Longobardorum fratrem appellant hujuſmodi illuviem, quam, ut *Platearius* refert, mulieres ſucco apii aut porrorum bibito occidere nituntur; & in Hiſpania quoque frequentiſſimum eſſe tradit *Bonaciola*, in Flandria quoque & Belgio *Ludovicus Vives*: nil tamen refert, an hìc, aut illic frequentiùs accidat, quandoquidem non hoc commune, ſed rarum. Savanarola *tract. 6. rub. 27.* cauſam eſſe ait, non ſeminis vitium, ſed coitûs errorem

Lib. & c

Lib. de vinis nat charact.

Dialogo.

Cap. 6. lib. 1. mulie- brium.

tem, & influentiæ cælestis vim; Gainerius *cap.* 32. ad seminis impuritatem, menstrui debilitatem, rebellionemque, & utriusque impotentiam hoc reducendum non ineptè credit; *Gordonius* ad pessimum victum, quo ex herbis, & fructibus utuntur; caloris etiam virilis seminis defectui, humorumque aliis impuritatibus non malè tribuit: cui *Paræus* consentire videtur, nam (inquit) illis semper charior in vestitu corporis ornatus fuit, quàm cultus in victu. *Alex. Benedictus* incolas ait in Austrum caussam rejicere; utcumque sit, non in dictis tantùm partibus, sed in omnibus ferè regionibus aliquando conspici, ut similia bruta ab humano utero prodeant, multorum testimoniis indubitatum habetur. Math. de Gradi. *Non vidi* (inquit) *sed audivi de animali in matrice generato cum aliis, quod cùm exivit matricem, volavit.* Gatinaria aliud inquit conspexisse ab utero projectum ad similitudinem tineæ, superâ parte viridis coloris, infernâ rubri, tam duri corii, ut ense vix scindi potuisset, in muliere Papiensi, quæ putans se prægnantem esse post 12. mensem hoc emisit. In Helvetia hujuscemodi plura non rarò sic evenisse *Aureliani*, & *Plateartii* confirmat auctoritas, & plurimi alii viderunt. Bufonem *Lycosthenes*, & *Bodinus*; murem crassiorem caudâ carentem Joubertus *in lib. de errorib. pop.* Camerarius ex Joannis Rubingeri relatione aliam fœminam mures novem vivos edidisse scribit, quinque aliam in Palatinatu; & quia admirandum est quod addit ac stupendum, dicere non gravabor: currentes scilicèt hinc inde mures quatuor à domesticis interfectos fuisse, quintum à fele devoratum quæ illicò in rabiem agitata ad puerperæ lectum venit, nec infestare desiit, quoad interempta foret. Itaque mures, aves, & serpentes à mulieribus enixos fatetur *Mercurialis*; erucam magnæ longitudinis, quæ reptando sese extenderet à muliere editam narrat Wierus *de præstig. dæmon. cap.* 6. sed prodigiosum magis quod addit Laurentius 2. *anat. quæst.* 8. talpas in utero nasci, & in illius latebris per multos annos delitescere: viverram, vel animal illi simillimum cum infante editum, quem per cervicem unguibus comprehensum, & pedes pedibus complicatum eduxit, Torquemada *dialogo* 1. retulit: lacertam, aut quid simile Philippus Geringus *de acidis fontibus*, à muliere, quæ falsò prægnans putabatur, ejectam scribit. Serpentes cum, vel sine fœtu prodiisse plurimi narrant; duos ulnæ longitudine cum infante eductos crassitudinis brachii ipsius infantis celebri historiâ tradit *Bauhinus*, & multoties hoc accidisse confirmant Alexandrinus, Plinius *lib.* 7. *cap.* 3. & Julius Obsequens. Lycosthenes viperam aliam à muliere exclusam in prodigiis scribit: serpentem alium ejectum Justinus Episcop. *Annal. Ianactium. lib.* 5. commemorat. Cum infantibus gemellorum hæc fraternitas non semper secura: quippe à serpentibus aut necati, aut consumpti, & ob devoratum alimentum contabefacti hujusmodi fœtus exeunt; qualiter ille in cujus dorso serpens adhærebat, adhuc post mortem cadaver arrodens & depascens infantis tali sodalitio miseri, cujus historiam in prodigiis & ostentis inseruit Lycosthenes, & Aldrovandus *in monstris fol.* 654. Nec tacebo in hac monstrorum synopsi horrendi illius figuram, quod mulierem ex congressu cum nauta concepisse refert *Lemnius*: adunco erat rostro, longo teretiq; collo, oculis minantibus, caudâ acuminatâ, eximiâ pedum agilitate, qualiter *lib.* 19. à Paræo depingitur; quippe in his tanta aliquando pedum pernicitas, ut parietes in altum ascendere & unguibus adhærere nitantur; quemadmodum in animali illo horrendo & atro visum, quod à nobili quadam fœmina felis magnitudine & crassitie enixum scribit *Ioubertus* citatus. Et ut in hac humani uteri metamorphorsi uberior sit enarratio, etsi me actum agere qui dicant, minimè defuturos sciam, ranæ coaxatu suo interturbando finem imponant, & aculeati echini: hos mulieres peperisse narrat *Rondoletius*, ranas edidisse aliam scholiastes Hollerii *ad cap.* 61. *lib.* 1. tradit, quod & suprà adductus *VVierus* in alia observavit: ut omnis speciei belluas, terrestres, aquaticas, in tanto naturæ lusu ex uteri muliebris spurcissimis putridisque excrementis generationem habere posse non dubites; quasi parens ipsa natura, ne dicam ludimagistra, fœcundas omnium animantium vires ac vices, & formandi varietatem in unam epitomem muliebri in matrice conjecerit: nec adhæc animalia gignenda utero contenta adhuc, in omnibus hominis cavitatibus & poris vermium multorum sobolem generâsse viderunt & tradiderunt aliqui; sic in corde, hepate, renibus, cæterisque internarum partium loculis & cavernis inventos non rarò fuisse sunt qui testentur; ut latiùs in pulchro illo opere *Schenckius* collegit, ubi luxuriantis naturæ prodigia multa invenies quorum in his quæ ad vermes spectant non pauca tibi dabit Aldrovandus *lib.* 5. *de insectis cap.* 2. quem per otium legere ne pigeat.

Marginal numbers: 2. 3. 4. 5. 6.

Marginal notes: P. 2. c. 29. ad Almans. cap de cura molæ. — Bufones ab ano excretos & lacertam narrat Philip. Calmult cent. 2. 93. & cent. 3. obs. 1. Consil. 85. — In appendice ad Ronsæum. — Lib. 1. de occul. c. 8. — Lib. de dignosc. morb. c. 17

Superest ut de generationis modo paucula dicamus. Suprà aliquorum opinionem adduximus, qui horum animalium & serpentum in corporibus humanis generationem ex prava ac putrida humorum corruptela ortum ducere optimè tradiderunt: & sanè mirum non est, quòd sicuti hujusmodi infinita à terræ putredine & limo, & à multis aliis rerum excrementis, quæ in ipsa putrefiunt, oriri conspicimus; sic si talis humorum evadat impuritas & corruptio, ex qua dispositio ad alicujus viventis generationem resultet, à cælo tanquam à causa universali hæc aut illa forma pro materiæ dispositione necessariò introducatur: & cùm in utero major semper reperiatur excrementorum proventus, & aliorum copia, quæ ad illum tanquam ad sentinam confluunt, mirum non est si propter eà frequentius talis ibi monstrorum generatio appareat. Hac de causa dicebat Porta *lib.* 2. *magiæ* non esse difficile ex sanguine menstruo putrefacto ranas, rubetas, bufonesque, & alia generari: non quòd à formatrice uteri virtute ullo modo effigientur, cùm ultrà humananı effigiandi & formandi nullam habeat; sed cùm & materiæ per putrefactionem aptæ & dispositæ copia sit, & loci commoditas atque capacitas (est enim uterus velut naturæ ager) propter eà hujusmodi portenta nobis frequentius offert, rariùs cæteræ corporis partes; sed non ita raro intestina & ventriculus, in quibus propter variorum humorum congeriem & corruptelam aliquandò similia formantur, & indè exeunt; ut de quodam Stanislao narrat Manilius *in lib. experimentorum*, qui ex duobus serpentibus in ventriculo genitis, nullo remedio opitulante, mortuus est: quo eodem modo mures & sorices in alio genitos tradit *Lemnius*. Et hoc etiam pacto accidere potuerunt admiranda alia portenta, quæ ab auctoribus enarrantur, ut legimus apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 65. qui ait mures gravidos inventos, quorum fœtus in matris utero alios fœtus jam in suo utero habebant: cui simile est illud quod refert Torquemada *dial.* 8. equam scilicèt mulam peperisse mortuam, in cujus alvo apertâ alia mula inventa est: & adhuc extrà uterum si talis corruptionis dispositio detur, similia animalia generari posse non est dubium, ut in cervo masculo visum est, in cujus alvo, cùm evisceraretur, hinnulum repertum fuisse tradit Langius *epist.* 70. *tom.* 1. Quæ omnia non aliter, quàm ex seminis & aliorum excrementorum corruptione accidere potuerunt ut præter prædictum Torquemada fatetur Aldrovandus *in monstror. hist. cap.* 9. & 11. quantumcumque in cervis sexûs mutationem adstruere videatur *Langius*, quòd fabulosum est.

27.

28.

Lib. occu mira

Præterea generationis harum bestiarum aliam causam adducunt auctores, illarum scilicèt semen, aut ova, per imprudentiam & incuriam in aqua vel aliter imbibita, aut devorata, ut de quibusdam recitat Manilius citatus, Gesnerus *cap. de ranis*, & Rulandus, qui in ventre cujusdam puellæ, quæ impuram aquam ruri degens biberat, ranarum ingentem copiam productam vidisse ait; unde inflammatione cum tumore ventris & murmure vexari misera cœpit, & quod magis est, ranarum coaxatus manifestè audiebatur, jejunâ præcipuè puellâ: quare ex eadem causa ranas & bufones oriri posse aiunt & serpentes, qualiter unum ulnæ magnitudine vomitu ejectum vidisse scribit *Abrahamus Murgelius* in villico, qui putridam aquam avidè sitibundus hauserat; & *Bauhinus* duorum serpentum in muliere antedicta eandem hanc fuisse causam statuit: quod aliis historiis confirmat *Lævinus Lemnius*, *Gemma in cosmoc.* & alii apud Schenckium *lib.* 3. *obs.* 86. Sed quamvis ex animalium ovis devoratis hoc accidere posse concedamus (quod adhuc negat Horstius *lib. epist. sect.* 6.) cum intrà corpus foveri, si retineantur & adhæreant, non impossibile videatur (licèt ratione alterationis, quam vi caloris in ventriculo patiuntur, adhuc dubitari possit, an illâ non obstante manere possint incorrupta, & ad suæ speciei generationem apta) de illis tamen quæ ex semine animalium sic epoto generari etiam volunt, mihi verosimile non videtur: nam ova à quocumque alterius animantis calore, aut tepido alio loco foveantur, fœtus suos generare & excludere videmus, quia cætera ad generationem necessaria in se continent, nec determinatum sibi locum expostulant; seminibus verò animalium multò aliter evenire ex naturæ præscripto cognoscitur, quæ particularia fœminarum loca illis destinavit, ut ibi & non alio à generativa virtute suæ speciei convenientem formam & figuram obtinerent: non enim animalium semina sicuti plantarum quocumque terræ, aut alio humecto loco injecta novam & suæ naturæ similem fœturam producunt; quippe hæc solùm alimentum desiderant, illa præter hoc locum congruum requirunt, & formatricem uteri vim, à qua de-

29.

Cent curat piric. obs.

30.

delineata in debitam ac sibi propriam figuram evadant, naturæ suæ respondentem. Ulteriùs, ut ex animantis semine animal producatur, prolificam virtutem & aptitudinem quandam habere debet: quæ omnia cùm à vasis seminariis expellitur, nisi debito ac destinato loco servetur & foveatur, citissimè amittuntur, & seminis prolifica vis evanescit, nullâ industriâ aut fomento posteà reditura; cùm ab animalis specifica proprietate, & proportionato testium illius calore, & animæ viribus dependeat. Præterquam quòd intus in ventriculo susceptum semen necesse est ut à calore alteretur & corrumpatur, atque ita ad generationem inutile evadat, ut adversus Herodotum probat Aristoteles *lib.* 3. *de hist. animal. cap.* 5. & 6. qui de quibusdam piscibus dicebat impraegnari marium semine ore assumpto. Tamen de ovis animalium devoratis alia potest esse ratio, quia cùm testâ, aut durâ cuticulâ vestita sint, vim suam non solum diutius conservant, sed minus etiam ab externis injuriis offenduntur.

Igitur ut verum existimamus, ovipara aliqua hoc pacto ex ovis devoratis intrà corpus oriri posse; illa verò animalia, quæ ex seminis substantia initium habent, nullatenus, licèt devoratum sit, ex illo principio in hominis ventriculo produci posse ob causas jam dictas: quòd si aliquando in corporibus visuntur, ex maligna putredine & humorum corruptione orta fuisse conjectandum, cum æquivocá possit esse illorum generatio, nec specie cum aliis, sed similitudine tantum conveniant; ut ex terræ excrementis solis calore innumera & diversa efformari quotidie videmus: non enim tanquam animalia perfecta destinatum generationis locum expostulant, in quo generentur; sed tanquam imperfecta, ubicumque materiæ inveniatur dispositio, emergunt & ab universali causa producta formantur & animantur, prout materiæ dispositio formam postulabat; quam dispositionem sicuti in terra, ita in utero, & etiam in aliquibus humani corporis partibus, & contentis ibidem humoribus dari posse, non est dubium. Quæ quidem corruptio aut in humoribus, aut in devorato semine, & adhuc in utero dari potest; atque ibi propter ineptitudinem & moram in pessimam substantiam degenerare, ut posteà apta ad horrendas animalium formas materia evadat, ut apud omnes in confesso est; quemadmodum apud eos qui de monstris scripserunt, & præcipuè apud *Licetum* passim invenies. Quarè potissimam horum animalium monstrosorum ab utero præsertim exeuntium, seminis corruptionem causam esse asserimus; quamvis imaginationem aliqui addant, à qua etiam fieri posse contendunt: nam illi qui ex aliis causis oriri dicunt, nil certè concludunt; inter quos *Weinrichius*: qui *cap.* 14. *lib. de monstr.* determinata aliqua loca, aërem, cibum, potum, causas esse cum *Ludovico Vives* statuit: meritò quippe illa omnia improbantur, cùm si ita esset, multò frequentiùs talia monstra acciderent. Sic etiam reprobandi veniunt qui cælestium influxui aut fato illorum causam adscribunt, ut *Seneca*, & *Vlpianus*: quia si hoc ita esset, aliarum causarum nulla foret necessitas, sed semper ridiculum fuit in superioribus causam quærere, ubi sufficienter in inferioribus apparet.

In Hipp. *In l. quæret aliquis ff. de verb. signif.*

Tribus itaque modis in hominis corpore animalia hæc dari posse advertimus, vel enim corruptorum humorum factâ generatione modis jam dictis producuntur, vel diabolicâ arte intrà corpus immituntur; quemadmodum puellæ accidit, quæ post crines, clavos, & multa alia, anguillam vivam per sedem ejecit, ut ex *Cornelio Gemma* scribit Marcellus Donatus *lib.* 2. *med. hist. cap.* 1. quem ibidem, & *lib.* 4. *cap.* 25. & 26. legere poteris; ubi de similium animalium generatione & excretione multas collegit historias; ad quarum classem pertinet hujus generis celeberrima alia, quam *lib.* 6. *disquisitionum magicarum cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 3. affert *Delrius*, quæ Genuæ in quodam adolescente accidit satis miranda, de quâ latiùs *Nicolaus Remigius*. Tertiò tandem & ultimò aliquando accidit, ut reptilia aut alia animantia ruri vel domi dormientibus per os ingrediantur, & tantum facessant negotium, ut in mortem miseros patientes adducant, quos anteà ingentibus doloribus, & convulsionibus conficiunt; ut 5. *epidem.* cuidam adolescenti accidisse tradit *Hippocrates*: similiter de alio, cui dormienti vipera per os ingressa, historiam refert Galenus *lib. de symptomatum causis cap.* 7. qui siti inextinguibili mortuus est: sæpius enim hoc accidisse ex multorum historiis patet, ut ex Conciliatore, Mizaldo, Erasmo, Olao Magno, Tago, Gatinaria, Mathiolo, Gesnero, Cardano, Omnibono, & aliis affert

Lib. 3. *dæmonol. cap.* 1.

Schenckius *lib. 3. cap. de ventricul. & lib. 7.* Sennertus *lib. 3. part. 1. cap. 15.* Aldrovandus *in serpentibus lib. 1. cap. 1. titulo, historica*: præter quos etiam similem casum ex *Beda* narrat Euseb. Nierembergius *lib. 2. de miraculosis naturis cap. 62.* qualiter & in vita SS. Cosmæ & Damiani de alio scribitur, miraculosè ab ipsis Sanctis curato. Licèt innoxiè in ventre aliquandò gestari serpentes & bufones dicat *Libavius* apud Horstium *lib. 2. epist. sect. 6.* & forsan hoc simulabat mendica, de qua Paræus *lib. 24. cap. 18.* quæ serpentem in ventre gestare falsò inculcabat.

35.

Circà curationem, ut etiam paucula habeas, breviter aliquid dicendum: eò confert lac satis calefactum ore sumptum, aut vasculum lacte plenum ori admotum; hoc enim pacto medicum quemdam Ulmensem à corpore cujusdam Ducis multos serpentes extraxisse tradit *Iacobus Manlius.* Medicamento purgante alios dejectos scribit Gemma *lib. 1. Cosmocrit. cap. 6.* quâ ratione aliqui extracto colochyntidæ utuntur in aqua communi ebibito; alii antimonii gr. iiij. cum hiera logodi scrupul. j. in bolo propinant, quibus & puls diamusci non parùm utiliter adjicitur; alii theriacam cum aqua vitæ potatam laudant, quo tempore etiam ex lacte tepido clysteres injiciuntur. Sed inter laudata celebre habetur decoctum centauræ minoris, & cardui benedicti, in vino paratum, quo undecim ranas vivas per vomitum in puero quodam extraxisse refert Joan. Pincierus *in obs. propriis*: aqua etiam cardui benedicti destillata sola ebibita optimum medicamentum habetur. Inter præstantissima quoque remedia à Gatinaria *lib. 9. ad Almans. cap. de cura præfocat. uteri*, maximè laudatur fumus veteramentorum seu sotularium per os haustus; vel, ut mulieres facere solent, soleas vetustas aut coria cremata in oleo de semine lini imponunt, & vaporem indè exeuntem per os subire faciunt; quo solo remedio, lacte nil juvante, Papiæ in hospitali viperam expulsam vidisse narrat idem *Gatinaria*: tandem dictami drachmam j. in aqua gentianæ jejunè sumptam efficacissimum esse remedium affirmat Joan. Hebenstreit *libello de peste*; præsertim si aliquid seminis citri & zedoariæ ei addatur, quâ præparatione ad pestem optimum est medicamentum, ut de eo asserit Joan. Kenemanus *libello* etiam *de peste*, qui eo suprà triginta lacertas ex uno homine Fabiano Landes expulisse tradit. Allia etiam comesta laudant *Mizaldus* & *Erasmus*, quo solo remedio rusticum se curâsse scribit *Volaterranus*, & ex eo Mizaldus *cent. 8.* cui dormienti in campo per fauces serpens ingressus est: sed inter omnia mihi optimum videtur remedium à *Freitagio* adductum, succum scilicèt aut pulverem radicis Bryoniæ in vino sumptum *lib. 2. cap. 37. de Bryonia*, ubi hoc solo medicamento facillimè serpentes è corpore ejecisse scribit, cùm in patria sua frequentissimè in corporibus hominum generentur. Sed præter jam dicta sinapis fumum serpentes exterminare ut efficacissimum alii tradiderunt.

Animalia in corpore genita, aut in ipsum ingressa quibus medicamentis necentur, & pellantur.

36.

37.

Illud tamen ultimò addere placuit, in tanta animalium varietate, quæ in hominum corporibus enascuntur, frequentiorem serpentum esse exortum quàm aliorum: quod indè provenire suspicari possumus, quia *Genes. 3.* cùm à Domino malediceretur, mulieris calcaneo semper insidiaturum promisit, & inter utriusque semen inimicitias posuit; quo fit ut cùm pessimam putrefactionem concepit hominis substantia, non in alienam tantùm & deleteriam corruptionem evadat, sed in peccati pœnam, infensam & illi inimicam formam induat, ut sui delicti auctorem cognoscat, & maximo horrore pertremiscat: vel tandem dicere possumus, eam esse corrupti hominis naturam & proprietatem, ut promptiùs ex ea hoc belluarum genus, quàm aliud emergat; quod & in mortuis apparet, in quibus (si verum est quod multi affirmant) ex spinali medulla serpens efformatur, quod verum esse ex *Avicenna* comprobat *Rhodiginus*, tenet Plinius *lib. 10. cap. 66.* & ita esse fatentur *in Cleomene* Plutarchus, Isidorus *lib. 12. & lib. 2. cap. 4.* & ex junioribus Lævinus Lemnius *de occultis lib. 4. cap. 12.* & alii naturalium indagatores; quod etiam poëtas non latuit. Ovidius *5. metam.*

38.

39.

Sunt qui cùm clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.

Silius Italicus de sepulchro Zazinthi loquens similia profert. Virgilius *5. Æneid.* cùm Æneam ad Anchisis sepulchrum sacra solventem introducit:

Di-

Dixerat hæc: adytis cùm lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit.

Et latius probat diligentissimus *Cerda* eodem loco: quod ne fabulosum omninò putetur, in sepulchro Caroli Magni Francorum Regis serpentem visum ex *Sylvio* refert; quod de Carolo Martello scribunt Gauguinus & Æmilius, inventum esse ejus mausolæum, seu conditorium vacuum sine cadavere, & pro eo serpentem: quod anno 756. accidisse tradit *Martinus Polonus*. Quin apud Paræum *cap.* 20. *lib.* 24. ex Boistæo historia legitur fabri cujusdam Aveniensis, qui cum plumbeum feretrum fideliter undique ferruminatum recludere tentâsset, in quo cadaver jamdiu positum fuerat, à serpente intus concluso lethalem morsum accepit, ut parum abfuerit, quin ab ictu moreretur; quod etiam duobus aliis accidisse scribit Jonstonus *in thaumath. classe* 10. *cap.* 6. *art.* 3. atque ideò nec fabulosum aut vulgare esse ex humani cadaveris putredine serpentem enasci prædicti auctores affirmant; quos sequitur Aldrovandus *in serpentibus lib. & cap.* 1. & celebri historiâ confirmat Camerarius *cent.* 1. *cap.* 11. Quamvis aliter ad moralem interpretationem reducat Ælianus *lib.* 2. *cap.* 53. apud eundem *Aldrovandum*, qui tandem ait hominis mortui spinæ medullam putrescentem in serpentem converti, exoririque feram, & serpere animantem immanissimum ex mansuetissimo. Plura vide apud Kormanum *p.* 6. *de miracul. mort. cap.* 30. siquidem hoc verum esse colligi potest ex *Eccles.* 10. ubi Siracides sic: *Cùm enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.* Rectè igitur D. Bernardus ait, *hominem nil aliud esse, quàm sperma fœtidum, saccum stercorum, & cibum vermium.*

Lib. medi., cap. 3.

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror.
Sic in hanc speciem vertitur omnis homo.

1. Ita natura ex humano corpore corrupto anguem generans, quasi digito auctorem nostrarum calamitatum & corruptionis, & irreconciliabile odium monstrare videtur; antiquum videlicèt serpentem non solum viventibus nobis insidiari, verùm etiam mortuos laniare & depascere non desinere.

Restat ut de postrema quæstionis parte aliqua dicamus, cùm tanta fuerit scribentium licentia, ne dicam dementia, qui quia viderint lapides in humanis corporibus generari, non communes illos tantum, quos in renibus & omnibus aliis partibus plerumque nasci videmus (de quorum ortu tam in homine quàm
2. in brutis eleganter scripserunt *Ioan. Kenemanus*, & *Ioan. Georg. Schenckius* in sua *Lithogenesia*) fieri posse crediderint; sed verum etiam gypsum vidisse, & in hominibus invenisse jactant, quod 4. *apho.* 79. testatur *Brassavolus*, qui à juncturis cujusdam ægrotantis ad unciam ferè unam exemptum, aquâ subactum, parietique cum lapide illinitum, lapidem tenacissimè sustinuisse scribit, & ipsum mox in lapideam duritiem concrevisse ait: quod impossibile non judicamus; nam & eandem materiam membranâ inclusam sub sutura lamboide, & propè cor ea in parte, quâ arteria aorta ex corde prodit, invenisse narrat Fabric. Hildanus *cent.*

Libello de lapidib.

3. 1. *obs.* 11. Sed admirabilius est quod scribit Castrensis *lib.* 4. *cap.* 16. *meteororum*, crystallinos lapides ciceris magnitudine in vasis seminariis hominis, qui publico theatro anno 1619. secabatur, repertos fuisse. Lapidem Bezaar verum in homine inventum, æqualibus Orientali formâ & viribus præditum, sunt qui affirmant. Non minus quàm 29. calculos è corpore & vesica Joan. de VVith senatoris Amstelredamensis extraxisse perhibet Nicol. Tulpius *lib.* 3. *obs. cap.* 4. tam propè cum bezaarticis, quos India fert Orientalis, convenientes ut facilè vel oculatissimo imposuissent aromatario. Parùm est in homine; in porco Bezaar repertum clarè profert Hildanus *cent.* 4. *obs.* 24. quin imò & in equis, asinis, & in ipso homine lapides inventos ait, à multis pro legitimo Bezaar judicatos. Quid ergò opus est, dicat aliquis, ut tanto labore & periculo à Gange & remotissimis Asiæ secessibus convehatur, tamque caro pretio ematur, quod non in nostrorum brutorum corporibus tantùm habemus, sed etiam intrà nosmetipsos provida natura offert? Et ne de horum lapidum præstantiâ fides deficiat, jam de ipsorum utilitate testem habemus *Ioan. Bontium*, qui *cap.* 46. *de medicina Indorum* ausus est affirmare humanos calculos ad sudorem & urinam movendam meliùs ac excellentius, quàm Orientales conducere; & quod magis est, experientiâ confirmatum hoc habere ait.

 Ada-

Adamantem, rubinum, smaragdum, & quidquid gemmarum aliarum in abditissimis terræ visceribus natura abscondit, tamen in corporibus humanis genita citò aliquem allaturum speramus, & nitidissimos uniones; ut etiam, quæ in maris profundo suis in conchis servavit; non desideremus: quibus ego pro tanta industria, eisdem pretiosis lapidibus libenter frui permitterem.

44. Sed tanquam si hæc non sufficerent, aurifodinam in hominibus dari, & desideratissima alia metalla in microcosmo inveniri, non semel, sed pluries conspectum nobis inculcant. Quid igitur ambitiosi terræ viscera involvunt? quid ad illius ferè centrum tanto periculo se præcipitant, & immensum illius pondus ad montium cacumina tanto labore important? hos adeant, qui si non ad satietatem copiam, ad miraculum purum & obrysum præstabunt. Ludit certè non rarò in homine natura, & vix credibilia in ipso ostentat; sed arreptâ indè occasione fabularum inventores nos mendaciis illudunt, & cùm omnia possibilia esse volunt ut credamus, de certioribus faciunt ut dubitemus: nil quippè tam arduum & impossibile commenta est antiquitas, vel ipsis cacodæmonum ludibriis decepta, quod adhuc hodierni isti naturæ indagatores, ut nos in stuporem rapiant, suadere non conentur. Aureum crus Pythagoram habuisse (nisi allegoricum aliquid intellexit) ipsa Antiquitas vidit, & tradidit. Absalonis capillos ex puro auro extitisse contendit *Steph. Rod. Castrensis*; undè hoc collegerit percunctaris? quòd semel in anno tonderentur, quia gravabat eum cæsaries, & ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico, *Reg.* 2. *cap.* 14. tam grati & expetiti ditioribus & pulchrioribus fœminis erant, ut tanto pretio emere non dubitarent. Verum ne tantis prodigiis tempora illa præ nostris superbirent, aut gloriari præsumerent, inventi sunt reconditorum naturæ thesaurorum in incognitis inauditisque fodinis perscrutatores maximi, & seduli indagatores, qui non in abstrusis terræ hiatibus, non in penitioribus & divaricatis illius cuniculis, tortuosis ac reflexis undequaque mæandris, venâ ducente aurum eruerint, sed in pervio patuli oris brevi ostiolo, Seleuci ut circunferunt pueri, miro naturæ præmio suprà mortales omnes odonchrysos dotati. Huic post dentem ex deciduis primò avulsum, alterum ex mero auro enatum circulatores quosdam invexisse nil mirum; sed credidisse alios non communes tantum, sed Philosophiæ peritos admirandum, in re prorsus evanidâ & fuco ad lucrum tantum excogitatâ, naturalem ex naturæ penu causam perquirentes, quemadmodum *Iacobus Horstius*, & *Martinus Rulandus* fecerunt: cum oporteret potius hæc cum aliis antiquorum figmentis, rugosis & edentulis anibus relinquere, ut pueris inter cætera commenta hoc etiam cantando adducerent; illius verò auctoribus non aliam fidem præstare, quàm exilio multatos ad Sarmatas abigere, ut si quæ alia superessent mellita mendacia in illos spargerent.

45.

46.

Lib. ... croc... 1.

47. Certè minus credi hæc poterant, quàm quod *Plutarchus* de portentosis illis aureis glandulis protulit, aut quod ex Alexandro Neapolitano *cent.* 2. scribit *Mizaldus*, in citeriori Germania intrà Danubium vites emergere, quæ claviculos, & plerumque folia ex puro auro candicantia ferant, quæ regibus & summis ducibus dono sunt data: quandoquidem & certum esse asserunt quod *Petrus Martyr* scripsit, de quadam Indiarum arbore, quam vivi auri venam fuisse inventum est. Quâ etiam ratione platanum ex metallo ortum habuisse *Theophrastus* affirmavit; cùm alioquin latentes sub planta aurifodinæ esse possint, undè imperceptibili modo, ipso auxiliares manus præbente cælo, exhalantis substantiæ aliquid sugere poterat. Igitur cùm non-entis nullæ sint affectiones, nos aliis, qui talia crediderunt & docuerunt, interim naturalem causam investigandi facultatem relinquimus: licèt in homine multiplicia rerum semina, & totius universi perfectiones contineri nobis inculcent, atque in eo tanquam centrali puncto, nodo, & fasciculo, creaturarum omnium radices & seminaria, mineralium etiam & vegetabilium delitescere tradant. Iam enim *quæst.* 24. Pomponatium & novos alios naturæ protoplastes rejecimus, quòd in homine plantarum & lapidum vires, virtutesque inveniri posse asseverârunt: & nunc etiam illos qui metalla etiam dari posse contendunt unà missos facimus, cùm nec principium nec materiam aliquam in corpore reperiri possibile sit, à qua auri aut alterius metalli mina concrescat, cum ab hominis temperie & substantia longè distent. Quòd si de Pythagoræ femore illud antiqui protulerunt, potuit forsan aliqua auriginosi morbi particularis infectio occasionem præstare, ut bilis flavitie suffusam partem auream ap-

Opusc. de Or. Pythiæ

48.

49.

appellaverint, ut in cornuto illo monstro in Quiero oppido duobus milliatibus à Taurino distante nato anno 1578. visum fuisse scribit *Paræus*, cui præter alia crus cum pede dextro rubescebat, cùm reliquum corpus colore Bætico id est obscuro, esset refertum; quod aliter ex matris imaginatione potuit accidere: vel tandem, ut existimavit *Licetus*, contingere potuit, ut dum nudaretur, frictione femoris confertim ex apertis poris flammulenta exhalatio prodiens aureo colore membrum illud inficere videretur. Quòd si ex his nil placet, hominis probitas & rectum judicium alios compulit, ut aureo crure incedere laudandi modo dicerent; unde communis opinio forsan increbuit, quemadmodum de primo hominum genere, quos *Hesiodus* aureos dixit, non quòd ex auro producti essent, sed quòd pulchri; cùm & eodem modo sapientes aureos, & bonos solùm ipse constituat; & Pythagoram ex horum numero fuisse palàm est ac conspicuum. Absalonis capillos ex auri substantia fuisse merum est delirium, quantumvis eo pretio venderentur; solùm enim per quandam similitudinem tales meritò dici poterant, cùm crassi & aureo colore splendentes essent: si enim tantæ admirationis forent, sacra pagina, quæ de illis non semel loquitur, tantam admirationem (ut arbitror) non subticuisset. Aureum Seleuciaci pueri dentem, toties pro miraculo à plurimis decantatum, nil aliud quàm meram stropham esse ad emungendas pecunias excogitatam, ex *Doringio* declarat *Sennertus*: ubi commenti à sycophantis inventi omnem aperit historiam, pro quo, nisi impostor sibi consulendo diligenter ac impigro pede fugam arripuisset, & à Rhumbanii oculis cum puero vento citiùs se subduxisset, fraudis à se inventæ meritam mercedem absque dubio percepisset, ut ex historia à *Sennerto* relata latius patet. Et ne ex aureis glandibus & aureâ vite aliquis eandem virtutem in homine, quæ in plantis aliquando visa est, dari posse præsumat, sciat Pythium illum hominem fuisse ditissimum, ut de eo Rhodig. *lib. 19. antiq. lect. c. 18* tradit; utpote qui Xerxem cum innumeris copiis hospitio receperit, patrique illius Dario auream platanum, & ex eadem materia vitem xenii modo obtulerit; unde ex copia sic illum in tantam lasciviam devenisse putandum, ut arbores, fructus, plantas, & alia ex auro fabricata in oculorum delitias conficere curaverit, quò sic meliùs fortunam illi in tantum favisse mortales mirarentur, ut & ligna cum frugibus aureis terram illi producere per hyperbolem meritò dicerent. Sic etiam legimus in cubiculo Persarum Regum auream vitem stare solitam lapillis pretiosis ornatam, quam scribit *Amyntas* racemos ex auro & pretiosissimis calculis confectos habuisse.

Lib. 2. de monst. cap. 48.

50.

Lib. 2. prax. p. 1. cap. 15.

51.

De Gypso non est quòd hoc in tantam admirationem nos rapiat, cùm possibile sit talem ex variorum humorum mixtione materiam evadere posse, quæ tanto lentore & tenaci consistentia sit prædita, ut impacta firmiter adhæreat, & in lapidis duritiem citissimè concrescat; ad quod salsi & adusti phlegmatis natura maximè tendit. Tandem de Bezaarticis illis lapidibus in homine repertis, præter colorem nil novi aliud reperio, in quo cum legitimis convenire possent, aut à communibus, qui in nostris corporibus generantur differre; qui quidem color ex porraceæ, aut æruginosæ alicujus bilis excrementitiæ commixtione resultare potuit, tam in homine quàm in porco; quod nullam admirationem continet: Bezaarticam verò vim haud habere potuisse certum est, cùm præsertim de vero Bezaar scribentes tradant, ex cœli temperie, ubi talia animalia degunt, & ex herbarum, quibus pascuntur efficacia alexiteriam illam virtutem contrahi; quæ omnia in homine deficiunt, in nostris præcipuè regionibus, quibus illâ cæli temperie caremus, & herbis illis, ex quarum esu tantam adversùs malignitatem virtutem dimanare aiunt. De cæteris verò lapidibus qui communiter in corporibus inveniuntur, & in omnibus partibus generantur, tanquam omnibus notissimis, non est cur aliquid dicam: Unum tamen propter *Nicol. Tulpium* addam, qui *lib. 2. obs. cap. 25.* in arteriæ aortæ ramo propè renem sinistrum calculum invenisse tanquam novum atque inauditum enarrat, à nemineque observatum; cùm tamen majora sint, quæ circà lapidum generationem tradit Cornel. Gemma *lib. 1. cosmocrit.* propè basim arteriæ magnæ scilicet calculum reperisse; quin & in cordis arteriis Fernelius *lib. 5. de part. morbis. cap. 12.* Cæterùm hæc & multò forsan majora, in lapidum historia ex quamplurimis collecta *Georg. Schenckius*, & *Ioan. Kenemanus* suprà citati tibi dabunt, & *Ioan. Schenckius* magno illo observationum opere ferè per totum.

52.

53.

QVÆSTIO TRIGESIMASEPTIMA.

Insomniis an danda fides? Obiter de somnambulis pauca.

1\. SOmnum esse spirituum quietem, vigiliam verò motum illorum vehementem; insomnium autem tremulum quendam & imperfectum eorundem motum *lib. de animi immort.* definit *Cardanus*: alii meliùs, quòd sit visa homini in somno apparentia; & rectiùs adhuc, quòd sit operatio imaginationis circà phantasmata per somnum oblata. Est quippè somnium nil aliud, quàm vigilia interioris animæ in cæterorum membrorum somno; nam etsi sensus sopiti sint & à motu cessent, vigilat tamen introrsùm anima circà reservatas rerum species, quæ coràm ipsa sunt, per quas & intelligit & operatur, non ita distinctè sicuti in vigilia, sed confusè admodum & perturbatè; unde deceptio contingit, dum ea quæ non sunt, nec præsentia existunt, perindè facere, videre, audire, ac si omninò fierent, aut præsentia essent, apprehendit. Hujusmodi verò nocturnas in somno visiones Christiani præsertim philosophi multipliciter accidere docuerunt, & in quinque genera dividunt cum Macrobio, quem sequitur Joan. Salisberiensis *lib. 2. cap. 17.* oraculum nempè, visionem, somnium, insomnium, & phantasma. Primum scilicèt *oraculum* appellant, cùm superi aliquid agendum vel evitandum denunciant, aut indicant eventurum; *visionem*, cùm id, quod videt quis, eodem modo quo apparuerat evenit; *somnium* aiunt figuris esse tectum, quod sine interpretatione intelligi non potest; *insomnium* tunc dici volunt, quando id, quod fatigaverat vigilantem, sese dormienti ingerit, & pro anteacta cura & studio insomnia apparent, mentemque nec in somno quiescere permittunt assidua objecta & cogitationes, quæ vigilantem perturbabant: secundùm namque studium, quod quisque exercuit, somniat, & solitarum actionum simulachra menti impressa in somniis apparent. Ad hoc pertinere dicunt naturalia somnia, quæ diversa in sanguineis, cholericis, phlegmaticis, & melancholicis contingunt secundùm humorum differentiam; pertinent etiam immoderata somnia, quæ morbosa quodammodò dicuntur, & non alia sunt, quàm quæ per totam ferè noctem durant, & extrà consuetum somniandi modum longiùs proferuntur, animum ita disturbando & spiritus exagitando, ut quantumvis omnia falsa & ficta sint, tamen non minùs hominem moveant & turbent, ac si verè acciderent; quo fit ut territi & expavescentes à somno sæpiùs expergiscantur, & veluti timentes corpus excitare conentur, variè jactent, & si iterùm dormire incipiant, anxietatem magnam sentiant. Tandem *phantasma*, quando quis dormire cœpit, & adhuc vigilare se existimat, aspicere tamen videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, discrepantes, varias, ac turbulentas; in quo genere incubum seu ephialtem numerant, quem publicè persuasum quiescentes invadere, ac pondere suo pressos ac sentientes gravare, cùm longè alia res sit quàm à vulgo creditur: de quo pro hac vulgi illusione pulchras ac facetas duas historias invenies apud Jasonem Praten. *cap. de incubo*, & apud Hollerium *in ejusdem cap. scholio*. Nec enim, ut idem ait, Deus est, aut semi-deus, nec Cupido, nec dæmon, fanúmve, aut noctis ludibrium, ut *Plinius* voluit; sed vapor quidam crassus, qui partim vias spirituum animalium intercludit, partim suâ corpulentiâ aggravat, & facultatem opprimit, unde loquendi ac respirandi difficultas oritur: dum verò animæ offunditur, phantasmata & spectra apparent, melancholicis præsertim & pueris; quem affectum rectè nocturnam aut parvam epilepsiam dixeris (ut *Forestus* & *Hollerius* scribunt, quo etiam nomine utitur *Galenus*) aut certè veræ epilepsiæ præludium non facilè contemnendum, cùm hoc ægritudinis genere quamplurimos pueros uno anno Romæ confectos fuisse narret *Sysimachus*.

Somnium quid. — 2. — 3. *Insomniorum genera 5. secundum Macrob.* — Lib. 1. de somno. Scipion. — 4. — 5. — *Incubus seu ephialtes ex qua causa fiat.* — 6. — Lib. de ut. resp.

Cæterùm illa quinque complectens *Artemidorus* ad duo reducit; sub insomnio phantasma, sub somnio visionem & oraculum comprehendit. Alii, quos sequitur Augerius Ferrerius *lib. de somniis*, in tria genera dividunt, nimirùm in vana, naturalia, &

Lib. 1. c. de somn.

& vatidica; vana ea appellantes, quæ ea quæ quis interdiu pertractâsset, aut familiari sermone conserüisset, aut cogitando vigilans admisisset, per quietem repræsentant; item quæ chimæras, centauros, scyllas, aliaque hujus generis, quæ in natura nunquam extiterunt, exhibent: naturalia, quæ corporis habitudinem constitutionemque sequuntur: vatidica, quæ à divinitate quâdam profecta futurum aliquid protendunt, aut præteriti, præsentis, vel imminentis nos commonefaciunt, quod ad mores fortunasve nostras, aut reipub. statum pertinere videatur. *Hippocrates* noster in naturalia tantùm & divina, insomnia meliùs divisit; qui si tertium, dæmoniaca scilicèt, addidisset, rem omnem exactè complevisset: hanc siquidem somniorum partitionem tanquam optimam sequuntur Medina *lib. 2. Parænes. Christ. cap. 2.* Turrecremata *in cap. non observetis. 26. quæst. 7.* Suarez *de religione lib. 2. cap. 13.* Delrius *disq. mag. lib. 4. cap. 3. quæst. 6.* Villalpandus *de magia lib. 1. cap. 25.* & ex medicis Vallesius *in sacra phil. cap. 32.* approbat D. Gregorius 8. *moralium cap. 13. & dial. 4. cap. 48.* ubi rectissimè somnia tribus auctoribus adscribit, Deo, naturæ, dæmoni; quam divisionem posteriores Theologi secuti sunt, utpote quòd omnes insomniorum species, à quacumque causa oriantur, in se comprehendat.

Insomnia quomodò fiant, ex *Democrito, Herophilo*, & aliis tradit Galenus *lib. de hist. philos.* sed quæ ille breviter insinuat, latiùs aliquantulùm exponemus. Igitur naturalia insomnia, vel à causa intrinseca, vel ab extrinseca oriuntur: ita docet Aristoteles *lib. de anima, & lib. de divinat. per somnium.* Hippocrates *6. epid. & lib. de insomniis.* Galenus *de præsag. ex insomniis, & 3. de locis affect. cap. 4* Petrus Garcia *in disp. 3. cap. 2. & 3.* Argenterius *lib. 2. de somno & vigilia.* Rursùs intrinsecæ causæ somniorum quædam potissimùm ab anima proveniunt, & tunc dicitur causa animalis; quædam potissimùm à corpore proficiscuntur, & tunc dicitur causa corporalis, & strictè loquendo naturalis: intrinseca causa animalis est, quando somnia obveniunt de rebus, quibus vigilantis cogitatio fuit intenta, juxtà illud Salomonis: *Multas curas sequuntur somnia.* Claudianus:

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Optimè Nyssenus, *lib. de hominis opificio*, hujusmodi somnia citharæ comparavit, cujus fides, cessante manûs impulsu, adhuc modicùm trepidant ac tinniunt. Corporalis causa intrinseca à præsenti dispositione & corporis temperamento oritur, quod vel inediâ exhaustum, vel crapulâ repletum, vel humore aliquo dominante affectum laborat; de quibus latiùs inferiùs dicemus. Extrinseca naturalis somniorum causa est, cùm dormientis imaginatio ab agente externo movetur; quod fieri posse aiunt ab ambiente, aut ab influxu corporum cælestium: quæ tamen causæ externæ licèt ab aliquibus afferantur, incertæ mihi videntur, & ad somnia movenda minimè efficaces; nam aër ambiens, quatenùs ex se, nullo modo species subministrare, aut movere valet, ut ab ipsis phantasia excitetur ad aliquid percipiendum; at solùm dispositivè aër ambiens hoc præstare poterit, quatenùs vel poros obstruendo, vel humores & vapores attenuando, ut in caput ferantur, occasio esse potest. Eodem modo de influxu corporum cælestium sentiendum: nam licèt phantasia corporea dicatur, & organis corporeis immersa, ut proindè videatur posse in ipsa varias species imaginarias producere, maximè cùm sensus exteriores somno ligati sunt; tamen multò aliter se res habet: non enim sicuti in materia pro varia dispositione varias formas producit, hoc idem in phantasia facere est potens; impossibile quippe est ut novæ specierum formæ in phantasia virtute influxûs cælestis imprimantur, si exteriores sensus priùs illas non perceperint, ut docet D. Thomas *p. 1. quæst. 11. art. 3.* Etenim cælum somnii immediata causa esse non potest; nec ad hanc aut illius speciei cognitionem hujusmodi causa necessitat phantasiam, sed solùm à corporeis humoribus potentiis & organis excitatur, quæ illam alterant, & movent pro materiæ varietate, & dispositionis ejus; unde si ad hunc effectum astra aliquid causare valent, corpus & humores alterando & disponendo facient, & non aliter, quæ causa remotissima est; ut sunt plerumque omnes, quæ ex influxibus dependent.

Divina insomnia illa dicuntur, quæ à Deo mediantibus bonis angelis contingunt: ea dari *lib. de divinat. ex insom. 11.* negat Aristoteles, quia divinâ Majestate indignum putavit dormientium adire lectos, & concusare gravatos, quam opinionem etiam habuit *Epycurus*: sed horum sententiam ut falsam satis improbant Nyssenus

Margin notes (partly cut off): 8. …ii di- … perfe-; 9. …omnio- … natu- …um …a in- …seca.; 10. …omnio- …n natu- …um …a in- …sica.; 11. …omnia …influxu …orum …posse …sari.; 12. …somnia …ivina …ue, & …ari ost en- …itur.; Eccles. cap. 5. nu. 2.

nus *lib. de hominis opificio cap.* 33. Raphaël de la Torre *tom.* 2. *de vit. oppos. relig. quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 4. quippe talia divina somnia dari Theologi omnes, nemine repugnante, fatentur. Divina eloquia hoc attestantur, num. cap. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Job 4. *cap.* & 7. Genes. *cap.* 28. 31. 37. 40. 41. item Daniel. *cap.* 2. 4. 7. & illud D. Pauli *act. Apostol. cap.* 16. quorum aliqua parùm, aut nihil à prophetia differre videntur, nisi quòd hæc in somniis, illa vigilantibus tribuuntur; & licèt ex his aliqua naturalis quidpiam habuisse dici possit, ut illa pincernæ, & pistoris *Genes. cap.* 40. quod ministerio suo consentanea somnia verint, tamen propter finem ad quem somnia tendebant, à Deo immissa fuisse non est dubium: quia etsi Deus prædicta somnia sine aliquo naturali adjumento inducere possit, mediis etiam naturalibus aliquando se accommodat, & humores corpusque disponit, ut ad illud quod vult causæ naturales inserviant. Plura alia in sacra pagina loca hanc divinorum somniorum veritatem confirmant, Joël. cap. 2. *Senes vestri somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.* Inde prædicta somnia inter dona Spiritûs sancti numerantur, ut ex dicto cap. patet, & Job. 33. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ.* Itaque sicuti Deus in somniis futuros eventus significat, ut Abrahæ, *Genes. cap.* 15. Pharaoni, *cap.* 41. ejusdem, & Nabuchodonosori *Daniel.* 2. & 4. sic similiter scientiæ in somniis à Deo datæ sunt, quemadmodum Adamo *Genes.* 2. & Salomoni *Regum* 3. *cap.* 3. *Igitur evigilavit Salomon, & intellexit, quòd esset somnium.*

13.

14. Sed & præter illa, quæ ex sacris literis deducuntur, aliis etiam insomnia divina contigisse perhibent: sicuti de Theodosio ferunt, quando prævidit coronam imperii sibi imponi à Meletio Antiochiæ Episcopo, ut narrat Theodoretus *lib.* 5. *hist. cap.* 6. & 7. Plura alia exempla citat. affert *Delrius.* Porrò eadem divina insomnia *Hippocrates* & *Galenus* quantumvis ethnici, concedunt; ille lib. de insomniis: *Quæ igitur somnia à Diis immittuntur, &c.* hic *com.* 1. *de vict. rat. in morbus acutis textu* 16. somnia à Jove ostendi cum *Homero* clarè fatetur. Nec illustria exempla deficiunt, quibus medicinæ arcana in somniis revelata fuisse creduntur, ut Alexandro Magno, cui herbam quandam adversùs sagittarum venenum in somniis demonstratam fuisse narrat *Trogus Pomp.* Galeni quoque patris insomnium, quo admonitus fuit ut filium ad medicinæ studium excolendum mitteret, (ut idem scribit) huic classi annectendum sunt qui arbitrentur: ipsius etiam *Galeni* insomnia, ex quibus in periculosis & ancipitibus morbis hæsitabundus edoctus fuit, & quænam remedia opportunè administrari deberent adeptus est, comprobante posteà eventu, optimum fuisse quod somnium indicaverat; quo factum est, ut arteriam dextræ manûs, quæ est inter pollicem & indicem, sibi ipsi secare ausus fuerit, ut *lib. de sang. mis. cap. ultimo* refert. & *lib. de anat. vivorum cap. de anat. venarum manûs*, latiùs *comment.* 2. *de humoribus textu* 2. ubi præsagia ab insomniis sæpiùs sibi fuisse suppeditata tradit, seque ex duobus evidentibus insomniis ad arteriæ sectionem devenisse ait, ac tandiu jussisse sanguinem profluere, quoad suâ sponte à fluendo desisteret, quod ita insomnium monuisset: quin & plerosque alios sanâsse gloriatur, quibus ex insomniorum præscripto remedia adhibuit; & Ministro quodam Dei Pergami ex lateris diuturno cruciatu laborante idem accidisse scribit, cui ex insomnii monitu arteriam in summa manu secare fecit. Arabs quoque *Avensoar* cùm ex oculis malè haberet, à medico nuper defuncto in insomniis remedium obtinuisse tradit *in proœmio sui lib.* quod sibi valdè contulisse ait. *Avicenna* etiam de homine quodam splenetico refert, cui in somnio præceptum fuit, ut de urina sua biberet omni die pugillos tres, quantum in palma manûs incurvata contineretur; & mirabiliter profuisse. Propterea *Iamblicus* putat medicinalem artem ex insomniis multa invenisse remedia ad morbos curandos, ipsamque artem divinis insomniis comparari, ut *quæst.* 3. suprà adnotavimus. Plura alia exempla de insomniis invenies apud Quercetanum *in diætetica*; præcipuè quod de Aspasia ex Æliano affert. Quemadmodum Eulogio difficilis loci explicatio per insomnium patuit, ut narrat D. Augustinus *lib. de cura pro mort. cap.* 11. De causa verò finali, ob quam Deus hujusmodi somnia inferat, & quibus modis illa immittat, ad nostrum institutum dicere non pertinet, de qua re videndus *Delrius.*

15.

16.

Morborum aliquorum remedia ex insomniis cognitæ.

Lib. 4. mag. c. quæst. c.

Illiad. 1.

9. Met. cap. 4. commen. 2. de hu. & lib. de dine lib. suor.

Cap. ult. sang. m. Lib. 2. tract. 2. cap. 72.

Lib. de myst. Ægypt.

Lib. 4. c. quæst. 1. sect. 2.

Diabolica somnia dari.

Tandem diabolicâ fraude dari somnia ferè omnes fatentur: ea *in Sympos.* concedit *Plato*, & antè illum *Pythagoras* & *Empedocles.* Sunt autem talia, quæ mali spiritus in-

17. insidiose dormientibus immittunt, vel potiùs movent ad animi perturbationes excitandas, libidinem scilicèt, iram, odium, desperationem, vel ad occultorum & futurorum significationem; quòd Dei gloriæ invidus eam sibi technis & vafricie affectet, & imitari conetur, ut hominum incautos animos ad se convertat & deludat: hoc autem non aliter facit, quàm corporis humores concitando, vel applicando phantasiæ rerum figuras per localem motum, ex quarum objectis fiat repræsentatio tam propria, quàm symbolica, ut docet D. Thomas *part.* 1. *quæst.* 111. *art.* 3. D. Augustinus *lib.* 12. *in Genes. cap.* 13. & 14. Duplicia hæc sunt, alia inopinata, propterea quòd ex improviso acciderent ex fraudulenta diaboli machinatione: cujusmodi fuerunt somnia Anabaptistica, & enthusiasmarum, pluraque alia gentilium admiranda, ut Ædesii apud Eunapium *in ejus vita*; Ptolomæi apud Tacitum *lib.* 4. *annalium*; Odati & Zanandri apud Athenæum *lib.* 12. *cap.* 13. Nestoris apud Zozimum, & aliorum apud Valerium Maximum *lib.* 1. *cap.* 7. Alia requisita dicuntur, quia ethnici spiritu agitati ea requirebant; huc referuntur lectisternia gentilium in fano Æsculapii, Serapidis, Pasiphaës, & aliorum in quibus dæmones dormientibus responsa dabant, quemadmodum Regi Latino apud Virgilium 7. *Æneid.*

Sed præter has somniorum differentias (de quibus quæ, & quatenus observari debeant, & quænam fides illis debeatur, paulò inferius agemus) insomnia ex alia causa adducta nobis veteres Philosophi inculcârunt; quorum placita secutus *Arthemidorus*, & *Synesius*, vanissimis aliis errandi viam commonstrârunt; sicuti *Augerio Ferrerio*, & *Cardano*, quos tot figmenta, tamque superstitiosa mendacia in somniorum vanitate scribere non puduit; inanes illas, putidas, & diabolicâ fraude refertas gentilium observationes, quas ex insomniis captabant, à Christianorum religione ferè jam explosas & abolitas, in hominum animos iterum reducentes: quo factum est ut damnosâ curiositate multi decepti satanæ hamo prehensi deludantur; nec solum tempus in his nugis inquirendis consumant, sed animæ suæ (quod maximè dolendum) magnoperè officiant. Platonicorum itaque vestigia insequentes ultrà tria illa somniorum genera jam dicta, naturale aliud in-

18. somnium invenerunt, quod verissimum statuunt, sed quod non aliter quàm per somniorum interpretem exponi possit ac declarari. Istius autem insomnii causam efficientem cum universa Platonicorum schola animam constituunt: quippè hanc terreno hoc vinculo alligatam duplici vitâ vivere Platonici affirmare sunt ausi, unâ scilicèt quæ communis est cum corpore, alterâ ab omni corpore separabili, seu ut *Proclus* & *Alcibiades* loquuntur, ut anima simpliciter, & ut anima utens corpore: *Quando igitur vigilamus* (inquit *Iamblicus*) *utimur vitâ, quæ communis est*

19. *cum corpore, præterquàm siquando penitùs separamur ab eo, dum ut intellectu quid assequamur, vel puris rationibus cogitando abstrahimur. Sed in dormiendo penitùs solvi possumus à vinculis animo adhibitis, atque vitâ à corpore separatâ tunc uti.* Prædictam itaque somniorum speciem statuunt *Arthemidorus*, *Ferrerius*, *Cardanus*, quòd anima suapte naturâ omniscia, se à corpore mundanisque rebus lumen suum obtenebrantibus semoveat & extricet; dumque ab hac corruptibili vita separatur, ea quæ corporis sunt etiam curare ajunt, & quæ circà corpus fiunt; nimirùm actiones præteritas, cogitationes, & quæcumque sensibus objiciuntur. *Galenum* quoque hanc habuisse opinionem deducere conantur ex eo, quòd *lib. de insomniis* animam dicat in somno nullis rebus distractam meliùs præsentire, ac prædicta insomnia fingere. Peripateticos hoc etiam credidisse ex *Æliani* verbis evidenter apparere ajunt, qui sic: *Peripatetici dicunt animam interdiu corpori servitium præbere, & involvi, neque purè veritatem perspicere posse; noctu verò liberatam à ministerio corporis magis ad prævidenda futura idoneam esse, unde existunt insomnia.* Hac ratione inquit *Cardanus*, imperitorum & simplicium virorum somnia plerumque veriora existere, quòd eorum a-

Lib. 3. var. hist. cap. 11.

20. nima purior sit, & minùs impedita; & hinc etiam animi immortalitatem arguit, quòd in infantibus somnia accidant, cum tamen illi præsentium recordari non possint: quarè necesse est ut futuri alicujus recordentur, quod alibi viderint.

21. *Synesius* ab hoc parum discedens spiritum quendam finxit phantasticum, quem animæ vehiculum esse arbitratur, omnium somniorum auctorem & fabrum. *Posidonius* ipsum per se animum providere dixit, utpotè qui Deorum cogniti-

nitione teneatur, & tanquam divinitatis studiosus se erigat, & corpore quodammodò velut vinculis adhibitis se explicet, vitâ à generatione separatâ utens: quo tempore multa cognoscere & prævidere statuit, de aliis etiam, quòd aër immortalium spirituum plenus sit, in quibus insignitæ veritatis notæ apparent; unde sympathiâ quâdam & convenientiâ, quam cum illis anima sortitur, & alii cum aliis hominibus magis, multa tunc admonere, docere, consulere, revelare. Multa proindè somnia in medium afferunt, quæ sic cognita, sic adepta, verissima extitisse pronunciant: non pauca conjecit Cardanus *lib. 4. de insomniis*, aliqua nos afferemus. Tale extitisse ferunt Cæsaris somnium, quo de patriæ dominatione admonitus est; Septimii Severi, ex quo cum imperio summam adeptus est felicitatem; Themistoclis, quo mortem acerbam devitavit, ut Plutarchus *in ejus vita* scribit; Alexandri, cùm Tyrum expugnaret; Hecubæ, cùm se facem peperisse somniavit, quæ universam Asiam & Europam inflammaret, & paulò post Paridem edidit, cujus incestis amoribus decennali bello Troia exarsit, extinctaque est; item Zanandri & Odati, qui ex phantasia in somnis capta se invicem adamabant & cupiebant, cùm tamen nusquam in conspectum venissent, ut latiùs narrat *Athenæus*. Sic mater illa apud Plinium *lib. 25. cap. 2.* in quiete admonita Cynorrhodi radicem filio bibendam Lusitaniam misit, quâ à canis morsu & rabie liberatus est, cùm jam aquam expavescere cœpisset: nec aliter quàm per quietem Judicum pœnitentiam, accusatorum suorum ruinam, civitatis seditionem, Socratem accepisse & prædixisse ajunt, & interfectionis suæ diem eodem pacto cognitum præsignâsse. Annumerant etiam his insomnium quod de duobus Arcadibus Megaram appropinquantibus narratur, quorum historiam *quæstione* 33. latius recitavimus; uti & innumera alia, quæ passim apud plures leguntur: quæ tamen aliam causam, quàm illam à prædictis auctoribus assignatam habuerunt; nam anima vivente homine nec à corpore separatur, nec à corpore separata aliquibus corporis actionibus præest, aut de illis cogitat, multò minus somniorum capax est, quia tunc nec dormit neque vigilat, aut actionem aliquam ex his quæ in corpore, & illius causa fiebant, exequitur; & universim quidquid animæ & corpori commune erat, in disjuncta anima nec relinqui, nec ab ea fieri potest: omnes enim sensitivæ potestates, & earum operationes promiscuæ sunt animæ & corporis; unde consecutio evadit manifesta eam seorsim nil agere posse eorum, quæ ab utroque simul dependent. Propterea Aristoteles *lib. 1. de anima*, & cum eo Peripatetici omnes, corpore in putredinem & corruptionem abeunte animam nec reminisci, nec amare scribit: hac de causa non sine excellenti atque admiranda conjectura inter fabulas antiqui Lethæum fluvium excogitârunt, per quem mortui omnes transire deberent, tanquam qui in omnium præteritarum rerum oblivionem jam devenissent; quidquid aliter *Plotinus* cum Platonicorum schola fuerit opinatus, quod *quæstione* 33. latiùs reprobavimus.

22. *Insomnia multa quæ vera extiterunt.*

Lib. 1 dipnos. 12.

23.

Cicero de divin.

Verùm ut de prædictis antiquorum somniis, & illorum veritate non dubitemus, similia apud nostros non raro observata fuisse ex auctorum fide constat, si qua illis debetur. Admiratione digna sunt, quæ *Fracastorius* de Marco Antonio Flaminio, & de Petro Bembo Cardinali scribit. Ille librum quendam mutuum acceperat, quem nullâ adhibitâ curâ cùm suprà lectulum reliquisset, multos post dies eundem quærens, nullâ diligentiâ invenire potuit; quod tandem molestè ferens, per somnium locum ubi liber projectus erat, personam, & causam quarè sic abscondidisset, ad unguem accepit & cognovit: quæ omnia cùm manè surgeret, à famula, quæ ob tabulam illius imprudenter fractam librum abscondiderat, vera esse intellexit; namque hæc ita esse confessa est, & liber in eodem loco, in quo in insomniis illum esse acceperat, inventus est. De Bembo non minora sunt quæ narrat: nam cùm antiquam litem haberet, eodem die, quo à judice sententia promulgari debebat, à matre summopere rogatus est, ne in judicium ascendere vellet, quòd ipsum ab adversario in digito minimo sinistræ manûs vulneratum somniâsset; quæ ipse parvifacienda, tanquam somnia existimavit, matrique nullius momenti esse persuasit, ac tandem in judicium processit: quid fit? à judicio discedens cum reo maximis altercationibus contendere cœpit, eductisque gladiis, eodem pacto & manûs digito, quo à matre prævisum fue-

Lib. de intellect.

24.

fuerat, vulneratus est. Legitur etiam in libris virorum illustrium, quemdam somniâsse morderi se à leone marmoreo ex illis, qui in pronao templorum cerni solent; die sequenti cùm templi fores fortè præteriret, leone conspecto somnium comitibus enarrans, *En*, dicebat, *nocturnus meus hostis, qui morsu timorem incutiebat*, simulque in apertum leonis os manum inserens, à scorpione intùs delitescente lethalem accepit ictum. Funesta hæc de morsu leonis historia aliam in mentem affert, quam ex Laurentio Abstemio narrat *Aldrovandus*: ærumnosum nempè cujusdam senis somnium, qui filium unicum, quem habebat, venationis amantissimum à leone trucidatum somniavit; timensque ne somnium aliquando verum existeret, pulcherrimam construxit domum, cujus parietes oblectamenti gratiâ omni animalium genere erant eleganter depicti, ibique assiduis custodiis filium alebat. Quodam tandem die, cnm adolescens animum suum parietum picturis relaxaret, ad eum locum devenit, ubi leonis imago in alias feras sævire observabatur; ad quem conversus & indignatione commotus ait: *O truculentissima fera, propter te & ob inane patris mei somnium, hoc in loco tanquam in carcere asservor*: quæ dicens parieti pugnum incussit, quasi oculum leoni eruere vellet, & manus à clavo in muro latente vulnere affecta est, quod tandem lethale fuit. Mitto insomnium aliud, quod de Gurgustione ex *Pausania* ibidem affert, & multa alia, quæ in magno illo opere *de animalium hist.* passim, & apud alios leguntur; nam insomnia omnia, quæ à plurimis narrantur, & vera extitisse observatum est, infinitum esset si transcribere vellemus. Tanquam verissimum narrat *Euseb. Nierembergius* cujusdam Æthiopis somnium, qui navi vectus à tigride se abreptum somniavit; quarè sequenti nocte sub navis prora se abscondere cogitavit: rogatus à domino quare id faceret, causam & somnium exposuit; sed non inanis erat metus, eâdem quippe nocte à ferocissima tigride arripitur, quæ omnibus dormientibus in navim insiliens, cæteris intactis Æthiopis latus aperuit, & illum sustulit. Tigrides in Bengalæ oris mare transnare, & Æthiopum esse avidissimas, ibidem tradit idem auctor.

In lib. mytholog. Ald. in digitatis cap. de leone.

25. Lib. hist. natural. cap. 15.

Nec tandem *Hippocratis* insomnium à paucis relatum omittam, cujus ipse *epist. ad Philopæmenem* 2. meminit. Nam cum ad Abderitas Democriti curandi causâ, quem insanire putabant, perductus esset, primâ nocte, quâ apud ipsos fuerat, tale somnium habuisse Philopæmeni narravit. Videbatur sibi cùm jam ad urbis portas pervenisset Æsculapium sibi comitem adjunxisse, habitu non certè, ut pingi solet, leni facie, sed aspectu magis horrendo; quem simul præter reptilia alia & torvos dracones, (quorum species Epidauro ipsi Deo jam dudum placuerat) cistas ponè ferentes medicamentis plenas alii comitabantur: porrectâ statim manu, ne se desereret, Hippocrates rogare videbatur; cui ille: *Nil meâ operâ nunc indiges; hæc mortalium Dea, & immortalium te hospitem deducet*, fœminam innuens pulcherrimam, quam ostendens discessit; à qua Hippocrates per urbem deductus, cùm ad hospitium pervenire videretur, ipso relicto disparuit; hoc tantummodò addens: *Cras te apud Democritum offendam.* Cui *Hippocrates*: Quæso optima, quænam es, aut quod tibi nomen? Veritas, inquit; quam verò accedentem vides, Opinio est; confestimque abiens, altera quædam comparuit, quam prima Opinionis nomine donaverat, & apud Abderitanos se manere velle dicebat. Sed jam experrectus *Hippocrates* omnia, quæ in somno habuit, contemplatus, Democritum nullo animi morbo laborare ex insomnio cognovit, quòd *Æsculapius* nullo auxilio opus esse dixisset; quod ita esse ipsa veritas, quæ apud illum manebat confirmare videbatur, nullumque morbum aut desipientiam pati; & tantummodò apud Abderitas rumorem absque ulla certitudine esse probè indè conjectabat, quòd ipsa Opinio apud illos manere se velle diceret.

26. ...pocrat. ...mnium ad ...ocri... ...cu... ...dum ...deritas ...ret.

27. ...omnii ...ppocrat. ...terpreta...

Somniorum jam satis, quorum si plura desideras, apud Alexandrum ab Alexandro *lib. dierum genial. cap.* 11. & *lib.* 3. *cap.* 26. multorum, quævera observata sunt, exempla legere poteris; quemadmodum apud Cardanum *lib.* 4. *de insom.* ferè per totum, ubi tam propria quàm aliena infinita conjecit, & non pauca Quercetanus *in diætet. cap.* 20. Nec mirum est tam raris eventibus partim veris, partim casu, aut dæmonis astu fabricatis, tantam fidem veteres adhibuisse, ut augures & somniorum interpretes, ceu divinitatis cujusdam participes ab ipsis colerentur; nam præter Xeno-

nophontem, Colophonium, & Epicuræos, qui nullis fidem præstandam voluerunt, antiqui ferè omnes Philosophi satis illis credendum putârunt. *Socrates* in primis illis plurimum tribuit, *Democrates*, *Proclus*, *Alcibiades*, *& Plato*, qui *dialog. de natura* divinum & verum vaticinium non acquiri tradit, nisi cum sapientiæ vis somno sopita est, ut tradit Cicero *lib. de nat. Deorum*. Romani etiam hanc observationem non solum ut divinam coluerunt, sed inter imperii monumenta posuêre. Mahometanæ quoque sectæ cultores hodiè somnia observare feruntur. Nec *Aristoteles* diversam ab his habuit sententiam, qui præterquàm quòd divina dari negavit, tamen divinationem, quæ per somnium fit, non omninò contemnendam esse dixit; quamquàm si quid, quod somniavimus, eveniat, id temerè & forte evenire voluerit, cum sæpè eveniant ea quæ in somnis prædicuntur, sæpè etiam aliter quàm prædictum est, non quòd in somno ulla fuerit divinandi vis: quam opinionem habuit etiam *Plutarchus*, qui absurdam esse hanc somniorum divinationem testatur; quibus assentitur Tibullus *lib. 3. eleg. 4.*

28. *Antiqui philosophi qui somnis credendum putarunt.*

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Lib. end, [illegible]

Hippocrates tamen somnia non rejecisse colligitur, non solum ex his quæ proprio libro *de insomniis* scripsit, sed ex epistola jam adducta; quod quoque *Galenum* fecisse ex *lib. meth.* & ex citat. suprà locis notissimum est, cum præsertim 1. *de nat. facult. cap.* 12. illos reprobet, qui somnia & auguria contemnebant: etenim præsagia & remedia ab illis habuisse fatetur 14. *meth. cap.* 8. & *com.* 2. *de humorib. textu* 2. Nos tamen omissis multis Ethnicorum figmentis, & illorum erroribus explosis, quid in hac re communiter tenendum sit, & à Christianis & doctis viris doceatur, paucis afferemus; ex quibus tam eos qui omnia contemnenda esse asseverabant, quàm illos, qui somnia omnia tanquam aliquid significantia observari & interpretari debere opinati sunt, manifestè errâsse palam fiet: quam opinonem cum Stoicis habuêre *Protagoras*, *Arthemidorus*, & *Tyaneus*.

29.

Convenit itaque inter omnes, & inter ipsos etiam somniorum conjectores, vana dici & esse somnia illa, quæ post vina & cibos repetito somno eveniunt: tanquam crapulâ obruta mens & oppressa nil distinctè advertere, aut species & objecta, quæ phantasiæ objiciuntur, probè distinguere & cognoscere possit; cùm crassis & turbulentis vaporibus immixtæ non solùm obtenebrari, sed confundi etiam & in varias figuras mutari contingat: atque ideò quæ clara conspiciuntur, & vaticinii aliquid habere dicuntur, matutino potiùs tempore fiunt, phantasiâ tunc non solum à vaporibus exutâ & magis liberâ; sed etiam quia pacata tunc mens, & à negotiis expeditior manet. Quibus omissis *D. Gregorius* sex genera somniorum, & totidem causas enumerat, videlicèt ex corporis plenitudine, & vacuitate, ex antecedentibus diurnis curis & hominis cogitationibus, ex dæmonis illusionibus, aut ex utriusque simul, aut denique ex divina revelatione. Conimbricenses super *Aristotelem de insomniis* ad quatuor reduxerunt, nempe ad divina, dæmoniaca, naturalia, aut animalia. De istis ergò, & quid de unoquoque existimandum sit, paucis dicemus, à naturalibus primùm incipiendo.

30.

8. Mo[...] cap. 1[...] dialog. cap. 4[...]

Cardanus, qui qualiter ex insomniis futura rimari & conjectari possint, tam latissimè, quàm vanissimè scripsit, naturalia somnia à classe illorum, quæ ad aliquid futurum prædiscendum interpretari licet, non immeritò excludit; cùm hujusmodi somnia non futura per se demonstrent, sed præterita solùm, & plerumque præsentia: nam licèt morbos venturos præmonstrare possint, ut etiam voluit *Hippocrates*, hoc non directè faciunt, sed quatenùs humorum copiam demonstrant. Igitur ex prædictis naturalibus insomniis corporis statum, qualitates humorum, illorum exuperantiam, hominis complexionem, morbos venturos, vel jam existentes, & illorum causas perscrutari posse & indagari, nullus Theologorum aut medicorum negavit; cum quibus nos quoque convenire debere extrà dubium est. Fatetur hoc *Hippocrates*, qui licèt multus in insomniis aliis interpretandis videatur, hanc etiam medicinæ conjecturalem partem non neglexit; & de ea tantùm *Galenus* proprio libro egisse videtur, multaque circà eandem nobis attulit exempla, ut tanquam medici de corporis statu, sive sa-

31. *Somnia naturalia quomodo, & quid demonstrare valeant.*

sano sive ægro conjectare possimus. Hoc pacto videmus in ardenti febre ægros se comburi somniare, rivos, fontes, & flumina insectari, quod & sitientes faciunt; esurientes dapes non solùm quærere, sed sibi repræsentari videntur; micturienti, & cacaturienti secreta loca; melancholico cruces, luctus, & tristia; sanguineis & benè habentibus convivia, ludorumque oblectamenta: sic etiam si quis ignem accensum videre per somnum existimavit, à flava bile infestari videtur; quod similiter ex ira, cursu, pugna deduci posse certum est; siquidem quales in corpore sunt humores, tales fieri in illo affectiones necesse est: hoc modo, fumus, caligo, aut tenebræ diffusæ melancholiam commonstrant; quod & facit timor, fuga, cœnum, carcer, mors, luctus, desperatio, vagatio per solitaria loca, nocturnæ oberrationes, spectra, & tristia cuncta; sicuti ex incendiis cum timore, furore, obscuritate, terræ motu, fulgure, aut tonitruis bilis atra cognoscitur. Nix, glacies, grando, inundatio, flumina, tempestas, pluvia, paludes, algida, aquea, & frigida cuncta pituitam attestantur; quemadmodum balnea, mare, navigatio, submersiones, onera gravantia, tardaque & impedita à noxiis fuga. Ita etiam ex jucundis sonis, lætioribus pratis, splendidis habitationibus, voluptatibus, deliciis, pulchris picturis, hortis, conviviis, vino, choreis, rosis, gallorum cristis, in summa ex omnibus rubicundis, croceis, purpureis, & animum exhilarantibus, sanguinis abundantiam adesse certissimè infertur, temperatique humoris & boni quantitatem. Sic ex blanditiis, mulierum amplexibus, osculis, & ad concumbendum præparatione, collecti seminis copia dignoscitur.

32. Sunt & alia pleraque non contemnenda: quibus enim in corpore sinceri & puri succi abundant, inter odoratos suavesque flosculos volutari somniant; è contrà in quorum corpore fœtidi putridique asservantur, in sordibus, cœno, cadaveribus, cloacis, sterquiliniis versari se putant. Tandem & prout corpus affectum est varia alia contingunt; nam quibus vesica humoris aquei plena existit, urinam reddere somniant, quam non raro exire permittunt; & quibus in morbis instat sudor, lavari & in aqua calida natare se opinantur; ut etiam ex delirii vehementia aliquando evenisse celeberrimo & felici exemplo ostendit Vega: sic quos sitis immodica vexat & aquæ appetitus urget, fontes formant; famelicis dapes edendæ & fercula offeruntur: quandoquidem animus in imas corporis partes digressus illius affectiones percipit, atque rerum quas concipit, tanquam præsentium objecta format, aut earumdem species excitat, quas imaginatio arripit. Itaque pro naturæ statu, humorum redundantiâ, vacuitate, vel pro indigentia, & appetitûs sensationibus, secundùm corporis affectiones imagines suscitat ac fingit; proindè quæ in somniis naturalibus vel sani vident, vel ægri agere vel habere se credunt, plerumque humorum inopiam, aut plenitudinem, qualitatemque nobis indicant; & ut optimè notat *Vallesius*, internæ illæ passiones, ex quibus nascuntur somnia, morborum aut symptomatum initia sunt: nec aliter apud *Gal.* illi evenit qui crus sibi lapideum factum somniabat, nisi quia jam paralysis superveniebat, & frigidus pituitosusque humor ad illam partem motum faciebat, quem jam natura percipiens phantasiæ objiciebat. Eodem modo P. Cornel. Rufo accidit, quem Plinius *lib.* 7. *cap.* 50. visum amisisse ait; cùm id sibi evenire somniâsset. Simile fuit illud, quod de se ipso narrat *Arnaldus de Villa Nueva*, & ex illo Fulgosius *lib.* 1. *cap.* 5. nam cùm quâdam nocte somniâsset à fele in pede commorsum se fuisse, subsequenti mane in eadem parte ulcus invenit. De Alexandro etiam Vice-comite narrat *Gradus*, quod quoties edere somniabat, nephritico dolore corriperetur; mirum certè, quòd cùm hic dolor à cibo semper gravetur, ut *Hippocrates* affirmat, tanta sit hujus causæ vis, ut in insomniis etiam operetur.

Comment. in artem medi. c. 84.

Cap. 30. de sacra phil.

Lib. de insomniis.

33.

6. Epid. comt. 1. text. 6.

34. Ad hoc etiam referri potest illud, quod de Cipo rege narrat *Ovidius*, cornua illi emersisse; nam cùm pridiè tauros inter se pugnantes attentè fuisset conspicatus, eâ imaginatione in somno correptus, cornutus evasit: nisi inter illius fabulas (quod potius judico) hoc quoque annumerari debeat. Quæ omnia 1. *epid. com.* 3. *textu* 1. *com.* 2. *de humoribus*, & latiùs *libello de præsag. ex insomniis* prosequitur *Galenus*, quibus in locis docet ea quæ laborantes, vel etiam sani, in insomniis vident, seque agere arbitrantur, tum defectum, tum excessum humorum, qualitatesque indicare. Quæ tamen præsagia sicuti obscura, ita & incerta habenda sunt: verùm in hac medicinæ parte non omninò rejicienda, tantumque à medicis ad artis usum, humores & morbos cognoscendos, hæc amplectenda; ab aliis verò eatenùs attendi debent, quatenùs ad

35. *[Som]nia [nat]uralia [quat]enus [obs]ervan[da].*

ad vitam instituendam conducunt, cùm ultrà hoc futuri quidpiam indicare non valeant, nec ullâ interpretatione indigeant: siquidem in tantum licita est observatio & somnii interpretatio, quatenus causæ naturales effectibus causæ suæ conjunctis sunt adæquatæ; in quo cum Theologis medici consentiunt, ut docent *Medina*, *Turrecremata*, *Franciscus Picus*, *Suarez*, *Delrius*, & alii.

36. *Diabolica somnia ad quid observare liceat.*

Diabolica somnia, quæ dari tam certum est, quàm ab omnibus concessum, tantummodò observare licet, ut tentatoris fraudes, quibus perpetuò ac callidissimè nos circumvenit, devitare possimus; aliàs ad occultam scientiam, vel futurorum eventus agnoscendos nec licet, nec expedit: primum animæ salutare est & necessarium, secundum superstitiosum, fraudulentum, & animæ & corpori summoperè damnosum; de quo illud Penelopis Homericæ verum est: *Minimè curanda somnia*, & illud Sapientis: *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in eis.* Quemadmodum de Cyro Persarum Rege narrat Sabellicus *lib.* 6. de Xerxe Herodotus *lib.* 7. de Onamarcho Diodor. Siculus *lib.* 16. De Antigono & Pompejo Plutarchus *in Demetrio*: recteque de illis proclamat Jeremias *cap.* 29. *Non attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis.* hinc numero 22. *Nec observetis somnia.* Deuterom. 18. *Nec observent somnia.* Siquidem Eccles. 1. *Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates.* Quæ omnia de diabolicis præcipuè intelligunt Theologi, ut docet Tertullianus *lib. de anima cap.* 46. quia non potest horum interpretatio citrà miraculum haberi, nisi ex pacto cum dæmone, quod prorsùs illicitum est; & sicuti hoc superstitiosâ curiositate involutum, sic semper fallax & mendosum existit. Quare *Eccles.* 34. quàm parvifacienda sint docemur: *Quasi qui apprehendit umbram, & prosequitur vanitatem, sic qui attendit ad visa mendacia*: nam quotiescumque non constat, quòd vel à natura, vel à Deo somnium procedat, ad dæmonem causa necessariò referenda est.

37.

38. Quarè periculosum censeri debet *Synesii* consilium, suadentis ut unusquisque ex suis insomniis, & ex illis, quæ posteà expertus est, artem componat: vanum quippè hoc & inutile, quod qui observat, in manifestum peccatum infidelitatis incidit, quomodocumque fiat, aut præcedente anteà pacto, cujus respectu dæmon insomniis respondeat; vel si somno non intellectò ad dæmonem pro explicatione recurratur; vel denique si ad talia captanda somnia prohibitis cæremoniis aliquis utatur, ut sibi revelentur occulta, ut gentiles facere consueverunt; de quibus *Rhodiginus*.

Lib. de somni[is]

Lib. [...] antiq. cap. [...]

39. *Somnia divina observare tenemur sub peccati reatu.*

Tandem divina somnia non solùm observare licet, sed eisdem sub peccati reatu fidem adhibere tenemur: Deo enim loquenti fides adhibenda, sive hoc, aut illo modo loquatur. Hoc nec auctoribus, nec rationibus probari indiget; hæc enim credulitas non minùs necessaria est, quàm fides. Sed quantùm hîc de probatione non requiritur, de cognitione desideratur; siquidem facile non est illorum, quæ à dæmone, vel à Deo proficiscuntur, discrimen invenire, cùm sæpiùs versipellis ille hostis in lucis Angelum se transformet, ut ex plurimis exemplis apud *Eborensem*, & plures alios ibidem adductos sæpiùs visum est: quare non convenit somnia ulla observare, nisi præcedente divinâ revelatione, sicuti *Eccles.* 34. monemur: *Nisi ab Altissimo missa fuerit visitatio, non des insomniis cor tuum.* Communis enim & antiquus generis humani hostis perpetuò vigilat, ut nos suis laqueis irretiat, & captivos teneat; & non solùm falsis quibusdam imaginibus illudit, & insidiatur secundùm ea quæ egimus aut cogitavimus, sed & pro naturæ proportione ad illa quæ novit vitia impellit: sic quorum naturas ad libidinem declives agnovit, eximias puellarum formas, muliebres gestus amabilesque, & venerea cuncta per quietem objicit; ambitiosis, & de divitiis cogitantibus lucrum; quibus ludi placuerunt, ludos offert; iracundis pugnas; econtrà castis venerem, sobriis luxum, humilibus superbiam, tandem divinationis curiosis divinandi artes, superstitiosis superstitiosa alia ingerit, & pro oraculis mendacia præstat: sed nil magis timendum, quàm dum summâ vafricie usitatâ & turpissimâ formâ se exuens, splendoribus & luce vestitus se prodit; quo fit ut quod à Deo, vel à bonis Angelis audiri putatur, id totum à mendacii parente proveniat, qui se in lucis Angelum transformavit. Quare summâ prudentiâ, & diligenti curâ somnia, quæ aliquam difficultatem ingerunt, antequàm ulla fides illis adhibeatur, perscrutanda sunt; & in primis si à naturali causa provenire non posse videantur, plerumque fraudulenta habenda sunt & suspecta, tutissimumque fuerit tanquam à diabolo profecta cavere: nam si à Deo fuerint, ipse hominem certum reddet, ut facere consuevit, illum monendo, ut intelligat somnum cælitùs immis-

40.

41.

missum fuisse. Omnia tamen ad animarum medicos, sapientes Theologos, probosque viros deferenda sunt; quippe ut *Eccles. cap.* 2: scribitur, *quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Nec interim quædam omittenda, quæ tanquam signa divinarum inspirationum & somniorum aliqui tradunt. Primò, quòd in illis animus non turbatur. Secundò, quòd semper aliquid suavitatis percipitur cum internâ quadam alacritate. Tertiò, quia semper adest aliqua communis utilitas aut propria, cum hortatione ad bonum, & tædio mali. Quartò, quòd talia somnia quieta sunt sine horrore. Quintò, quòd semper nos meliores reddunt. Econtrà nil à dæmone utilitatis expectandum; nil enim boni in homines confert, nisi majori permixtum malo; nil docet nisi merè curiosum & futile, nilque aliud machinatur, nisi ut perdat & æterno exitio involutos diræ suæ subdat tyrannidi: quæ tandem omnia & alia plura Theologis relinquimus, ad quos de divinis revelationibus, & propheticis inspirationibus agnoscendis & examinandis agere, & docere spectat.

Ex his igitur duæ illæ somniorum portæ patent, quas *Homerus* sub fabularum tegumentis expressit ac finxit, corneam unam, per quam vera mittuntur; eburneam aliam, per quam falsa eduntur: quem illius simia Virgilius 6. *Æneid.* sic imitatur. (Odyss. 19.)

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.

Prima enim de divinis insomniis accipienda, secunda verò de dæmoniacis, & chimæricis, vanisque omnibus, quæ cum omni interpretatione longè rejicienda ac releganda sunt. Si quis tamen inquirere velit, cur veris insomniis porta cornea assignetur, eburnea falsis, Porphyrius *in suis commentariis* latiùs explicat: quòd nempe ea sit cornu natura, ut tenue factum visui pervium sit, aciemque introspicientis admittat; ebur verò cùm corpus habeat solidum & magis densatum, obtutum propellat, ut non facilè quæ ex adverso continentur pateant, & indicari possint: vel, ut *Servio & Didymo* placuit, per corneam portam oculi accipiendi sunt, qui corneum colorem æmulantur; per eburneam dentes, qui candore ebur repræsentant: quare sicuti vera plerumque sunt, quæ oculis discernuntur; ita sæpissimè falsa quæ ab ore exeunt. Adderem ego diabolica & commentitia, nitida & splendida sæpiùs videri, ut incautos fallant, & faciliùs irretiant.

Restat tandem quarta illa naturalis somnii species, cui Platonicorum & Stoicorum figmenta initium dederunt: nam dicere animam nostram notiones aliquas ex alia vita secum adduxisse, quas unà corpori incluserit, à fidei dogmatibus alienum esse Theologi asserunt; non enim animus corpori antiquior advenit, nec quando à Deo infunditur ullas creatas species adjunctas affert. Ridenda etiam est duplex illa vita, quam in vigiliam & somnum distinguunt: nec enim aliter dum vigilamus, quàm cùm somno gravamur, anima vivere putanda est, in eoque tantùm est discrimen, quia in vigilia sensibus externis officium præstamus, magisque circà illos anima occupata est; dum verò quiescimus, ab illis otians internis functionibus intenta magis est, & dum externis objectis & illorum speciebus non occupatur, nec à sensibus somno ligatis de novo alias suscipit, ab existentibus anteà conceptis, quæ secundùm corporis dispositiones vel excitantur vel de novo offeruntur, in actum deducitur, & à phantasia, quam famulatricem habet, promptius seducitur, ut quæ ab ipsa offeruntur cognoscat & judicet: à qua tamen nil circà futura naturaliter mutuare potest, nec ex se prævidere. Quarè quæ hoc pacto vatidica dicuntur, & illorum interpretationes, vana sunt omnia, ut etiam ars, quam de his aliquos tenere dicebat *Hippocrates*; damnandusque meritò *Galenus*, qui in locis jam adductis illis fidem præstitisse videtur: nec enim sufficit, quòd 3. *meth.* 2. meras esse nugas fateatur; nam ibi adversùs Thessalum non somnia videtur damnare, sed illorum remedia, quomodocumque aut per somnium inventa dixisset: quandoquidem ille toties, & in tot locis somniis credidisse fatetur, & secundùm eorum monita remedia applicuisse: unde millies illa approbat, præsertim *lib. de insom.* ubi vatidica aliqua esse affirmat. Nec obstat quod Peramatus *de evacuandi rat. cap.* 3. & Zacutus 2. *de princip. hist.* 53. illum excusare nitantur, dicentes nullam fidem somniis adhibuisse, sed ultrà insomnia rationem addidisse, quæ illud quod somnia ostenderant ut optimum approbaret, ac sic illa

(Lib. de insomniis.)

(Lib. de sang. miss. cap. ult. 14 meth. cap. 1. Lib. epid. com. 2. de humorib. & aliis in locis.)

illa applicare ausum fuisse: nam ad libitum hæc dici videntur, cum manifestè illis credidisse se fateatur, ut clarè *com. 2. de humorib.* idem scribit. Igitur Galeno & cæteris ex gentilium turba somniorum observationem commendantibus minimè assentiendum; nec etiam curanda infinitorum exemplorum multitudo, quorum plurima vera extitisse nobis inculcant: sed nullum admirabilius, quàm illud, quod de quodam juvene

44. somnambulone narrat *Henricus ab Her* excellentiss. Archiepiscopi Coloniensis meritissimus Archiater, qui circà annum ætatis 45. cùm somnambulare desiisset, in insomnia multa plerumque veracia incidit; ex quibus soceri, uxoris, filii primogeniti, affiniumque plurium secuta funera tam clarè prævidit & prædixit, ut si ipsorum exequiis interfuisset; & plerumque postridiè sibi eventura, læta, tristia, rixas, damnum, lucrum, in somno prævidebat, ut ferè horam quâ ventura essent prædicere posset. Talia enim ex se futura prædicere, aut admonere potuisse nunquam fatebimur, nisi divinitùs immissa fuisse dicamus, aut à dæmone, à quo aliquem licèt non semper, aliquando tamen habere posse hujusmodi prædictiones quidam fatentur, cùm tamen unde proveniant penitus ignorent; qui aliquando eas faciunt, nam (ut doctè dicebat *Vallesius*) cùm divinationem videant, inspirationem non agnoscunt: vel casu, ut *Aristoteli* placuit, eveniunt; qui enim sæpè jactat, aliquando collimat. Unde rectè Cicero 2. de divinat. *Quis est, qui totam diem jaculans non aliquandò collimet?* Nec enim aliter per insomnia divinationem concedere licet, quemadmodum imperiti faciunt, qui cùm videant consecutum fuisse quod somniârunt, insomnio divinandi vim concedunt, cùm tamen reverà casu evenerit; casu enim & non aliter fit, ut cùm

45. plura & varia in somnium cadant, res aliqua quæ futura est, somnietur: quod minimè mirum haberi debet, non enim minor foret admiratio si nunquam quis in aliquid futurum incidisset; nec minori disquisitione indigeret, cur nunquam potuerit accidere, ut id, quod ab aliquo somniatum est, aliquando eveniret. Cur igitur miremur, si aliquando fiat? Imò non præter rationem Fracastorius *lib. 2. de intellect. jam citato* somnia ab ipso adducta, quæ verissima comperta sunt, præterquàm quòd ad discursum & naturalem modum reducere conatur, casu tamen multa hujuscemodi accidere non negat; imò necessarium putat tot hominibus tot & tanta somniantibus convenire quædam cum rebus, & secundùm quod aliquis de aliquâ re solicitus aliquid excogitare cœpit, in somno pergere, & eandem assequi; quod etiam casu fit.

46. Quare concludit omnia somnia, quæ nobis admiranda videntur, & significationis aliquid habent, ad Deum, vel ad dæmonem esse referenda, vel tandem universim ad casum, vel ad certos occultosque discursus reducenda esse, aut ad corporis dispositiones: ultimum ad naturalia dicta insomnia præcipuè attinet; nam alioquin verè divinandi aut præcognoscendi futura, citrà conjecturam, & quæ nullam in nobis habere possit passionem sui indicatricem, nulla facultas naturalis in nobis esse potest. Ita nos Christianos fateri convenit, qui omnia divinationum genera sustulimus, & antiquorum fuisse deliramenta planè existimamus: & non tantùm auguria, extispicia omnia, reliquaque id genus, quæ nec de nomine agnoscimus, negligimus & subsannamus; sed somniorum etiam præsensiones, quas quotidie experimur, quasi futiles & inanes contemnimus, & anilibus fabulis non absimiles esse affirmamus, ut rectè proindè *Cato* dixerit: *Somnia ne cures*; & optimè Macrobius *lib. de somnio Scip. cap. 3.* Nomen insomnii dicitur, non quia in somnio videtur, sed quia in ipso

47. somnio tantummodò esse creditur dum videtur: post somnum nullam sui utilitatem vel significationem relinquit. Quare ut fidem somniis adhibeam, nulla me somnia inducent; stultorum enim curam habere stultum est.

Insomniorum tractatio nobis somnambulonum historiam in mentem revocat; il-

48. lorum nempe, qui dormientes vigilantium munia obeunt: nam sicuti somniantes multa plerumque imaginantur, quæ nec sunt, nec existunt; ita somnambulones eisdem imaginationibus valentiùs commoti, non solùm fortiter circà aliqua imaginantur, sed ulteriùs eâdem falsâ apprehensione ducti dormientes insurgunt, & incredibilia peragunt, quæ vigilantes vix efficere poterant, ut scribit Aristoteles *lib. 5. de gen. animal. cap. 1.* ubi aliquos dormientes etiam videre ait: quod difficilè credi potest, quia somnambuli verè dormiunt, & in somno sensus exteriores liquantur. Ab historiis primò incipiamus. Bartolus *in l. ut vim. de justitia & jure* tradit fuisse Pisanum, qui noctu dormiens se armabat, & per urbem vagabatur cantando. *Marianus* etiam *in cap. ad audientiam* scribit se habuisse puellam, quæ dormiens è lecto surgebat, pa-

Somnambulonum historiæ admirandæ

nes-

nesque conficiebat non minori dexteritate, quàm si omninò vigilaret. Tiraquellus *Trac. de pœnis temperandis aut remittendis, causa* 5. ait fuisse Anglum quendam, qui à templo D. Benedicti ad flumen Sequanam perrexit, ibique puerum interfecit, & non expergefactus sese domum recepit, & in lectulum conjecit. Doctiss. ac Reverend. Pater *Franciscus Mendoça*, à quo ego in Eborensi academia Baccalaureatûs gradum in Philosophia accepi *lib.* 4. *viridarii probl.* 16. hominem novisse ait, qui nocte intempestâ somno sopitus ex lectulo surrexit, gladium & clypeum sibi aptavit, portam aperuit, foras exilivit, viam capessivit, urbem peragravit: quid plura? ecce tibi domum rediens, in civitatis magistratus incidit, ingenti satellitum numero stipatos, & quasi hostes impeteret, evaginat gladium, rotat clypeum, punctim cæsim nititur ferire, donec paulò post à satellite lethaliter cæsus, à somno excitatus est. Simile fuit, quod de quodam Malacensi equite narratur, qui noctu dormiens è lecto surgere consueverat, equum componebat, domo equitans exibat, armis probè munitus, & ad littus procedebat, quasi Mauris obviam iturus, qui civitatis oras frequenter infestare solebant. Adrianus Alem. *in comment. ad Hippocrat. de aëre, aquis, & locis*, de alio refert, qui Parisiis gladio cinctus Sequanam fluvium transnavit, & quendam, quem vigilans interficere proposuerat, ibi interfecit, ac post patratum scelus domum rediit. Ex antiquis scriptoribus tradit *Sextus Empyricus* de Theone Tironeo, qui dormiendo ambulabat, & de Periclidis servo, qui eodem pacto dormiens altissima tecta conscendebat. *Galenus* cùm dormientes hoc facere non posse diu credidisset, tandem propriâ experientiâ verum esse cognovit, cùm integrum fermè stadium dormiendo confecisset, quò anteà iter facere proposuerat cùm somno se dedisset; nec à somno excitatum fuisse ait, priusquam in lapidem impegisset. Ego mulierem novi, quæ cùm sorore convenerat, ut die sequenti domum illi componeret, nam gravida partum indies expectabat; quâ imaginatione cùm quieti se dedisset, dormiens è lecto surrexit, scalam humeris imposuit, portam aperuit, & plusquam mille passus progressa est: in via duo homines illi obviam facti, ubi eandem conspexerunt, quò tendat interrogant; sed cùm nullum dedisset responsum, scalæ unus manus injecit, quô factum est, ut euntem à gressu detinerent; unde expergefacta somnium & errorem agnovit, ac iterùm domum se recepit. Innumera forent exempla, quæ circà hanc rem narrari poterant; multa alia per otium lector videre poterit apud Schenckium *lib.* 1. & ibi citatos, Langium *tom.* 2. *epist.* 45. Salium *de affect. particular. cap.* 18. Horstium *lib.* 3. *epist. sect.* 1. *& lib.* 2. *cap.* 5. Lemnium *de occultis nat. miraculis* (qui præter hæc etiam integrum tractatum de noctambulis edidit) similiter apud Libavium *lib. de noctambulis*; & plures alias historias, quas in responsione attulit Fabricius lib. 3. ejusdem Horstii citato, & apud Sennertum *lib.* 1. *prax. p.* 2. *cap.* 1. Crinitum *lib.* 11. *de honesta discipl. cap.* 13. Sed inter omnes ab auctoribus adductas, notatu dignæ sunt aliquæ, quas refert Henricus ab Her *suarum obser. oppidò rararum* 2. de Sacerdote, qui in insomniis mortem sibi consciscere proponebat, quod singulis noctibus ter quaterve tentabat; quarè ei funibus multiplici nexu scienti & volenti pedes ligabantur, ac ita vinctus in lecto se componebat, quibus non proficientibus vincula, velut alter Samson, rumpebat, vel certè pedes à compedibus liberabat. Admirabilior est alia quam refert de juvene, qui in celebri academia poësim profitebatur; cui aliquando accidit, ut versus quosdam ad animi desiderium mentem in omnia versans elaborare non posset, sed quod vigil nequiverat, noctu præstitit: nam dormiendo surrexit, pluteum aperuit, scripsit, & sæpius quod scripsit, altâ voce legit, relegit, demum cum cachinno & risu sibi ipsi applausit, positisque omnibus lectum somnumque repetiit; mane omnium quæ peregerat ignarissimus, eâdem sollicitudine adhuc laborans pluteum iterum aperit, & versus ab ipso desideratos ad libitum suum compositos invenit, eosque suâ manu scriptos: quare attonitus à quonam chartæ hiatus impletus fuisset, boni, an mali genii opus esset secum dubitabat; multaque alia de eodem narrat, quæ apud eundem *ab Her* videri possunt: sunt enim admiranda satis, & omni fide majora, nisi similia essent, quæ de quodam scholastico Societatis JESU fratre scribit doctissimus Euseb. Nierembergius *lib.* 2. *Philos. curiosæ cap.* 25. qui non solum elegantissimè dormiendo concionabatur, conceptusque prudentissimè nunquàm aliàs auditos efformabat & proferebat, sed & aliquando errans sese emendabat, vivis actionibus ac magnâ energiâ omnia dictans ac si in pulpito aut in suggesto vigilans esset; aliquando etiam disputabat, multaque

 Theo-

Theologiæ obscura ingeniosissimè declarabat: aliquando etiam in humanioribus literis versabatur, dexterrimè omnia proferens, ita ut aliquando integros poëtarum libros recitaret, tres aut quatuor horas in hujusmodi insomniis durans, repentéque non paucos versus componebat; ita ut non solum omnibus admirationi esset, sed ad illum audiendum multi pernoctarent, ut ab eximia illius eruditione aliqua addiscerent: multaque alia quæ apud citatum *Eusebium* videri possunt, tàm admiranda quàm incredibilia, nisi tantæ auctoritatis & indubitatæ fidei auctorem haberent; qui eodem loco, quantum ad poëticam attinet, simili exemplo ex *Florimundo Remundo* confirmat, de Gallo quodam Lacurio dicto, qui insignem Societatis virum Clementem Puteanum, cum adhuc viveret, mortuum somniavit, pro cujus epitaphio dormiens versus elegantissimos composuit, qui sic incipiebant:

49.

Lib. de origi. Hære.

Præpete dum toties errabat ad astra volatu, &c.

qui apud ipsum videri possunt.

50. Sed circà somnambulos duo potissimùm sunt inquirenda; primum, unde eveniat, quòd illi dormientes surgant, loquantur, & multa, quæ narrantur, peragant: secundum, unde accidat ut tanta peragentes non lædantur, cadant, & in maximas offensiones impingant? Circa primum Rhodiginus *lib. 30. cap. 9. antiq. lect.* causam reddit, quòd multus sit motus, & multa perturbatio, nec tamen valida adeò, ut etiam somnum convellat. Sed breve hoc, & obscurum: melius Sennertus *lib. 1. prax. p. 2. cap. 19.* quòd partes ad motum dicatæ imperentur à loco-motiva stimulata ab appetitu à phantasia concitato, quæ objectum aliquod in somno oblatum cognoscens, illud appetitui vel fugiendum, vel appetendum & prosequendum offert; & cum voluntas, quæ in vigilantibus imperium in loco-motivam habet, in somno aut parum, aut nihil concurrat, hinc est (ait idem) ut somnambuli non solùm à phantasia & illius objectis commoti surgant, sed damnum disjudicare non valentes in pericula se conjiciant, tecta ascendant, & in loca ferantur, in quæ vigilantes non auderent: causam verò proximam statuit, quòd appetitus in his sit fortior & vehemens, loco-motiva agilior, & summa ad res expediendas alacritas, imaginatio verò debilior; unde fit, ut ratiocinatio phantasiæ segniter operantis ope destituta, nullas in somno consideret circumstantias, & memoriâ quiescente phantasiæ errores non corrigantur. Hinc evenire ait, ut nec pueri, nec senes, sed adolescentes hoc malo laborent, quia appetitum habent fortem, & affectibus facilè ducuntur; & ut *Laurentius* addit, huic affectui sunt obnoxii, qui sanguine spumante & multo fervidoque spiritu abundant. Multa alia apud eundem *Sennertum* legi possunt, quæ tamen proximam hujus eventus causam nondum explicant; meo enim judicio hæc est, quia in aliquibus somnus totam animalem facultatem non extinguit, nec illius spiritus omninò retrahit & cohibet, sed sufficientes manent; ita ut ab appetitu & phantasia imperati motum excitent; qui quidem motus cum potentia motrice imaginationi tunc imperanti, & reliquorum sensuum defectum supplenti submittitur & subjectatur.

51.

Lib. 4. nat. quæ. 11.

52. Secundum est, quarè maxima pericula subeuntes non lædantur? ferunt enim quòd tecta conscendant, parietes descendant, & aliquandò puteos intrent, & multa alia, quæ vigilantes minimè facere potuissent; ut de quodam nobili narrat *Iacobus Horstius*, qui nudus è lecto surrexit, indusium manibus gestans, ac per fenestram quam aperuit correpto fune à trochlea pendente in domûs fastigium ascendit, & in picarum nidum incidens pullos indusio involutos secum abstulit, ad lectum rediit, & actorum immemor probè dormivit: manè verò fratribus duobus in cubiculo dormientibus instar somnii, id quod reverà fecerat, recitavit; posteà verò indusium quærens, illud pullis picarum circumdatum invenit. Sunt itaque, qui corporis levitati spiritibus turgentis causam adscribant. Alii miraculosas operationes animæ concedentes, abstracti spiritûs vi hoc fieri tradunt; in cujus confirmationem afferunt illud, quod *Trithemius* narrat *in 3. quæst. Imperat. Maximiliani*: ait enim, cùm scholasticus esset, & cum duobus aliis in lecto dormiret, ex his unum, qui apud se erat, somno sopitum è lecto surrexisse, & summâ agilitate totam domum pervagatum esse, parietes quoque conscendisse, terque suprà lectum transiisse consodales calcando, qui tamen nullum ponderis sensum in transitu senserunt, ac nil magis quàm si mus suprà eos transiisset; addit etiam portas omnes eunti sese aperuisse, ac denique quòd ad cubiculorum tecta tanquam passer volaret: quæ tamen mali alicujus spiritûs vi potius

53.

tius fieri potuisse credendum est; quàm animæ, quomodocumque abstracta consideretur, quia ad tales operationes nullas vires obtinet.

Sennertus & *Greg. Horstius* aliam causam statuunt; nempè quòd, cum sensus somno ligati sint, solo appetitûs ductu absque ulla considerantia & metu actiones suas aggrediantur, omniaque intrepidè audeant, nihil periculi perpendentes: undè spirituum constantia adjuvat ad illa perpetranda, quæ ob metum vigilantes non auderent; nam vigilantibus in periculis obeundis advenit consternatio & metus, qui spiritus omnes intus recurrere facit; unde partes externæ magis debilitantur, & sic non solùm impressiones magis sentiunt, sed ad operationes ineptiores redduntur: sic enim (ajunt) in ebriis & delirantibus similiter ea fieri eâdem temeritate videmus, atque ea pericula aggredi, quæ sobrii & sani facere non possent. Sed licèt hæc optimè dicta videantur, tamen somnambulonum audaciam & conatum tantummodò probant; sic enim ait Laurentius lib. 4. anat. quæst. 12. *Omnia denique audent intrepidè, quia imaginatio vaporum caligine consopita pericula non agnoscit*: sed ad illud quod quæritur, quarè sic faciendo ab ingentibus periculis, casibus, offensionibus & multis aliis liberentur, non satisfaciunt; quarè cum nulla alia ratio congruentior occurrat, *Paracelso* potius assentiendum judico, qui Angelo Custodi hoc tribuit. Hujus morbi (si talis dicendus est) curatio, refrigerante victus ratione, bilis expurgatione, ac tandem narcoticis somnum inducentibus, & acres calidos ac fumosos vapores attemperantibus perficitur, ut videre est apud Sennertum, Zacutum, *lib.* 1, *prax. mirandæ obs.* 43. Fonsecam *tom.* 2. *consilio ultimo*, qui etiam de somnambulonibus pulchras historias adduxerunt; ut etiam Delrius *disquis. magic. lib.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 3. Tandem in quæstionis hujus fine superpondii loco hoc addere placuit admiratione dignum, quod *lib. de oraculis* scribit Plutarchus, Clionem & Dauliam per multos quibus vixerant annos nulla unquam insomnia vidisse.

Circà venerem rara.

QUÆSTIO TRIGESIMAOCTAVA.

An in viris extet aliquod signum, quòd fœminam iniisse arguat?

Illud inprimis monendum duximus, si aliquid in hac venereorum tractatione minus pudicum legatur, quod legentis castissimas aures offendere possit, nobis obsecro condonandum, cùm in hujusmodi materia aliter fieri non posse nemo non videat; alioquin etiam sua cuique quod fas sit dixisse maximè prodest ut *Plinius* dicebat *lib.* 28. *cap.* 6. rectè siquidem in simili materia *D. Augustinus* 14. de civit. Dei cap. 27. *Quisquis ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat non naturam; facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis*, Virginitatis signa in homine quærere apud medicos parvi momenti aut necessitatis res est, imò certitudinis admodum dubiæ; quarè factum est, ut paucissimi hanc quæstiunculam ex professo tractaverint, obiter tantùm paucula dixisse contenti: sed quando delectabile non minùs quàm utile opus consignamus, aliqua de hac re proferre amœnitatum cultoribus non puto fore injucundum. Propria itaque & positiva, ut ita dicam, virginitatis signa in homine invenire haud facile judico; siquidem nec vocis acuties, nec genitalium glabrities, nec glandis præputii contectio, aut hujuscemodi alia, virginitatis certitudinem aliquam nobis stabiliunt: nam vocis acuties & in effœminatis quandoque hominibus, qui fœminam jam agnoverunt, aliquandò invenitur; satis enim non sunt unus vel duo concubitus, ut statim vocem emutent: glabrities etiam genitalium licèt in pubertate plerumque pilis vestiatur, cùm multùm differat natura à natura, accidere potest, ut aliquis fœminam prius agnoscat, quàm pili erumpant, aut in aliis prius exeant quàm concubitu fruantur: nec etiam ei qui pilis caret, si fœminam ineat, statim illâ aut sequenti die pili erumpunt, licèt coitus ad illorum exitum

multùm adjuvet. Tandem glandis illa contectio nil confirmat, quia & post primum coitum potuit iterùm glans à præputio contegi, & sicuti anteà erat permanere; imò sæpiùs sine ullo coitu retrò impellitur: unde sicuti detectio coitum jam factum arguere non potest ob rationem dictam; ita nec contectio virginitatem asserit. Igitur per antiphrasim potius, & à signis, quæ hominem jam corruptum ostendunt, talem existere possumus expiscari, ita ut pollutum & Venere delibutum agnoscendo de virginatum agnoscamus: quòd si talia deficiant signa, quæ etiam admodum difficilia sunt, virginitatis laudem adhuc illi deberi fatebimur. Erit ergò dubitatio, ut ab hac nos expediamus, de signis hominis venere jam abutentis, & an investigari possint certa, quæ & qualia sint inquirendum.

Adnotatum itaque est non unum, aut alterum sufficere ut in talem cognitionem deveniamus, cùm fallacia plerumque hujusmodi signa existant: sed si omnia ferè concurrant, aliquâ forsan certitudine dicere possumus, hominem cum fœmina rem habuisse; aut non habuisse, si prorsùs deficiant. Si itaque tria illa jam dicta signa in aliquo inveniantur, nempè si pectinis pars pilis obducta, voxque, quæ anteà acuta erat, asperior reddatur, & præputii perfecta, libera, facilisque detectio sit, hæc sane multum ad conjecturam faciendam adjuvabunt, præsertim si pilorum in dicta parte exitus circà pubertatis annos citiùs aliquantulùm erumpat, barbâ exitum remorante: nam cum in utraque parte natura ad idem fermè tempus lanuginem moliatur, ut hominis virilitatem promat; tamen si coitûs legitimum tempus præveniat, agitatione illius concalefacta pars inferior, rarior fit, ac magis attrahit; unde citius quàm debebant, in eadem pili erumpunt. Similiter cùm in coitu accidat fricatio, necessariò glans detegitur, & præputio retracto detecta permanet; imò membrana illa quæ veluti frænum glandem alligat, non raro rumpitur; quod si inveniatur, probabiliter hominem jam concubuisse dixerimus: ad cujus confirmationem faciet, si vox, quæ paulò anteà acuta, & qualis fœminarum est, audiebatur, in asperiorem jam mutata fuisse notetur; majus enim tunc indicium se offert, & probabilius pollutum jam fuisse conjectandum. Hac ratione antiqui eos adolescentes, in quibus acutam vocem servare studebant, infibulabant; de qua operatione agit Celsus *lib.* 7. *cap.* 25. sed quia prædictum vocis asperioris redditæ signum majoris efficaciæ inter reliqua habetur, ratio reddenda, quare à coitu accidat, ut protinus acutus vocis sonus deperdatur, & in asperiorem & crassiorem transeat, cum notissimum illud sit omnibus illis, qui acutam vocem conservare desiderant, ut in musicis melodiis non raro evenit, à coitu maximè abstinendum fore: in qua re miror *Hieronymum Mercurialem* virum omnium calculo doctissimum in hac reddenda causa tantum cæspitasse, cum 6. *variarum* 6. vocem mutari, vel collum augeri à coitu, ideò accidere dicat, quòd semen à capite, secundum *Hippocratem* & alios veteres, per colli vasa feratur; sicque vias illas ampliores reddat; vel quòd corpore à coitu magnoperè agitato, spiritus & humores circà collum adjungantur, atque in majorem molem attollant, atque ita vasa distendendo, & ampliora faciendo crassius reddatur collum, & vox gravior & asperior producatur: quam sententiam mutuatis ab eodem verbis Rodericus à Castro *in med. pol. lib.* 4. *cap.* 12. secutus est: uterque tamen falso nituntur fundamento ab Hippocrate *lib. de genitura* deducto; nempè quòd semen à capite descendat: ab omnibus enim ferè medicis hoc tanquam falsum rejicitur, ut latiùs advertit And. Laurentius, & uberiùs Pet. Garcia *super Avam. disp.* 35. *cap.* 3. ut quæstione 56. fusiùs demonstrabimus *Hipp.* tamen, ut prædicti auctores ajunt, condonandum, quòd ejus tempore anatomica ars rudis, & parùm culta extiterit, nec illius usum satis *Hippocrates* callueri.

Mercurialis, & à Castro opin. de seminis descensu à capite taxatur.

2\.

3\.

4\.

5\.

Lib. 1 *nat. quæst.* 4.

Potius ergò dicendum est, tantam à coitu fieri vocis mutationem ob testium cum vasis thoracis ingentem sympathiam, ac proindè cum vocis instrumentis; quod ipsi *Hippocrati* satis notum fuit, qui 1. *epid. sect.* 1. siccas tusses cessare ait superveniente testium inflammatione, quod *lib.* 2. *sect.* 1. iterum fatetur, & *sect.* 5. ejusdem *lib.* 2. In quibus omnibus locis prædictum consensum probavit Vallesius, & Laurentius *lib.* 7. *quæst.* 5. latius patefecit, vias genitalium partium & uteri in fœminis non ad mammas solum & pectus, sed ad vocis etiam instrumenta conspicuas esse declarans; unde etiam in pleuritide & perpineumonia pus per inferiorum partium abscessus maxima cum utilitate excerni animadversum est. Quarè etiam culpandus venit *Peramatus*, qui *lib. de evacuandi rat. cap.* 32. malè hunc genitalium cum pectore consensum ad causam occultam refert; cum trium

6\.

va-

vasorum, venæ scilicet, arteriæ, & nervi, manifestos ductus à thorace ad testium partes distinctè citatus *Laurentius* commonstret, ut & reliqui anatomici satis patefaciunt: quarè vocis illa mutatio sive ex coitu, sive ex ætatis mutatione, ad calefactionem testium semine jam & spiritu turgentium referenda est; cujus occasione supernæ partes, quibus manifestè consentiunt, magis dilatantur & calefiunt: quod evidenter in eunuchis apparet, in quibus ob testium defectum & caloris, qui ab ipsis communicabatur, vox perpetuò gracilis & qualis fœminarum est manet, ob vocalium instrumentorum angustiam, ut 1. *prorrhit. comm.* 2. Galenus docet; & quod magis est, in castratis non vocis sed gulæ quoque ductus coarctari videntur, undè non solùm vox illorum gracilescit, sed & alimenta crassa, quæ non ita facilè permeant, edere recusant, ut advertit Jul. Cæsar Baricellus *in hortulo geniali*, qui malè hoc ad nimiam gutturis pinguedinem refert, quæ fauces coarctando angustiores reddit.

Sed prædicta signa ad virginitatis conjecturam faciendam sufficere non videntur, ut supra dicebamus; siquidem ætatis solùm ratione hominibus advenire possunt, absque eo quòd aliquandò veneris amplexum fuerint experti; quoniam ut idem *Galenus* monet 6. *de morb. vulg. com.* 4. *textu* 27. acuta vox pubertatis solùm ratione fit gravior, & pili in locis genitalibus erumpunt, testes subitò increscunt; quemadmodùm virginibus mammæ extuberant, unaque & menses fluere incipiunt. Quæ cùm ita sint, quartum signum plerique addunt, nempè virulenti & hircosi odoris nescio quem fœtorem à corporibus eorum, qui venere utuntur, exhalantem; talem hircinum odorem in meretricibus non rarò, & in noviter nuptis, & universim in aliis qui nimiùm veneri indulgent, conspicuè persentimus; utpotè qui immodico coitu abutentes tantæ virulentiæ causam promptè concipiant & facilè expirent. Aristoteles 4. *probl.* 13. & 25. hujus virulenti & caprini fœtoris causam inquirens sic ait: *Quæ incocta sunt, tum sapores habent deteriores, salsiores, & amariores, tum odores reddunt fœtidiores; contrà verò, quæ concocta maturaq; sunt, sapores aut dulces, aut minùs amaros, & odores suaviores præstant: patet hoc ex omnibus terræ stirpibus, ac animantibus ipsis; detractis autem quæ matura concoctaq; sunt, cætera cruda relinquuntur, ut & in cinere, portione dulci consumptâ, pulvis amarus relinquitur, & sudor quoque salsus eadem de causa est; calor autem naturalis semen genitale concoquit, quod quamquàm exiguum est, vim tamen obtinet maximam; quippe quod ex multo admodum tam exiguum constitutum est. Quamobrem ubi id secessit, resolvimur magna ex parte vehementiùs atque refrigeramur: itaque incoctiores humores redduntur patefactis meatibus propter seminis excursum; quo fit ut sudor & salsior & fœtidior tunc sit, quàm in puerili ætate, præcipuè sub alis, ad quem locum tanquam ad hepatis & cordis emunctorium humores uberiùs confluunt.* Hæc *Aristoteles*: causa igitur istius putoris (dicebat Langius *tom.* 2. *epist.* 6.) crudi humoris copia est, in venoso hepatis vasorum genere sui concoctionem, & per sudorem aut lotium evacuationem indicans. Eodem modo Hier. Montuus, *p.* 2. *med. cap. de causis fœtoris*; ubi quærit, cur pueri & puellæ virgines non fœteant antè coitum, sed statim cùm coierint, fœtere incipiant? Quod accidere refert, quoniam præcipua membra ex coitu debilia facta, excrementa in majori copia ad emunctoria transmittunt, quæ non difflata, & retenta putrent, & fœtorem concitant. Quæ omnia quantumvis vera videantur, & ab *Avicenna* approbentur, potius tamen dicendum existimo, caprinum illum odorem à seminis commotione & exhalatione provenire; quod cùm antea suis in vasis quietum maneret, venere agitatum vapores illos per omnes corporis vias ac meatus diffundit, qui per poros unà transpirantes, hircosum illum odorem aut fœtorem exhibent, cujusmodi calidi & dissoluti amyli odor est; & magis in illis qui frequentiùs concumbunt, debilitatis vasis & inconfecto semine putredinem & impuritatem aliquam concipiente, quâ tunc virulentius redditur, & sui fœtoris majora præbet indicia, & ob ingentem commotionem facillimè illius vapor per omnia corporis vasa subit, & unà cum reliquis excrementis transpirat, quorum odorem ac vim superat ob materiæ præstantiam & energiam. Quarè in pueris & puellis non percipitur donec hircire incipiant, ut 6. *epid. com.* 4. loquitur *Hippocrates*: tunc enim jam copia in vasis congesta aliquam sui notam exhibet, incipientibus jam turgescere genitalibus, & copiâ seminis crescente; *Tunc enim* (ut cum *Capivaccio* loquar) *vis seminis generatrix excitatur, & semen qualitatem quandam realem toti corpori impertitur, unde humores & excrementa corporis à pristina bonitate desciscunt, caroq; universa similem affectionem contrahit*: sed multò magis coitu dilatatis vasis, & semine commoto; ex sui enim natura

Marginal notes: 8. — 9. — 10. — Lib. 4. f. 7. trac. 7. c. 3. — Lib. de notis virgin.

ra & propria substantia caprinum & hircosum illum odorem diffundit, potiùs quàm ab excrementis aliorum humorum, crudorum licèt; quæ potiùs talia redduntur ob seminalis vaporis consortium, dictum fœtorem communicantis. Hinc castratorum animalium carnes suaviores sunt, & jucundiores; non castratorum verò insuaves, sive venere utantur, sive non: quantumvis in his, quæ venere utuntur, conspicua magis appareat mutatio, & caprinus odor. Esto igitur inter reliqua potissimum signum congredientis jam seu viri, seu fœminæ, hircum olere: quoniam verò excrementa in majori quantitate per alas diffunduntur, & seminis virulentia ad pectoris hepatisque partes, cum quibus genitalia maximè consentiunt, potissimùm communicantur; hinc fit ut per illam partem promptiùs emanet fœtor, & hircosos sic fœtentes dicamus. Hinc Horatius *epod. 2.*

11.

—— gravis hirsutus cubat hircus in alis.

& Catullus:

Valle sub alarum trux habitare caper.

12. Superest & Antiquorum quoddam experimentum, de quo *Hieron. Mercurialis* miratur nostri temporis medicos ad corruptas mulieres agnoscendas nil de hujusmodi signo meminisse; solebant enim dum nupta primâ nocte cum marito concubitura erat, illius collum circumdato filo mensurare; postero mane eodem filo iterùm mensurabant: quòd si latius quàm ut filo comprehenderetur collum inveniebant, eâ nocte defloratam fuisse pro certo habebant; si verò collum nihilo crassius evaserat, adhuc pro integra habebatur, aut antea devirginatam fuisse suspicabantur. Hujus consuetudinis præ cæteris meminisse videtur *Catullus*:

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.

In nup. Pelei Thetid.

Sed de prædicta consuetudine alii alia proferunt; scribunt enim, si filum ab extremo nasi ad coronalis suturæ medium, & finem sagittalis, per glabellum & frontem mediam extensum, collum deindè ejusdem puellæ intrà se comprehendere possit, virginem adhuc permanere, ut ex aliis refert *Severinus Pinæus*. Recordor me, dum puer essem, de hoc experimento cum aliis non rarò lusisse: quarè illius notitiam non penitùs abolitam fuisse patet, siquidem hujus rei memoria apud multos invenitur, usum tamen nostri ævi pudicitia vetuit; & utcunque sit, experimentum non sine ratione adducitur, cujus ratio & causa eadem est cum illa, quam de vocis mutatione adduximus, de qua in sequenti quæstione latior erit sermo. Velim tamen advertas prædicta omnia conjecturâ quâdam artificiosâ probabilitatem aliquam afferre, certitudinem nullam; quia signa ante dicta, & omnia alia, quæ circà hanc rem dici possunt, & in homine post veneris usum quandoque inveniuntur, etiam ex ætatis tantùm permutatione provenire possunt, ut suprà ex *Galeno* dicebamus, & uberiùs advertit doctissimus Petrus Garcia *in fine disputat. suarum de locis affect.*

Lib. 1. notis v. cap. 5.

13.

QVÆSTIO TRIGESIMANONA.

An in fœminis virginitas aliquibus signis explorari possit?

QUando igitur in homine integritatis & illibatæ veneris signa, (quæ licèt semper virtutis magnam prærogativam afferant, non ita tamen ac in fœminis desiderantur, utpote quarum pudicitia, & incorrupta castitas, omni major dote venit æstimanda) jam inquisivimus: videndum án in puellis, adultisvè fœminis illarum virginitas aliquo pacto possit explorari, & incorrupti pudoris inviolatæque castitatis certa aliqua indicia habere possimus; cum ex judicum decreto à nobis aliquando ista cognitio petatur. Omissis igitur superioris quæstionis signis, quæ uno dempto ad utrumque sexum conducere satis est notum, de illis tantummodò nunc agemus, quæ ad virginitatem in fœminis indagandam peculiaria sunt. Primò igitur afferemus ea, quæ exteriùs admota notitiam aliquam præbere creduntur. Secundò ea quæ ex ipso corporis statu, & genitalibus deducuntur. Tertiò illa, quæ in primo veneris congressu desiderantur.

1.

Pli-

Plinius *lib.* 26. *cap.* 19. de gagate lapide agens, *Fugat* (inquit) *serpentes, recreatq; vulvæ strangulationes; deprehendit sonticum morbum, & virginitatem suffitus.* Modum verò quo hoc faciat, ibidem indicat *Dalechampius*, quòd à virgine jejunâ potus statim urinam provocet: sed magna hîc *Dalechampii* fuit æquivocatio, ut ex multis aliis colligitur; quia gagates fœminæ in potu exhibitus, si corrupta est, urinam statim movet, si integra minimè. Sic *Anselmus Boetius* de gemmis & lapid. lib. 2. cap. 165. *Virginitatem* (inquit) *prodit non solum suffitu, sed potu; nam si pulverem bibat virgo, non urinabit; si corrupta sit, urinam retinere non poterit.* Idem scribit *Mizaldus*, qui ait: *nam si illicò lotium ei promoverit, corruptæ virginitatis indicium erit; sin minùs, contrarium pollicebitur.* Confirmant Weckerus *lib.* 5. *de secretis*, Barth. Anglicus *de propriet. rerum lib.* 16. *cap.* 49. qui omnes cum *Porta* in hoc conveniunt. Idem experimentum ajunt accidere, si succinum electrúmve eodem modo exhibeatur, & jejunæ puellæ cum vino intùs sorbendum propinetur: quippe si carnis sensit maculam, urinam statim provocat; minimè si adhuc intacta persistat. Simile quid dicunt evenire, si portulacæ semina, aut bardanæ folia, quam personatam appellant, prunis inspersa ad suffimentum substituantur, & virginitatis proditor fumus assurgat, infundibuloque vulvæ ostiolo admoto sursùm permeet: projicit namque extemplò urinam, si veneris labem sustinuit; si coitûs ignara, irritè suscepit, & urinam continet. Præter hæc ex mictione suprà malvam viridem nescio quæ inculcant, ex sonitu & exeuntis urinæ impetu: nam *Bonaciola, Guillielmus Placentinus, & Codronchus* scribunt, virginis urinam exeundo acutiorem & subtiliorem facere strepitum; imò ejusdem lotium tenuius & clarius esse, quàm corruptæ *Codronchus* ait, longiusque expelli, quòd majori impetu exeat, & per canalem angustiorem, veneris defectu nondum calefactis & dilatatis viis: quibus tantùm fidit *Weckerus*, ut homines iis sensum denegantes stultos magis se fateri velit, quàm veritatem comprobare. Confirmat Scaliger comment. lib. 2. hist. animal. Arist. t. 51. ubi sic ait: *Virgines ad parietem etiam alto jaculatu emittere urinam queunt; corruptæ nec retrò quidem reddunt, sed coxim conquiniscentes.* Nec omittendum quod idem *Guillielmus* scribit, Achatem gemmam in pollinem redactam, & exhibitam statim vomitum promovere si corrupta est, virgini non ita.

Cent. 7. memorab. nu. 12.

In method. testif. c. 11.

Ex ipso etiam corporis statu, præter illa quæ ex urina & illius exitu jam diximus, ex narium quoque epistomiis seu pinnis sunt qui aliquid conjiciant; quasi pars illa patula magis reddatur, cùm antea acuminata magis & acutior conspiceretur: quin non ita nitida ac tersa apparet tota facies, flore jam veluti spoliata. Addit *Ioan. ab Indagine*, si cartilago, quæ in apice nasi est, dividi se permiserit, atque attactu digiti quasi findi videatur, corruptum, vel corruptam esse indicare; quod etiam tradit Michaël Scotus in Physiog. cap. 10. *Virgo* (inquit) *in tactu pilulæ nasi dignoscitur, quia cartilago est solida; & cùm est semel corrupta, sentitur partibilis.* Quomodò autem ex collo signum veteres indagârint, jam in præcedenti quæstione diximus; quod iterùm Mercurialis repetit 5. *aph.* 59. & 2. *de rat. vict. in morbis acut. com.* 44. ubi & aliam affert rationem, ob quam illa pars à coitu magis dilatetur; *Quia* (inquit) *venere maximè compatiuntur spiritus vitales, ut dilatatus vasis hoc sit signum habitum olim.* Sed congruam hujus eventûs rationem jam antè attulimus, naturalem prorsùs & nullo dolo fucatam: quare *Villalpando* assentiri non possum, qui *cap.* 24. *lib.* 1. *magiæ divinat.* hoc ad superstitiosam & vetitam obstetricum mangoniæ artem, qua virginitatem per Parthenomantiam explorabant, rejiciendum putat, hodieque in usu pravo esse contendit. Sed cum merè naturaliter colli illa crassities accidat, ut Mercuriali & Acastro visum est (quorum opinioni ego subscribo) nil superstitiosi invenio; imò inter alia signa hoc non contemnendum judico; nec minùs vocis mutationem ob eandem ferè causam: quo tantùm signo ferunt *Albertum Magnum* ex musæo suo puellam ex œnopolio vinum pro hero asportantem in itinere vitiatam fuisse deprehendisse, quòd in reditu subinde cantantis ex acuta in graviorem mutatam vocem agnovisset. Nec aliter de perspicacissimo *Democrito* refert apud Laërtium Athenodorus, qui puellam Hippocratis comitem conspicatus ita salutavit: *Salve virgo:* postridiè verò, quòd vocem mutatam adverteret, (alii ex aspectu solùm) eam illâ nocte vitiatam cognovisse ait; quarè iterùm salutans, *Salve mulier* dixit. Quòd si quale *Democrito* aut *Alberto* diligentissimis & acutissimis naturæ indagatoribus, tale nobis fuisset ingenium & mentis subtilitas, non ita in indagandis signis oportebat nos tam sedulò inquirere, & solicitos esse.

Lib. 2. introduct. in physiog. cap. 4.

Mam-

8. Mammæ etiam non parvam notam exhibent, quæ sicuti in pueris post secundam annorum septimanam, ab anno scilicèt 14. fratrare incipiunt, in ejusdem ætatis puellis à 12. fermè sororiare conspiciuntur; & licèt in majorem molem accrescant, intrà quosdam tamen naturæ limites se continent per totum tempus quo à veneris usu fæmina abstinuit; notabilem exinde dum congrediuntur magnitudinem suscipientes, ob uteri & mammarum conspicuum per venas consensum; per quas natura illarum tunc incrementum adjuvat, quasi conceptûs provida mox contingenter futuri. Quod signum passim obvium licèt, & ab omnibus notum, tamen non ita certum, ut ex eo deperditam virginitatem statim colligere debeamus; cùm non raro in aliquibus coitum nondum perpessis, ita aliquando mammæ luxurient, ut gravidarum ubera æquent, & non minùs quàm in illis extuberent; quod ob peculiarem naturam, partis robur, caloris in eâdem excessum, & attrahendi vim accidit: quo fit ut etsi raro, aliquando tamen conspectæ sint virgines non adauctis mammis solùm & tumentibus, sed abundanti etiam lacte refertis; ut in quadam adnotavit *Christophorus à Vega*, quæ de pudicitia jam malè audiebat, & graviditatis erat rumor; quem falsum fuisse eventus comprobavit, cùm fluentibus statim mensibus, ex quorum suppressione lac in mammis collectum fuerat, quàm citissimè lac defecerit: quippe ex hac causa in eisdem aliquando colligi tradunt *Ioubertus*, *Laurentius*, *Alex. Benedictus*, *Zacchias*, & alii plures. Quarè hujusmodi signo tanquam incerto minimè fidendum, ut alicujus pudicitiam læsam statuamus; nisi cùm aliis notis simul adjunctis certi aliquid inferre possimus. Præter hæc etiam in mammis considerantur papillæ, quæ in corruptis lividæ magis conspiciuntur, in virginibus rubicundiores.

Ex papillis.

9. Inferiùs tandem descendendo pudendi fœminei partes perscrutari oportet, ubi potissimùm virginitatis claustrum natura deputavit; quamvis incorrupta hæc virtus à mente potius & cupiditate, si integra servanda est, nullo libidinis œstro maculata, petenda sit; *Nec enim* (ut Lactantii verbis utar) *dici potest illibata castitas, ubi conscientiam cupiditas coinquinavit.* Tamen videndum est, an in secretis illis generationis partibus seras aliquas posuerit natura sponsali thoro reserandas, sigillóve aliquo obsignaverit; ut hoc dissolvens sponsus castitatis novæ nuptæ palmam præriperet, conjugalique amore magis devinctus obstringeretur, ipsaque suæ honestatis & pudicitiæ apud maritum indubitatam ac integram famam servaret, quâ illi charior foret ac amabilior: nec enim hoc immeritò suspicari possumus, quando ipsa hominum consuetudo & honoris lex non parùm adjumenti aut dedecoris ex ipsa servata, aut contempta castitate reportet; de quo elegantes sunt *Catulli* versus.

> *Vt flos in septis secretus nascitur hortis*
> *Ignotus pecori, nullo contusus aratro,*
> *Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber;*
> *Multi illum pueri, multæ optavêre puellæ:*
> *Idem cùm tenui captus defloruit ungue*
> *Nulli illum pueri, nullæ optavêre puellæ.*
> *Sic virgo dùm intacta manet, tum chara suis, sed*
> *Cùm castum amisit polluto corpore florem,*
> *Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.*

Ex pilis pudendi.

10. Itaque ad pudenda jam accedendo primùm se offerunt pili, qui in mulieribus crespiores; in virginibus lenes, longi, ac minimè tortuosi erumpunt: quippe in illis quæ coitu utuntur, partes illæ incalescunt, ac ideò materia pilorum magis adusta redditur; undè fit, ut non ita lenes ac blandi pili oriantur. Præter hoc apud antiquos aliquid aliud pro certo virginitatis signo habitum fuisse, non est cur dubitemus. Proptereà apud ipsos Hymen pro nuptiarum Deo & Præside, & pro ipso hymno in virginum nuptiis cantari solito apud poëtas acceptum legimus: hinc idem *Catullus* in celebri

11. Juliæ & Mallii epithalamio *carmine* 62. toties illum decantat & invocat:

> *O Hymenæe Hymen*
> *O Hymen Hymenæe!*

repetit multoties:

> *Io Hymen Hymenæe io,*
> *Io Hymen Hymenæe!*

Quod nomen & Deo & cantui imposuerunt, sumptâ metaphorâ à quadam tenui tunica, quæ virginitatis claustrum servare putabatur, *hymen* dicta, quam etiam *eugium*, *Vir-*

virginitatis claustrum, integritatis argumentum, castitatis monumentum, florem virgineum, panniculum virginalem, germen floris, claustrum virginale, centonem, interseptum virginale, custodiam, sigillum, & columnam virginitatis appellabant; quam violator primo concubitu rumperet ac divelleret. Unde apud *Navium* antiquissimum poëtam.

Sine eugio puellam invenit.

Hinc Laberius: *Quarè tam arduùm ascendis? an concupiscis eugium scindere?* & idem: *Quanam mens, quæ deliritas vos suppellitores facit cum cano eugio puellitari?* Aliter etiam zonam appellabant, & à poëtis castitatis zona communiter dicta est; unde apud Græcos λυσίζωνοι devirginatæ puellæ vocabantur, & apud *Catullum* zonam solvere virgini, est eam corrumpere: propterea apud illos, & apud alias nationes nova nupta zonâ quâdam cingebatur, quam sponsus solvere primum debebat; de qua consuetudine, & multis aliis legendus *Alexander ab Alexandro.* Constat igitur prædictam membranam à Græcis primò agnitam fuisse, minimeque ab Arabibus inventam, ut malè sentire videtur *Marcus Anton. Vlmus.* Ipsi tamen Arabes eandem in fœmineo virginum pudendo inveniri confirmârunt, ut ex *Avicenna* constat, cum quo convenit Averroës *tract. 1. collect. cap. ult.* approbat Nicolus Florentinus *serm. 1. tract. 1. cap. 7.* in eadem sententia fuerunt posteà quamplurimi, Scaliger *exercit. 175. sect. 1.* Vesalius *lib. 5. de fab. corp. hum. cap. 15. editionis posterioris,* Fallopius *in obs. anat.* qui nerveam, non carneam esse dicit, V.Vierus *in obs. & lib. 3. de præstigiis. cap. 19.* ubi ait toti puellarum generi, nullâ exceptâ, donatam ab initio hanc fuisse membranam. Tenent idem Coytarus *in tabul. anat.* Platerus *lib. de hum. corporis structura,* & inter recentiores Adrian. Spigelius *cap. 18. lib. 8. de hum. corp. fabrica,* qui etiam ridendos ait esse omnes illos, qui nunquam, aut qui raro admodùm inveniri dicebant, nec nisi præter naturam adesse existimârunt; se enim in omnibus, quas secuit, virginibus semper eam invenisse scribit, & in publico theatro demonstrâsse; imò si desit, hoc præter naturam evenire statuit, vel petulanti manu, aut humorum defluxu ruptam, aut erosam: quam eandem opinionem tenet & approbat Gaspar Bartholinus *in institution. anatom.* Schenckius 4. *observat.* 94. cum Aquapendente, qui ex multorum testimonio scribit non esse nugas, quod de hymene statuitur. Eodem modo concedit reperiri prædictam tunicam Archangelus Picolomineus *lib. 3. prælectionum anatom. lect. 9.* Vidius *lib. 5. anatom. cap. 10.* Cypræus *in sponsalibus cap. 13. §. 41.* & Alexander Benedictus *lib. 2. anatom. cap. 24.* Mercatus *quæst. 97.* quorum tandem assertum sequitur Joannes Riolanus *lib. 2. antropog. cap. 23. & lib. 2. enchirid. anatom. cap. 36.* Horum omnium auctoritati favere ajunt, quòd in causa dirimendi matrimonii inspectio de jure pontificio admittitur; ut *ex cap. proposuisti, & in cap. causam matrimonii, de probationibus,* constat: quod non fieret, si nullum ibi virginitatis signum subesset.

2. | Lib. 2. dierum gen. cap. 5. | Fen. 21. lib. 3. tract. & cap. 1. & tract. 3. cap. 10. ejusdem lib. | [marginal fragments: ...n qui ...res ...ssir-]

Sed licet tot ac tam celebres viri pro affirmativa parte inveniantur, non desunt tamen doctissimi alii medici, & diligentissimi anatomici, qui econtrà negare audeant, & minimè reperiri audenter asserant. Inter quos præcipui sunt Marcus Anton. Ulmus *sect. 1. de utero mul. cap. 7.* ubi ait, se ab adolescentiæ annis ad juvenilem usque ætatem puellarum continenter anatomicis dissectionibus sedulò incubuisse, & hujus membranæ inveniendæ causâ abortus plures octimestrium puellarum, & à partu per hebdomadam, sequimensem, aut à mense demortuas; item unius, duorum, trium, & quatuor annorum, & ad septimum usque dissecuisse, nec tamen hujus membranæ vestigium invenisse ullum; ideoque in dictis ætatibus non in adultioribus fecisse, ne ulla violationis adesset suspicio: quarè dictam membranam pro fabula habendam judicat, quæ ab Arabibus forsan dimanaverit; & si quando inveniatur, præter naturam adesse existimandum putat. Eodem modo Laurentius, *Anatom. lib. 7. quæstion. 13.* qui reliquos insignes Galliæ medicos, *Rondoletium* nempè, *Sylvium*, *Fernelium*, *Carolum Stephanum*, & alios secutus, similes dissectiones in prædictis & grandioribus fecisse ait, imò spiculum ad uteri os internum demisisse, nilque quod resisteret invenisse; quare figmentum esse putat, & si quando adsit, præter naturam accidere, & ad morbum organicum, vitiosamque conformationem referendum

3. | [marginal fragments: ...en qui ...nt.]

esse scribit. Nec aliter *Paraus*, qui puellas à trimatu usque ad annos 12. dissecando eandem exquirens, nunquam reperire potuisse ait: quibus subscribit Franciscus Ranchinus *tract. de morbis virg. sect.* 1. *cap.* 4. & propterea imaginariam hujusmodi membranam esse statuit, ab antiquis tantummodò medicis & poëtis fictam ac depictam. Addunt præterea Galenum *lib. de vulvæ dissect.* ne verbum quidem de hac membrana protulisse, tamquam commentitiam & nullam putaverit.

Meritò itaque citatus *Vlmus* in tanta peritorum anatomicorum & cæterorum medicorum disparitate, miratur naturæ consultos, & diligentes illius perscrutatores in re quæ sensibus objicitur, visuque & tactu dijudicatur, tam longè inter se distare, cum alii naturalem esse hanc membranam, & in omnibus inveniri debere, ut *Spigelius*, qui in omnibus, quas dissecuit, ait invenisse; alii nec semel quidem invenire potuisse, atque ideò planè præter naturam esse, si inveniatur, statuerint.

14. Dicere verò quòd secandi dexteritas in causa fuerit, ut alii semper, alii nunquam reperire potuissent, minimè consonum videtur: quis enim *Laurentio* & aliis in secandi peritia diligentissimis talem nævum imponet? Tanta itaque auctorum antinomia cæteros in aliam atque aliam opinionem compulit, ut non defuerint, qui talem tunicam in quibusdam dari, in aliis minimè, dicerent; ut mirum proindè non videretur tam oppositas sententias invicem protulisse, & novam hanc, quæ pacem allatura videbatur, alios excogitâsse; quæ etiam non pænitendos habet patronos. Eam sequitur Realdus Columbus *lib.* 15. *suæ anat.* Paræus *ubi suprà*, qui semel tantùm illam observâsse ait in puella annorum 17. ille bis in duabus virginibus. Eandem opinionem sequuntur Marcel. Donatus, Forestus *in præfat. ad lib.* 28. *suarum observat.* in hanc etiam inclinare videtur Capivaccius *lib. de notis virg.* Sed hos omnes atretas & clausas puellas potiùs, quàm hymen à veteribus decantatam membranam crediderim invenisse; morbumque potiùs in vitiosa conformatione fuisse, quàm naturalem illarum partium tunicam: de quo morbo videndi sunt à Castro, Mercatus, & Sennertus *lib.* 4. *prax. cap.* 3. ubi ex Benevenio, Aquapendente, Gabrolio, & VViero notabiles de hac ægritudine historiæ leguntur, ut etiam apud Paræum. Hoc enim & non aliud fuisse probat *Laurentius*; quarè & hujus opinionis sectatores reprobandi veniunt, cùm prædictam membranam naturaliter nasci præter jam dictos negent

15. Æsius *tetrab.* 4. *serm.* 4. *cap.* 96. Paulus *lib.* 6. *cap.* 72. Oribasius *lib.* 24. *collect. cap.* 32. & adhuc ex neotericis Petrus Garcia *disp.* 67. *de locis.* Horat. Augenius *tom.* 2. *epist.* 1. Vallesius *lib. de sacra phil. cap.* 25. Ludovicus Vasæus Catalonensis *in tabul. anat.* Fernelius *lib.* 1. *cap.* 7. *suæ medic.* qui omnes nullam generationis illius necessitatem, nullum usum agnoscunt, aut concedunt; nec perpetuò enasci, sed rarissimè, & contrà naturæ ordinem contendunt.

Virginitas quoad pudendi partes in quo probabiliter consistat.

Sic itaque persuasi doctissimi viri de tunica hymene dicta, omnia quæ auctores tradiderunt meras nugas esse putantes, optimo jure in eam opinionem devenerunt, ut virginitatis signum (si aliquod in fœminarum pudendis natura posuit) nullum aliud esse crediderint, quàm illarum partium coalitum, quasi nondum venerem expertæ velut conglutinatæ conniveant, quoad primo concubitu maximè divellantur.

16. Hujus opinionis sunt *Vallesius*, *Petrus Garçia*, *Laurentius*, *à Castro*, *Mercatus*: quamvis hymen aliquandò inveniri concedat: sic etiam *Fernelius* cervicis latera nondum venerem expertis dumtaxat quasi conglutinata manere, quæ primus concubitus magna ex parte divellat: eodem modo scribere videtur *Almansor*, virginibus cervicem uteri maximè rugosam esse, & angustam; rugas verò illas venis & arteriis intertextas, quas primus disrumpat violator. Nam aliter membranam illam statuere, cùm rarissimè ab aliquibus inventa fuerit,

17. ridiculum videtur, cum nullus illius usus, aut necessitas appareat, casuque tantum in rarissimis reperta fuerit; quæ enim naturalia sunt, sicuti passim inveniuntur, ita casu deficiunt; & quæ præter naturam sunt, sicuti contingenter aliquando accidunt, sic communiter deficiunt. Quapropter cum aliquando, ut refert *Augenius* citat. inter *Bartholom. Eustachium*, & *Realdum Columbum* insignes anatomicos, de hac re orta fuisset contentio, negante illo, hoc asserente, ad experientiam ducta est quæstio: ad quam comprobandam *Realdus* in Xenodchio Beatæ Mariæ consolationis duas secuit virgines; in quibus nil tale

in-

Lib. cap.

Lib. med. cap.

inveniens, in magna prospicientium corona fassus est, se in ea re aliorum opinionibus fuisse deceptum.

Sed quantumvis hoc ita esse plurimis videatur, adhuc alii naturæ seduli indagatores ulterius aciem acuentes, & diligenter virginitatis claustrum inquirentes, hoc dari affirmant; & consistere ajunt in quatuor carunculis myrtiformibus, membranis quibusdam coëuntibus, caryophylli nondum explicati similitudinem habentibus, aut calicis parvæ rosæ semiexpansæ formam referentibus, in quibus virgineum (quod ajunt) florem præcipuè consistere autumant; unde fortasis apud antiquos *flos* dicta, & hinc orta phrasis *deflorare virginem*, quod pudicitiam expugnare significat: de quarum caruncularum formâ & situ legendus Severinus Pinæus *lib. de notis virginitatis*; cui subscribit Bauhinus *in theatro anat. lib.* 1. *cap.* 30. & in hoc sensu hymen concedit Laurentius, in quo etiam Spigelius suam sententiam ut verissimam ac stabilem, & nullo pacto irrefragabilem pronunciat; cum quibus consentiunt Gregorius Horstius *lib.* 1. *epist. sect.* 4. Sennertus *lib.* 4. *praxis p.* 2. *sect.* 3. *cap.* 1. Melchior Sebizius. *lib. de notis virgin.* & plures alii, nec antiquorum fidem omninò volunt abrogandam. Et certè aliquid ibi subesse, inde colligi potest, quòd in primo concubitu plerumque sanguis effluat; quod non oportebat accidere si aliquid ibi non foret, quod pudendum vel lacerando vel contundendo rumperet, cum non nisi rarissimè accidat ut sine cruore virgo primam experiatur palæstram; quod vel ob partium coalitûs divisionem, vel ob prædictarum caruncularum attritionem evenire putandum est. Minimè tamen *Riolano* accedendum judico, qui *in suo enchirid. lib.* 2. *cap.* 36. naturaliter in virginibus aut membranam hymen, aut carunculas reperiri debere scribit: ita ut si membrana hymen dicta deficiat, carunculæ myrtiformes tumidæ orificium oppleant, & virginitatis claustrum efficiant; quòd si carunculæ desint, hymen necessariò adesse debere. Cui opinioni non assentimur; primò, quia hymen & membrana illa fabulosa est, ut plerique fatentur; aut certè si inveniatur, præternaturaliter esse ajunt, ut suprà cum multis dicebamus. Secundò, quia natura in operibus ordinariis æquivocè non operatur, ita ut unum aut aliud substituat; quod enim uni commune, est & aliis: alioquin erronea forent illius opera, quod non est verosimile.

Utcumque igitur sit, cæterorum opiniones omittimus, & claustrum virginale in coalitu partium illarum tanquam viâ minimè visitatâ (quod necessariò in omnibus concedi debet, nî menstruorum diutino effluxu humorúmve illuvie, aut aliter laxentur) reponendum censemus; nullamque tunicam, membranámve in pudendi medio naturaliter agnoscimus, sed bene caruncularum illam connexionem inter se cohærentium, quas violentus concubitus, qualis primus est, atterat ac laceret; undè ex venarum coalitu dissoluto sanguis promanet, cujus effluvium in primo coitu desideratur: & de illo tanquam ultimo signo jam inquirendum, an necessariò in primo concubitu exire debeat, & potissimum sit virginitatis signum.

Et inprimis hoc ex Sacrâ Paginâ probari videtur *Deuteron. cap.* 22. ubi linteamina in quibus novi conjuges concubuerunt, pro indubitato virginitatis indicio haberi jubebantur, si sanguine tincta forent; & si talia parentes maritatæ filiæ exhibere potuissent magistratui, filia quidem à crimine læsæ castitatis liberabatur, & cætera quæ ibi videri possunt: quarè si ita non esset, ut sanguis in primo concubitu necessariò effluëret, non utique illud signum pro virginitatis defensione tam certum, & sine alia probatione statueretur. Sed tamen hoc non obstante, ex communi ferè omnium sententia ut certissimum habetur, in primo coitu & virginitatis defloratione necessariò non requiri ut sanguis profluat; cùm contrarium non rarò accidat, & sine ulla sanguinis excretione honestissimas quasdam virgines nullâ turpitudinis labe infectas, in connubiali thoro positas nil tale habuisse sæpius animadversum sit: nec propterea quòd sanguis deficiat, suspicio aliqua adversùs mulieris integritatem oriri statim debet, cùm multis de causis evenire posit, ut desideratus ille sanguinis fluxus non appareat; ut sunt præcipuè ætas, quæ & partes illas laxiores reddit & duriores; secundò, menstruorum assidua evacuatio, quæ partium symphysim & coalitum paulatim corrumpit; tertiò, penis modica magnitudo & rigiditas, quæ causa est ut magna

non fiat laceratio & divulsio, nec caruncularum tunicas & venas licèt exiles disrumpat; quod multoties etiam in tenerioribus observatum est, cum de una narret *Augenius*, quæ à nono ætatis anno cum futuro sponso cohabitavit, & tandem anno 13. gravida facta est, cum nunquam cruoris aliquid obtinuerit. Tandem à causâ aliquâ externâ petulans aliqua ardore coitûs irritata, partium illarum unionem digitis aut aliâ re paulatim divellere poterit, ut propterea cum sponso non ita difficilem habeat congressum. Quarè tam longè abest, ut indubitatum virginitatis sit signum sanguinis ille fluxus, ut è contrario corruptas non rarò sanguinem stillâsse compertum sit, non solum mensibus vel extrà tempus in actu coitûs prosilientibus, sed venulâ aliquâ nimio calore reseratâ, cum multarum orificia ad totum matricis corpus attingant: imò vafricie hoc multæ machinantur, ut virginalem adstrictionem non solum comparent, sed adhuc sanguinis quoque fluxum aliquibus fallaciis procurent, atque ita virginitatem, quam aliis tradiderunt, factis & gestis mentiantur; ut potissimum de una narrat *Nicolus*, quam post partum medicamentis obstetrices ita adstrictam reddiderunt, ut coitum ulterius exercere non potuerit: de quarum fallendi arte & remediis, quibus ad deludendum utuntur, & à nequissimis mulieribus sophisticantur, nil interim dicendum; imò culpandus Augenius quòd aliqua de hac re scripserit: *Quæ enim nefas scire, nescire necesse est*; hodiè præsertim, quando in mundo ea est hominum malitia, ut tacentibus nobis nulla nequitiæ ars lateat; ut fecit illa apud *Pinæum*, quæ filiam jam corruptam ita adaptavit, ut virginem suscepisse miserrimus sponsus juramento affirmare non dubitaverit. Sed illis, quæ matrimonio jungi volunt, talia remedia tantummodò concedenda sunt. Itaque rectè idem auctor *problem.* 3. probat multis modis virgines sine viri consortio corrumpi posse, ut etiam prudenter admonuit Plempius *in fundamentis med. lib.* 2. *cap.* 9. & Zacchias *lib.* 4. *quæst. medico-legal. tit.* 2. aut aliter tales apparere, cum tamen virgines sint, & à viro intactæ, ut duabus celeberrimis historiis probat Severinus Pinæus *lib.* 1. *de notis virg. cap.* 6. quibus, ut nemini vel in mendaciis, vel in rarissimorum casuum enarratione inferior haberetur, duas alias adjungit Zacutus *lib.* 2. *praxis mirandæ obs.* 134.

Torr. pist. 5.

23.

24.

25. Igitur tanquam indubitatum statuendum est sanguinis illam emissionem, nisi fucata sit, si quando in primo concubitu appareat, optimæ & inculpatæ famæ, ac virginitatis signum esse; cæterùm in aliis, in quibus aliundè suspicio urgens intervenit, licèt videatur, non propterea facilè credendum: nec econtrà corrupta judicanda illa erit, in qua omninò defecit, præsertim si grandior & optimâ fama dotatâ fuerit; nam præter jam dictas causas solum ratione pudendi & hymenis seu caruncularum, in quibus virginitatis florem consistere multi arbitrantur, quatuor modis fieri posse ut nec rumpantur, nec sanguis exeat, explicat Zacchias *lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 1. Quarè cùm hoc tam arduum sit ac cognitu difficile, non sine ratione concludit idem Zacchias, nullam tutam dari posse virginitatem, nisi apud Æthiopes, & Barbarorum nonnullos, qui, ut narrat Petrus Bembus, & ex eo referunt Kormanus *de miraculis vivor*, & Riolan. *lib.* 2. *anthropog. cap.* 32. ut virginum suarum pudicitiam nullo modo suspectam habeant, puellis ubi primum natæ fuerint, pudenda consuunt, relicto libero tantùm meatu ad urinam reddendam; cùm nuptui verò traduntur, ipsi sponso incumbit onus uteri labia dissuendi; quo pacto ipsorum virgines vel nolentes illibatam & incorruptam virginitatem sponsis servant, & ipsi sponsi ab omni suspicione liberi existunt.

26.

Lib. 6 Venet.

Ex quibus tandem deducitur, quid ad locum ex sacrâ paginâ *Deut. cap.* 22. dicendum sit. Ibi enim constat, quòd in lege Mosaica præcipiebatur, ut parentes sponsæ lintea à primo congressu sanguine maculata servarent, ut si quando maritus uxori imponeret eam virginem non invenisse, tunc parentes ad judices filiam deferrent, & eadem linteamina secum portarent, quæ tanquam indubitatum virginitatis signum servaverant, & coràm senioribus ea expanderent. Nec hoc Judæis tantum usitatum, sed & Romanis ex *Claudiano* infertur, qui in epithalamio Honorii sic ait:

27.

Et vestes Tyrio sanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor.
Tunc victor madido prosiliat thoro
Nocturni referens vulnera prælii.

Quam

Quam etiam consuetudinem apud Hispanos fuisse, nescio unde *Ioubertus* expiscatus sit, qui eam habuisse tradit *lib. 1. de errorib. popul. cap. 4.* constat tamen ex Leone Africano *lib. 3. hist. Africæ cap. 24.* apud Mauros fuisse in usu, ut cùm sponsus & sponsa ex solemni pompa domum regrederentur, conclavi se obserato abderent; nec nuptiale celebrabatur convivium, quousque annosa mulier præ foribus expectans porrectum à marito cruentatum linteolum in mediam invitatorum turbam ovans proferret: quo tempore si nil cruoris destillâsset, parentibus reddebatur, & tristis imprânsaq; turba omnis recedebat. Hæc sanè (de istis postremis loquor) gentilis prorsùs & inurbana fuit consuetudo, quæ nil certitudinis afferre poterat; & ab hominibus ab omni veritate, rectoque cultu alienis, suo more tantùm leges imponentibus nil inferre decet. Sed neque locus ille ex S S. literis contrà communem opinionem à nobis adductam aliquid convincit, ut propterea credamus certissimum & indubitatum signum virginitatis sanguinis effusionem constitui debere, ita ut si deficiat, corruptam mulierem jam fuisse arguat: quia ex illo solùm infertur virginem illam habendam, in qua cruor in defloratione promanaverit; sed exinde contrarium non deducitur, corruptam scilicèt judicandam illam, in qua sanguis non apparuisset. Itaque locus ille de eo quod frequenter accidit accipiendus, nec ex illo plus concludi potest, quàm ubi hoc signum inveniatur, virginitatis notam esse; de eo verò ubi abest, non agit. De illo igitur quod magis universale erat, & frequentiùs accidebat, rationem habuit legislator, cùm ita plerumque eveniret; nil verò de raro eventu, & contigenti curavit, potiusque moribus & frequenti consuetudini se accommodavit: quia quantumvis certum omninò non sit tale signum, voluit tamen Deus ut ad probationem sufficeret; sed si pater linteum non exhibuisset, non ideò virginem ut corruptam ex sola viri accusatione condemnabant, quia sine culpa ipsius puellæ deficere poterat illa linteaminis maculatio. Hoc facilè deducitur ex his, quæ mox ait: *Quod si verum est quod objecit, & non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extrà fores patris sui, & lapidibus obruent.* Quasi dicat, veritatem & virginitatis jacturam, quæ ex tali sanguinis defectu non promanat, aliundè petendam; scilicèt testium probationibus hoc comprobandum: eandem explicationem ad prædictum locum pulchrè affert Cypræus *de sponsalibus cap. 13.* eousque enim hoc ipsum intelligit, quatenùs nota virginitatis affirmativè taliter firmam facit conclusionem; at negativè simpliciter corruptam non probat, nisi diligenter aliæ circumstantiæ ponderentur. Et licèt prædicta optimè satisfacere videantur, adhuc ex *Rabbi Salomone* meliùs affert *Augenius*, ea verba, *Expandent vestimenta coram senioribus civitatis*, metaphoricè esse intelligenda: nam quemadmodum expansio & dilatatio vestimenti quidquid in eo continetur clarè & manifestè facit apparere; sic in accusatione hujus fœminæ à marito suo seniores monet, ut diligenter de adulterio inquirant, & an vir odio ductus malum illi nomen non imponat; nec prius ferenda sententia, quàm clarè res constet ac manifesta sit, quemadmodum expansus pannus omnes maculas in eo existentes patefacit: quod idem est ac si diceret, quòd per testes probatio fieri deberet, & veritatis indagatio. Quæ explicatio placuit etiam *Nicolao de Lyra* insigni veteris & novi testamenti glossematario, sic enim inquit: *Valdè turpe videtur quòd talis pannus expanderetur coram judicibus; nec est verosimile quòd ejus vir auderet uxorem falsò accusare, cujus sciret parentes testimonium, nempè linteum sanguinolentum, tanquam virginitatis signum servare.* Et ideò aliter cum Hebræis exponit, nimirùm quòd parabolica illa fuerit locutio, *Expandent vestimenta*, id est, verba testium declarabunt & explicabunt virginitatem filiæ suæ. Sic explicatur pannus, ut ex multis aliis Juristis & Theologis confirmat Greg. Horstius *lib. 1. epist. sect. 3.* jam citat. Ex quibus apertissimè patet prædictum signum nec certum, nec semper necessarium esse; cùm & si inveniatur possit esse fallax, & si deficiat, non ideò corruptam probet, sed dubiam virginitatem relinquat, quæ absque hujusmodi cruentatione potuit adesse, & cum ea abesse, ut satis jam diximus.

Ex prædictis igitur omnibus patet Conclusio omnium medicorum votis confirmata: signum scilicèt virginitatis nullum certum & proprium dari, quod in omnibus aut semper inveniri debeat; quibus & nos quoque assentimur: experimenta quippe illa ex potionibus aut suffumigiis, nugæ potiùs videntur, quàm ut aliquid certi inde colligi possit. Quæ verò secundo loco de voce, pilis, mammis, collo, & siquæ sunt alia afferuntur, ætatis tantùm ratione contingere possunt, & ex individui particulari

natura provenire; cùm ingens in humana specie tam in corporis structura, quàm in actionibus & caloris effectibus reperiatur varietas. Quæ etiam circà urinam ab aliis traduntur, inutilia sunt, quia naturale virginum foramen satis est ad crassam & turbulentam urinam emittendam quomodocumque profluat; quin & ipsum foramen ampliùs in hac aut illa dari potest, ut vehementiori impetu, aut remissiori exeat. Hymen nullum dari aut imperforatum, aut pertusum quod in pudendi medio aditum naturaliter intercludat, & virginitatem constituat, plus est quàm certum: caruncularum verò illam myrtiformem connexionem, in similitudinem caryophylli nondum explicati, ad uteri ostiolum sitam etsi concedamus dari posse, nobis virginitatis signa in vivis, & non in demortuis quærentibus, nihil ad rem facit; cùm nec matricis speculo indito facilè conspici possit, solumque in dissectionibus appareat: fortasse etiam menstruis, & aliis uteri purgamentis humectari potest & dissolvi, ita ut connexus & unitas dissoluta deficiant & aboleantur, flosque ille non flos marcescat, & nimiâ humidarum impuritatum irrigatione totam stabilitatem amittat. Tandem sanguinis exitum fallax esse signum suprà jam ostendimus, cùm mensium aliqua stilla in actu effluere possit, aut sine illis ex vena aliqua calore ex motu reserata, vel à grumo aliquo derelicto, & coitûs calore liquato: quin & technis, & impudicarum mulierum fraudibus & dolosis artibus procurari potest; nec si omninò deficiat, corruptam protinùs fuisse declarandum esse jam diximus. Eodem modo argumentandum de partium coalitu & naturali illarum adstrictione, quæ multò faciliùs ætatis ratione, & humorum illuvie, aliisque excrementis, quæ ex consuetudine natura per illam partem detrudit, laxari possunt, & unionem illam deperdere; quam etiam externis rebus non paucæ vitiant & corrumpunt. Ex quibus omnibus inferendum, inspectionem illam de jure Pontificio postulatam nil certitudinis obtinere posse, cùm fallax omninò sit & evidentiæ perquàm minimum importet, imperitarum præsertim mulierum nixa testimoniis, quibus facile est decipi: ut meritò *in cap. nec aliqua 27. quæst. 1. & lib. 4. Decretalium tit. 15. de frigidis cap.* 5. hoc advertatur per hæc verba: *Sæpè fallitur oculus & manus obstetricum.* Nec illa inspectio sola aliquid probabile apud judices convincit, tantumque in re dubia & magni negotii, qualis matrimonii est separatio, expostulatur, ut aliis probationibus faveat, probabilioremque partem roboret; ut docet Abbas Panormitanus *in cap. ultimum de frigidis & maleficiatis & in glossa verbo septima nu.* 10. qui ait, licèt præcesserit puellæ inspectio, juramentum propinquorum semper fore necessarium; quia virginitatis probatio argumentum est fallax, & illam explorare non solùm in difficili esse sed pænè impossibile scribit *Cujacius* lib. 17. observat. cap. 20. *Nec hujus rei* (ait) *unquam legi obstetricibus delatum arbitrium.* Concedit quidem obstetricibus inspectionem ventris, ut sciatur an mulier uterum gerat, aut gestaverit; sed iisdem virginitatis declarationem, aut judicium demandari non legitur: circà quod jam ad alios jurisconsultos accedendum, cùm nostrum modò non sit illorum mœnia transcendere. Quapropter optimè advertit *Paræus* errare judices, qui obstetricum declarationibus fidunt.

31. 32. Lib. 23. cap. 42.

QVÆSTIO QVADRAGESIMA.

Cur fœminæ plerumque eum amore prosequantur, cui primum suæ virginitatis florem delibârunt; homines econtrà quam primùm agnoverunt, odio habeant?

QUærit Aristoteles 4. *probl.* 11. cur adolescentuli cùm primùm concumbere incipiunt, quibuscum fuerint congressi, eas plerumque odio habeant? *An* (inquit) *quòd mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores, eam fugiunt tanquam fontem ad quem sese applicârunt?* Hanc itaque rationem reddere videtur philosophus, quòd omne animal post coitum contristetur; cujus tandem mœroris & tristitiæ memor homo, causam illius, quam fontem appellat, nempe mulierem odio habeat: causa verò illius mœroris & mutationis nulla alia videtur, nisi spirituum dissipatio & defectus, qui ex coitu resultat, referente eodem Aristotele 4. *probl.* 6. & 22. quippè cùm

1.

cùm anteà coëundi desiderio & pruritu genitalia semine & spiritibus plena turgescerent, quos natura & intenta imaginatio veneris ardore commmota ad generationis partes detrudit (cùm alioquin illorum defectu langueant, flaccidaque persistant, ut in frigidis & senibus accidit) inde lætus furor, & amoris, ut ita dicam, amentia quædam, & coëundi vehemens desiderium hominem arripit & invadit, nilque aliud, quàm de coitu explendo cogitare facit, turpique quâdam delectatione in eadem imaginatione permanere cogit; quousque tandem re peractâ, & expulsis ac consumptis semine & spiritibus, in quibus præcipuè robur & gesticulatio consistebant, quæ anteà turgebant genitalia, jam illis spoliata considunt, lætus ille furor perit atque finitur, & repentè in contrarium statum mutatur homo: quod cùm subitò adveniat, accidere non potest citrà ingentem mutationem antè habitæ lætitiæ & spei in pœnitentiam quandam & mœrorem; quo percepto & cognito, inquit *Aristoteles*, mulierem tanquàm fontem & causam odio habet. Sed hæc *Arist.* ratio non magis de primo concubitu, quàm de cæteris accipi debet; nec etiam sufficiens videtur ad id quod quæritur, quia illa tristitia paulò post finitur, & ad præteritum statum facilè homo redit, ita ut acquisita illa ex coitu mœstitia nec permaneat, nec de ea recordetur. Visi etiam sunt aliqui, qui fœminis potiti quas anteà ad insaniam usque amaverant, non solùm finito coitu, sed posteà easdem maximè spreverunt, nec rursùs in illarum amplexus ruere voluerunt: quo tempore non coitum subsequens tristitia, nec illa mutatio in causa esse potuit, ut mulierem odio habeant. Sufficiat pro omnibus Ammonis historia, nemini non nota, qui postquàm sorori Thamar vim intulisset, exosam eam habuit odio magno nimis, ut Sacra Pagina 2. *Reg. cap.* 13. loquitur. Amantem enim si voti compotem facias, amorem brevi languescere videas: cujus eventûs causam Jacchinus *in libello quæst. natural. probl.* 14. eam esse ait, quia ardoris violenti parva fit pausa, quâ interim sese recipere animus queat, exactiusque admissâ luce scrutari si quæ sunt, quæ animum corpúsve dehonestent. Hinc optimè Boëtius lib. 3. *de consolat.* dicebat; *Tristes esse voluptatis exitus, si quis libidinum suarum reminisci volet, intelliget.* Quod Romanæ eloquentiæ parens confirmat, dum *lib. de finibus* ait: *Voluptas relinquit sæpiùs causas pœnitendi, quàm recordandi.* Quod in homine potiùs quàm in fœmina frequentiùs accidit, ob judicii exactam discurrendi vim. *Est enim amor* (ut *Prodicus* dicebat apud Stobæum *serm.* 62.) *geminata cupiditas, geminatus verò amor insania*: utraque autem ægritudo nullum sortitur efficacius remedium, quàm concupitæ nymphæ suaves subire amplexus, & petulcum genitalium rivorum prurientem humorem laxare; hinc statim mitescit ardor, & qui afflictim anteà amasiam deperibant, potitâ spe quiescunt, & quos in amoris rota experiuntur cruciatus, pauperculam animam ac miseram laxant, nec ut anteà amentes amatores exanimari, agitari, distrahi, diripi, aut cruciari nôrunt fingere, quo incautas puellas ut quasdam aviculas decipiant. Tam validum est hoc remedii genus, ut etiam somniatum amoris excandescentiam reprimere valeat. Celebris est illa historia adolescentis Ægyptii, Theaginis amore conflagrantis, quæ ab ipso multum auri cùm exposceret (nam irritum satis videbat) fortè accidit, ut in somnis occurreret, ac commisceri cum ea somniaret, & statim cupiditas evanuit; hoc itaque cùm potiori jure expleto coitu accidat, amorem in odium mutatum fuisse cogitant præcipuè fœminæ, cùm jam non ut anteà videant procos suos sibi blandiri, insequi, deperire. Quæ licèt vera sint, alia tamen hujus eventûs causa quærenda est.

Petrus de Abano Conciliator dictus *in hujus problematis com.* hanc dubitationem aliter sic solvere nititur. Inquit enim fœminam viro imperfectiorem coitu perfici; virum autem fœminâ perfectiorem, illi adjunctum imperfici: quippe cùm materiæ vicem mulier gerat, hinc formam semper appetit, quam assecuta quiescit; hæc verò scilicèt forma, cujus vices gerit homo, à materia nil accipit. Nec responsio hæc ab *Aristotelis* doctrinâ videtur aliena, qui fœminam & illius semen in coitu & generatione nullam efficientiam obtinere voluit; quin imò nec semen habere, nec emittere 1. *de gen. animal. cap.* 20. scripsit, tantumque passivè, & ut materiam citrà ullam agendi vim ad generationem concurrere: quod modò non agitamus, sufficiat credere, & ut certum statuere hominem in coitu multò plus quàm fœminam resolvi, absumique, propterea in venere minùs valet persistere; econtrà mulier inexhausto & insatiabili non rarò videtur appetitu, & infatigabili coitu multos visa est ad extremum provocare. Testis Messalina Claudii uxor de qua *Iuvenalis.*

Et

Et lassata viris nondum satiata recessit.

7. Testis altera puella, de qua ex Platero narrat Schenckius, quòd unicâ nocte quadraginta militibus seriatim prostiterit. Hinc forsan orta parœmia: *Ignis, mare, mulier, tria mala.* Nam licèt ad ingens periculum, & summas ærumnas quas sæpiùs pariunt, hoc adagium referre videatur *Erasmus*, mulIereque nil improbius ac pejus dixerit *Homerus*; unde quidam Lacon increpantibus aliis quòd pusillam duxisset uxorem, facetissimè respondere solebat, *E malis, quod minimum esset, eligendum*: ego tamen in alium sensum feror, existimoque ideò illa tria mali nomine potissimùm donari, quòd non tantùm pessima in se damna contineant, sed insatiabilia sint: nam quemadmodum mare immensum omnium fluminum liquorem continuò absorbet, ignis omnem materiam devorat & absumit, nec unquam satiari potuerunt; ita mulieris vulva seminis avidissima, ac quodammodò inexplebilis est. Hoc docuit *Salomon* proverb. cap. 30. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit satis: infernus, & vulva, & terra quæ non satiatur aqua; ignis verò nunquam dicit sufficit.* Ideò Plato *in Timæo*, & ex eo Galenus 6. *de locis cap.* 5. vulvam vocârunt animal avidum generandi; Aristoteles etiam 4. *probl.* 26. hoc cum Hesiodo fatetur, qui dixit:

Fœmineo magis est usu venus effera sexu,
Mitior illa viris, & sæpè accita relanguet.

8. De quibus vide doctissimum Delrium *in adagiis sacris.* Congrua, sed minùs pudica hujus veritatis fuit responsio Popillæ Marci filiæ quæ, ut narrat Macrobius *lib* 2. *satur. cap.* 5. interrogata, quare bestiæ marem tantùm admitterent quo tempore prægnantes fieri volunt, nil aliud respondit nisi *quia bestiæ sunt.* Quod sanè in mulieribus impossibile foret, si tanto dispendio, & spirituum effusione, ut in viris accidit, venereis uterentur illecebris; cùm videamus validissimos & satis robustos adolescentes in simili bello ad miserum statum celeriter deduci: quod probè noscens *Lycurgus*, cum Laconibus leges præscriberet, vetuit ne sponsus cum sponsa dormirent simul, quòd frequenti coitu vires enervarentur, ut quoque Plato *in Laconicis* auctor est.

9. Hinc etiam, *Laërtio & Plutarcho* narrantibus, interrogatus Clinias Pythagoricus, quando cum muliere esset congrediendum: *Cum voles* (inquit) *te ipso fieri debilior.* Quæ cùm ita sint, absonum non videtur dicere hominem ideò mulierem, quam primò agnovit, & cæteras etiam, quibuscum in veneris arenam descendit, tanquam destructionis, & corruptionis suæ, corporalis quoque salutis, ac mentis etiam auctrices tacitâ naturæ agnitione odio prosequi; aut quòd ipsamet natura hoc recognoscens, anorexiam illam ac displicentiam quandam pariat, ut individuo suo prospiciat homo: nisi amore inebriata jam mens, & pulchritudinis retibus circumventa, non sui sed alieni juris facta advertere non possit. Hoc idem videtur innuisse *Plinius* cùm sic scripsit: *Homini tantùm primi coitûs pœnitentia, augurium scilicèt vitæ à pœnitenda origine;* quandoquidem non à primo coitu solùm, sed ab omnibus, omne animal contristari, & hominem præcipuè illius maximè pœnitere plus est quàm certum ac omnibus notum. Hinc locum habuit decantatissimum illud responsum, ac philosopho prorsùs dignum, quod de Demosthene narrat *Gellius*: nam cùm Corinthum adiret, ubi Lais magnæ pulchritudinis & famæ meretrix commorabatur,

10. ejus potiundæ gratiâ clàm ad illam Demosthenes ingressus, ut sui copiam facere vellet ardenter expetivit; promisit Lais annuitque, dummodò decem millia aureorum (hæc enim erat usitata lucrandi quantitas, quam à procis suis expetebat) illi afferret; expavit ad tantam summam Demosthenes, ac protinùs discedens inquit: *Non emo tanti pœnitentiam*; aut ut alii: *Centum talentis pœnitere non emo.* Quia igitur homo in coitu tam vehementer patitur ac resolvitur, pœnitet; fœmina verò cùm minori aut nullâ noxâ coitum sustineat, ideò virum magis diligit, novum coitum semper expectans & exoptans, ut tenet Alb. Boton. *lib.* 2. *de morbis mul. cap.* 15. & quia etiam in eodem generationis actu ut forma se habet respectu fœminæ, quæ vices materiæ gerit, ab ipsa continuò expetitur. Et hic dicendi modus Roderico à Castro adeò placuit, ut nihil aliud quærere voluerit; ego tamen sic aliter excogitavi.

Marginalia: 3. Sym[...] · Lib. 1[...] cap. 6[...] · Lib. 1[...] · 3. De [...] mul. cap[...]

Est sanè hominis desiderium in omnibus varium ac multiplex, novaque semper expetit, & in coitu multò plus quàm in cæteris, alienas, & quas nunquam anteà compressit fœminas continuò appetens; & hoc quia ad novum coitum ardentiùs sese accendi videat, quo fit ut medullitùs depereat, quas nunquam attigit mulieres; cùm è contrà non raro accidat, ut projecto aliquomodò appetitu, & non ita ardenti ad

illas

illas accedat, quas in potestate vel habet, vel habuit: quia in hoc genere delectationis, sicuti in plerisque aliis, quæ denegari videntur, magis inflammare atque appeti conspiciuntur; quæ verò imperio & voluntati subjacent, minùs desiderium accendere ac quodammodò odio haberi, cùm jam percepta sint, & ut propria agnoscantur. Perbellè hoc Ovidius *lib. 2. amorum.*

Quod licet ingratum est, quod non licet acriùs urit;
Quod sequitur fugio, quod fugit ipse sequor.

Et 3. amorum. Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.

Hoc lepidè sonant illa Ausonii carmina:

Hanc volo, quæ non vult; illam quæ vult, ego nolo:
Vincere vult animos, non satiare Venus.
Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas,
Nec satiare animum, nec cruciare volo.

12. Consentaneum huic veritati fuit judicium Politis Thraciæ Regis, ad quem Trojani pariter & Græci cum legationem misissent, auditis utrisque pronunciavit ut Paris Helenam redderet, & pro una duas acciperet formosas uxores; *Nam* (dicebat) *unâ satis fruitus duas habuisset novas.* Sapuisset Paris, si hoc fecisset, & patriæ consuluisset, inquit in *apophtegm.* Plutarchus. Tamen hoc verum non est odium, sed ex refracto appetitu tale apud amantes sortitum est nomen. Quòd autem primam magis quàm cæteras abhorreat homo, forsan in causa est, quia ipsa miseriæ illius januam aperuit, subsequentiumque calamitatum & ærumnarum, quæ exinde non rarò subcrescunt, prima origo fuit. Econtrà fœmina ardentius eum, cui virginitatis suæ florem primitus libavit, amare cogitur. Hoc videtur fateri Dido Annæ sorori, cum de Sichæo jam mortuo adhuc loqueretur 4. *Æneid.*

Ille meos primus, qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum servetq; sepulchro.

Idem deplorabat OEno ad Paridem scribens, ut Ovidius *epist.* 5.

Me fide conspicuus Trojæ munitor amavit,
Ille meæ spolium virginitatis habet.

13. Quia cum totus illius honos & æstimatio, ac ut ita dicam, dos omnis in castitate servanda consistat, cui primum illam dicavit, insequitur tanquam possessorem tam pulchri pignoris, cujus nulla dari potest remuneratio: quare eandem solum animi voluntate & mutuo amore desiderat, tanquàm quam rursus acquirere non potest, nec pretio redimere, ac in illecebris & insidiatoris, ut ita dicam, sui possesione quiescit; huncque desiderat perpetuò, amat, & amari vicissim affectat, cum ex reciproco amore, & voluntate mutua amantes invicem in alieno corpore contineri videantur; unde dicebat *Plato* amantes in alieno corpore vivere, in suo verò & proprio planè emortuos esse.

14. Accedit quòd cum fœminæ non ita pronum sit ac facile ob honestatis zelum alium quærere virum, ut coitûs expleat ardores, conscium jam sui flagitii & fraudatorem suæ castitatis continuò insequitur, ne aliis animi ejus levitas innotescat; unde illius honor corruat, & in publicum veniat despectum. Nam dum silentio amorem patiuntur, uruntur magis, ut dicebat *Ovidius*:

Quoq; magis tegitur, tantò magis æstuat ignis.

Itaque cùm coitûs sit avidior, semel inescata continere se non valens, illum quærit præcipuè, qui suæ fragilitatis conscius est, atque ita in occulto rem habere credit. Sequitur igitur fœmina virum, quia illo ad libitum non potitur, ac propterea à se fugere existimat: fugit autem ille, quia se ab ipsa appeti & sequi videt; & in hoc sensu argutè dicebat quidam, mulieres morti similes esse, propterea quòd fugientem sequantur, & sequentem atque vocantem fugiant. Hæ nobis hujus problematis causæ & rationes occurrerunt: altioris judicii indagatores altiùs perscrutentur; nos autem ab his næniis ulterius abstinere satius duximus.

QUÆSTIO QUADRAGESIMAPRIMA.

Incorrupta an poßit imprægnari, & an conceptus poßibilis virginitatis claustro non violato?

QUando igitur virginitatis pomœria pervagamur, haud credo fuerit inamœnum, siquidem illius florem jam invenimus, fructum etiam expectare, ut gratiora ipsius ac suaviora libemus germina, videamusque an inviolato naturæ claustro, ejusdemque fundo nullo surculo exarato, tamen virgo fœtum concipere & promere valeat: quandoquidem hoc scire non fuerit injucundum, imò non rarò utile. Non enim desunt doctissimorum virorum testimonia, rationes, & historiæ, quæ hoc possibile esse tradant & confirment; licèt alii non solum hoc negent, sed impossibile judicent: ut
1. inter alios tenet Delrius *lib. 2. disquis. mag. quæst.* 15. quem sequitur Torreblanca Villalp. *lib. etiam 2. de mag. cap.* 30. & ex medicis Paulus Zacchias *lib. 3. titul. 1. quæst.* 8. qui in hanc opinionem *Mercurialem* affert & *Andream Laurentium*. Itaque ajunt quòd mulier à viro cognosci non potest sine virginitatis jactura, nec imprægnari nisi cognoscatur; quippe sine eo quòd à viro realiter & cum effectu cognoscatur per omnimodam applicationem membrorum generationis, nullo modo concipere posse asserit præcipuè *Zacchias*: frustrà enim (ait) natura tot instrumenta machinata esset ad membri erectionem, imò superfluus omninò esset erectionis actus, & incommodum absque utilitate afferret. Addit nimiam penis brevitatem sterilitatis causam esse, propterea quòd semen ad uteri internum os ejaculari non possit; ergò approximatio seminis ad partes tantùm externas multò minùs ad conceptum inservire poterit. Tandem semen dicto modo & in dictis partibus projectum inutile statim reddi ait, cùm illius spiritus tenuissimi ac purissimi illicò evanescant, ita ut ad generationem semen omninò reddatur ineptum.

Lib. 1. morb. m. cap. 2. Lib. 7. to quæ.

Verùm prædicta opinio nec mihi placet, nec ullum efficax argumentum affert, ut nos à stabilitâ jamdudum multorum opinione, & multis historiis comprobatâ recedere cogat. Virginem igitur citrà virginitatis jacturam, & virginali septo illæso
2. manente imprægnari posse videtur innuere Aristoteles 2. *de gen. animal. cap.* 4. cùm conceptum fieri posse ait citrà voluptatem, *si locus turgeat, & vulva descendat*: quod 1. *de semine cap.* 4. videtur approbare *Galenus*, cum uterum suo collo veluti manibus uti dixit ad attrahendum ad sese ipsum semen. Idem clarè docuit *D. Thom.* citat. apud Sanchez *de matrim. lib. 7. disp.* 113. & apud Navarrum *cons. lib. 4. titul. de frig. & malef. cons.* 3. *nu.* 23. nam *Quod.* 6. *art.* 18. historiam narrat de quadam puella jam
3. pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo pater habebat, qui cum aliquando in somno pollueretur, semen ejus ad matricem filiæ descendit, & indè puella concepit; & ibidem de hymene loquens ait fœminam concipere posse membranâ illâ non effractâ, sed parentem non posse fieri: quod de communi parturiendi modo intelligendum est; quippè si, ut advertit *Plempius*, virgo prædicto modo jam gravida sit, partusque naturaliter non sequatur, sed difficilis fiat, atque ob periculum ad apertionem & cæsaream sectionem necessitas devenire cogat, erit tunc inquit, non solum virgo gravida, sed mater. Hoc enim modo evenire posse non est arduum intelligere, minimè aliter, nisi speciali & singulari Dei Omnipotentis voluntate fiat; ut in Sanctissima Virgine MARIA, cujus conceptio & partus divinis miraculis & privilegiis plena fuerunt, solumque de ipsa verè dici potest:

In fund. ment. dic. lib. sect. 5. ult.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Prædictorum sententiam apertè confirmat Avicenna *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. qui clausam & non devirginatam concipere posse asserit. Sic enim inquit: *Et quandoque accidit ut clausa retineat conceptum, & fiat prægnans; & hoc quidem non est possibile, nisi aliquo horum modorum: ut si sit illud quod opponitur ori matricis de clausura raræ contexturæ, aut sit habens foramina plura, ita ut possibile sit matricem attrahere de spermate aliquid; licèt enim parùm sit, tamen ex illo parvo fit conceptio.*

Quòd

Quòd si de clausis hoc admittit *Avicenna*; quid obstat, quòd illæ etiam, quæ talem affectum præter naturam non patiuntur, facilius concipiant, licèt penis ad locum destinatum non indatur, nec fœmina devirginetur? Sic enim accidere posse affirmat Peramatus *in appendice* 1. *de conceptu fol. mihi.* 98. §. *secundo.* per hæc verba: *Possibile est mulierem non devirginari, sed conceptum fieri ex solo obscœnarum partium attactu, utroq; semine effuso ad os uteri externum; tunc enim contingit sæpè ex uteri aviditate trahi intus semen in roris formam ad cavitatem, & fieri conceptum, etiamsi penem ad uteri cervicem non indat masculus: clausa enim, quæ devirginari nequit, hâc ratione concepisse visa est, tantillo scilicèt viri semine in roris aut fortè vaporis formam attracto, ut ex Avicenna patet.* Cum quo etiam convenit Mercurialis *lib.* 4. *de morb. mul. cap.* 14. potentissima quippe est prolifici seminis efficacia, ut vel tantillum ad benè dispositum, & virilis genituræ sitibundum hiantemque uterum perveniens generandi vim omnem suscitet, & imprægnet; ut etiam adnotavit *Cicero*, qui seminis vim tantam esse scribit, ut quamquam perexiguum, tamen si in concipientem exciderit, nactumque sit materiam, quâ ali augerique possit, ita efficiat effingatque quidquid in suo genere sui similia gignere possunt: est enim ex his, quæ in parvissima quantitate ingentem præstant effectum. Quod non in generandi efficacia solum, sed etiam in illius corruptione visitur; ut in hystericis patet, & in viperæ veneno copiâ perexiguo, viribus tamen potentissimo: fuit quippè minimis aliquibus tanta virtus à Creatore indita, ut materia vix oculis subjecta admirandos tamen effectus producat; hocque in nulla re frequentius quàm in seminibus conspicimus, in quorum potentia vis illa prolifica latet stupenda ac velut in tantillo abscondita, quæ vel ab animalium utero, vel à terræ viribus excitata, suæ speciei germen ac figuram, quam potentialiter continebant, promant qualitatibus omnibus indutam, & ad proceritatem usque suam luxuriantem.

Lib 2. de nat. deor.

Nil igitur mirum, si in mulieris uterum in roris licèt formam seminis virilis modica quantitas recto tramite subeat, vel ob vehementem illius aviditatem attrahatur genitiva illius virtus & spirituosa pars, in qua præcipuè viget, quòd totam sic prolificet aulam, ut indè conceptionis rudimenta incipiant efformari, & pauculâ illâ irrigatione luxuriet naturæ ager, novasque pampinos producat ac germinet; quia maximâ fœcunditate inebriatus uterus, ac dispositus, initium tantummodò & motionis opificem expectabat ductûs tamen viâ nullam vim perpessâ, nec generationis instrumento divulsâ aut laceratâ. Pro quo si elegantem & rarissimam historiam desideres, eam invenies apud Sinibaldum *lib.* 1. *Geneanthrop. tract.* 3. *cap.* 6. ex Marino Leopardo, quam videre ne pigeat.

5.
1.

Nec desunt qui ab ipsa experientia sæpius observatâ hanc possibilitatem confirment; sic enim pluries accidisse legimus. Aquapendens *p.* 1. *chirurg. cap.* 81. audivisse ait à Sacerdote, qui à duobus adolescentibus mare & fœminâ acceperat, qui maximo amore capti, cum in loco solitario convenissent, osculis primum amplexibusque sibi invicem cœperunt abblandiri, & in hac amoris pugna (Venere faces suppeditante) ardebant pariter; quo factum est, ut permiserit virgo maris colum ad pudendi orificium volutare: vix pertingens, cùm tentigine flagraret, invitus semen ad orificium & vulvæ valvas ardoris œstro percitus dejecit: discusso jam igne, agonis victor victus discessit. Ecce brevi sine concubitu gravida apparet virgo: uterque quid rei actum esset fassi sunt; quibus si ultrà progressum fuisset, gravidâ jam muliere, pronum erat palàm facere, cum nulla excusationis ratio daretur.

2.

Majorem adhuc admirationem habet, quod de simili casu narrat Joannes Fragoso *in lib. declarationum*, & suo tempore accidit. Fœmina quædam viro nupta marito litem imposuit de matrimonio dirimendo, impotentiæ illius causâ, cum tamen eo tempore, quo litem movebat, prægnans esset, fatereturque se ab ipso gravidam factam fuisse, minimè tamen corruptam: variè à judicibus in negotio disceptatum est, per chirurgos & obstetrices utroque examinato; conclusum tandem casum possibilem fuisse, Philosophis, Theologis, Juristis asserentibus. An verò separati fuerint non declarat: concludit tamen cum Magistro Ioanne de Aviñon *cap.* 50. *suæ medicinæ*, quam ad Hispalenses scripsit, non solum possibile hoc esse, sed frequenter accidere, cum difficile non sit, ut lasciviendo seminis aliqua pars per fœminæ viam quantumvis arctam & constrictam ad uterum permeet aut attrahatur, ex qua gravida fiat; quod naturæ (inquit) non erit impossibile, cum ex masculi odore tantum aliquod animal

7.

animal

mal concipiat, & gallinarum ova subventanea galli odore alterantur, ut generationi apta reddantur; si verum est, quod Aristoteles *lib. 1. de gen. animal. cap. 20.* nobis inculcat.

A prædicta historia non multum differt alia, quam ex *Ludovico Huberto* narrat Fabricius Hildanus *cent. 3. obs. 60.* de aurifabro Parisiensi, qui cùm puellam honestam duxisset, sibique in congressu ad illam liberum aditum invenire non potuisset, ipsâ interim de dolore querente, quòd maritum ferre non nisi difficulter posset, post menses aliquot de divortio cogitare cœperat vir, eo jam tempore, quo de graviditate suspicio uxori erat. Sed ne aliquid temerè tentaret, utriusque parentibus convocatis, illis totum negotium aperuit: vocantur ex consulto medici, adsunt chirurgi, quorum consilio jubetur ut muliebria inspiciantur; invenitur membrana dura matricis collo interposita, quæ quò minùs penis intraret obstabat, & phalo licèt impetu conanti resistebat, unde dolor dum maritus inibat; datâ operâ peragitur hysterothomia, per chirurgum membrana inciditur, & ut decebat de cætero curatio perficitur: exinde & hæc virum ferre, & ille ad libitum fœminam inire potuit, & voti compos fieri; sed ab incisione transierunt vix menses sex, ecce ovans puellus perfectus & maturus in lucem prodit. Ergò si callosa & dura membrana interposita, quæ vehementi conatui resistebat quò minus penis inderetur, obstare non potuit quin semen aut aliqua illius portio ascenderet, aut à vehementi uteri tractione exucta ad illius corpus transiret, ut indè conceptus fieret; faciliùs hoc in aliis contingere poterit, in quibus prædictum obstaculum non invenitur, ut si præ foribus ad cunni valvulas semen projiciatur, illud validâ attractione matrix exugere & absorbere possit, & per medios parietes pellicere, ut se tota proluat, & eo fruatur, cujus irrigatione perpetuò flagrat; cùm ardenter illud expetat, & ad illius comprehensionem vehementer mota inferius feratur, ob symbolicum & innatum illum consensum, cujus ratione sese invicem quærunt & complectuntur, ut nullo proindè corporalis virginitatis detrimento concipere impossibile non appareat: nec hoc adeò rarum est, cum non minus quàm tres historias clausarum fœminarum, quas atretas dicimus, quæ omnes imprægnatæ fuerunt, afferat Riolanus filius *lib. 2. anthropogra. cap. 31.*

Hist. 3.

8. Severinus Pinæus *lib. 1. de notis virg. cap. 6.* aliter etiam accidere posse docet, ut virgo gravida fiat; si nimirum fluentibus mensibus fœmina à viro primum agnoscatur: tunc enim, ait, ob nimiam humectationem partes omnes relaxantur, & præ madore hebetatæ facilè cedunt; quo tempore si ad coitum accedant virgines, facillimo negotio citrà ullum doloris aut difficultatis sensum marem admittunt, imò ingruit statim viro suspicio de muliere ab alio anteà compressa; cum tamen fluere desinentibus, fœmineisque exsiccatis, & madore exutis, ad pristinam compressionem redeant, virginalemque adstrictionem acquirant, licèt eo tempore quo menses fluebant, in amplexum veniant, & concipiant: & hujusmodi casûs non infrequentis comicas & jucundas duas refert historias, quas duabus aliis auget Zacutus *lib. 2. praxis mirandæ obs. 134.* de uxoratis viris, qui primâ connubii nocte sponsalem thorum ingredientes, de mensium fluxu omninò inscii, ductas in matrimonium virgines subeuntes, facillimè & vix salutato limine inierunt, unde mœsti ac confusi, alius de divortio cogitabat, alius uxorem deseruit, alius merces vendendi & emendi causâ abiit, quòd suspectam uxorum castitatem omnes habuissent; sed primus tertio post die à mensibus liberam iterùm inire tentans, in prima & secunda nocte congressibus fatigatus irritè laboravit, quousque in tertia compos factus claustrum virginale, quod anteà amissum cogitaverat, reserare vix poterat, nec nisi multis conatibus evincere. Cæteri quòd gravidas uxores ex primo concubitu fecissent, iterùm redeuntes, & in eandem difficultatem & pudendi adstrictionem impingentes, confusi magis, attoniti, & in maximam admirationem rapti, amicis & cognatis sedulò enarrantes, se virgines uxores sine ulla difficultate agnovisse dicebant, gravidas non nisi magnâ vi & labore; ita ut antè conceptum corruptas, post conceptum virgines invenissent. Sed hujusmodi fœminæ, quæ tempore fluxûs mensium viros omninò admiserunt, licèt virginalem adstrictionem desinentibus mensibus iterùm acquirant, virgines tamen minimè dici possunt, quamvis difficulter posteà à viris cognoscantur;

9. quæ enim vel semel virum admisit, quomodocumque sit, virginitatis nomen exuit, licèt posteà virginalem arctitudinem naturaliter aut arte acquirat, sicuti post partum aliquibus evenit, quæ desinentibus lochiis, naturaliter aut remediis adstringentibus

ad-

adhibitis, satis sibi provident, ut non facilè sicuti anteà comprimantur: nec tamen propterea virgines dicendæ, cùm talis ea solùm dici debeat, quæ virum nunquam experta est; alias omnes, quomodocumque posteà accidat, jam corruptas debemus appellare, cùm & in viduis, quæ longo post tempore ad secundas nuptias accedunt, eadem pudendarum partium clausura aliquando inveniatur.

Sed historiarum jam satis; ex quibus, & ex doctissimorum virorum opinionibus optimâ ratione suffultis possibile judicamus virginem aliquam prædicto modo, & incorruptam impraegnari posse, nec ullo pacto hoc fabulosum credimus: maxima quippè est uteri cum semine virili sympathia, ad cujus attractionem maximo impetu & summâ aviditate fertur; nam dum illud persentit, (potissimùm in virginibus, quæ æstuanti libidine, & coitûs desiderio ardentissimo pruriunt) descendit statim, & quasi manibus utens, ut dicebat *Galenus*, ad se arripit retinetque, ut illo & desiderio suo fruatur, cujus consortium indesinenter affectat; ob quam causam experitur aliquandò in coitûs fine uterum inferiùs se totum convelli, & in cucurbitulæ modum vi quâdam virilem hominis partem vehementer attrahere, & veluti suctu quodam illius semen prolectare, ut propterea animal procreationis appetens illum appellaverint Plato & Arethæus, ut 1. *de semine cap.* 2. & 3. latè docet Galenus, ubi de uteri conatu & vergentia ad semen exsuccandum multa proponit. De facultate namque validissimâ uteri ad seminis materiam attrahendam nemo dubitat; de ipsius uteri ad illud aviditate, propter quam eâdem facultate dotatus est, multò minùs dubitandum: si enim ventriculum tantâ ciborum appetentiâ creavit natura, ut individuo prospiceret homo, tantò majorem certè utero ad semen eliciendum debuit implantare, quò magis totius speciei quàm individui necessaria est productio & conservatio; itaque ad semen tanquam ad proprium objectum uterus fertur, ità ut mirum non sit, quòd licèt penis non penitus indatur, sed ad vulvæ orificium tantum ejiciat, semen attrahat, & in sui ipsius capacitatem deducat, ubi facultas generatrix ad fœtûs formationem totis viribus incumbat. Si enim noxios humores per occultas nobis vias natura, ut ab illis quæ præternaturaliter illam offendunt se exoneret, aliquando expellere novit, & aliquando pus per media ossa profert, ut 7. *aph.* 54. Galenus docuit: imò ipsa demortui fœtûs in utero ossa & carnes per os prægnantis ejecta fuisse observatum jam est in uxore cujusdam servi Marchionis de Mondexar, ut rarissimo sed vero & admirando casu ex *Bernardino Montaña* affert Fontecha, *Lumin.* 2. *cap.* 7. (monstrum sanè in medicina admirandum, & rarissima certè historia, cui similem nec *Schenckius* admirandarum indagator & enarrator maximus attulit!) cùm tamen via nulla pateat, per quam ossa à matrice exire, & ad intestina & ventriculum ferri aut pervadere possent. Quæ si vera sunt, quid obstat quo minùs uterus totus connivens, & ad semen sicuti terra ad aquam hians, per angusta licèt loca materiam illam sibi familiarissimam quàm citissimè deportet, cùm eandem ad furorem usque appetat, & non nisi potita quiescat. Hæc igitur medicinæ ignaris impossibilia tantùm videbuntur, nobis verò minimè, cùm sciamus maximam esse in naturalibus à natura vim inditam; ut multa adhuc in externis sese invicem quærant, & in determinata distantia naturali motu se attrahant complectanturque, quemadmodum in succino & magnete nemo non novit: ut proindè in viventibus similes facultates inveniri impossibile non videatur, in quibus spiritus & calor non parùm adjuvant, non solùm materiam attenuando, sed & vias recludendo, ut faciliùs aditus pateat, & substantia aut vapor seminis prolificus subeat, ex quo rudimentum fœtura suscipiat & motum, cùm cætera ad generationem promovendum in utero suppetant.

In Timæo. cap. de uteri strang.

Parergi loco liceat aliqua addere de admirandis quibusdam casibus, qui tam apud medicos, quàm apud alios leguntur, cùm sint in illorum scriptis multa, quæ nullam fidem merentur; inter quæ meritò fabulosum censemus ac incredibile, & ab omni christiana consideratione penitùs expungendum illud, quod Pomponius Mela *lib.* 3. *cap.* 10. scribit de Æthiopiæ quibusdam barbaris & ferinis gentibus grandis insulæ accolis, (Gorgonum has esse gentes sunt qui tradunt) quorum mulieres asperis & ferinis moribus imbutas suâ sponte & sine maris coitu fœcundas esse scribit; fidesque Hanno habita hoc referenti, qui detracta occisarum coria pertulerat. Sed res omninò fabulosa, & nunquam à sæculo audita, cui nullus unquam fidem præstabit, ut *Colloq.* 3. & 14. notavit *Majolus*: quamvis non defuerint qui hujusmodi ineptias illius confirmarent, ut stolidissimè fecit Esperon Esperonius *lib. de partu.* Ridiculum etiam fuit

fuit illud, quod de Platone antiquorum scripta fabulata sunt, ipsum non aliter quàm virginis partu editum Parectioniâ matre Apollinis oppressa phantasmate, ut præter
14. alios narrat Rhodiginus *l.* 14. *ant. lect. c.* 1. Tam enim illius sapientia veteres omnes in admirationem traxit, ut semideum potiùs quàm hominem fuisse crediderint: hinc Cicero *in Tuscul.* Deum illum appellat, & inter semideos Labeo numerandum putavit. Propterea Anniceris Cyrenæus Platonem à piratis captum & pro lege interficiendum quòd Atheniensis foret, morti subduxit; quòd diceret legem illam in homines non in semideos latam; quare & defuncto Magi tanquam Deo immolârunt. Tantos enim doctrinæ splendor, & scientiæ majestas plausus meruit, ut non minùs quàm de semideo, & à virgine natum fama apud antiquos increbruerit, sed planè fallax, & nullâ veritate aut possibilitate suffulta; quemadmodum illud, quod ab
15. aliquibus Scriptoribus traditum recitat *Erasmus*, adagio, *qui citra fabam & salem*. nempè mulieres citrà virum gravidas evadere posse, si salem lingant. Apertum quippe mendacium est, & quædam tantùm salis exaggeratio, cujus natura talis est, ut assumptus pruritum excitet, & in Venerem pronum reddat assumentem: hinc salaces illos dicimus, qui Veneris stimulos cohibere non possunt, & in ipsam ardentiùs feruntur; quin & in navibus ex maris salsedine abundanter propterea mures enasci dicuntur. Deberent igitur tam innormia mendacia ab auctorum scriptis expungi & eliminari, ne à piis hominum auribus unquàm audirentur. An verò fabulosum etiam sit, quod de vulturibus ex Ambrosio affert *Rhodiginus*, quòd nullâ nuptiali sorte misceantur, nec ullo fruantur concubitu, affirmare non audeo: licèt *D. Ambrosius*, *Basilius Magnus*, *Orus*, & *Ælianus* sine coitu fœminas in vulturum genere concipere etiam tradant; quod tamen haudquaquam certum existimo, cùm utriusque sexûs participes sint, quod prædicti auctores negabant, & coitu sicuti animantium cætera frui cum *Nipho*, *Alberto Magno* & aliis asserimus, ut latiùs naturalium indagator eximius tradit *Aldrovandus*. Tu interim vide *Sinibaldum*, qui de plurimis aliis animalibus examinat, an absque coitu concipere & generare possint *l.* 1. *Geneanthrop. tract.* 3. *c.* 4. *cum sequentib.*

Lib. 8. antiq. lect. cap. 18.

Ab his ad medicos accedamus, apud quos etiam circà hanc rem quædam inaudita
16. prodigia leguntur, quæ fidem omnem superant, cujusmodi est illud Averrois *collect.* 2. *cap.* 10. qui puerili forsan infantiâ magis deceptus, quàm philosophico supercilio gravis, fœminæ cujusdam historiam, (chimæram dicerem potiùs) non solùm credere, sed posteris literis mandare ausus est: sic enim ait, se à vicina sua accepisse mulierem quandam balneum ingressam inde gravidam rediisse, quòd semen ibi à turpi viro derelictum fœminea loca subierit; atque hoc possibile judicavit vehementi uteri attractione suffultus. Et ne solus in hoc stupendo naturæ portento enarrando inveniretur, de Bambergensi alia puella eadem ex causa prægnante redditâ meminit Nider *in formicar. lib.* 5. *cap.* 10. Sed tam non absurdum solùm, sed & impossibile Theologis & Medicis hoc visum est, ut unanimi omnium consensu hic concipiendi modus ab omni veritate & possibilitate explodatur, & auctores qui talia attulerunt irrideantur, ut inter alios satis damnant Mercurialis 1. *de morb. mul. cap.* 2. Laurentius 8. *anat. quæst.* 11. & plures alii, quorum rationes & argumenta ut facilè apud prædictos obvia prætermittimus. Nemo enim ignorare debet fœminarum commenta quamplurima esse, nec illis unquam technas deficere, ut quam prostituerunt pu-
17. dicitiam mendaciis mille & fallaciis excusare & obtegere velint, quæ construere sagacissimè noverunt; hinc rectè *Menander*:

Difficile est verbis mulieris fidem habere.

& Tibullus *lib.* 3. *eleg.* 4.

Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen!
Ah! pereat didicit fallere si qua virum.

Hoc optimè Propertius *elegia.* 2.

Sed vobis facile est verba, & componere fraudes,
Hoc unum didicit fœmina semper opus.

& Claudianus *in epigram.*

Cuncta sub astrigero regnantia crimina cælo
Nutrit in æternos fœmina nata dolos.

& infrà:

Aëre quot volucres insunt, quot littore conchæ,
Tot mala, tot fraudes mens muliebris habet.

Hoc

Hoc pacto narrat Joannes Benedict. Sinibaldus *Geneanthropeiæ lib. 1. tract. 3. cap. 7.* de vidua quadam, quæ illi suadere conabatur se nullo viri consortio, nullo veneris usu gravidam factam, sed solùm quia alvi exonerandæ gratiâ in latrina consederat, quam turpissimus quidam affinis masturbator paulò anteà excreto semine pollutam dereliquerat. Fatemur equidem validissimam uteri ad semen alliciendum vim attractricem esse, sed quòd extrà corpus extendatur, & ad semen in aquis natans aut aliter extrà effusum & refrigeratum ferri potuerit, hoc nulla ratio probare poterit; & dato quòd semen ad pudendi partes natando accederet, tamen quòd ex illo conceptus fieret ridiculum est putare; quia cùm seminis natura ex Aristotele *2. de gen. animal. cap. 2.* spumea sit & maximè spirituosa, si vel tantillum temporis sub aëre maneat, liquescit statim, spuma evanescit, & spiritus protinùs exhalantur, redditurque generationi omninò ineptum & aquosum: quod adeò verum putavit *Aristoteles*, ut steriles illos judicet, qui nimis longam virgam sortiti sunt; quod etiam confirmat Avicenna *lib. 3. fen. 22. tract. 1. cap. 8.* Nec obstat quòd Massarias *cap. de sterilitat.* hoc negare conetur, & hanc sterilitatis causam non admittat, quia impossibile judicat semen in transitu posse refrigerari, cùm ab uteri calore foveatur: nam ratio illa nunquam mihi placuit, quia uterus semen exiens calefacere non potest, cùm illud ex sua natura calidius sit utero quovis calidissimo, & saltem spirituum dissipationem prohibere non poterit; unde constat penis longitudinem sterilitatis causam esse posse, quod ferè omnes concedunt, & latè probat Paræus *lib. 4. cap. 16.*

19. 20. Lib. 1. de gener. animal. cap. 6.

Nil etiam historiæ ab *Averroë* adductæ probant, & alia quæ ex librorum lectione afferri possunt; cujusmodi illud est, quod apud aliquos auctores legimus de ranarum semine & aliorum animalium in aquis derelicto, quod incautè à quibusdam imbibitum in ventre hominis aut mulieris suam pertinaciùs servet virtutem, ut ranas aut alia suæ speciei animalia valeat generare: hoc inquam nil convincit, jam enim *quæst.* 36. suprà hoc fieri posse negavimus. Unde etiam falsum est, quod Herodotus *in Euterpe lib. 2.* scripsit de quibusdam piscibus, quos gregatim cum maribus natando genituram ab ipsis sparsam recurvando recipere, atque ex ea concipere ait; quod fabulosum esse satis monstrat Aristoteles 3. *de gen. anim. cap.* 5. *&* 6. & si concedere velimus, nil adhuc probat; quia animalia illa ad sui generationem minimè perfectam adeò seminis conditionem desiderant; & cùm in aquis vivant frigidissimaque sint, propterea ab aquæ frigore minùs læduntur aut alterantur, nec ita habent spirituosæ substantiæ subtilissimam partem, quæ citissimè exhaletur; quo fit ut diutiùs vires suas retineat semen, nec à causis externis ita offendatur, quod de humano dici non potest, cùm illius prolifica virtus in parte potissimùm illius magis spirituosa consistat, quæ vel brevissimo tempore dissipatur ac deperditur statim ac extrà vasa sua ejicitur: propterea rectè à naturâ dispositum est, ut saltu quodam & velocissimè expelleretur, ne brevi aliquâ morâ efficaciam illam generationi necessariam amitteret. Quibus etiam adversùs Averroëm addendum est, validam illam uteri attrahendi vim non quovis tempore in actu positam esse, sed dum congrediendo ad opus excitatur, & libidinis furore flagrat ac prurit, quod in muliere balneum sine viri consortio intrante dari non poterat: & licèt hoc etiam adversùs historiam D. Thomæ suprà relatam urgeri possit, tamen ut possibilem illam credamus, hanc verò Averroïs minimè, facit quòd inter utramque magna inveniatur differentia; nam in patre qui cum filia in lecto jacebat, & in somniis seminavit, potuit forsan accidere, ut genitura ad fores pudendi fœminei excideret, atque eodem tempore filia de coitu cogitaret, & sic quod narratur evenire; quod non incredibile judicat *Delrius*: verùm in casu ab *Averroë* adducto nec ex parte fœminæ, nec ex parte seminis ullam dispositionem inveniri potuisse jam satis probavimus.

21. 22.

Ultimò tandem venit notanda historia *Amati Lusitani*, quam ipse narrat *cent. 7. curat.* 18. de muliere Turcica, quam, postquam cum marito rem habuisset, mox ad vicinam aliam viduam adiisse ait, cum qua multis coitibus incubis & succubis sese contaminare solebat (tribades hujusmodi mulieres vocat Cæl. Aurelianus *chronicor. lib. 4. cap. ult.* frictrices à *Tertulliano* appellantur, à *Plauto* subigatrices) & pro more ad nefandum opus pervenisse, statimque susceptum à viro semen, quod nondum excreverat, alteri succubæ agenti injecisse, calidum & spirituosum, omnique ex parte suis viribus integrum, generationique aptum; quod ab utero viduæ maximo ardore

23.

ad

ad coitum irritato attractum, illam prægnantem fecerit: cujus veritatis eam probationem affert, quòd ambæ hoc tali modo evenisse fassæ sint; quibus fuisset multò minùs ignominiosum à viro se concepisse fateri, & ex concubitu alicujus hominis imprægnatas fuisse. Hoc potius quàm alius forsan credidisset *Massarias*, qui seminis calorem ab utero conservari posse dicebat: sed omnibus fabulosum, & ab auctore inventum judicatur; quidquid possibile hoc fuisse existimet Joan. Fragoso *in suis declarat.* in quod etiam inclinare videtur Fortun. Plempius *in fundam. med. lib. 2. cap. 9.* qui nec hanc *Amati*, nec illam *Averrois* fabulosas credit historias: quorum opinioni hâc parte ego nunquam accederem, ut latiùs adversùs horum commentorum auctores concludit Marcel. Donatus *lib. 4. hist. med. mirab. cap. 26.* Multa siquidem mendacia scripsit *Amatus*, ut non absque ratione illum suggillet *Fallopius*; ex Hebræorum namque commentis, ut *Zacchias* ait, multa excogitavit ac retulit: quale etiam illud est, quod de puero refert *cent. 6. curat 53.* arte chymicâ conflato, qui perfectè omnia sua membra movebat; adversus quem meritò *Sinibaldus* citat. insurgit *lib. 1. Geneanthrop. tract. 3. cap. 7.* ubi similem aliam historiam affert, quam Romæ accidisse insignis obstetrix affirmabat; quæ tamen omnia ut fabulas meritò irridet.

Ad rationes initio *quæst.* adductas facilè respondetur, verum esse quod ajunt, mulierem non posse ab homine cognosci citrà virginitatis jacturam; quod intelligi debet dummodò perfectè & omninò cognoscatur: quod verò secundò dicunt, non posse imprægnari nisi cognoscatur, fatemur etiam; sed ut cognita fuisse dicatur, sufficit quòd ad os vulvæ externum ejiciat, cùm cætera, quæ necessaria sunt, uterus æstuans attrahendo peragat. Quippe realiter & cùm effectu, omninoque cognosci tunc necessarium non est, cùm uteri attractio suppleat defectum, quod ratione distantiæ inconveniens erat: constat enim non paucos quibus penis brevissimus erat, uxores tamen implevisse; quendam cui penis longitudo tres digitos non æquabat, & alium cui ex cancro incisus fuit parte tantùm brevissimâ derelictâ, tamen generâsse ex *Savanarola* & *Sylvio* tradit Schenckius *lib. 4. cap. de pene.* quin & de quodam Principe Germano scribit Nancelius *analog. microcos. lib. 7.* & ex eo Jonstonus *in Thaumaturg. classe 10. cap. 5. art. 3.* qui bombardæ ictu eviratus, argenteum sibi curavit fabricari penem, & felici successu liberis operam navavit. Nec propterea dicendum frustrà naturam tot instrumenta ad generationem ordinâsse; necessaria enim fuisse minimè negamus, sed hoc ut meliùs ac faciliùs actus exerceatur, & conceptus commodiùs fiat: tamen hoc possibilitatem non tollit, ut ex imperfecta licèt copulandi conjunctione, quantumvis rarissimè, tamen aliquando accidat, ut virgo prægnans fiat aut alia mulier, ob rationes sæpiùs jam dictas. Nec etiam obstat quòd nimia penis brevitas sterilitatis sit causa, nam hoc raros eventus non tollit; quos sicuti concedimus, ita medicos in hoc negotio maximè cautos esse debere advertimus, cùm innumeræ sint virgines, quæ cùm gravidas se sentiunt, hujusmodi fallaciis utuntur, ut pudicitiam quam prostituerunt aliquâ excusatione dissimulent, in quibus componendis mirum est quantis artibus, dolis, lachrymisque utantur. Ego unam novi, quæ hoc pacto gravidam factam fuisse confessoribus duobus suadere studuit, cùm tamen cum amasio sæpiùs coiret. Tandem auctores, quos in sui subsidium afferunt nil, illis favent; quia nullus illorum expressè hoc docuit: nam Mercurialis *lib. 1. de morbis mul. c. 2.* ab aliis citat. de hac re nil resolvit; tantùm enim ait fœminam sine viro imprægnari non posse, quod non negamus: imò ipse Mercurialis *lib. 4. sequenti cap. 14.* nobis consentire videtur, & virginem gravidam fieri posse non negat; concedit enim imperforatas concipere posse ob ingentem uteri tractionem. Nec etiam *Laurentius* loco citato apertè hoc negare ausus est, nec *lib. 8. quæst. 11.* ubi à *Delrio* citatur; solum quippe uterque *Averrois* historiam falsam esse arguunt, quod nobis nil officit.

24.

25.

QUÆSTIO QUADRAGESIMASECUNDA.

An mulier sine delectatione concipere possit?

A summa illa delectatione & tentigine, quâ proritatus uterus maximâ aviditate in semen, præ foribus licèt ejaculatum, fertur, & validâ attractione velut sugen-

gendo in propriam sedem recondit (dedit enim illi natura talem ac tantam oblectationem, quod 1. *de semine* docet Galenus, ut è longinquo etiam illud ad se pelliceret, & prolificâ illius virtute imprægnatus, in prolem mox incumberet) ad aliam contrariam prorsùs affectionem jam deveniendum est: An scilicet mulier sine delectatione concipere possit? Est enim dubitatio hæc à Confessoribus maximè expetita, cum non raro accidat, ut innuptæ aliquæ, quibus ex furtivo concubitu uterus increscit, ad Confessores mox adeuntes de illata vi conquerantur, & oblectamentum nullum habuisse insuper addant & suadere conentur, ut majorem sic suæ turpitudinis excusationem habere credantur, ac sic rem omnem citrà voluntatem aut voluptatem peractam fuisse, aut excusationis aut ruboris causâ inculcant; quod an possibile sit, nunc videndum est.

1.

2. Sed inprimis hoc naturæ, & Sanctorum Patrum decretis repugnare videtur, quia ut Magister sentent. *in* 19. *distinct. secund.* asserit, *Si primi homines non peccâssent, absque omni peccato & macula in paradiso carnali copulâ convenissent, essetq; ibi coitus immaculatus, ac mixtio sine concupiscentia; atq; genitalibus membris sicut & cæteris ita imperarent, ut ibi nullum motum illicitum sentirent: & sicuti alia corporis membra aliis admovemus sine libidinis ardore, ut manum capiti; ita absque carnis pruritu genitalibus uterentur; hæc enim lethalis ex peccato membris humanis inhæsit. Genuissent itaque in paradiso filios per coitum immaculatum absque corruptione.* Quidquid aliter opinentur Nyssenus *lib. de creati. hominis cap.* 18. Damascenus *lib.* 2. *fidei orthodoxæ cap.* 30 Euthymius, Chrysostomus, & Procopius, citati apud Pereiram *in Genes.* & apud Ludovicum de Molina *lib de opere sex dierum.* Unde Augustinus super Genes. *Cur non credamus* (inquit) *primos homines ante peccatum genitalibus membris ad creationem imperare potuisse, sicuti cæteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu utuntur? Incredibile enim non est Deum talia fecisse corpora illa, ut si non peccarent, membris illis sicuti pedibus imperarent; nec cum ardore seminarent, nec cum dolore parerent: sed post peccatum motum illum meruerunt, quem nuptiæ ordinant, continentia cohibet; infirmitasq; prona in turpitudinis ruinam honestate excipitur nuptiali, ut quod sanis officium esset, ægrotis sit remedium.* Rursusque idem S. Pater *lib. de fide ad Petrum p.*1. *quæst.* 24. iterùm docet, quòd originale peccatum libidini, concupiscentiæ, ac voluptati admixtum fuerit; cujus verba ponuntur in decretis, *de cons. distinct.* 4. *cap. firmissimè*, ubi sic: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum mortiq; subjectum; quarè omnes ex libidine & voluptate coitûs geniti cum peccato originali concipiuntur.* Magnâ igitur solertiâ natura animalibus omnibus, & homini potissimum ingentem illum voluptatis sensum in venereis affixit propagationis solicita, indiditque genitalibus tantum oblectamentum, ut vel invitè in generationis actum ruerent; turgentiaque animantia, & in coitum prona, ad illum facilè ducerentur, ne alioquin individuorum interitu species omninò deficerent. Rectè quidem Andreas Laurentius: *Quis enim* (inquit) *per Deum immortalem! concubitum rem adeò fœdam solicitaret, amplexaretur, eiq; indulgeret? quo vultu divinum illud animal plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem, obscœnas mulierum partes, tot sordibus inquinatas, & eâ ratione in locum imum, vel sentinam corporis relegatas attrectaret? quæ fæmina maris in amplexum rueret? quæ laboriosam nonimestrem gestationem ferre vellet? quæ fœtûs exclusionem diris cruciatibus molestam, sæpè exitiosam, pati; aut plenam solicitudinis educationem sustineret, nisi incredibili voluptatis æstro percita forent genitalia?* Hinc optimè Proclus *in præfat. Sophistæ Platonis*, naturam magam appellabat, propterea quòd animos naturalibus rationibus mulceat & alliciat, adeò ut ægrè à generationis voluptate amoveantur.

Quæst. 18.

9. Sup. Genes. cap. 3. & lib 14. de civit. Dei cap. 26.

3.

Lib. 7. cap. 1.

4. Sed licèt hæc ita sint, non desunt tamen medici, qui conceptum citrà voluptatem fieri posse asserant; inter quos omnium primus Hippocrates *lib. de carnibus prope finem*, ubi postquàm signa aliqua, quæ dum concipiunt mulieres experiuntur, aperuit, aliquas etiam sine delectationis sensu concipere docuit; quod clarè confirmat Aristoteles 1. *de Generat. animal. cap.* 19. *& lib.* 2. *ejusdem cap.* 4. Averroës quoque, qui postquam legit libros *Aristotelis*, à multis quæsivisse ait de hoc, & responderunt plures quòd imprægnatæ fuissent etiamsi displicuisset illis coitus: addit se multas vidisse imprægnatas cùm per vim fuissent violatæ. Hanc opinionem ut veram plurimi posteà approbare non dubitârunt; eam tenent Laurentius *lib.* 8. *anat. quæst.* 6. *&* 11. Marcellus Donatus *lib.* 4. *de med. hist. mirab. cap.* 17. Ludovicus Bonaciola

ciola *lib. de fœtûs format. cap. 2. fol. 51. & fol. 35.* ubi multas vidisse & audivisse refert, quæ citrà libidinis voluptatem aut oblectationem se concepisse dicerent: fatetur idem Saxonia *cap. de sterilit.* Castrensis *lib. 2. Microcos. cap. 5.* A Castro *lib. 2. de nat. mulieb. cap. 1. & 3.* Æmilius Parisanus *lib. 1. subtil. exercit. 7.* Zacutus *lib. 3. de principum hist. quæst. 18.* Capivaccius *lib. de fœtûs format. cap. 3.* & alii plures.

5. Verùm quamvis tot ac tam docti viri sic opinentur, tamen non desunt alii, qui mulierem sine delectatione concipere posse firmiter negent. Hujus sententię fuit Fernelius *lib. 7. de hominis procreatione cap. 6.* qui muliercularum dictis hoc asserentium nullam fidem adhibendam esse monet; eandem opinionem defendit Peramatus *in appendice fol. mihi 98.* ubi inquit: *Falsum hoc nos scimus testimoniis multarum, quæ sæpè sæpiùs hujus rei fecerunt periculum; nec sunt audiendæ quædam, quæ castitatem simulantes perhibent se nullâ fuisse oblectatione detentas, sed omnia per vim fuisse perpessas.* Probat deindè, quia obscœnarum partium confricatio, etiamsi involuntaria sit, voluptatem movet; nam (inquit) si scabiosum invitum scalpas, non ob id dolore, sed voluptate afficies. Secundò, uterus ex semine virili, quantumvis per vim indito, oblectatur ob convenientiam objecti cum sensorio, quæ potissima delectationis causa est. Tertiò, quàmvis actus violentus incipiat, prosecutio fit voluntaria; quarè concludit non esse hujusmodi fœminas audiendas, nec à confessoribus admittendas: sicuti enim dulce per vim in os inditum necessariò gustum dulcem facit; ita objecta reliqua sensuum suis organis incidentia, si voluptuosa fuerint, voluptatem, si infesta, dolorem movebunt. Quarè credit conceptum sine ardore concupiscentiæ & carnis oblectatione fieri non posse, quod etiam apertè negat *Mercurialis*, qui licèt *lib. 4. de morb. mul. cap. 5.* hoc ex *Aristotele* referat, tamen *lib. 1. cap. 2. de causis steril.* ait *Aristotelis* opinionem hâc parte à medicis non recipi, Philosophumque illud tantùm dixisse, quia semen mulieribus denegavit; quod cùm falsum sit, oportet (ait) etiam negare sine voluptate concipere posse: ac propter eà asserit optimè *Æsium* dixisse *lib. ult. cap. 26.* coitus invitos mulierum omnes esse inanes & steriles, amorem verò conciliare genituram & conceptum. Cæterùm quamvis *Peramati* rationes aliquid ponderis habeant, tamen affirmantium opinio mihi magis placet; hanc *Hippocratis* auctoritas confirmat, & Aristotelis *2. de gen. animal. cap. 4.* ubi sic scribit: *At sine ea voluptate, quæ fœminis per coitum evenire solet, concipitur, si locus turgeat, & vulva descendat propiùs.* Quarè omnes ferè medici (si paucos illos demas) hoc possibile esse fatentur, ut latius probat Zacchias *lib. 3. titul. 1. quæstion. 7. & lib. 4. titul. 2. quæstion. 4.* Quarè cum tam multi hoc fateantur & testentur, de causa ob quam sic aliquando accidat jam inquirendum est.

6.

Mulier sine delectatione concipere potest.

7. *Vir an fœmina magis in coitu delectetur.*

Vir an fœmina magis in coitu delectetur, multi ex junioribus dubitârunt; tamen ferè omnes maris intensiorem esse pronuntiant, mulieris verò extensiorem & ex pluribus causis: nam ex intromissione, & ex fricatione, majus quàm vir oblectamentum capit, semen effundit, virile prolectat. Ita accipiendus Avicenna *lib. 3. fen. 1. tract. 1. cap. 2.* Galenus *in calce cap. 6. lib. 1. de sympt. causis*, cum majorem fœminis voluptatem esse declarant: quidquid Tiresias à Jove & Junone electus, aliter mulierum partes tutando, ex utriusque sexûs experimento declaraverit apud Ovidium *lib. 3. metamorph. fab. 4.* Nam cùm potissima voluptas in seminis expulsione consistat & ex ea oriatur, homo verò abundantius multò reddat, spirituosum, calidissimum, probè coctum & elaboratum, & per longiores vias velociter currens, hinc est, ut intensior maris quàm fœminæ sit voluptas, ut *lib. de genitura* docet Hippocrates & *lib. 1. de diætâ.* Hoc enim jure masculo natura concessit, tanquam qui pugnam primus initurus erat, & fœminam invitare debebat; nam hæ conditiones mulieri denegatæ sunt, partim ob fabricam instrumenti generationis & situs illius, partim ob seminis frigidiorem temperiem: quippè non ut masculus extrà abdomen semen ejaculatur, sed intrà, quo loco generatio perficitur, & fit conceptus; propter eà per brevius spatium semen excernit, cum breviores capriolares illi sat fuerint: deindè & minus genitalis seminis, tenuioris, incoctiorisque emittit. Relinquo plura alia, quæ circà hanc rem addit *Parisanus* citat, cum communis omnium sit sententia; de qua si pulchra desideras vide Nicol. Rorarium *in contrad. Hipp. 14.* cui non obstat quod Hip-

Tiresiæ judicium de voluptate in coitu, de quo vide Lucianum in astrolog. Rhodig. lib. & cap. 14. & Apollodorum lib. 3.

8.

Hippocrates *lib. 1. de morbis nu. 3.* apertè fœminam viro calidiorem esse scribat: prædictus enim locus tanquam minimè genuinus & *Hippocratis* doctrinæ incongruus à plurimis expungitur, cum sit contrà illius & *Galeni* doctrinam, multis aliis in locis inculcatam; ut videre est apud Galeotum Martium, *de doct. promiscua cap. 18.* Andream Laurentium *lib. 8. anat. quæst. 2.* & præcipuè apud Zacutum *lib. 2. de principum hist. quæst. 61.* ubi multorum expositiones ad prædictum locum luculenter affert: & adhuc elegantiùs videtur *Hippocratis* sententiam explicare Nicol. Rorarius *in ipsius Hipp. contradict. nu. 37.* optimè ad contrarias rationes satisfaciens; qualiter etiam Macrobius *Saturn. lib. 7.* Horo Philosopho plures alias afferenti exactè satisfacit: ad quos omnes, ne diutius in hac re immoremur, lectorem remitto, cum apud medicos omnes certissimum sit, virum calidiorem fœminâ esse, & illius oblectationem in coitu propterea majorem.

9.

Conclusio.

10.

Igitur ad propositum jam redeuntes, fœminam aliquam aut cum paucissima delectatione, aut citrà ullam concipere posse, ut certum statuimus; cùm tot ac tam celebres viri cum *Hippocrate* duce hoc asseverare non dubitent: quarè causa ob quam hoc ita accidere possit jam quærenda est. Aristoteles *lib. 2. de gen. animal. cap. 4.* suprà citat. cum dixisset fœminam absque illa delectatione quæ in coitu percipitur concipere, rationem statim addit, *si locus turgeat & vulva descendat*; quæ tamen ratio tam longè distat à vera hujus effectûs causa quam quærimus, ut potius ex loci turgentia & vulvæ descensu majorem in ea delectationem colligere possimus, cum ad objectum seminis uterus non nisi ex magna delectatione tanto conatu feratur ut ad illud recipiendum descendat: quarè hæc *Aristotelis* ratio nil valet. *Castrensis* sup. citat. cum *Dino*, quos sequitur *A Castro* in locis jam adductis, hujus eventûs aliam causam existimat; ait enim seminis excretionem in fœmina absque voluptate fieri posse, cum ejaculatio uteri os non attingit, ubi potissimum delectationis sensus viget, sed ad cavitatem expellitur, cujus sensus est hebetior. Sed hanc opinionem meritò improbat *Laurentius*; quia non ideò voluptas excitatur, quòd ad uteri os semen feratur, sed quia per vasa spermatica exquisitissimi sensûs decurrit: alioquin (ait) gravidæ, quæ semen non in osculum interius, sed in mediam cervicem ejaculantur, voluptatem nullam perciperent; cum tamen gravidas majore frui voluptate certissimum sit, quia per longiores ductus earum semen fertur.

Causa cur fœmina absque delectatione concipiant. Prima.

Secunda.

Tertia.

Sed adhuc alii paulò deterius modum talis conceptionis explicare nituntur, qui virile semen per se solum sine seminis fœminei adjumento ad generationem sufficere contendunt; & hujus sententiæ auctores multipliciter rem hanc determinant, alii namque mulieri verum semen nequaquam concedunt, sed illius loco substantiam quandam salivalem dictam ajunt emittere, quæ generationi nullam opem conferat, quæ *Aristotelis* & Peripateticorum omnium fuit opinio, quam ex medicis aliqui secuti sunt; inter quos venit numerandus Averroës *2. collect. cap. 10.* qui ex *Aristotelis* doctrina motus ait à multis hoc quæsivisse, & à pluribus audivisse, quòd absque spermatisatione impraegnatæ fuissent; ex quo semen aut nullum aut infœcundum continere deducit, quod & pluribus primæ notæ Philosophis visum est, ut *Durando*, *Capreolo*, *Paludano*, & pluribus aliis. Ex quo tandem inferunt absque ulla voluptatis scintilla mulierem aliquando concipere posse; nam cùm potissima in seminis expulsione consistat, cùm illo careant, reliquum est, ut etiam illâ, quæ ad illius motum sequitur, voluptate destituantur, ut apertè idem *Aristoteles* docet *1. de gen. cap. 19. 20. & lib. 2. ejusdem cap. 4.* imò *Mercurialis* tenet ideò *Aristotelem* dixisse mulierem citrà delectationem concipere posse, quia nullum semen habere putavit. Sed hæc opinio cùm falso nitatur fundamento facillimè convellitur; nam semen mulieres habere, & ad generationem maximè necessarium esse, ita ut absque eo fieri non possit, communiter apud medicos ut certissimum habetur: constat hoc ex Hippocrate *lib. 1. de diæta & lib. de genitur.* Galeno *in lib. de semine*, Avicennâ *lib. 3. fen. 20. cap. 44.* ubi ait: *Quòd si mulier non emittit sperma, non fit filius*, & latius *fen. 21. sequenti cap. de generat. embryonis post medium*. Hanc opinionem secuti sunt antiqui & celeberrimi Philosophi *Pythagoras*, *Democritus*, *Epicurus*; cui etiam adhæsit Lucretius *lib. 4. de rerum nat.* dicens:

Lib. 1. de morb mul. cap. 2.

Semper enim partus duplici de semine constat.

Sequuntur ex medicis Thad. Florentinus *comment. 5. aph. 49.* Cardanus *contrad. med. lib. 2. tract. 6. cont. 18.* Mercatus *lib. 1. classe 1. d. 1. quæst. 97. art. 3.* Laurentius *lib. 8. anat.*

anat. quæst. 5. Vallesius *lib.* 2. *controv. cap.* 7. Rorarius *in contrad. Gal. nu.* 137. Lemnius *de occultis nat. miracul. lib.* 1. *cap.* 6. Epiph. Ferdinand. *in theor. med. lib.* 2. *theor.* 38. Vidius *de tuend. valet. memb. lib.* 13. *cap.* 5. Castrensis *lib.* 2. *de met eor. microc. cap.* 5. Petrus Garçia *disp.* 35. *cap.* 6. *super Avic.* & omnes ferè Medici, & ex Jurisconsultis Carrarius *lib. de med. & ejus officio part.* 1. *nu.* 145.

Quarta. Alii verò aliâ incedentes viâ dubium hoc aliter solvunt; nam licèt verum semen in fœminis agnoscant, illius tamen usum ad fœtûs generationem ita necessarium judicant, ut melioris tantum operationis gratiâ ad effectum requiratur, cum præsertim si deficiat, non propterea conceptum necessariò frustrari volunt: quippe si virile in copia effundatur sufficienti, prolificum satis & perfectum, & in quantitate pro membranis gignendis, intrà quas fœtus formandus tegendusque sit, & pro primis solidarum partium delineamentis, ajunt tunc fœmineum non desiderari, cùm cætera, quæ requiruntur pro materia & fœtûs alimento, à sanguine menstruo præstari possint. Vnde etiam existimant in casu proposito citrà ullam oblectationem conceptum evenire posse cùm semen nullatenùs expellatur à fœmina; ad cujus defectum necessariò etiam delectatio deficere debet, quia tantum melioris usûs gratiâ illius adventum requiri dicunt: & sic respondendum putant ad Hippocratem *lib. de nat. pucri*, & ad Galenum *in lib. de semine*, & 14. *de usu part.* 7. ubi asserunt, in conceptu utriusque parentis semina in medio vulvæ simultaneâ evacuatione misceri debere; nec enim ideò (ajunt) dicendum fœminam activè non concurrere etiamsi non excernat, quia cum hoc stat adhuc activè concurrere, cùm uteri formatrice productionem fœtûs adjuvet, cui etiam sua vis inest. Hujus sententiæ fuit Zacutus *lib.* 3. *de princip. hist. quæst.* 18. qui in suæ opinionis confirmationem Theologos potiùs quàm medicos adducit: cum tamen contrarium in omnium ferè medicorum libris legatur, qui tenent semen utriusque parentis seorsim, quantumvis validum, ad generationem sufficiens non esse, nec maris etiamsi exquisitissimum, fœmineum excusare. Et ut multorum rationes omittam, si illud verum esset quòd aliquando excusaretur, cur semper excusari non poterit? cum natura, quoad fieri potest, paucioribus sit contenta, & frustrà per plura fecisset, quod per pauciora potuisset; unde si alterum ex seminibus aliquo modo excusaretur, cur non semper excusaret? Constat ergò non potioris aut melioris usûs gratiâ semen fœminis fuisse datum, sed tanquam rem penitus necessariam, cum generatio ex maris & fœminæ seminibus tanquam partialibus partibus integretur, taliter ut altero deficiente necessariò frustretur conceptus, ut communis tenet opinio.

Quinta. Inveniuntur adhuc alii, qui licèt semen fœcundum in fœmina concedant, & ad generationem necessarium, tamen modum quo sine voluptate concipere possit, aliter explicant: inquiunt enim contrarium non esse, mulierem semen non emittere, & semen illius esse necessarium; quia licèt in actu non emittant, ajunt à semine viri prolifico posteà attrahi, sicut sanguinem trahit: ex quo inferunt citrà delectationem concipere posse, quæ ad seminis expulsionem sequitur. Ita Saxonia *cap. de sterilitate*, qui ab aliquibus ait accepisse absque voluptate gravidas fuisse factas; cum quo etiam videtur convenire Sinibaldus *lib.* 5. *Geneanthrop. tract.* 1. *cap.* 10 & Savanarola *in rub.* 22. *de imprægnatione*, ubi scribit, se ab honesta & fide digna muliere audivisse, multoties eam imprægnatam, cùm nunquam percepisset se cum viro eodem tempore exspermatizasse. Sed hæc opinio partim vera est, partim falsa: in tantum enim veram judico, in quantum ad conceptionem perficiendam necessarium non est, ut simul & eodem momento uterque concurrant; quia licèt posteà brevi tamen intervallo eorum aliquis effundat, conceptus nihilominus inchoari poterit, aut saltem non frustrari; quod sanè accidet si conspicua non fuerit mora, nec intercedat tempus, in quo spirituosa seminis pars quodammodò infrigidetur aut exhaletur, ita ut ad generandum semen reddatur ineptum; quo tempore alterum adveniens irritum ob socii inefficaciam manere oportet. Hinc *Ovidius*:

Odi concubitus, qui non utrimque resolvunt.

Et iterùm:

Crede mihi, Veneris non est properanda voluptas.

11. Ideò Rhasis 9. *continentis* dicebat, amore nimis ardentes mulieres non concipere, quia antequam sit opus, semen effundunt. Falsa tamen est, inquantum vult viri semen fœmineum posteà attrahere peracto coitu; quia tunc temporis jam ardor & pru-

pruritus quievit, & infrigidatus est uterus simul & appetitus: quòd si adhuc in actu posito advenit socium semen, citrà voluptatem venire non probat, si post actum inefficax erit, cùm jam partialem causam ad effectum producendum aptam non inveniat; & quomodocumque sit, fœmineo posteà adventante conceptus sequi non potest, quia necessariò antequam liquescat, & exhalentur spiritus, misceri debent. Nec etiam audiendæ sunt illæ, quæ citrà seminis effusionem concepisse ferunt, ut mihi quædam, sed fallax admodum & summâ vafricie plena fœmina, sæpiùs dixit; quia hoc merum est mendacium, veritatique prorsùs contrarium: unde enim si ita foret, filii matribus similes evadere possent? circà coitum quippe & imprægnationem multa suadere student, sed non rarò falsa, ut pudicitiam fingant, & appetitum dissimulent; quarè in hoc nulla fides illis adhibenda est, ut citatus *Parisanus* advertit. Quòd si aliquandò minorem delectationem percipientes, omninò nullam habuisse ajunt, ideò est, quia frigidius illarum est semen, & vasa in aliquibus ampliora, cujus occasione non ita acutè sentiunt, atque ita cum minori voluptate seminare suspicandum est; & plerumque ob modestiam & verecundiam negant: nam etiam repetiuntur homines, qui vel ob prædictas causas, vel ob coitûs frequentiam, semen effundentes parvam & exiguam voluptatem sentiunt; vel ob seminis frigiditatem, ut in senibus, cujus ratione cum minori velocitate & voluptate excernunt, vel ob paucitatem & spirituum defectum multis coitibus anteà consumptorum.

12.

Sexta.

Tandem Paulus Zacchias *lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 7. *& lib.* 4 *tit.* 2. *quæst.* 4. multò aliter causam reddit, ob quam mulier absque delectatione gravida fieri possit: ait enim hoc verum esse, quoniam voluptas percepta in ipso actu coitûs, vel potiùs in receptione seminis virilis facta eodem momento, quo illæ proprium semen ejaculabantur, adeò exuperavit voluptatem, quam in proprio emittendo percipere debuerant, ut nullatenùs eâ se affectas fuisse autument; quod præcipuè evenire ait in juvenculis ob majorem seminis tenuitatem, & intensiorem voluptatem ex congressu & receptione seminis virilis, cui nondum erant assuefactæ: quare tenet à delectatione, quæ ex istis illis advenit, aliam quæ à proprii seminis excretione provenire debebat, omninò obscurari, aut multùm imminui. Sed meo judicio ridicula hæc sunt, & nullo pacto admittenda; quippè actiones naturales nullam doctrinam aut usum requirunt, & præsertim illæ, quæ in sensatione consistunt: recèns natus infans statim novit sugere; dulcia qui nunquam gustavit, si in illius os indantur, ut dulcedinem percipiat necesse est, nec ullus usus talis saporis anteà habitus requiritur. Deindè minor virtus obscuratur à majori, non è contrà: sed delectationem quam fœminæ percipiunt à cæteris minorem esse, quàm illam, quæ à proprii seminis expulsione advenit, nemo ignorare potest; ergò ab aliis obscurari non posse plus est quàm certum. Tandem Lemosius *lib.* 1. *de facult. cap.* 6. *post medium* hoc tantùm contingere ait in illis, quæ violenter corrumpuntur; quare putat ideò tunc delectationem non sentire, quia illo tempore mens ægrotat, ut de dolentibus 2. *aph.* 6. docuit *Hippocrates*: sed hæc opinio non videtur admittenda, quia mens in tali casu nullo modo ægrotare dicenda est. Quòd si ob violentiam, quæ illis eo tempore infertur, & ob resistendi conatum minùs tunc ad Veneris conflictum attendant, hoc sufficere non videtur, ut si semen effundant, naturalem delectationem, quæ ad illius expulsionem sequitur, non advertant: imò actus quamvis violentè incipiat, cum delectatione finitur, ut anteà dicebamus; & exemplum de saccharo per vim in os indito, quod *Peramatus* adducit, hîc etiam locum habet; nam licèt sic indatur, tamen dulcedo percipitur.

Septima.

13.

Ultimò *Capivaccius* etiam citatus mulierem absque delectatione concipere posse credit, si semen frigidum & impurum emittat: sed licèt hic ad veritatem propiùs accedat, adhuc omninò scopum non attingit; semen enim nunquam ita frigidum & impurum esse potest, ut propterea in exitu omninò delectationem tollat; alioquin in mulieribus suffocationem ab utero patientibus, titillatio ad semen corruptum expellendum citrà peccatum admitti deberet, quod est contrà communem Theologorum sententiam: deinde semen voluptatem illam non sentit, sed causat; ergò, licèt non ita purum partes sentientes movere debet, ut ab objecto delectante alterentur: mitto quòd tale semen frigidum & impurum generationi est ineptum.

Octava.

14.

Nona & vera causa.

Cùm igitur nulla ex prædictis opinionibus satisfacere videatur, reliquum est ut dicamus conceptum nullâ aliâ ratione citrà delectationem fieri posse, nisi utero morboso, intemperato, aut malè affecto existente; quidquid renuat *Steph. Rod. Castrensis*

sis. Ita *Laurentius* quæst. 5. & 11. lib. 8. *Sana mulier* (inquit) *citrà delectationem nunquam concipit; impura verò, mucosa, & crassa absque voluptate potest concipere.* Probat ex Hippocrate *lib. de carnibus*, qui conceptionis quædam signa afferens ea non sentiri ait, nec contingere, nisi in sanis & puris corporibus; in mucosis verò crassis & impuris nil tale contingere affirmat: in quam etiam sententiam videtur inclinare Æmil. Parisanus *lib. 1. nobil. exercit. de subti. exercit. 7.* Quòd si *Castrensis* ideò hoc negat, quòd quæ talem habent uterum, nequaquàm concipere posse videantur, incerta ratio est. Fatemur quidem plerumque sic accidere, ut uteri intemperies qualiscumque, & potissimùm frigida & humida, impuris & mucosis humoribus referta, uteri retentricem & omnes illius actiones offendat & enervet; quod etiam tumores illius faciunt, ulcera, aut ex humorum illuvie laxitas, quomodocumque ex muliebri fluore, aut ex aliis humoribus per illam corporis sentinam evacuatis; fatemur, inquam, in causa esse posse, ut uterus nec semen retinere, nec concipere possit: sed hoc plerumque sic evenire putandum, ut non tollat quo minùs aliquando aliter eveniat, & fœmina, quæ aliquod ex prædictis patitur, nihilominùs concipiat. Non enim quælibet intemperies virtutis actum omninò dejicit, ipsiusque vim omnem exolvit, sed immodica, ut 3. *de sympt. caus. & 2. opht. 20.* Galenus docet. Est sanè in uteri procidentia satis magna uteri & ligamentorum humiditas & frigiditas, nihilominùs tali ægritudine affectas mulieres imprægnatas fuisse vidit Trincavellus *lib. 11. cap. 17.* quod aliis historiis confirmat Ronssæus *lib. de partu cæsareo sect. 6. cap. 5. & 6.* Sed & cum uteri hydrope aliquando accidisse refert *Schenckius*; cum uteri fluxu (altero quidem plurimarum corruptarum impuritatum morbo) multas concepisse in sua urbe, ubi frequens malum est, scribit Sylvaticus *hist. 68.* imò longe possibilius hoc esse statuit, quàm si menses fluant: sed ipsis fluentibus multas imprægnatas fuisse quæst. præcedenti ex *Pinæo* & *Zacuto* vidimus; ergò & albis humiditatibus, crassis, & mucosis descendentibus evenire poterit, quia fœtui nullo sunt nutrimento. Itaque in istis omnibus credendum est sensum uteri hebetari debere, & illius τόνος aliqualiter deperdi; quarè seminis excretionem, quod non ita calidum nec perfectum sit, nec per longos tubos decurrens, ac celeriter exiens, mirum non est si non animadvertant, & tunc temporis exiguâ aut nullâ delectatione fruantur, ac sentiant: ut mirum etiam proptereà non sit, si à mentulæ accessu & confricatione voluptatem quoque quemadmodum sanæ non percipiant; qualiter forsan in duabus mulieribus accidit, quæ nullam in coitu cum maritis delectationem unquam habuisse firmiter asserebant, ut narrat Platerus *lib. 1. obs. fol. mihi 260.* Venus enim in eis velut extincta videbatur, de quo mariti apud eundem Platerum querebantur. Quandoquidem hunc in coitu delectationis defectum ob morbosam, laxam, ac frigidam genitalium partium dispositionem in viro observavit Julius Cæsar Claudinus *Consul. 12.* quo loco remedia ad morbosam hanc displicentiam optima præscripsit.

15.

16.

Nec ea quæ *Peramatus* arguit, aliquid obstant; quia omnia illa de sanis & nullo pacto utero morbosis accipienda sunt: verum enim est semen uteri objectum delectabile esse, sed propter intemperiem, & humorum impuritatem labefactatus minùs valet illud percipere, quod in optimo statu facere debebat. Quemadmodum enim videmus in intemperato ventriculo & pravis humoribus referto inappetentiam sequi, & ut in febribus biliosis licèt siti inextinguibili crucientur ægroti, tamen potus qui objectum proportionatum & delectabile est, nullam suavitatem eis affert, imò aqua amara, quæ talis non est, apparet, quæ alioquin solatium & delectationem causat; & licèt ita ventriculus habeat, tamen devorata concoquit, nec omninò operandi vim amittit: ita etiam hujusmodi fœminæ taliter affectæ concipere poterunt citrà voluptatem, sicuti perfectè sanæ sine illa nequaquam, cùm nullam habeant causam, quæ objecti delectationem impedire possit. Ideò maximè advertendum in virginibus, quæ castitatem per vim amissam hujusmodi fallaciis simulant, an optimè degant: quia tunc impossibile est citrà voluptatem aut coitum exercere, aut concipere; ideoque talibus asserentibus nequaquàm credendum, nisi aliter constet illarum matricem crassis & frigidis humoribus refertam esse, quod ex illarum relatione, pallido faciei colore, mensium defectu aut obstructionibus licebit colligere. Nec etiam audiendæ, si dum vim sustinerent, dicant præ timore, ploratu, ira, mœrore, conatúve implicitis voluptati nullum fuisse locum; quia hoc multi impossibile judicant, cùm animi affectus aliquo modo obstent, quo minùs imprægnatio sequatur. Quapropter *Peramatus*, *Fernelius*, &

Mer-

Mercurialis omninò fieri posse negant: de aliis verò morbosis quòd aliquando impragnari possint credibile est, cùm possibile sit, ut quamvis semen non ita prout decet perfectum ejaculentur, tamen à viri semine satis prolifico fœminei defectus suppleatur, cùm actionis illius sit præcipuus opifex. Ex quibus inferendum in homine nunquam evenire posse, ut absque voluptate fœminam impleat; quia qui tale semen continet invalidum, frigidum, & minimè spirituosum, & ad cujus expulsionem oblectatio non sequitur, ad generationem prorsus erit inefficax; nec à fœmineo illius defectus suppleri poterit, cùm noxa in agente potissimo major sit, & fœminei virtus multò inferior, à qua emendari nunquam poterit, ut optimè *Marcel. Donatus* inculcat loco suprà citato. Ultimò tandem advertendum est illud, quod notat Mercurialis *lib.* 1. *de morb. mul. in fine*, non omnem uteri morbum facere ut fœmina gravida non fiat, sed illos præsertim qui in uteri corpore existunt; alioqui si in illius collo sedem habeant, conceptum nihilominùs accidere posse: unde inferendum est, cùm penis collum uteri tantùm attingat, & corpus matricis non ingrediatur, posse quidem sensum ibi inveniri obtusum ut voluptatem non percipiat, & tamen corpus uteri rectè se habere, ut ejaculatum semen optimè attrahat, & retineat, sicque ex illo conceptum efformet.

17.

QUÆSTIO QUADRAGESIMATERTIA.

Mandragora an ad Venerem promovendam, & ad impregnationem aliquo modo conducere possit?

SAcra Pagina de præsenti quæstione dubitandi nobis dat ansam; legitur quippe *Gen. cap.* 30. Rachelem mandragoras (fortè illius erant poma) à Lia expetivisse, ut ex illis comedens conceptui fieret opportuna; credunt enim omnes quòd cupida prolis mandragoras volebat assumere, ut promptiùs sic ad conceptum veniret: nam Liæ invidiâ commota, quæ fœcunda erat, fructum, quem ejusdem Liæ filius Ruben ex agro redux matri apportaverat, à sorore petebat, ut ex illo comedens faciliùs gravida fieret. Quis autem Rachelem & Liam, venustas quidem sed steriles Jacobi uxores mandragoræ poma sterilitatis esse antidotum docuerit, dubitari potest: *Certè* (inquit Langius *tom.* 2. *epist.* 21.) *Ruben frater Dei Israëlis monitu.* Sed meritò hanc virtutem mandragoræ pomis assignare medicis durum videtur, utpotè quòd ex omnium consensu, & ex ipsa experientia frigidissima habeatur planta, ut 3. *de temp.* Galenus scripsit, qui etiam 7. *simpl.* frigidam in tertio gradu facit, & 3. *ejusdem* frigidissimam eam appellavit in quarto gradu; quarè 5. *ejusdem operis lib.* stupefactivam esse statuit, & quæ hominem necare valeat, ac proinde eâ uti in potu minimè esse utile: quod iterùm 8. *secundùm locos* repetit, dicens quòd corpora mortificet, & ad frigiditatem immedicabilem ducat; quia cùm homine pugnat, & naturæ humanæ contrarius est illius succus, ut 4. *simpl.* idem auctor tradit; quod antè ipsum scripserat Dioscorides *lib.* 4. *cap.* 77. apud quem legimus illius succum in quantitate bibitum mortem afferre, & obmutescere eos, qui poma mandragoræ nimiè comedunt; & de altera illius specie quæ *Morion* dicitur, verba faciens rationem tollere dicit, si ad drachm. j. illius succus bibatur, & quòd ad tres vel quatuor horas sic permanere faciat. Et ne ab aliis exempla petamus, memini me ab hinc ann. 15. quatuor vidisse homines, qui ruri degentes initio mensis Aprilis, cùm fortè mandragoram propè domum inter sata conspexissent, putantes betam esse, in olla cum carnibus avulsam & lotam coxerunt, herbam posteà cum jure comedentes; quid fit? omnes paucis transactis horis in maximam venerunt mentis alienationem, nec sibi præsentes pedibus stare poterant; alter nudus abiit in viciniam, alter tectum metu latronum ascendere cogitabat, alter cutem, & manus præsertim vellicare non cessabat, dicens sibi evellere ricinos: tandem subsequenti die convalescere cœperunt. Henricus Smetius *lib.* 10. *miscellan. medic.* describens ægritudines, quas anno 1591. observavit, similem historiam refert de octo convivis, qui cùm quadam nobili matrona radicem cicutæ lotam carnibus ab ignoranti ancilla incoctam comederunt, & eâdem rationis privatio-

1.

2.

tione periculosè ægrotârunt: qualiter etiam aliis accidisse, qui cicutam devorârunt, narrat Mathiolus *lib.* 4. *in Diosc. cap.* 74. *de cicuta*, & *lib.* 6. *cap.* 11. sicuti Tragus *lib.* 1. *cap. de cicuta*. Undè colligo herbam illam, quam Appianus *de bello Parth.* in exercitu Antonii milites extremâ fame pressos comedisse ait, cicutam fuisse aut mandragoram; nam inquit: *Per maniam ad mortem eos ducebat; quisquis enim sumpserat, aliorum negotiorum ignarus & immemor unum agebat, movebat & vertebat omnem lapidem, putans se rem valdè seriam agere: ita totus campus repletus est effodientibus, & transmoventibus lapides. Tandem evomendo bilem moriebantur; quando etiam vinum, quod solum erat remedio, defecerat.* Quæ cùm ita sint, mirum non est si incantatrices illâ ad amatoria uterentur; undè Circæa etiam cognominata est, quòd hujus nominis famosissima incantatrix ex eadem planta venefica multa philtra parare consuevisset, cùm mentem auferat, (unde Græcis *morion* dicta) torporem inducat, & sensus hebetet. Hinc illis quibus aliquod membrum exscindendum est, aut tortura aliqua subeunda, meritò propinatur, ut sensitivâ virtute sopitâ doloris vim non sentiant, ut *Dioscorides* & *Galenus* multis in locis scribunt: est enim tanta hujus plantæ hypnotica vis, ut vel solùm in cubiculo suspensum illius pomum gravem somnolentiam concitet, ut *Lævinus Lemnius* infrà citatus sibi accidisse ait, cùm negligenter illud in musæo collocaret, ex cujus odore in veternum ægrè dissolubilem incidit. Quæ cùm ita sint, meritò medici dubitare poterunt, an prolificam vim adaugere & conceptum adjuvare possit; præsertim cùm frigiditas respectu actionum viventis nullam efficientiam præstet, nec concursum ullum effectivum ad animæ vegetativæ actiones, multo minùs ad sensitivæ operationes præstare valeat; quin imò sensus omnes obtorpescere faciat, ut 5. *contro. cap.* 11. Valesius, & Segarra *de natura hum. textu* 38. doctè confirmant: quidquid Petrus Garcia *fen.* 11. *disp.* 39. *cap.* 8. *fol.* 1171. econtrà probare nitatur, quia nec concoctiones frigiditas adjuvare potest, & multò minùs in reliquis actionibus id præstabit, in illis præsertim, quæ generationi inserviunt, sive semen adaugendo, sive disponendo, cùm hæc omnia caloris, & minimè frigoris operationes sint; & omnia, quæ id præstant, calida sunt medicamenta, ut apud omnes medicos constat.

3.

4.

Sed licèt hæc vera sint tamen mandragoram ad generationem & conceptum aliquantum conducere ex multis quæ apud auctores leguntur, videtur colligi posse; siquidem *Dioscorides* succum pomorum mandragoræ matricem purgare apertè scribit. Apud Galenum *lib. de dinamidiis cap. de genitalium causis*, ex vino, fœniculo, & rotulis mandragoræ remedium paratur, ut mulier concipiat: sunt prætereà qui affirmant illius semina matricem purgare, & quòd libidinem etiam promoveat; ut præter *Hesychium*, qui Venerem ideò appellavit mandragoritim, scribunt Epiphanius *in physin.* & Vincentius *in speculo naturali lib.* 19. *cap.* 44. propterea; elephantes fœminam inituros mandragoram edere ad Venerem excitandam, quod in *elephantis hist.* non subticuit *Aldrovandus*, & ex prædictis auctoribus refert etiam Mercurialis 2. *aph.* 17. Rhasis quoque 4. *contin. cap.* 83. ait fœminam vidisse, quæ ut impregnaretur radicem mandragoræ bibere consueverat: quin & Savanarola de *ægritudinibus membrorum generationis in fœminis rub.* 23. laudat ad imprægnationem juvandam tripheram, si vino decoctionis mandragoræ sumatur, & mirabiliter adjuvare ait. Quæ si vera sunt, dicere poterimus Rachelem absque nocumento mandragoræ succum assumere potuisse; quia quamvis exitialis sit, tamen non nisi quantitate nocet, ut 2. *aph.* 17. fatetur *Galenus*, imò modicè sumpta juvat, eodem auctore *comment.* 2. *de victûs rat. in acutis*; & hâc moderatione tristibus, anxiis, & se strangulare volentibus radicem illius propinari jubet Hippocrates *lib. de locis in homine textu* 125. in minori quantitate, quàm ut insaniam causare possit; quo etiam remedio in convulsis utitur *textu sequenti*. Ex quibus etiam colligere possumus Rachelem & Liam herbam & virtutem illius fuisse edoctas, ac eodem modo modicè priùs assuevisse, ut innoxiè posteà & absque periculo liceret uti: quemadmodum scimus Turcas & Indos ad Venerem & exhilarationem, integram drachmam & aliquando plures sui Massach seu Amphionis frequenter devorare; sæpè etiam duas, aut tres; quod tantùm abest ut illis noceat, ut etiam tristentur, viribusque & alacritate minùs valeant, si deficiat aut illo non utantur, ut præter multos alios tradunt *Garcias ab Horto*, *Marcellus Donatus*, *Alpinus*, & *Sennertus*. Quòd autem sine periculo id faciant, non aliter quàm consuetudinis ratione accidere docent *Monardes*, *Duretus*, & idem *Garcias ab Horto*; quam etiam

5.

6.

etiam ob causam Ligures, Taurinique cicutæ radices in acetariis pro deliciis habent & sine nocumento sumunt, ut tradit Scaliger *exercit.* 152. cum tamen perniciosior sit planta, quàm mandragora. Et si exemplis agere oportet, auctor quoque est *Mathiolus* incolas agri Tridentini affatim placentis vesci ex semine papaveris nigri ad satietatem ingestis, nec tamen nocere, aut somnum inducere; quin & Austrios, & Stiriæ indigenas oleum ex semine papaveris nigri expressum in cibis continuò, olivarum olei vice assumere: ut quanta sit consuetudinis vis hinc pateat, & proprio Turcarum exemplo, qui vel trium etiam drachmarum pondere opium assumere audent, confirmat Prosper Alpinus *lib.* 4. *de med. Ægypt.* drachmam enim frequentissimè ab ipsis devorari vidit Pet. Bellonius, *lib.* 3. *memorab. obs. cap.* 14. citrà noxam ullam; cujus usu sese animosiores fieri, neque belli pericula formidare asserunt: quod Turcis Natoliæ & per Asiam minorem, præcipuè Janniceris in usu quotidiano esse; ipsis Maslach nuncupatum, tradunt Renodæus, & VVeckerus *lib.* 1. *antid. specialis sect.* 16. cujus ad animositatem comparandam plusculùm sumere ajunt. Quæ tamen minorem admirationem afferent, si comparentur cum Hispano illo, de quo narrat *Hollerius*, *Guillielmum Rondoletium* retulisse, quòd illum viderit in magno æstu innoxiè semiunciam opii devorâsse: ut jam videamus, quamvis Galenus 5. *simpl. cap.* 14. dicat: *Mandragorâ, cicutâ, papavere siquis modicè utatur, condensandi vim obtinent; si liberalius, stupefaciendi & necandi*; non ita perpetuum id esse, quin vel ob consuetudinem, vel ob particularem naturam majori quantitate impunè sumantur, ut aliis exemplis ostenditur apud Schenckium *lib.* 7. *tit. ultimo de idiosyncrasia.* Cæterum hæc exempla in usum minimè trahenda consulerem; venenis enim hujusmodi assuefieri nec pronum, nec facile est. Itaque ex his omnibus inferre possumus in Rachele & Lia sic evenire potuisse, ut paulatim assuefactæ tandem innoxiè mandragoræ pomis uterentur; aut forsan dicendum, non totam mandragoram esitare consuevisse, sed radicem ejus siccam tantummodò: quippe ut ex *Galeno* constat 5. *simpl. cap.* 19. mandragora venenum est, excepto ejus cortice sicco, sicuti altercum excepto semine; quod non ita verum est, ut securè his uti valeamus, cum apud *Schenckium* de semine hyoschyami gravi noxâ sumpto aliquæ historiæ legantur.

8. *Divus Augustinus* ait, se diligenter investigâsse an talem virtutem mandragora habuisset, sed nullam sanè reperisse; quarè huic plantæ talem vim negare non dubitavit, & pomorum illius suavitati hoc potius tribuendum judicat: sed cum passim prædictum mandragoræ pomum inveniatur valdè insuave, meritò à *Mercuriali* non recipitur *lib.* 2. *de rat. vict. in morb. acutis textu* 13. ubi rectius dici putat, si mandragoræ prædicta vis ad arcanam aliquam illius proprietatem referatur. Et certè mirum non est huc confugisse, cum multæ in plantis inveniantur occultæ qualitates, quæ ab effectu tantum cognoscuntur, nec illarum ulla ratio reddi potest; imò ex ipsarum herbarum temperie contrarium non rarò infertur: quæ potissima causa est, ut ad occultas proprietates confugiatur, sicuti in hac mandragoræ virtute facit *Mercurialis*, cujus temperiem ex excedenti ac adeò frigida qualitate conflatam, vitæ potius contrariam ac inimicam vim obtinere ostendit, ut ipsâ experientiâ sæpius visum est; narcoticâ enim & stupefactivâ vi prædita sterilitati potius quàm Veneri & conceptui prodesse videbatur. Quare à Magis hemionium dictam fuisse in *Dioscoridis Synonymis* legitur, quasi mularem dixeris, quòd suâ frigiditate sterilitatem causare posit.

In exposit. ad cap. 30. Genes.

9. Alii, inter quos est Lævinus Lemnius *lib. de his, quæ in sacris libris per similitudinem arborum, seminum, & radicum dicta sunt, cap.* 2. scribunt Rachelem hoc à Lia ideò expetivisse, quoniam nimis calidam totius corporis & uteri sortiebatur temperiem; quam ut attemperaret, pomorum mandragoræ esum appetebat: quæ opinio etiam placuit Sinibaldo *in geneanthropeia lib.* 6. *tract.* 2. *cap.* 7. Addit præterea idem *Lemnius*, vim illam adjuvandi conceptum & libidinem movendi, mandragoram non in locis frigidis, sed in calidis habere posse, ut sunt Africa, Ægyptus, Judæa, quibus in regionibus cum mulieres ventres calidiores sicciores que obtineant, ideò forsan ibi ad prædictum effectum prodesse; minus quoque ob regionis caliditatem illas offendere potuisse conjectandum, cum nimiam plantæ frigiditatem cæli temperie ibi suprà modum calidâ temperari & remitti debuisse, intelligere pronum sit: nam plantas & stirpes aut transportatas, aut ob soli varietatem multum immutari 3. *de sympt. causis cap.* 2. docuit *Galenus*, exemplumque in Persica planta affert, quæ cum

in Perside lethalis esset, in Ægyptum translata id quod periculosum erat mutavit, ac mitescere cœpit, ut præter *Galenum* scribunt *Mathiolus, Amatus, Laguna, Lobel, Ioan. Bauhinus,* & *Ioan. Agricola* in *novissima plantarum hist.* unde Martialis *epig. 46. lib. 13.*

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptivis Persica cara sumus.

Erant quippè in sua Perside noxia & venenosa, sed translata mutatoque cælo & solo dulcia facta sunt & salubria, ut quoque tradit *Columella*; de quo legendus Alciatus *embl.* 142. & Claud. Minois *ad idem embl.* Et certè animadversione dignæ sunt hæ *Lemnii* rationes, quia haud dubiè efficaces videntur: aut enim negandum est dictum *Genes.* locum, & *Dudaim* Rubenicum de mandragoris nostris accipiendum, ut *epist.* 60. putat *Balduinus Ronssæus*; qui etiam non immeritò suspicatur poma illa non legitimæ mandragoræ fuisse, sed forsan Melongenæ, aut illis admodum similia, quæ hodiè mala insana alii, alii poma amoris dicunt, cùm & absque nocumento edantur, & Venerem stimulent ob flatuum copiam, quam producunt. Quæ si non placent, dicendum aliud ibi intelligi debere, quod nos latet: aut si de mandragora nobis nota cum omnibus *Sacræ Paginæ* interpretibus *Dudaim* illud interpretari velimus, non est cur illam virtutem illi penitus denegemus, quamvis rationi & temperamento illius plantæ videatur repugnare; cum qui illam condidit Auctor, ipsius vires melius multò, quàm nos judicio nostro assequi valemus, perfectè cognitam habuerit; qui eandem Rubeno manifestare voluerit, ut sic citrà miraculum sterilitati Rachelis mederetur, cui succurrere decreverat: medicamenti quippe vim & efficaciam Rachelem si non expertam, cognitam tamen satis habuisse, inde colligitur, quòd sorori Liæ mariti concubitum nocte unicâ permiserit, ne efficaci illo remedio careret; quasi parum esset illi mariti absentiam per noctem, & sororis ferre concubitum, modò mandragoris frueretur, ut tandem Dei auspiciis conciperet & pareret.

11.

12. *Impostorum commentum circa radices mandragoræ, & aliarum plantarum.*

Quòd si adhuc prædicta non satisfaciunt, putaverit forsan aliquis, impostorum circà mandragoram commentum hodiernis etiam notum, jam ab illo tempore originem habere potuisse; cui Rachel & Lia fortassis fidem tribuentes, mirum non est si in eam deceptionem cum reliquis devenissent, ut commendatam à nebulonibus illius plantæ prolificandi virtutem crederent, ac ideò expeterent, cum pro singulari sterilitatis remedio fortè laudari ab impostoribus aliquibus audierint; qui sicuti hodiè, sic eo tempore, & mandragoram extollere, & caro pretio vendere summâ vafricie norant. Dedit quippe commento occasionem ipsius mandragoræ signatura, ex qua sicuti in pluribus plantis, ab illarum, aut florum, foliorúmve, aut radicum figura, herbarum vires, & cui corporis parti faveant cognosci ajunt; ut in satyriorum speciebus, aspleno, hepatica, & innumeris aliis ostendunt Osualdus Crollius *proprio tracta. de signat. plantarum*, & abundantius multo Baptistà Porta *in sua phytognomonia.* Sic itaque ex mandragora, & illius præsertim radicis figura, hujusmodi fallacia provenire tum temporis potuit: pro cujus intelligentia sciendum est, illius poma pediculis semidodrantalibus altitudinis parum à radice distantia super folia enasci, eâ dispositione ut hominis cui brachia desint effigiem quadamtenus repræsentent; cui signaturæ & in radicibus alia adjungitur, quippè in eadem planta ferè omnes à medio ad imum bifurcatæ proveniunt, adeò ut hominis crura exhibere videantur: nec aliam ob causam *Pythagoras* Anthropomorphon, id est, figuram hominis, mandragoram appellavit; quem secutus *Columella* suo in horto semihominem dixit:

Quamvis semihominis vesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœstamq; cicutam.

Quod etiam tetigit Rhodiginus *lib. 17. antiq. lect. cap. 24.* & *Avicennam* hoc etiam dixisse refert; *Albertus* quoque *Magnus* hanc similiter hujus herbæ effigiem extollit, & non solùm prædictam hominis figuram ostendere ait, sed sexum aliorumque accidentium differentias: quapropter non abs re suspicari possimus agyrtas aliquos & fumivendulos indè occasionem sumpsisse, ut mandragoræ fructus & radicis figuram illam naturaliter provenientem arte & vafricie novoque commento adjuvarent, ut sic meliùs prolificandi illius virtutem astutè commendarent & extollerent, & conceptionis defectui sterilitatique optimè subvenire posse sterilibus & prolem cupientibus facilius persuaderent, existimantes herbam, quæ illâ effigie impressa nascebatur, eandem intrà corpus adjuvare posse, si illam quoquo modo devorarent. Nebulonum hanc imposturam antiquis & nostris temporibus usitatam

13.

descri-

de scribunt *Lemnius* citatus, *Amatus*, *Laguna*, & omnes ferè Botanici *cap. de mandragora*; de qua re sic Mathiolus lib. 4. cap. 71. *Radices illæ, quæ humanam formam referunt, quas impostores & nebulones quidam venales circumferunt infœcundas mulieres decepturi, factitiæ sunt, ex arundinum, mandragoræ, bryoniæ, aliarumq; plantarum radicibus: sculpunt enim in his adhuc virentibus tam virorum quàm mulierum formas, infixis hordei & milii granis in locis ubi pilos exoriri volunt; deindè factâ scrobe tamdiu tenui sabulo obruunt, quousque grana illa radices emittant, quod fit viginti dierum spatio; demùm eas eruunt, & adnatas è granis radices acutissimo cultello scindunt aptantq;, ut capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant. Hujus sanè rei certam fidem facere possum, quòd cùm Romæ essem, impostorem quendam circumforaneum lue gallicâ correptum nobis curare contigit, qui præter alias innumeras imposturas, quibus circumveniendis hominibus multis pecuniam extorquent, docuit & artem, quâ factitias sibi comparabat mandragoras; quarum complures mihi demonstravit, asserens unam tantùm 25. nonnunquam 30. aureis divitibus vendidisse.* Mizaldus etiam *cent. 5. nu. 59.* qualiter ex radice bryoniæ factitiæ mandragoræ parandæ sint, latiùs docet.

Hæc itaque erat nebulonum fraus & astuta simulatio, quâ quæstum non levem facientes, mandragoræ primùm ob dictam innatam effigiem radicibus uti cœperunt; quæ si non inveniebantur, ne lucrum deficeret, cannarum, aut bryoniæ radices eodem modo aptabant, mandragoramque esse dicebant, ut meliùs sic emptores deciperent: quod sanè commentum antiquissimum fuisse non dubitaverim, ut propterea *Theophilus* antiquissimus auctor mandragoram amoris philtrum esse tradiderit. Apud

14\. Lusitanos communiter de illis qui optimè ab omnibus ac comiter excipiuntur, amoris jure expetuntur, omniumque gratiam promerentur: adagii modo dicitur: *Tem mendracula.* id est, habet mandragulam; quasi hæc planta non solùm sterilitatis amuletum, sed ineundæ quoque gratiæ igniculos quosdam ingerere putaretur, ad quam adipiscendam à pluribus etiam expeteretur. Ex *Mathioli* igitur dictis causam deducere possumus, ob quam *Albertus Magnus* non hominis tantùm figuram, sed sexum aliorumque accidentium differentias in mandragoræ radicibus enasci crediderit & scripserit, factitiis forsan deceptus; in quo sanè errore antiquitus, & nunc hodiè versabantur omnes, qui tantam imposturam nescientes illud crediderant: quam sanè imposturam & deceptionem ab Israëlitis dimanâsse, & earum fœminis accidisse mirum non est si suspicemur, & ab illis ad Lusitanos pervenisse, ad quorum oras multi justâ Dei punitione mundum pervagantes devenerunt.

QVÆSTIO QVADRAGESIMAQVARTA.

An mentha, ruta, & aliæ plantæ calidæ Venerem adaugeant, aut hebetent, & extinguere valeant? Explicatur Aristotelis *problema 2. secti. 20. de mentha. Item medicamenta, quæ Venerem excitent, & quæ nimiam reprimant, selectissima proponuntur.*

QUandò igitur de frigidissima planta, qualis mandragora est, illud jam exquisivimus, operæpretium erit, ut de calidioribus aliquibus agamus, videamusque, an Veneris conatum adjuvent, an potius infringant & retundant: quandoquidem in medicorum scriptis hoc suâ contrarietate non careat, cum mentham, rutam, & hujuscemodi herbas alias satis calidas, jam ad Veneris usum tanquam auxiliatrices commen-

1\. dent; jam coitum maximè offendere & enervare, semen liquefacere ac corrumpere legamus. Quæ sanè loquendi varietas quid in hac re statuendum sit dubium relinquit, ut propterea pro veritate investiganda & invenienda nos in hujus difficultatis indagationem adegerit: & inprimis de mentha, quòd ad Venerem stimulet affirmat *Dioscorides*, qui illius succum cum aceto epotum ad Venerem stimulare scripsit, quod etiam de nasturtio docuit; eodem modo Galenus 6. *simpl.* mentham Venerem excitare dixit: testatur idem Paulus Ægineta *lib. 7.* quos sequitur Avicenna lib. 3. fen. 20. cap. 21. *Confortat* (inquit) *membra spermatis validè &*

& ejus succus fortitudinem facit super sperma; quarè forte sit desiderium. & cap. 31. sequenti: *Mentha quidem pharmacum est nobile in ingrossando sperma, & confortando vasa ejus ad retinendum ipsum.* Ratio evidens est, quia cùm planta calida sit, sanguinem & humores calefacit, incendit, fundit: ut mirum non sit, si ad seminis quoque vasa concalefactos concitet, ut sic ardorem Venerisque desiderium excitet, & ad coitum stimulet; cùm præsertim generationis partes calidis gaudeant, cùm ex illorum alteratione alacriores reddantur, econtrà frigidorum usu obtorpescant & infrigidentur: quarè in medicamentis ad Venerem aptis frigidum nil ingreditur.

Verùm ex alia parte quòd mentha Veneri adversetur, ruta etiam & hujusmodi 2. fortis plantæ aliæ, ut narstutium, periclymenon, agnus castus, cannabis semen, & alia satis calidæ temperiei, passim apud auctores invenimus: quippe *Hippocrates* lib. 2. de diæta. *Excessu* (inquit) *caliditatis eâ utentes calefacit, urinam movet, vomitum sistit; ac si quis semen ejus sæpè comedat, colliquefacit & genituram defluere cogit, ac erigere prohibet.* Ab illo creditur sumpsisse *Aristoteles*, qui ideò *problem. 2. sect. 20.* dixit: *Mentham in bello nec serito, nec edito.* Sequitur Plinius *lib. 20. cap. 14.* nam quàmvis aviditatem in cibis excitet, ac embammatibus ideò misceatur, tamen generationi resistere creditur, inquit Plinius: Galenus etiam 6. *simpl.* inter semen destruentia quæ gonorrheæ prosunt, semen viticis & rutæ assiduum usum commendavit. Hinc Dios- 3. corides *cap. 145. lib.* 3. de ruta ait: *Genituram cibo potuq; extinguit.* quare *Macer* de eadem:

> *Expellit partus pota, veneremq; coercet.*

Propterea *Nicandri* interpres rutam *peganon* appellavit, quòd semen compescat, atque ideò sacerdotes & mystæ sacris initiati ad servandam castitatem eâ utebantur. Similiter *Plutarchus* in sympos. decad. 3. probl. 1. *Rutam, quam peganon vocant, apud illos à facultate nomen accepisse tradunt; siccitate enim, quam vi caloris possidet, genitale semen cogit ac coagulat, penitusq; uterum gerentibus inimica est.* Quare in *Schola Salernitana*:

> *Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta;*
> *Adde rosæ florem, minuit potenter amorem.*

Ferè eadem de coriandro & pulegio Galenus 6. *simpl.* quòd frequenter in usum convocata semen fluidum reddant, & ne cui penis erigi possit faciant; sed potissimùm de mentha, de qua idem *Macer*: Cap. 5

> *Matrici succus si subditur illius ante*
> *Quàm fiat coitus, mulier non concipit inde.*

4. Quod apertè fatetur *Dioscorides*, ex quo *Plinius* citat. generationi resistere monuit, & semen humanum depravare ac ineptum reddere; quòd sicuti illa lacti immista, quominùs coëat concrescátve prohibet, ita ab homine sumpta semen condensari non sinat: quod Cassianus *in Geoponicis lib. 24. cap. 12.* non subticuit: *Lacti injecta mentha spissari prohibet.* Quantùm verò generationi obstet seminis vel nimia crassities, vel liquiditas, præter medicos elegantissimè docuit *Lucretius*: propterea *Oppiani* interpres mentham malam plantam vocavit, quòd antè coitum mulierum apposita genitalibus conceptionem inhibeat. Eadem de periclymeno scribit *Dioscorides*, cujus folia ait per 37. dies devorata impotentes homines facere, quòd sperma exsiccent, caliditateque & acutie consumant. De Agno casto idem auctor eadem docet, genituram exsiccare, Veneris appetitum imminuere, tam semen consumendo, quàm flatus resolvendo; inde *agnus* dicta, quod est *casta.* Propterea matronæ, quæ in Cereris sacrificiis, seu Thermopoliis Athenis castitatem servabant, super illius folia cubare consueverant, quemadmodum apud Græcos eos qui servandæ castitatis ratione initiabantur, rutam quotidie edere consuevisse scribit *Rhodiginus.* Eodem modo de cannabis semine calidissimo 8. *simpl.* Galenus adnotavit, quòd tanto vigore exsiccet, ut genitalem virtutem resolvat; & de anetho, camphora, & aliis quæ similes operationes faciunt, licèt calida, acuta, tenuiumque partium sint, communiter scribitur. Lib. 20 cap. 14 Lib. 4. Lib. 11. cap. 15.

Igitur cùm tanta inter semetipsos, & inter alios sit auctorum contrarietas, mirum non est de hujus rei certitudine dubitare, cùm in componenda hac lite & *Aristotelis* problemate explicando varium ac multiplex sit auctorum judicium: Lazarus de Soto *in Hipp. de locis in homine textu* 16. in ea est sententia, ut auctores, qui 1. Opinio. mentham Veneri adversari scripserunt, de sylvestri mentha accipi debere dicat, 5. cùm calidior multò sit & acrior quàm sativa; cùm verò Venerem juvare ajunt, de hac

hac, non de sylvestri intelligendos esse vult: quod *Plinius* insinuavit, Veneris enim insomnia inhibere dixit, atque ita *Aristotelem* accipiendum judicat *in problemate citato.* Sed cùm cæteri omnes in sativa hanc efficaciam inveniant, in hoc sensu qualiter hoc accidat videndum est: Lemnius *de complexionib. cap.* 10. coitûs appetentiam in viris extinguere, in fœminis accendere putat cum Ruellio *de natura stirpium. cap.* 37. quam etiam opinionem habuit *Freitagius*, qui ait mentham & rutam in viris seminis proventum vi valenter siccante inhibere posse, quòd illorum semen acrius & calidius sit; secùs in fœminis aphrodisium non extinguere, sed ad libidinem excitare, quòd frigidius illarum sperma concoquat. Hinc in *Schola Salernitana* sic legitur:

.Opinio.

In aurora lib. 3. c. 36.

Ruta viris coitum minuit, mulieribus auget.

Sed hæc opinio non placet, quia licèt in maribus citiùs propter illorum calorem operari possit, & semen illorum quòd calidius sit magis resolvere, non proinde sequitur quòd in fœminis similem effectum præstare non valeat; multò minùs contrarium, quia illarum respectu viri non est tanta frigiditas, ut ejus ratione ex eadem herba eodem modo parata & exhibita tam diversi effectus oriri possint. Nec etiam audiendi sunt alii, qui hujusmodi plantas Venerem adjuvare credunt tantùm in his, in quibus propter genitalium superfluam humiditatem coitus languet; aliis verò officere: hoc enim licèt probabilitatem aliquam habere videatur, tamen harum plantarum ea vis est, ut non solùm superabundantem, sed nativam etiam humiditatem consumant; & quod magis est seminis substantiam resolvunt, atque ineptam generationi reddunt.

.Opinio.

.Opinio. 6.

Communis igitur multorum fuit sententia, mentham, rutam, prædictasque omnes plantas, & hujusmodi alias corpus nimio suo calore calefacere, sed per accidens infrigidare calidam & tenuem seminis substantiam resolvendo & extenuando; ut inter alios hanc opinionem sequuntur Conciliator *in exposit. ad dictum Arist. probl.* & Hermolaus *in Corollario cap.* 263. quod de immodico illius usu intelligendum est, ex quo seminis abundantia imminuitur & depravatur; quo fit ut corpus ex accidenti refrigeretur, ac unà effœminetur animus ob seminis & spirituum exolutionem: & hoc modo intelligendus *Aristoteles*, cùm mentham suo frigore corpora enervare dixit; non enim nativâ suâ frigiditate hoc facere voluit (cùm nullam habeat) ut malè adversùs illum adduxit Ronssæus *epist.* 21. nam cùm corpora refrigerare posse dixit, addit statim ex seminis corruptione hoc constare, illud scilicet colliquefaciendo, ac fluidum reddendo, ut ex Hippocrate *lib. 2. de diæta* suprà dicebamus: quod video *Mercuriali* placuisse, cùm mentha nullo modo refrigeret, sed impensè fundat atque colliquet; imò siccitate semen extinguere scripsit *Oribasius.* Hac de causa belli tempore nec serendam, nec edendam tradit *Aristoteles;* cùm enim belli tempore multi pereant, ac proindè novo cive & milite opus sit, qui mortuis succedat, propagatione opus est, quam mentha semen extinguens & depravans impedit; nec ob hanc solùm causam, sed quia cùm semen extinguat virilitati quoque nocet, unde eâ utentes minùs animosiores, & effœminati redduntur. Quòd si aliqui dicant mentham tantùm hoc causare posse, si nimius sit illius usus, cùm econtrà modicè sumpta ad coitum stimulet, ut existimârunt Beverovicius *in quæst. epistolicis,* & Sinibaldus *lib. 3. Geneanthropeiæ tract. 3. cap.* 22. adhuc *Aristotelis* problema verum est, & consilium non minùs utile, quòd belli tempore ea non sit edenda; quòd tunc temporis homines ad coitum minimè proclives esse deceat, ne illius illecebris distracti ad belli negotia minùs respiciant, ac proindè imbecilles fiant & ad bellum minimè apti.

4. Variar. cap. 8.

7. 3. Opinio, quæ omnium verissima est.

Sed quamvis hæc rectè dicantur, adhuc optimè sentire mihi videntur alii, qui prædictos auctores, cùm rutam & mentham coitum adjuvare statuunt, de viridi locutos fuisse intelligunt; cùm verò econtrà Veneri adversari dicunt, de sicca & ab omni humiditate exuta accipi debere aiunt; & hæc est communior multorum opinio. Eam tenet Alex. Benedictus *lib. 20. cap.* 17. Langius *tom. 1. epist.* 66. Vidius *de tuenda valet. membror. lib.* 14. *cap.* 3. Mercatus *cap. de gonorrhæa,* Mizaldus *cent. 4. memorab. nu.* 17. & hujus sententiæ auctores facit *Nicandrum, Hippocratem, Galenum & Dioscoridem;* videturque ex *Galeno* colligi: quippe *lib. 6. simp.* de mentha sic scribit: *Quamobrem sanè ob eam, quam ex cultura accepit humiditatem, mediocriter ad Venerem excitat; id quod omnibus accidit, quæ humiditatem habent semicoctam & flatuosam:* & 4. *de sanit. tuenda* 5. de ruta, *sint Rutæ folia* (inquit) *modicè siccata: ut enim si plusculum siccentur, acriæ*

acria amaraq; redduntur, & supra quàm par est calida; sic si prorsus non sicces, excrementitium quendam humorem retinent, nondum ex toto concoctum, cujus vitio flatum discutere minùs possunt. Apertè *lib. 2. secundùm locos cap. 1.* hoc declarat: *Est enim* (inquit) *non parva differentia, cùm arida ruta multò acrior & calidior quàm viridis existat.* Atque ita intelligendus, cùm pro gonorrhæa curanda, & seminis excretione compescenda, vel folia substernere, vel semine rutæ assiduè vesci jubet 14. *Meth. 7.* cum de priapismo ageret. Idem de mentha videtur docuisse *Dioscorides*, qui pro excitanda Veneris appetentia succum illius exhibet; nam sic flatum & coitûs pruritum excitat, sicca verò & semina præcipuè eosdem flatus discutiunt, & Venerem infringunt: idem de satyrio, quod cynosorchim dicunt, expressiùs affirmat *lib. 3. cap.* 136. 137. Radicem mollem ajunt in Thessalia mulieres in lacte caprino bibere ad stimulandos coitus, aridam verò ad inhibendos, & alterum alterius potu resolvi. Nec solùm in prædictis, sed in plurimis aliis herbis & medicamentis hujusmodi differentiam, pro varia illorum præparatione provenire conspicimus: idem Galenus 6. *simp.* de plantagine viridi loquens, viridem docet reprimere, siccam discutere & resolvere; quarè eandem siccam pro hepatis & renum obstructionibus commendat, & 2. *ad Glauc.* cùm eâdem pro curandis strumis utitur, tanquam de sicca loquens audiendus est: nam 14. *meth.* dicebat, strumis & scirrhis eandem curationem deberi, quæ aliis tumoribus induratis; quarè nullo modo de viridi plantagine accipi potest, cùm sic frigida sit & adstringens, sed de sicca. Quo eodem modo audiendi sunt omnes, qui plantaginem pro strumis adducunt, sicuti *Rhasis* & alii: ut obiter hinc notetur aliquorum error, qui hiberno tempore siccis utuntur herbis recentium loco, cùm qualitatibus valdè differant; quippe & mentham viridem, quæ plantagine multò est calidior, & tenuium partium, *lib. 2. de compos. secund. locos, & 1. ad Glaucum* repellere ait *Galenus.*

[R]. Opinio. 8.

Quæ cùm ita sint, non est cur Rod. à Castro *lib. 1. de morb. mul. cap.* 15. *in scholio.* ad substantiæ proprietatem confugiat, hoc argumento ductus, quia si hoc ita foret quæcumque alia calida & sicca semen sisterent; quod nihilominùs, inquit, in aromatibus, & plerisque aliis calidis herbis non apparet: dicimus enim, prædicta aromata, & similes alias plantas, ideò talem effectum non causare, quia ob substantiæ tenuitatem faciliùs ac citiùs quàm par est resolvuntur, & quia cum generationis partibus & vasis seminariis minorem fortassis obtinent analogiam, ut ea offendere possint, cum grato eorum odore potiùs roborentur & confortentur; alias verò herbas calidas, quæ similem fragrantiam non obtinent, dicto modo satis nocere jam diximus. Unum tamen in fine hujus dubitationis addiderim, quare videlicèt dicat *Dioscorides*, gustui suaviorem & esui optimam esse rutam, quæ circà ficum arborem seritur; quod etiam tradidit Plutarchus *symp.* 5. sapidiorem judicans. *Laguna* hoc ad sympathiam refert & amicitiam, quam inter ficum & rutam inveniri ait: ego verò non ad ullam occultam sympathiæ vim hoc referendum puto, sed ad arboris naturam, quæ à terra calidiorem, & acriorem substantiæ partem surripit ad causticum suum lac gignendum; quo fit ut ruta minùs calida & acris reddatur, sicque gustui gratior fiat. Ita enim rei rusticæ scriptores, juxtà coronarias herbas & odoriferas, allia, cæpas, & id genus alia serenda præcipiunt; quoniam sic majorem odoris gratiam, & suaviorem acquirunt, dum fœtidæ plantæ à terra in sui nutritionem acriorem & sibi similem substantiam attrahunt, & quia contrariorum virtus juxtà posita magis unitur & illucescit, ut inter alios adnotavit *Mizaldus.*

Cent. 1 memora[bil.] 32.

Veneris stimulos quæ medicamenta infringant. 9.

Tandem operæpretium duximus, quando de illis, quæ Veneris pruritum excitant vel infringunt, hîc egimus, selectissima aliqua medicamenta & à paucis nota hîc adjungere, quæ ad utrumque effectum maximè utilia & efficacia esse comperimus. Igitur ad Veneris furorem, & seminis ardores compescendos, remedia partim à simplicibus refrigerantibus desumuntur, partim composita ex eisdem componuntur: simplicia duplicia sunt, aut enim calida sunt, aut frigida, ut lactuca, de qua tritum est, quod omnes medici docent, eam nimirùm ad coitum hominem reddere impotentem, & Veneris stimulos demulcere; unde idcircò eunuchum appellari à Pythagoricis ex Ibyco Pythagorico refert Athenæus Dipnosoph. *lib. 2. cap.* 32. apud quem circà id ipsum scitu digna nonnulla jucundissima de lactuca leguntur, ex quo *Tiraquellus.* Similiter de salice, hyoschiamo, cicuta, nymphæa, portulaca & similibus. Item ex lapidibus, corallo, & smaragdo; quæ duo non à proprietate occulta ut aliqua

De lege connub. lib. 15. n[um]. 46.

qua

qui credunt, sed potiùs refrigerando & exsiccando Venerem reprimunt, sicuti camphora, cujus vires in minuendo coitu cæteris omnibus valentiores esse præter *Scaligerum* fatentur omnes. Cicutam Dioscorides *lib.* 4. *cap.* 47. tritam, & testibus circumlitam applicari jubet; sed in potu non debet exhiberi, cùm sit venenum frigidum: nec obstat, quòd *D. Basilius* insignis philosophus & medicus dicat vidisse quosdam, qui potione cicutæ extinxerunt rabiosas cupiditates & Veneris incendia; fortassis enim non puro succo usi sunt, sed aliquo modo præparato, qualiter Sacerdotes Athenis cicutâ libidinem extinguere consueverant, ut referunt Alexander ab Alexandro 4. *genial. cap.* 17. & D. Hieronymus *contra Iovinianum*; qui & hierophantas, æditubs, sacrorum custodiæ præfectos cicutâ se castrâsse scribunt, pontificatum adepturos, ut sacra maximâ castimoniâ tractanda esse ostenderent. Itaque cicuta

10\. exteriùs admovenda, ut facit *Dioscorides*, non intus exhibenda, nec succus nec herba, cùm sit venenum nocentissimum; alioquin ubi non noceant, omnia venena frigida hoc præstare certum est, ac Veneris conatum inhibere: quod de hioschiamo, solano, papavere etiam accipiendum, quæ licèt minus efficacia, tamen venena sunt frigida. Aliter de lactuca, plantagine, portulaca, salice, & nymphæa credendum est, quæ & comedi possunt, & succus potari; licèt *Vega* succum lactucæ duarum unciarum quantitate ebibitum interimere dicat, sicuti alia venena frigida, quem secutus *Varandæus* in cathedra Monspelensi hoc aliquando docuit: falsum quippe est, & à nemine expertum aut visum. De nymphæa *Dioscorides* cap. 31. lib. 3. *Contra Veneris insomnia bibitur, &c.* quod 8. *simpl.* confirmat *Galenus*: de salice idem Dioscorides *cap.* 17. *lib.* 1. Plinius *lib.* 24. *cap.* 15. folia salicis trita & epota Veneris intemperantiam coërcere, & sæpius sumpta usum in totum auferre ait; & ut olim Cereris virgines vitice utebantur, sic hodiè moniales, quæ castè vivere desiderant, foliis salicis

Lib. 2. de arte med. sect. cap. 7.

11\. *[Ca]mphora [qualit]as qua[lit]ates ob[tin]eat.* uti consuevisse scribit *Ranchinus*, & cubicula eisdem sternere. Camphoræ qualitates quænam sint decertant plurimi; nam frigidam esse cum *Avicenna* statuunt *Serapio, Platearius, Garcias ab Horto, Laguna, Christ. à Costa, Dioscorides*, & innumeri alii; cùm tamen calidam putet Mathiolus *lib.* 1. *in Dioscor. cap.* 71. *de lentisco*, quia subtilis, acris, tenuis, penetrans, & quia in aquam projecta exardescat; quæ omnia caliditatem illius attestantur: econtrà frigidam esse ex eo colligitur, quòd inflammationibus oculorum maximè opituletur, ex Avicenna 3. 1. *tract.* 2. *cap.* 10. & quod Venerem extinguat, in quo ferè omnes consentiunt, ideoque Veneris ligatura & vinculum communiter dicitur. Sed duplici qualitate præditam, frigidâ & calidâ, certior est opinio, quam tenent Renodæus *lib.* 1. *de materia med. sect.* 9. *cap.* 2. Ranchinus *tract. de morbis virginum*; de quo argumento vide Zacutum *lib.* 3. *de princip.*

In opuscul. tract. de virg. morbis.

12\. *hist. quæst.* 34. multa enim sunt, quæ diversos effectus ob qualitates quas possident diversas, præstant, ut lentes, acetum, aloë, rhabarbarum, psyllium, ferrum chalybis: ut mirum non sit camphoram varios effectus causare, ut coitum seminisque vim retundat; quod potenter facit, renuat licèt Scaliger *exercit.* 104. *num.* 8. experimento, ut ait, edoctus; nam cani leporariæ quæ catuliebat obtulit, in potu dedit, in offa exhibuit, in nares indidit, & collo quotidie appendit: omnia frustra, coivit, concepit, peperit. Sed tamen irritum argumentum, nam forsan adulterina fuit; vel etiam dicere possumus cani, utpotè animali exuperantis caloris & siccitatis, minùs nocuam fuisse camphoræ frigiditatem: quod non tollit, quin pro minuendo coitu medicamentum efficacissimum sit ac notissimum, & tantæ operationis, ut Religiosis, qui Venerem extinguere volunt, tantùm propinari debeat; aliis verò, qui ad tempus castè vivere intendunt, non illâ sed aliis remediis utendum. Scribit enim Serapio quendam ex camphoræ assumptione ad aureos sex, in tribus vicibus sibi sperma abscidisse: quod credere abs re non est, cùm remediis adhuc exterioribus eunuchandi modum tradat Marcellus Empiricus *cap.* 33. *de medicamentis*, & ante ipsum docuit Plinius *lib.* 25. *cap.* 13. ut ex recentioribus refert Ruellius *de nat. stirpium cap.* 113.

Lib. de simpl. cap. 334.

13\. Restat de calidis & siccis inquirere, ut rutâ, menthâ, anetho, coriandro, calamentho montano, cannabis semine, periclimeno, vitice, agno casto dictâ, quam Dioscorides *cap.* 117. *lib.* 1. & Galenus 6. *simpl.* semen extinguere, & Veneris ardores compescere ajunt, tantâ vi, ut non solum suâ caliditate, & siccitate, quibus in tertio ordine prædita est, sed proprietate id facere credatur; quod de ruta & anetho non desunt qui credant auctores, cùm id alia medicamenta calida & sicca non faciant.

ciant. De cannabis semine Galenus 8. *simp.* scribit, si plusculum edatur, seminalem materiam absumere. Cardanus etiam apud Schenckium *lib.* 4. *obs. tit. de uteri ectomia*, viros longo viticis usu, fœminas periclymeni eunuchas reddi tradit. Itaque cùm inter medicamenta coitum lædentia tanta temperamenti sit varietas, in illorum usu cautè distinguendum est in junioribus aut senioribus, calidis, an frigidioribus naturis applicentur. Igitur in calidis danda aqua lactucę, portulacę, plantaginis, nymphęæ, salicis ad unc. iij. coralli rubri præparati drach. j. syrup. de limonibus unc. j. Efficacius hoc erit: ℞. prædictarum herbarum ana M. j. seminis melonis, cucurbitæ, lactucæ, papaveris, nymphęæ ana unc. j. contundantur, infundantur in succo limonum per horas 24. destillentur. ℞. aquæ destillatæ lib. j. camphoræ unc. j. dosis erit unc. j. jejuno stomacho; ad earundem herbarum & seminum decoctum si saccharum addatur, potest fieri syrupus, cui in fine adde camphoræ drachm. j. Potest etiam parari emulsio seminum cum decocto herbarum, contusis prius seminibus, & ad lib. j. pro 4. dosibus addendum camphoræ scrup. j. Cæterùm in frigidioribus naturis ex aliis herbis calidis contusis succo limonum irroratis destillatur aqua, quibus adjungenda semina cannabis & anethi. Tandem ex eisdem rebus parantur balnea, fomenta, & in fœminis injectiones, in quibus camphora aceto dissoluta addenda est. Zacutus quoquè *lib.* 2. *praxis mirandæ obs.* 108. electuarium præstantissimum ex camphora parat. Codronchus *part.* 2. *de annis climactericis. fol.* 162. morsulos sic describit: ℞. seminis agni casti, menthæ, acetosæ, portulacæ, plantaginis ana drachm. v. terantur, & cum saccharo liquato in aqua menthæ fiant morsuli, quorum drachm. j. vel duæ devorentur singulis noctibus in lecti ingressu, suprà bibendo haustum aquæ plantaginis vel lactucæ. Pro suffitu in fœminis sic etiam parari possunt trochisci: ℞. pul. seminis lactucæ, papaveris, viticis, coriandri ana drachm. j. cum mucilagine tragacanthi fiant trochisci. Tandem Cardanus *in consilio pro illustriss. Fabricio Austriaco in fine* unguentum affert optimum, quo renes & pudenda ungantur: ℞. olei de nymphæa, de mentha, myrthini ana unc. dimid. camphoræ drachm. dimid. unguenti populionis drach. iij. M^e^. fiat unguentum in mortario plumbeo. Optimum est sequens: ℞. succi lactucæ, papaveris, salicis, camphoræ ana drach. dimid. olei papaveris unc. dimid. unguenti refriger. parùm. M^e^. idem etiam unguentum cum camphora & aceto mixtum optimum erit. *Mathiolus* multùm laudat vinum, in quo mullus piscis immersus & suffocatus fuerit. Alia remedia leguntur apud auctores cap. de salacitate, satyriasi, & priapismo; de quo videndus Sennertus *lib.* 3. ad quas affectiones prædicta omnia optima sunt. Tales enim morbi (ut hoc obiter dicam) adeò turpes & fœdi sunt, ut pudorem & maximum fastidium causent; quemadmodum in Heraclito Imperatore visum, qui, ut scribunt *Nicephorus* & *Egnatius*, tam horrendo laboravit priapismo, ut tabulam ad umbilicum apponere cogeretur, ne ab urina dum illam redderet, proluerctur. Quin & in cadaveribus intenta admodum genitalia vidisse narrat Alex. Benedictus *lib.* 24. *cap.* 19. putatque ex solis vapore & hesterno imbre; de quo vide plures historias apud Philippum Salmuth. *in observat. cent.* 3. *obs.* 40.

14. 15. 16.

Quando igitur immodicæ ac furentis aphrodisiastæ Veneris optima remedia præscripsimus, quibus effrænatæ ac turpis libidinis excandescentes conatus infringi inhiberique possint, & salacissimi juvenes brutali obscœnitatis œstro insanientes, ad semetipsos & ad rationis metam iterùm reducantur; par etiam est ut languescentis ac præ frigiditate emortuæ concupiscentiæ adjumenta aliqua prosequamur afferre, quibus non solum mœrentes ac torpentes juventur mariti, & in meliorem spem erigantur, de quibus *Iuvenalis*:

17.

> —— *Iacet exiguus cum ramice nervus,*
> *Et quamvis totâ palpetur nocte, jacebit.*

Venerem languescentem quæ medicamenta excitent, & alimenta.

sed & habeant unde nimias tunc rixantium uxorum contentiones facilè componere ac mitigare possint. Igitur ex multis, quæ in auctorum lectione occurrunt, pauca & efficaciora afferemus. Simplicia ergò, quæ ad hanc rem faciunt, præter rara illa quæ *lib.*4. collegit *Schenckius*, sunt præcipuè alba & medullosa, ut cerebra & testes animalium salaciorum; ut gallorum, coturnicum, passerum, vulpis, caro cancrorum, ostreorum, lac, ova; ex fructibus, avellanæ, amygdalæ, pineæ, pistacia, castaneæ, phaseoli, fabæ, cicer, oryza, & cinara, pastinaca, raphanum, napus, item cæpa, porrum; inter herbas, eruca, caules, asparagi teneriores. Usitata in primis est mixtura ex ovis, vino, saccharo, cum butyro & cariophyllis. Utiles admodum sunt con-

[...]tiones, [...] morsuli. confectiones & morsuli restaurantes, quæ semen adaugent, ut sequens: ℞. pulpæ caponis aut perdicis unc. vij. amygdal. dulcium mundatarum unc. ij. seminis melonum, pineor. ana unc. j. & dimid. seminis erucæ unc. j. seminis pastinacæ unc. j. contundantur: adde cinamomi, piperis, zinziberis, nucis moschatæ ana drachm. j. sacchari quantum satis, lactis parum, M. fiant placentæ, quæ in clibano concoquantur: de quibus assumat unam ponderis unc. ij. suprà bibendo vini haustum cum piperis pulvere cubitum iturus. Item haustus lactis cum pulveribus gariophyllorum & seminis erucæ multum laudatur. Optimi sunt pulveres sequentes: ℞. piperis drach. j. nucis musc. zinziberis, seminis erucæ, porri ana drachm. dimid. sacchari drachm. iij. capiat drach. j. Fortiores erunt, si addatur seminis fraxini, seminis urticæ, galangæ ana drachm. dimid. moschi gr. vj. M. Efficacissima si adhuc addatur contharidum ablatis alis num. vj. carnis stinchorum drach. dimid. Dosis scrup. ij. supra bibendo lactis tepidi unc iiij. vel ℞. testium gallorum exsiccatorum unc. j. galangæ, cubebarum ana unc. j. & dimid. radicis satyrionis, seminis, erucæ ana drach j. zinziberis, medullæ nucis Indicæ, seminis lini ana drachm. j. diamb. diamosci ana drachm. dimid. fiat pulvis, ex quo cum saccharo aut melle paretur electuarium. Inter secreta habentur galli pulveres hoc modo preparati: exenteratur gallus antiquus, sale repletur, exsiccatur per dies 30. deinde omnia cum carne & ossibus pistentur; fiant pulveres, de quibus capiat drach. j. cum lacte. Avicenna *lib. 3. fen. 20. tract. 1. cap. 18.* lacertam eodem modo parare jubet: Assumatur, inquit, lacerta diebus veris, decolletur, & mundentur viscera ejus, impleatur sale, suspendatur in umbra donec exsiccetur, tunc abjice corpus; de sale sufficiet tibi quãtitas minus parua quàm de sale stinchi. Addit veretrum tauri, si exsiccetur & pulverisetur, & de eo modicũ in ovo sorbeatur *Cap. 19. & 20. lib. 3. fen. 20.* alia affert, quem vide.

[P]ulveres, [s]electa[...]rum.

[U]nctiones [e]xterne. 18.

Extrinsecus etiam utiliter applicantur unctiones, non solum lumbis & partibus genitalibus, sed pedibus etiam. Pro pene & partibus vicinis unctio cum felle capri aut tauri optima est: vel ℞. olei liliorum unc. j. euphorb. piperis, nitri, sinapis ana drach. j. moschi, castorei ana. g. 4. sed in hoc casu primas tenet unguentum formicarum, quod ex formicis allatis & illarum ovis pistis & cum oleo euphorbii, pyretri, aut petrolei mixtis paratur; quod audaciæ unguentum vocant chymici, cujus compositiones alias parare docet *Cardanus* infrà citat. & *Villanus* sic: Accipe nigras formicas, & allatas repone in vas, super infunde oleum sambuccinum, suspende per aliquot dies ad solem, postea unge testes, virgam, & plantas pedum: cæterùm & pedes inungere commendavit Avicenna, hoc enim (ut ipse ait) renes confortat, & vasa spermatis; quippe, ut ex *Fulgentio Placiades* advertit *Adrianus Iunius*, in talis venæ sunt, quę ad renum, femorum, genitaliumq; rationem pertinent, unde & ad pollicem usq; tendunt: quâ ratione emplastrum lentaticon (menthaticon legunt alii, sic dictum quòd eo loco appositum tentiginem in viris & fœminis concitet) pollici & talo imponendum præcipit *Africanus*; quin & Orphei testimonio affirmat locum illum ex præcipuis libidinis esse: quod ex chiromanticorum documentis forsan dixisse existimaverim, qui locum illum in vola manûs sub pollice libidinis seu Veneris montem vocitârunt; cui similem, & non minoris momenti sub pollice pedis observant, à malleolis usque ad magnos digitos. Itaque quàm concubituris pedum noceat frigiditas, *sec. 4. probl. 5.* adnotavit *Arist.* & expresse coitûs desiderium tollere scripsit *Avic.* dum enim pedes nudi algent, totum frigore torpet corpus, & Venus ipsa friget; unde non immeritò hebetiorẽ ac flaccidum illiùs usum clinopedalem nudipedalem lepidè appellari posse notat Langius *epist. 9. tom. 2.* & Rhodig. *lib. 15. c. 6.* Hâc ratione motus Divus Franciscus (ut fama est) suæ professionis monachis calceamentorũ usum denegavit, ut callopodiis solum uterentur ad servandã castitatis sanctimoniam, ut ex nostris tradunt Langius citat. & Savanarola *tract. 6. cap. 20. fol. 250.* hinc etiam patet symboli Pythagorici declaratio; sacris enim Ægyptiorum edoctus, in symbolis suis adorare & sacrificare Diis nudis pedibus jubet, id est, animo casto & à libidinum criminibus expiato. Quæ cum absque dubio vera sint, non citrà optimam rationem facere videntur medici, qui inter coitûs adjuvantia remedia, pedes calidis medicamentis inungunt; quâ ratione Jonstonus *in idea morb.* consulit, ut oleo in quo cantharides coquantur, pollices fricentur. *Platerus* cum felle capri pedes fricare jubet, aut oleo jasminorum, in quo per 24. horas passer immersus fuerit. Plura si volueris auxilia, non vulgaria invenies apud *Cardanum*: ubi catapotia sic parat, quæ mihi optima videntur. ℞. moschi, zibeti, ambræ ana gr. v. mellis anacardi gr. 3. fiat catapotium post cenam levem sumendum. Tandem, ut multa alia prætermeam, optima etiam sunt pauca, sed singularia ab *Henrico ab Her* adductã *obs. 9.* oleum ex pinis non rancidis

Lib. 3. fen. 20. tract. 1. cap. 16.

Lib. 4. amimadversor. cap. 12.

19.

Lib. 3. fen. 20. cap. 28.

Pilula.

Consil. 5. pro Bononi. civs.

ad unc. j. cum g. iij. moschi ebibitum: sed quod summis encomiis laudat, Imperatoribus ac Regibus tantùm usitatum, ab illorum medicis ingenti secreto celatum, mumia satyrionis est, cujus compositio & præparatio talis est. Mense Aprilis aut Octobris satyrii radices collectas aquæ puræ injice, duobus quibus constant orbiculis divulsis: quotquot aquæ innataverint, ut inutiles abjice; quæ fundum petierint, contunde in mortario lapideo pilo ligneo, sensim micam panis albissimi recentis addendo, & ad lentoris dilutionem affunde paulatim aquæ vitæ optimæ è malvatico extractæ, quantum pro quantitate sufficere videbitur; optimè mixta pone in alembico, clausaque digere in balneo per sex septimanas: tunc prælo exprime, expressum iterum per mensem digere in alembico; innatabit liquor rubini æmulus: hunc inclinando cautè collige, abjectisque fæcibus cuique selibræ adde salis margaritarum unc. dimid. olei nucis muscatæ, anisi cinamomi ana drach. dimid. dosis guttulæ xj. aut xij. in vino, jusculo, aut conserva corroborante, & usque ad 20. in impotentibus propinare poteris.

20. Mumia Satyrionis compositio.

21\. Quia tamen Veneris impotentia non rarò ab alicujus partis principalis imbecillitate dependet, puta ventriculo, jecore, cùm vel imbecillæ, vel obstructæ sunt, ita ut officia sua debito modo præstare non possint, unde in toto corpore grave nocumentum resultat, & præcipuè in partibus genitalibus, quæ ideò optimi alimenti, & spirituum copiâ fraudantur; ideò in simili casu ad prædictarum partium morbum curandum respicere oportet, vel tandem unico hoc remedio quod omnibus his intentionibus satisfacit, utendum erit. ℞. mirab. chebulor. indicor. emblicor. bellicor. piperis longi, zinziberis, cyperi, fumariæ, corticum citri siccarum, sesami excorticati ana drachm. j. chalybis præparati, scoriæ ferri, ana drach. iij. & dimid. seminis erucæ, urticæ, pastinacæ ana drachm. j. & dimidiam, diarrh. abbatis drachm. j. cum dimid. omnia in pollinem redacta misceantur; adde mellis optimi despumati quantum satis, fiat electuarium, cui pro fine adde pul. nucis musc. cinamomi ana drach. j. & dimidiam moschi & ambaris ana. g. 5. M. servetur in vase benè coöperto, dosis à drachm. j. & dimid. ad drachm. ij. supra bibendo haustum vini optimi tenuis, aut lymphati.

Nimio coitu exhaustis quibus succurrendum.

Tandem sicuti multi remedia ad erigendum, & coitum exercendum exoptant; sic econtrà aliquando accidit ut ex immodico Veneris usu aliquis ita imbecillus & exsolutus remaneat, ut restaurantibus & reficientibus medicamentis quàm citissimè illi succurrere expediat: coitûs enim & præsertim immodici damna *quæst.* 46. sequenti latius expendemus. Igitur siquando medicus ad istos vocetur (quod rarò evenit) nil præstantius erit, quàm avis satis coctæ jusculum cum guttulis optimi vini paulatim propinare, & idem vinum odorari: vel accipe ovorum vitella nu. 12. cum sacchario, ad ignem misceantur addendo vini optimi parum, pulveris cinamomi drach. dimid. M. quod optimum resumptivum est, nilque ultrà agendum erit, nisi ventriculum roborare, pedes & totum corpus calefacere, ab externis injuriis & à fœminis præcipuè ægrum servare. Sunt quippe aliqui adeò incontinentes & libidinosi, & circà Venerem adeò insanientes, qui coitum pertinaciter ita exercent, ut tandem seminis loco debilitatis vasis sanguinem effundant, ut ille de quo *in antid.* narrat. *Ioan. Fragoso*, cui ex nimio coitu sanguinis fluxus copiosus per penem accidit, quem restagnare cupiens membrum arctè constrinxit, & 3. die obiit. Hi igitur refrigeranti victûs ratione & medicamentis consolidantibus ac frigidis internis & externis facilè curantur, præmissâ, si vires ferant, sanguinis missione in brachio, ad sanguinis fluxum retrahendum: de cætero Venus interdicenda, ne si minùs sibi consulere velint, in ipso coëundi actu pereant & exanimentur, ut de Cornel. Gallo Prætorio, & Tito Æterio Romano equite narrant *Val. Max.* & *Plinius*, & multos alios quibus idem infortunium accidit, referunt Fulgosius *lib. 9. cap. 12.* Alex. Benedict. *lib. 24. de cur. morb. cap. 22.* A Castro *lib. 3. de nat. mul. cap. 4.* Pontanus *lib. de obed. cap. 12.* & Volater. *lib. 22.* Præter quos omnes ab his adductos, simili mortis genere in pellicum complexu extinctum, ac maturè discessisse Theodebartum Clotarii Francorum Regis filium natu majorem scribit *Michaël Ritius*, & Speusippum Platonicum eodem modo vitâ functum tradit *Tertul.* Itaque Venere extinctos *Peolas* dici consuevisse adnotavit Rhodig. *lib. 14. cap. 6.* quia *Peos* pudendum sive veretrum signet, ut apud *Aristoph.* legitur *in nubibus*, sicuti *hippobinos* græcè, qui meretricio amore debacchantur, aut inexplebiliter Venerea consectantur; quos latinorum nonnulli etiam *lastauros* dicunt, validæ nempè & præfervidæ libidinis homines, ut ex *Athenæo* & *Suetonio* idem auctor refert: cujusmodi Proculus Imperator fuisse narratur, quem, cùm ex Sarmatia puellas abduxisset 100. decem

22. *23.* *In coitu mortui.* *24.* *Taurus dicitur pars illa, quæ inter pudendum & anum decurrit.*

Lib. 9. c. 12. *Lib. 7. cap. 53.* *Lib. 1. de Francor. Regib.* *Lib. 21. cap. 22. antiq. lect.*

cem ex his unica nocte constuprasse ferunt, ac intrà quin decimdies omnes reddidisse fœminas, ac majorem partem concepisse ait *Crinitus*, qui ipsius Proculi verba affert ad Metianum: *Centum ex Sarmatia virgines cepi, & unâ nocte decem inivi, omnes tamen, quod in me erat, intrà quindecim dies mulieres reddidi.* Hominis tamen brutalem ac ferinum coëundi appetitum meritò detestatur *Flavius Vopiscus*; qualis etiam Herculis procacissima fuit libido, tantæ nequitiæ, ut triginta unâ nocte mulieres iniisse feratur, & quinquaginta Thestii Atheniensis filiabus intrà septem dies virginitatem comminuisse tradit *Athenæus*; imò unicâ nocte gravidas fecisse scribit Diodorus *lib.* 4. *cap.* 3. & 7. *cap.* 14. ex quibus quinquaginta mares Thestiadæ dicti geniti fuerint; quod

25. tamen multi fabulosum non immeritò judicant: ut jam minùs miremur Tarraconensis illius hominis nunquam aliàs auditum Veneris œstrum, quo adeò præceps ferebatur in coitum, ut uxorem singulis diebus decies calcaret: historiam recitat A Castro *lib.* 3. *de nat. mul. cap.* 4. & Kormanus *in linea amoris cap.* 5. ex Hieronymo Pan. *in lib. provinc. fol.* 37. narrans Episcopum Ilenden. *in cap. fraternit. de frigidis & maleficiatis*, vidisse tempore suo hominem quendam Cataloniæ adeò in re Venerea potentem, ut qualibet die uxorem suam decem vicibus cognosceret; quæ de eo Arragoniæ Reginæ secretò conquesta fuit: vocatus vir confessus est ita se rem habere; quare mandavit ei sub pœna capitis ne ampliùs quàm sexies in die uxorem cognosceret, ne in mortis periculum mulier incurreret. Sed viri potentiam non tantum omnes mirati sunt, quantùm uxoris querimoniam; cum in Venerem multò plus quàm homines audaciores sint, de quibus Juvenalis *satyra* 6.

Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.

26. Turpissima istorum coëundi procacitas, ut raritate admiranda, ita ad imitationem execranda est, cum immodicæ Veneris damna adeò ingentia sint, ut præter innumeros morbos, mortem accelerent, ac vitam auferant. Quarè *Argenterio* minimè assentiendum puto, qui minus continens & satis libidinosus experientiâ accepisse ait, semel in die citrà noxam Venerem exercendam; quod consilium admodum damnosum judico etiam in junioribus & eusarcis: cæteri quippè medici attentius hoc perspicientes, bis in septimana consulunt; licèt in hac re, sicuti in multis aliis, certa regula dari non possit ob ætatis & temperamentorum varietatem. Quare unusquisque sibi potiùs modum eligat, probè advertens parœmiam illam, quæ de sanguine mittendo circumfertur, *Melius est infrà subsistere, quàm exquisitissimè evacuare*, in retinendo semine potissimum locum habere; quandoquidem, ut *Hippocrates* docuit, *Sanitatis studium est citrà saturitatem vesci, laborem non refugere*, &, ut *Plutarchus* addit, *semen servare.*

Comment. 3. in artem med.

Lib. de salub. præcept.

QVÆSTIO QVADRAGESIMAQVINTA.

An ex concubitu hominis cum bruto, homo, vel brutum nasci possit? An tertium semper aliquid provenire debeat? Item particularia alia circà monstra afferuntur.

Nimius ac turpissimus coëundi furor nefandam aliquorum Venerem nobis in mentem revocat: homines quippe belluinâ feritate inductos, & nefando libidinis œstro percitos, in belluas non irruisse modò, sed easdem adamâsse traditum à multis est; & vicissim animalia, quòd ab eisdem corporis affectibus non sint immunia, hominum etiam amore tacta & delinita non rarò fuisse,

1. antiquorum non pauca scripta attestantur. Sed & illud mirandum magis, quòd non terrestria tantum, sed ex volucrum genere, aquatica etiam, in hunc excessum & amoris errorem devenerint, ut humanas expeterent vices, & velut gratiarum lenocinio pellecta, blandimentis, affectu quoque, & effectu conceptam cupiditatem, & amorem gestiendo declararent. Sic apud Solos Ciliciæ formosum puerum à cane adamatum fuisse, & Spartæ adolescentem à graculo *Rhodiginus* scribit. Clearchus *erot.* 1. & Plinius *lib.* 10. *cap.* 22. Amphilochum Olenium ab ansere adamatum produnt: in Leucadia virginem à pavone eò usque, ut illâ vitâ functâ etiam moreretur; aliam ab ariete Pet. Mexia *in silva variar. lect.* narrat: Nicandrum Regis Bethyniæ pincernam à gallo idem *Rhodiginus* affirmat: virginem itidem ab aquila, & Ætolidem fœminam à dracone tradit *Ælianus*; apud quem etiam legitur Aristophani Grammatico Stheanopolidem puellam adamanti rivalem fuisse elephantem. Ab urso non ada-

Animalia; [...]; homines, & mulieres adamarunt.

Lib. 12. cap. 13. antiq. lect.

Lib. 16. cap. 13.

adamatam tantùm, sed raptam virginem, & à fera compressam scribit *Olaus Magnus*; ex quo connubio elegantem formâ filium & robustum, aliquantulum licèt pilosum editum, à parentis nomine Ursum vocatum, qui posteà Trugillum Sprathuglogt fortissimum ducem genuit, hic deinde Vulfonem gentis illius historiis celebratum. *Plutarchus* quoque serpentem fuisse ait, qui Hebræam puellam Herodis tempore afflictim deperiret: historiam latiùs enarrat Rhodiginus *lib.* 25. *cap.* 29. Huc pertinent quæ de Ajace Locrensi scribit Philostratus *in Heroicis*, fuisse ipsi mansuetum draconem septem cubitorum longitudine, unà cum Ajace bibentem & versantem, perque vias euntem, atque instar canis sequentem: & quæ idem *Plutarchus* de alio serpente, capiti defuncti ducis se circumplicâsse, texisseque ejus faciem, ne à volucribus læderetur. Simios præterea hôc furore exardescere, & mulierum amore capi, plurimi adnotârunt: exemplum memorabile ac verissimum extitit Lusitana fœmina quæ in desertam insulam per exilium delata in unius consortio biennio vixit, liberosque duos suscepit, & educavit, ut latiùs apud Castañedam *in annalibus Lusitaniæ*, & apud Torquemada *in dialogis* fidissimis adductis testibus confirmatum legitur.

2\. — In Cle mene.

3\. De aquaticis major accrescit admiratio, nec tamen in aliquibus defuit rarum amoris in homines studium, quo ipsos prosequerentur; constat hoc ex delphini historia, quam latissimè Plinius narrat *lib.* 9. *cap.* 8. cui similis alia à Pausania *in Laconicis* adducitur, visum à se delphinum à piscatoribus captum cum puero placidè ludentem, & quocumque optabat dorso transvehentem. Par affectus in Manate pisce cum ingenti multorum admiratione in insula Hispaniola observatus est, prout ex relatione *Francisci Lopez* uberiùs scribunt *Ionstonus*, *Eusebius Nierembergius*, & *Aldrovandus*, cujus historiam lectu dignam apud eosdem invenies. Veneris quoque nefandum ardorem in mulieres marinis monstris, tritonibus dictis, inesse colligitur ex historia, quam Alexander ab Alexandro 3. *genial. cap.* 8. refert; suo ævo in Epiro marinum hominem inventum, qui in spelunca propè littus occlusus, indè fœminas aquatum ad fontem euntes attentè observabat, & ubi datâ occasione solam conspexisset, levi gressu tacitisque vestigiis in ipsam prosiliebat, ac vi oppressam ex insidiis adoriebatur, & ad mare concubitûs causâ arripiebat.

Hominum in belluas execrandus amoris furor.

Mirandum certè est horum animalium in humanam speciem amoris venereique furoris studium, sed hominum in belluas execrandum magis; & tamen tam bruta cum brutis aliquorũ fuit ibido, ut (nefandum dictu!) semina commiscere auderent, & in tam turpe facinus cæca ac procax coitûs amentia adegit: nostro sæculo omnes quos devoravit ignis non novimus, sed multò plures rumor & turpitudinis fama inussit. Veterum in execrando hoc scelere major fuit protervia & effrænata licentia, sed ex illis in notitiam nostram tantùm illi venerunt, quorum petulans impudentia, aut monstrositatis aliqua enormitas poëtis & historicis loquendi copiam dedit; nec prorsùs fabulas fuisse credendum est, quod de Pasiphaë & Minotauro *Virgilius* & alii attulerunt, nec commentitia omninò habenda, quæ de satyris, Nereis, cinamolgis, & centauris fama divulgavit: quamvis Galenus 3. *de usu part. cap.* 1. hoc ultimum de centauris adversùs Pindarum maximè refellere nitatur; quin & talia monstra unquam extitisse negant Jur. Cons. §. 1. *instit. de inutil. stipulat* quod Ciceroni *in Tuscul.* & Senecæ *epist.* 58. etiam visum est, quos sequitur D. Augustinus *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 13. quibus adnumerandus Lucretius *lib.* 4. & ex posterioribus Majolus, Alciatus, Covarruvias, & alii eandem opinionem tenentes; cum tamen celeberrimi alii auctores centauros fuisse non dubitent: affirmat Ælianus *lib.* 17. *hist. animal.* Tertullianus *de mirabilibus*, Appuleius, Xenophon, quibus adstipulari videtur Sacra Pagina *Isa.* 34. & Plinii auctoritas, qui *lib.* 7. *cap.* 3. Claudii principatu centaurum Imperatori ex Ægypto allatum propriis oculis in melle vidisse testatur: ad cujus comprobationem *Phleghonis Tralliani* facit testimonium, qui in Sauna Arabiæ civitate in altissimo monte alium natum scribit, quem Rex in Ægyptum Cæsari cum aliis xeniis dono misit ut latius Nieremb. *lib.* 4. *cur. Phil. cap.* 10. affert; nec minor fides *Plutarcho* habenda est, qui *in conv.* 7. *sapient.* vidisse ait centaurum ex equa à pastore subactâ natum, supernè ad cervices usque & manus humanam formam, reliquas partes equinas habentem, & more recèns natorum hominum vagientem. Hujusmodi monstra nasci posse iterum in *Gryllo* probat: *Quando & capris* (inquit) *tentârunt viri & scrophis & equis illudere; mulieres quoque in bestiarum mares insanierunt: ex ejusmodi enim nuptiis minotauri vobis, & Ægipanes &c.* Sic dicuntur semicapri, ex homine & capra nati; quemadmodum cirsos nuncupant illos, qui equinis

4\.

5\.

cru-

cruribus nascuntur, licèt hoc nomine χεροσὶ varices, pedumque tumores, & quandoq; illi qui circà testes nascuntur, vocentur. Tandem similem bestiam ab equa genitam humano capite, humanam vocem edentem, vidisse scribit Pictorius *lib. 4. serm. conv.*

6. Concludimus ergò minimè fabulosum esse, quod de Centauris narratur; ut *Cratis* & *Pythagoræ* etiam fuit opinio. Cæterùm hujusmodi turpitudinibus procacissima hominum libido se maculare ausa, non in equas solùm lascivire, nec cum canibus catulire, nec cum capris hircire tantùm, sed plurimis aliis brutis commisceri non erubuit. Ariston Ephesius, ut in *paralel.* 29. narrat *Plutarchus*, genus fœmineum perosus cum asina concubuit, unde natam ferunt puellam, cui à cruribus asininis Onosceli nomen inditum: Publium quoque Stellam idem narrat auctor mulierum odio equam iniisse, ex qua formosam suscepit puellam Hipponam. Similiter cum ovibus, suibus, & plurimis aliis adversùs omnem humanitatem fœdissimi inventi sunt, ac belluini, viri nomine haudquaquam digni, qui turpissimo ac nefando animalium coitu uterentur; ex quorum congressu innumera sunt edita monstra, quorum icones & historias apud *Paræum*, *Licetum*, *Aldrovandum*, *Georg. Schenckium*, & multos alios legimus. Vincentius *in naturæ speculo lib. 31. cap.* 126 ætate suâ asserit allatum Ludovico Regi monstrum, nempè hominem canino capite: homines etiam equino capite compertos *Turrianus* apud Ramusium scribit; econtrà equum humanâ facie & capite Veronæ anno 1254. natum cum icone habemus apud *Paræum*. Alium humanis pedibus Julio Cæsari fuisse, præter *Plinium*, *Plutarchum*, & *Galenum*, scribit etiam *Majolus*; ubi quoque de agno humano capite Frusione nato mentio fit, cujus anteà *Fulgosius* meminit. Ita multa apud prædictos auctores similia prodigia narrantur, ubi de suibus, canibus, equis humano capite editis picturæ exhibentur; & passim innumeræ historiæ apud alios inveniuntur, quarum bonam partem collegit *Licetus* in duobus libris, quos de monstrorum natura, differentiis & causis, abundè & disertissimè scripsit. (Colloq. 7.)

7. Igitur quoad causam horum monstrorum, quæ ex duabus naturis constantur, variæ apud auctores statuuntur. Marcel. Donatus *lib. 2. cap. 1.* ad parentum imaginationem referendam putat, aut miraculo tantùm evenire, quia hujusmodi scelera, quæ maximè Deus abhorret, non vult impunita manere: sicuti in muliere, quæ cùm anteà cum cane v. g. rem habuerit, si in hominis congressum mox abeat, canem tunc firmiter cogitans ac mente concipiens, fœtum caninam effigiem æmulantem (sic Deo permittente) concipit, ac edit; atque hoc modo, & non secundùm aliquas naturæ leges ex seminum permixtione accidere posse credit. Verùm etsi hoc pacto fieri posse non negaverim, tamen perpetuam hanc & nullam aliam esse causam, meritò negandum existimo: siquidem ex aliquarum confessionibus, quæ talia monstra pepererunt, & cum brutis & non cum aliis coivisse fassæ sunt, constat ex utriusque parentis diversæ speciei commixtione fœtum seu monstrum efformatum fuisse; præterquam quòd homines cum feris coire, atque inde monstra oriri asserant

8. Ælianus *lib. 6. cap. 41.* Plinius *lib. 7. cap. 2.* & Majolus *colloq. 7.* Quarè ad miraculum & ad justam Dei punitionem semper recurrere non oportet, cùm plerumque in naturalibus secundùm vires Deus finat effectus producere: quid enim obstabit, quominùs utriusque semen prolificum suam exigat efformationem, quam natura vel feræ vel mulieris uteri formatrice procuret, & pro materiæ dispositione adjuvet? cujus dispositio in causa est, ut licèt ipsa formatrix pro sua specie propriam & innatam intendat, aptitudo tamen in una ad humanam tendens, in altera ad brutalem, principium utraque repetat suum, & ad illud recurrat, nec aliud natura facere potens in utramque incumbens ex duabus tertium compositum promat. Nullus philosophorum hoc negare ausus est; nec necessarium miracula quærere, ubi naturales causæ per se evidenter operari possunt: uteri enim formatrix pro materiæ aptitudine sese indifferenter habet, ut in monstrorum varietate quotidie visitur; quæ nunquam natura produceret, nisi aut abundans, aut deficiens materia, aut aliter extraneata foret, aut ob alias causas, quas ex *Empedocle* affert Galenus *lib. de hist. philosoph.* quo fit, ut cùm ab intento opere desistere non possit, à debito ordine deviet. Quòd si hoc

9. in humano semine in muliebri utero accidit, quanto potiùs ab alieno ibidem existente eveniet, cùm ad suum principium semper recurrat, & suam naturam & formam exigat? Illud tantummodò ab *Aristotele* impossibile judicatur, si diversæ speciei sint, pariendique tempore multùm disconveniant; nam inde nullum nasciturum, aliter

ter si conveniant, generari posse docet 8. *de hist. animal. cap.* 28. & 2. *de generat.* 5. quare 4. ejusdem *cap.* 3. ovem vel canem ex homine progigni posse negat; cùm in gestandi & pariendi tempore longè distent: quod tamen de frequenti eventu accipiendum judico, vel cum *Liceto* dicendum, philosophum de novis animalium speciebus illud voluisse, non de monstrosis partubus; nam quamvis animalium natura valdè dissideat, & magnitudine sit non parùm dispar, graviditatis quoque tempus evidenter inæquale, raro quidem prolem suscipient, sed monstrosam aliquando, variis partibus diversitatem naturæ parentum referentem.

Nec obstat quòd in gestandi tempore disconveniant, quia hoc generandi possibilitatem non tollit, sed quod non ita facilè contingat; cùm præsertim in humana specie pariendi tempus multiplex sit ac varium, nec admodum raro septimo, decimo, undecimo, duodecimo: unde nil mirum, quòd si cum vacca, asina, aut equa, vaga & nefanda venus contingat, monstrosa generatio inde proveniat; nec desunt, ut *quæst.* 90. latiùs dicemus, qui hominis partum quinquemestrem, vitalem tamen ac superstitem vidisse contestentur: inter quos hoc referunt Vallesius *in Sacra phil. cap.* 18. Fontecha *in luminari fol.* 540. Augenius *lib.* 1. *de hominis partu cap.* 20. & Ferdinand. Mena *lib. de sept. partu.* quod multò anteà asseruit *Hier. Montuus*, & de facto in pincerna Regis Christianissimi observatum tradit in sua *Anasceve morborum tom.* 4. *cap.* 41. qui suo tempore in ætate consistentiæ adhuc vivebat; quod in Hispania in Marchione de Comares etiam accidisse ab aliquibus relatum est: quidquid impossibile hoc judicet Acastro 4. *de nat. mulieb. cap.* 2. quandoquidem, si vera sunt, quæ Peramatus scribit *lib. de hom. procreat. cap.* 8. partum 124. dierum exclusum ac vitalem extitisse ait, quod propriis oculis vidit, cùm 124. dies non nisi menses 4. cum totidem diebus constituant; ergò si hoc possibile, ut partus humanus 4. & 5. mensium, licèt rarissimè, tamen aliquandò superstes fuerit, cum capris & ovibus aliquando hominem generare posse putandum erit, cùm hæc animalia ad quintum uterum gerant: quod si cum cane possibile non videtur, cùm ad 3. aut paulò plus tantummodò gerant, nunquam, credo, visum canem aliquid cum humana forma generâsse, sed mulierem semicanem peperisse in historiis habemus; quod accidere posse dubitandum non est, cùm tale monstrum in utero augeatur, ita ut ad tempus necessarium pro muliebri fœtu gestetur, accrescat, & foveatur. Igitur cùm hoc vel ex ipsa experientia indubitatum appareat, licèt hanc frequentiorem causam esse judicemus, plures tamen alias dari posse, ex quibus talia monstra oriantur, auctores indagârunt: fuêre quippe, qui admirabiles hujusmodi effectus ab astrorum influentiis provenire existimaverunt, ut Ægyptii præsertim, & cum eis *Herodotus*; eandem sententiam habuit *Albatius*, quem sequitur *Iul. Maternus*, & omnes ferè astrologi, Græci, Chaldæi, Arabes, & ex modernis *Faber Stapulensis* & *Cardanus*, dicentes si luna in talibus gradibus & signis reperiatur, aut in conjunctionibus talium planetarum, monstra nasci debere. Eadem quoque *Alberti Magni* fuit opinio, in cujus tempore cùm bubula semihominem peperisset, volentibus rusticis pastorem gregis interficere, opportunè adveniens *Albertus* illum liberavit, dicens quòd certa cæli configuratio, & particularis quædam siderum conjunctio monstro causam præstiterit. Sed quamvis multis, præsertim astrologis, hujusmodi causa monstrorum præcipua videatur, ut inter omnes *Manilius* voluit, qui talium monstrorum productionem cælestium influxibus, & adhuc ineptiùs fato Stoico tribuebat, sic canens:

> ——— *Promiscet sæpè ferarum*
> *Corpora cum membris hominum: non seminis ille*
> *Partus erit, quid enim nobis commune ferisq;,*
> *Quisve in portenti noxam peccârit adulter?*
> *Astra novant formas, cœlumq; interserit ora.*

Senecam *in Hippolyto*, & Domitium Ulpianum fortassis secutus, qui monstrorum causam fatum esse publicârunt *l. quæret aliquis ff. de verbor. sign.* Sed certè sectæ fuit delirium, meritò omnibus ridiculum, cùm astrologorum doctissimi tantam cælo & astris vim denegent, quia in substantiarum sublunarium configurationibus nullam potentiam habere posse rectè judicant; & à cœlo causam petere, ubi naturales aliæ & manifestæ sufficienter effectum producere valent, nec certum est, nec necessarium: quapropter *Licetus*, qui hujusmodi eventuum causas omnes percurrit, nullam ab astris deduxit.

Pri-

Prima ergò causa monstri multiformis, diversas animalium species ostentantis, est apparentia & similitudo quædam, quæ cum aliquibus partibus intercedit; nimirùm cùm intra proprios speciei limites pars aliqua in tantum à debita conformatione distat, quo ad alterius animalis figuram magis accedat, & illi similior aliquantulum evadat: non rarò quippe accidit, ut quemadmodum ferè partus caput sortitur non prorsus humanum, sed illi aliquatenùs simile; sic existimandum in mulieris fœtu evenire posse, ut capite vel aliis membris varia ferarum membra referat. Ex quo sanè physiognomi hominum mores & inclinationes conjectantur, affectibus ac passionibus consimiles illis, quibus hujusmodi bruta, quorum figuras exhibent, obnoxia esse cognoscuntur, ut copiosissimè Baptista à Porta, & Joan. ab Indagine *in suis physiognomiis* exhibuerunt. Verùm hujusmodi fœtus, qui talem ostendunt analogiam, nullo pacto inter monstra numerandi; cùm præsertim accidentalis sit illa similitudo, & ad exteriorem formam, quam figuram dicimus, tantùm pertineat, non ad identitatem essentialem speciei & formæ interioris, cùm hanc absolutam & perfectam habeant. Secunda causa est generantis imbecillitas, quæ quantò major est, eò minùs non solùm in sexu, sed in similitudine etiam effectum præstare potest; quæ si adhuc major sit, quæ materiam rectè subigere non valeat, & ad speciem aptam reducere, jam pro illius viribus, & materiæ dispositione hujus aut illius animalis major similitudo evenit, aut differentia: quo fit ut in humana specie monstra generentur brutorum effigiem habentia, ob generantis seminis imbecillitatem dejectâ speciei virtute, quæ infirma non potest prolem parentibus similem effingere. Tertia est ejusdem seminis in alienam naturam degeneratio & corruptio, ubi enim semen à pristina natura degeneraverit, & ejus anima in alienam naturam commutata fuerit, si hoc in tota materia accidat, diversæ speciei animal generabitur: nam dum calor & spiritus in semine corrumpuntur, jam non habent pro exemplari speciem congenerem, proindè quod oritur imperfectum est; & cùm non potest speciem, facit genus: quare cùm non possit hominem, facit animal; si non facit quod vult, saltem facit quod potest. Sic ex Carpo *in anat.* narrat Marcel. Donatus *lib.* 4. *cap.* 24. *hist. med.* mulierem unico partu post 16. fœtus, quos enixa est, alterum peperisse formam equinam habentem. Sic ex legitimo concubitu alia suem, elephantem alia, aut leporem edere potuit; ut Valentinæ mulieri accidit, quæ ut refert Fontecha *lumin.* 2. *cap. de conceptu*, feram canis figurâ edidit, cujus iconem suis temporibus vidisse ait: sic Papiensem aliam catum peperisse scribit *Licetus*, quod multis aliis ac variis exemplis ostendit Jacobus Rueff. *lib.* 5. *de concept. & generat. cap.* 3. & Ludovicus Bonaciola *cap.* 9. *Æneas mulieb.* ubi sic ait: *Mulierem serpentem edere posse, ancillæ cujusdam, quæ inter initia Marsici belli serpentem peperit, indubitatum exemplum est; qualem in Vmbria extitisse Lucanus eleganter præcinit.*

—— Matremq́; suus conterruit infans.

Hippocentaurum quoque in Thessalia à muliere natum, nataliqúe die interemptum complures novisse, Alcippem elephantem peperisse Antiquitas prodidit. Quòd si in parte tantùm, & non in toto illa degeneratio fiat; si tamen utraque seminis pars ad suum fœtum sufficiat, mirum non est, si hominis unus, canis alter simul unico partu edatur; ut mulieri accidit, quæ anno 854. gemellos peperit dorso connexos, ac spinâ solidissimè conglutinatos, alterum canis, alterum hominis speciem integerrimè referentem, prout in prodigiis narrat *Lycosthenes*: sic ex *Rubiaquense* alia anno 1494. mortuum infantem, cujus dorso serpens vivus inhærebat, cadaver depascens. Si verò seminis illa degeneratio in viliorem naturam diversimodè se habeat, plura etiam & diversa animalia mulier concipere & edere poterit; ut in altera visum est, quæ post humanum caput membranis involutum, serpentem, & mox suem exclusit. Quòd si seminis portio ad nullum sufficiat, hinc fœtûs tantummodò pars aliqua alterius animantis figuram repræsentare poterit. Sic Antverpiæ quædam canem cum avis rostro peperit, alia leonem cum humano capite & facie, ut refert *Lycosthenes*; & alia, quæ fœtum edidit cum capite & collo gruis, quem depingit *Aldrovandus*. Et ut summatim dicamus, idem effectus ex materiæ inobedientia, vel ex alimentalis materiæ vitio, vel alentis virtutis evenire poterit, aut certè ex monstrosis parentibus: sic satyros, cynocephalos, & centauros, species animalium fuisse ita efformatorum, non monstra putârunt aliqui, in vastis Ægypti & Indiæ sylvis habitantium; quæ vel casu ex aliquibus nefandis concubitibus resultârint, vel illa

Margin notes: *...sa ...stro... mul... ...mium.* — 13. — 14. — 15.

la dispositione & figura à natura, quemadmodum cætera animalia, sic creata sint.

16. *Imaginatio multorum monstrorum causa est.* Sed inter omnes causas frequentissimæ sunt vagus & nefandus concubitus, aut parentum imaginatio; cujus in coitu, & per totum gestationis tempus adeò magna vis est, ut non in belluis tantùm, sed potissimùm in hominibus nova semper & aspectu horrenda monstra causare possit, & quotidie admiranda exhibeat: exempla infinita propemodùm apud auctores leguntur, ut necessarium non fuerit illa repetere, cùm passim apud multos extent. Et licèt non desint qui tantam imaginationi vim denegent, ut inter alios volunt *Costæus*, *Vairus*, *Erastus*, *Petrus Garcia*, & alii; tamen multò plures sunt, qui ad imaginationis vim multorum causam referant: sic tenent Theologorum plurimi ad illud Jacob de ovibus, D. Augustinus *lib. contrà Iul. cap.* 9. & *lib.* 12. *de civit. Dei cap.* 25. D. Hieronymus *sup. Genes. cap.* 2. Conimbricenses *quæst.* 30. *de generat. & corrup. lib.* 1. *cap.* 4. Plinius *lib.* 7. *cap.* 12. & ex medicis quamplurimi citati apud Villalpando *in appendice ad cap.* 33. *lib.* 2. *magiæ*; præter quos Sennertus *lib.* 4. *praxis*, & potissimùm Thomas Fienus qui de viribus imaginationis optimè & abundè scripsit. De modo autem quo imaginatio admirandas has mutationes causare valeat, *quæst.* 50. infrà aliqua afferemus. Itaque non ex alia causa volunt in coloribus & decore ingentem transformationem aliquando accidere: hac ratione narrat præter alios D. Hieronymus *in tradit. Hebraicis sup. Genes.* Hippocratem principem quandam mulierem excusâsse, quòd alba ex marito pariter albo Æthiopem prolem edidisset, ex eo quòd concumbens oculis obversantem Æthiopis imaginem fortiter ac assiduè animo comprehendisset; quod magis probandum videtur, quàm illud quod Rhodiginus *lib.* 20. *antiq. lect. cap.* 15. scribit, quod nempe non Æthiopem ex albis parentibus, sed pulcherrimum ex deformissimo patre suscepisset: eodem modo *Quintilianus* aliam, quæ similiter alba Æthiopem peperit, *in declamationibus* excusâsse ait, quòd in cubiculo Æthiopis picturam contineret, ut citat. etiam refert Rhodiginus; & de Alcibiade sunt qui hoc pacto aliam liberâsse narrent. Eadem ratione ex albis parentibus Vissantinum poëtam Æthiopem evasisse scribit in dialogis *Torquemada*; nisi Æthiopem avum habuisse conjectemus, naturâ ad primordia recurrente. Sed econtrà ex nigris parentibus eadem arte albissimam comparari prolem Tassus de Clorida probat, quòd virginis albissimæ pictura in loco ubi concepta fuerat penderet; idem de Cariclea Heliodorus, quòd Æthiopiæ Regina Persites illius mater Andromedæ imaginem sæpiùs aspicere consuevisset, ac eo præcipuè tempore, quo ex Hydastis mariti pariter Æthiopis amplexibus gravida evasit: nec aliter accidisse conjectandum, quod de aliis scribitur, qui cùm pulchras adamâssent statuas, similes generâsse filios traduntur; hâc quippe industriâ divitem quendam sed deformem hominem usum fuisse commemorat Galenus *ad Pison. cap.* 11. qui ut formosos filios à muliere susciperet, illam ad pulcherrimam imaginem, quam in conclavi poni curaverat, intento fixoque animo jubebat aspicere; nec eventus fefellit: imò hoc ingenio Lacedæmonios uti consuevisse auctor est *Oppianus*, ut minimè deformes haberent liberos; quod quoque *Soranus* medicus de Dionysio Siciliæ tyranno scribit, qui cùm fœdi ac turpis aspectûs homo esset, ne similes genuisset, eâdem (inquit) industriâ usus est, ut ex illo tradit D. Augustinus *lib.* 5. *advers. Iulian.* ac Cyprium Regem fuisse ait. Nec hanc philosophiam ignoravit Jacob, cùm decorticatas virgulas sub aquis imposuit, ut accedens pecus ad variantis coloris reflexuumque conspectum congrediendo maculatam similiter prolem conciperet, cujusmodi in virgulis oculis obvius repræsentabatur; quod licèt miraculosum extitisse multi meritò affirment, partim tamen naturaliter accidisse fatentur plurimi: eâdem quoque astutiâ Hispanos nigros arietes procurâsse D. Hieronymus refert; sic Apim apud Ægyptios dæmonem sæpius produxisse apud D. Augustinum legimus. Infinita alia sunt exempla: de villosa puella à *Damasceno* visa notum est, quòd illius mater in ipso concepti seminis articulo in D. Joan. camelinâ, ut solet, pelle tecti imaginem ex lecti oppositis fulcris pendentem acriùs intuita esset; nostrâ ætate aliam Antverpiæ vidimus anno 1647. & duas alias cum fatre à sylvestri homine piloso generatos omnes, affert Aldrovandus *in monstris*: quamvis illis ob parentis similitudinem, non ob aliquem imaginationis effectum sic obtigisse scribat; illorum enim pater sylvestris & ferinus homo erat, pilis toto corpore refertus. An verò sicuti ille sylvestri vitâ pilosum illum habitum acquisivit, cui posteà geniti corresponderunt; sic ex aliqua inter-

(Marginal numbers: 17. at "Hippocratem principem"; 18. at "formosos filios"; 19. at "Ægyptios dæmonem".)

interna causa, excrementitiâ materiâ abundante, aliquis pilosus infans evenire possit, non intentæ visionis aut imaginationis effectu, jure optimo dubitare poterimus?

20. Sunt certè naturæ opera ab humano intellectu ita devia, ut vix fidem in cæca hac nostræ mentis caligine impetrare valeant; cum præsertim à Deo sublimi & gloriosæ menti nostræ impositus sit terminus, ultrà quem impossibile est ipsam transire: vera enim sapientia est (ut cum *Scaligero* loquar) nolle nimis sapere. Verum ut de illa dubitemus, facit historia, quam de Piscenio nigro scribit Rhodiginus *lib.* 19. *cap.* 12. qui cum toto corpore candidus esset, cervicem tamen ab ipso ortu nigerrimam habuit: nisi dicamus simile objectum in ipso conceptu matrem aut excogitâsse, aut præ oculis forsan habuisse; sed nil horum addit auctor. Quid. verò rarius, aut quid incredibilius in hac ludentis naturæ varietate accidere potuit, quàm quod Lemosius 3. *de facult. nat. cap.* 3. circà finem narrat; vidisse Villavitiosæ, (illustre est Lusitaniæ oppidum, & Ducis Brigantini aula) mulierem quandam, quæ duos peperit, alterum album viro similem, alterum Æthiopem? Quis enim hæc antequam cerneret credidit? an non meritò plurima fieri non posse, priusquàm sint facta, judicaret? gemelli erant ambo, eodem partu editi, eodem concubitu, & parente geniti: an imaginatio in uno, non in altero imprimere potuit? quemadmodum vult Gemma 1. *Cosmocrit. cap.* 6. ubi non absimilem historiam narrat de gravida; quæ inter confabulandum cum diceret se partum in diem Epiphaniæ expectare, ab aliis assistentibus imprecatum illi fuit, ut tres Reges pareret; quibus ipsa feliciter

21. annuens tandem elapso tempore tres peperit infantes, quorum unus nigro colore imbutus erat. Sed quid mirum diversa individua eodem licèt partu edita tantâ colorum varietate distingui, quando in eodem homine hæc colorum contrarietas visa jam fuerit? narrat quippe Lucianus *in Prometheo. pag.* 10. ex versione *Iacobi Mercilii*, Ptolomæum Lagi filium in Ægyptum adduxisse hominem bicolorem, cujus altera corporis pars nigra, altera excellenter candida per totum corpus æqualiter visebatur. Hæc majora sunt (si ita sunt) quàm ut ullâ investigatione exitum habitura sint, nisi dicamus adulterii aliquid interfuisse; quemadmodum de adultera scribit Aristoteles 7. *de hist. animal. cap.* 4. quæ alterum marito, alterum adultero similem peperit: quod sanè ex imaginationis vi, aut ex superfœtatione accidere potuit intrà breve tempus conceptâ; ut de Hercule & Iphiclo gemellis narrat Plinius *lib.* 7. *cap.* 11. qui & in Proconnesia ancilla accidisse inquit, quæ ex ejusdem diei coitu alterum domino alterum ejus procuratori similem genuit. Quòd si in illis à nobis adductis superfœtatio non fuit, potuit forsan ex alia causa evenire; quia non semper formatrix fœtui debitam cum parentibus similitudinem tribuere potest, & quòd ex albis parentibus nigrum, & econtrà ex nigris in album transformare valeat, aliaque accidentia imprimere, & alia abolere suprà jam retulimus: licèt in muliere à *Lemosio* adducta suspicione non careat, quòd cum Æthiope vel anteà vel posteà concubuerit, intrà illum terminum superfœtando, quò utrumque conceptum ad legitimum partûs tempus fovere potuit, & eodem emittere. Scio enim doctissimis viris hanc imaginationis vim, & in immutando fœtu efficaciam minimè placuisse, ut suprà jam diximus; multaque ac validissima argumenta, quæ hanc imaginationis energiam à communi opinione dejiciunt, in medium proferunt: nec enim facilè invenire est modum, quo similes effectus imaginatio causare valeat; quarè historiis tantum & exemplis res dubia manet: atque ita dum alii aliis disceptant, qui exemplis contendunt, rationibus vincuntur; & qui argumentis superant, experimentis cedere coguntur. Quâ enim ratione

22. accidere potuisse dicerent, ut Alcippe mulier elephantem generâsset ac peperisset, ut in bello Marsico evenisse scribit Plinius *lib.* 7. *cap.* 3. aut Helveta altera leonem masculum, ut ex *Stumph.* tradit Delrius *lib.* 2. *q.* 14. quæ enim mulier tam vastum animal sustinere potuerit, aut quæ ferocissimo se submitteret? Unde, quæso, negabunt,

23. aut aliam causam, quam imaginationis vim, afferent in diabolico illo monstro, cujus historiam narrat *Vives*? nam cùm pater in scena diaboli figuram repræsentâsset, horrendis prout erat indutus vestibus, domum se conferens, sic cum muliere coivit, hoc per jocum addens se dæmonem generare velle; quo auditu perterrita mulier filium concepit & peperit eâdem, quâ pater figurâ personatus fuerat. Similiter de alia *Wierus*, cui maritus stomachabundus quòd gravida esset, irâ commotus dixit: *Credo quòd in ventre dæmonium habes*; quo dicto stupefacta mulier talem posteà edidit, qualem cornibus & aliis deformitatibus diabolum pingere solent.

Comment. ad cap. 25. lib. 3. D. Aug. de civitate Dei.

Quæ si vera sunt, en tibi imaginationis vitium præclarum exemplum, etiam extrà coitum admirandum effectum imprimere valentis: sed nullus in hoc genere sic admirandus extitit casus, quàm ille cujus Peramatus *lib. de hominis procreat. cap.* 17. mentionem facit, excellentissimo Mutinæ Duci per epistolam depictâ effigie communicatus, de quodam monstro in oppido D. Laurentii occidentalis Indiæ, 6. Aprilis nato anno 1573. Horribilis illius aspectus, & plura quibus diaboli terribili figurâ constabat, apud eundem *Peramatum* legi possunt; qui quidem auctor credit eâdem formâ & apparatu præditum, quo diabolus gentilibus illis in suis sacrificiis se ostentare solebat, & ob parentum imaginationem eâdem effigie productum. Crucient ergò se multorum ingenia; stat quippe contrà argutas illorum rationes toties probata experientia: quòd si modum, quo hæc ab imaginatione fiant, invenire non possunt, qui illis placeat; aut ingenii nostri tarditatem accusemus, aut naturæ subtilitatem admiremur, quæ incomprehensibilia sua opera omnia hominibus esse pervia noluit.

24. Ultima monstrorum diversæ speciei causa ac potissima, nefanda est Venus & seminum diversæ naturę commixtio. Quondam Periander Thaletem interrogâsse fertur, unde putaret Athenis frequenter exoriri monstra, & quânam arte illorum generationem impediri posse existimaret? respondit: Cave edicto, ne quis posthàc sui gregis curam adolescentulo committat. Vir sapiens paucis verbis causam simul & remedium monstrorum in specie demonstravit; hanc causam probat Aristoteles 1. *de gen. animal. cap.* 5 in illis præcipuè, quorum partûs tempora aliquatenùs conveniunt, ut suprà jam retulimus; & quia hominis varium est ac multiplex, hinc accidit, ut si cum bruto jungatur, hujusmodi innormia monstra aut fera, aut mulier concipiat ac pariat: nec enim nisi ad majorem facilitatem necessarium est, ut in gestandi tempore conveniant; quandoquidem licèt disconveniant, possibilitatem generandi non tollat: siquidem pars potissima, & quæ magis prævalet, ad suum tempus accrescit & fovetur; alia interim pręcipuę constitutionem vel remorando, vel anticipando, ut contigua subsequitur; & ut illā quando exire postulat, concomitatur, sic remorando non irritat, quoad tempus prædominantis adveniat. Et hanc judico potissimā causam, quare prædicta monstra statim ac edita sunt moriantur quia materiæ diversitas in causa est; cui dum malè inter se convenit, licèt in conformatione connexionem admittat, tamen diu non sustinet, cùm plerumq; alia pars in suo tempore perfecta, alia imperfecta ad vitam sustinendam non sufficiat: & quamvis in utero vivere videantur, ideò est quia à causa producente conservantur, cujus defectu ab utero exclusa statim aut paulò post extinguuntur. Quæ causa fuit quòd Virgil. 6. *Æneid.* centauros in foribus inferni collocaverit.

Monstra quare diu non vivant sed statim ab ortu plerumque moriantur.

Centauri in foribus stabant, Scyllæq; biformes.

25. Quia ea, quæ contrà naturam creantur, citò pereunt; quod universim in monstris omnibus conspicitur: nam quemadmodum artifex errata sua mavult occulta, quàm aperta; ita natura spurios istos fœtus mavult supprimi, quàm diu usurâ lucis frui: proptereà aut non vivunt, aut statim pereunt. Vivere tamen conspiciuntur aliquando illa, quæ ex ejusdem speciei parentibus, vel à defectu, vel ab exuperantia materiæ talia dicuntur; ut illud, quod Northumbriæ natum narrat Hector Boethus *lib.* 2. *hist. Scot.* & Georg. Buchan. *ejusdem hist. lib.* 13. gemino capite, quaternis manibus, ventre & infernis cohærebat, vixit tamen ad annos 28. ut latè ex prædictis historiographis narrat Riolanus filius *lib. de monstro Parisiis nato cap.* 6. Vivere quoque & illa videmus, quorum natura, & gestandi tempus parùm distant; sic ex equo & asina mula, ex cane & lupo crocuta, ex lupo & hyæna thous, ex phantera & lupo thos, ex vulpe & cane alopecides (ut Pollux intulit) nascuntur, quòd pariendi ac gestandi ęqualia obtineant tempora, & in multis aliis conveniant; cujus ratione faciliùs generant, novamque perfectam, & nullo pacto monstrosam speciem promunt, ut in cane & tigride etiam visitur, ex quorum commixtione unum habuit *Alexander Magnus* ab Albaniæ Rege dono missum, tantæ ferocitatis & roboris ut ursos & apros ad prælium contemneret; quod latius narrat Plinius *lib.* 8. *cap.* 50. Verùm si cum his aut aliis homo turpiter misceatur, licèt in gestandi tempore inæqualitas adsit notatu digna, hominisque materia à brutali commercio maximè abhorreat; tamen natura, quæ otiari nescit, & in concipiendi actu jam posita est, primùm sui similem formare intendit; sed cùm ob resistentiam & materiæ ineptitudinem assequi non possit, nec ab opere desistere, ex subjecta materia aliquid mavult producere, quàm quiescere, & quam potest formam illi inducit; quare vel aliud animal vel tertium compositum format. Sic innumera ex

26.

du-

duplici naturâ monstra ab animalibus & mulieribus edita, ab equa centauri & hippocephali; qualiter etiam ex asina natum monstrum, manibus, pedibus, & facie pro-
27. ximè ad humanam formam accedentibus, vidisse mihi affirmavit præclaræ virtutis vir, ac Societatis Pater *Ioan. de Orduña* in Collegio Carmonensi; nam cum in pago Guadajox, quem Bethis insignis Hispaniæ fluvius præterlabitur, natum hoc monstrum Pastor Ecclesiæ conspexisset, de sacra aspersione statim dubitare cœpit; quarè ad Collegii Patres celeriter adiit, quid facere oporteret consulturus, secumque prædictum Patrem adduxit, qui (ut mihi narravit) sub conditione monstrum baptisari debere rectè consuluit. Ita factum, ac paulò post expiravit. Sic ex Aristonimo Ephesio Onoscelim
28. puellam natam ex *Plutarcho* suprà adduximus. Ex vaccis eadem prodigia & monstra exclusa affert *Lycosthenes*: à porcis alia, atque alia *Paræus*, & *Aldrovandus* depingunt, quorum non pauca refert *Fortun. Licetus*. A capra *lib.* 25. *cap.* 32. meminit *Rhodiginus* cujus amore Crathin gregis pastor detentus, quòd formosa illi præ cæteris videretur, ad illius detestandum concubitum devenit, ex quo infans natus est, qui cruribus matrem, facie verò patrem referebat; econtrà verò mulierem hircum admisisse testis est Herodotus *in Euterpe*. Sic ex muliere & simio promiscuæ naturæ nati infantes duo, quorum jam antè meminimus. Franciscus Picus Avenione anno 1543. mulieris cujusdam facinus flammis expiatum refert, quæ cane amasio utebatur: simile scelus Lutetiæ simili supplicio punitum vidit *Riolanus*. Sic apud *Delrium* ex aliorum relatu legimus, Pegusianos, & Sianitas Indiæ gentes originem trahere à cane, qui cum muliere corpus miscuerat; quin imò in Saxoniæ silvis varia monstra semihumana facie capta anno 1240. tradit idem *Delrius*, ex nefario hominum ac bestiarum concubitu: nec aliter dictum est Africam semper novi aliquid portare, nisi quòd nova ac monstrosa animalia quotidiè exhibeat, ex diversæ speciei animalibus conflata, quæ solis ardore ac siti æstuantia, ad aquas è longinquo accedendo, ferventi solis calore ad libidinem & coitum turgent: sed hoc notissimum. Quarè ubi experientiâ toties hoc visum & observatum est, nullus dubitandi remanet locus, quòd ex diversis speciei parentibus generatio accidat: quandoquidem non solum in animalibus, sed in arboribus insitione (quæ illarum coitus est) novarum arborum & fructuum germina & genera invenit ars, quæ ipsa natura non produxit; de qua re pulchrè *Propertius*:

Lib. 2. disq. mag. quæst. 14.

Insitor hic soluit pomosâ vota coronâ,
Cùm pyrus inviso stipite mala tulit.

Et pulchriùs *Ovidius*:

Venerit insitio? fac ramum ramus adoptet,
Stetq. peregrinis arbor operta comis:
Cultus & in primis succos emendat acerbos;
Fissaq. adoptivas accipit arbor opes.

Omnium pulcherrimè Syreno-phœnix *Virgilius*:

Et sæpè alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius, mutatamq. insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.

Et si hoc in plantis, quarè in animalibus & homine accidere non poterit? ut 1. *phys.* 38. & 4. *de generat. cap.* 4. Aristoteles fatetur.

Monstrosè in hac monstrorum historia ac diffusè multa miscuimus; sed quæstionis haud oblitis ultimò illud restat inquirere, an ex fera homo naturæ suæ pro-
29. bè figuratus, sine brutali matris, saltem quoad exteriora, effigiei permixtione oriri possit, ita ut humanam solummodò referat speciem? Feras ab humano utero exclusas suprà jam vidimus, imò sine ullo ferini seminis concursu editas non pauci contestantur, ex corrupto semine & in alienam naturam degenerante; sed à brutali vulva sine humano coitu hominem omnibus suis membris absolutum prodiisse, hoc credo nullum vidisse aut scripsisse: causam judico, quia licèt cæterorum animalium semen corrumpatur & à propria natura degeneret, illa abalienatio in perfectiorem naturam degenerare non potest, qualis hominis est; nec formatrix ex illorum materia, quantumvis perfectâ, aut aliter extraneatâ, figuram homini debitam assequi valet, quia intantum assimilat, inquantum obedientem materiam sortitur; si proportionalem, pro sua specie efformat; si degenerem & corruptam, deteriorem & nullo modo excellentiorem præstabit. Hoc modo ab equa leporem editum tradit Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 6.

 in

in Xerxis exercitu, quod *lib.7.* confirmat Herodotus. Sic ex ove leonem productum in Coo insula meminit *Rhodiginus*: quod si non ex imaginationis vi, ex semine in alienam naturam degenerante accidere potuit; quamvis Licetus *cap. 68. lib. 2. de monst. causis* hoc ultimum ad furibundum leonis coitum in primam occurrentem fœminam prosilientis referat, quod naturæ contrarietas negare nos cogit.

Lib. n... tiq. le... cap. 1...

31. Sed ex nefanda Venere cum bruto an possibile sit hominem efformari ac edi, qui nullo modo in aliqua membrorum figura brutalem repræsentet, jam videndum est: hoc aliquoties visum constat ex rarissimis historiis, quarum apud auctores fit mentio; atque illos, qui tantum hoc prodigium narrant, referre non gravabor. *Anno Domini 1597. in Brugies Hispaniæ oppido* (inquit Iacob. Francus in relat. historicis) *vacca marem & fœminam humanos fœtus suis membris appositè formatos & distinctos enixa est, uti aliquoties ad nos Venetiis perscriptum est; quæ res omnibus & stupori & metui erat maximo: eos ejus loci Episcopus ad sacri fontis characterem nullo modo admittere voluit.* Quam eandem historiam ad literam narrat Georg. Schenckius *de monstris brutorum obs. 75.* Delrius *lib. 2. cap. 4. In hoc ipso Belgio fuit nefarius quidam, qui vaccæ se commiscuit; pòst visa hæc prægnans, & post aliquot menses edere masculum fœtum, non vitulum, sed puerum; adfuère non unus, deq; matris vaccæ cadentem utero adspexerunt, levatumq; de terra nutritui mulieri tradiderunt: adolevit puer, baptizatus, & institutus Christianæ vitæ præceptis, pietati se addixit, & pro patre seriò pænitentiæ vacat operibus; homo quidem perfectus, sed qui sentiat in animo propensiones vaccinas pascendi prata, & herbas ruminandi.* Riolanus filius cap. 7. de monstro Parisiis nato: *Ex vacca* (inquit) *quidam nebulo in Germania genuit filium formosum, qui vivit omninò addictus pietati ad expiationem sui ortûs: verùm stupet illi animus, & belluinum quiddam redolet.* Forsan idem fuit hic fœtus ex vacca ortus cum eo, cujus meminit Joan. Reinardus *lib. de peregrinu gentium sermonibus.* Tandem *Henricus Hophnerus* apud Greg. Horstium *lib. 1. epist. sect. 4.* sic ait: *Fama apud nos exorta est de nativitate duorum puerorum ex equa à viro quodam Ascherlebii fœta; infantes dicuntur esse planè non monstrosi, sed reliquis simillimi infantibus, nisi quòd magnitudine & artuum robore anniculum referant.* Addam aliud exemplum, à nullo (quod sciam) auctore scriptum, quod homo fide dignus & satis veridicus paucis abhinc diebus mihi ut testis oculatus enarravit; quendam scilicet fuisse nefarium virum Lusitaniæ, in oppido Trancoso, qui equam habebat, turpiterque eandem inire consueverat; quam tandem gravidam aspiciens, seque facti reum probè agnoscens, quia à se nunquam dimiserat, nec aliàs ab equo compressam rectè noverat, propterea de partu solicitus in stabulo summâ vigilantiâ assiduè pernoctabat: quo tandem quâdam die circà matutinum accedente, ecce puella humanâ planè formâ ac monstrosi nil continens in lucem prodit; quâ aspectâ perterritus pater fugâ diligentissimè sibi consuluit, nec unquam deindè conspectus est; puella nutritui traditur, adolevit, & more aliarum nil ab eis differre videbatur, nisi quòd ab occipite per mediam spinam pili copiosè erumperent; hoc etiam maternæ indolis indicium commonstrabat, quòd quoties rideret, cachinnum non omninò humanum, sed equarum hinnitus satis conspicuè imitaretur. Hæc omnia mihi qui eam vidit narravit, ac sæpiùs allocutum fuisse dicebat anno 1632. & 1633. hoc modo ex equa Fulvium quendam formosam puellam genuisse, quam propterea dixère Hippo, sicuti Ariston. Ephesium ex asina Onoscelim, supra ex *Plutarcho* diximus, quod *admirabilium 2.* Arist. sive alius scripsit, & *cap. 24. lib. 21.* meminit *Rhod.*

32. Itaque cum hujus eventus certitudinem tam multi auctores ipsâ experientiâ teste affirment; fidem illis denegare inurbanum videtur. Scio Doctissimum Nieremb. *lib. 3. curios. phil. cap. 25.* firmiter asserere verum hominem non nisi à matre suæ speciei oriri posse: quare *lib. 5. hist. nat. cap. 6.* de veritate harum hist. dubitat, atque homini-formes hos brutorum partus, siquando fuerunt, semper cum pignore irrationalis naturæ extitisse; *Theologos enim*, ait, *hoc nunquam accidisse potius decet asserere.* Torreb. Villalp. *lib. 2. magiæ cap. 31.* eandem opinionem sequitur, atque ex homine & fera hominem nasci non posse constanter asserit; quam etiam sententiam firmiter tuetur doctiss. Delrius *lib. 2. quæst. 14.* à qua tandem tantum abest Licetus *lib. 2. de monstr. causis à cap. 68. usque ad 73.* ut quomodocumque fera, sive mas sive fœmina, vel cum homine, vel cum muliere misceatur triplicem differentiam provenire posse statuat: vel enim, ait, utriusq; speciei particeps monstrum evadet, vel prorsus homo, aut tandem omninò brutum; quæ tamen duo postrema licèt monstrosam generationem sortiantur, monstra tamen dicenda non esse,

sed

ſed veluti monſtra cum *Platone* appellanda cenſet; quod ex eo conatur probare, quia alterius ſeminis major potentia & virtus ſpecifica debiliorem adſe trahit, ita ut informatione in tantum prævalere poſſit, ut alterius naturam omninò aboleat, & nullum illius ſpecimen referat.

33. Sed licèt *Delrii* opinionem de impoſſibilitate hujus eventûs non probem, tamen cum *Liceto* non ita facilè convenirem; tantùm enim illi aſſentiendum exiſtimo, dum ex muliere & bruto brutum oriri poſſe docet, ſicuti ex fera & homine hominem; econtrà verò ex muliere & bruto, nunquam hominem, ſicuti nunquam ex fera & homine omninò brutum: nam licèt ex Hippoc. *lib. degenitura*, ſeminum illa energia, & efficacia probetur, ob quam debilioris vis in alterius potentiam cedit, & illius characterem ſequi cogitur, unde ſimilitudinis & diſſimilitudinis ad parentes multi cauſam deducunt; tamen nullo modo credendum eſt, nec ut credam adduci poſſum, quòd tanta ſit fœminei ſeminis virtus, ſive mulieris ſive feræ, quæ maſculi virtutem adeò ſuperet, ut nullam ſuæ naturæ & ſpeciei figurationem præſtare valeat, & tota omninò abolita maneat: quippe prolifica virtus & generandi vis, quæ in ſemine reſidet præſertim maſculino, ſi omninò effœta, minimè ad generationem erit potens; quòd ſi vires obtineat, ſuæ non alienæ naturæ reſpondere debet. Secundò, illa degeneratio ſeminis maſculi in alterius naturam vel fit per potentiorem virtutem alterius ſeminis fœminei, vel per corruptionem maſculini ad ſuam ſpeciem nil jam proficientis: primum eſt falſum, quia ſemen fœminæ non poteſt maſculinum ſuperare, ut à propria & ſpecifica natura illud ſpoliet; quia in generationis opere, licèt fœmineum ſemen activum etiam à medicis conſtituatur, illa activitas reſpectu maſculi exigua eſt; quia quantumvis partialis in illa actione exiſtat, præcipua tamen actio maſculino ſemper debetur, ita ut veluti alimentum fœmineum maſculino inſerviat, ut Galenus *lib. de ſemine* docuit: ergò non poterit in ſuam ſpeciem illud convertere. Secundum de ſeminis degeneratione per corruptionem opinioni noſtræ magis favere videtur, quàm aliquid econtra inde colligi poſſit; quia ſi ſemen maſculinum bruti alicujus fuerit, nunquam per corruptionem poterit in talem ſtatum devenire, ut præſtantius ac perfectius evadat, prout ad generationem hominis requiritur; omne enim quod corrumpitur deterius fit: quod ſi in optimo ſtatu erat incongruum, multò magis tale erit cùm jam corruptum eſt, majoremque tunc diſproportionem habebit cum humano; cujus perfectio major eſt, quàm bruti adhuc in optima perfectione exiſtentis. Sed ſi corruptio fuerit humani ſeminis virilis in utero feræ, multò minùs idoneum erit ad hoc ut ex eo homo generetur; & ſi aliquid tunc producatur, puta aliquod aliud animal, tunc non erit vera generatio, ſed potius generatio corruptiva accidentalis; quemadmodum in mulieris utero accidere poteſt ex ſemine humano ſine brutalis permixtione: quod aliud eſt ab illo, quod in quæſtione quæritur.

Tertiò: quodlibet non fit ex quolibet, ſed determinatum à determinato; ergò cùm ſemen feræ maſculinum ad hominis productionem ex ſuâ naturâ ineptum ſit, nec à ſemine fœmineo mulieris ſuperari poſſit, evidens eſt, quòd neque à muliere à fera compreſſâ omninò homo, nec à fera fœmina ab homine ſubactâ omninò brutum naſci poſſit, cùm agens ex parte fœminei inefficax ſit ut maſculinum ſuperet. Quartò: exemplum de plantis quòd per inſitionem adhæreant, nil probat; primò, quia inter plantas minor eſt differentia ſpecifica, quàm inter brutum, & hominem: ſecundò, plantæ non quælibet cum alia facilè conveniunt, ut inſertæ fructum producant, ſed ſolùm illæ, quæ ſunt veluti unius generis, v. g. quæ ſunt ex malorum genere inter ſe; nam ſi cum aliis conjungantur, quæ nucleum edunt, aut nullum, aut monſtroſum edent. Tertiò: plantæ inter ſe maris & fœminæ rationem non ſortiuntur, ſed naturæ quandam veluti ſimilitudinem, cujus ratione fœtificant. Quartò: nunquam planta quæ inſeritur, ita alterius in qua inſeritur naturam evincit, ut ſuam tantummodò producat, & alterius nihil; ſed ex ambobus commixtis tertium reſultat: ergò ſi hoc in plantis, quæ multò minùs inter ſe diſtant quàm animalia, multò potiùs in iſtis & homine non eveniet, cùm inter illos major intercedat diſparitas, ut unum aliud ſuperare poſſit: & adhuc multò minùs ex parte fœminei ſeminis, cùm maſculinum nunquam ſuperare valeat, ita ut à propria natura illum exuat, & ad ſuam trahat, cùm ad hoc ſufficientem vim habere non poſſit. Quintò: quælibet generatio univoca quodammodo eſt, & à ſuo principio univoco initium ſumit; ergò ſi à diver-

diversis principiis fieret, æquivoca & à variis agentibus & principiis provenire posset, quod absurdum est. Ultimò, si semen fœmineum hoc præstaret, sequeretur ut aliquando ipsa fœmina sola sine maris adventu generare posset, quod Gal. 2. *de semine*, & omnibus medicis absurdum est: probatur, quia si in efficacia esset potens, in quantitate aliquando daretur copia ad generationem sufficiens, ut in eusarcis & sanguineis fœminis diu à coitu abstinentibus, in quibus dari possibile foret: hoc verò tam à veritate alienum est, ut econtrà fœmineum, qualitercumque se habeat, semper perfectionem & motum à masculino expectet, aliter generationi non inservit, nec prolificum redditur.

Ex quibus omnibus patet fœtus illos, quos ex simio Lusitana illa mulier suscepit, 34. vel omninò simios fuisse, vel utriusque naturæ participes, ac planè monstrosos; minimè verò homines. Patet etiam fabulosum prorsùs esse, quod Saxo Grammaticus, & Joan. atque Olaus Magnus duo fratres *lib.* 18. *cap.* 25. referunt de urso, qui puellam rapuit, compressit, imprægnavit; unde pilosus infans, sed membris humanis natus, qui Trugilli mox pater, à quo tandem Vulfo genitus Suenonis Danorum Regis pater: quæ tamen meræ sunt nugæ, cùm ex horrendo illo coitu nullo pacto homo provenire posset, sed vel monstrum utriusque naturæ promiscuum, vel ursus tantùm, masculino parentis semine fœmineum superante & vincente, ut in nostra hypothesi docebamus. Ex quo etiam capite nec recipi debent, nec vera judicari, quæ de Attila Hunnorum Rege, vulgò flagello Dei nuncupato, Antiquorum historiæ proferunt, eum nempe ex muliere ortum à cane constupratâ; ex qua etiam origine Pegusianos & Sianitas Indiæ gentes initium habuisse ex *Ioanne Barro* referunt *Delrius*, *Torquema-* 35. *da*, & alii: quæ non minùs à veritate, quàm à possibilitate aliena sunt; quemadmodum illa, quæ communis fama in nostra Hispania divulgavit de Gallecorum quadam familia, quam dicunt Marinorum, è Tritone cum adolescentula concumbente originem habuisse; quandoquidem, si talia concedantur, non solùm fœmineum semen activum (quod *Aristoteles* negavit) sed virili potentius esse necesse est ut fateri cogamur: & licèt cum medicis *Aristotelis* opinionem hâc parte non probem, tamen tantæ efficaciæ esse, ut virilis non solùm accidentia, sed ipsam etiam naturam & energiam superet, & in suam trahat, hoc possibile esse nunquam concederem; quamvis illud aliqui videantur adstruere, ut cum Athenæo judicat Lemosius 1. *de nat. facult. cap.* 6. *fol. mihi* 30. deceptus majori similitudine fœtûs ad matrem, quàm ad patrem: quia præterquàm quòd hoc ab imaginatione sæpiùs proveniat, novem mensium mora, quâ fœtus in utero detinetur, & materno sanguine nutritur, in causa esse potest, ut aliquando propterea matris similitudinem, & alia illius accidentia magis imbibat; sed ut in alienam naturam, & brutalem, si talis fuerit mater, trans- 36. seat, nunquam efficere valebit; præsertim cùm mutatio illa in principio generationis fieri debeat, quæ momentanea est, & illius vis potissima à patre & illius semine dependeat, quod generandi principium & præcipuam virtutem in se continet. Imò si aliquid activitatis in fœmineo invenitur, à masculino ad actum reducitur, à quo semper principium & motum expectat, ab illoque suscitatur, cui tanquam potentiori agenti obedit: quarè mirum non est si ab illo aliquando vincatur, & ad illius naturam licèt alienam accedat; semper enim actio potentioris agentis est, & non imbecillioris; & cùm in agendi vi & in quantitate masculinum plerumque fœmineum superet, consequens est ut actio illi debeatur, ut in qualibet rerum mixtione, & in qualitatibus planè conspicitur. Quis enim dicet, si in aceti uncias quatuor infundatur una vini, hujus & non illius saporem & qualitates gustu percipiendas? aut quomodò credendum est, quòd frigiditas ut duo, calorem ut sex destruere valeat? Sanè ut econtrà potius accidere debere certum est, ita etiam minimè dubium masculinum semen, fœmineum, cujus consortio tanquam generationis principio partiali utitur, sed multò in efficacia inferioris virtutis, ad suam naturam trahere posse; & si verum est quod velut in alimentum illi cedit, ut Galenus voluit, illud de novo alterando sibi simile reddere poterit, atque ita disponere, ut illius naturam & speciem sequatur: quo pacto dicere possumus quòd natura in monstris 37. præternaturaliter agens, etiam suprà naturam materiæ aliquando agat, saltem illius quæ à fœmina deciditur. Hoc evidentissimè patet in casibus à *Delrio*, *Iacobo Franco*, *Horstio*, *Riolano* adductis, in quibus ex feræ vulva humanos fœtus prodiisse conspectum est; sicuti ex mulieris utero brutum aliquando exiisse visum. Econtrà verò quòd mulier ab animali inita hominem planè peperisset, aut fera ab homine com-

compressa merum brutum, impossibile judicamus, ut suprà dictum est: atque ita Vulfonis historiam, quam *Olaus* affert, sicuti de familia Marinorum in Galicia, Tritonis marini, Regum Pegu, & siquæ sunt aliæ, meras nugas existimamus. Nec obstat quod *Licetus* ait, scilicèt quòd illud quod recipitur, recipiatur per modum recipientis, nec quòd perfectior materia imperfectiorem superare valeat: utrumque enim tantummodò verum est, cùm recipientis & materiæ virtus & vis superior est & perfectior; quod de fœmineo semine negamus, cùm hæc vis masculini potius sit: ideoque in genealogiis patrum plerumque mentio tantùm fit relictis matribus; nam natura maximè solicita ut species conservaret, suam unicuique essentiam & vim ita adaptavit, ut alteri non facilè subnecti voluerit: quòd si aliquando cedere unum alteri cogitur, validissimo agenti, quale masculinum semen est, cedit; minimè imbecillo, quale fœmineum est.

38. Cæterùm quamvis modo à nobis dicto accidere possit, ut mulier ex bruto merè brutum, aut fera ex homine hominem edat; tamen cùm hæc prodigia natura ipsa respuat & abhorreat, vixque possibilia judicentur, consequens est, ut siquando eveniant, ex dæmonum ludibriis & illorum arte potiùs quàm naturaliter provenire credantur, ut 2. *magiæ cap.* 30. non immeritò suspicatur *Delrius*, cui consentiunt *Torreblanca Villalpandus*, & *Nierembergius* citat. Ex homine quippe & fera monstrum nasci utriusque naturæ promiscuum concedunt omnes, sed hominem solùm oriri posse, præterquàm quòd naturæ repugnet, negant Theologi, Jurisperiti, & ex medicis Acastro *lib.* 3. *de nat. mulieb.* cùm enim monstra, quæ peccata sunt naturæ, nunquam sine judicio divino accidant, aliquando etiam in effrænatę libidinis supplicium dæmoni permittit, ut talia operetur: modus verò quo id facere valet, est vel mentiendo, corrumpendo, subtrahendo, vel alium fœtum supponendo, vel initiatum in utero includendo, & variis denique artibus, quas ut nos decipiat machinatur. Quare de prædictis historiis dubia manet fides, cùm humanum fœtum non nisi ab humano utero excludi posse cum philosophis & Theologis liceat asserere: temerè enim ex fabulosis plerumque historiis ista creduntur. Hinc apud Aristotelem 2. *physicorum* talia monstra negantur: *Quemadmodum enim* (inquit) *non invenitur planta ex olea & vite conflata, quæ vinum & oleum producat; pariter animal ex homine & tauro integratum non invenitur.* Quod de illis animalibus, quæ unicam naturam, cùm ex specie differentibus nascerentur, tantùm ostenderent, accipiendum; cùm de aliis, quæ mixtam exhibent, non videatur possibile *Aristotelem* negâsse, cùm experientia omninò contrarium ostenderit: quòd si de istis locutus fuit, illa pro nihilo reputavit, quasi animal non animal dixerit illud, quod statim ab ortu brevissimè moritur; qualiter etiam Hippocrates *lib. de sept. partu* octimestrem esse, & non esse dixit: ideoque *Virgilius* ad portas inferi centauros collocavit, ut *quæst.* initio dicebamus, cùm plerumque videamus hujuscemodi mixtæ naturæ monstra statim perire, quod & aliis ob suprà jam dictas causas evenit.

39. Tandem præter jam dicta, circà animationem monstrorum multa restabant dicenda, quæ breviter tantùm attingemus; nam monstra, quæ talia vel ratione superabundantis vel deficientis materiæ dicuntur, & illa quæ membrum aliquod à suo loco disjunctum habent, & parti alteri unitum, ubi naturaliter esse non debebat, hæc, inquam, dubitandum non est, animâ suæ speciei propriâ informari, ut in reliquis actionibus optimâ ratione uti videmus. Verùm circà monstra, quæ diversæ speciei connexionem ostendunt, puta ex hominis & canis, capræ aut alterius animalis effigie conflata; hoc dubitandi occasionem præbet, maximè si partes superiores hominis exhibeat; nam cùm anima rationalis in cerebro præcipuè sedem obtineat, si benè formatum caput & pectus inveniatur, non aliâ quàm humanâ animâ informari aut suspicari aut saltem dubitari poterit. Sed contrà hoc stat quod *leg. duod. tab.* præcipitur, ut monstra in profluentem abjiciantur; quam legem Romani ab Atheniensibus acceperunt, apud quos monstrosi fœtus in mare projiciebantur: quam consuetudinem jam intermissam Constantinus Imp. monstrorum frequentiâ perterritus renovavit; quâ ratione multa in insulam deportata refert *Lycosthenes*: nam cùm sint vel naturæ aberrationes à suo scopo, præstat ea non nasci, aut quàm ocyssimè aboleri, quia naturæ injuriam faciunt, & universi ordinem pervertunt; vel cùm sint nefandi coitûs turpissima desideria, non aliter quàm igne expianda, rectè tali supplicio in tanti facinoris reos animadvertitur, cùm sit contrà naturæ leges, quæ promiscuos concubi-

tus

tus vetant. Quarè an talia monstra saltem sub conditione baptisari debeant, Theologis determinandum relinquimus: cæterùm si, licèt ex diversæ speciei parentibus, perfecta tamen nascantur, unam tantùm speciem, hominis nempè repræsentantia, si nullum in his observetur vitium, nullâ naturæ deformitas, baptisari debere non citrà rationem diceremus; rectè enim colligi potest, si facultas formatrix fœturæ materiam ita dispositam invênit & adaptavit, ut exteriùs & interiùs perfecti hominis effigiem in omnibus membris formare potuerit, dispositionem quoque pro anima rationali accipienda habuisse: quæ enim sic nascuntur corpora, licèt ex vacca, aut equa, aut alio animali prodeant, monstra simpliciter dicenda non sunt, quia in illorum compositione nullum naturæ erratum conspicitur; sed solùm si ad originem respiciamus, talia dici merentur, non per se, sed ratione suæ causæ.

40. Aliæ dubitationes etiam occurrunt in monstris, quæ in individuo dicuntur, cùm duo fœtus qui inter se distincti & separati esse debebant, tamen conglutinati, uniti, & in unum difforme corpus compacti prodeunt. Prima, quæ sit horum monstrorum causa? Secunda, an unicâ, an duplici animâ informentur? Et quatenùs ad illorum causam spectat, non est difficile eam invenire; nam si verum est quod Hippocrates *lib. de superfœt.* docuit, gemellos scilicet unicâ secundinâ contineri, ut etiam scribit Amatus *cent. 7. curat.* 36. Acastro *lib. 3. de nat. mulieb. cap.* 13. & saltem de illis, qui sunt unius sexûs, tenet Laurentius *lib. 8. anat. quæst.* 21. accidere potest, ut propter alicujus humoris erosionem membra illa quibus cohærent ulcerentur, & sic inter se uniantur. Hoc pacto accidere puto, cùm in externis tantùm & superficialibus partibus coalitus visitur, omnibus tamen in utroque fœtu completis & integris apparentibus; ut in illis virgunculis, quæ dorso cohærentes anno 1475. Veronæ natæ sunt; & in aliis duabus, quæ frontibus unitæ in Bristanto pago anno 1495. quarum icones exhibet Paræus *lib.* 24. quod etiam ruptis tunicis aut erosis, quamvis ab initio in diversis secundinis contineantur, evenire poterit ob similem humorum acrimoniam, aut ob violentiam aliquam effractis, unde ea parte quâ membranarum ruptio facta est, uniantur; ut in metallorum conflatione ruptis vasculis accidere videmus, aut quemadmodum in ovo duos habente vitellos membranâ discretos, in quo duo pulli efformantur; sed si membranam rumpi contingat ea parte uniuntur, quâ fit concurrentium humorum concretio, unde partus monstrosus, ut cum duobus capitibus, duabus tantùm alis & pedibus, vel cum uno capite, quatuor alis, totidemque pedibus: sic in humanis gemellis, ruptis aut erosis secundinis propter seminis & humorum concursum, variis in locis partium commixtio & difformitas resultare poterit. Sed aliter etiam præter causas jam dictas alio modo pluralitas hæc individuorum in unum corpus plasmata provenire posse videtur, nempe ob materiæ ineptitudinem & inobedientiam cum aliquo in quantitate defectu; talis verò ineptitudo materiæ forsan erit nimia tenuitas, ob quam, dum formatrix facultas in opus incumbit, refluit, & inter se depravatè miscetur; quo fit ut partes unius gemelli cum partibus alterius non solum uniantur, sed intus maneant ac separari non possint; cùm præsertim pro duobus corporibus perfectè efformandis materiæ quantitas non sufficiat, & dum in unoquoque pro illius complemento materiam adaptare contendit, quæ non satis suppetit, invicem permiscentur, & in unum illis in partibus, ad quarum supplementum defectus dabatur, uniuntur; quarè cùm facultas formatrix non potest facere quod vult, facit quod potest.

41. An verò in monstrosa hac corporali individuorum commixtione unica an duplex anima inveniatur, dubitatum à plurimis est. D. Thomas *in Posteriorib.* ex cordis singularitate aut pluralitate hoc agnosci debere docuit, cùm sic ait: *Monstra si duo capita habeant, vel duo alia membra, utrùm sint unum animal, an plura, patet ex hoc: si cor unum habent, sunt unum animal; si plura, plura*: Arist. opinionem videtur secutus, qui cor animæ sedem esse existimavit, ut *lib. de respirat.* & 3 *de part. animal. c.* 3. clarè scripsit; quarè si unicum in duobus illis unitis corporibus inveniatur, unicam ambobus vitam & animam datam fuisse verisimile esse ex *Aristotelis* & *D. Thomæ* opinione infertur: unde ex hac regula, cordis scilicèt singularitate aut duplicitate, unus an duo sint baptisandi, determinandum esse tradit *Henricus de Gandavo*; in infantibus quippè, qui sic complicati & uniti nati sunt, unicum cor in duobus corporibus, sicuti unicum hepar, sæpiùs inventum & observatum fuisse constat ex Cornelio Gemma, & Ambrosio Paræo *lib.* 24. *cap.* 2. quod etiam Lovanii anno 1536. visum testatur

Gem-

Gemma Frisius. Eodem pacto ex jecore hanc difficultatem determinari posse alii crediderunt: nam cum sit fons & principium sanguinis, anima autem Physicorum & Empedoclis opinione in sanguine sita sit; ut sanguinis, sic animæ unicum esse principium statuerunt. Hinc putavit *Aristot.* idem esse vivere quod nutriri, utriusque verò principium cor esse: sive ergò cor, sive jecur constituatur vitę principium, ubi inveniatur unicum, pariter unâ animâ & communi vitâ gemellos regi, licèt capitibus distincti sint; si duplex jecur, ut in quodam monstro Patavii nato anno 1514. observavit Rhodig. *lib. 24. cap. 3.* duplicem vitam & animam inesse. Sed opinio quoad utrumque principium falsa est, & quatenus ad jecur spectat, jam inventa sunt hominum corpora, in quibus post mortem dissectis nullum hepar inventum est, ut ex *Lamberto Tulitano* medico Antverpiensi narrat *Schenckius*; quod etiam in alio ex hydrope mortuo vidisse testatur *Alphonsus Rod. de Gevara* professor Conimb. *lib. 3. disp. anat. adversus Vesalium cap. 5.* ubi ait tempore Imp. Caroli V. Vallesoletani prædicti cadaver secuisse, in quo hepar omninò deficiebat: quin & omninò putrefactum, gangrænâ & sphacelo correptū habemus apud *Schenckium*, & ex *Henrico Arnisæo* apud Horstium *lib. 3. epist. sect. 11.* Quæ omnia, si jecur vitæ principium esset, minimè dari potuerant, quia diceretur vita absque suo principio permanere posse. Deinde duplex hepar aliquando visum, quod in aliquibus animalibus naturaliter dari scribit *File*, præsertim in rubetis & bufonibus: quin & in homine se duplex vidisse affirmat Gemma *lib. 2. artis Cyclonom.* quæ omnia etiam in liene observata: imò & situm cum jecore mutatum idem *Gemma*, & alii apud *Schenckium* citati asserunt. Quæ tamen impossibilia forent, si talis pars vitę principium esset: ergò sicuti neque ob duplex hepar in homine duplex vitæ principium constituendum, ita neque in monstris, ne quidem si unicum, individuationis subjecti aliquod inde argumentum sumendum est. Atque de corde eodem modo sentiendum, quia neq; illius duplicitas duplicitatem substantiæ corporum convincit: metropolis enim & præcipua animę sedes non in corde aut hepate sita est, sed in cerebro; cor verò officina tantùm est spirituum vitalium, nobiliores verò animales dicti in cerebro resident ubi quoque omnes sensus locum obtinent, ac proindè cerebrum potissima sedes est rationalis animæ: quarè in ratione, memoriâ, aut imaginatione læsis, topica capiti, non cordi aut hepati admoventur, ut 13. *Meth. cap. 21.* adversus Athenæi discipulum & alios Peripateticos latiùs redarguit *Galenus.* Igitur in corporibus humanis pro individuorum distinctione ad rationis sedem recurrendum potius est, quàm ad caloris naturalis fontem, cujusmodi cor est, quod ad vitæ sustentaculum magis pertinet, quàm ad subjecti individuationem; hæc enim à cerebro, & capite potissimùm dependet: propterea in prima typosi cæteris partibus grandius apparet. Quòd si natura in complicatis & unitis gemellis, qui supernis partibus & capitibus distincti ac perfecti apparent, diversas quoque animas producens, cor tamen & jecur aliquando unum tantum construxit, ut in prædictis monstris observatum est; hoc vel ob materiæ defectum, vel ineptitudinem, vel ob alias causas, non aliter facere potuisse dicendum est: vel quòd unicus caloris fons ad vitam in corporibus illis sic involutis sustinendam sufficiens erat, cum utriusque venæ & arteriæ ad invicem consentiant & communicentur.

42.

43.

44. Ratum itaq; & indubitatum sit, gemellos capite distinctos, licèt partibus inferioribus cohæreant, suam unumquemq; animam habere particularem. Hoc præterquam quòd ex jam dictis colligi possit, tamen non aliundè certius quàm ex diversis gemellorum affectionibus inferri ac cognosci potest. Sed antequam de his agamus, aliquas individuationis regulas proponemus, ut in præsenti casu an subjectum & anima unica sit, aut duplex, facilè agnoscatur. Primum igitur attendendum est, an membra duplicata, non solum rectè efformata & perfecta, sed suo loco, & satis distincta & separata maneant; hoc enim pluralitatis indicium est non contemnendum: unde monstrum illud, quod septem capitibus Cracovię natum fuit anno 1543. cum talia capita nec suo loco posita forent, nec humanam figuram obtinerent, ab hac regula explodendum; de quo monstro mirum est quod scribunt Munsterus *in cosmograph.* Peucerus de *Teratoscoph.* & elegantissimo etiam carmine Gaspar Buschius; editum namque in lucem quatuor horas vixisse, ac tandē his emissis vocibus expirâsse dicunt: *Vigilate, Dominus Deus vester adventat.* Eodem pacto venit excludendum monstrum alterum septem capitibus horrendum, quod Bononiæ anno 1625. in foro Julio natum depingit *Aldrov.* nam licèt capita suo loco posita suprà humeros & cervicē essent, tamen non separata, sed in unum velut corpus jungebantur: cui simile fortè fuit illud monstrum, quod Neroni allatum scribit Adriani Libertus, quatuor capitibus difforme. Secunda regula erit, si percusa, aut

tactâ aliquâ corporis parte utrumque caput dolorem sentiat & queratur; hoc enim animam unicam esse demonstrabit, cujus jurisdictio ad totum corpus monstrosum diffundatur: si verò alterum tantum caput sentiat, duplicem animam esse colligendum est. Tertia regula ex actionum imperio desumenda est; attendendo an cum aliquis gemellorum aliquid facere vult, membra omnia utriusque corporis illi obediant; hoc enim signum erit, unicam tantum esse animam. Quarta regula ex actionum contrarietate & diversitate desumenda est; & hæc omnium potissima habenda, quia ex hac manifestè citrà aliud signum aut experimentum animarum duplicitas aut singularitas evidenter elucet: repugnantia enim & oppositio subjectorum diversitatem manifestè arguit, quod sæpiùs in hujusmodi ex individuo monstris observatum est.

45. Anno 1552. in Anglia non procul ab Oxonia, ut *lib. de monstro Paris. nato. cap 6.* narrat Riolanus filius, natum est monstrum biceps, quatuor manibus donatum, sed ventre & partibus inferioribus unicum: ex istis gemellis (inquit) uno vigilante alter dormiebat; dum hic lætam faciem ostenderet, ille tristis & mœstus apparebat. Quindecim dies vixêre, sed alter unico die alteri supervixit. Memorabilis est historia, quam Hector Boethus *lib. 2. hist. Scoticæ*, & Georg. Buchan. *ejusdem hist. lib. 13.* referunt, monstri cujusdam in Northumbria orti, gemino capite, quaternis manibus, sed inferiores partes communes habebat; id Rex diligenter educandum & erudiendum curavit, ac maximè in musicis, qua in re mirabiliter profecit, quin & varias linguas edidicit. In hoc monstro ex variis voluntatibus duo corpora secum discordia satis conspicuè videbantur; litigabant quippe interdum, dum aliud uni, aliud alteri placeret, aliquando velut in commune consultabant: illud etiam mirabile fuit, quòd cum infernè crura offenderentur, utrumque corpus dolorem sentiebat; cum verò supernè pungerentur, aut aliter læderentur, ad alterum tantum corpus doloris sensus perveniebat: tandem hoc discrimen in morte conspicuum fuit, alter enim per plures dies antè extinctus est, superstite posteà paulatim computrescente. Vixit tamen hoc monstrum ad annos 28. & decessit administrante rem Scoticam Joanne Prorege. *Paulus Diaconus* de alio similiter narrat, quod post mortem Imp. Theodosii natum est; ab infernis ad umbilicum usque perfectus puer erat, mox in duo corpora superius dividebatur, duobus pectoribus, duobus capitibus, quorum unum edere conspiciebatur, jejunante altero; uno etiam vigilante alterum caput dormiebat, aliàs etiam utrumque pariter somnum capiebat; nec tamen raro inter se contendebant, uno alterum percutiente, unde aliquando alter, aliquando ambo plorabant. Albertus quoque Magnus, de duobus aliis infantibus sic monstrosè unitis mentionem facit, qui diversæ prorsus complexionis erant, & conditionis planè adversæ; cum enim unus furibundus aliquo casu erat & cholericus, alter mansuetus & mitis permanebat. *Henricus de Gandavo* de duobus aliis scribit, qui ad invicem & mutuò rixabantur; alter quippe pius erat & devotus, alter vitiosus; ac dum unus orare volebat, alter de quærendis meretricibus solicitus erat. Quibus omnibus contrarium ex adverso visum est in bicipiti illa puella, quæ omnium membrorum venustate elegans fuit, præter duo capita, quæ eodem bibendi, edendi, dormiendi, loquendi, & omnium rerum desiderio tenebantur, prout ex *Lycosthene* refert *Paræus*. Cæterum hujusmodi monstrorum plures historias collegit *Aldrovandus*, ad quem lectorem remittimus, & ad Buchananum *lib. 3. de reb. Scoticis*; quorum monstrorum similia alia exempla ex Beda & aliis collegit Philip. Camerarius *cent. 2. cap. 67.*

46. Illud tamen in fine hujus prolixæ quæstionis addiderim, vanam esse illorum opinionem & curiositatem, qui non solum monstrorum causam ab astris suspendunt, sed monstra aliquid ominosum frequentissimè protendere inculcant; in quibus indagandis & investigandis, ut monstrorum ortus suo quoque infortunio alligent, maximè defatigantur. Quæ tamen humanæ curiositatis ludibria quædam sunt, sicuti monstra naturæ errata; quæ ipsa nec suæ normæ oblita facit, nec per se intendit, sed ob materiæ in qua operatur dispositionem emergunt: quod cum accidentaliter eveniat, nil directionis ad aliquid vel præsens, vel futurum continere poterit: vel tandem cum sint nefandæ Veneris turpissimæ libidines, quæ à voluntate libera dependent, cum hæc cogi non possit (alioquin homo non esset sui juris) nullo pacto ad determinatum tempus & ad casus, qui contingenter accidunt, dirigi possunt, ut illos protendant, nisi aliter divinâ dispositione ignotæ rerum causalitates moveantur, ut in tempore & occasione coincidant; alioquin rectè dixit quidam:

Esse

Esse malum à Superis affirmant, cùm tamen ipsi
Criminibus propriis homines sibi damna parârint.

Tu interim vide *Riolanum* citat. *cap. ultim.* qui abundè hoc negotium expendit.

QVÆSTIO QVADRAGESIMASEXTA.

An homines ex semine retento hystericis affectionibus aliquid simile pati possint, ut mulieres patiuntur?

QUoniam igitur de illis, quæ circà coitum accidunt, mirifica prosequimur, placet & de homine paucula involvere, ut fœtus hic noster utriusque parentis mixturam obtineat: quarè non fuerit sanè injucundum scire, an in viris retentum semen gravem aliquam noxam afferre possit, cujusmodi in mulieribus hac de causa horrenda symptomata non infrequenter conspicimus; & quarè rarò illi in talem affectionem, fœminæ autem frequentissimè deveniant, tam sævaque aliquando patiantur mala, ut pænè videantur mortuæ, cùm neque respirationis, nec vitæ, in illis nondum defunctis, vestigia aliqua se prodant; ut mirum propterea non fuerit, quendam medicum Anatomes professorem, hystericam sic oppressam aliquandò secarè incepisse, quòd mortuam judicâsset, ut *cap.* 46. *lib.* 23. narrat *Paræus*: quæ tamen ad secundum adactæ novaculæ ictum ad se redire & vivere deprehensa est. Quamplurimæ enim sic affectæ, & pro mortuis habitæ, elatæ fuerunt: quarum non paucas historias habemus apud Georg. Pictorium *in sermonib. convivalib.* Alexand. Benedictum *lib. & cap.* 10. Paræum *lib.* 24. *cap.* 10. Forestum *lib.* 10. *obs.* 79. Albertum Bottonum Guilliel. Fabricium & alios. Hæc igitur illarum ægritudo variis nominibus à medicis nominatur; nam & uteri suffocatio, quòd velut suffocatæ ac strangulatæ jaceant, hysterica etiam affectio dicitur, ab utero & laborante parte nomen deducens; quasi præcipuus sit hic morbus ex innumeris qui ab ipso proveniunt: apud Græcos enim hysera, seu hystera uterus appellatur, quasi ultimum viscus dixeris, quòd in situ ex omnibus corporis visceribus postremum sit & posterius, inter rectum intestinum & vesicam à natura non sine magno artificio positum, altissimo Protoplaste sic disponente, ut homo arrogans animal, sui ortûs initium & natale solum considerans, superbiam omnem exueret, cùm tanquàm è stercore & fæcibus extractus in lucem prodierit.

1.

2.

Quæ igitur fœmineo sexui ex retento & putrefacto semine atrocia & exitiosa oriantur mala (ut alias causas omittamus) passim experientia ostendit, & in medicorum libris, in quibus quotidie versamur, abundè exposita legimus, tantâ varietate insignita, ut vel solo visu animus exhorrescat, & obstupescat mens: medicorum aliqui propterea hujusmodi mulierum affectibus, quasi labyrintho quodam impliciti ac deterriti, nec vadum tot syrtibus inexpugnabile superari posse credentes, ab harum ægritudinum curatione (alioquin doctissimi) abstinere satius duxerunt, quàm cum tam atroci hydra pugnam committere; cujus vel uno capite discepto, innumerabiles adhuc in alto symptomatum conticinie emergunt. Ex his unus creditur *Mercatus*, qui quamvis de gynæciorum morbis doctissimè scripserit, audivi tamen non nisi invitè illorum curationem suscepisse: si enim sentinæ uteri locum, naturam, humorum copiam, sanguinis effluxum, intemperiem, putredinem, consensum deinde cum ventriculo, jecore, corde, septo transverso, & cerebro spectemus, innumeras ægritudidum myriades, ac accidentium chiliadas hinc inde supervenientes videbimus; ut nullus ferè sit morbus, qui à conspurcatissimo uteri fonte dimanare non possit, ita ut minera quædam malorũ meritò sit appellandus. Hinc enim (ut intemperierum omnium cumulum relinquamus) sanguinis fluores, ventris murmura, rugitus, dolorũ cruciatus, mœstitia, tædium, & si ad ventriculum attendamus, fastidium, pica, bolimi, vomitus innormes; si ad jecur, faciei pallores, dyssenteriæ, hydrops, obstructiones, pedum tumores, cachegiæ, lassitudines, albæ febres in virginum sinu perpetuò incidentes; si ad cor, jam morsus adest, animi defectio, syncope, dolor, saltus, palpitatio, arteriæ pulsatio, dorsi, ac meserei; hinc metus, anxietas, mæror, inquietudo, ac desperatio plerumque tanta, ut se mox interituras putent, ac interdũ cupiant, nullâq; ratione in spem erigi, ac relevari possint; si ad septũ transversum, prædicta omnia pro nihilo sunt; quippe ita strangulantur, suffocantur, difficulterque spirant, ut vitæ nullum signum exhibeant, nec vivere credantur. Sed haudquaquam minùs horrenda & periculosa, quę compatiente

3.

cerebro fiunt, animali enim oppressâ facultate, tremores suboriuntur; resolutiones, convulsiones, alti sopores, capitis & totius corporis ingentes cruciatus, vocis & respirationis privatio corotidibus arteriis obstructis, reliquisq; respirandi viis ac musculis in consensum tractis, uti & sensuum internorum læsiones, & externorum, auditus, gustus, olfactûs, qui non rarò vitiantur. Deindè non paucæ deliræ, melancholicæ, furibundæ, & maniacæ redduntur; aliæ ut congelatæ & catalepticæ, nil scire respondentes, aliquando garrulæ, inquietæ, iracundæ, aliisque desipientiæ generibus affectæ à quibus non raro in caducum morbum inexpugnabilem deveniunt; qui si in puerperis contingat, ut ter jam vidi, in funestam protinus desinit tragœdiam, nullo remedio nisi cum vita finiendam. Hæc igitur & terribiliora alia, ex tantilla seminis corrupti materia in fœminis eveniunt: illud quippe aut intrà vasa, aut extrà in uteri loculis detentum putrescere posse, luculenter inter alios probat Fernelius 6 *Patholog. cap.* 16. Vega 6. *de locis.* 5. ex Galeno eodem loco, Avicennâ, Averroë, & aliis.

4. Ex hac igitur causa tam fortiter fœminæ cruciantur, ut mentem omnem sæpiùs amittant; quod Crotoniensibus virginibus accidisse testatur Crinitus 3. *de honest. discipl. cap.* 9. quæ tandem, cùm nullum inveniretur morbo remedium, in prætaltos puteos se præcipitabant. Huic similis ex eadem causa fuit Milesiarum furor, ut *lib. de claris mulierib.* narrat Plutarchus, & Gellius *lib.* 15. *noct. Atticar. cap.* 10. quæ mortis cupidine sese strangulabant; cui malo cùm nullum daretur solatium, remedium tandem fuit mortuarum illarum cadavera, quæ se anteà suffocaverant, nuda per mediam urbem circumferre, & in foro relinquere, ut probroso aspectu aliæ deterritæ à tanta desperatione abstinerent. Par mentis alienatio filiarum Præti extitit, & qui Argivorum mulieres corripuit furor; quas omnes Melampus curavit, partim elleboro purgatas, partim non sinens domi quiescere, sed palantes per agros & dumeta assiduo saltu fatigari cogens, ut narrant Apollodorus *lib.* 2. *suæ biblioth.* Pausanias *in Corinth.* & Theopomp. *lib.* 8. *hist. de Philip. rebus gestis.* Tandem simili mentis excessu, & coëundi œstro percitas Lugdunenses puellas 60. annis priusquàm ea scriberet, in se ipsas sævisse scribit Brodæus *lib.* 5. *miscell. cap.* 27. nec aliter quàm ob eandem imaginationis & judicii perversitatem lupas, non mulieres, cum Favorino dicemus fœminas illas, quæ in fœtus suos in primordiis animationis sæviebant, ne posteà distento embryonis magnitudine utero, æquor illud ventris erugaretur, ac præ gravitate oneris, & partûs labore fatisceret: de quibus forsan Juvenalis *Satyra* 6.

Apud G[ellium] lib. 12. cap. [1.]

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto:
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, adq; homines in ventre necandos
Conducit.

5. Hæc itaque omnia & similia multa, quæ peculiariter sæpiùs observamus, ex naturali mulierum conditione proveniunt, ob menstrua & retentum semen, & illorum malignissimos vapores, partes principes dirâ labe infestantes; quæ mala gravissima certè, & periculi plena, salacioribus virginibus coitum affectantibus eveniunt, & præcipuè viduis, quæ Veneri assuetæ, illam à multo tempore dimiserunt; in quibus vel ob multitudinem, aut consuetum naturæ motum, & intermissam evacuationem, cùm in vasis superabundet, aut in uteri capacitatem expulsum præter naturam detineatur, ibi cùm aliis impuritatibus immixtum facillimè putrescit & in deleteriam naturam demigrat; unde statim quasi ex veneno similia prodeunt symptomata, medicis quotidie non levem curam impendentia, cùm non nisi grandi labore & exactâ diligentiâ vincantur: ut in vidua illa accidit cujus Galenus 6. *de locis* 5. *& lib.* 2. *de semine cap.* 1. meminit, passimque apud alios auctores horrenda, quæ ex eadem causa proveniunt, symptomata describuntur; inter quos, ut cæteros omittamus, de quibusdam virginibus ac earum atrocissimis & ferinis à semine retento accidentibus historias refert Solenander *sect.* 4. *cons.* 2. *&* 7. Quæ cum omnibus notissima sint, non immeritò quæri potest, quarè in viris non ita ac in fœminis eveniant; aut cur non ita frequenter, nec tam sæva illis obtingant? ac tandem, quasnam affectiones ex semine retento, & coitûs dimissione patiantur? cum & semen in ipsis magis quàm in fœminis abundet, quod putrefieri possit, atque corrumpi; nam cum causa communis, nempe semen, in utroque sexu inveniatur, communes quoque deberent esse affectiones.

6. Veneris usum moderatum ad conservandam sanitatem inter reliqua corporis necessaria adjumenta naturam hominibus concessisse, medici nobis inculcant; nam cum

semen

semen salutare quoddam excrementum sit, etiam sui evacuationem exoptat pro copia & redundantia, quæ in corpore invenitur: quarè modum servare decet, ut aliquantulùm minùs, quàm abundantia exigit, evacuetur. Utendi modum exposuit Celsus, cùm *lib.* 1. *cap.* 1. sic monuit: *Concubitus nec nimis concupiscendus, nec nimis pertimescendus; rarus corpus excitat, frequens solvit: cùm autem frequens non numero sit, sed naturâ, ratione ætatis & corporis, scire licet eum non inutilem esse, quem corporis neque langor, neque dolor sequitur.* Eadem ferè docuit Gal. *in arte med. cap.* 85. nam ut statim post pauca, aureâ sententiâ idem Celsus advertit: *Cavendum ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur.* Attendendum quippe est ad ætatem magis adolescentibus quàm viris & senibus conducere, & quoad naturam sanguineis & eusarcis expedire frequentius, quàm pituitosis aut melancholicis, sanis quàm valetudinariis; & universim de omnibus Paul. Ægineta *lib.* 1. *cap.* 37. ait: *Frequens concubitus corpus rarius, frigidius, & imbecillius reddit.* Igitur si assiduus est, vires exhaurit, spiritus consumit, calorem innatum mortificat: est enim semen spuma sanguinis utilissimi, superfluitas optima, & laudatissimum alimenti retrimentum, ut *Pythagoras* censuit, cerebri pars, ut *Almenus*, aut particula ab anima & corpore evulsa, ut *Epicurus*, ac tandem ultimi alimenti sanguinei excrementum, ut 1. *de gen. animal. cap.* 18. voluit *Aristoteles*: itaque hominis robur & vita in sanguine ac semine, quod ex illo fit, consistit; quare quò plus detraxeris, tantundem de vita minues, cùm cerebrum suaptè naturâ frigidum & exangue enervet, nervorum robur dejiciat, oculos & articulos debilitet, cruditatesque pariat; unde ingens posteà morborum phalanx exoritur, & quævis delectamenti mica mille ægritudinum cruciatibus rependitur, ut non immeritò damnosam Venerem poëtæ cecinerint, ut Ovidius *de ponto & 4. metam.* & Horat. *lib.* 1. *epist.* 19.

Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat.

Hinc fit ut nimio coitu utentes citò calvescant, ut 5. *de gen. animal. cap.* 3. notavit *Aristoteles*: quarè *lib. de long. & brevitate vitæ*, animalia multo coitu utentia citissimè senescere dixit. Confirmat Avicenna *lib.* 3. *fen.* 20. *tract.* 2. *cap.* 11. quia corporis robur & firmitudinem dissolvit, ex Æsio *lib.* 3. *serm.* 4. *cap.* 20. quarè attonitos reddit homines, apud Macrob. 1. *satur.* 21. propterea apud Cl. Alex. *lib.* 2. *Pæd.* nimia Venus rationis usu spoliare dicitur; nec mirum, quia spiritus impensè resolvit, potentias labefactat, coctionis officinas prosternit, & omnia membra enervat, ut ipse Plat. *in Cratillo* docet; quia hac solùm de causa cerebrum omninò exhaustum fuisse narrat Albert. Magnus *lib.* 22. *animal.* & Arnaldus *in speculo introd. cap.* 83. unde Veneri sine ratione nimiùm dediti, pallidi, tremuli, obliviosi apparent, & infinitis aliis morbis fores recludunt: quod minimè mirandum, cùm præsertim 3. *de animal.* 3. dixerit Avicenna, *quadragesies plus dissolvere semen evacuatum, quàm sanguinem, cujus* 40. *unciæ unicam seminis præstantiâ & viribus æquant.* Nec hoc solùm, sed ratio & mens obtunditur, hebescit, & si nimia sit Venus, exhauriuntur, *ut* 6. *eth.* 5. prodit Aristoteles: nec immeritò, spirituosa enim substantiâ è corpore evacuatâ vires impensè labuntur, ut jure studiosis & literatis fugienda sit, cùm ingeniis valdè infensa existat, ut doctè ex Platone & Hippocrate probat Marsilius Ficinus *lib. de vita sana*, & luculenter prosequitur Tiraquellus *lib.* 15 *legum connub. glos.* 1. *p.* 15. Quod non minùs ex Aristotele patet 1. *de gen. animal. cap.* 18. ubi de semine loquens, ait dissolutionem ac manifestam imbecillitatem consequi, cùm vel minimùm seminis secesserit; quod absque dubio ex *Hippocrate* desumpsit *lib. de genitura*: quo loco scribit à Veneris usu pauculâ re emissâ imbecilles nos reddi, quod ab omni humido genitura proveniat, & id quod corrobustissimum est evacuetur. Quapropter Galenus 4. *de sanitat. tuenda cap* 11. corpus à Veneris usu laxius, frigidius, imbecillius, ac siccius effici; & 3. *in* 3. *epid. com.* 87. nervos ac cerebrum multùm lædere, tum vires elidere, & debilitare ait: causam *lib.* 1. *de semine in fine* iterùm reddit; quoniam in coitu corpus universum purissimâ sui parte fraudatur, quia plurimùm effluit caloris & nativi spiritûs; cui accedit etiam voluptas, quæ vel sola sufficiens est ad vitales vires dissolvendas, ut nonnulli propterea præ nimiâ voluptate in coitu interierint, ut ex *Plinio*, *Fulgosio*, *Schenckio*, *Pontano*, & aliis *quæst.* 44. *juxtà finem* jam attulimus. Sin minùs, coitu artuum dolores, renum vitia, comitiales morbos, podagramque exacerbari 6. *de morb. vulgarib.* docuit idem: imò & ipsam podagram facere 6. *aphor.* 28. & 30. apertè dicebat; cerebrum enim & nervos maximè lædit, ut *in hist. adolescentis Melib.* 3. *epid.*

[Margin: ...is ni... damna; 7.; 8.; 9.]

epid. admonuit; quod similiter fatetur Avicenna *fen.* 2.3. *cap.* 1. & *fen.* 20. *ejusdem tract. cap.* 11. ubi sic *Inducit hominem ad infrigidationem corporis, & ejus exsiccationem, debilitat sensus omnes; inducit torporem & dolorem crurium, assimilatur epilepsiæ*; imò parvum quendam morbum comitialem coitum esse putavit Democritus apud Galenum *lib.* 3. *epid. com.* 1. *ægrot.* 1.

11. His forsan persuasi doctissimi quidam viri omninò negant seminis excretionem ad præcavendos vel ad curandos morbos aliquos, aut ad sanitatem conservandam quantumvis in corpore abundet, quidquam conducere posse: Hanc opinionem in primis habuit Epicurus apud Galenum *in art. med. cap.* 85. Eandem defendunt Scaliger *exercit.* 269. Michaël de Medina *lib.* 4. *de continentia controv.* 4. *cap.* 17. 18. & 23. & ex medicis Codronchus *lib.* 1. *de Christiana med. cap.* 20. quam etiam sententiam acriter defendit Æmilius Parisanus *lib.* 1. *de subtil. exercit.* ubi adversus *Galenum* & alios, qui illius doctrinam hâc parte sequuntur, acriùs insurgit; semen scilicèt masculinum, nec adhuc fœmininum haudquaquam frigidum esse aut reddi posse, nec suis in vasis corrumpi, proindè coitum ad salutem masculis conferre, solùm illos asserere ait, qui ad libidinem nati sunt; pravamque imaginationem & adhuc praviorem conscientiam habere, qui talia consulunt, adversamque huic veritati opinionem in hominum perniciem sustineri; quantumvis sapientes viri falsâ doctrinâ imbuti sanitatis gratiâ scortari se dicerent, aut pravi medici admonerent, quoniam id vitio & perperàm opinantes fecissent. Quapropter hanc opinionem, utpotè exitialem, om-

12. nino à Christiana repub. radicitùs abradendam evellendamque esse ait, cùm in homine talem ejaculandi seminis necessitatem ad sanitatis conservationem nullam esse appareat; quin imò semper illi noceat, & cum ingenti corporis noxa fiat: quare nec athletis conducere tenet, nec plenitudine gravatis, quia sine nobilioris corporis substantiæ jactura non fit; ideoque moderatè tantùm eâ uti debere, qui debitum reddere tenentur, & liberis dant operam: alioquin Veneris abstinentiam corpori, animo, & animæ maximè conducere: *Sapientes enim coëunt, ne coëant.* Tandem Guido Patinus *lib. de valet. cap.* 8. apud Philipp. Guibertum in ea est opinione, quòd coitûs abstinentia homini nequaquam officiat, nec alicujus morbi causa esse possit; quòd in illo ex seminis retentione pravum ullum symptoma vix unquam compertum fuerit; imò nunquam citrà agentis debilitatem expelli. Quarè *Angel. Politianum* taxat, quòd de Michaële Verino ingenuo adolescente Hispano illud asseruerit, quod mox infrà; & prædicta illa, quæ in carmine pro illius epitaphio posuit, poëticè tantùm ab homine minimè medico dicta existimat: quibus tandem videtur suffragari Plutarchus *in salub. præceptis*, cùm pro sanitatis conservatione sic ait: *Vesci citrà saturita-*

13. *tem, impigrum esse ad laborem, vitale semen conservare, tria saluberrima.* quam sententiam de consilio *Hippocratis* multi referunt. Quod sanè nunquam consuluissent veteres, si semen suâ copiâ læderet, aut morborum causa esse posset, ut 3. *de morb. mul. cap.* 2. tenet Mercurialis: hac ratione addunt, multos fuisse athletas, qui à Venere abstinentes nil damni indè habuêre, ut de Icto Tarentino, de Chrysone, Astylo, & Diopompo 8. *de legibus* narrat *Plato*, qui temperantiam simul & fortitudinem animi consecuti, nullam unquam in toto suæ exercitationis tempore Venerem cognoverunt; quibus addunt luctatores magni Turcæ, qui eodem modo citrà ullam noxam se gerunt, ne coitu vires enerventur.

Quæstionis resolutio.

Quid igitur in præsenti difficultate tanquam probabilius statuendum sit, aliquibus distinctionibus jam determinandum. Primò igitur dicimus, Veneris omnimodam abstinentiam, & seminis retentionem omninò innoxiam non esse; præsertim in mulieri-

14. bus, in quibus cùm à propriis vasis in matricem exeat, ibi extrà suum locum, ubi conservabatur, præter naturam putrescens & excrementis aliis immixtum, in malignissimam substantiam degenerat; non solùm quia calidum est & humidum, ac sic corruptioni paratissimum, sed etiam quia seminis materia admodum excellens est ac benigna, undè majoris putredinis occasionem habet, & potentiorem putredinis efficientem causam adesse necesse est: quæ enim putrescunt, ad sui ipsius contrarium mutantur; quarè quò melioris conditionis res sunt, eò deteriores evadere conspiciuntur. Unde pravissima symptomata ex hac causa in virginibus aliquando, sæpiùs in juvenibus viduis & hystericas affectiones conspicimus, ut proprio exemplo 6. *de locis* 5. Galenus demonstravit, ut suprà jam diximus.

Dicimus secundò, in viris cum multò minori noxa semen detineri, longe-

que

que minùs per coitûs abstinentiam periclitari; quod ob multas causas evenit: Primò, quia cùm semen viri calidius sit ac perfectius, putredini magis resistit. Secundò, quia cùm in propriis vasis contineatur, nec cum aliis excrementis misceatur, à putredine non ita facilè infestatur. Tertiò, quia cùm homo poros respectu fœminæ latissimos habeat, faciliùs quoscumque pravos vapores per illos excutit, forti etiam exercitio juvante: quo fit ut caloris vi extenuentur, & evanescant; ob quam etiam causam viragines ab hujusmodi affectionibus plerumque immunes degunt. Quartò, ille consensus, quem uterus cum partibus omnibus habet, in homine non invenitur; unde in symptomata illa hysterica incidere non potest: est enim hoc vitium tam sexui fœminino, quàm illarum semini proportionale, hominibus verò improportionale; ob majorem enim cacochymiam corruptioni aptiores sunt; & ob minorem innati caloris copiam putredini minùs resistere valent. Quibus accedit ipsa uteri conditio, nam cùm totius corporis expurgationi natura illum dicaverit, ex toto suscipit excrementa; quæ inter se commixta labem facilè contrahunt, & communicant per venas, arterias, nervos, unde multiplex ac varia affectionum complicatio & confusio. Hæc igitur ob prædictas causas in fœminis accidunt, quæ sicuti à coitûs immoderantia minùs læduntur; sic consueta illius dimissio majora quàm in viris eisdem damna affert: ob causam quippe, ob quam putredini obnoxium magis est illarum semen, nempè quòd sit fluidius, aquosius, frigidius, ac imperfectius, ob eandem etiam illius excretio non ita resolvit vires ac lædit. Quæ omnia in viris propter rationes jam dictas non eveniunt; in quibus, si quando copiâ seminis gravantur, à natura etiam in insomniis expellitur, nec quamvis per plures dies intra vasa contineatur, præsentaneum aliquod periculum saluti affert. Unde colligendum est, turpissimum ac spurcissimum extitisse Diogenem Cynicum, dum salutis causâ manu hymenæum, fœminam præveniendo, celebravit; cùm ex parva illa temporis intercapedine nullum saluti detrimentum consequi potuisset: quarè etiam culpandus Galenus, qui continentissimum illum extitisse ait, cùm tamen nullam hîc continentiam servare voluerit, & infamis potiùs masturbator fuerit; ut *cent. 2. curat.* 47. adversùs *Galenum* rectè scripsit *Amatus*.

[margin: ...s coitûs ...inentia ...ius nomquàm ...inis & ...re. 15.]

16\. Dicimus tertiò, quòd quamvis verum sit fœminas ex coitûs dimissione magis quàm viros ac frequentiùs ægrotare; tamen omnimodam coitûs abstinentiam in homine non omninò citrà noxam esse, præsertim in illis qui anteà fuerant assueti: arescunt enim plerumque genitalia, & ad munus inepta redduntur; testes & vasa spermatica contabescunt; quod in quodam athleta *Galenus* observâsse se fatetur, cui continentiam pariter servanti penis rugosus & collapsus evasit, ut 6. *de locis cap. ult.* scribit idem. Exercitii quippe defectu partes illæ languent, & attrahendi vim omnem amittunt, unde genitalia ferè emoriuntur: quare spermatici succi & illius vapores regurgitantes sanguinem inficiunt, & melancholicum ac tristem hominem reddunt, hilaritatem omnem auferunt; ex quibus virilitas, agilitas, ac robur deprimuntur, atque audacia omnis hebescit ac retunditur, & multa alia eveniunt, quæ 6. *de locis cap.* 5. exponit *Galenus*: nam præter jam dicta, capitis gravitatem, ciborum inappetentiam, torporem, pigritiam, mœstitiam, ac timorem addit; atque vidui exemplo confirmat; qui uxoris mortem lugens, & à concubitu diu abstinens, ciborum aviditatem protinùs amisit, nec vel exiguum concoquere valebat; quarè citrà occasionem perpetuò mœstus apparebat, à quibus omnibus non prius liberari potuit, quàm ad pristinam Veneris consuetudinem reverteretur. Confirmat *Avicenna* multis in locis, & præcipuè *libello de removendis nocumentis tract. cap. ult.* Arnaldus *in speculo cap.* 83. quibus Haliabos 5. *Theor.* consentit, ubi etiam ait, ex seminis exuberantiâ coitu non evacuatâ, in inguinibus & aliis corporis partibus magnam fieri extentionem, in omnique corpore gravitatem. Addit sæpè in vasis calefieri semen, & febrem excitare; nonnunquam etiam vapores ad caput ascendere, atque ibi pessimos generare morbos, sensuum præsertim, & intellectûs hebetudinem, oculorum tenebras, cordis tremores, & venenum viperino simile, quo repentinâ morte nonnullos correptos fuisse ait: quod de fœminis præcipuè accipiendum est, licèt non desint famigeratissimi medici, qui etiam in viris hoc aliquando evenire, & ex eadem causa in gravissimos morbos incidere testentur; quod multis experimentis à semetipsis observatis confirmant. Langius 1. *epist.* 23. in Bononia & Germania hâc ægritudine correptos vidisse ait, monachos præsertim & obesos homines (nam & his magis evenire

[margin: 17.]

Avi-

Avicenna infrà citat. docet.) Confirmat Bened. Veronensis *lib.* 26. *cap.* 16. in Veneri præcipuè assuetis, qui per religionem ad castitatem reducuntur, quos sæpè ait febricitare, capitis gravitate & dolore tentari: approbat Acastro *lib.* 2. *de morb. mul. cap.* 1. *in scholio*, qui ait torpidos fieri, pigros, mœstos, ac timidos. Antonius Musa 5. *aph.* 36. quemdam hominem curâsse scribit, qui ex retento semine in sæva symptomata inciderat; epilepsiam quoque ex eadem causa oriri posse affirmat Jachinus *comment. in* 9. *Rhasis cap.* 14. & de facto hoc in juvene Januensi vidisse scribit: eodem modo Alsaravius *cap. de epilep.* tradit se vidisse virum, qui in epileptico paroxismo videbatur ita se gerere, quasi mulier illum ad coitum requireret, & festivè furebat ad eam, conabaturque ac si rem ageret; nec anteà cessabat paroxismus, quàm emisso semine, quo expulso surgebat statim. Aphrodisiasticæ epilepsiæ exemplum rarissimum! cui simile aliud affert Zacutus *lib.* 2. *de prax. miranda. obs.* 109. 110. Hoc forsan Austriaci populi advertentes stultam quandam opinionem populo persuaserunt, homines nempè suas habere matrices, & uterinas affectiones pati posse; cujus erroris meritò illos redarguit Matthias Cornares 3. *enchirid. cap.* 10. Sed sicuti illi in epilepsiæ morbum ex coitûs abstinentia devenerunt, sic in mœstitiam & melancholiam alii; ut ob castitatis zelum in quodam monacho vidisse ait Vidius apud Schenckium *lib.* 3. imò hystericis affectionibus aliquid simile in alio vidisse scribit Sancta-Crux *in opusculo de melanch.* qui Veneri assuetus, per aliquod tempus intermittens, in talem morbum incidit. Rectum quippè Veneris usum saluti conducere, & à plurimis morbis præservare, præter citatos tenent Marsil. Cognatus 1. *variarum* 1. Septalius 4. *probl. quæst.* 17. & ex antiquioribus Æsius *tetrab.* 1. *&* 3. *cap.* 8. Oribasius 6. *collec.* 37. Avicenna 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 10. Vega 2. *de arte meden. sect.* 5. *cap.* 4. ab Averrhoë edocti 3. *collig. cap.* 16. & ab Aristotele 1. *probl.* 51. pro quibus legendus Zacutus *lib.* 3. *de hist. princip. hist.* 69. Sanctorellus *lib.* 18. *ante-prax. cap.* 11. Nicolaus Fontanus *in analect. cap.* 35. Vallesius 6. *controvers.* 9. *&* 6. *epid.*

18.

19.

Veneris igitur moderatum usum, tanquam ad salutem convenientem, sæpiùs ipse *Hippocrates* commendavit; nam 6. *epid. sect.* 8. *textu* 38. sic dixit: *Consuetudo ex quibus benè valemus, victu; laboribus, somno, Venere, mente.* In qua sententia sex res non naturales à medicis sic nominatas breviter comprehendit, in quarum recto utendi modo corporalis salutis regula consistit; propterea eodem 6. *epid. textu* 4. eadem repetit: *Labor, cibus, somnus, Venus, omnia moderata*; quam sententiam, tanquam ex *Hippocratis* œconomia pulcherrimam ac dignissimam, explicat Galenus *lib.* 2. *salubrium textu* 1. & initio *lib. de alimentis* iterùm illius meminit, sicuti Paul. Ægineta *lib.* 1. *cap.* 35. Itaque sicuti immodicus Veneris usus antedicta damna affert, sic modicus, parcus, ac rationalis, sanitati confert; nam repletionem evacuat, corpus agile reddit & alacrius, virile efficit, organa emollit, meatus dilatat, pituitam calefacit, tenuat, expurgat, ut 6. *epid.* cum *Hippocrate* docet Vallesius, & Mercurialis 1. *variar. cap.* 17. intelligentiam adjuvat, iratos mitigat, tristes exhilarat; quare atrâ bile vexatis & hominum consortium fugientibus remedio est, ut 6. *epid. sect.* 5. *textu* 27. consulebat *Hippocrates*; siquidem furiosos ad saniorem mentem reducit, ægrè spirantes meliùs respirare facit, ut latiùs prosequitur Averrhoës 3. *colleg. cap.* 16. Arnaldus citat. & alii plures: quæ omnia paucis verbis adduxit *Vallesius* 6. epid sect. 3. textu 10. *Notæ utilitatis à Venere orta, facilior spiratio, alacritas animi & corporis, promptiorq; ad omnia sensus: noxæ autem contrariæ.* Semen quippe ut excrementum copiâ lædit, & si nimiùm superabundet, morbos inducit; quapropter Æsius *tetrab.* 1. *serm.* 3. *cap.* 8. appositè dicebat, coitum naturale opus esse, naturalibus operationibus minimè nocivum, nisi immoderantiâ & intempestivo usu corpus oblædat: aliter de moderato dicebat idem: Duris habitibus ex longioribus intervallis Veneris usus convenit; mollit enim partes corporis, meatus dilatat, pituitam expurgat, impeditam rationis vim explicat, & maximas iras remittit; quarè atrâ bile affectis, subtristibus, & hominum consortia fugientibus commodus existit.

20. *Moderati coitûs utilitates.*

Ex quibus omnibus colligitur, quòd omnimoda coitûs dimissio prædicta damna pariat, præsertim in assuetis, in fœminis frequentissimè, in viris rarissimè & cum minori noxa: quod in causa fuit, ut nullum nocumentum ex coitûs abstinentia illis subcrescere posse aliqui statuerint: sed licèt respectu fœminarum rarissimè, & non ita in sævas ægritudines incidant, tamen in periculosas aliquando non solùm incidisse

21. *Coitûs omnimoda dimissio etiam viris damnosa.*

disse, ut modò dicebamus, sed in mortem etiam aliquos devenisse compertum est, cum laudatissimam castitatis virtutem continentissimè sibi proposuerint atque servaverint. Quamplurimos ex his compillavit *Secundus Lancelottus* in doctissimo illo opere *Hoggidi. parte. 2. cap.* 19. *in fine*: nam licèt non pauci fuerint qui nullum propterea, castissimè vivendo, damnum passi sunt (quod in virtute præditis hominibus, qui toto corde se Deo voverunt, ita accidere mirum non est, tum quia divina benedictio illis favet & continuò assistit, tum quia etiam jejunio, & carnis maceratione seminis exuperantiam, & effrænatos illius insultus tollunt ac reprimunt) tamen de aliis qui lautius degunt, atque uberiori utuntur alimento, in graves morbos, & in mortem aliquando devenisse narratur; cum maximam vitæ continentiam candidè & sincerè servantes, nec uxorem ducere, nec dulce venenum aliàs gustare voluerint, eligentes potius conscientiam suam immaculatam servare, quàm corporis salutem cum animæ labe redimere. Ex his inter reliquos Heroës palmam meruit Jaime. Joannis primi Portugalliæ Regis nepos & filius Petri, qui mundum peragrâsse dicitur, Cardinalis D. Eustachii, & Archiepiscopus Olysipponensis creatus; quem cùm multoties medici de Venere ineunda turpiter monerent, quòd ex impuri seminis copiâ ægrotare animadverterent, tamen illis hâc parte obedire nunquam voluit, ut narrat *P. de Maris.* Vincent. Carrerius *lib. de officio med. p.* 4. *nu.* 57. ait Jacobum Rosam appellatum, ac Card. fuisse S. Marci, ut scribit Onuphrius *lib.* 3. *de Pontif. & Card.* ac ex dicto languore sic Romæ obiisse anno 1459. De Casimiro Regis Poloniæ filio Cromerus *in sua hist.* idem scribit, ac propter eandem causam occubuisse: quin & de Imp. Constantino idem affirmat, qui ne adolescens decederet, veneri ut indulgere vellet suadentibus sanctè fertur respondisse, *se magis velle adolescentem mori, quàm conspurcatum vivere.* Quod quoque de Comite nostro Monterrei Hispano fertur, insignis virtutis viro; nam cum ob eandem causam gravia ægritudinum & mortis instarent pericula (erat enim viduus, & anteà Veneri assuetus) multis instantibus ut coitum pro conservanda vita exercere permitteret, ferunt respondere solitum, *non posse aliquid corpori esse utile, quod animæ noceret*: pulchrum sanè responsum, & in omnium Christianorum ore sæpius devolvendum. Nec tandem omittendum quod de Michaële Verino, perfectissimo in vita & poësi viro, scribit inter alios Molanus *in sanct. medicor. diario*; hic ob castitatis zelum crudelibus morbis jam conflictatus, ad Paulum amicum rescribens, sic dicebat:

22. *[O]b veneris [o]mnimo[d]am abstinentiam, [n]onnulli mortuos fuisse [nar]rantur.*

Promittunt medici coitu mihi Paule salutem;
Non tanti vitæ sit mihi certa salus.

Propterea *Angelus Politianus*, alter Itali Parnassi meritissimus alumnus, pro epitaphio ejusdem Verini jam ex tali ægritudine mortui, ita elegantissimè cecinit:

Sola Venus poterat lento succurrere morbo;
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Roberto quoque nobili Cardinali hoc idem recenter accidisse citatus tradit *Lancelottus.*

23. Dicimus quartò, medicos (salvo optimorum Theologorum recto judicio) piaculum nullum committere, dum hanc morborum causam, & damna ab ea provenientia, scribunt ac referunt; quia sic à majoribus acceperunt, & posteà observârunt: quippe cum corporis, non animæ medici existant, non præter rationem faciunt, si omnia salutis incommoda rimentur & scribant, dummodò adversus charitatem & religionem neminem inducant: sic aliàs jejunia auferunt, lucubrare non sinunt, & ab omni meditatione abducunt, & similia alia faciunt; sed ad tempus, ut undique morbos avertant, quo facilius homo sanus divinis operibus vacet, nullo modo ut legis præcepta violent ac corrumpant; impium enim foret, si in peccati reatum directè aliquem inducerent, quantumvis de vitæ periculo maximam certitudinem habuissent.

24. Dicimus ultimò, quòd quantumvis medici graves & periculosos morbos ex seminis retentione provenientes in viris aut fœminis agnoscant, non tamen proindè illis de corporali salute admodum solicitis, nec aliis, licet Venerem consulere, aut verbis astutè & artificiosè illicitum coitum incolumitatis corporis causâ suadere: ut si aliquis dixisset, hoc tibi consilii non do, sed si fecisses, aut cum fœmina rem

 ha-

habuisses, valetudinem recuperâsses; hæc, inquam, verborum simulatio à scelere medicum non excusaret aut redderet immunem; facienti enim nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi, ut Jesu Sirach *Eccles.* 27. unde apud Gellium, *Malum consilium consultori pessimum* dicitur. Solum quippè de ducenda uxore monendi illi, qui vel in cælibatu, aut viduitate detinentur; alioquin religiosis, aut castitatem voto servantibus, temerarium foret contrà promissum Deo votum, vel adversus laudatissimum castitatis propositum, coitum consulere; quandoquidem adhuc per conjugium illum exercere, ei qui continentiam vovit, fas esse negant S. Bonaventura *in* 4. *d.* 38. *ad* 4. Joan. Medina *cap. de jejunio quæst.* 13. Filliucius *tract.* 29. *nu.* 77. etiamsi contingeret illum corripi morbo, quem solus usus conjugii sanare de medicorum sententia posset: multò minùs aliis extrà cnnnubium viventibus consulendum, neutiquam enim ad corpus redimendum perdenda anima est; fidelibus etenim & innuptis Christianis extrà matrimonii leges non licèt hujusmodi aliquid perpetrare, multò minùs consulere nos decet, quibus propositum est à catholica veritate nunquam discedere, cùm extrà matrimonii leges illud aggredi non liceat, eligentes potius mori, aut semper ægrotare, quàm cum Salvatoris contumelia sanos degere, ut multis probat Vincentius Carrerius *part.* 4. *de off.*
25. *medici à nu.* 57. & optimè adnotavit Baptista Mantuanus Carmelita lib. 1. de patientia cap. 30. *Rectitudo* (inquit) *non sufficit, nisi modus quærendi sit licitus: licita sunt, quæ lege conceduntur, conceduntur autem quæ non prohibentur. Omne quod peccatum est, prohibitum est; & omne quod prohibitum, peccatum; propterea ut pituitam cures, fornicari non licet. Nec audiendi sunt illi medici qui ad corporis sanationem peccatum inducunt; quæ enim dementia est, ut corpus mundes, animam inquinare? id simile est ac si ut argentum serves, aurum amittas; ne vestem amittas, corpus occidi patiaris.* Hæc enim audacissima & procacissima medicorum licentia, temerariumque consilium *D. Ambrosium* movit ut *Psal.* 118. *serm.* 2. illos reprehendens sic scripserit: *Contraria studiosè sunt divinæ cognitioni præcepta medicorum. A jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt; itaque qui se medicis dederit, se ipsum sibi abnegat.* Quod etiam adnotavit Cassanæus *in catalogo p.* 11. *consid.* 48. ubi sic: *Corporalis medicinæ præcepta divinæ conditioni contraria sunt; quia nec jejunare, nec flere, nec similia sinunt. C. contraria de consecrat. distinct.* 5. ut latius scribit Lucas de Pen. *in rub. de profess. & med. lib.* 10. Quæ omnia de illis medicis intelligenda sunt, qui nimiâ facilitate & sine ulla Christianæ pietatis consideratione Catholicam disciplinam relaxant, quod *D. Am-*
26. *brosii* tempore paganis medicis familiarissimum fuit, ut propterea S. Doctori reprehendendi causam præstiterint. Utinam igitur in nostris Christianis nullum habeat locum, & in suis disputationibus ob adversam valetudinem necessariis non tantum corporalis, sed spiritualis primum medicinæ judicium requirant & venerentur! ut in præsenti casu, de quo agimus, illis præsertim, qui vel in cælibatu castitatem servare deberent, aut religionis voto obstrictis, nil bonis moribus aut divinis præceptis adversum medici consulant, nî velint per suum os diabolum loqui, & illius instrumenta iniquitatis fieri, ut de quodam turpiter sic cuidam monacho consulente narrat Cæsarius *illust. miracul. lib.* 4. *cap.* 101. cui nil propterea profuit peccatum, imò animam jam desperatâ vitâ sæviori morbo defœdavit.

QUÆ-

QVÆSTIO QVADRAGESIMASEPTIMA.

An lac in viris & virginibus generari, & in illorum mammis inveniri possit, quo sicuti fœminæ fœtum nutrire valeant? Obiter objurgantur matres, quæ proprios filios aliis tradunt educandos.

QUandoquidem rara, & quæ non ita frequenter accidunt, in homine jam inquirere decrevimus, nec illud omittendum, an in alicujus viri mammis lactis copia quoquomodo progigni possit, ut fœtum nutrire sufficiat, si casu aut necessitate illum ad ubera sua admoveant? an fœminis tantùm in omni animalium sorte hoc munus natura donaverit, utpote quibus in utero gestare & alere demandatum fuit, ut editum quoq; foveant ac nutriant: quo fit ut statim à conceptu paulatim mammæ illis accrescant & extuberent, ut grandiori jam fœtu, & ad maturitatem ac exitum accedente, nutritionis illius provida, sanguinem ad illas mittat, ut alteratrice & concoctrice, quæ in illis viget facultate iterum recoctus, in albissimam substantiam transeat, qualis mammarum est. Quomodò autem hoc contingat, 1. *de morb. mul.* & *lib. de nat. pueri* latè docet *Hippocrates*, ex eo quòd intumescens uterus ventrem comprimat, & sanguinem in venis uteri contentum, per lactarias, seu mammarias sic appellatas venas sursum impellat, ac velut comprimendo regurgitare faciat, maximâ sanè naturæ ipsius providentiâ, ne recens infans tenuissimo ac delicatissimo nutrimento assuetus ab externis crassioribus offenderetur; ideoque simillimum alimentum, in quantum potuit, illi quo anteà in utero alebatur, eidem parat. Hoc omnibus mulieribus, quæ impregnantur, & ad perfectum tempus gestant, aut ad majores menses fœtum perducunt, commune est, in quibus hæc lactis generatio jam abundantiùs se prodit; quod à septimo plerumque mense accidit, quo tempore jam utile esse incipit, ut *de gen. animal. cap.* 8. docuit *Aristo.* & prout sanguiniores, majores, rarioresq; aut densiores venas sortiuntur, sic majorem aut minorem lactis copiam congerunt, ut in prædictis locis doctissimus senex docuit.

1.

Sed quamvis hoc gravidis & puerperis commune sit, tamen non ita proprium, ut nunquam in aliis, quæ nec coitum nec conceptum sunt perpessæ, lac in mammis conspiciatur: & ne illud omittamus quod miraculo aliquando visum est, ut de S. Christina ex *Dionysio Carthusiano* narrat *Cantipratensis* in vita S. Christinæ *cap.* 4. & ex his Majolus *collo.* 4. quæ cùm à necessariis contemneretur, eique cibum negarent, propriis ab uberibus, tametsi virginalibus, lacte se nutrivit; naturaliter & absque ullo miraculo constat ex Hippocrate 5. *aph.* 40. in quibusdam aliquando inveniri: *Si mulier (inquit) quæ nec gravida est, nec concepit, lac in mammis habeat, huic menstrua defecerunt.* Idem tenet Avicenna *fen.* 12. *lib.* 3. *cap.* 3. ubi sic incipit: *Et quandoque aggregatur lac in mammillis puellarum absque impregnatione, & absque eo quòd genuerint, & hoc propriè quando retinentur menstrua.* Non rarò enim in illis etiam quæ molam conceperunt, & in aliis quibus menses deficiunt, & quod majus est, adhuc in virginibus, lac in mammis habuisse visum est, ut de facto hoc vidisse testantur Joan. Costæus *in annotat. ad prædictum Avicennæ locum.* Alex. Benedictus *lib.* 3. *anat. cap.* 4. Christophorus à Vega *com. in aph.* 39. *sect.* 5. in Burgensi quadam puella, quæ virum nunquam noverat, cui à suppressis mensibus, morbi causâ, lac in mammis abundanter generari contigit, ut propterea ab hero de furtivo coitu accusaretur, medico alio gravidam esse constantissimè affirmante; cujus assertum *Vega* prudentissimè reprobavit, & ab infamiæ nota puellam vindicavit, prædicto Hippocratis aphorismo monitus: quod eventus posteà confirmavit, transactisque mensibus novem, puellam honestissimè vixisse apparuit; cùm nullam prolem ediderit, sed mensibus suo more recurrentibus, statim suspicio omnis cum lacte evanuit: quemadmodum virgini alteri accidisse narrat Philippus Salmuth *cent.* 1. *obs.* 92. quæ cum infantulo eodem in lecto dormire solita, illum ad ubera admovere consueverat; verum ex assiduo suctu lac aggregari cœpit, quo infantem posteà lactavit. Confirmat Laurentius *lib.* 9. *quæst.* 2. A Castro *lib.* 4. *de nat. mul. cap.* 10. & *lib.* 4. *de medico polit. cap.* 12. ubi concludit ex mammarum lacte adversus virginitatem nil valere argumentum: eodem modo tenent

2.

[…]t invir[…] […] ex mi[…]ulo.

[…]e in fœ[…]nis abs[…] […]e impræ[…]atione.

[…]e in vir[…]ibus.

 plures

plures alii apud Forestum *lib. 28. obs. 77. in schol.* Quod tandem nec ita rarum, nec magnæ admirationis erit, si cum aliis conferatur, quæ diligentissimi auctores tradunt.

Euseb. Nierembergius *lib. 9. hist. nat. cap.* 68. suis oculis ait vidisse mulam sterilem, quæ tamen lacte copioso aliam parvam alebat, quam asina pepererat; propriisque manibus ait ab illius uberibus lac expressisse: undè constat in animalibus etiam citrà coitum aut impraegnationem provenire, suctu aut arte naturâ adjutâ, ut de pastoribus montis OEtæ scribit Aristoteles 3. *de hist. animal. cap.* 20. qui caprarum ubera urticâ vehementer confricabant, quoad dolorem concitarent; quâ sanè industriâ cruentum humorem primum eliciebant, mox purulentum, ac postremò lac, non minus quàm ex his, quæ coitum & partum anteà sustinuerant: habet enim urtica in generationis partibus movendi & excitandi nescio quam vim, ut eâ quoque gallinarum pectoribus & gallorum etiam verberatis, aut confricatis, glocitare eos statim faciat, atque ova incubare, aut pullos recipere, & fovere cogat, ut *lib. 4. mag. nat. cap.* 26. scribit *Porta*. Quâ etiam industriâ in mulierum mammis collectum lac sæpius vidisse refert Albertus Magnus *lib. de animal. cap.* 3. quin & suctu frequentiori hoc illis accidere non est dubium, quamvis matres nunquam fuerint, aut in provectiori ætate constitutæ jam sint; ut 3. *de hist. animal. cap.* 20. docet Aristoteles citat. Cujusmodi duas vidisse tradit Amatus *cent.* 1. *curat.* 47. unam Ferrariæ, ætatis annorum 55. alteram apud Santarem Lusitaniæ oppidum annorum 60. quæ admotis ad ubera infantibus solo suctu tantum lactis collegerunt, ut ad annum & plus lactare potuerint; & de alia Bodinus *lib. 3. Theat. nat. pag.* 429. quæ mortuâ filiâ neptem uberibus admovit, sugereque permisit, ac tandem nutrivit abundè, cum tamen admodum vetula & siccissima esset. Propterea quibusdam eduliis mulieres hoc facere idem *Aristoteles* citat. docuit: quapropter cum nulli animantium antè coitum lac fieri inquit, ordinariè & de communi eventu accipiendus est, non verò de illo quod aliquando accidit; quo etiam sensu patet audiendum esse *Galenum*, cum in *hist. philos. tract. de signo* sic scribit: *Signum est, cui consequens aliquid annexum est, ut lac in papillis; id enim ubi priùs adesse cognoverimus, anteà peperisse intelligemus.* Quod non ita rigidè accipiendum, ut minimè aliter fieri posse dicamus, cum ex multorum experimentis aliter etiam evenire, quamvis raro, constet: quemadmodum enim otio omnis pars languescit, & debilior in suis functionibus redditur, ita exercitio & propriâ operandi efficaciâ vegetior fit; incalescit enim, attrahit, concoquit, & omnes operationes, quæ sui juris sunt, facilius ac promptius exequitur: ut mirum proindè non sit mulierum vel animalium mammas, urticis aut aliâ re calorem & dolorem excitante, sanguinem ad se allicere, & innatâ lactandi virtute in lac convertere; quod & ipsa natura ex humore ad illos transmisso aliquandò perficit, ut mensibus deficientibus & per venas ad ubera regurgitantibus sæpius visum est, cum ad lactis generationem & lactandi munus in fœminis præsertim à natura dicatæ sint & constructæ; in quibus propterea non solum majores, sed & rarioris structuræ mammas fabricavit, ut lac conficerent, non solum ad fœtûs suo in tempore alimoniam, sed ut ipsis quoque alimentum existeret, quo ipsæ mammæ nutrirentur: ut enim testes semine, ventriculus (ut multi volunt) chylo; ita mammæ lacte nutriuntur, ut mirum propterea non sit absque conceptu lac generari posse, si ad ipsas in copia sufficiens & dispositus humor accedat.

Cùm igitur hoc in fœminis certum sit, nec magnam ita admirationem pariat, cùm illius sexûs peculiaris sit functio, restat ut ad mares nostra se convertat oratio; in quibus hoc etiam aliquoties visum & à multis observatum est, quamvis contrà naturæ ordinem, & ordinatas illius dispensationes eveniat: si enim in viris mammarum usum spectemus, minimè ad fœtum alendum (cum nec concipiant, nec pariant) datas fuisse apparet, sed ad ornatum tantum & viri delicias, & ad robur & tegumentum partium contentarum, nempe cordis, quod cum caloris sit fons & origo, foveri & defendi oportebat; prætereà etiam ut benigni alimenti superfluum recolligerent, ut 7. *de usu part. cap.* 22. tradit *Galenus*, & ut excrementitium etiam excipiant, si *Hippocrati* credimus ita *lib. de gland* docenti: nullus ultrà in virorum mammis usus agnoscitur, nec necessitas ulla lac progignendi; quod tantum fœminis natura concessit, quæ & intrà se concipiunt, & in lucem edunt, à quibus viri immunes sunt, & per consequens à lacte gignendo, ut *lib. 3. de hist. animal. cap.* 20. Aristoteles scripsit: *Maribus magna ex parte, nec bestiis, nec hominibus gignitur lac.* Quare ibidem dicebat, portentis talia potius esse adnumeranda; quem dicendi modum sequuntur Gentilis, &

Jaco-

Jacobus de Partibus *suprà Avicennam fen.* 12. 3. *tract.* 1. *cap.* 3. & Mercurialis *in præfat. lib.* 3. *de morbis mulier.* Siquidem in viris non invenitur illa mammarum magnitudo, nec ita spongiosæ & raræ à natura, sicuti in fœminis creatæ sunt, nec illis facultatem illam sanguinis in lac transmutandi donavit, cùm alendi infantis nullus usus foret; deindè mensibus carent, qui regurgitando materiam pro lacte gignendo præstant, cujus in viris nulla necessitas.

... in hominibus.
9.

Sed licèt communi & frequenti naturæ eventu & ordine hoc ità contingat, tamen aliter aliquando evenire posse, & lactis copiam in hominibus generari ipse *Aristoteles* fatetur, *eodem cap.* 2. *lib.* 3. *de hist. animal.* & *lib.* 1. *cap.* 12. ubi & rationem tradit, quarè in fœminis, non in viris lac generetur; quia illorum caro spissa, mulierum fungosa foraminulentaque est: quo non obstante, *Viris post pubem* (inquit) *exiguum nonnullis exprimitur.* Verumtamen per suctum frequentiorem, multum quoque in aliquibus generatum & collectum fuisse non desunt qui tradant, quod & ipse *Aristoteles* concedere videtur, nempè in viris per suctum etiam frequentiorem, & naturaliter quoque post pubem sine suctu gigni posse, aut ex eduliis, aut herbarum confricatione provenire tenet idem *Aristoteles* cap. anteà citato: *Et quando aggregatur in corporibus virorum, ita ut rotundentur mammæ ipsorum*; quin & 3. *de animal. cap. ult.* scribit, se vidisse in viro tantum lactis emulsum, ut caseus sit confectus, quod ex posterioribus viderunt etiam plures alii; quorum non paucos collegit *Schenckius*, inter quos est Vesalius *lib.* 5. *de fab. corp. hum. cap.* 18. qui non semel, sed pluries hoc conspexisse ait, Alex. Benedictus *lib.* 3. *anat. cap.* 4. ex relatione M. Maripetri sacri Ordinis equestris, qui tradidit Syrum se quendam vidisse, cui filius infans mortuâ conjuge superérat, & huic ut famem vagientis pacaret ubera admovere sæpiùs solitum fuisse, assiduoque suctu lacte manâsse papillam, quo exindè illum nutrivit magno orbis miraculo. Bernardus quoque Montaña *lib. suæ anat. cap.* 8. homines se vidisse ait, qui necessitate compulsi proprios filios lactârunt, ac sufficienti lacte enutrierunt, ut de alio scribit Manuel Faria *in epitome rerum Portugallia, parte* 4. *cap* 17. in oppido ejusdem regni Moura hominem fuisse, qui proprios filios uberibus suis satis copiose lactabat. Doctor etiam Godoi *tract. de educat. puerorum cap.* 8. alium agnovisse ait magnis uberibus præditum, è quibus lac in magna copia fluebat: confirmant Laurentius & Acastro citat. Fontecha *lumin.* 2. *cap.* 7. Cornel. Gemma *lib.* 6. *cosmocri. cap.* 7. Jacob. Carpensis *de anat. vasorum spermat. com.* 14. qui testatur se aliquos vidisse homines, è quorum mammis emulsione quatuor lactis unciæ extractæ sint. Ne quis verò hoc suctu, aut herbarum frictione tantùm fieri posse existimet, naturaliter etiam evenire, ac sine ulla artificii industria affirmant multi, ac vidisse testantur. Cardanus *lib.* 12. *de subtil.* Januæ Antonium Benzium vidisse ait, ex oppido portûs Mauritii annum agentem 34. pallidum, barbâ rarâ, pingui habitu, è cujus mammis tantùm lactis profluebat, ut infantem lactare potuisset, nec solùm emanabat, sed impulsu quoque ferebatur. Alios similiter vidisse scribit Hieron. Eugub. *lib. de lacte*, Marcel. Donatus *cap* 8. *de morbil. & variol.* Joan. quoque Conrad. Schenckii filius apud eundem *Schenckium* novisse inquit Laurentium Wolff civem Brisacensem, qui à juventutis ætate ad annum usque 55. ambabus mammis lacte tam copioso abundabat, ut per jocum in conventibus & conviviis ebrius jam factus compressis mammis lac in assidentium faciem ejacularetur; & in proprio filio suo idem contigisse scribit *Augustinus Niphus* com. ad cap. 20. lib. 3. de animal. *Domitius noster filius, cujus anima Dei opt. max. fruatur consortio, lac habebat in uberibus, nec suctu frequentiori, nec eduliis provocatum, sed suâ sponte.*

...emina ...a habi... ...m men... ...a sunt, ...virilem ...duerunt.
10.

Cùm igitur tam multæ sint ac veræ de hac re historiæ, & auctorum testimonia, ridiculum est credere illud, quod aliqui suspicati sunt, prædictos scilicèt in quorum mammis lac visum est, homines non fuisse, sed fœminas, quæ virilem habitum mentitæ fuerint; sicuti de *Semiramide* regina prodit Justinus *lib.* 1. & de *Theodora* virgine narrat D. Amb. *lib.* 2. *de Virg. & de Maria, Euphrosina, Pelagia, Ioanna, Angelica, Lasthenia, Mantinea, Axiothea, Pthliasia, Eugenia*, & aliis quamplurimis narratur: hoc enim nullum hîc habet locum, quia notissimi viri fuerunt, imò patres filiorum, ut ex narratis historiis patet, & exemplo quod de proprio filio affert *Niphus*. Sed ut prædicta citrà ullam admirationem facilè credi possint, majus forsan videbitur illud, quod ex relatione multorum, qui novum orbem peragrârunt *lib.* 9. *quæst.* 2. refert *Laurentius*, viros in quadam provincia omnes maximam lactis copiam habere; hanc verò Bra-

filiæ Cumucajatam esse scribit *Cysatus* tract. de inf. Jap. *Gentem* (inquit) *virorum tam amplis mammis lacte turgentibus præditam, ut infantibus alendis lactandisq; sufficiant, mulieribus illorum econtrà parvis virilibusq; mammis donatis.* Quod etiam tradit *Iacob. Pontanus* in com. ad eclog. 3. Virg. *Ex Brasilicis nostris literis cognovimus, gentem quandam inventam, ubi viri non fœminæ lactant infantes; his enim mammas esse parvas & vacuas, illis magnas & lactis plenas. De causa* (inquit) *disputent philosophi, nondum omnia naturæ miracula scripserunt Plinius, Aristoteles, & alii.* Quandoquidem & hujusmodi ludentis naturæ μεταβολαὶ aut si mavis appellare prodigia, non in hominibus tantùm, qui multo sanguine abundant, sed in cæterorum quoque animalium maribus aliquando ostendere visa est; quod non semel legisse testatur Nicolus Flor. *serm. 7. tract. 1. sum. 2. cap. 39.* nam & in Lemno insula scribit *Aristoteles* 3. de hist. anim. cap. 20. *Capro ex mammis quas geminas juxtà genitale gerit; tantùm lactis emulgebatur, ut colostra inde conficerent;* & quod majus est, omni illius capri proli masculæ sic ait contigisse. Nec ab *Aristot.* tantùm narrata hæc audivimus; quippè *D. Franciscus Xaverius* Societatis JESU fidelis & veridicus testis, *epist. 3. lib. 2.* & ex eo Aldrovandus *in bisulcis c. 9. de hirco & capra*, refert in India Orientali apud Ambrinum suis se oculis conspexisse hircum lacte suo parvos alentem hœdos, & ex ubere quod unicum habebat tantum reddebat lactis quotidie, quantum scutella capere posset; addit honestum quendam Lusitanum, hunc hircum eo consilio secum asportâsse, ut in Lusitaniam mitteret. Ne verò ex tam longinquo exempla petamus, & putet aliquis illarum regionum aut loci naturæ vel fœcunditati hoc tribuendum, non in unico, sed uno eodemque tempore in Bohemia tres hircos repertos fuisse tradit Matth. *lib. 3. epist. ad Gasparem Peucerum*, qui satis copiosum lac ex uberibus reddebant: & ne quis fabulosum judicaret, ait ex his unum domi alendum habuisse, cujus iconem exhibet, qui ad Seren. Archiducem allatus fuerat, ex cujus mammis abundanter lac ipse ait emulsisse, ut epilepticis propinaret; quod qui monstrum attulerat, jurejurando illis maximè prodesse affirmaverat, quod verum fuisse idem *Mathiolus* expertus est. Hos hircos etiam vidisse testatur Peucerus in quadam epistola, ut proindè de veritate minimè dubitandum sit, cùm in aliis quoque animalibus hoc ipsum visum fuerit; nam & catellos duos à cane mare ex his, quos Græcè ἰχνευτάς, id est, indagatores vocant, olim lactatos fuisse auctor est Cælius Calcag. frequenti enim suctu ex canis papillis lac evocârunt, ita ut magnâ omnium admiratione matris vice educationis munere perfunctus sit, ut ex eo affert Marcellus Donatus ubi etiam in homine hoc aliorum exemplis confirmat.

11.

12.

13.

Epist. lib. ad Com tem Th Calcag. nepoten

Lib. 6. med. hi mir. cap

Quid igitur mirum cùm hæc in brutorum maribus eveniant, in hominibus etiam accidere posse; in quibus propter ingentem individuorum multitudinem, & propter sanguinis abundantiam, quâ cætera alterius speciei animalia, suæ præcipuè & majoris molis longè superat, toties contigisse adnotatum, atque compertum est? Nec hoc solùm, sed alia, quæ fœminei sexûs solummodò propria sunt, aliquando natura in homine exhibuit, & vicissim lasciviens, quasi ludibrio quodam commutavit: nonne admirabilius, & adhuc in tota naturæ majestate rarissimum, quòd mulieres quasdam produxerit, quæ non more aliarum fœtus, sed ova edant ac incubent, ex quibus homines nascantur, qui ad giganteam proceritatem excrescant? Et tamen hoc in Selenitidis mulieribus accidere referunt ex Lycosthene *Ravisius Textor*, & ex Herodoto *Heracleotes*, ut quoque testatur Rhodiginus *lib. 27. cap. 17.* licèt pro mera fabula hoc habeat Adrianus Junius *lib. 1. animad. cap. 15. citatus* apud Pancirolum *part. 2. memorab. titulo 2.* histor. tamen cum icone exhibet Aldrovandus *in monstris.* Quid ergò ad lactis proventum in maribus obstupescimus, quando & menstruorum periodicum fluxum in aliquibus hominibus visum fuisse legimus; quem an etiam illi, qui lacte abundârunt, sustinuerint, haud immeritò aliquis dubitaverit: scimus quippè aliquibus viris lunarem illam purgationem connaturalem uti mulieribus fuisse; nam in Germania & Lotharingia effœminatos quosdam viros illam pati notavit Aquapendens *lib. 3. chirurg. cap. 13.* quam per lotii meatus excernebant; quos & lac gignere solitos tradit, & purgationes mulierum instar ordinatâ vicissitudine pati. Notum prætereà est quòd per hæmorrhoides evacuationes fœmineis similes quamplurimi viri sustineant; imò haudquaquam salutari consilio suppressis & cohibitis, per interfœmineum adaperto poro consuetam purgationem naturam tentâsse apud quendam legimus: quin & per partes viasq; multò à naturalibus & generationi dicatis distantes, in mulieribus hujusmodi mensium excretiones visa est detrudere, quod in viris sanguine

14.

15.

re-

redundantibus aliquoties etiam observatum est, ut Hispalensi cuidam nobili accidebat, cui singulis mensibus per radicem ungulæ indicis digiti plusquam sanguinis libra effluebat: sed omni raritate majus, quòd per urinæ meatum aliquibus viris talis sanguinis velut menstrua evacuatio ordinato circuitu contingat; & tamen tales inveniri multò antè quàm citat. *Aquapendens*, scripsit Arethæus *lib. 4. diutur. cap. 3.* in quibus si evacuatio supprimatur, capitis dolore vexari, oculorum aciem hebetari, & vertiginem pati ait; ut de facto in quodam vidisse refert Zacutus *lib. 2. de praxi miranda obs.* 102. homine effœminato & toto corpore depili, qui ab anno 20. usque ad 45. prædictam evacuationem, mensium instar, per urinæ vias pati consueverat; nec siquando supprimebatur (ex quo statim ægrotabat) aliter quàm venâ in talo sectâ pristinæ sanitati restituebatur: quin & pervulgata opinio est Judæis hujusmodi expurgationem inter alia à Domino retributa supplicia additam fuisse, ut virtutem illam & robur, quam Deo comite adversùs gentes & idololatras omnes præstabant, cum cæteris omnibus jam amissam & justissimâ Dei punitione detractam experirentur; cujus loco metum, timorem, cordis pavorem, ut anteà promissum fuerat, substituit, ut non aliter quàm mulieres affectu & effectu ad omnem pugnam effœminati & timore perculsi inutiles forent.

Ad pensum igitur redeuntibus superest videndum, an illud lac quod ab hominis uberibus, aliorumque animalium marium, virginum, mulierumque, quæ absque conceptu illud habuerunt, emanat, verum sit ac perfectum lac? In qua re cum citat. Laurentio *lib. 9. quæst. 2.* dicimus, duplicem apud *Hipp.* esse lactis generationem, duplicemque lactis naturam; alterum verum lac est & laudabile, alterum non verum, nec exquisitè coctum: illud alteratione maximâ & verâ mammarum coctione, eaque officiali, non privatâ perficitur, & ex materia ad hunc finem ordinatâ; hoc ex reliquiis proprii alimenti mammarum: illud exquisitè album est, dulce, moderatè crassum, & alendo infanti accommodatum; hoc album quidem, quia colorem & ideam repræsentat partis, à qua generatur & manat, sed nec chymum, nec dulcedinem, nec perfecti alimenti vires obtinet, ideoq; colore tantùm, non viribus nec formâ specificâ lactis nomen meretur, cùm tenue sit, dilutissimum, & pro infantis alimento ineptum: illud per expressionem fit, & refluxum sanguinis ab utero ad mammas, necnon per tractionem; hoc per solam alimenti attractionem: illud per conceptionem solum generari potest, quia aliter nullus foret illius usus; hoc in puellis grandioribus, & in viris sanguineis copiosissimo succo refertis generari nil prohibet. Quæ omnia ex Hippocrate *lib. de nat. pueri*, & *libello de glandulis* optimè deducta sunt, quibus in locis duplicem describit lactis generandi modum: primus, cùm ab utero accedit ad mammas & exprimitur mirâ naturæ providentiâ sanguis, quod ab embryonis motu incipit fieri; & quò magis grandior fit fœtus, majori vi impellitur, & veluti infrà compressus regurgitat, ex quo verum & proprium lac procreatur, semelque accepto motu ex ineffabili naturæ solertia etiam post partum, & toto lactandi tempore & confluit, & attrahitur: hinc causa apparet quarè lactantes plerumque mensibus careant, quos si patiantur, non solum paucum, sed impurum lac generant. Secundus generationis modus non aliter fit, quàm ex ipsa mammarum attractione, dum alimentum ad se trahunt ita copiosum ut redundet: quòd si illud, quod ex nutritione relinquitur, tantùm abundet, ut nec per insensilem halitum resolvi aut aliter absumi possit; in lac mutari non difficulter poterit ab earundem mammarum facultate coctrice & alteratrice, quæ sibi ipsis sanguinem assimilant. Quare fœminarum ubera (inquit ipse Hippocrates *lib. de gland.*) majoris molis & rariora quàm in viris facta sunt, ut superfluum & redundantem sanguinem, seu tempore necessitatis immissum, seu ut alimenti residuum ad illas accedentem, suscipere possent, & in lac mutare. Ex quibus rectè infertur, quòd mares in sua specie, præcipuè sanguiniores, majorisque & rarioris mammarum structuræ, lac generare possint, imperfectum licèt, & colore magis quàm naturâ & optimâ conditione verum; quod tamen pro nutriendo infante non omninò inutile sit, & alterius optimi defectum supplere possit: cùm sciamus etiam non omnes mulieres optimum & probè coctum generare, quæ nihilominùs suos fœtus alunt. Qualiter etiam in homine (licèt rarò) accidere poterit, præsertim si infantis suctus accedat, vasaque ampla contineat, & mammarum exercitio utatur; quod idem in fœminis, quæ citrà conceptum ubera infantibus præbuerunt, accidisse visum est: quòd si in hominibus hoc frequentiùs non contin-

tingit, ideò est, quia ut ex *Hippocrate* & *Aristotele* dicebamus, mammas continent parvas, & non ità raras & spongiosas, sicuti fœminæ, sed durioris & compressioris carnis; deinde caloris nativi & laboris beneficio adeò concoquunt & absumunt, ut perexiguum nutrimenti, aut illius retrimenti supersit ad materiam lactis generan-
20. dam: cùm alioquin si supersit, mirum non sit si lac generent. Majus quippè & rarius est illud, quod *diff.* 33. narrat *Conciliator*, decollatos quosdam loco sanguinis lac effudisse; quod licèt impossibile videatur, tamen verum fuisse non utique negandum: nam & præsbytero cuidam Cereris & Bacchi optimo athletæ sanguinem per venam extractum bis in lactis colorem & substantiam conversum fuisse meis oculis vidi; res sanè admiranda! quam tamen alii priùs observârunt, ut ex *Ioan. Baptista Cabalaria* refert Marcell. Donatus *lib.* 1. *cap.* 4. & Cardanus *lib.* 1. *de venenis cap.* 26. *&* 2. *contro. tract.* 5. *quæst.* 9. *de signis diagnosticis venenorum.*

Quantò igitur quorundam hominum laudabilior fuit pietas, qui præ fame ejulan-
21. tium tenerrimorum infantium commiseratione ducti, illos ad ubera admovere, & manante lacte solari atque alere non dubitârunt; tantò propterea magis taxanda, objurgandaque venit quarundam matrum (novercarum potiùs) impietas, quæ philautiâ interdum & petulantiâ, vel vetularum quandoque persuasionibus, aut adulatione commotæ, ac flagrantis solicitique illius materni amoris oblitæ, proprios fœtus à partu mox abjiciunt, ac veluti in exilium pulsos ablegant; quos statim lamentari videas, ac gemitu vagituque & ejulatu ad cælum clamare, nubes penetrare, omnia planctu & fletu complentes, velut propriarum matrum impietatem accusantes, aut saltem illarum pigritiam ac inertiam, quam delicatæ naturæ prætextu mentiuntur, ut interim deliciis & voluptatibus licentiùs absq; ullo impedimento fruantur; vel tandem superbientes lactandi officium nobilioribus haudquaquam convenire, nescio quâ animi elatione & vanitate inductæ turpiter sibi persuadent. Hæc enim hodiè est mundi calamitas & fastus, ut magnitudinis claritatem, ac supereminentem suprà alios generis splendorem arroganter unusquisque jactare contendat, & adhuc adversùs ipsas rationis & naturæ leges ostentare nitatur. Quid hoc? ipsissima naturæ lex, sensusque ipse dictat, ut ipsa quæ peperit mulier, eadem etiam fidissima sui partûs nutrix existat: est enim attestante Galeno *lib.* 2. *de tuenda valet.* lac mater-
22. num jam edito infanti saluberrimum; quoniam qui eo aluntur pueri, non solùm consueto, sed proprio etiam alimento utuntur: nam cùm infantes, dum adhuc inclusi continentur, sanguine matris alantur, lac verò ex hoc ipso sanguine exiguam in mammis mutationem adepto gignatur; feliciorem profectò ac utiliorem nutritionem, quæ ex lacte materno conficitur, futuram constat. Quarè igitur hoc ipso seposito, velut ad morum probitatem & perfectionem parùm conferente, permittendum est, ut alieni lactis contagiosâ inquinatione puer polluatur? Indolem enim inde vitiari
23. haud dubium est; quod exemplis mille in omni ævo sæpiùs observatum, conspectumque vitia, mores, naturalesque inclinationes promptissimè cum lacte imbibi. De Habi Hispano *Iustinus* historicus scribit, qui cursu adeò velox erat, ut cervos saltu per silvas ac montium cacumina æquaret: unde hoc, ac pernicitas tanta? Illorum lacte fuerat nutritus. Reverend. virtuteque ac literis pariter insignis vir Franciscus Mendoça *lib.* 4. *Viridar. probl.* 7. ubi citrà hanc rem multa scribit, historiam refert de Religioso quodam, qui remotis arbitris in capræ morem saltabat, à quo se continere non poterat: cujus rei causam percunctatum respondisse ait, caprino lacte se fuisse educatum. Pauca sunt hæc: Joan. Gutierres de Godoi *tract. de educat. puueror. discurs.* 3. *propè finem* à nobili fœmina Hispali audivisse narrat, de quadam muliere sibi nota
24. & amicitiæ familiaris, quæ pestis tempore pepererat, & à mammis ægrotaverat, ut infantem suum alere minimè posset; cùmque ob temporis angustiam nutrix alia non inveniretur, famulus quidam, ne puer fame periret, ad porcæ ubera illum admovit; cujus tandem lacte, cùm aliud non daretur, nutritus est: verùm adolescens jam factus, edendo ac bibendo spurcus atque intemperatus adeò evasit, ut nullam sui cultûs curam haberet; quin ex materna inclinatione lutosa loca & cœnosa adeò optabat & amabat, ut in eis perpetuò volutari appeteret, quod de facto exequebatur, sæpiùs in cœnoso rivulo Tagarete sese suum more proluens. Huic similem aliam hist. de altero lacte suillo similiter nutrito affert Sennertus *lib.* 2. *instit. p.* 3. *sect.* 2. *cap.* 4. quam priùs scripserat Winrichius *lib. de monstris cap.* 15. sicuti multò antea de alio Quintilianus *lib.* 1. ibi enim de duobus hominibus tradunt suillo lacte educatis, qui nu-

nutricum naturam ac mores adeò imbiberunt, ut continuò eadem cænosa loca quærerent, in quæ immersi frequenter non volutabantur tantùm, sed deliciosè, nil à porcis differentes, voluptuabantur. Sed ne te amplius exemplis morer, innumera compilavit citatus Godoi ex *Homero*, *Virgilio*, *Ovidio*; quemadmodum etiam ex historicis Justinus de Mithridate *lib.* 39. Mariana *tract. de rege, & regno cap.* 2. de Ciro à cane nutrito refert, unde sagacissimus evasit: sic de Pario, *Natalis Comes lib.* 6. *Mitholog.* cujus crudelitates ab ursæ lacte, quo nutritus fuit, promanâsse ait. Sec de castissima Penelope *Herodotus*, quæ à meleagridis Indiæ avibus nutrita, ideò tantæ velocitatis, & castitatis fœmina fuit, si vera sunt quæ de illa poëtæ inculcant. Quibus exemplis, & aliis quæ infrà afferemus addendum illud, quod 3. *praxis. p.* 1. *sect.* 2. *cap.* 8. refert *Sennertus* de quodam Religioso, qui cibos ruminare consueverat; de quo interrogatus nil aliud respondit, nisi quod mortuâ matre calenti vaccarum lacte fuerit nutritus. Et quid mirum in hominibus & animalibus hæc accidere, quorum mores cum sanguine facillimè commutantur? quantum enim nutritio naturam immutare valeat *quæst.* 2. latiùs ostendimus, quandoquidem & in arboribus eodem modo naturas mutari cernimus, & alteram veluti induere ex incisione, quæ illarum veluti coitus & nova nutritio est: de quo *Martialis lib.* 13. *xeni.* 46.

25.

26.

Vitia maternis fueramus præcoqua ramis
Nunc in adoptivis persica rara sumus.

Nam & triticum in aliud solum jactum, in avenam aut siliginem degenerare conspicimus: vitem in alium collem translatam genium mutare, non rarò visum; ac tandem plantam quamlibet à parente terrâ revulsam flavescere, ac velut emori. Sic itaque unà cum lacte, vel vitiosi vel ingenui non solùm addiscuntur mores, sed imbibuntur; ita ut ad effingendas tam animi quàm corporis dotes, non tam seminis, quàm lactis & alimenti naturam valere existimaverint sapientes. *Macrob.* lib. 3. cap. 11. Saturn. *Quam ob rem* (inquit) *non frustrà creditum est, sicuti valeat ad fingendas corporis atque animi similitudines vis & natura seminis, non secùs ad eandem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere.* Cur non igitur prolem, alienæ mulieris lacte nutritam, parentum mores & indolem dediscere, penitusque deponere credamus? Multò proindè satiùs foret, si maternam pietatem exercendo mulieres, officii sui memores, proprios filios ipsæ alant, utpotè quos pepererunt; quia quæ matres filios non nutriunt, integras non esse, sed semimatres, nec officio materno liberos demereri *M. Antonius Imp.* dicebat, ut latiùs apud *Gellium* amplificat *Favorinus* Philosophus, dum matrem, quæ filiam puerperam habebat, multis exhortatur, ut filium suum proprio lacte alat: quæ enim absque ullo impedimento aliter faciunt, aliisque nutriendos tradunt, meritò & acerbè objurgat, carpit, ac verbis exagitat D. Chrysostomus: *Erubescit* (inquit) *fieri nutrix, quæ facta est mater, & pietatis insignia abscindit superbia.* Et certè quî fieri potest, ut filii matris appellatione illas dignentur, quæ eos tot tantisque periculis exposuerunt; & quæ materfamilias quæ pietatem ergà domesticos omnes exercere debuerat, talem ergà liberos crudelitatem exerceat, ut viscerum suorum fructum nutrici coinquinandum tradat? Idcircò non immeritò eos qui sic aluntur & educantur semispurios, matres verò semiadulteras dicendas esse quidam optimâ ratione existimârunt; quæ enim per 9. menses mater filium nutrivit, eundem biennio nutrix lactavit: unde non iniquè differentiam nonnulli adducunt, quòd in verè dicto adultero mater alterius patris filium marito supponat, in hoc verò alterius matris filium substituat. Hoc benè noverat nobilis quidam juvenis Romanus ex Grachorum familia, qui cum militari laude & opulentiâ simul ex bello redux, occurrentibus simul ei gratulabundis matre & nutrice sic intereas spolia divisit, ut matrem argenteo annulo, nutricem verò aureo torque donaret; quam donationem cùm indignabunda doleret mater. *Tu me* (inquit filius) *novem solùm mensibus in utero, hæc verò duobus integris annis uberibus suis aluit, nutrivitq. Sic itaque corpus medio parùm honesto abs te mater habeo, hæc verò candidâ ac syncerâ voluntate mores dedit: tu me natum primùm à te procul rejecisti, hæc à te despectum abjectumq. suis ulnis recepit, & ad hunc usque statum perduxit.* Rectè quidem; siquidem terra suos fœtus alit, aqua quod gignit, in aquis educat natura; quod aërium est, in aëre vivit; quin & ignis, omnia alioquin consumere solitus, suas fovet salamandras: nec est tam ferum ullum animantis genus, quod suos non alat fœtus; sanguinolentæ sunt tygrides, tamen lac suis catulis non denegant;

27.

28. Lib. 12. cap. 1.

Homil. 10. in Psal. 50.

29.

In Theatro vitæ humanæ tit. de mulierib.

 sic

sic leones, viperæ, leopardi, aves rapaces, lupi, & quævis alia animantia suos partus nutriunt, homines verò proprios fœtus contemptione quasi quâdam despicatos abjiciunt exponuntque, incredibili certè crudelitate, quâ amorem in furorem vertunt, & adversus proprios conceptos fœtus insaniunt, ut testatur Triphonius *L. Cicero ff. de pœnis*, & indicatur *L. D. Severus ff. de extraord. crim.* Quid mirum? cum Iovianus Pontanus *lib. de immanitate cap.* 6. testetur auditas sibi uxores, quæ ob hujusmodi causas, post longa decem mensium fastidia gestatæ utero prolis, post cruciatus inter pariendum, cùm de emisso feliciter fœtu gaudere debuissent, quia natus erat homo in mundum, luci tunc primùm datam prolem propriis elisêre manibus! ô facinus inauditum, omni impietate majus! ut jam videri posit non inter fabulas numerandum, quod Medæam veneficam supra quasvis feras truculentam, odio viri in liberos immaturos sæviisse, proditum est. Talesnè illæ præsertim, de quibus Juvenalis *satyra* 6.

30.

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto:
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, adq; homines in ventre necandos
Conducit.

Sed sicuti has ferina ac diabolica crudelitas in hanc immanitatem adegit, sic superbia, vanitas, ac mollities, ut aliæ naturali jure propriis filiis statim natis debita ubera abnegarent, in causa fuit: quod ab humana ac materna illa pietate adeò abhorret, ut ipsis etiam barbaris execrandum videatur. Prætermittere non possum quin Regnorum Danna, & Jaoa consuetudinem quandam referam, quam narrat Ferdinandus Mendez Pinto *in hist. Chinæ cap.* 172. prædictis namque barbaris in usu esse ait, ut legationes suas, publicaque alia officia per mulieres agant; sed inter alias conditiones quas illæ, quæ ad tale munus eligi debent, habere oportet, hæc potissima est, ut filios omnes, quos fuerunt enixæ, proprio lacte educâsse constet, circà quod rigorosè inquiritur. Ajunt enim gentiles illi, quòd illa, quæ secùs citrà causam facit, delectationis & vitii, non legitimam esse matrem; adeò enim hoc apud ipsos infame, detestandum est, ac invisum, ut illæ, quæ propter aliquem morbum, aut aliud impedimentum filios lactare non potuerunt, ut opinioni suæ consulant, publico testimonio, eis hoc minimè possibile fuisse, comprobare necessum habeant: & meritò quidem, vix enim ullum expositionis genus crudelius esse potest, quàm peperisse & mox abjecisse; aluisse in utero fœtum quem nondum viderat, perfectum verò, in lucem editum, ac filium jam factum, tenerum adhuc & rubentem, tristique vagitu qui & feras multas commovit, matris opem implorantem rejecisse, ac proprii, debitique, & consueti alimenti nutrimento privâsse, & mulieri conductitiæ, rusticæ plerumque mercenariæ, obscænœque sæpius, & immorigeræ, obscuræ forsan, & mendaci, non rarò etiam adulteræ, aut meretrici, lue venereâ affectæ tradere: atque interim (quod non rarò inertes hujusmodi matres facere videmus) in ulnis, in sinu suo milliteum catullum quem in deliciis habent, gestant, fovent, alunt, ac, si Diis placet, simiam osculantur. Infelicis hujus commutationis materni lactis cum nutrice calamitatem, præter supradicta exempla, admiranda alia adhuc ostendunt. In vita Tiberii legitur insignem eum fuisse potatorem, ita ut ironicè non Tiberius Nero, sed Biberius Mero dictus fuerit: vis causam audire, quarè tam strenuus potator fuerit? non aliam assignant auctores innumeri, nisi quòd illius nutrix non solùm bibacissima fuerit, sed & ipsum puerulum offulis vino maceratis, non lacte nutriret, & rumæ immisceret. In Tito Vespasiani filio non minor calamitas; cujus nutrix, ut *Lampridius* scribit, cùm morbosa esset, ac corruptis humoribus læsa, infantem adeò contaminavit, ut totâ vitâ suâ pluribus morbis & infirmitatibus subjaceret, ea dumtaxàt de causa, quòd valetudinariæ nutrici commissus fuisset. Sed de animi quoque vitiis ex nutricum lacte contractis exemplum perhorrendum addamus in C. Caligala visum, qui ut *Dio* Græcus scribit, tam sævus extitit ac ferox, ut non contentus multa patrâsse homicidia, etiam sanguinem è cuspide gladii sui aliquando suxerit, ac lamberit, optâritque, ut toti humano generi unicum fuisset collum, quod præcidere gestiebat: quæ tamen sævitia & infanda nequitia, nec patri, nec matri ejus, sed nutrici imputata est, quæ ipsum lactavit; nam præterquam quòd naturâ ferox esset & barbara,

31.

32.

Diodorus lib. 2.

Lib. 2. de Cæsarib.

mam-

mammarum suarum papillas sanguine oblinebat, easque pusioni, quem lactabat, sugendas præbebat, ex quibus tantam sanguinis aviditatem & crudelitatem imbibit, si ut posteà imitatus est, & expressit. Quæ igitur major inhumanitas esse poterit, ne dicam amentia, quàm ut similibus calamitatibus dulcissimos filios parentes exponant? & hanc certè impietatem illarum quæ vix natos filios abjiciunt, divini Numinis vindicta severè aliquando punit: plerumque enim lac in mammis turgidum ac grumescens, diros cruciatus, præcordiorum gravitates, pectoris angustias, febres, & alia mala procreat; adeò ut quas propriis filiis papillas denegârunt, catulis sugendas præbere cogantur: sæpè etenim mammæ, papillæque inflammantur, suppurantur, aut in scyrrum indurescunt, aut aliter putredine & tabo corrumpuntur; ut quæ tenerrimi infantuli suctum renuerunt matres, ferrum ac ignem sæpiùs experiantur.

4. Sunt qui delicatulis, & teneræ ætatis fœminis parcendum dicant, & ab hoc munere sublevandas esse necessarium judicent; quibus respondendum, naturam iis, quibus ad concipiendum vires dedit satis validas, haud dubiè ad lactandum sufficiens robur non denegâsse: quo sanè argumento utebatur *Favorinus* supra citatus; nam & proprio lacte dum adhuc gravidæ sunt mammas adimplere incipit, in hunc certè finem, ut matres admoneat, ne concipere solùm ac parere illarum officium esse arbitrarentur (in quorum uno voluptatem & oblectamentum, in altero verò naturæ necessitatem consequuntur) sed ut verum matris munus, ac proprium lactandi & nutriendi infantis officium illis incumbere agnoscerent, ne ob nequitiam, aut desidiam tanti pignoris oblitæ illi deficerent. Semper illas excipimus, quæ minus lactis habent, quàm pro fœtu alendo sufficiat; uti & extenuatas admodùm & morbosas, in quibus lac quoquomodo infectum ac morbosum, aut aquosum nimis invenitur, ac ideò nutritioni ineptum: alioquin ad hoc munus, & naturæ debitum explendum aptas omnes exhortamur ac monemus, ne maximo hoc amoris affectu, & dimidio maternæ pietatis officio carere velint, probè memores ejus quod Magnus ille Alexander quasi oraculo quodam dicere solitus erat: *Aluisse majora interdum habet amoris incitamenta, quàm generâsse*; Quod adeò verum est, ut in Sacra Pagina amoris teneritudo non tam parentum nomine, quàm nutricum exprimatur, ut Oseæ 11. *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Isaiæ 66. *Ad ubera portamini, & super genua blandietur vobis.* Numer. 11. *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.* Naturæ igitur hæc lex est, ut inter omnia animantia, quæcumque fœmina edidit, suum partum alat, ac nutriat, ut ovis & agni exemplo ostendunt D. Ambrosius & Basilius *in Hexamero divin. off. hom.* 9. qui statim natus inter mille oves matrem agnoscit & insequitur, & illa fœtum suum: utilissimum quippè cuique lac maternum esse, atque ideò matres proprios filios lactare debere docent Plinius *lib.* 28. *cap.* 9. Plutarchus *lib. de liberis educandis.* Gellius *lib.* 12. *cap.* 1. Alexander ab Alexandro *lib.* 2. *dierum gen. cap.* 25. Tiraquellus *de nobil. cap.* 20. Mendoça *lib.* 4. *viridar. problem.* 7. Petrus Bovist. *in theatro mundi minoris lib.* 2. & ex medicis ferè omnes, uno dempto Gallego de la Serna, qui *lib. de alendi fætûs ratione cap.* 8. futilibus quibusdam rationibus innixus, matres ab hoc munere excusat; quod tamen illi ignoscendum, quia cùm aulicus fuerit, & in regia medicus, ut delicatis, potentibus, ac deliciosis fœminis morem gereret, illud scripsisse non est dubium: rationibus verò ab illo adductis abundè satisfacit Sennertus *tract. de diata, & regimine infant. cap.* 1. adductâ ibi quæstione.

QVÆSTIO QVADRAGESIMAOCTAVA.

Androgyni, seu Hermaphroditi, utroque sexu potentes, an inveniri possint?

PRæcedenti quæstione diximus aliquos suspicatos fuisse, viros illos, de quibus lac in mammis generâsse scripsimus, fœminas extitisse, non viros; sed cùm certum sit tales non fuisse, an hermaphroditi fuerint non immeritò aliquis dubitare potuerit, &

tanquam fœminei sexûs participes, illius quoque affectiones legitimas, & virilitatis alienas sustinere potuisse: quod sicuti posibile judicamus, ita omninò necessarium minimè esse dicimus cùm auctorum nullus, qui in hominibus talem lactandi facultatem conspexerunt, hoc scriptum reliquerit, aut opus esse autumaverit: cujus tandem ambiguitatis occasione, operæ pretium duximus nunc inquirere, an androgyni seu hermaphroditi utroque sexu potentes dari posint, ita ut agant & patiantur, fœminas alias impleant, & ipsi quoque ab aliis viris impraegnentur?

1. Hermaphroditi igitur etymologia non aliundè orta fuit quàm à viro ejusdem nominis utriusque sexûs participe, quem Poëtæ finxerunt Mercurii & Veneris filium, ut ipsa vox declarat: Hermes enim, & Aphros, Mercurium & Venerem significat, ut Paulus Ægineta scribit *lib. 6. cap. 69.* anteà enim dicebantur androgyni à verbo ἀνὴρ & γυνὴ quasi vir, & mulier dixeris, seu utriusque sexûs, quod ipsum nomen sonat; quare sic appellati sunt populi in Africa suprà Nasomonas, utrâque naturâ insigniti, vicibus inter se coëuntes, si verum est quod Plinius *lib. 7. cap. 2.* ex *Calliphane* tradidit, quod etiam refert Aulus Gellius *lib. 9. cap. 4.* & confirmat Isidorus *lib. 11. cap. 13.* de quibus *Aristoteles* adjecit mammam dextram habere virilem, lævam fœmineam; & de eisdem *Cicero* de divinat. *Quid ortus Androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit?* Ideò si quando hi Romæ nascerentur, exportatus fœtus in mare vel flumen dejiciebatur, civitas expiabatur virginibus ternovenis carmen per urbem canentibus, Junonique donum offerebatur, ut latiùs commemorat Alexander ab Alexandro 5. *genial. cap. 27.* nam ut *Legib. 12. tab.* præcipiebatur, monstra in profluentem abjici jubebantur. Quam tandem consuetudinem Constantinus Imp. monstrorum frequentiâ perterritus intermissam iterùm renovari jussit; hodieque tantum in monstris secundum speciem observari videmus, optimo sanè consilio, cum animâ rationali prorsus carere videantur: minimè verò cum monstris in individuo, de quorum numero sunt hermaphroditi, qui quamvis ex Atheniensium & Romanorum antiqua consuetudine in mare projici juberentur, tamen *Plinii* temporibus ferina hæc lex & crudelis consuetudo circà androgynos non solum recesserat, sed pro deliciis haberi cœperunt, cum anteà prodigii loco susciperentur, ut *cap. 3. lib. 7.* idem auctor prodit.

2. Plures itaque hujusmodi natos antiquorum & juniorum memoriâ constat: ludit namque non raro in fœtuum monstrosâ partium conformatione natura, & quemadmodum in cæteris membris, ita aliquando in genitalibus velut lasciviendo oberrat: puerum sine genitali & testibus vidit *Halli Rhodoan* prout ipse tradit *com. ad artem med. Galen. textu 77.* quorum loco foramen habebat, per quod lotium paulatim stillabat. De alio etiam cum testibus & sine pene nato ex *Tobia Cneulino* apud *Schenckium* mentio fit: & sicuti aliquando deficit, ita aliàs redundat; duplicem penem in cadavere, quod ad discissionem paratum erat, Bononiæ observavit Jacob VVeckerus *in obs. ad Schenckium missis*; apud quem etiam ex *Iul. Obsequente* puellam bicipitem duplici vulvâ natam legimus, Claud. & M. Perpenna Coss. Eodem modo & in testibus variat. Dorotheum Antiochenum præsulem narrat *Eusebius* sine testibus natum, ac verè eunuchum; nam sicuti hi propriè eunuchi vocantur, sic qui antè pubertatem testiculis privantur, spadones dicuntur, de quibus quidam poeta:

Testibus exsectis periit mihi mascula virtus,
Me tamen esse virum mentula testis erit.

3. Dicuntur etiam spadones, qui altero teste carent; sic enim aliquos nasci inventum est, ut de Scylla & Cotta refert Rhodiginus *lib. 4. antiq. lect. cap. 7.* uno testiculo insignes fuisse, & suâ ætate puellum sic vixisse Halli Rhod. citatus scripsit: quem tandem defectum in aliis supplementi loco aliquando natura visa est multiplicare, & præter duos tertium addere, quod celebri historiâ de Agathocle Siciliæ tyranno narrat Rhodiginus *lib. 24. cap. 4.* quem propterea τριόρχειν vocari solitum tradit: quod quoque Montuus *in anasceve lib. 4. cap. 37.* in quodam monacho, & Hollerii Scholiastes *ad cap. 62. lib. 1.* in typographi filio observârunt, & in adolescente alio Antverpiano Bononiæ vidisse testatur Forestus *lib. 27. obs. 11. in schol.* Quin & Francisco Philelpho tres fuisse testes idem Rhodiginus *lib. 17. cap. 12.* certò affirmat; & quod magis mirandum, quibusdam familiis hoc peculiare fuisse ait, quemadmodum de Bergomi Coleonum illustri asserit, & verum extitisse confirmat Fernelius *1. path. cap. 8.* Hos omnes fervidæ libidinis, & generosi animi viros fuisse plerique au-

auctorum perhibent; quod ipsa ratio probat, nam si testibus ademptis virilitas omnis & robur hebescit, ipsorum adaucto numero libidinosiorem, ac generosioris animi hominem evasurum facilè colligitur. Sed præter hæc etiam duplicem penem in asino observâsse tradit Sinibaldus, *lib. 2. geneantrop. tract. 5.*

4. Quid de meatuum compage dicam? clausas fœminas & atretas multi viderunt: foramen in urinæ viis nullum vidit Amatus *cent. 1. curat. 23.* vidit Benevenius *cap. 7. de abditis* in Pauli Bononi filio imperforatâ glande nato; imò duplicem meatum Patavii in studioso adolescente, alterum semini, alterum urinæ inservientem Vesalius *lib. 5. cap. 14. de fab. corp. hum.* Quare cùm tam ridiculis eventibus natura gaudeat, & sui ipsius miram varietatem, quâ oblectatur, sæpiùs ostentet, utriusque etiam sexûs genitalia in eodem individuo efformare & ostendere non rarò deprehensa est. Apud Romanos dum urbs consulibus regeretur, pluries hoc accidisse auctor est Jul. Obsequens *prodig. lib.* sub M. Messala, C. Livio in Umbria, item sub. L. Metello, Q. Fabio Lunuæ accidit. P. etiam Afric. & C. Fluvio coss. in agro Ferentini sub Gn. Domitio, & C. Fannio in foro Vesano, L. Aurelio, & L. Carilio in agro Romano, sub eisdem Saturniæ. Q. Metello, & Tullio Didio Romæ: quod quoque sub aliis evenisse testis est Licosthenes *in ostentor. hist. pag. 125.* quos omnes necatos fuisse ajunt, aut augurum præcepto in mare deportatos, ibique, aut in flumen demersos. Aliorum tandem testimonia, qui tantum hoc naturæ spectaculum superioribus, & nostris temporibus viderunt, superfluum est referre, cùm apud *Schenckium*, *Paræum*, *Aldrovandum* abundè extent, ex *Halli Rhod. Iacob. Ruffo*, & aliorum fidâ relatione, ubi

5. quoque multorum icones exhibentur: non enim tam rarenter hujusmodi monstra natura offert, nec in homine tantùm, cùm equum & canem hermaphroditos Antverpiæ vidisse scribat Cardanus *lib. 7. de rerum variet. cap. 33. propè finem.* Aldrovan- in hist. de Sue, ex Patrum Jesuitarum relatione, refert apud Brasilienses sues reperiri hermaphroditos, & qui sexum etiam mutent. De cervo cornigero masculo androgyno meminit Langius *epist. 70.* in cujus ventre eviscerato hinnulus inventus est. Hermaphroditos equas Neronis tempore visas narrat Plinius *lib. 11. cap. 49.* quas in Carpento suo subjunctas ostentabat, in Treverico Galliæ agro repertas. Ichneumon Amphibium animal maris & fœminæ genitalia habere cum *Æliano* aliqui tradunt; mulam quoque utroque genitali præditam, ac verè hermaphroditam, mulum peperisse, Xerxe exercitum in Græciam parante, *in officina* attulit *Textor*. Tandem de omni leporum genere, mares & fœminas esse, sunt qui asserant: an fœcunditas, an veritas huic opinioni causam præstiterit, adhuc dubitant plurimi; illorum stupendæ generationis & fœcunditatis exemplum mirum tempore Antigoni refert Athenæus *lib. 9. deipnosoph. cap. 22.* Itaque dari Androgynos præter citat. Plinium concedit Aristoteles *de generat. animal. lib. & cap. 4.* confirmat Avicenna *lib. 3. fen. 20. tru. 2. cap. 43.* Paulus *lib. 6.* de quibus poëta quidam optimè hoc disticho:

In queis Mercurii facies, Venerisq; videntur,
Nec vir, nec virgo, hermaphroditus homo est.

Superest jam, ut ad hermaphroditarum causam investigandam properemus; ut inde etiam illorum species, varietatesque, & propositæ difficultatis veritas innotescat.

6. Igitur de causa horum monstrorum (inter monstra enim numerandi sunt, ut tenet Aldrovandus *in monstris*, & Ulpianus *lib. 1. ad Sabinum* relatus *L. quæritur ff. de statu hominis*; non secùs ac illi, qui duplicibus manibus, aut pedibus nascuntur, ut tradit D. Augustinus *lib. 16. de civitat. Dei cap. 18.* quos bimestres appellat Oroscus *lib. 5. hist. cap. 6.* quidquid aliter de perfecto hermaphrodito utroque sexu potente statuere videatur Licetus *lib. 2. de natura monst. cap. 53.* sunt quippe partus inordinati, & deformes, qui nec speciei, nec individuorum communes servant leges, ut *lib. de monst. cap. 4.* tenet *Riolanus filius*) apud medicos & astrologos non omninò convenit: sed quas in auctorum lectione causas invenimus afferemus, atque omnium veriorem demonstrabimus. Sed primo loco rejicienda primùm est opinio *Martini Poloni*, qui existimavit sexus non fore divisos si Adamus non peccasset, tenetque primos parentes utriusque sexûs fuisse participes: nil enim hoc fuit aliud quàm hæresis sub Innocentio III. orta, ex malè intellecto Scripturæ loco Genes. 1. *Masculum & fæminam creavit eos.* Quem errorem, ne quis in illum impingeret, multò anteà *D. Augustinus* vidit, & refutavit *de Genes. ad literam. lib. 3. cap. 22.* ne ex tali loco turpissimum hoc hominum genus laudem sibi forsan arrogaret: *Ne quisquam (ait) arbitraretur, ut in homine singulari*

lari uterque sexus exprimeretur, sicuti interdum nascuntur, quos Androgynos vocant, ideò pluralem numerum continuò subjecit, hoc est, fecit eos, & benedixit eos. Quid enim hoc aliud quàm *Aristophanis* figmentis, & fabulis in *Platonis* convivio fidem dare, qui homines ab initio duplices fuisse factos fabulabatur; ob insolentiam verò in Deos, divisos; unde maris & fœminæ partitionem venisse, ac propterea sese tam ardenter quæritare. Plurima alia figmenta circà hanc rem poëtæ inculcârunt de Mercurii, & Veneris filio; quem aiunt ad Cariæ fontem quendam, relictis propriis sedibus pervenisse, ubi fortè Salmacis nympha habitabat, quæ nudum adolescentem in fontem ingressum conspicata, & immodicos amoris affectus continere non valens, ita illum prosecuta est, ut in amplexum protinùs rueret, cum quo tam arctè vincta est, ut nequaquàm ampliùs separari potuerint, sed sic deinceps perpetuò manerent, & unum corpus ex ambobus utroque sexu integratum repræsentaretur. De quo celebre apud *Ausonium* extat epigramma silentio hìc prætereundum.

7.

Prima de hermaphroditorum causa Astrologorum opinio

Sed missis fabulis, illis etiam proxima sunt, quæ de hermaphroditorum causa astrologi finxerunt, eam ad sidera referentes; aiunt quippè tunc præsertim generari androgynos, quando Synodus Veneris & Mercurii in signis bicorporeis celebratur: sed hanc astrologorum opinionem, licèt aliquibus placuisse videatur, meritò cum superiori poëtarum, fabulosis annectendam duximus, quoniam non aliundè hoc invexisse astronomos arbitror, quàm ex dictis poëtarum figmentis; quàm parvi enim hæc illorum dogmata sint facienda, jam in superioribus quæstionibus scripsimus.

Secunda Suessani.

Sed ad medicos redeuntes, *Suessanus* aliam hujus effectûs causam amplectitur; credidit enim post mensium fluxum à primo congressûs die ad quintum usque masculos procreari, deinde ad octavum fœminas, postmodum à duodecimo rursus mares; post hunc verò dierum numerum hermaphroditos; & hanc veram illorum causam esse approbat etiam Lemnius *lib. 1. de occultis naturæ mirac. cap. 9.* futilibusque rationibus illam defendere, seu potiùs obvelare nititur, *Avicennam* in subsidium vocans, qui *lib. 3. fen. 21. tract. 2. cap. 12.* eadem proponit; quam tandem meritò rejiciunt A Castro *lib. 3. de nat. mulieb. cap. 12.* Aldrovandus *in monstrorum hist. cap. 5. fol. mihi 518.* cùm hujusmodi causæ nec ratio, nec experientia suffragari possint; quandoquidem maris & fœminæ generatio ex seminis prædominatione contingit, nullo dierum discrimine observato: & certè si hermaphroditi essent, qui à repurgata muliere post 12. diem generantur, copiosissimus absque dubio foret illorum numerus. Nec *Avicennæ* locus aliquid favet, quia ille ex aliorum relatione loquitur; imò in codicibus antiquis aliter legitur, ut ad marginem adnotatum habemus: ubi enim legitur, *& dixerunt prudentes*; in antiquis melius legebatur: *& dixerunt absque ratione*; quia nulla certè est, quæ talem causam probare possit.

Tertia opinio.

8.

Putârunt alii ex vitioso indecoroque concubitu tales evadere ac efformari, cùm præter communem coëundi usum, vir supinus, mulier verò prona decumbunt: sed quomodò ex tali congrediendi modo androgynus fiat, nullus declaravit, nec explicare poterit; nil enim externa parentum compositio ad monstrorum generationem, aut ad sexus complicationem facere potest: nam si hoc verum esset, multæ inde deformitates frequenter acciderent, cùm hominum præpostera libido nil non turpitudinis quotidiè lasciviendo committat. Itaque homines sic coëuntes herniosos fieri, & ab uteri impuritatibus magis conspurcari plurimi advertunt; sed conceptum eâdem de causa vel sexu, vel aliàs monstrosum reddi, nec certum nec credibile est: nulla quippè exterior parentum compositio aut figura de seminis efficacia aliquid demit, vel addit, aut illius naturam, & dispositionem immutare valet, ut aliter quàm pro acquisita maris aut fœminæ producendi energia fœtum producat, aut ex eo facultas formatrix aliud efformet.

Quarta opinio.

9.

Alii tandem in matricis cellulas hoc rejiciunt, atque si semen in dextram incidat, mares; si in sinistram, fœminas oriri aiunt; si verò in mediam, androgynos nasci: sed cùm prædictæ in utero cellulæ non inveniantur, & opinio & fundamentum facilè corruunt; nec, etiamsi darentur, proindè hermaphroditarum causam esse rectè diceretur, cùm si sic esset, plurimi nascerentur, nec tam rara foret illorum generatio, cùm promptiùs in mediam cavitatem, quàm ad latera semen ejaculetur: sed eventus raritas contrarium ostendit, & cellulas illas fabulosas esse, ab antiquis medicis tantùm excogitatas, & nequaquàm reperiri, omnes fermè anatomici docent; de quo legendus Laurentius *lib. 7. quæst. 12.*

Quinta opinio.

Ridicula prætereà est aliorum sententia, qui hermaphroditos ideò pro-

provenire statuebant, quòd mensibus adhuc fluentibus conciperentur; nil enim ad sexus varietatem, aut reduplicationem menses facere ingeneratione possunt: quàm multi enim, si hoc verum esset, absque dubio sic nascerentur: illud verò tantùm ex hac causa provenire creditur, ut si tunc conceptus fiat, morbosus ac invalidus fœtus evadat, utpotè qui ab impuro & excrementitio sanguine incipiat efformari.

a opi-

Daniel Sennertus *l.* 3. *part.* 9. *s.* 1. *c.* 13. & *lib.* 4. *part.* 2. *c.* 7. & Jacob. Rueff. *lib.* 5. *c.* 3. *de hominis conceptu & partu*, in ea sunt opinione, quòd androgini ab imaginatione fiant; cùm enim fœtûs efformatio ad facultatem formatricem uteri pertineat, ex cujus errore innumera monstrorum genera fieri dicunt, hoc quoque ab illa dependere existimant, ac probabile esse putant: ait enim *Sennertus*, si facultas masculum ex materia proportionata formare intendat, si tunc fortè aliquid objiciatur, quod imaginationi genitalis fœminei speciem fortiùs imprimat, tunc facultatem in opere suo quasi turbari, & masculinum sexum nonnihil obliterari, fœtuique tunc aliquid, quod membrum referat fœmineum, addi: econtrà verò si fœminam intendenti virilis membri occurrat impressio.

Sed hæc opinio licèt in prima, & secunda hermaphroditorum specie locum habere posse videatur, (dato quòd imaginatio fœtum mutare valeat) in quarta tamen ubi utriusque sexûs genitalia perfecta apparent, & potentia, concedi non potest: quippè fissuram, rimàmve, quæ sexum fœmineum designet, aut mentulæ aliquid simile, quod masculinitatem æmuletur, non tamen perfectè ac verè existant, forsan tunc temporis imaginatione ducta facultas efformare poterit; sed perfectam vulvam & matricem ad masculum jam initiatum addere, aut penem perfectum ad fœminam jam organisatam, hoc videtur impossibile: quia præterquam quòd naturæ ordini repugnet, ad talem mutationem alia materiæ dispositio requiritur, alius partium situs, alia membrorum configuratio multò inter se diversa; non enim hæc accidentaliter possunt mutari, sicuti imprimitur signum, aut figura rei alicujus visæ, aut imaginatæ; quippè ista facilè ex humorum quavis attractione efformari possunt, nec naturæ debitum ordinem interturbant, sed sexum addere, aut mutare, majoris est molis, quàm imaginationis vi causari possit. Joannes Bened. Sinibaldus *lib.* 2. *Geneanthrop. tract.* 1. *cap.* 5. novam aliam opinionem proponit à nullo (quod sciam) anteà adductam: vult enim si inchoato jam conceptu fœmineo, ipsoque rudi, & imperfecto existente, virilis seminis nova accedat effusio & irroratio, tunc à facultate formatrice utriusque sexûs figuram elici, atque exprimi. Sed hæc opinio non placet, quia conceptus cùm semel incepit fieri secundùm debitam materiæ proportionem (dummodo illi nil deficiat) novum aliud principium recipere non potest: est enim conceptus ex naturæ operibus, quæ ex unito actu fiunt, non ex pluribus; alioquin naturæ motus, qui certi, & ordinati sunt in fœtûs formatione, interturbarentur: atque ideo in simili casu superfœtationem potiùs intendit, quàm sexûs varietatem in eodem individuo. Deinde seminis illa irroratio, quæ secundò fit, non solùm sexûs masculini typum secum defert, sed materiam quoque; quare si cum alia præexistente copularetur, quæ jam rudimentum obtinuerat, membra ferè omnia multiplicata & confusa evaderent; alioquin explicare debet, qualiter materia adveniens sexum solummodò imprimere valeat, & pro cæteris membris efformandis virtutem suam & materiam non conferat.

ima io.

Ad veritatem proximè accedere visi sunt, qui in semine causam esse arbitrati sunt; sed non omninò illam attigerunt illi, qui illius parem copiam à viro & à fœmina exclusam hermaphroditi causam esse voluerunt, ut inter alios tenet Paræus *lib.* 24. *cap.* 4. non enim sufficiens est materiæ ubertas ut sexus mutetur, nec in semine maris masculi partes tantùm inveniuntur, aut in fœminæ solùm fæminei, ut ita pro copia sufficienti suum sexum producere semper nitantur; hæc enim quondam fuit *Empedoclis* opinio, adversùs quam Galenus *lib.* 2. *de semine cap.* 3. latè disputavit: aliquid igitur præter seminis æqualitatem in quantitate ultrà requiritur, quod modò aperiendum est.

ava io.

a opi-

Causa igitur androgini nulla alia rationi magis consentanea apparet, quàm seminis excretio à viro & muliere, tam in quantitate, quàm in viribus æqualis; hanc opinionem sequuntur Saxonia *lib.* 4. *cap.* 30. Acastro *de nat. mul. lib.* 3. *cap.* 12. Boscus *in concordia philosophorum & medicorum*, Licetus *lib.* 2. *de monstror. causis cap.* 53. Aldrovandus *in monstris*, Majolus *colloq.* 3. Paræus si rectè intelligatur, & alii plures: ef-

ima vera io.

fa-

fusâ quippè æquali portione ab utroque parente, quæ non solùm quantitate, sed viribus suam virtutem alteri cedere repugnet, v.g. viri masculinam suam vim, fœminæ muliebrem, alterâ alteri se non submittente, quia par utriusque energia ad suam masculinitatem, & muliebrem naturam producendam in unoquoque invenitur; tunc facultas formatrix, quæ simile aliquid semper efformare conatur, æqualibus viribus in utramque materiam incumbens, pro illarum propensione ad fœtus generationem, molitionem suam & operam adhibet; & cùm cætera habeat idonea, pro sexus verò specialitate (utroque tamen semine jus suum defendente) repugnantiam inveniat, mirum non est si in uno eodemque corpore jam in cæteris membris rectè commixto, & effigiato, utrumque tandem sexum producat; hoc *Parmenides* libris quos de natura scripsit, apertè docuit, cùm sic ait:

10.

Fœmina virq; simul Veneris cùm germina miscent
Venis, informans diverso ex sanguine virtus
Temperiem servant, benè condita corpora fingit:
At si virtutes permisto semine pugnent,
Nec faciant unam vim, mixto in corpore dira
Nascentem gemino vexabunt semine sexum.

Hic dicendi modus & hermaphroditorum causa rectè ab *Hippocrate* deducitur *lib. de genitura*, ubi tam in homine, quàm in muliere semen ait inveniri masculinum & fœmininum, & clariùs *lib.* 1 *de dieta à textu* 64. *cum sequentibus*, & adhuc multò clariùs *lib. de victûs ratione*, quibus in locis clarissimè hanc in seminibus varietatem & energiam in utroq; parente declarat; ex qua etiam causam docet, quâ ratione homines generentur elatioris animi, & masculinitatis egregiæ, quomodò minùs viriles, & tandem androgyni evadant, seu effœminati: & sic in suo ordine fœminæ quomodò delicatiores & venustiores, quomodò alacriores, & aliquid animosæ virtutis ostendentes, ac ultimò quomodo viragines evadant, hominibus voce & actionibus proximè accedentes. Quod non aliter accidere vult, quàm ex varia seminum alternatione, & efficaciæ vi, dum aliud alterum magis evincit & superat, ac in suum sexum abire cogit, & minoris efficaciæ potentiori submittitur; hoc optimè Lucretius *lib.* 4.

11.

Semper enim partus duplici de semine constat.
Atque viri simile est magis id, quodcumque creatur,
Ejus habet plus parte æquâ, quod cernere possis,
Sive virûm soboles, sive est muliebris origo.

Quam doctrinam etiam sequi videtur Aristoteles 4. *de gen. animal. cap.* 3. ubi de causa similitudinis ad parentes inquirens, sic inquit: *Ita natura fert, ut quo mas & quo pater est, superat, & superatur.* Ita igitur hermaphroditos eodem modo gigni fatendum est; quod quâ ratione accidat jam accipe. Semen ab utroque parente deciditur, alterius quidem cum aptitudine, ut materiam pro gignendo mare subministret, alterius verò cum propensione ad fœminam gignendam effunditur; tali verò in quantitate & efficacia vi prædita, ut unum alii nec cedere, nec ab illo evinci, ac in sui sexûs naturam trahi possit, sed utriusque virtus, & vis æqualis maneat in resistendo & agendo; quo fit, ut cùm utrumque suum sexum exigat, androgynus evadat, & generetur: quòd si efficacia aliquantulùm potentior in unico existat, illius sexus palmam præripit, atque viget, perfectusque apparet, altero nonnisi effigie tantùm, aut imperfecto manente; & sic prima & secunda hermaphroditorum species resultat, nempè virilitas perfecta cum sexu fœmineo imperfecto, & econtrà: quòd si efficacia & vis amborum seminum æqualiter persistat, tunc dupliciter accidit, ut dum agendo & patiendo alterum alteri renititur, exreatione utriusque virtus refrangatur; quo fit ut nullus sexus perfectus resultet, quæ tertia est species. Vel tandem ultimò servatâ omni vi & seminum potentiâ sexum unumquemque rectè conformatum, perfectumq; constituunt, formatrice haud aliter, quàm pro unius cujusque materiæ conditionatâ sui sexus naturâ formationem dirigente; unde quarta fit & postrema hermaphroditorum species, quæ tamen admodum rarò provenit. Quæ opinio & dicendi modus licèt inter cæteros optimus videatur, non omninò explodenda videtur illa quorundam, qui dicebant, non toti semini hoc attribuendum, sed cuilibet parti etiam illius, quæ virtutem habeat, differentiam illam in sexu effigiandi, an enim semen partes hetherogeneas ad diversas particulas efformandas in se contineat, disceptent alii: Videmus enim ex redundanti materia illius, modò sextum digitum, modò aliam partem fieri,

12.

Decima opinio.

fieri; quod non casu, aut ex naturæ arbitrio, sed ex aptâ dispositione materiæ fit, quæ ad hanc, non ad aliam particulam generandam aptitudinem sortitur: evidenter enim hoc colligi potest ex illo monstro stupendo, quod superioribus annis in Germania natum & nutritum fuisse narrat Licetus *lib. 2. de monstror. caus. cap. 53. cum sequentibus*; cujus caput maximè à fœmineo distans erat, virile prorsùs, capillis crassis, brevibus, nigris, spissâque barbâ ac promissâ, facie torosâ; uno verbo totum summè masculum caput & facies apparebat, sed reliquo corpore fœmineo, molli, glabro, candido, turgentibus in pectore mammis, quibus cætera omnia membra muliebri sexui optimè respondebant, unico pudendo fœmineo, masculini ne vestigium erat quidem: rata sanè hermaphroditi species, non sexu aut genitalibus, sed superiorum & inferiorum partium diversitate conflata; quam non aliundè quàm ex seminis partibus diversæ naturæ, virilitatem & muliebris sexûs constantiam exactissimè servantibus accidere potuisse aliquis suspicari potuerit, modo à nobis explicato; à quo non multùm variat Licetus *cap. 54. & 55. lib. 2. citati*, ubi hujus novæ monstrositatis causam refert, de qua quidam non illepidus poëta:

3.

Cervicem capiti voluit natura virili
Iungere fœmineam, geminasq; inducere formas.

& sic alius:

Dum dubitat natura marem, faceretne puellam,
Factus es ô pulcher penè puella puer.

Igitur species hermaphroditorum ex dictis quatuor esse constat; non enim rectè facere videntur qui tres tantùm annumerant, ut *Dalechampius* apud *Plinium*, qui malè cum *Rhodigino* eas ex vario pudendorum situ distinguit, cùm differentiæ secundùm sexûs efficaciam, aut inefficaciam constitui potius debeant, ut plerique ex jam citatis adnotârunt. Prima igitur differentia dicitur hermaphroditus mas, qui sexum virilem perfectum & validum participat, in perinæo tamen rimam minimè perviam ad formam vulvæ efformatam habet, per quam nec seminis nec lotii quidquam emittit. Secunda vocatur hermaphrodita fœmina, quando præter vulvam, quam naturaliter & rectè conformatam sortitur, semine, lotio, & mensibus manantem, tamen circà os pectinis emergit quædam carnea substantia, ad similitudinem imperfecti penis, scroto & testibus carentis. Tertia est illorum, qui expressam amborum sexuum referunt imaginem adverso sibi situ respondentem, sed ad generationem, & seminis profusionem inefficacem, imò alterutrâ tantùm ad mictionem conferente, aliquando nullâ, sed per foramen aliud juxtà adnatum urina exit; de qua Ausonius in *epigrammat.*

4. ...a- ...d. dif- ...tia ...ior.

Concretus sexu, sed non perfectus utroque;
Ambigua Veneris neutro potiundus amore.

Ultima illorum differentia est, qui non solùm utrumque sexum possident, sed etiam amborum genitalium ad perfectum usum & generationem, necessariis conditionibus omninò gaudent.

5. De hac igitur quarta hermaphroditorum specie inquirimus an possibilis sit, & in unico homine utriusque sexûs genitalia inveniri possint, perfecta, omnibus suis partibus ad naturalia munia obeunda rectè efformata; ita ut virum, si velit, agere possit, & fœminam aliam implere; & si mulierem, pati sustineat, atque hominem ferat, & ab ipso impregnari valeat, ac proindè, maximo naturæ prodigio, idem individuum jam pater, jam mater fiat. Aristoteles *4. de gen. animal. cap. 4.* hoc apertè negare videtur, dum sic ait: *In quibus gemina genitalia habere accidit, alterum maris, alterum fœminæ; his semper alterum ratum, alterum irritum redditur.* Illius opinionem tenet Constantinus Varolus *lib. 4. anat. cap. 4.* ac impossibile esse in unico individuo utrumque sexum reverà reperiri constanter asserit: eandem tuentur etiam Rhodiginus *lib. 17. antiq. lect. cap. 12.* Marcellus Donatus *lib. 6. cap. 2.* atque utramque naturam in eodem corpore perfectam dari posse impossibile credit; quia, inquit, non potest copulari forma & complexio masculini cum fœminino, nec in eodem corpore duo excrementa simul perfecta, semen scilicèt maris & fœminæ, reperiri possunt: quare concludit nec etiam membra utraque propria, nisi imperfecta dari posse. Prædictos sequitur Sennertus *lib. 3. praxis jam citat.* quo loco concludit, si quando hoc visum, & utrumque sexum habuisse de aliquibus dictum est, non reverà fuisse, sed apparenter tantùm, ut si in muliere Nympha in molem aucta membrum virile referat,

6.

nam si genitalia interna spectentur muliebria prorsus esse, & nil monstrosum intùs reperiri, ut in Helena quadam Antverpiensi, de qua Plempius *in fundamentis medicinæ fol. mihi* 139. quæ nympham in tantam magnitudinem auctam habebat, ut non solùm in lupanari multas exerceret meretrices, sed alias non paucas alibi virgines vitiaret; de qua ægritudine lege similem historiam apud Zacutum *lib. 2. prax. mirandæ obs.* 82. Sic etiam in viris fissuram aliquam tantùm denotari, quæ non penetret, nec virile membrum admittere posit; quod exemplis & experimentis ab anatome petitis ex *Columbo*, & *Aquapendente* probat, quæ apud ipsos legi possunt. Præterea cùm mas & fœmina ex Aristotele 4. *de gen. animal. cap.* 3. sint opposita, sicuti mater & pater; opposita verò simul adesse non possint, ex eodem 5. *metaph.* 10. nec ipsa, nec ea ex quibus sunt; ergò cùm uterque sexus ex horum sit numero, simul adesse non poterunt: tandem si hoc daretur, sequeretur maximum inconveniens, quod rectam naturæ dispositionem & ordinem interturbaret; nimirum quòd hermaphroditus amborum genitalium perfectus, sine alterius accessu intrà se generare posset, quia ibi masculinum semen, ibi vasorum & matricis conveniens locus, ibi ad fœtum producendum & alendum sufficiens materia; quarè nil deficeret quo minus absque alterius coitu impleretur, quod magnoperè repugnat. Addunt alii, naturam in plurimis distractam ad nullum sufficere, non enim spiritus & facultas ambobus sufficere queunt, quia adeò fortis non est natura, ut gemino genitali, & illius instrumentis influere possit, & humorem caloremque duplici semini suppeditare: unde aut in ambobus plerumque deficit, aut alterum irritum manet.

16.

Sed his non obstantibus, possibilem esse hanc sexuum multiplicitatem, & complicationem in uno eodemque homine, omnibus suis partibus absolutam, & in utroque sexu pollentem, & ad debitum vel maris vel fœminæ usum omnino perfectam, apertè cum multis aliis fatemur; nil enim impossibilitatis in hoc prodigio contrà naturæ majestatem apparere videtur, cùm potius hujusmodi ludibriis & majoribus ipsa gaudeat, & majora in orbis theatrum non rarò proferat ostenta, & in hominum conspectum obtrudat: si enim ex dissimilibus seminibus, & speciebus toto genere differentibus aliquandò unicum corpus efformat, ut ex homine & bruto millies visum est, quid obstat, quo minùs hominis & mulieris semina ex se varium sexum postulantia, posit aliquando miscere, perficere, & unumquodque debito sexu obsignare, cùm aliter ex repugnantiâ materiæ coacta facere non posit? videmus quippe in fœtu humano hanc aut illam partem à pedis aut manûs ordinata configuratione dissentire, & similem membro alicujus bruti figuram referre: si hoc in reliquis partibus accidit, cur in verendis similia prodigia non evenient? minùs enim implicat humanorum sexuum complicatio, quàm brutorum partes cum rationalibus adjungere, sive ex variis seminibus, sive aliundè accidat; ergò si hoc sæpiùs contingit, quarè illud impossibile erit? cùm præsertim sciamus, non casu, aut rarenter, sed naturaliter aliquibus gentibus hanc monstrositatem evenire, ut in Africa suprà Nasamonas androgynorum gentem sic naturaliter nasci tradant *Plinius, Calliphanes*, & alii; nec in Africa tantùm, sed apud Indos Nereos omnes androgynos esse, & hermophroditos ex *Herodoto* scribit Rhodiginus *lib.* 7. *cap.* 29. & in Virginia quoque alterâ Indiæ parte plurimos nasci Indis exosos narrat Nierembergius *lib.* 8. *hist. nat. cap.* 6. quibus proptereà jumentorum loco uti ait, quòd ad onera bajulanda robustissimi sint & idonei. Quarè & Regibus annonam deportant ad prælia proficiscentibus, defunctos ad tumulum bajulant, & peste affectos ad destinata loca ferunt, & illis medicantur. Similiter apud *Phlegon. Trallianum* legimus: *Dorotheus medicus*, inquit, *in commentariis suis retulit, Alexandriæ in Ægypto Cynædum peperisse, fœtumq; conditum miraculi causâ asservari.* In Germania quoque in exercitu Romano, quem Curtillius Mancias duxit, servus militis peperit, Athenis Conomipside, Romæ Q. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione coss. Sed ne ex tam longinquo exempla petamus, apud Europæos utroque sexu potentes homines plusquàm semel visos esse, ex historiis multis comprobatur, quas apud gravissimos auctores legimus. Hieronymus Montuus *lib. 1. de med. theorisi cap.* 6. hermaphroditum ait vidisse, qui sequioris sexûs, seu muliebris esse putabatur, viroque nupserat, cui filios aliquos & filias peperit, nihilominus ancillas comprimere, & in his generare solebat. VVinrichius comment. de monstris pag. 7. *Memorabile (inquit) hoc anno* 1461 *in Scotia urbe quadam, androgynam ancillam herilem filiam in eodem lecto cubantem gravidam fecisse; accusatam*

17.

18.

19.

facti

facti apud judices, & vivam sub terrâ defossam periisse. Eodem modo Halli Rhodoan. *com. ad 3. lib. tech. Gal. textu* 38. ait vidisse virum qui veretrum & testiculos, & vulvam mulieris habebat simul. Sed præter medicos, apud alios etiam majoris admirationis stupendæ historiæ leguntur: Robertus Guaguinus *lib. 10. annalium Galliæ* refert, quòd anno 1478. regnante Ludovico XI. apud Avernos in Cænobio Issorensi, monachus quidam cùm hermaphroditus esset, gravidus est effectus, & tandem magnâ diligentiâ servatus, donec peperit. Nec solùm in homine sed in brutis etiam tantum hoc prodigium jam observatum est. Secundus Lancelottus de Perugia *in suo hoggidì parte 1. disinganno* 49. ex Pio 2. *hist. Europ. cap.* 55. narrat, in urbe Sena propè portam Romanam magno hominum numero spectante equum peperisse, qui hermaphroditus erat, sed signum fœmininæ vulvæ nondum aliquis viderat. Sed quænam quæso major ratio dari potest ad possibilitatem hanc asserendam, quàm legum decreta, quæ in talibus jubent, ut sexum pro arbitrio eligant, ut *Baldus* & alii docent *in L. quæritur, de statu hominis*? Si enim semper unum irritum foret, ad quid optio & eligendi facultas daretur? ad quid sub gravibus pænis & omninò capitalibus, alterius ab electi sexûs usus prohiberetur? quas ideò tulit nefanda illa mulier, cujus historiam narrat *Torquemada* insignis juris peritus in suis dialogis. colloq. 1. *apud Burgies* inquit (Hispaniæ citerioris civitas est notissima) *cuidam hermaphrodito ad libitum sexûs eligendi data est optio; fœmineum optavit, & ne alterius uteretur, sub capitali pœnâ cautum est: postmodùm inventum atque probatum, quòd masculum cum aliis fœminis exerceret, & quod sub muliebri prætextu multa hujuscemodi stupra committeret;* quarè igni traditam fuisse ait, quâ eâdem sententiâ aliam apud Hispalem ob similem causam multatam fuisse refert.

21.

Ex tot igitur adductis historiis, tam ab antiquis quàm à nostri ævi auctoribus relatis, & ex legum vi, quæ nunquam in impossibilibus casibus constituuntur, patet androgynos utroque sexu potentes inveniri, & de facto multoties inventos fuisse, ut adducti omnes fatentur; quos etiam dari posse concedit Avicenna *lib. 3. fen. 20. tract. 1. cap. 43.* ubi de hermaphroditis agens sic scribit: *Et de illis est, in quo ambo sunt æqualia; & pervenit ad me quòd de illis est, qui agit, & patitur &c.* Eandem opinionem defendunt A Castro, Aldrovandus, & Lemnius citati. Riolanus *cap. 4. de monstro Parisiis nato*, Zacutus 3. *de principum hist. quæst.* 16. Licetus *ubi suprà*, Zacchias *lib. 3. tit. 1. quæst. 9. & lib. 5. tit. de monstris*, & alii apud Schenckium cum Paræo & reliquis, & præter *Plinium, Gellium, Isidorum* suprà citatos approbat etiam D. Augustinus *lib. 16. de civitate* Dei *cap.* 8. qui hujusmodi monstra reperiri (perrarò tamen) fatetur, quibus consentit *Suidas*, & dari inquit ad utrumque paratos. Nec obstat quòd aliter senserit *Aristoteles*, cui respondendum dicimus, illum de communi eventu magis judicâsse, quàm impossibilitatem agnovisse; & quamvis addat verbum illud *semper*, forsan ideò fecit, quia nunquam aliter viderat, cùm cætera, quæ ad probandum affert, nil convincant: nec etiam *Marcelli Donati* rationes aliquid probant, quia nil implicat, quòd forma masculi cum forma fœminæ jungatur sub eadem specie; quia si sub diversis hoc aliquandò visum est in plurimis membris, ut retrò dicebamus, quarè in eadem non fiet? imò monstra ex bruto & homine conflata duplicem sexum habuisse observatum est, & in homine cum utraque natura maris & fœminæ duorum monstrorum icones bicipites exhibuit *Aldrovandus*, maris & fœminæ corpora naturâ in unum congerente, præter capita, quæ duplicia in uno corpore produxit, sicuti & genitalia duorum sexuum duplicavit; qui mas & fœmina gemelli sine dubio forent, nisi materia defecisset, aut aliter obstaret, ut perfecta, & non monstrosa fœtuum efformatio foret: nullum quippe membrum est, quod ex erronea naturæ conformatione duplicari non possit. Si capita, si crura, si brachia, & sic de cæteris; quarè non aliquandò genitalia utriusque sexûs etiam perfecta in unico & eodem individuo copulare non poterit, si materia ad duo corpora diversa efformanda non est apta, nec sufficiens? Fatemur etiam quòd in prædicto corpore androgyno utriusque sexûs potenti, semen virile & fœmininum reperiri possit, cùm perfectas ac completas habeat amborum genitalium partes, quapropter etiam menstruare poterit; sed cum hoc dicimus intrà se sine alterius viri congressu generare non posse, quia licèt utroque semine gaudeat, tamen vasa illius continentia & præparantia ita divisa esse & separata, ut semen masculinum ad uteri cavitatem subire, & penetrare nullo pacto possit: deinde quamvis hoc fieret, non propterea conceptus accideret; nam ad hoc

22.

 ut

ut fiat, requiritur actus Venereus, & incalescentia, quæ in ipso fit, ut semen spiritibus prolificum, & saltu quodam in uterum velocissimè ejaculetur; quod aliter quàm coitu fieri non potest.

Ad illud verò quod ex *Aristotele* dicitur, marem & fœminam opposita esse, atque ideò in eodem subjecto dari non posse, respondetur Philosophum dicto loco de oppositis incompatibilibus non agere, sed tantùm de oppositione, quæ inter semina utriusque parentis fit, cùm uterque in suam similitudinem aliud commutare conatur & evincire, ut ex verbis ejusdem evidenter declaratur. Nec illud inconveniens, quod sequi dicebatur adversùs naturæ constitutum ordinem, hermaphroditum utriusque sexûs potentem impossibilem esse arguit; quia in omni etiam monstrorum genere natura à debita formatione recedit, & tamen monstra accidere quotidiè videmus; quando enim formatrix facultas non potest facere quod optimum est, facit quod potest, non quòd erret, sed quòd ob materiæ ineptitudinem perfectum assequi non potest, ideoque imperfectum, vel mutilum, vel redundantem, vel aliena figura effigiat.

Ultimò quæ ex *Columbo* & aliis allegantur, exempla sunt particularia, quæ in aliquibus acciderunt, quod ideò non facit certam regulam, ut in aliis androgynis eodem modo contingere debeat. Nec illud quod ajunt, naturam distractam duobus non posse sufficere, aliquid probat; nam ubi datur vis ad majus, etiam sufficiet ad minus; quarè si virum agere potest hermaphroditus, etiam quæ pro fœminino sexu requiruntur præstare valebit. Fatemur tamen cum *D. Augustino* admodùm raro perfectum hermophroditum inveniri utroque sexu potentem, & multos quamvis externas partes debitè conformatas habere videantur, internas tamen utriusque sexûs debitè sibi correspondentes rarissimè obtinere; sed hoc non tollit, quòd aliquando in aliquo correspondeant, & rectè atque perfectè omnia disposita sint, ut in utroque sexu potens evadat. Ex quibus omnibus patet quomodò agnoscendi sunt hermaphroditi ad hunc, aut illum sexum eligendum; quod non aliter quàm ex debita conformatione & magnitudine genitalium suis operationibus respondentium, maris aut fœminæ sexum adipisci; & cognosci facilè poterit, ut hic mas, aut fœmina judicetur, atque illius opera exerceat. 23. Cæterùm quando ambo genitalia, in figurâ, mole, & operationum efficaciâ æqualia inveniuntur, ut amborum sexuum actionibus inservire possint, & utriusque potentes judicentur; tunc ad juris peritos causa deferenda est, quorum decreto, Episcopi etiam auctoritate adhibitâ, vel sexus ad quem magis incalescat eligendus, vel si æquali potentiâ in utrumque ferantur, optio eligendi danda est, & ad hunc aut illum sexum eligendum cogendus erit androgynus, atque electione factâ, adhibitoque juramento, sub gravi pœna monendus, ne altero ab electo sexu utatur. Ita sanxerunt peritissimi Jurisconf. Gl. Bal. & Gul. *in L. quæritur ff. de statu hominis.* Silvester etiam, & Tabienus *in summis*, & alii summistæ in verbo *hermaphrod.* Sanchez *de matrimonio lib. 7. disp. 106. nu.* 1. sic enim per *L. repetundarum §. hermaphroditus ff. de testibus, & per cap. si testes §. hermaphroditus in 4. quæst.* 3. determinatum legitur. Quo juramento & electi sexûs promissis semper standum est, licèt alios ad alium sexum magis incalescere contingat, & naturæ calor mutetur, ut probè advertit *Majolus* citatus.

QUÆSTIO QUADRAGESIMANONA.

An ex urina possibile sit gravidam esse mulierem certò agnoscere?

1. Nihil in medicina adeò necessarium foret, quàm quòd medici certa conceptûs signa haberent; cùm præsertim ipsi non levi famæ & opinionis jacturâ turpiter sæpiùs hallucinentur, & ab impudicis quibusdam fœminis, quæ deperditam virginitatem simulare student, non raro fallantur: quæ plerumque sub mensium defectu, ad quorum reditum remedia perquirunt, incautos decipiant, ut in maximos errores labi proindè contingat, in pænitenda fœtuum immatura exclusione; cùm nulli non notum sit quantum piaculum sit, si imprudenter hoc fiat, aut pretio aliquo committatur. Allaborârunt tamen non antiqui solùm, sed qui postea secuti sunt medici in inve-

inveniendis gravidationis signis, non tantùm ex his, quæ à muliere desumi possunt, sed experimenta quoque plurima adduxerunt; quæ tamen omnia parùm feliciter respondere visa sunt, cùm nullum, in primis præcipuè mensibus, signum usque ad fœtûs motionem ita certum inveniatur, quod ab hac dubitatione tam fœminam, quàm medicos securos reddere possit. Colligit quidem plurima Hippocrates *lib. de sterilibus*, ex oculis, illorum albo, facie, maculis, ciborum inappetentia, fastidio, expuitione, & aliis; deinde ad experimenta procedit ex decocto anisi cum melle ebibito, ex quo tormina & ventris dolores in gravida supervenire docet, quod idem mulsâ epotâ eventurum *in aphor.* docuerat: quin & *lib. de nat. mulieb.* ex illinitione cum terra erythrea, aut rubra supra oculorum genas hoc venari studet, ridiculo sane invento, cujusmodi sunt alia à *Theod. Priscano* adducta, de collo calido, & spinali medulla frigida. Aristoteles etiam 7. *de hist. animal. cap.* 3. ex coitu alia expiscari docet, ut si ab ipso congressu genitalia exsiccentur, & quandam gravitatem in intimis, matricemque pondere gravatam percipiat mulier. Galenus *lib.* 6. *de locis cap.* 5. si menses deficiant, si toto corpore gravitatem sentit, & quandam inæqualitatem horroris in modum invadentem; addit ventriculi inappetentiam, & variarum rerum fastidium, aliarum verò, quæ in usu non sunt, desiderium, ut terræ, carbonum, & alienarum aliarum rerum esum, ut 5. *aph.* 61. 4. *simpl.* & 1. *de causis simpth. cap.* 7. latiùs docuit, cujus eventus causam 3. *in* 3 *epid. textu* 73. idem refert. Deindè si obstetricis manus pudenda contingens, non solùm sicca offendat, sed matricis quoque collum angustum, & clausum: quippe ut 15. *de usu part.* dicebat, gravidis matricis os ita occludi, ut ne punctum acûs admittat, quod 2. *de causis simpth. cap.* 3. repetit, ubi ne styli quidem mucronem recipere ait: sed & 5. *aph.* 54. addit matricem sursùm retractam sentiri, & 3. *de facultatibus*, à conceptu dicebat uterum ad sua principia retrahi; quin & 6. *aph.* 44. percipere gravidas tumorem, qui velut in angustum intestina absque doloris sensu coarctare videatur: ultra hoc 5. *aph.* 52. debere, inquit, in mammis pro fœtûs alimento lac magis ac minus redundare: à quibus omnibus non dissentire videtur *Avicenna fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 11. qui illud etiam advertit, si semina ab utroque parente eodem tempore effundantur, quod etiam monuit *Rhasis cap.* 22. *contin. tract.* 6. *cap.* 1. & hujusmodi alia, ut si vir ab ejaculatione persentiat quòd genitale sursum suctu quodam à matrice trahatur. Eadem signa proponit Æsius *lib.* 4. *serm.* 4. *cap.* 8. & plures alii; quæ summatim in epilogum ex omnium adductis signis, sic in unum colligere placet, breviter à capite initium sumentes.

Igitur si à septimo, octavo, aut decimo die, prout magis aut minus vaporibus tentatur caput, illius dolores inquiesque infestant, si exinde caliginosâ vertigine, & tenebris oculorum acies hebetatur, si pupillæ minuuntur, & album amplius fit, si flavescant oculi, aut eorundem venæ cruore turgeant, si concavantur, & palpebræ molliuntur, & inferiores genæ aspectu graviori ex albo fuscedinem quandam contrahunt, si unctis medicamine oculis saliva inficiatur, si pannus ruffæque lenticulæ faciem deturpant, si propè nares ad majorem angulum sitæ venæ conspicuæ magis appareant, si sub lingua vena virescat, si cervix calidior, tergum algidius sentiatur, si colli venæ arteriæque attollantur magis, si pectoris venæ nigricant, aut glaucæ redduntur, si mammæ obdurescant, aut extuberent, vel doleant, si papillæ rubescant, si potus recto tramite ad mammas permeare videatur dum exhauritur, si in eduliis fastidium aut malacia molestet, aut enormium rerum appetitus variè assurgant, citoque commutentur, si acida eructatio, & vomitiones accedant, si ab haustu vini langueat magis & flavescat, si cordis pulsus perturbet, si ocyssimè lætatur citoque in tristitiam mutatur, si alvum aut potissimum umbilicum tormina exercent, si renum coxendicisve gravitas vexet, si ilia pleniora compareant, quod in gracilioribus evidentiùs conspicitur, si concumbentes unà genituram emisisse conjectent, quæ in 7. usque diem intus permanserit, concepisse jam ut certum haberi poterit, si vir coleum uterum suxisse senserit, si à coitu mox locus resiccescat, si re peractâ externarum partium algor supervenerit, & alvi tergorisque pulsatilis dolor levis obrepat, si coitum exindè abhorreat, aut ardentiùs concupiscat, si uteri os ad obtutum arctissimè conniverit; & sanè præcipuum indicium est si obstetrix perspicaci intelligentiâ digitum submittens, vulvæ os concretum, obseptum, ac denique sigillatum invenerit, si glomerata sese extulerit matrix, si menses per assuetos circuitus sustiterint, quoniam secundùm naturam haudquaquam in gravida provenire possunt, quia in

 venis,

venis, quæ intùs in uteri alveo sunt, secundæ involucrum dependet, & ob eandem nil prorsus per eas in muliebrem sinum excerni potest, quare illorum residuum in ubera transit, ulterioriq; coctione lactescit, hinc in mammis exiguus motus araneæ in modum sentitur. Si etiam nunc tumores, dolores, extuberationesque carnis in cruribus inciderint, si corpus universum gravetur, mollescat, pallescat, effœminetur, si pulsus protenus ab initio fortis ac magnus, procedente tempore parvus & velox fiat; ex his sanè, aut eorum plurimis, inchoatum hominem arbitrari fas est, dummodò nihilominus sana mulier persistat, nec febre, aut horrore, aliisvè morbis infestetur, ut 5. *aphor.* 61. advertit Hippocrates.

6. Hæc signa medici solerti indagine invenerunt, quibus adhuc ut incertis, cùm non acquiescerent, aliis quoque experimentis, sed haud minus dubiis, conceptû cognitionem adipisci tantârunt; nec video quam veritatem habeat illud quod Bairus *in suo venimecum cap.* 4. *lib.* 15. affert: *Extrahantur* (inquit) *ex dextro latere mulieris duæ vel tres sanguinis guttæ, in aqua fontis ejiciantur, si petant fundum concepit, si verò non, minimè.* Alii experiantur, mihi nec ratio ulla probat, nec experiri placet, quid enim magis ex dextro quàm ex sinistro latere faciet, ipse viderit; consentaneum magis est, quod secundò ait, mulier scilicet resupina in lecto jacens ambas manus extendat super ventrem lateraliter ab umbilico, tunc si diligenter attendat, si prægnans est, sentiet sub manibus motum, quasi araneæ transitum, etiam si ex modico prægnans sit. Cardui quoque benedicti succum epotum si rejiciatur gravidam ostendere nescio quis Sycophanta invenit. Sed quàm incerta, infida, ac dubia sint prædicta omnia signa, unanimis medicorum sententia cum experientia proclamat, quandoquidem eorum complurima, ac propè dixerim omnia, citrà graviditatem, retentis ac suppressis tantùm mensibus, evenire queant, ut nemine dempto fatentur omnes, cùm nullum proprium ac certum signum Hippocrates per multa experimenta decurrens, sententiis suis scriptum reliquerit, quamvis in conceptu dignoscendo studiosissimus extiterit, ac multum elaboraverit; & deinde aliorum, qui illum subsequuti sunt ingenia multiformi ambage, & irrequieta sciendi cupiditate lacessita in alia atque alia experimenta devenerunt, sed ridicula planè, cùm fabulas potiùs docuerint, quàm ad veritatis lucem certitudinem aliquam attulerint, aut invenerint; hujusmodi est illud, quod à *Misaldo*, & *Weckerio* recitatur *lib.* 5. *de secretis*: si mulier in vase æreo urinam reddat, ac per noctem ferrea acus perpolita intùs immergatur, acum ajunt si prægnans est maculis rubris distingui, sin minus nigrescet, vel ferruginea, aut æruginosa evadet. Consimile est illud Fernelii 6. *patholo. cap.* 17. si urina prægnantis vino misceatur, elixarum fabarum jusculo simillima evadet; quibus etiam annumerandum illud quod Varandeus *lib.* 2. *de morbis mul.* 2. inculcat: Si urina tribus diebus reservetur, dehinc per pannum coletur, & appareant animalcula quædam veluti pediculi, prægnans est. Addunt alii prædicta animalia, si rufa marem, si alba fœminam significare; sic enim fallacia fallaciam trudit: sed hæc omnia, præterquam quòd experientiæ non respondeant, nulla ratio probat; dato enim quòd talia signa inveniantur, nulla proindè conceptûs certitudo habenda erit; fatetur quippè *Bonaciola* egregiâ se frustratione deceptum, & fallacia horum multa comperisse dum experiri conaretur, ideoque ablegada, nec in illorum examine immorandum duximus.

Urina an conceptûs signum aliquod exhibeat.

Cæterùm quando jam in urinæ prægnantium mentionem incidimus, juniorum quorundam disquirenda opinio est, qui Avicennæ quodam loco innixi, ex urina non solùm certum signum aliquando elici posse, sed de facto ex ea aliquos haud dubiè conceptum prædixisse jactant, in cujus veritate indaganda nos hanc quæstiunculam subteximus, licèt sciamus alios facultatis doctissimos viros in hujusmodi lite judicanda operam impendisse, ut inter neotericos *Sennertus*, *Acastro*, *Zacutus*, *Zacchias*, *Sanctorius* & alii fecerunt, qui omnes, & plurimi alii, pervicaces illos & ex vulgi imperitia gloriolam captantes acerbè increpant, & fallacitatis arguunt. Etenim *Hippocrates* qui multa signa pro conceptu judicando & experimenta scripsit, ex urina tamen petitum aliquod nunquam adduxisse legimus; pariter *Galenus*, licèt variis in locis de hoc negotio egerit, nusquam urinæ prægnantium meminisse invenimus, nisi in *lib. de dinamidiis prope finem*, ubi sic. *Urina alba sine febribus, in masculis sive fœminis dolorem lateris, aut aliquando renum significat, & imprægnationem in fœminis aliquantulum.* Et ex Græcorum familia Æsius *lib.* 16. *serm.* 4. *cap.* 8. cùm de signis prægnantium ageret, ignitum lotium cum dolore excernere dixit.

8.

9.

Pri-

Primus igitur omnium ansam dedit *Rhasis* qui in 31. *continentis tract.* 1. prægnantium urinam descripsit, *quòd sit claræ substantiæ, super quam est quod est simile nubibus, & propriè quando in ea sunt sicuti grana ascendentia, & descendentia.* Hunc secutus *Avicenna* chimæram adaugere tentavit, alia atque alia in urina prægnantium addens, quæ nunquam ipse aut alius vidit; & quod magis est, cùm multis in locis de eadem urina prægnantium egerit, nusquam sibi cohærere videtur, sed à semetipso dissentit, quippe *lib.* 2. *fen.* 2. *summa* 2. *doctrina* 3. *Vrina turbulenta* (inquit) *quæ malo vino similatur aut aquæ ciceris, est urina prægnantium*: Cap. verò sequenti breviter oblitus, claras esse urinas prægnantium ait, cùm anteà turbulentas dixisset; sic enim scribit: *Vrinæ prægnantium sunt claræ, & supra earum superficiem est nebula, & quandoque trahunt ad colorem aquæ cicerum, aut aquæ pedum citrinum, & in ipso est irinus, & supra summitatem earum est nebula, sed quomodocumque fuerit in medio videbitur sicuti cottum carminatum, & est cùm in eis sunt veluti grana quæ ascendunt; cumq; irinus manifestior fuerit, erit imprægnationis principium, & cum loco ipsius fuerit rubedo, erit in fine imprægnationis, & propriè si turbatur cùm movetur.* Sed & *lib.* 3. *fen.* 21 *tract.* 2. *cap.* 11. sic iterum repetit. *Et urina quidem prægnantis est citrina ad subalbedinem declivis, quasi sit cottum in ejus medio sparsum, & significat imprægnationem; urina puræ substantiæ supra quam est, quod est simile nubibus, & propriè quando in ea sunt sicuti grana ascendentia; in fine verò imprægnationis quandoq; apparet in urinalibus rubedo in loco in quo apparuit in principio imprægnationis subalbedo; & quando movetur urinale, & turbatur tunc est in fine imprægnationis, & quando non conturbatur, est in principio.*

Hæc sunt, quæ de urinis prægnantium *Avicenna* protulit, cujus ineptiis neotericorum aliqui, aut piaculum judicantes à tanto auctore discedere, aut inconsideratè illius verbis, nullâ ratione aut experientiâ probatis, fidem adhibentes, eadem ex urinis petita signa posteris commendare non erubuerunt, ut inter alios fecerunt Gainerius. *Comment. de ægrit. matricis*; eodem modo Joan. Falcon *in tract. de affect. mulier. cap.* 18. *in annot. ad eundem Gainerium*, qui hujusmodi urinas sæpius in prægnantibus observâsse ait, Gordonius *cap.* 15. *de regimine prægnantium*, ubi Avicennæ verbis inhæret; ita Fernelius 6. *patholog. cap.* 17. Acastro *de natur. mulieb. cap.* 7. Ludovicus Bonaciola *de format. fœtûs cap.* 4. Francis. Joclius *tom.* 4. *univers. med. sect.* 3. *de urinæ significat.* Prolixiùs verò quàm alii Savanarola *in rub.* 22. *de ægrit. memb. generat.* & *tract. de urinis rub.* 10. ubi omnium signorum Avicennæ rationem reddere nititur, quibus consentit Mercatus *lib.* 3. *affect. mul. cap.* 6. ubi licèt signum desumptum ex prægnantium urinis incertum judicet, tamen aliquid aliquando certum ex illa elici posse monet. Tandem prædictis Arabum signis tantum fidit Joan. Ruis de Fontecha *privileg.* 1. *prægnantium*, ut numquam illis deceptum, aut frustratum fuisse affirmet, quin & Martinus Pansa *part.* 4. *de proroganda vita cap.* 48. ex scintillis quibusdam ascendentibus in urina, instar flocculorum in sole, crebriùs signum conceptionis desumpsisse affirmat.

10.

Sed quanta hâc parte sit illorum verbis fides adhibenda quàm plurimi alii prudenter advertunt, ex quorum decreto omnia hæc infida, falsa, & nullius veritatis esse plenè convincitur: quippe in omnibus ab *Avicenna* adductis tanta confusio videtur, ut nec ipse qui scripsit, si modo viveret, nobis sua ipsius scripta ad veritatis trutinam comprobare posset; jam enim turbatas sine distinctione esse gravidarum urinas, & malo vino similes; jam in principio claras, jam citrinas, subalbidas, jam irinei coloris ait, jam puræ substantiæ, jam turbatæ; quæ omnia licèt sub diversis temporibus imprægnationis accidere dicat, confusa tamen adeò sunt, ut Delphico aliquo matularum oraculo ad explicationem indigere videatur; quo fit, ut magis mirandum sit doctissimos illius interpretes in explicandis hujusmodi signis operam impendisse, & in reddenda illorum causatam anxiè elaborâsse, ut inter alios facit Savanarola maximus Arabæ factionis assecla, & novissimè Varandeus 2. *de affect. mul. c.* 2. quorum futiles nugas proferre modò prætermittimus, cùm illa omnia nullius ponderis, aut utilitatis esse cum potissima doctissimorum medicorum parte judicemus, imò signa illa ab *Avicenna* proposita, partim commentitia, & ad libitum inventa, partim utriusque sexûs, & multorum morborum communia esse cum tota ferè Asclepiadum schola agnoscimus; quis enim est, qui cottum illud, seu xilum carminatum, seu nubibus simile dicas, sæpius in quàmplurimis urinis hominum & mulierum non prægnantium quotidiè non vidit? toties à medicis nubeculæ, aut si mavis

11.

hypo-

hypostasis nomine explicatum, quis turbidas & claras millies non observavit; jam verò grana illa ascendentia & descendentia, etsi aliquando videantur, quid cum conceptu commune habebunt. Argenterius *de urin. cap.* 27. vult in omni urina corpuscula illa seu atomi ascendentes apparere, sicque ab aliis liquoribus urinam distingui. Mercurialis *cap. ult. de urinis*, hoc incertum habet, & multis aliis liquoribus commune esse scribit: itaque tanta in componendo Avicenna est confusio, ut de his velle disputare jam apud solertissimos medicinæ indagatores pro nugis habeatur, & impostoribus, fumivendulis, circumforaneisque hoc de conceptu per urinas judicium relinquatur, & sciolis, qui sibi nomen & famam ex vulgi imperitia captare student;

12. horum quippe, & non medicorum hujusmodi esse figmenta, docent omnes medicinæ antesignani, & celeberrimi auctores; in quorum scriptis innumera sunt, quæ adversùs hos uromantos, & ex lotio conceptum prædicentes inveniuntur; adeò enim vaniloquam horum jactantiam, & prædicendi amentiam hâc parte contemnunt ac flocci pendunt, ut illorum arrogantiam & ingenii subtilitatem, admirationis loco, risu potius suscipiant, & tantæ impudentiæ auctores in agyrtarum collegium remittant, subsanent, & à medicorum cœtu omninò explodant. Audi quæso amice lector peritissimorum virorum vota super hanc rem, quæ ut in unum collecta habeas jam accipe.

13. Choream omnium primus ducat *Valesius*, cui præclara eruditio, & admirabilis medica dicendi facundia, non aliud, quàm Hispanici Galeni nomen dedit; ille igitur 3. *controv. cap. ult.* ambitioni & avaritiæ hanc medicorum stupiditatem refert, *quo fit* (inquit) *ut multi per insidias sciscitati; magno artis opprobrio ridiculi evadant, cùm ex urinæ aspectu conceptum imprudenter judicare voluissent.* Quare concludit exterminandam hanc stultam consuetudinem, quæ si diutiùs duret, admiranda alia medicinæ præcepta suspecta reddere possit: nec aliter existimavit *Forestus*, vir observationum multitudine, & peritiâ clarus *lib.* 2. *de incremento urinarum cap.* 3. quo loco, nec sexum, nec gravidationem ex urina agnosci posse constanter asseverat, & lepidam quandam historiam nebulonis cujusdam affert, qui diu pharmacopolam deceptum tenuit, atque aliqua ab ipso emunxit, quòd sexûs dijudicandi scientiam per urinam illi promiserat, hospitis tandem jam pertæsus, promissam divinandi scientiam anxiè ab ipso efflagitans, hoc ab illo responsum accepit, ut ferentis urinam ingressum attentè adverteret, nam si pede dextro cubiculum intraret, viri esse, si sinistro mulieris; ita tandem delusus pharmacopola errorem demisit, post hac similium imperitorum technas cautiùs devitans; vanam enim esse talem urinæ inspectionem & prædictionem latè advertit Lemosius *lib.* 2. *de prædicendi rat. cap.* 5. ad inscitiam potiùs detegendam, cùm & plebeis ridendos se præbeant medici, qui

14. ex urina certò affirmare audent, quæ sciunt esse vanissima, & ad solum quæstum excogitata; quare concludit omittendos illos, qui ex urinæ aspectu mulierem utero gerere, fortunæ auxilium implorantes, divinare non erubescunt; hoc pacto optimè dicebat Botalus *lib. de medici, & ægri munere*, quòd sicuti illis, qui citrà artem aleam jactant, interdum licèt raró, quid optimum evenit, eodem etiam modo verum prædicere illos, qui ex urinarum aspectu mulierem utero gestare rudi plebi aeverant, cùm illos urinæ, illi vulgum deludant; propterea Lupeus Curelanus *in suis animad.* impostorum esse dicebat de fœtatione velle per urinam prædicere, solumque à medicis ignavis credi, jactari, & suscipi posse.

Sed & Neotericorum doctissimi alii, talem vulgi stupidam credulitatem, stultorum medicorum errorem, & agyrtarum vafriciem minimè ferentes, vanissimum hoc esse, & ab omni medicinæ legitima prognosi exterminandum latè & optimè suadent, quod tanti fecit clarissimus Doctor Daniel Sennertus, ob admirabilem scientiæ raritatem *homo novus in terris* dictus, ut facundissimis, ac disertissimis suis scriptis non

15. semel, sed sæpiùs hujus rei meminerit. *lib.* 4. *praxis p.* 2. *sect.* 5. *cap.* 1. ait superiorum, & modernorum medicorum fuisse inventum, qui ne indocti viderentur, ea, quæ in artis potestate non sunt, jactant & pollicentur; quorum culpâ accidit, ut vulgus vera ea existimet, quæ meræ fabulæ sunt; quare *lib. de chymicor. consensu cap.* 17. Paracelsicorum odibilem hunc errorem (sic eum appellat) satis reprobat, qui per urinas sexum, imprægnationem, masculum, vel fæminam, imò quidquid prosperum, aut adversum in valetudine accidere posset, tanquam in speculo deprehendi posse affirmabant. In *instit. sect.* 3. *lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. de hoc urumantium abusu multa

pro-

profert lectu digna, quos ait artem arte deludere, & mundum qui vult decipi, sed delusum apud animum procul dubio salse irrident: à quorum instituto verus medicus quàm alienissimus esse debet, est quippe inanis opera de urinarum fallacia pluribus agere, & inane magis quidquid ex earum qualitate deprehendendum nobis nonnulli auctores promittunt; *Non minùs enim quis* (inquit Paulus Zacchias *lib.* 1. *quæst. med. leg. tit.* 3. *quæst.* 2.) *ex urinis prægnantem esse mulierem cognoscet, quàm si ex eisdem intimas atque occultas ejusdem mulieris cogitationes expiscari velit; & deridendi sunt tanquam falsi impostores, audaces illi ac omninò imperiti medici* (*semper enim ignorantiam impudentia & audacia comitantur, Hippocrate teste lib. de lege*) *qui ex urinæ solius inspectione tale quid se conjicere jactant; quibus tamen insciis si urinas virorum aut brutorum inspiciendas exhibeas, prægnantiam in viris, aut brutis adesse judicabunt.* Pluresque alios auctores affert, qui hanc impossibilitatem confirmant, ut luculenter etiam facit Joubertus *lib.* 3. *error. popular. cap.* 3. Salvianus *de urinis lib.* 2. *cap.* 8. Fortun. Fidelis *de relat. med. cap.* 4. præter quos idem asserunt August. Thonerus *lib.* 4. *epist.* 21. qui fatetur, se decies in propria uxore, quæ toties imprægnata est, hæc signa quæsivisse, sed invenisse nunquam: de Berendenio verò sui temporis medico, ac quòd in simplicioribus circumveniendis callidissimus extitisset, celebri habito uromanti, refert, quòd cùm ex urina cujusdam nobilis fœminæ gravidationem penitùs nullam adesse affirmâsset, tamen paucis transactis mensibus filium pepererit: alias etiam non minus jocosas quàm ridiculas addit historias aliorum medicorum, qui gravidas pro hydropicis tractârunt, ac in gravidatione ex urina judicandâ omninò hallucinati sunt. Prædictos sequitur Æmilius Campolongus *de affect. uteri cap.* 2. *de uteri hydrope*, qui ait impostorum non medicorum esse, ex lotio velle conceptum judicare, Gordonius *tract. de urinis cap.* 3. Felix Platerus *centu. posthu. quæst. med. quæst.* 69. ubi pravam hanc vulgarium opinionem acerbè reprehendit, optatque ut res eò redeat, ut vulgus desinat medicis tam importuna offerre, & medici imperito vulgo non tam facilè conveniant, & morem gerant. *Mercurialis*, alter Italus Hippocrates, *in lib. de la commare cap.* 10. omninò medico indignum existimat, ut tale quid agnoscere præsumat, & jactare audeat.

6.

Infinitum esset si quotquot hanc temeritatem damnant & in hos balatrones, & nullius pretii medicos rigorose feruntur, numerare velimus, quorum dementiam ut in multis aliis, sic in prædicendo per urinam conceptu arguit *Mindererus*, ac potiùs deplorat *cap.* 11. *suæ threnodiæ*, cùm nullus, an fœtus in utero sit, per urinam monstrare possit, ut adversùs *Avicennam* nuper probavit Jacob. Primerosius *lib.* 2. *de erroribus vulgi cap.* 2. *Ineptiunt quippe* (ait ille) *qui ex urinis tam facilè divinare posse profitentur.* Quorum mendacia perbellè detegit & deprehendit Sanctor Sanctorius *lib.* 1. *meth. vitand. error. cap.* 28. nullosque elegantes medicos ait vidisse, qui prægnantem ex urina dignosci posse defenderint: ita & quàmplurimi alii existimârunt, ut Joan. Lebon. *tract. de puerper. therapia*, qui impostorum non medicorum esse dicit gravidationem ex urina velle adipisci, cùm incerta sint talia auguria: eodem modo Alex. Benedictus *lib.* 25. *cap.* 20. Langius *tom.* 1. *epist.* 39. *in fine* adversùs urumantes, qui sterilitatis aut fœturę cognitionem ex lotio divinare student, cùm potiùs turpiter nugari videantur: irritus quippe est hic labor, & delirantium veluti somnium, atque ideò jactantium stupendam hanc insaniam severè reprehendit Gilbertus Anglicus *cap. de quartana*, apud Herculanum citat. *tract.* 2. *de feb. cap.* 65. quo loco inscios quosdam loquaces Lombardos medicos tanquam illusores damnat, qui cùm multa promittant, pauca cognoscunt; confirmat ibidem *Ricard.* doctissimus & expertissimus medicus & contra garrulos in judicio urinarum gloriosos, in multiloquio facundos, in ratione exiles, disertissimè insurgit, quos ait metam arroganter excedere, & propriis inventis doctrinam variare, testaturque Deum & numina cœli, se nullâ curâ aut arte mulieris conceptum per urinam deprehendere unquam potuisse, cùm fallax sit nuntius, & æquivocus. Sed & horum opinionibus omnium postremus calculum addit Zacutus *lib.* 3. *de princip. hist. quæst.* 28. prædictis omnibus libenter hâc parte subscribens, & adversùs divinatores illos medicastros malè feriatos, qui perfrictâ fronte, imò temeritate quâdam ex putido lotio de gravidatione certi aliquid præsagiri posse contendunt *lib.* 2. *de prax. miranda obs.* 139. & 147. fertur, illosque rigidè insectatur, ac tandem exemplo confirmat cujusdam experimentatoris empiriri, qui propriam uxorem in utero habere certò ex urinæ signis cognovisse inflatis buccis prædicabat, quem tamen eventus fefellit; sicuti studiosum alium medicum, de quo

17.

18.

obs. 139. *citat.* qui gravidam uxorem ex lotii signis minimè gravidam esse constanter asserebat; quid plura? idem prædicta omnia signa, quæ de conceptu afferuntur, & experimenta irrita, infida, incerta, & prorsùs nulla esse concludit: quod ad unum fatentur omnes qui de hac difficultate scripserunt, inter quos etiam numerandus Joan. Bened. Sinibaldus *lib.* 10. *geneanthrop. tract.* 3. *cap.* 1. qui quoties ex urina circà conceptum judicium ferre invitabatur, disertissimè respondere solebat, se ad tantam artis perfectionem & excellentiam nondum devenisse; nam & Aristoteles 7. *de hist. animal. cap.* 4. conceptum deprehendere difficillimum judicavit: quippe ventris tumor & mensium retentio plures decepit, cùm in hydropem flatuosúmve alium tumorem sæpè desinant, & aliquando in matricis aut alterius partis apostema, ut eleganti historiâ probat Actuarius *lib.* 2. *de provident. urinarum cap.* 12. cui similem aliam narrat Diomedes Cornarius *in suis histor. admirandis* de impostore, qui nobilem virum decepit prolis cupidū, cui ex lotio uxoris conceptum prędixerat, quam tamen posteà ex hydrope mortuam aperiri fecit; ubi & nebulonis dolum, suam inscitiam ac stupidā credulitatem agnovit, cùm anteà docto alii medico fallaciam atque impostoris fraudem suadenti annuere recusâsset, imò propterea odibilem habuisset. Præterea lac in mammis non omninò certum est signum, quia ex mensium defectu aliquando accidit, ut 5. *aph.* 39. docuit *Hippocrates*, & in virginibus, & aliis virum non expertis, imò in hominibus conspectum est, ut *quæst.* 47. dicebamus: sine menstruis etiam conceperunt aliquæ, de quibus ego jam quatuor novi, quarum altera, quę quinque jam filios pepererat, semel tantùm paucum sanguinem vidisse ajebat, cùm per scalas aliquando descendisset: deinde menstrua toto novennio fluentia non paucæ gravidæ expertæ sunt; eodem modo de maculis de pica, de cæteris signis, & experimentis putandum est; sunt enim hæc plerumque merè fabulosa, & nullius veritatis, illa incerta, & non rarò fraudulenta.

19.

20.

Quid igitur de urina dicendum, de qua Galenus 1. *de Cris.* inquit, signum tantùm esse eorum, quæ fiunt in hepate, venis, & urinæ viis; unde affectiones uteri, præsertim quæ sine febre sunt, non habet unde possit significare: deinde conceptus per se urinam non potest immutare, sed ratione retentionis mensium; quare si cui menses ex alia occasione supprimantur, eadem signa erunt, quæ in gravidis, præterquàm quòd idem *Avicenna* ex uteri inflammatione similes urinas prodire atque ex conceptu tradit; quod etiam falsum est, cùm uteri inflammatio propter ingentem caliditatem vasa urinæ, quæ circumcircà decurrunt, & illi incumbunt maximè alterare possit, & urinam inflammare, ob illius potissimùm retentionem, quam parit; quarè multò adhuc intensior quàm in prægnantibus apparet, quarum albam & claram dicit esse, & tantùm in fine gravidationis rubram. Sed quomodocumque sit, quod ille de uteri inflammatione ait, urinas habere prægnantibus similes, per plures alios affectus ejusmodi similitudo tam in gravidis, quàm in non gravidis visitur; nullus quippe invenietur matularum Delius natator, qui lynceis oculis peculiarem aliquam urinæ differentiam in gravidis disjudicet, quin & in aliis fœminis, viris etiam, tam in morbosis, quàm sanis, consimiles inveniri possint; & sicuti in gravidis per alias affectiones mutari possunt, sic in non gravidis ad illas, quæ illarum esse dicuntur, propter alias dispositiones pervenire: nulla quippe ullius affectionis naturalis, aut præternaturalis urinæ differentia est, quæ necessariò ac semper eodem modo permanere videatur, cùm ratione ætatis, potûs, exercitii, & accidentium aliorum innumerabilibus alterationibus infinitas mutationes suscipiat; tantùm verò de illis partibus per quas transit indicium aliquod exhibere valet, ut 4. *aph.* 77. dicebat *Galenus*, ubi sic: *Cùm enim ex venis urina veniat, in renibus percolletur, in vesica verò aggregetur, quidquid in eis præter naturam fuerit, aut venas, aut renes, aut vesicam malè se habere indicabit*: quod 1. *prorrh.* 2. iterùm repetit: *Urinæ partium hepatis, renumq; & vesicæ affectiones indicant, vasorumq; sanguinem continentium tum robur, tum imbecillitatem.* Quare *lib.* 2. *prognost.* 25. de aliis omnibus minimè indicare apertè dicebat: *Non indicat* (inquit) *in morbis, qui sine febre affligunt, aut in cerebro, aut membranis, aut thorace, aut pulmone.* Sic de reliquis partibus dicendum est, cum quibus nullum habet commercium: undè *Sanctorius* citatus imperitiæ illos accusat, qui de illis, quæ in utero sunt, signum ex ea quærunt, cùm nullum signum partem affectam ostendere possit, nisi ab actione illius aut exeunti sumatur, id est à propriis excrementis, quod de urina respectu uteri dici non potest: quare optimo jure omnia illa in prægnantium urinis adducta de arenulis, cotto, & aliis meritò rejicit; & ideò *Lupeus* præter rationem dicta

21.

22.

23.

cta esse, & ab ignavis medicis credi ait; est quippe talis ostentatio ignorantiæ asylum, fundamentum nullum habens, & aucupandi lucri, inanisque gloriæ captandæ supervacaneum inventum. Nec aliter sentiunt plerique auctorum, qui prædicta ex *Avicenna* signa scriptis suis adduxerunt; omnes enim ex rancidis Arabum figmentis transtulerunt, ne in recensendis signis ab aliis traditis deficere viderentur, minimè tamen fidem præstantes: ità *Mercatus* fatetur, qui postquam omnia illa numeravit, statim intulit; *Hæc autem scripta sunt ne huic tractationi quid deësse videatur, quæ cautè peritus medicus, & non nisi sub dubio pronuntiare tenetur, ne risum temerariâ pronuntiatione moveat.* Nam & *Varandeus* quâ ratione illa fulciantur difficulter assignari posse statuit. *Savanarola* postquam in causa reddenda coloris, cotti, granulorum, multum defatigatur, omnia eodem modo in mola fieri posse concludit; quin ad sophistam loqui ait, quasi dicat, ad illos, qui fallacibus conclusionibus inanem quandam sapientiæ speciem ostentant, ut optimè *Suidas*: sophistæ, qui eloquentiam profitentur, & in verbis fallacibus calumniantur: de quibus *Plato* dixit quòd velut venatores parati sunt ad capiendos juvenum animos; quia fictam quandam sapientiæ ostentationem jactant, & ut 10. *ethicorum* dicebat *Aristoteles*, ostentationis, & quæstûs causâ philosophantur; ad hos igitur loqui ait *Savanarola*, non ad veritatis amatores & medicinæ peritos, qui illa pro nihilo accipiunt, adeò rationis sunt

24. expertia, & nullo fundamento innixa: furor enim est profectò furor, empyricos, in quorum etiam albo & medicos quosdam annumerandos censemus, ita conceptûs certitudinem animo agitare, & ab urinis prædicere, ut non vanâ conjecturâ, sed certâ potiri videantur, cum magnâ potius temeritate futurum puerperium (quod solus Deus novit) prodere audent; sed eventus illorum peritiæ dignam importat risionem: hinc (quod magis dolendum) illud evenit, ut desideratissima medicinæ

25. prognosis toto terrarum orbe evilescat, & sic in cæteris omnibus ridicula habeatur, Quare hæ prædictorum levissimæ vanitates, quæ auditu tantum fastidiunt, in nebulonum sinum meritò detrudendæ, & ubicumque se occasio prodat, coarguendæ sunt, & à recto medicorum judicio fustibus abigendæ; cùm multis, ut idem fatetur *Mercatus*, audaciâ & ignorantiâ deceptis, infamiæ, & turpitudinis causa fuerint: quod etiam doctis accidisse experimento cognovisse ait, cùm sint inchoati hominis notæ fallacissimæ, & quibus minimè credendum; quia, ut fatentur omnes, similes existunt iis, quæ menstruis deficientibus apparent, aut molam conceptis, vel aliter etiam ægrotantibus, & adhuc sanis, ut *rub.* 10. advertit idem *Savanarola*, unde multis errandi occasio extitit, ut apud Valeriol. *lib.* 1. *obs.* 1. & 10. videri potest, & apud alios, quos latè citat Zacutus 3. *de princip. hist. quæst.* 28. quemadmodum Papiæ in nobili fœmina *Marsilio de S. Sophia*, & *Petro de Tusignano* famosis medicis accidisse ait idem *Savanarola*; & in propria uxore *Abensoari* eodem modo decepto, qui illam gravidam minimè agnoscens catharticis purgavit, quem errorem ipse fatetur 2. *theis. tract.* 3. *cap.* 1. & *Saxonia* se pro mola in utero matris à medicis fuisse judicatum scribit *cap. de pleurit.* ut illius mater multis agitata medicamentis in periculum aborsûs devenisset, nisi Altissimi misericordia subvenisset. Similium aliarum deceptionum quàmplurimæ extant historiæ, quas adducere longum foret, præter illas quas ex *Cornario*, & *Zacuto* supra jam attulimus: alii enim nequidquam ignorâsse videntur, ut *Sennertus* dicebat, alii *Avicennæ* verbis nullo facto examine fidem temerè adhibentes, alii casu aliquo & eventu fortunæ decepti, ut *Botallus* vult, in tantam inscitiam devenerunt, ut quod impossibile est, & extra artis potestatem, assequi posse sperent.

Extollat igitur vulgus suos impostores, & his erroribus illorum mendacia fulciantur: boni medici officium sit hæc omnia parvi pendere, cùm quæ ex urina desumi possunt signa, & quousque pervenire possint ingenuè fateri debeant; populari verò inscitiæ, quæ ex illa conceptum, & impossibilia alia à medicis exoptat, in suo errore permittendum, ut hallucinentur, sicut medicastrix illa apud *Forestum* faciebat, quæ puerperium in lotio inspiciebat, cum perannosa & cæca esset; plurimi enim tam bardi sunt, ut ex sequentibus duabus historiis colligi potest. Primam adducit *Savanarola* *lib. de urinis cap.* 1. de illo, qui cum ex curru cecidisset, medicum adiit, cui urinam ostendens, illum calumniabatur, quòd in ipsa nec boves, nec currum animadvertisset.

Lib. 2. de incremento urinar. cap. 3.

26. Secundam refert *Forestus lib.* 2. *de incerto urinæ judicio cap.* 5. & ex eo *A Castro in medico politico lib.* 3. *cap.* 11. alterius villici, qui urinam medico tradens, postquam aliqua locutus est de dolore, quem uxor habebat, quærebat à medico ut per urinam ag-

nosceret ex qua causa doleret, qui cùm ex villici verbis argutâ quâdam animadversione ex casu laborare intelligeret, ac diceret, adhuc rogabat villicus, ut unde cecidisset, adderet, & cùm fortè per trabem, aut scalas medicus diceret, adhuc magis instabat, ut per quot scalas casum fecisset etiam proferret, sed cùm jam medicus à risu se continere non posset, hominis vesaniam admiratus, per duodecim inquit; quem rursus ut attentè inspiceret urinam, rogabat, plures enim apparere debere instabat; tunc medicus prout erat jocoso, & acuto ingenio, vultu composito, lubrica, inquit, & gelu compacta via est, fortè in itinere cecidisti, & aliquid urinæ effusum, quod cùm verum esse rusticus annueret, tunc medicus; reliquas scalas ibi quære, hîc plures non video. Alia ibidem & apud *Forestum* videri possunt, non minus salis & facetiæ continentia, & apud August. Thonerum citat. de quibus *Robertus de Fluctibus* suo de divinatione per urinam magno volumine egit, quem per otium videre ne pigeat.

Nulla itaque fides illis adhibenda est, qui similes urinas in prægnantibus sæpius observasse ajunt, ut nobis tradunt *Ioan. Falcon*, & *Fontecha*, qui per eas prædicendo nunquam deceptum fuisse jactatur; quæ si non meræ nugæ, inutilis certè, & evanidæ arrogantiæ chimæræ sunt, quæ somniatoribus agyrtis magis conducunt, dum stultum populum ex lotio quidvis ariolantes in admirationem trahere, & emungere student; ni malis logiatros etiam quosdam medicos, ut fœminis prolem anxiè desiderantibus complaceant, futili hoc mendaciolo illas in optatam spem erigere, ut adapertis masurpiis liberaliùs tantæ felicitatis augures remunerentur; certè Imperatore Vespasiano non minus avari, ac lucrandi cupidi quibus cum illo communis illa vox esse videtur, *Lucri bonus odor ex re qualibet*: factum enim, ut quò quis in dolis inferendis promptior extiterit, eò plebi evaserit gratior, imo etiam habeatur doctior, ut meritò cum Ovidio 6. *metamorph.* jam exclamandum sit,

27.

Pro superi! quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent, ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius, laudemq; à crimine sumit.

28. Et quod magis mirandum est; hujusmodi impostores in Principum aulis foventur, nutriuntur, honoribus cumulantur, præmiis afficiuntur; adeò hâc parte infelicissimi sunt Principes, quibus nemo veritatem dicit, quandoquidem adulatoribus stipati, nil nisi blandimenta audiunt, & deceptionibus aluntur; quin & Magnates, licèt se delusos senserint, ullam in illos pœnam irrogant, ne se deceptos fuisse fateri cogantur; undè sceleratorum illa propago germinat, ut in aula excell. Ducis de Arcos, cuidam medico *Gascon* dicto evenit, de quo non solùm in Principis domo, & oppido, sed per totum Vandaliæ confinium maxima medici admiratio divulgabatur, quòd ex lotio prægnantes certissimè agnosceret, & prædiceret; quod verum esse, & magnis tantùm medicis cognitu prævium, alius illius comes *Fajardus* publicis scriptis Duci suadere conatus est; sed illorum putida mendacia, & fallacias mera esse figmenta, & impostorum nugas, Complutensis primarius professor *Matamoros* eidem Duci palàm fecit, epistolâ de hac re ad illum missâ, ne in tanto errore Princeps optimus versaretur, & fidem illorum fabulis & imposturis præstaret: quorum tandem divinationes per urinam, commenta, & fraudes, lepidâ idoli morionis historiâ, dextra manu matulam gerentis ante myropolium statuti, festivissimè notavit Langius *parte 2. epist.* 41.

29. sic enim medicos ridebat, qui ex urinæ tantùm fallacis judicio morborum naturam, & locum affectum discernere conarentur; *Dignum*, ait, *illorum foribus simile morionis idolum affigeretur*: quanto potius & illorum capitibus, qui & conceptum, & sexum pronunciare audent, rectiùs addi deberet, tanquàm horum lotio-physicorum meritissimus patronus, ut *cap.* 14. *noctium medicarum*, illud appellat *Freitagius*. Sed si ridiculum hoc simulachrum gestare recusant, hanc saltem *Leonardi Fuchsii* tabellam in ignorantiæ suæ templo appendant, ut inscitiam suam, & quanto in errore versentur, quotidiè legant, & resipiscant. Sic enim ille *lib.* 4. *inst. med. sect.* 3. *cap.* 1. *Reprehensionem merentur, magna nostri sæculi medicorum pars, qui nullum non morborum genus ex urina cognosci posse censent. Nisi enim perversam hanc, & risu dignam opinionem induissent, non ex urina, tanquam olim ex tripode, de singulis corporis malis respondere in animum induxissent. Valde autem inepti sunt, qui omnia ex urinæ inspectione prædicere conantur, ut scilicet inscitiam suam, aut veriùs stultitiam, hâc ratione omnibus planam faciant. Proindè qui pertinaciter hodie etiam sibi persuadent, nihil non ex lotii inspectione cognosci posse, adeoq; imperitæ multitudini hâc ratione spe lucri parum certè liberalis imponere in deliciis habent, ii certè digni sunt,*

ut novo etiam elogio ornentur, & non ut olim ab Aristophane σκατοφάγοι ; *hoc enim epitheto avaros & indoctos ille olim medicos dignatus est, sed potiùs* οὐροπόται *appellentur : & rectissimè etiam in hos torquebitur vulgò usitatum convitium.*

Stercus & urina medicorum fercula prima.

Quare eos, qui veritatis amantes sunt, artemq; sine ignominia exercere volunt, hortamur, ut legitimum inspiciendæ urinæ usum iterum introducere adnitantur, nec aliorum more ad sordidum quæstum uroscopiâ abutantur; quod facient, si ex illa tanquam ex tripode deinceps vaticinari desinant, & pro nota dumtaxat unica, & non quidem omnium, sed eorum quæ in jecore vasis, renibus, vesica sunt, malorum corporis utantur. Reliquos impostores, & stupidos asinos, qui pluris sordidum quæstum, quem quotidie ex lotii inspectione & divinatione cum summa ignominia faciunt, quàm veritatem ipsam æstimant, nihil moramur, ut pote quos ne Musæ quidem ipsæ, ut alicubi Galenus dixit, sanare possunt. Hæc *Fuchsius.*

QVÆSTIO QVINQVAGESIMA

Denegata edulia, quæ prægnantes appetunt, cur sæpiùs aborsûs causa? An hujusmodi appetitus sit matris, an fœtûs: & an etiam prægnantis imaginatio alicujus rei ardenter appetitæ stigma ejusdem rei fœtui imprimere valeat?

SEd quando ita cognitu difficilia sunt inchoati hominis indicia, facillima tamen incepti & jam efformati jactura, minimique casûs obstaculo superbi animantis vitæ prima illa rudimenta promptissimè cadunt, quandoquidem & lucernæ extinctæ fumus pluribus aborsûs causa fuit, ut 8. *de animal. hist. cap.* 24. primus docuit Aristoteles: hinc Plinius *lib. & cap.* 7. *Miseret* (inquit) *atque etiam pudet æstimare, quàm sit frivola animalium superbissimi origo, cùm plerumque aborsûs causa fiat lucernarum ab extinctu odor. His principiis nascuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem ejus existimas, sed partum: tu cujus semper in victoria est mens, tu qui te Deum credis aliquo successu tumens, tanti perire potuisti, atque etiam hodie minoris potes.* Quid mirum, si non jam facilè ruituram seminum compagem consideres, sed stabilis vitæ validissimum, ac firmum hominem, & viribus pollentem aspicias, hâc abjectissimâ de causâ extinctum; duos monachos ex extinctæ lucernæ fumo exanimatos, alium cervisiæ vapore scribit Forestus *lib.* 9. *obs.* 4. quoties ex improvissimis læditur, cadit, dejicitur, emoritur? Anacreontem poëtam uvæ acinus, Fabium Senatorem haustus in lacte pilus strangulârunt. Quot araneæ, aut viperæ levis ictulus sustulit, quot metus extinxit, pavor, ira & gaudium? ut non impunè ipsas quoque illecebras naturam dedisse videatur, & inter delicias mortis jura adhuc interponere voluerit; ut de Aureliano narrat Fulgosius *lib.* 9. qui eo die, quo Domitiani filiam in uxorem accepit ad joculatorum sonitum tamdiu jocatus est, quousque spiritum ibidem exhalaverit: quot inter loquendum, ambulandum prandendum subitò abducti? quot vilissima, ac minima res è vivis extrudit, noxia per imprudentiam devorata herbula, piscis, spina? ut de Tarquinio Prisco idem Fulgosius narrat; alios levis aura, aut nebula, quid hæc dicam: somnus, cibus, ut ipsa quoque vitæ subsidia vitam rapere videantur, cùm ingentem illam, quam præstant utilitatem compari damno commutent; quid majus? adhuc ipse risus, qui cum gaudio & tripudio semper incepit, cum luctu & vitâ aliquando finiri in Philemone, auctore *Maximo*, visum. Aliorum exempla vide apud ipsum *Textorem*, *Eborensem*, *Fulgosium* & alios.

Igitur si hæc in robustis, & firmis lacertis incedentibus, eveniunt, quanto facilius prima illa jactata hominis delineamenta, vel levissimè tacta, deleri atque perire poterunt, ut quâvis intemperie, aut animi pathemate, casu, aut tristi quandoque nuncio, vel successu, germinans hominis flos, vento quasi dissipatus, evanescat, ruatque cum immaturo fructu spes. Sed tandem hæc miseranda nostræ fragilitatis calamitas ex infelici quandoque intuitu non rarò accidit, visi, aut non visi, sed concu-

piti tantùm edulii, aliquando pessimi, ad cujus appetitum incauta prægnans nil tale cogitans obnixè fertur, ut nil in abortûs causis frequentiùs etiam apud vulgus audiatur. Itaque non solùm maciâ, quæ ciborum usualium immodicus appetitus, sed picâ, quæ depravatorum vitiosus & depravatus est, gravidæ nonnunquam laborant, de quibus horrendum dictu, quàm pessima ad varia appetant edulia, & extra communem alimenti desiderium perhorrida, & ab humanâ consuetudine devia ferantur: jam enim salem acsi fuisset saccharum aliquæ devorant; vidi monialem ex illius esu in hepatis inflammationem immedicabilem devenisse, ex qua periit: jam terram, & coctam olentemque cimoliam, quasi suavissimum conservæ frustulum avidissimè ingerunt; vidi & aliam, quæ 30. 40. & aliquando plura mala aurantia acida unicâ nocte esitabat: carbones mandunt aliæ, triticum, & cruda alia semina, ligna, vermes, terram, stupas, gypsum, calcem: novi tres pulchras virgines sorores, ejusdem parentis filias, omnes ex esu calcis intra triennium sublatas, quarum ultimam nec primæ, nec secundæ mors ab illius esu deterruit, sed ortis immedicabilibus affectionibus, & occultis obstructionibus, ventriculi, hepatis, cum aliis ex matricis complexu morbis, omnes interemptæ sunt, nec mediis ullis restitui potuerunt; quæ licet frequenter accidant, tanta tamen in picaceo affectu depravati appetitûs vis est, ut fœdiora alia avidè devorent, arenam, cineres, animalia viva. Nicol. *serm.* 5. *tract.* 4. *cap.* 36. de uxore Francisci Barberini scribit, quam in quadam imprægnatione viginti circiter piperis libras comedisse ait, nec tamen propterea aborsum fecit. *Trincavellus* de propria matre refert, crudos gammaros fluviales esitare consuevisse. Forestus *lib.* 8. *obs.* 7. novisse ait gravidas, quæ crudas anguillas ingerebant; aliam, quæ pellem ovillam cum lana. Stupenda (si vera) sunt, quæ de humanæ carnis gravidarum appetitu refert Langius *parte* 2. *epist.* 12. quibus similia sunt, quæ de aliis gravidis tradit Philippus *Salmuth. cent.* 1. *obs.* 41. cùm & proprias mariti carnes edere quædam appetivisset, in tantum charissimi alioquin desiderio victa, ut occidere non dubitaverit, & ad libitum refecta, reliquum sale condiderit in posterum; quæ ut magis credantur, facit alterius historia quam narrat Ludovicus Vives, *in comment. ad lib.* 27. *cap.* 26. *de civit. Dei*, ubi ait se vidisse gravidam, quæ morsum cervicis cujusdam juvenis avidè infixis dentibus appetivit, & aborsum pænè fecisset, ni momordisset. Similia alia duo exempla citatus Langius refert: nec sanè injucunda sunt duo alia à *Ioanne Rudolpho* adducta *cent.* 2. *memorab.* quæ modò omittimus. An verò eodem picaceo appetitu (quem in viris etiam aliquando inveniri concedit Galenus 1. *de simpth. causis cap.* 7.) Cambleta Lydiorum rex laboraverit, an insaniâ potius, dubitaverim; quem Rhodiginus *lib.* 7. *antiq. cap.* 11. narrat uxorem unicâ nocte devorâsse, ac mane facto, quòd inter spolia derelictam manum invenisset, resipiscens, semet jugulâsse: nam & insanientes cujusdam Minyæ filias eò furore percitas devenisse, ut humanis vesci carnibus appeterent *lib.* 7. *cap.* 2. idem tradit auctor, proindè proprios filios sortiebantur, ac Hippasum, quem petierat sors, Leusippam exhibuisse. In similem mentis, & appetitus excessum aliæ quoque devenerunt. Gaspar Bugatus *hist. suar. lib.* 6. ex quo Marcellus Donatus *lib.* 4. *cap.* 1. *med. hist.* de quadam Elisabetha scribunt, quæ Mediolani blanditiis pueros alliciens, atque in domum introducens necabat, ac sale conditos servabat, indiesque vescebatur, sed à fele detecta, quæ manum puellæ recenter ab ipsa enecatæ subreptam in vicinam domum asportabat, rotæ atque ignis tormento perempta, debitas luit pænas; qualiter & ista quæ maritum occidit, & devoravit, ad partum usque reservata, ut ipse Langius narrat: ut minus jam mirari subeat Mariam illam, quam Josephus *in bello Iudacio*, præ fame filium necâsse, & devorâsse commemorat.

4.

5.

6.

7. Quoad causas depravati hujus appetitus, non est cur immoremur, cùm ad quæstionem propositam pergamus, satis illas exposuit Galenus 5. *aph.* 61. *lib. etiam de definit. medicis* 5. *de locis* 6. ex professo verò & clarius multò 1. *de simpth. causis cap.* 7. Avicenna *lib.* 3. *fen.* 13. *tract.* 2. *cap.* 10. & apud plures alios auctores liquidò satis describuntur. Hos tamen urget magis, an similia, an contraria depravatis humoribus in ventriculo existentibus appetant; cui dubitationi pulchrè satisfacit *Vales.* 5. *contr.* 7. quidquid Capivaccius & alii statuant cum Horatio Augenio *tom.* 2. *lib.* 3. *epist. ultim.* Varia itaque pro humoris conditione ventriculum occupantis, appetunt; nam si adustus, carbonum fit appetitus & cineris, si melancholicus & acidus, acida; si idem citrà adustionem, terram, stupas, lanam, linum; si pituitosus aliquâ putredine re-

calescens aut bile commixtus, calcem, gypsum, salem; si acris ac mordax, piperis appetitum movet; itaque similia semper appetunt, quia dispositio illa quodammodo naturalis est, & non morbosa, quæ contraria prærequireret si talis foret: quæ opinio *Sennerto* probabilior videtur *lib.* 3. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 5. quamvis propter insignem rerum varietatem non immeritò & occultæ qualitatis aliquid hîc subesse putet.

Cæterùm cùm hæc primis præcipuè mensibus accidant, per totum tamen gestationis tempus indiscriminatim ad hoc aut illud edulii genus, sive boni, sive mali, visi aut odore percepti aut auditi, non raró tam avidè feruntur, ut si fruendi occasio non detur, mirum est quàm variè disturbentur, tristentur, irascantur, furant, & irrequieto pænè crucientur desiderio, cùm quiescere non possint, nec à concupito cibo animum avertere, sed defixâ in illum semper cogitatione exagitentur; imò mirum magis, ubi potiundi facultas datur, aspicere, quàm avidè & celeriter devorent, crudum, incoctum, impurum, nec ad ullam præparationem, si requiratur, tempus elargiantur, sed rabie velut percitæ in illum ferantur; cùm alioquin si fruendi non sit opportunitas in tantum jactentur, ut in aborsum, & immaturi fœtûs expulsionem miserè sæpiùs deveniant, de cujus commiserandi eventus causa modò inquirendum est.

Aliquibus placuit, ex molestia à dolore ventriculi illata, quòd appetitum non expleat, hujusmodi aborsum provenire: sed hæc sententia falsa apparet; quia licèt verum sit in fame, quæ naturalis est, sensationem ventriculi esse, & si cibum non capiat, tristem oboriri doloris sensum, ac tandem ad alimenti defectum inanitionem, ex qua convenienti alimoniâ privato fœtu aborsus sequi possit; tamen in casu argumenti propositi non est opus ut fames reperiatur, quia hîc non loquimur de fame quæ ex omni alimenti defectu utcumque provenit, sed de determinata cibi alicujus appetentia, quæ sine ullo alimenti defectu à gravidâ aliquando desideratur: hoc verò illi benè pastæ & absque ullo defectu alimoniæ, quo fœtus carere possit, sæpiùs accidere posse dubium non est, cùm sæpiùs post sufficientem cibi assumptionem ex nominato aut viso peculiari alio, illius desiderium & appetitus excitetur; ex qua causa possibile non est necessarium deficere, tam pro matre, quàm pro fœtu alendo: ergò ex ista causa nec ventriculi dolor, nec tristis sensatio, & multò minus aborsus sequi poterunt; quia ad appetitum illum movendum non præsupponitur, nec necessaria est ventriculi aliqua tristis sensatio, sed sufficit interni sensûs actus aliquis sine præcedenti aliqua ventriculi sensatione, quæ ad defectum augeatur, & molestiam exinde dolorémve accipiat; nec si acciperet, hoc sufficiens foret ad tantam motionem tam celeriter excitandam, & quia illius doloris exigua vis esse potest, & quia licèt major esset, ventriculi consensus cum utero nullus; nam licèt ventriculus ex utero patiatur, dum pravos vapores ab ipso suscepit, tamen econtrà vterus ab ipso multò minùs læditur, & solùm sicuti cæteræ partes communem ab ipso alimoniam expectat, undè non ita facilè à levibus illius noxis offendi potest.

Dicimus ergò nullam aliam hujus eventus causam assignari posse, nisi animi passionem: quantum verò, & quàm potenter animi affectus corpus moveant, alterent, humoresque & spiritus hinc indè transferant & revocent, nec hoc tantùm, sed ægritudines pariant, & mortes non rarò repentinas inducant, conspicuum est & in medicorum historicorumque libris protritum, atque inculcatum sæpius. Quot lætitia, gaudium, timor, tristitia sustulerint, vanum est nec facile numerare, cùm sint ista nemini non nota; & adhuc ipse furor & ira, quidquid *lib.* 2. *de causis sympt. cap.* 5. negaverit *Galenus*: quippe contrarium innumeri attestantur auctores, ut Valeriola *lib.* 5. *de sympt. cap.* 5. Dubravius *lib.* 2. *hist. Bohemicæ*, Cardanus *in consil. pro Cardinali Marono fol. mihi* 723. Horstius *lib.* 3. *epist. sect.* 12. *epist.* 1. Castrensis *lib.* 3. *de meteor. microc. cap.* 3. quod verum esse infinita ostendunt exempla apud Valerium Maximum *lib.* 9. Plinium *lib.* 7. *cap.* 32. & 57. Conrad. Lycosthenem *lib.* 14. præter quos *Sextus Aurel. Victor* i[illegible] interemptum fuisse Nervam Imperatorem narrat. Vencesłaum Bohemiæ Regem eodem modo sublatum scribit Dubravius *lib.* 2. *hist. ejusdem regni*. De Petro & Joanne fratribus, & Hispaniæ Principibus, in pugna adversùs Mauritanos eodem animi pathemate extinctos, Petrus Mexia *cap.* 38. *variar. lect.* de altero homine ex irâ mortuo aliud exemplum ex Joanne Matthæo affert Sennertus *lib.* 5. *praxis part.* 4. *cap.* 3. *propè finem.* Sunt enim passionum animi effectus ratissimi & potentissimi, de quibus vide Marcellum Donatum *lib.* 3. *cap.* 13. & iræ potissimum,

quâ

quâ aliquando Eglus Samius luctator commotus, quòd luctæ præmium & honorem illi surripere vellent, loquelam recepit, cùm anteà mutus esset, eodem Marcello Donato narrante ex Val. Max. *lib.* 1. *cap.* 8.

10. Cùm itaque in benè valentibus & robustis hujusmodi multa accidant, quantò faciliùs in fœmineo sexu molli ac delicato, & adhuc faciliùs in gravida, præ mollitie & onere promptissimè succumbente evenient? ut à tenebris, solitudine, tristi nuntio, tonitruis, terræmotu, bombardarum sonitu, & hujusmodi aliis, quæ animum illarum interturbare possunt, diligentissimè custodiendas ac avertendas esse meritò consulant. Itaque in præsenti casu, ubi concupito alimento frui non datur, duo potissimùm animi affectus illas exercent; qui si supra modum augeantur, permaneant, molestent, nec rationali appetitu, qui cæteris imperat, naturalem superare ac evincere valeant, in fœtûs perniciem, & immaturam exclusionem facillimè desinunt: sunt autem ij ira præsertim & tristitia; nam ex non potito desiderio primùm irascuntur, furunt, & concupitum edulium assiduè imaginando perpetuò obvolvunt, quin ob illius privationem ardentiùs appetunt, internâque hepatis rabie cruciantur; mox tristitia ob eandem causam obrepit, & quòd sæpiùs ex eadem aborsum sequi audierint, timor circumstat, ac præterea, nisi mentis prudenti judicio ista contemnant, negligant, & validè obsistant, facilè animo linquuntur, & defixâ imaginatione cæteris animi passionibus disturbantur, unaque ad cor, hepar, & principes alias partes retractis spiritibus & humoribus, ab eisdem destitutus tenerrimus fœtus, emoritur extemplò, & debilitatus uterus, atque ideò continere non valens, sanguinem primùm, utpotè fluidum, & mox fœturam laxat, retentrice non ampliùs operam suam præstare valente: sic ira concitat ac turbat corpus, biliosos humores effrænat, cordis latera concutit, sanguinem juxtà ipsum fervere ac ebullire facit, & succos omnes incompositè movet.

11. Diverso modo idem præstat timor, tristitia, metus, solicitudo, curæ, & aliæ imaginationes, in quibus ad corporis arcem convolantibus spiritibus & sanguine frigescunt viscera, sanguinis distributio impeditur: hinc sequitur melancholia, partim exhaustis, partim obtenebratis præ mœrore ad cor spiritibus, qui conculcato calore debiles fiunt; quæ ubi accidunt, jam fœtus retineri non potest, sed velocissimè contabescit, extenuatur, perit, ac velut novus frutex deficiente alimento marcescit, ac statim ejicitur: hæc enim animi defectiones, timor, ira, & aliæ passiones ingeminant, ut 2. *de caus. sympt.* 5. Galen. scripsit, & aborsum facere 5. *aph.* 45. clarè docuit, & prius Hippocrat. 1. *de morbis mul.* quos tam ex Arabum familia, quàm cæterorum auctorum turba nullo repugnante secuta est.

12. Quantùm enim in animi affectibus generationis membra compatiantur, & non minus imaginationis vi obediant, satis demonstrat pulchri objecti consideratio, ad quam genitalia statim calefiunt & moventur: & quemadmodum ex tali pulchri objecti consideratione, ad quam sequitur gaudium, & genitalium concalefactio, ex spiritibus & calore ad illas partes confluentibus, quibus roborantur & alterantur; ita ex ira, tristitiáve ob denegatum edulium, aut aliter, contrarium evenit, ut præ mœrore & inopia dissipatis spiritibus, & ad cor retractis, ab illis destitutus uterus langueat, collabatur, & unà fœtus non levem jacturam sentiat, simulque cum matre tristetur, & ad subitam uteri atoniam exanimetur; ut proinde languente jam retentrice, ipsomet pondere decidat.

13. Quærit Jachinus *probl.* 22. cur aliquibus, cùm maximo coëundi tenerentur desiderio, penis ne minimùm quidem arrigi potuit? Quod non alia ex causa evenire ait, quàm ob animi affectiones, quæ calidum ad aliam regionem evocant: ejusmodi, inquit, sunt timor, reverentia, ira, cupido modum excedentes; solent namque hæc calorem in aliam partem avocare, præcipuè ira, cupido (quod præterquàm quòd etiam facit timor, ex accidenti refrigerat) & calorem quem illæ partes ut intendantur requirunt, hebetant & imminuunt, quo destitutæ elanguescunt, & nullam operationem exequi valent: quod si hæc circà coitum accidunt, illud in gravidis aliquo animi affectu ex denegato edulio aut aliter contristatis, quæ passio multùm illas molestando afflixit, cur non etiam eveniet?

Quòd verò hujus eventûs hæc & non alia sit causa, & ad nil aliud quàm ad animi affectus reduci debeat, communiter auctores asserunt, Saxonia, *part.* 2. *suar. prælect. practicarum cap. de pica*, Augenius *tom.* 2. *epist. lib.* 3. *epist. ult*, Petrus Garcia *disput.* 76. *de locis affect. cap.* 3. Lemnius *de occultis lib.* 1. *cap.* 5. qui optimè sic ait: *Hujus non alia*

ra-

ratio excogitari posse videtur, quàm contracto mærore mulieris animo spiritus vitales imminui, atque humores fœtui alendo destinatos aliò averti, nec ad uterum deferri; sic ut infans alimento, quo illum mater expleri voluit, destitutus vel elanguescat, vel emoriatur: cùm enim meatus & conceptacula, per quæ derivari dirigiq; commeatus in uterum solent, occludantur, frustrari alimento infantem necesse est, ac vitâ privari; quòd si prægnans validæ sit naturæ, suisq; affectibus obsistere nôrit ac mederi, non omninò extingui sed valetudinarium esse infantem contingit. Sic etiam Vallesius 2. *epid. sect.* 3. *tract.* 25. vehementem animi motum ex appetentia rei alicujus quâ potiri non datur, aborsûs causam statuit: sic Peramatus *lib. de hominis procreat. in part. cap.* 17. & alii plures; quidquid aniles quasdam fabulas medici aliqui de hac re somnient.

14. Cùm igitur hæc ità sint, & funesti casus ex hâc causa non rarò accidant, non est cur cum aliquibus dubitemus, an prægnantium hujusmodi appetitus sint redarguendi, &, præcipuè si rerum fuerint quæ noxam aliquam afferre posse videantur denegandi; cum certum sit qualescumque licèt non optimi & laudabilis succi cibos saltem ad tempus illis concedendos, ne sequatur aborsus: tanti enim momenti hoc apud veteres etiam auctores fuit, ut antiquissimus Erotus *lib. de passionib. mulier. cap.* 5. (& cum eo ferè omnes, qui de mulierum morbis scripserunt, nec non ipsa vulgi opinio propter inopinatos eventus) in hæc verba proruperit: *Quando mulier incipit impregnari, cavendum est ne coràm ipsa nominetur quod non possit haberi; quia si postulaverit, & non detur ei, datur occasio abortiendi.* Quamobrem non præter rationem mihi facere videbuntur illi, qui minùs rigidi aliquibus, licèt aliquatenus aliena appetant, tamen indulgent, modò magnum detrimentum corpori non sint allatura; quòd si talia sint ut gravem noxam causare valeant, qualiter tunc depravatæ huic appetentiæ succurrendum sit, ac nocivarum rerum desideriis providendum, præter regularem curandi modũ, peculiaria quædam, quæ pro hoc affectu singularia sunt ac mirificè conducunt, apud auctores leguntur. Ipse Erotus illis, quæ argillam, cretam, aut carbones avidissimè ingerunt, fabas cum saccharo coctas propinare jubet. Augenius *part.* 2. *lib.* 3. *epist. ultima*, multa affert, sed portulacæ folia, succum, & semen à proprietate valere ait; quin & aliquando usu amygdalarum amararum & persicorum malaciam curâsse dixit, quindecim singulis diebus antè prandium exhibendo, ac desuper unciam semissem vini generosi propinando. Laudat etiam haleces salitos, rutam crudam, sinapis pulmentum, amylum, syrup. de limonibus, de absinth. & alia. Citri semina si per 40. dies sumantur vel sola, vel saccharo incrustata multùm laudat Freitagius *in Aurora*, gravidamque à malacia liberare ait. Syrup. ex agresta paulisper exsiccata, & expresso succo cum rhodomellite mediocriter cocto paratum commendant alii: humorem è tenellis vitis foliis expressum, aut destillatum Sennertus. Aquam ex amputatis vitibus mense Majo emanantem Joannes Crato, Hollerius, Rudolphus, & plures alii maximè laudant: quòd si rebellis pica videatur, optimæ erunt pillulæ à Zacuto præscriptæ *lib.* 9. *praxis hist. cap.* 15. his enim & aliis gravidarum malacia medetur; pro qua legendus Fonseca *tom.* 1. *consul.* 94. quibus Mercurialis *lib. de arte gymnast. cap.* 5. vociferationem addit, & in prægnantium pica admodum prodesse ait. Quòd si alicujus cibi desiderio jam prematur gravida; nec illo frui ob illius rei defectum possibile appareat, & aborsûs indè periculum timeatur, tunc mulierum auxilia non omittenda, quæ in hoc casu aliquid mellis cum nucis muscatæ aut caryophyllorum pulvere exhibent; aut cum *Sennerto* destillatũ ex corticibus citri, arantiorum, & radice pæoniæ in vino malvatico manefactis parandum, de quo ex intervallis cochleare sumant; ad quem etiam finem Fontecha *lumin.* 2. *fol.* 74. ovum cum cumino probatissimum esse ait, aliaq; non contemnenda remedia affert, quæ apud illum videri possunt. Deinde quæ uterum, & fœtum corroborent non omittenda, tam per intus assumpta, quàm astringentibus unctionibus extrà applicitis, quemadmodùm pro aborsûs præcautione latè docent practicantes.

[Pr]ægnan[ti]um depravatis [a]ppetit[ui] quibus remediis [s]uccurrendum.

15. An verò hujusmodi prægnantium appetitus ad matrem an ad fœtum spectet ita ut hujus & non illius sit, dubium est à junioribus inventum; quibus forsan dubitandi ansam dedit *Galenus*, qui *lib. an animal sit quod in utero est*, probare nititur fœtum operâ naturæ exercere, non solùm quæ ad animam vegetativam pertinent, sed sensitivæ etiam munera obire, atque ideò non solùm vivere sentire, & esse animal, sed cæteras externorum sensuum operationes exercere, ut *cap.* 3. *ejusdem lib.* docet quòd instrumenta habeat ad illorum actiones ordinata; & ut de cæteris taceamus, idem de gustu tenet ut apertum: *Scimus*, inquit, *in uteris sæpè fœtus emori, cùm vitium per os* ad-

[P]rægnantium appetitus sitne matris, an fœtus?

adhibiti alimenti aversantes renuunt. Præterea fœtum in utero famem pati, atque animi pasiones sustinere non est dubium; ergò alimenti aliquid etiam desiderare poterit, ad cujus defectum tristetur, & anxiè ferat si non concedatur, undè inordinato motu acetabula rumpens aborsus sequatur. Tandem videtur hoc confirmare illud, quod sæpius expertum est, nimirum si grandiore jam fœtu, & debitum nascendi tempus æquante, tunc ex dicta causa contingat aborsus, observatum, inquam, est, lactis suctionem abhorrere, nec antea sugere, nisi succo illius rei cujus fuit appe titus, os, lingua, aut palatum illinatur; ex quo evidens sumitur argumentum, desiderium illud fœtûs extitisse, non matris: nec obstat quod aliqui dicant remedia in hoc casu applicari matri, non fœtui; nam præterquàm quòd fœtui aliter administrari non possunt, sive intra sive extra ex quacumque causa debent matri & utero apponi; quia in omni aborsûs causa ruptionis periculo in acetabulis providendum: quare semper optimum est corroborare, & astringere uteri partes, ut sic melius resistant.

17. Sed his non obstantibus, meritò hæc opinio ob omnibus ferè rejicitur; quia si antequàm embryo animâ informetur, ex eadem causa contingat aborsus, quo tempore adhuc sentire non potest, nec refectionem appetere, aut sine sensu sensationem edere potentem, vel matri localem facere (sine quibus aborsus provenire non potest) & multò minus appetitu uti cum omni sensu careat & animâ, ergò si hæc antequam eâ potiatur accidunt, cur non etiam postea, licèt animatus jam sit? Rursum licèt appetitus in ore ventriculi potissimum vigeat, tamen hujus aut illius determinatio ad judicium spectat; & licèt ab illa dispositione quæ stomachum occupat oriri posit, actum tamen determinatum elicere non potest, nisi mens ipsa declaret perceptam sensationem; & licèt primum in fœtu concedatur, secundum quomodò poterit concedi? quippe nullius entis nulla est notitia, & cùm nulla species alicujus rei reservetur in sensu fœtûs; unde ergò illa adveniet, ut hunc aut illum expetat cibum, quem nunquam vidit, audivit, aut gustavit? & quamvis sufficere videatur dispositio illa naturalis, quæ ad partem animæ naturalem spectat, ut congruentem pro concupito cibo modificationem imprimere valeat, ut sic detrimentosum cibum naturaliter expetat; tamen ut tristetur sufficere non potest, quia hoc ad sensitivam pertinet, nec solum ad illam, quia ut ex defectu laboret & tristetur, alicujus rei determinatæ phantasiæ repræsentantis actionem requirit; alioquin illa sensatio citò desineret esse, quia cùm non pendeat ex defectu utcumque, qui naturaliter perseverare debebat, quoad inanitio illa suppleretur, sed sine ulla inanitione ex determinato prodeat, subsistere non potest, nisi ab imaginatione sæpius objiciatur: sicuti enim in his, quæ ad appetitum sensitivum spectant, aliquid odio haberi non potest sine præcedente cognitione; sic nec aliquid conveniens aut delectabile appeti.

Ultimò, si fœtus tantam desideraret, quomodo aut per quam actionem appetitus ille ad matrem pervenire poterat, ut mater illum referret? nullus enim excogitari potest modus, quâ mater cognoscat appetitum alterius suppositi non loquentis, nec alio signo ostendentis, cùm aliud sensibile non detur unius ad alterum; cùm neque à matre species interna producere posit aliam in sensu pueri, quàm ille servare posit. Nec obstat dicere quòd naturalis illa dispositio, ex qua tale desiderium hujus aut illius alimenti oritur, dum perseverat in fœtu sufficiens sit, ut dum permanet, determinati quoque alimenti appetitus inveniatur; hoc, inquam, nil convincit, quia difficulter credi potest quare talis dispositio vel semel devorato illo cibo prorsùs evanescat; debebat enim ulteriùs recurrere, & iterum ad sui desiderium movere, alioquin semper appetitus contrariorum fuisset, & tam facilè mobilis illa qualitas, quæ illum movebat, ut vel ad levem fruitionem illius alimenti quiescat, & extinguatur: constat enim aliquas prægnantes cùm vel solùm in potestate habuissent illud quod antè appetebant, adhuc sine fruitione ab appetitu quievisse, nec amplius de eo explendo multum elaborâsse. Deindè appetitus ille plerumque ab externo evenit, ab audito, aut odore percepto cibo; undè colligitur causam naturalem internam non requirere in fœtu, sed à matris desiderio, gustu, imaginatione, aut odore, ut conveniens ac delectabile imaginari; aut ab objecto, quod visui vel auditui occurrit, primò phantasiam, secundò appetitum excitari, nil ad hoc fœtu præstante, sed bene ad denegati alimenti laboriosas affectiones concurrente & compatiente.

18. Patet igitur ex his appetitum esse matris non fœtûs, ipsa enim mulier est quæ asserit

rit se appetere, ipsa quæ vidit, aut odorem percepit, aut alimentum nominari audivit, & illud primum tanquàm conveniens judicavit, ad quod statim tanquam ad utile & jucundum appetitus motus est. Conspicuum hoc erit, si ea quæ contrà adducta sunt solvantur: dicimus quippe ad *Galenum*, illum prædicto loco *Epicuri* & *Democriti* placitum secutum fuisse, qui referente Plutarcho *lib.* 5. *de placit. philosophor.* fœtum in utero per os alimentum assumere dicebant, quod *lib. de carnib.* etiam *Hippocrates* dixit; constat tamen illorum assertum prorsùs esse falsum, cùm contrarium doceat idem Hippocrates *libello de alimento*, ubi manifestè per umbilicum nutriri docet; quin & *lib. de nat. pueri*, & *lib. de octim. partu*, tam aërem quàm alimentum per umbilicum sumere testatur; ut meritò locus ille ex *lib. de carnib.* suspectus habeatur, & tanquam spurius ab omnibus expungatur. Materno itaque tantum sanguine per vasa umbilicalia suscepto nutritur infans: unde etiam aliud argumentum patet, stomachum scilicet toto novennio feriari, nec usum concoquendi nec appetendi habere; quia præter tertiam coctionem, quâ sanguinem per umbilicum attractum commutat, & similem sibi reddit, ut ex illo perfectè nutriri possit, nulla alia coctio nec in hepate, & multò minus in ventriculo perficitur, ut latiùs probat Laurentius *lib.* 8. *anat. cap.* 6. & *quæst.* 23. *&* 24. ubi exactè hoc verum esse ostendit.

Tandem ad argumentum superius adductum de illo, quod in aliquibus infantibus observatum est, qui non anteà lac sugere potuerunt, nisi labia & os desideratæ rei succo prius proluerentur, unde non matris sed fœtûs appetitum fuisse manifestè colligi autumant; dupliciter respondemus: primò, non videri impossibile quamvis ad concupiscibilem matris illa passio pertineat, ad illud tamen opus fœtum concurrere saltem passivè, non aliquid appetendo, sed ex matris affectione aliquid pathematis sustinendo, cùm illius humoribus nutriatur, eâdem sanguinariâ massâ utatur, & ex ea constet; ac propterea illius assentiri passionibus tanquam aliquid illi alligatum, cujus spiritibus & aëre refocillatur, & respirat; ut sic suæ radicis congaudeat delectamentis, aut nocumentis afficiatur: etenim tot suscipere beneficia scribit Galenus 3. *de morb. vul. com.* 3. & *lib. de fœtûs format. lib.* 2. *de semine* 5. *aph.* 60. 15. *de usu part. cap.* 5. & 4. *aph.* 1. quo loco tradit fœtum connexum ad uterum eandem habere proportionem quàm fructus ad plantas; quam sententiam confirmat 11. *de simpl.* & *de fœtûs format. cap.* 3. ubi adversùs aliquos docet nec pulsus, nec arteriarum usum in fœtu necessarium esse. Et quamvis hæc doctrina aliquibus junioribus non placeat, cùm aliter fœtum propriis arteriis & respiratione aërem attrahere probent, ut luculenter fecit Gregorius Nymmanus *tract. de vitâ fœtûs in utero*, & Fabricius Hildanus aliique statuerunt: tamen licèt per proprias arterias aërem susceptet, aut transpiratione vivere possit, à matre tam in alimento, quàm in cordis refrigerio plurimùm adjuvari non est dubium; quare non est cur miremur passiones esse utrique communes, tam illorum, quæ per usum delectent, quàm per defectum noxam inferant; ut hinc degustatâ à matre re aliquâ ardenter expetitâ, fœtus quoque delectetur & alacriùs se gerat, & ab aborsûs periculo liberetur, non amplius à matris imaginatione & tristitia distractis ac consumptis spiritibus, qui ex vehementi desiderio aliundè trahebantur, cùm non ulteriùs in tali appetitu perseveret; aut econtrà si illo non fruatur, matris quoque mœroris & doloris particeps fiat, & adauctâ affectione necessariis destitutus debilis reddatur, & retentrice uteri labefactatâ, laxatisque ligamentis & cotylidonibus excidat; & si maturum jam perfectionis suæ & nascendi tempus assequatur, nutricis ubera respuat, aut minus valenter sugat, nisi odore aut sapore desideratæ anteà à matre rei recreetur, novasque vires assumat, cùm fuerit hæc potissima causa & occasio, si non illius propria, saltem matris, à cujus spiritibus & humoribus naturalem ejusdem dispositionis & appetentiæ modificationem accipit: hinc enim meritò infert *Fienus*, inter fœtum & matrem sympathiam quandam inveniri, quâ invicem mutuas affectiones patiantur. Quòd si hæc severioris Philosophiæ cultoribus non arrident, cùm dicant ex matris appetitu aut mœrore nil variari humores posse, sed eodem modo manere citrà aliquam mutationem; hoc præterquàm quòd non est facile probare cùm occultos naturæ motus nemo exactè noverit, multa enim in corporibus accidunt, quorum ratio nobis ignota aut non satis manifesta apparet,

19.

20.

ret, nil obstat; saltem enim sympathiam aliquam inter fœtum & matrem intercedere concedendum erit, cujus ratione ad invicem compatiantur. Quòd si dicta non placent, forsan casu illud evenit, ut succus illius rei, quæ ori admovetur ad appetentiam movendam, proportionalem habeat vim ad causam ex qua fastidium oriebatur amovendam, cum alia fuerit ab illa, quæ communiter credebatur, ut doctissimo *Petro Garcia* in præsenti dubitatione visum est.

21. *Matris imaginatio an fœtum signare possit.* Venit etiam hoc loco tractanda difficillima quæstio de imaginationis vi, saltem in prægnantibus inquantum ad fœtuam spectat; & illud præsertim inquirendum, an fœtui prægnans vehementi aliquâ apprehensâ imaginatione ejusdem imaginatæ rei stigma aut signum imprimere valeat? Innumera certè ac pænè delirantium fuerunt auctorum judicia, quæ circà imaginationis vires illius potentiæ attributa sunt; parum quibusdam visum est in proprio imaginantis corpore admiranda multa & pænè incredibilia ab ipsa causari, externa & aliena alterare & movere posse plurimi (Avicennâ duce *lib. de animal. sect.* 4. *cap.* 4.) constanter affirmârunt; ità credidit ille imaginationis viribus alium hominem equo insidentem, quamvis distantem, dejici posse & in terram præcipitari, tempestates moveri & terræ motus, in nubibus similes bombardarum strepitus excitari, tonitruis & fulminibus; & ne ulla temeraria opinio sine patrono & tutoribus fuisset, in tantam mentis alienationem venerunt *Algazel*, *Albertus* (minimè hac parte) *Magnus*, *Ficinus*, *Paracelsus*, *Pomponatius*, & *Montanus*, ut tam innorme mendacium confirmare non dubitaverint.

22. Sed ne hoc parum videretur, ad alia non minus stupenda illius imperium extollunt, & salutis quoque arbitrium concedunt, ajuntque ægritudines causare, & ad sanitatem reducere pro arbitrio posse; quemadmodum in illo, qui teste *D. Augustino* quoties volebat paralyticus fiebat, posteà ad sanitatem, cum placeret, redibat, tanquam morbum & salutem per nugas commutare valuisset: nec hujus solum alternationis capacem judicant, sed vitæ quoque dominium imaginationi alligant, ut illam possit auferre, si intentè & obnixè causam aliquam moriendi aliquis percipiat. Hinc afferunt hujusmodi de causâ Baptistam Mirandulanum Ferrariæ mortuum, qui postquàm in duello equitem in fugam vertisset, statim de accepto vulnere vanâ apprehensione nutans exanimari & corruere cœpit, ac sine ullo vulnere, sed illius tantummodò apprehensione mortuus est; obstupescente spectatorum coronâ, & gaudiúmne an ira hominem extinxisset, dubio judicio perquirente, ut scribit *Fulgosius*, qui ut duelli judex, & præsens hæc omnia scribit, *lib.* 9. *cap.* 12. & quod majus est, non solum vitam auferre, sed exemptam restituere, vel ex morbo consumptam ad salutem reducere impii hæretici cum *Pomponatio* suadere conati sunt, ut Sanctorum reliquiis, & precibus, quorum interventu Deus non rarò ingentia miracula præstat, virtutem omnem denegarent. Tandem ubi latissimam imaginationis jurisdictionem invenerunt, in gravidis fuit, in fœtibus signandis: immensum esset, si hujus rei historias à medicis & aliis adductas compilare velimus. Hinc alios ex albis parentibus nigros, ex nigris albos evasisse testantur; alios alienâ & pilosâ cute vestitos; cornutos alios, sine capite, aut capitibus aliis monstrosos, vulneribus confossos. Ita ex forti matrum imaginatione nullas non varias rerum formas induci volunt, nævos, lentigines, verrucas, lituras, maculas, diversorum fructuum figuras, & similia imprimi asserunt. Nec hoc solum, sed conceptum multiplicari posse non defuerunt qui traderent, ut Sebastianus Munsterus *in cosmographia*. præterea sexum variare posse, & multiplicare, ut de hermaphroditis voluit *Sennertus*; quin & fœtum humanum in brutum transformare, quod ajunt sobrinæ Nicolai Tertii ex domo Ursinorum accidisse, quam eapropter ursum peperisse ajunt, quòd horum animalium imagines in palatio positas diutiùs contemplâsset: sic adducunt ex *Phlegone*, servam uxoris Riccii Tauri eadem de causa simiam; Lucinio Nerva, & M. Vestino coss. obvolutum anguium globum aliam edidisse. A naturalibus ad supernaturalia transeunt, & saltem supra omnem naturæ potentiam illius extendunt vim, cùm extra communem ordinem multa fieri ab imaginatione credant, quæ superstitionem potius æquent, ut messes aliundè traducere, flumina exsiccare, taurum verbis enecare, & similia, quæ ex Simonis magi forsan doctrina in alio Conciliator vidisse refert.

23. Cùm igitur his, & aliis deliriis fidem faciant, mox in causa tam mirandorum effectuum invenienda, hinc inde oberrarecoguntur. *Avicenna* & *Paracelsus* hanc imaginationis vim è cœlo suspendunt, tanquam si ad artificiales, & monstrosas figuras, quas ima-

imaginatio non rarò operatur, producendas ulla in stellis virtus inveniretur. Alii ne foris quærerent quod domi continebatur, animæ humanæ & imaginationi tantam virium efficaciam tribuunt, ut selectorum hominum excellentiumque animas supra causas omnes naturales operari posse nobis suadere conentur; sic idem *Avicenna, Algazel, Trithemius Abbas, Alkindus, Forlivius, Catanæus, Paracelsus, Agrippa, Ficinus,* & ad hanc causam contendunt reducere plura, quæ solùm vel Dei potentiâ, aut dæmonum superstitionibus fieri potuerunt; huic multa vanitatis mendacia tribuenda censebant, qualiter *Apollonius Tianæus*, & alii magi ostentabant; huic digiti Pyrrhi ad lienosos curandos, huic Vespasiani, qui tactu multos curabat; huic Ophigonum, & Psyllorum; cùm dæmonis, & non alterius essent opera, cujus commenti & superstitionis hujusmodi asylum invenerunt. Sed in his, quæ fabulosa videntur, opus non est ulterius immorari, quia ad ultimò propositæ quæstionis enodationem cursum dirigimus.

Derelicto igitur quid imaginatio in externis, quid in propinquioribus aliis, quid in ipsomet imaginantis corpore causare valeat, circa fœtum tantùm quid potens sit, & an illum ex re ardenter appetita signare valeat, videndum jam est; in qua re uno dempto *Petro Garcia* supra Avicennam *disp.* 37. cæteros omnes affirmare video, & ipsum etiam *Cardanum*, qui 2. *controv. tract.* 6. *cap.* 18. cùm hanc imaginationis vim denegâsset, *lib.* tamen 12. *de subtilit.* contrarium statuit. Medici verò ferè omnes, quin & Theologi affirmativam tenent, ut apud Fienum *de virib. imag. quæst.* 13. lector inveniet, quo loco ex *Sacra Pagina, D. Hieronymo, Augustino, Isidoro, Hippocrate, Galeno, Avicenna, Plutarcho, Alberto Magno, Rhodigino, Heliodoro*, & juniorum innumeris aliis testimonia adducit; quod & *Hesiodus* antiquissimus poëta voluit, qui *lib.* 2. *de operibus & dieb.* præcipit ne quis à funere rediens liberis operam daret, ne tristis rei imaginatio in prolem transiret; hoc enim facilè contingere *Thomas Morus* lepido carmine expressit, prout ex illo *Delrius* affert *lib.* 1. *magiæ cap.* 3. *quæst.* 3. ubi *D. Hieronymi, Augustini, Isidori*, & aliorum loca ostendit. Sic igitur *Thomas Morus*:

Atqui graves tradunt sophi,
Quodcunque matres interim
Imaginantur fortiter
Dum liberis dant operam:
Ejus latenter, & notas
Certas, & indelebiles,
Modoq; inexplicabili
In semen ipsum congeri;
Quibus receptis intime
Simulq; concrescentibus
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.

De columbis idem tradit *Oppianus*, hâc arte procurari posse variis coloribus præditas; & de facto inquit Rhodiginus *lib.* 20. *antiq. lect. cap.* 15. in Hispania equisones generosos equos procurare, optimos & laudabiles oculis objiciendo: sic pavones variis coloribus depictos haberi posse ait Fernelius *lib. de homin. procreat.* historias à plurimis relatas eodem loco scribit *Fienus* ex *Schenckio, Marcello Donato*, & aliis deductas, quibus quamplurimæ aliæ addi possunt satis admirandæ ex Fabricio Hildano *cent.* 3. *obs.* 56. Gregorio Horstio *lib.* 1. *epist. sect.* 4. ubi cum aliis apertè tenent ex re ardenter appetita fœtum signari posse, & ejusdem appetitæ rei notas exhibere. Hoc enim apud Germanos & Belgas certissimum adeò habetur, ut prægnantes omnes à rebus, quæ hujusmodi aliquid inducere possunt, fœdis nimirùm, horrendis, turpibus, curiosáve arte fabrefactis, animumq; moventibus miro studio avertant & custodiant, timentes imaginationis viribus conceptas idolorum species statim in tenello fœtu impressionem aliquam facturas; ita enim tenerrimus fœtus à matre dependet, ut quaslibet illius impressiones facilè suscipiat: nec oportet ut vehemens semper & fortis sit matris apprehensio, ut multi requirunt, cùm levis non rarò sufficiat, quandoquidem gravidæ, quæ maculas ex externis aliquando in filiis contrahunt, aiunt se vix animadvertisse, cùm ex earum rerum appetitu vel tactu levissimè se affectas fuisse fateantur, ut inter alios advertit Argenterius *comment.* 2. *ad art. med. c.* 44. multùm enim ad hoc conducit mulieris animus, qui si prudens & fortis, non ex levi occasio-

casione turbatur, sed ex vehementiori tantùm commovetur, & quæ altè animum perturbet: econtrà delicatiores & timidæ, quæ facilè ad occursum & conspectum cujusvis novæ & paulò minus tritæ rei animi pathematis corripiuntur, ut sic fœtibus, quæ ex animi levitate admiratæ signa conceperunt, facilè imprimant. Frequentius tamen hoc solùm ea causare videmus, quæ insignem terrorem, metum, tristitiam, aut immodicum appetitum gravidis incusserunt: tunc enim in causa sunt, ut species fortiùs imaginationi imprimantur, & sic formatricem vehementius turbent; undè ab opere distracta, quod secundùm naturam & propriam scientiam absolutura erat, destituit, & facilè ad aliud exemplar, quod imaginatio offert, avocatur. Quod licèt ita sit, tamen ex levissima quandoque causa ob fœminæ mollitiem & dejectum animum etiam contingere potest; imò tenet Licetus *lib. de perfecta hom. constit. in utero, & lib. 2. de monstris cap.* 66. aliquandò ex vehementi in somno apprehensione non tantum has fœtuum impressiones, sed monstrositates quoque contingere; proptereà aliquando etiam insciâ prægnante accidere, quod similia spectra nunquam anteà in mente habuerit: unde quia chimærica multa in somno obversantur, nullum ait extare tam horribile ac multiforme monstrum, cui imaginationis vis causam dare non possit; ubi (quod commune aliis) utriusque parentis imaginationem in actu illud causare posse insinuat, sed matris præcipuè, quæ etiam post congressum toto conceptionis, & efformationis tempore similiter apprehensæ rei impressionem in fœtu excudere potest. Temerarium esset, si tot tamque multis, qui de hoc eventu innumeras historias narrant, fidem abnegemus: nam præter illas, quas compilavit Schenckius & Fienus, narrat Sennertus *lib.* 4. *praxis*, & *lib. de consens. Chymi. cap.* 14. agnovisse mulierem, quæ cùm sub moro sederet & mora plurima in ipsam deciderent, filiam peperit, quæ in eisdem corporis partibus, in quas mora in corpore matris deciderant, verrucas plures morûm instar habuit. Novit & aliam, quæ filium genuit, cui tota superior palati pars cum maxilla, & labio superiori ad nares usque divisa erant, ex eo quòd mater à lanio suillum caput eodem modo securi dividi vidisset. Sic apud citat. *Horstium* puella, quæ continuò circà infantem hydrocephalum versabatur, paulò post nupta infantem eâdem ægritudine & deformitate affectum peperit. Nec minoris admirationis est, quod ibidem affert de gravida, quæ duorum monomachiam cùm vidisset, atque alterum ab altero transfodi, perterrita digitis oculorum palpebras petiit; & paulò post mortuum puerum, cui caput transfossum erat, edidit.

28.

29.

Non dubito in hac summa naturæ ambiguitate ex variis causis multa provenire, quæ tamen imaginationi adscribantur; sed sicuti hoc non negandum, minimè etiam quòd illa hujusmodi multis causam præstare valeat, ideoque non omnibus aliquid tale narrantibus hanc & non aliam fuisse causam credendum, nec de omnibus hanc aliquando habere potuisse negandum, cùm non solum hujusmodi signaturas, sed affectiones quoque alias sine ulla figura donatas, animique pathemata altiùs infixa derelinquat. Antverpiæ (scribit *Delrius*) fuit quædam, quæ simiâ quâdam delectabatur, & ludere cum eadem jocarique solebat; postmodùm filiam peperit, cui multa simiæ in morem inerant; nam & latitare, gesticulari, & similia alia facere consueverat. De Ludovici Delrio sui paterni uxore addit, quòd cùm in suam domum seditionis duces intrare vidisset, exterrita pepererit posteà infantem, qui oculis semper exsternatis maternum pavorem adhuc adolescens retinebat. Eodem modo alteri accidit, quæ feles maximè extimescebat, ex eo quòd gravida mater cùm in lecto esset, à fele subitò incidente maximè exterrita fuisset. Et cùm aliquando has affectiones in animis imprimat, non rarò ex eadem causa notas excudit; qualiter de altera narratur, quæ à lacerto inopinato deterrita in pectus prosiliente, paucos post dies filium enixa est, carneam figuram lacertæ formâ in pectore habentem: aliam dum filium gremio contineret, cui phlebotomus sectas cucurbitulas injiciebat in dorso, alium easdem incisiones in dorso gerentem enixam fuisse narrat Joan. Colle *in Cosmitore medico.*

Cæterùm quoad causam hujus mirabilis eventûs, & quomodò imaginatio hoc præstare valeat, tam arduum est in hac humana mentis caligine illam invenire, ut doctissimos quosque hîc hæsitâsse haud mirandum sit; & quia obscurum est illam adipisci, longissimumque foret si multa, quæ circà hanc rem peritissimi quique excogitârunt, adducere velimus, satis est apud *Fienum* latè de imaginationis viribus dis-

disputantem, citat. *Garciam, Sennertum*, & alios illorum opiniones commonstrasse, ut & apud Fernelium *lib. 7. pathol.* Laurentium *lib. 8. anat. quæst. 20.* novissimè tandem apud doctiss. Euseb. Nierembergium *lib. 2. curios. philos.* ubi quæ ad prædictum dubium multorum ingenia perscrutata sunt, abundè exposuit (an feliciter judicent alii) cum acutissimo *Petro Garcia*, qui omnium opiniones diligentissimè examinat ac convellit; sed cùm tot oculatorum testium historias negare non possit, credendum est optima & efficacissima illius esse argumenta, sed tamen impossibilitatem non convincere. Quare fatendum est plurima in nobis accidere, quorum causa adeò est occulta, ut non pudeat ignorantiam fateri: quandoquidem humanæ sapientiæ laus est, se multa nescire confiteri; & quædam æquo animo nescire velle, sapientiæ pars, ut cum Scaligero *exercit.* 307. fateri non erubescimus. Quarè hac parte cum doctissimo *Delrio* manum de tabula; movemus potiùs dubium, sed solvere haud posse speramus, cùm facilius & promptius sit aliorum adductas rationes refellere, quàm certam aliquam præter jam ab aliis excogitatas, quæ omnibus placeat, afferre valeamus; cùm pronum sit in ardua hac imaginationis virium reddenda causa, dum ab aliorum judiciis recedere volumus, in novos errores impingere, quemadmodum *Æmilio Parisano* accidit, qui argumentorum vi devictus ex eo quòd imaginatio in præsentia objecti non operetur, nec ens rationis solum, speciésve intentionales & immateriales per imaginationem repræsentatæ aliquid operari possint materiale, ut stigmata sunt quia materiale ab immateriali produci non potest; hinc credidit nec per visum, aut auditum, aut aliter à memoria vel phantasia conceptas aut repræsentatas species aliquid simile in fœtu producere posse: quare statuit materiam realem necessariò dari debere, quæ contractis in fœtu notis causam exhibeat; illam verò non aliam esse quàm vaporosam substantiam à concupitis rebus elevatam, quæ per olfactûs organum obrepat, simulque unà cum speciebus concupitæ rei adjunctam appetitricem movere, deinde cum spiritibus & sanguine ad jecur pervenire, sed tamen illinc explodi tanquam ad illius usum non conducat; quare ad communem cloacam, nempe uterum detrudi, unde tandem signaturæ veram & materialem substantiam præstet. Sed hæc figmenta talia sunt, ut à nemine admitti facilè possint, quemadmodum *Mundino* apud eundem visum est: quis enim, ô *Æmili*, te adeò dedolavit, & tam subtilem fecit, ut tuis innixus subtilitatibus ad impervia corporis adyta cum fictitiis his vaporibus intrares, & ad tam inaudita commenta præsens adires? quænam hepatis respuentis vox, & vapores illos à se rejicientis ad tuas aures susurravit? Hæc enim tam subtilia sunt, ut faciliùs ac priùs evanescant, quàm credi possint. Si enim hoc verum esset, sequeretur quòd nunquam concupitæ rei stigma in fœtu produci posset, nisi res ipsa præsens foret; quod necessarium non fuisse ex multorum historiis colligitur. Quin aliundè corruit hæc subtilitas, ex eo solùm, quia si præsens esset objectum desideratum, ut ad libitum percipi posset, quid tunc imaginatio valebit, quæ vel solo viso objecto quiescit, & non ita ardenter appetitum movet, unde ad signandum fœtum efficax non erit? Quarè tunc in opinione Parisani vapores à re desiderata prodeuntes hoc præstabunt, nec imaginatio aliquid conducet, nulla enim ad hunc effectum illius necessitas apparet; vapores enim ex sua natura egredientes, olfactûs partes citrà ullam imaginationis vim ingrediuntur: ergò si semel ingressi ab hepate expelluntur, & ad uterum demittuntur, & sufficientem in se materiam præstare valent ad objectum simile illi à quo prodierunt efformandum, & formandi vis uteri adest quæ illos effigiet; supervacanea erit imaginationis vis, cùm citrà illam sufficienter illud produci possit. Deindè quæ vis vapores illos ex sua natura & levitate sursùm tendentes, infrà repellit? Et dato quòd ad jecur attrahantur, falsum est quod ait, illinc tanquam inutiles rejici: quippè si à rebus, quæ communiter edi solent elevantur, dici non potest quod jecur illos rejiciat; sequeretur enim verum non esse (quod communiter omnes tenent) nutritionem per vapores fieri posse; tandem etiam sequeretur quòd uteri vis formatrix, quæ solùm ad formandum fœtum efficax est, æquivoca esset ad aliud ex quavis materia gignendum: nec enim sufficiens est materiæ aptitudo, sed requiritur efficiens proportionatum, ut ex ea aliquid fiat; ergò cùm nec vapor talem aptitudinem habeat, nec uteri formatrix talem vim, prædicta ex vaporibus generatio admittenda non est. Quis enim à vaporibus à re aliqua elevatis aliquid compactum subjecto simile evadere vidit, ut fructûs figuram à fructûs vaporibus? jam enim hęc chymistarum fabulas & ultimas resolutiones redolent; sed ab sponte

te elevatis, non est fabula chymiæ, sed chimæra fabularum: nec sum oblitus quod *quæst.* 35. in fine, ex Langio & Cardano aliquid huic simile diximus, & aliquid etiam simile induci posse de rosis quibusdam spiritualibus, aut redivivis à cineribus illarum excitatis, quod Polonus quidam medicus summâ industriâ fabricare noverat, ut apud Quercetanum legitur *lib. 2. de peste cap.* 5. & Libavium *in syntagmate arcan. chymi.* Sed quàm hoc verum fuerit, ipsi viderint. Visum aliquando est signaturas in fœtibus apparuisse ex rebus ardenter appetitis, relatione, aut auditu tantùm perceptis; quin & ex depictis jam accidisse, ut notam in utero filii contraherent: unde ergò tunc vapores *Parisane*? aliud quære judicium; nequaquàm sanum, sed insanum hoc potiùs derelinque.

Ut tamen aliquid circà hoc difficile dubium, quod nobis congruentius videatur, inter tam multa, quæ laudatissima ingenia excogitârunt, dicamus; paucis commonstrare adnitemur. 32. Constans itaque sit & verum, à simplici imaginatione fœtum in nihilo immutari posse, cùm sit potentia cognoscens atque immanens; sed tamen mediantibus animi affectibus per humorum & spirituum motum, facultatem formatricem tanquam sibi subjectam dirigere posse: dum enim conformatrix per se sola totum fœtus corpus efformat, à phantasia aliquando seduci potest ad aliquid conformandum, quod semini & fœtui improprium sit, simile tamen ei, quòd imaginatum est per species exemplariter & objectivè, objiciendo scilicèt speciem conceptam, ad cujus normam tanquam exemplar opus conformationis exequatur facultas formatrix. Quare frequentiùs ea plerumque id causare videmus, quæ insignem terrorem, admirationémve, metum, tristitiam, aut immodicum appetitum gravidis incusserunt, ut suprà dicebamus; tunc enim in causa sunt ut species imaginationi fortius imprimantur, & sic formatricem turbent, ab opereque distrahant: nec ad hoc necessarium semper est, ut conceptam speciem, humoribus ab spiritibus gravatam, à cerebro phantasia deferat; quippe cum anima una in corpore sit, ubique suis instructa facultatibus, etsi omnes in omnibus non exerat, sed singulas per propria organa perficiat, fieri potest ut in una parte excitata aliqua & in actum deducta potentia, eandem in alia parte expectet, & in actum deducat, imò in operando dirigat & determinet, cùm eadem utrobique sit anima: ideoque licèt in novi animalis constructione & semine occupata sit anima, ut novum individuum constituat, tamen cùm adhuc matri cohæreat, ejusque vitam & facultates participet, eodem planè modo ab eisdem affectionibus, quæ animæ matris potentias afficiunt & movent, semen quoque & alligatum jam fœtum pati & affici posse mirum non est; imò multò magis, cùm matris corpus jam conformatum & absolutum impressionibus magis resistat, in tenerrimo verò, cujus substantia, ut ad efformationem disposita & in conformandi actu exposita, facilè cedit & obedit, quasvis impressiones promptè suscipere posse non est dubium; ut si externi aliquid sese admisceat, ad hoc vel illud agendum conceptæ ideæ typo inebriata anima & satiata ad eundem effigiandum formatricem dirigat, & seducat. Et hoc est, quod peritioribus post indissolubilium argumentorum tædium optimum visum est: sic Sennertus citat. Erastus *cap.* 34. *de occultis med. proprietatib.* Laurentius *lib.* 2. *cap.* 12. *quæst.* 30. Fernelius, Langius, Trincavellius, Forestus, Heurnius, Libavius, & innumeri alii; quos in suis centuriis collegit & affert Joan. Rudolphus Camerarius: propterea phantasia sigillifera ab aliquibus di- 33. cta est, & imaginativa etiam, quòd conceptarum rerum imagines seu ideas formet, easque non in spiritibus tantùm characteriset, sed ad illarum normas effigiandas facultatem formatricem suum exemplar exhibendo compellat ac quodammodò instruat, in alieno quantumvis subjecto occupatam. Matris quippè interna solicitudo tanta est, ac tamen excusabilis, ut fœtui assiduè incumbens, naturaliter pro fœtu multò magis quàm pro se ipsa evigilet; ideoque ideam à passionibus genitam solicitâ curâ & præcautionis continuo radio ad fœtum dirigit, quem miro studio servare ac defendere satagit, tenerrimum ac germinare incipientem dulcissimum suæ vitis pampinum ad quemvis levem injuriæ occursum facilè dissipari ac evanescere posse perpetuâ affectatione & nunquam omissâ curâ extremiscens: & quia activarum actionum principale organum manus est, quasi ad defensionem conceptus sui solicitudo 34. ad illam descendit, unde apprehensa idea in partem fœtus pergit, in quam mater sibi manum intulit: penetrant enim se mutuò ideæ absque unionis stupratione, cùm sint lumina quædam seminalia; est quippè semper cura propter aliquem finem ad quem

quem manus operatur, fitque manus quasi organum executivum, ut animæ & phantasiæ imperio formatrix ad nutum magis obediens in illam potissimùm partem, cui admota est, signaturam imprimat atque sigillet. Non est igitur dubium imaginationem in humores & spiritus tantum habere imperium, ut non solum vigilanti, sed etiam dormienti objecta formosæ mulieris imago tentiginem excitet, transmisso ad penem multo spiritu genitore. Quid mirum igitur, si spirituum ministerio humores ita moveat, ita contemperet, obsequentemque materiam ita delineet, ut rei visæ, vel auditæ, vel cogitatæ imaginem in molli fœtu, vel toto, vel in parte repræsentet? cur ad aspectum oscitantis oscitamus, nisi quia commota phantasia impellit spiritus ad actionem similem? cedunt causæ inferiores superioribus, sublunares cælestibus, ex sublunaribus ministræ rectricibus. Potest imaginatio rei quam mater attentiùs inspexit similitudinem imprimere, & concolorem fœtum efficere; sic Æthiops album, & alba nigrum fœtum edidit; sic ergò & stigma rei visæ, auditæ, cogitatæ imprimere: pro quibus vide doctissimum Vallesium *de philos. sacra cap.* 11. ubi circà hanc rem plura invenies lectu digna.

35.

Illud verò in mirabili hac stigmatum fœtûs metamorphosi stupendum etiam evenit, ut sæpiùs observatum est, hujusmodi fructuum signaturas suæ proprietatis & naturalium virium partem adeò cum figura suscipere, ut cerasi v. g. aut fragorum tempore, quo illa luxuriant & illorum plantæ virescunt, in carne etiam expressa quasi tempus & naturam suam recognoscant, & quodammodò germinare velle videantur, ac magis alterari & rubescere conspiciantur. Et ne fabulosum putes, ancillam habui, quæ gravida rosarum tempore plures in sinu gestare gaudebat, & illarum odore maximè delectabatur; post menses tres filium peperit in maxilla insignem rosam habentem, quæ singulis annis mense Maio conspicuè magis repullulabat, attollebatur, rubore suffundebatur, ac dolebat; quod per plures annos observavi. Si igitur his non acquiescis, magnalium naturæ & miraculorum illius diligentissimum Argum alium quære, cui illa secretiora sua mysteria, quæ aliis abscondit, revelaverit; illius quippe operum nos scimus & fatemur ita occulta aliquando esse miracula, ut non rarò consistendum potius sit, quàm ullâ indagine causam invenire cogitandum; quandoquidem multorum veritas non ratione, sed sensu, vel intelligentiæ solo lumine comprehendi potest; ut propterea optimè de his dicat *Avicenna* fen. 2. lib. 1. doct. 2. cap. 14. *Et istæ quidem sunt res, quas homines credere abhorrent, quia difficilis dispositionis non noverunt habitudines; illi verò, qui sapientiam diligunt, non negant &c.* quippe ut aliàs ex *Lucretio* dicebamus,

36.

37.

Multa tegit sacro involucro natura, nec ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia. Multa
Admirare modò, nec non venerare: nec illa
Inquires, quæ sunt arcanis proxima; namque
In manibus quæ sunt, hæc nos vix scire putandum:
Est procul à nobis adeò præsentia veri.

38. Hoc fatebatur *Seneca* lib. 5. quæst. *Arcana illa rerum naturæ sacra non promiscuè & omnibus patent; reducta & interiori sunt clausa sacrario.* Etenim nescire velle, quæ magister maximus docere noluit, erudita inscitia est: de quo interim vide doctissimum Vallesium *lib.* 8. *cont. cap.* 5. post principium §. *ridiculum est*, ubi ingenuè hoc monet ac fatetur.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMAPRIMA.

Aborsum quovis imprægnationis tempore, vel saltem antequam anima infundatur, propter aliquem casum, aut vitæ periculum, utrùm licitum sit provocare?

QUando igitur de aborsûs periculo quæstione præcedenti mentionem fecimus, seriam magis, ac omnibus scitu necessariam, hanc de aborsos provocatione dubitationem, à Theologis licèt & medicis sæpius exaratam, ne in jucunda hac quæstionum varietate deficiat, iterum refodimus.

1. Optarem sanè ut à medicorum libris, præter superstitiosa multa, vana, & nullius utilitatis, aliqua etiam remedia expungerentur, vel saltem tituli sub quibus inscribuntur abraderentur. Inveniuntur quippè apud Æsium, Avicennam *lib.* 3. *fen.* 21. *tract.* 1. *cap.* 17. & alios gentilium & barbarorum auctores quædam capita, in quibus remedia ad procurandum aborsum describuntur: & licèt illorum tempore & religione licitum ac minimè vetitum fuerit talia non docere solùm, sed in usum trahere; nos tamen Christianos ipsa veritas, & Dei timor, homicidiique horror cogunt, à tam execrando scelere abstinere: *Quæ enim scire nefas, nescire necesse est. Etenim nescire quædam, scientia est; & scire quæ scienti obsunt, inscitia.* Imò si ad veteres quoque auctores, gentiles licèt & ethnicos, attendamus, illorum probissimos ac præstantissimos viros, solâ luminis ratione ductos infandum hoc aborsûs crimen execratos esse inveniemus, quemadmodum jurejurando promisit *Hippocrates*; eandem quoque impietatem, ut summè

2. execrandam damnavit Galenus 6. *simpl. cap.* 1. ubi inter alia, quæ nec scribi, nec doceri possunt aut debent, remedia annumerat, quæ aut fœtum corrumpere, aut conceptum impedire valent, cum hæc dedecus semper & ignominiam proditura sint. Quòd si hæc in illorum scriptis inveniuntur, qui veræ & Christianæ pietatis documenta ignorârunt; ferri non debet, quòd in neotericorum scriptis passim trahatur in dubium, utrùm pro salvanda matre aborsum liceat provocare? quid enim oportet de re ab omni humana pietate aliena, atque ideò Pontificum decretis toties damnatâ, iterùm ac millies dubitare? Accedit ad hoc, quòd Theologos magis quàm medicos decet hanc difficultatem determinare, ne quæ nostri juris non sunt tractare videamur; cùm præsertim ab ipsis satis soluta quæstionis dubitatio sit: verùm sicuti ad illos sententiam determinare & proferre spectat, sic ac medicos obsequium præstare & mandata exequi; quarè nobis quid hac parte scire & facere expediat indagare permittendum est, nec paucis nunc scribere vitio vertendum, quia vel tanquam civilibus Philosophis, vel tanquam Christianis medicis hoc inquirere decens est ac necessarium.

Sed quia grandis auctorum est numerus, qui serium hoc negotium ad umbilicum usque perduxerunt, tam Theologorum, Jurisperitorum, quàm Medicorum, breviter ab illo me expedire conabor, ne toties actum agere videar. Aborsus igitur vel directè procuratur, vel indirectè accidit: rursùs hoc dupliciter temporis concep-

3. tûs ratione, animato jam fœtu, vel inanimato: vel ultimò hoc intenditur & expetitur, ut fœminæ alicujus pudicitiæ occurratur, quæ ex imprægnatione periclitatur, & ut honoris jactura vitetur; ut non raro in illis evenit, quæ cùm verecundiam omnem cum virginitatis dote amiserint, virgines tamen adhuc videri & haberi volunt; de quibus D. Hieronymus epist. 22. *Piget dicere, quot quotidie virgines ruant, quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum, quot petras excavet, & habitet coluber in foraminibus earum: videas plerasque viduas antequam nuptas, infelicem conscientiam mentitâ tantùm veste protegere; quas nisi tumor uteri & infantium prodiderit vagitus, sanctas & castas se esse gloriantur, & erectâ cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ sterilitatem præbibunt, & necdum sati hominis homicidium faciunt.* vel aliquando in uxoratis, quæ in longa maritorum absentia aliis se submittunt; unde si conceptus

crudeli impietate filios nuper natos occidunt; adversus quos latè insurgit D. Augustinus *lib.* 1. *de nuptiis cap.* 15. & *lib. de moribus Manichæorum cap.* 18. ubi eos coarguit quòd ita vellent uxoribus uti, ut tamen conceptionem fœtûs quantùm possent aversarentur. Hæc adeò clarâ sunt, ut in illis ulteriùs immorari necessarium minimè sit.

Secundò, circà aborsum fœtûs nondum animati varium est auctorum judicium; nam si illos consulamus, plurimi sunt, qui abortivum poculum in aliquibus casibus dari posse concedunt; ut si ex conceptu evidens periculum timeatur, quemadmodum si puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut ejus fama lædatur, aut aliter vitæ aut honoris discrimen subeat. Sic tenent Antoninus *p.* 3. *titul.* 7. *cap.* 2. §. 2. Sylvester *in sum. verbo Medicus* 9. 4. Covarruvias *in Clem. sum. furiosus de homici. p.* 2. §. 3. *nu.* 1. Armilla *verb. aborsus nu.* 2. Navarrus *in sum. cap.* 25. *nu.* 62. Corduba *in sum. q.* 123. Sanchez *de matri.* 10. 2. *lib.* 9. *disp.* 20. *nu.* 9. Horum judicio accedit Torreb. Villalpandus *lib.* 2. *cap.* 43. *epit. delict.* qui ait ita posse auctores conciliari, dum illi qui concedunt, de inanimato intelligantur; qui negant, de animato. Quo sensu vult accipienda Apostoli verba ad Roman. cap. 3. *Non sunt facienda mala ut eveniant bona*, & in sui confirmationem affert text. *in cap. aliquando.* §. *sed his.* 32. *q.* 2. *Non est homicida, qui abortum procurat antequàm anima corpori sit infusa.* Cui convenire videtur alter juris Canon. in decret. *in cap. sicut ex literarum, de homicidio*; ubi monachus, cujus operâ mulier partum abegerat, irregularis non habetur, & sacris operari non destitit, quia fœtus non vivebat. Sed temerarium magis videtur quod *Tertullianus* scribit *lib. de anima cap.* 35. per hæc verba: *Necessariâ crudelitate trucidatur infans matricida nî moriturus.* Ex quibus infertur ipsum voluisse non inanimatum solùm, sed animatum jam fœtum, ut matrem à præsenti mortis periculo liberemus, licitum esse occidere & corrumpere; quod ex verbis, *trucidatur necessariâ crudelitate*, & *nî moriturus*, facilè infertur: sed quidquid Theophilus Raynaudus *cap.* 9. *de ortu infantium contrà naturam* statuat, ego tantum virum tali injuriâ non afficerem; contrariam namque habuisse sententiam ex ipsius scriptis infra patebit.

12.

13.

Deindè ex medicis non defuerunt, qui fœtu inanimato hoc licitum fore judicaverint, quòd Hippocrates *lib. de nat. pueri nu.* 4. famulæ cujusdam sibi notæ mulieris ac familiaritate conjunctæ, ut conceptum sex dierum abigeret, saltationem & corporis concussionem consuluerit; unde septimo saltu voti compos facta, genituram crudo ovo similem ab utero excussit, sicque dedecus, quod timebat, evasit, ipsius dominâ ab *Hippocrate* remedium exorante. Tenet idem Æsius *tetr.* 4. *serm.* 4. *cap.* 16. 17. 18. ubi sterilitatem inducentia, & fœtum corrumpentia tanquam aliquando necessaria scripsit, & licere medicis conceptum impedire, & fœtum necare; in quo sensu etiam fuit Avicenna 3. 3. *tract.* 2. *cap.* 17. ubi in tribus casibus medicis hoc convenire posse asserit. 1. Quando quæ concepit fœmina tenella est, ut timeatur ne in partu occumbat; quâ sanè de causa refert Aristoteles 7. *polit.* 16. Trœsenorum mulieres sæpè in partu periisse, quòd tenellæ nimis nuberent ac conciperent: quo loco etiam propter filiorum multitudinem determinandum esse ait filiorum numerum; quòd si quid prætereà fuerit genitum, abortionem ante sensum & vitam facere convenire, nam postquàm sensum & vitam acceperunt, nefas esse ait eos attingere. 2. Quando in utero morbus aliquis est, unde periculum ne in partu mulier supprimatur. 3. Quando debilis est vesica, ita ut timeatur ne fœtûs pondere disrumpatur, & ipsa disrupta intereat. Præter quos etiam non defuerunt juniores, qui tantum facinus in casu magni periculi ut licitum & necessarium comprobaverint; inter quos venit numerandus Riolanus filius *lib.* 2. *enchirid. anat. cap.* 36. quo loco Cæsaream sectionem reprobat, ne pro salvando fœtu pereat mater; imò ait unco extrahi debere, etiamsi vivus sentiatur. *Præstat enim* (inquit) *unum interire, quàm duas*, & vitam matris præferendam. Tandem Hieron. Mercurialis *lib.* 1. *cap.* 2. *de morbis mul.* in eadem videtur esse sententia, promittitque medicis Christianis demonstrare quid in hac re facere expediat; conceptumque grandiorem, & animatum monet nunquam licere corrumpere, quamvis mulier lethaliter ægrotet; tamen vel promissi oblitus, vel deceptus, veteres medicos ait & philosophos tres habuisse vias, quibus ne fœminæ talia subirent pericula utebantur; per quas nos etiam incedere posse ait, ut ab hujusmodi periculis easdem caveamus. Prima antè coitum, secunda in coitu, tertia

14.

tia post coitum. Pro prima & ante coitum ait convenire, ut vitæ ordo instituatur qui ad sterilitatem inducendam maximè faciat; quam etiam sterilitatem linimento ex oleo cedrino induci posse tradit ex Aristotele 7. *de hist. animal. cap.* 8. Secundò, nempe in coitu, si *Avicennæ* præceptum 4. *de animal.* sequatur, ubi consulit ut mulieres diverso tempore semen effundere studeant, & alia, quæ ex Diocle & Lucretio addit meretricibus usitata, quæ pudet dicere. Ultimò, si post coitum ex *Hippocratis* consilio saltent, vel sternutationem vehementem excitent: ex quibus videtur clarè fateri licitum esse conceptum impedire, inanimatum perdere, & ab utero excludere. Sed quantâ temeritate, & quàm à Christiana pietate & optimo judicio alienus hæc tria scripserit, neminem non videre arbitror, ut infrà demonstrabimus.

15.

Tandem rationibus hoc fieri oportere, nituntur confirmare ex eo, quòd fœtum inanimatum perdere nullum sit homicidium, sed mera seminis effusio, quæ millies, & quoties non fit conceptus, accidit. Secundò, quòd periculo mortis succurratur, quod vel ex morbo, vel ex partu timetur. Tertiò, quòd jacturæ famæ & honoris, quæ ex imprægnatione subsequitur, obviàm ire conducat; qui magis quàm ipsa vita æstimari debet. Quartò, quòd in aliquo casu & mater & conceptus perire possunt, & tamen concepto excluso mulier salvari poterit; semper enim major noxa minori compensari debet, præstatque ut potiùs unus pereat, quàm duo; multò magis, si conceptus adhuc animatus non est. Sed quàm à veritatis via isti aberrent, ex sequentibus fiet manifestum.

16.

Sit igitur secunda conclusio inconcussa, & nullâ ratione aut necessitate convellenda: nulli nec medico, nec alterius professionis homini licere unquam sine manifesto homicidio, & detestando flagitio conceptum, vel animatum, vel inanimatum directè destruere. De animato jam diximus; de illo verò, qui animâ caret, est etiam evidens, & colligitur in primis ex Sacra Pagina *Gen.* 38. ubi de Ona primogenito Judæ legimus à Domino occisum fuisse, quia cùm ad uxorem fratris sui ingrederetur, ut illius semen suscitaret, proprium, ne filii nascerentur, effundebat in terram; idcircò percussit eum Dominus, eò quòd rem detestabilem faceret: illustrat hanc veritatem lumen divinum sub hac historia, & fas non esse declarat hominis generationem impedire, quia præterquàm quòd nefas sit apud Deum, reluctatur etiam juri naturæ sub quo vitam ducebant primi parentes, quousque data Hebræis fuit lex per Moysen scripta. Ratio evidens est; omnia enim illa, sive pollutio, sterilitatis inductio, & concepti seminis effusio, sive etiam aborsus, quocumque modo ad unum tendunt finem detestabilem & execrandum, delere scilicèt opus illud mirabile, quod natura & ejus auctor intendit; & cùm omnis actio æstimetur ex intentione per se operantis, omnis illa actio nefaria & contrà jus naturæ, in illius perniciem æstimanda: par enim non est beneficentiam in alium conferenti noxam fieri, & ut effectus servetur, causam perire, aut èconträ; nam ut doctissimus pariter & sanctissimus D. Ambrosius *in D. Lucam cap.* 1. declarat, *Impeditur generis propagatio, mulieris fœcunditas, parentes privantur liberis, fœtus vitâ, matres conjugii præmiis, terra quia ab his coleretur, mundus quia ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quia devotæ plebis numero augeretur, Deus, à quibus in terra veneraretur.* Adde quod animæ cælo interdicuntur, quò jam erant destinatæ, & cælesti illâ ac divinâ fruitione abnegato baptismate privantur. Quod malum! Quæ clades! Quanti momenti horrendum facinus! Quæ igitur occasio sese offert quæ nos impellat tantum opus aut impedire, aut delere per se? Quid fama? Quid fortunæ usura? Quid ipsa matris vita? Ne regnorum quidem omnimoda clades & ruina.

2. Conclus. 17. 18.

Prætereà ex *cap.* 21. *Exodi* hoc comprobari posse videtur; nam ibi illi, qui aborsum causaverit, si prægnans mortua non fuerit, arbitrio judicis pœna constituitur, ut exposcentis mariti damno satisfiat; sin autem mors ejus subsecuta, reddet animam pro anima. Illam verò mortem tam ad matrem, quàm ad fœtum animatum referendam esse non est dubium, ut tenent Dionysius Richel Carthusianus, *comment. ad hunc locum*, ubi expressè *mortem* interpretatur, *vel matris, vel fætûs jam animati*, & Thomas de Vio, Cajetanus Cardinalis; *Pondera* (inquit) *Et non erit mors: quoniam negatur mors tam matris, quàm prolis; considerat enim lex ista de percussore mulieris gravidæ duos casus. Alterum, si non erit mors sive matris, sive prolis; & tunc punietur percussor pœnâ arbitrariâ: alterum, si intervenerit mors; & tunc punietur pœnâ homicidii.* Nec aliter sentiunt & explicant Cornelius à Lapide, Thomas Fienus *de formatione fœ-*

19.

ceptus accidat, non leviter de vita & fama in illorum reditu periclitantur, ut plùs quam semel vidisse recordor; medicisq; hac parte ut attenti esse velint maximè præcipio, ne fœdisimâ adeò labe conscientiam onerent, aut pretio allecti & decepti in tam execrandum facinus tupiter labantur, illud Mesues *in præfat. ad lib. 2.* asiduè animo potiùs revolventes: *Considera ne te amor, odium, lucrúmve circumveniat, ut declines à recto; est enim excelsus, qui judicat; sunt & cæli, qui arguunt; elementa, quæ sæviunt; & si non aliud, superest inposterum cruciatus gehennæ. Gestiunt quippe munera, sed melius est nomen præclarum cunctis opibus*; dicebat idem. Tandem cùm gravida vi morbi in vitæ periculo versatur, quo casu si aborsus eveniat, liberari ac evadere posse speratur; atque ideò in hoc casu, & in hunc finem aborsum licitè provocari posse multi scribere non dubitârunt.

De his igitur omnibus brevibus conclusionibus quid deceat, & Christianæ pietati & religioni magis consonum sit, pro viribus demonstrare conabimur; illud primùm advertentes barbaros & gentiles omnes medicinæ scriptores, qui impiisimè tantum scelus ut licitum inculcârunt, minimè audiendos aut imitandos, tanquam qui nullâ vel humanâ pietate præditi, vel divinis legibus prohibiti, illud dicere aut facere conveniens judicaverint; inter quos damnandi meritò veniunt ex Arabum familia Princeps Avicenna *lib. 3. tract. 2. cap. 12.* cujus verba infra referentur, Rhasis 9. *continentis*, ubi de aborsu provocando caput inseruit; qualiter etiam, qui ante illos ex Græcorum schola idem scripserunt, ut citat. Æsius, & longè majori impietate Priscanus *lib. 3. cap. 6.* qui cùm abortivum dare nulli fas esse cum *Hippocrate* attestetur, nec tam duri reatûs conscientiâ medicorum innocens officium maculari debere, tamen in morbi periculo hoc ut licitum consulit; sic enim inquit: *Quemadmodum pro conservanda arbore rami arescentes abscinduntur, & naves pressæ onere cùm magnâ tempestate huc illuc agitantur, remedium est onus deponere, ut ex damno illo habeatur remedium; ita si fœminæ propter vitium uteri, aut ætatis impotentiam periclitentur ex partu, & immineat vitæ periculum, oportet vitam emere ex partûs jactura.* Omnia quippe hæc impiè adversùs naturæ leges, humanas quoque & divinas, dicta fuisse tanquam ab homine gentili, dubium non est. Quò magis jam miremur fuisse nostro ævo medicos & jurisperitos, qui temerario quoque judicio ducti eandem habuerunt opinionem, ut Nicol. Rocherus 6. *de morb. mul. cap. 28.* in fine, & Roder. à Castro *lib. 4. de morb. mul. cap. 3. & 6.* qui cum *Moschione* & *Æsio* scribunt, si fœtus adeò magnum caput habeat ut exire non posit, aut adeò intumuerit ut per locum consuetum exitus illi non pateat, forcipe conterendum ut mater salvetur: ut etiam ex jurisperitis tradiderunt Marianus Socinus *in cap. si aliquis. de homicidio*, & Simon de Brixia *ad Clement. de homicid.*

5. Conclu. Sit igitur prima conclusio: partum directè abigere, præsertim si animatus jam existat, execrandum est ac impium scelus, nefarium, injustum, juri divino, naturæ, civili, & gentium reluctans. Quid enim hoc aliud est, quàm adversùs quintum decalogi præceptum graviter peccare, & perfecti homicidii reum se constituere, & plura, quæ in utroque testamento divina eloquia sunt, contemnere? Quarè nefaria hæc impietas à Conciliis œcumenicis, à Theologis, ab utriusque juris professoribus damnatur & execratur. Patet ex Pontif. tex. *in cap. quod verò vi aliis 32. quæst. 2. & in cap. sicut de homicid. instit. 32. q. 2. lib. 4. titul. de homicid. §. antepenul. cum gloss. ibid.* Deinde Concil. 6. Constantino. 2. Toleti. Ancytan. Ilerdensi, Tribur. Wormaciensi *cap. 20.* quod refertur *in cap. si aliquis. de homic.* D. Augustino, ut constat *C. aliquando 32. q. 2.* D. Thoma *4. distinct. 31. in fine*, Cajetano *itidem 2. 2. q. 254. art. 1.* Covarruviâ *2. p. relat. de homic. §. 3.* Aspilcueta *cap. 16. nu. 33.* Sanchez *tom. 3. de matri. lib. 9. disp. 20. nu. 33.* & aliis pluribus Hispanis, clarisimis nostri sæculi luminibus, cum illo ex antiquisimis Theologis insigni *Tertulliano* (nisi caduca foret stella) in *Apolog. cap. 3.* omnium denique Theologorum firmissima & stabilis est sententia, nullâ temporis, personarum, famæ, bonorum, aut ullâ exceptione mutanda: pro cujus stabilitate firmanda, & à Christianorum pectore contrario & impiisimo ausu eliminando, *Sixtus V.* Pontifex Maximus motu proprio Romæ dato 4. Kalend. Novembris anno 1588. Pontificatûs anno 4. sanxit, ut qui per se, aut per interpositas personas aborsûs seu fœtus immaturi, tam animati quàm inanimati, formati vel informis ejectionem quomodolibèt procuraverit, ita ut re ipsâ aborsus sequatur, eâdem pœnâ

6.

 punia-

puniatur, quâ homicidas voluntarios puniri leges tam divinæ quàm humanæ decernunt; & eisdem pœnis ultrà eos teneri ultrò constituit, qui sterilitatis poculum aut venena mulieribus propinaverint, quominùs concipiant, aut quocumque modo in his consuluerint, ut latiùs Manuel Rodrig. §. 9. *super explicat. S. Crusada.* Vlterius etiam ipso facto excommunicat talia facientes, sibiq; prædictam excommunicationem reservat; ut nec aliquid proficiant privilegia Regularibus concessa, nec Jubilæus plenissimus, licèt in illius anno, nec ulla bullæ vis, aut ulla auctoritas per Concilium Tridentinum Episcopis concessa. Quæ tamen ut severè animadversa *Gregorius* XIV. in constit. propria data Romæ die 31. Maii anno 1591. revocavit, & cuilibet approbato confessori ab his criminibus absolutionem dare posse permisit, & ad commune jus omnes censuras & pœnas reduxit, quæ in hoc casu non minùs quàm capitales sancitæ inveniuntur, si fœtus animatus fuerit, aut matri mors sequatur, *l. 1. D. ad Cornel. de sicariis. l. penult. cod. eodem titulo. l. 1. D. ad l. Cornel. de parricidiis.* Aliàs puniuntur extraordinariè, & humilis in metallum, honestior in insulam relegantur, decimâ parte bonorum confiscatâ, *l. si aliquid.* 38. *§. abortionis. l. Cicero.* 39. *de pœnis. l. divus. D. de extraordinariis criminibus cap. quod verò. cap. Moyses* 32. *q.* 2. *l.* 8. *titul.* 8. *p.* 7. ut tradunt Bossius *in praxi tit. de homicidiis nu.* 5. Jul. Clarus *lib.* 5. *receptarum §. finali q* 62 *nu.* 2. Cacherau. *in decis. Pedemont.* 60. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *casu* 329. *nu.* 6 *& cons.* 357. Plasa *de delictis*, Navarrus *in manual. cap.* 27. *nu.* 222. Sylvester *titul. medicus q.* 4. Cordoi *lib.* 9. 28. *dub.* 3.

7.

Hæc pro aborsu, qui fœtu animato sequitur, præcipuè vim habere certissimum est; evidens enim est illum, qui fœtum animatum sic corrumpit, animam sacro lavacro spoliare, & uno eodemque tempore duplicem vitam eripere. Quòd si ille, qui temporalem vitam tantùm eripit, homicida est; multò magis reus erit mortis si animatum fœtum interemit, cùm temporalis & æternæ vitæ bonis illum spoliet. Secundò inter hominem perfectum, & jam in utero animatum nulla differentia est, ut probat Galenus *lib. quod animal sit. cap.* 4. cùm jam formam habeat, & homo sit; forma enim dat esse rei: unde patet eum, qui talia perpetravit, homicidam esse, *cap. consuluisti q.* 3. & tanquam homicidam debere puniri; est enim acceleratio homicidii, prohibere non nasci. Tertiò qui sic aborsum causat, non solùm fœtum perimit, sed matrem in evidenti periculo ponit, & eò magis quò grandior fœtus, ut notat Mercurialis *lib.* 1. *de morb mul. cap.* 2. quia quò magis tenellus facilius excidit, eò grandior & jam animatus difficiliùs; ut propterea ex Hippocrate *lib.* 4. *aph.* 1. à 4. mense ad 7. sanguinis missione & purgatione in casu necessitatis cum minori periculo medici utantur. Deindè si gentiles, præsertim illi qui majori intellectûs lumine claruerunt, hoc tanquam turpissimum aversati sunt, ut datâ fide promittit Hippocrates *in suo jurejurando*, numquam se flagitium hoc commissurum; nam tanquam legibus adversum ab ipsis etiam puniebatur tanquam homicidium, ut *lib. quod animal sit.* scribit *Galenus*, qui etiam 10. *simpl. in princip.* abortum mortemque conciliantia exhibere, aut alios docere, summum scelus, injuriam, & impietatem esse censet, ut ex *Hippocratis* jurejurando verba mutuâsse videatur; si, inquam, hæc gentiles, quantò potius ob assignatas rationes acerbiùs apud Christianos tam execrandum scelus puniri debet? præsertim cum contrà evidentissimum Dei præceptum gravissimũ committatur peccatum, & 21. *Exodi* manifestè capite puniri debere jubeatur. Tandem si homicida est, qui hominem quomodocumque interemit, & mortis supplicio dignus, & acerbiori magis, quò magis innocentior ac innoxius fuerit cæsus; quis magis innoxius ac innocens quoad necis demeritum, quàm fœtus intrà materna viscera adhuc abditus, & necdum maturus? Nec obstat apud aliquos ethnicorum tam inhumanum nefas committere permissum fuisse, ut Cretenses consueverant, qui referente Aristotele 2. *polit.* 8. à Minoë nequissimam legem de necandis filiis acceperunt, stultè sancientem, ad vitandam nimiam filiorum accessionem, ut post certum numerum nefando coitu uterentur; quos divino fortè aliquo spiritu afflante Sibylla Erythræa sic carpit:

8.

9.

10.

Adulteria cave, & masculi insanum cubile:
Propriam generationem filiorum nutrias, & ne occidas;
Etenim ei immortalis succensebit, qui peccârit.

11. Et eleganter reprehendit Lactantius *lib.* 6. *de vero cult. cap.* 20. quâ eâdem objurgatione digni sunt hisce temporibus barbarissimi Japonenses, qui ob eandem causam cru-

tûs, quæst. 8. *sub. finem* Tremellius, Junius, & doctiss. Sixtinus Amama *Anti-Barbari Biblici lib.* 2. qui addit, *Legem totam esse supervacaneam, si mors de sola muliere sit intelligenda, cùm hujus occisor lege generali teneatur.* Quippe in utroque committitur homicidium, & animâ privatur ille, qui illam jam possidebat; nam & legalis textus maximè huic ex Sacra Pagina congruere videtur. *l. siquis aliquid.* §. *qui abortionis. ff. de pœnis*, ubi sic: *Qui abortionis poculum, aut amatorium dant, etsi dolo non faciunt, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam, amissâ parte bonorum, relegantur. Quòd si ex eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiantur.* Nam verba illa, *mulier aut homo*, sine dubio ad matrem & fœtum respiciunt, & tam ad poculum abortionis, quàm ad amatorium referuntur.

Et licèt hæc omnia de fœtu animato intelligenda esse videantur, tamen de inanimato etiam accipi debere ex eo videtur inferri, quod in utroque textu tam divino quàm legali non eadem pœna constituatur, sed diversa admodùm: undè necessariò videtur inferendum de animato & inanimato fœtu loqui, cùm pro illo ultimum supplicium, & animam pro anima statuant; pro inanimato verò extraordinariam pœnam, & arbitrio judicis relinquant: vel saltem apparet, nil discriminis ponere inter fœtûs animati, aut non animati exclusionem. Et quatenùs ad pœnam, ex aliis legibus etiam patet, ut in citatis *l. divus. l. Cicero. l. si mulierem. & l. si quis necandi. C. ad l. Cornel. de sicariis.* quas ne discordes esse dicas, meritò distinguunt auctores, tres priores cùm pœnam extraordinariam constituunt, de inanimato loqui; postremam verò de animato, cùm capitali puniendos esse statuant, ut sentit Glossa *in prædicta l. siquis.* verbo *infantis.* & quamvis per leges ita determinatum sit, adhuc tamen in eos, qui vel inanimati tantùm aborsum directè procuraverint, magnoperè animadvertendum, ac velut homicidas puniendos, ex antiquorum & patrum præcipuè scriptis haud obscurè colligitur. Siquidem cùm aliquando malo exemplo magis, quàm peccato noceatur, ut 3. *de lege* docuit *Cicero*, non est utique præter jus & rationem mali exempli auctorem, audaciam, & illius conatum severiori supplicio infringere, ut alii ab stulta hac malitia sibi caveant; cùm adhuc ethnicis ipsa inanimati fœtûs excussio detestanda fuerit, ut adversùs aliquas prægnantes increpat Favorinus philosophus apud Gellium *lib.* 12. *cap.* 1. illarum conatum referens: *Quæ commentitiis* (inquit) *fraudibus nituntur, ut fœtus quoque ipsi in corpore suo concepti abortiantur.* subdit, *esse publica detestatione communiq; odio dignum, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturæ manus, interfectum ire.* Quarè hanc malignitatem gravi animadversione priscos legislatores coërcuisse refert *Musonius* apud Stobæum *serm.* 194. in farragine *Gesneri*: in quem sensum multa D. Augustinus *serm.* 244. *de tempore*, ubi postquàm mulieres monuit, ne potiones ad abortum faciendum accipiant, aut conceptos filios occidant, aut diabolicas potiones, (sic enim eas appellat) per quas concipere non possint, assumant, *Hoc quippe faciens tantorum homicidiorum*, inquit, *se ream agnoscat, quot fuerant filii, quos parere poterat*; & multa alia quæ ibi videri possunt. Quòd si ita ream & homicidam facit illam, quæ conceptum impedire conatur; potiori jure talis dicendus erit, qui jam conceptum, jam delineatum, & hominis primordia habentem destruere nititur: & quòd adhuc inanimatum fœtum destruens homicida dicendus sit, apertè Tertullianus *cap.* 9. *apolog.* purgans Christianos ab impacto infanticidii scelere, & retorquens eam impietatem in ethnicos, sanguinis liberorum suorum adeò prodigos, subdit: *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere non nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est*: perspicuè de embryone nondum animato loquitur, ut rectè in paraphrasi expressit *Zephirus.* Cum quo convenit Minucius *in Octavio nu.* 53. eandem infanticidii calumniam Christianis impactam depellens adversus quosdam gentiles, quibus horrendum hoc scelus familiare erat: *Putásne* (inquit) *posse fieri, ut tam parvulum corpus fata vulnerum capiat, ut quisquam illum rudem sanguinem novelli & vixdum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere.* Et mox: *Sunt quæ in ipsis visceribus, medicamentis epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant antequam pariant. Et hæc quidem de Deorum vestrorum disciplina descendunt.* En Patrum, & magnorum virorum concors opinio, non solùm impium hoc facinus detestantium, sed parentes, qui tali crimine se fætaverint, ac polluerint paricidii

no-

nomine sugillantium; & licèt homicidium formaliter dici non possit, quia fœtus nondum animatus non est homo; est tamen *festinatio homicidii*, ut optimè *Tertullianus*, quatenùs sicut embryo est homo in potentia, ita ejus exclusio est hominis interemptio in potentia, & quasi occisio anticipata, atque adeò festinata; quarè saltem reductivè tanquam homicida habendus, ut clarè innuit Concilium Wormaciense relatum *in cap. si aliquis de homicidio*, his verbis: *Si aliquis explendæ libidinis causâ, vel odii medicatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles; ut homicida teneatur.* Ergò sicut homicida judicandus, qui sterilitatis poculum quomodocumque propinat, ut generationi, conceptui, & soboli officiat; potiori jure qui conceptum jam factum corrumpit, licèt inanimatum, quia homo in potentia proxima est in semine, & adhuc proximior, si in naturæ agro jam receptum radices egit, ac germinare incepit: quare non immeritò homicida reputandus, qui futuri hominis exordia destruit; omnia enim hujusmodi crimina, vel per se, vel reductivè in 5. Decalogi præcepto inhibentur, cùm sanè si finem spectes, in eundem finem tendant conceptum impedire, & factum corrumpere; imò hoc gravius peccatum censeri debet, & majori pœnâ dignum, cùm non solùm operibus naturæ obstet, sed jam factum opus Dei destruat, odioque illud prosequi videatur. Quarè tanquam maximo supplicio dignum communiter hodiè à Theologis & jurisperitis reputatur, & minimè licitum; ut ex nostris quoque medicis tenent inter alios Joan. Bapt. Sylvaticus *contr.* 82. Franciscus Ranchinus *comment. ad Hipp. jusjurandum.* Sennertus 4. *praxis part.* 2. *sect.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 5. Rhaphaël Moxius citatus, Meybomius *in idem Hippoc. jusjurandum.* & ex junioribus ferè omnes. Licèt enim minus peccatum sit sterilitatem inducere, aut effluxiones ciëre, quàm animati jam fœtûs abortum prolicere, aliudque sit ἀτόκιον, seu sterilitatis medicamentum, aliud effluxio, aliud pessus corruptorius, atque ideò hoc ultimum graviori pœnâ & supplicio dignum; tamen S. Pontifex æquali pœnâ in delicta singula animadvertere voluit, non solùm ut mali exempli crimina graviter quoque punirentur; sed velut alter Draco hujusmodi sontes tali pœnâ dignos putavit, majoris verò delicti, animati nempe fœtûs aborsum promoventes, eodem supplicio afficiendos ideò sanxit, quòd majus non inveniretur.

24.

25.

Aborsus nullo famæ aut vitæ dispendio evitando promoveri debet.

Nec est cur aliquis dicat, hoc debere intelligi de conceptu directè abigendo, econtrà verò licitum esse, ut pro maximo famæ & honoris discrimine vitando, aut mortis etiam periculo, quod aliquando à consanguineis, parentibus, aut maritis impendet, vel tandem non rarò ex morbis circumstat, ipsâ ex antegressis conceptibus experientiâ testante; hujusmodique ægritudines quales sint, medicinæ auctores admonent, ut apud Æsium *tetr.* 4. *serm.* 4. *cap.* 16. tum apud Avicennam *lib.* 3. *fen.* 21. *tract.* 2. *cap.* 17. quibus in locis aliqua vitia innata enarrantur, & causæ præter naturam, quarum ratione morali & physicâ etiam certitudine colligitur, impossibilem esse fœminis nixum citrà fœtûs corruptionem, aut matris necem. Talium quidem vitiorum aliqua à prima conformatione connata sunt nempè uteri parvitas, & colli ejus angustia ossis pectinis compressio, ad quæ etiam reducuntur insignis gibbositas, femoris dislocatio versus uterum: hæc namque cavitatem naturalem uteri comprimunt ut dilatari nequeat, nec fœtûs augmento aut nixui cedat; quibus etiam malis non minoris obstaculi alia præter naturam contingentia adnumerantur, ut tuberculum magnum & durum ad uteri os enatum, ulcus in matrice, & hujus generis alii non pauci morbi interni, & incurabiles. Quapropter citati suprà auctores non solùm Theologi, & utriusque juris doctissimi, partum nondum animatum directè abigere in aliquo ex numeratis casibus licitum esse probârunt; sed horum judicio medici etiam non pauci accedere non dubitârunt, ut præter citatos tenet Moxius *lib.* 2. *cap.* 16. & alii plures, quorum rationes apud eundem Moxium videri possunt, & apud Theoph. Raynaudum *tract. de ortu infant. contra naturam cap.* 11. quibus, ne nimiâ longitudine scribendi tædiosus videar, modò supersedimus, quia nec admodum efficaces sunt, & si cum peccato conferantur, nullæ prorsùs censendæ.

26.

Vitia innata & præternaturalia ob quæ aborsum promoveri posse aliqui putârunt.

Quarè hujus opinionis fautores meritò ex nostris reprehendunt *Sylvaticus, Ranchinus*, & *Sennertus* jam citati; nunquam enim facienda sunt mala ut eveniant bona, ex *Apost. ad Rom. c.* 3. & primò quoad vitia illa innata sperandum est, Deum, qui conceptum fecit, citrà spem nostram illum adjuvare & velle & posse, & ipsam naturam, quæ in suis operibus nunquam deficit, imò pariendi imposibilitatem nunquam omnia

ninò causat, ut aliquo modo divinâ favente clementiâ sperandum sit. Et quoad præternaturalia, licitis & morbo necessariis remediis subvenire tenemur, pro ægritudine, occasione, & tempore illa applicando, quæ optima videbuntur, & nullo modo poculum abortivum propinando; cùm manifestum potius sit, quòd ex tali abortsu magis quàm ex partu periclitentur fœminæ. Accedit ad hoc quòd talia pocula conceptum corrumpentia venenosa quodammodò sunt, & mulieri inimica; unde plerumque mortis discrimen tam ex aborsu, quàm ex poculo mulieres subeunt: 8. quotus enim & quantus est medicus, qui de se ipso tantum confidit, ut corruptiva fœtui tradat, quæ etiam matri aut summè non noceant, aut necem non inferant? apage hujusmodi nugas, quæ connivendo pensitatæ in tantum adhuc errorem priscos primùm ac ethnicos medicos induxerunt; quorum vestigia juniores alii, & Theologorum quoque ac Jurisp. audacunculi haudquaquam prævio ac optimo facto judicio secuti sunt: quandoquidem serium illud *D. Ambrosii* consilium sequendum *lib. 3. offic. cap. 9.* quod à Gratiano *in cap. denique. 14. quæst. 5.* refertur: *si alteri subveniri non potest nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvare.* Et licet de causis pecuniariis *D. Ambrosius* ibi potissimùm agere videatur, tamen fundamentum generale est, multoque magis urget circà bona corporis quæ pretiosiora sunt, & majori dispendio violan- 9. tur: quare varii doctores, huic doctrinæ innitentes, cùm agitur de pharmacis aut prægnanti incommodaturis cum bono sobolis, aut è contrario cum matris utilitate soboli nocituris, neutri opitulandum cum alterius damno statuunt. Ita Lopez *1. p. instructor. cap. 63. §. si autem.* Et videtur voluisse Mercatus *lib. 4. de mul. morbis. cap. 3. sub finem.* Hinc meritò *Ranchinus* citatus decretum illud Juris Canon. *cap. sicut. ex literar. de homicidio*, ubi monachus cujus operâ mulier partum abegerat, irregularis non habetur, nec sacris operari destitit, quia fœtus non vivebat, injustum nominat, & distinctionem illam vitiosam: quo nomine taxandus etiam venit alius suprà jam relatus ex civili *in cap. aliquando. §. sed his. 32. quæst. 2.* qui tradit homicidam non esse, qui abortum procurat antequam anima corpori sit infusa: jam enim suprà esse & dici debere homicidam, lato saltem modo, & reductivè ex Tertulliano & Concilio Wormaciensi vidimus; & hoc nulli fas esse directè committere apertè testatur Archid. *C. Baptisandis 1. q. 1. nu 1. & 2.* ubi sic: *Illicitum est propter honestatem, aut bonam famam mulieris, aut pro occultando peccato, aut vitando scandalo, aut propter aliud quodcumque bonum fortunæ aut corporis, aut etiam pro evitandis magnis cædibus, aut infortuniis partum abigere, sive animatum sive inanimatum, & quovis modo genituram.* Approbat Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4* juxtà Anglici Doctoris doctrinam asserentem præponderare multò magis bonum divinum, contrà quod agit culpa, bono cuilibet naturæ creatæ, cui opponitur pœna, quàm perpetuitatem pœnæ temporalitati culpæ: 10. quoniam quovis modo generationem directè impedire, aut generatum corrumpere peccatum mortale est. Nefas est igitur ex jure divino, naturæ, & gentium.

...a ra- lis tempo- ...tu in- ...atur, ...um. ...1. ...nam ...alem ...aduce ...tire ...xisti- ...rint.

Accedit ad hoc quòd distinctè nullus definire potest, quo indubitato tempore anima corpori infundatur, & animatus sit conceptus, cùm nec apud Theologos, nec apud medicos certi aliquid constet, variæque sint de hac re opiniones non minùs discordes quàm milites illi, quos ex draconis dentibus natos ajunt; nam & sic auctorum sententiæ pugnantes pereunt: siquidem non defuerunt, qui impio ausu animas hominum in anima primi parentis creatas fuisse assererent, & satis fuisse unam à Deo semel factam inspirationem, ut cæteræ posteà tanquam lumen de lumine producerentur; & quemadmodum ex una candela infinitæ accendi possunt sine illius corruptione & luminis diminutione, ita à primo parente omnes posteà productas esse existimârunt. Fuit hæc quondam *Tertulliani* opinio, quam D. Hieronymus *in apolog. 2. adversus Ruffinum* satis reprehendit; eandemque ex medicis ausi sunt scribere Henricus Smetius *lib. 8. miscel. epist. 6.* Philippus Ingrassias *comment. lib. 2. in artem med.* Scaliger *exercit. 6. à nu. 3. ad 11.* Argenterius *in artem med. comment. 2. cap. 54.* licèt posteà *comment. in lib. 1. aph. 1. in verbo, Vita brevis.* contrarium statuat, & à Deo creari extrinsecusque advenire optimè fateatur. Novissimè tandem eandem opinionem à mentibus hominum jam explosam iterùm refricavit Sennertus *lib. 1. de consensu chymicor. cap. 9.* & latiùs *in Hypomnematis physicis. cap. 10.* ubi ex professo agit de animarum origine: contrà quem latè insurgit Freitagius *tract. t. etiam de formarum origine.*

Lib. 2. de Anima cap. 13. & 18.

Sed adversus istos, qui animam rationalem ex traduce esse, si non novo paradoxo, forsan hæretico affirmare conati sunt, non est cur multùm immoremur;

ſat enim illis erat illud advertere, de mortalibus non poſſe quidquam, niſi mortale generari, ut optimè loquitur Lactantius *lib. de opif. Dei cap.* 19. animam nec ex patre nec ex matre, nec ex utroque generari; immortalem quippe eſſe adhuc gentilium antiquiſsimi agnoverunt, ut Chaldæi & Indi; quos omnium primò hoc dixiſſe ex *Pauſania* ſcribit Rhodiginus *lib.* 18. *cap.* 31. quos poſteà ſecuti ſunt Græci, & præcipuè *Plato.* Quare aliter cum ſemine & à parentibus derivari aſſerentes, fidei Catholicæ, Patrum, & Sanctorum receptis decretis penitùs ſeſe opponere videntur. Hæc enim propoſitio adverſatur primùm ſacris litteris, teſte *D. Ambroſio*, qui collegit animæ creationem *ex Cap.* 1. *Gen.* ubi habentur hæc verba: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Secundò adverſatur fidei Chriſtianæ, ut colligitur ex Conciliis ipſam animæ creationem ſtatuentibus. Ita ex Concilio Conſtantinopolitano 5. *art.* 11. ita ex Lateranenſi ſub Innocent. III. & refertur *in cap. firmiter. de ſumm. Trinit. & Catholica fide.* Adverſatur rationi, quia anima noſtra cum ſit ſpiritualis, eſt independens à corpore quoad eſſe; ergò etiam quoad fieri; ergò creatur: illa enim creantur ex communi ſententia. & ex *D. Thoma*, quæ producuntur independenter à ſubjecto. Adverſatur demum SS. Patribus, qui ſuſtinent animæ creationem, præcipuè D. Hieronymo *epiſt.* 17. *ad Damaſum contrà hæreſes*, Joan. Hieroſolymitano, D. Ambroſio *ſuprà.* D. Dionyſio *de divinis nomin.* D. Damaſo *de fide Orthod. lib.* 2. *cap.* 12. D. Gregorio Nazianzeno, D. Thomæ & aliis; qui omnes uno fatentur ore propoſitionem dictam eſſe erroneam, fideique Catholicæ adverſam. Adverſatur denique doctrinæ ſcholaſticorum Theologorum, qui omnes fidei adverſari teſtantur, ut Magiſter ſent. *in* 2. *diſt.* 17. qui ſic: *Quidquid de anima primi hominis æſtimetur, de aliis certiſsimè ſentiendum eſt, quòd in corpore creantur: Creando enim infundit eas Deus & infundendo creat.* D. Thomas 1. *part. q.* 118. *art.* 2. ait quòd ponere animam intellectivam à generante cauſari, nil eſt aliud quàm ponere eam non ſubſiſtentem, & per conſequens corrumpi cum corpore; ideò hæreticum eſt dicere, quòd hominis anima traducatur cum ſemine. Eodem modo Durandus *in* 2. *diſtinct.* 18. *& quæſt.* 3. *n.* 4. Greg. de Valentia *diſp. theol. tom.* 1. *diſp.* 6. *q.* 8. *part.* 2. *aſſert.* 1. Quare aſſertio noſtra de fide eſt, ita ut contraria ſententia nunc ſit vel hæretica, vel ſaltem erronea & valdè temeraria; ut expreſſè docet Franc. Cumel *in* 1. *p. D. Thom. q.* 90. *art.* 2. D. Thomas 1. *p. q.* 118. Cajetanus, & communiter Thomiſtæ omnes: & ex medicis Auguſt. Thonerus *epiſt.* 22. Freitagius citat. Benedict. Sinibaldus *lib.* 5. *geneanthrop. tract* 1. *cap.* 9. Æmil. Pariſanus *in microcoſm. ſubtilit. cap. ult.* omnium noviſsimè Joan. Zeiſoldus, proprio de hac re tractatu, ubi latiſsimè hanc difficultatem diſputat adverſùs Sennertum: fuit enim prædicta opinio *Apollinaris*, & ejus ſequacium, qui animas dicebant ab animabus generari, ſicuti corpora à corporibus; quæ ſanè propoſitio in libris eccleſiaſticis dogmaticis recenſetur, & inter errores Leuciferanorum hæreticorum, in multis Conciliis damnata fuit teſte D. Auguſtino *lib. de hæreticis cap.* 88. & D. Thoma *d. q.* 118. 2. *in fine corporis.*

32.

Sed licèt tanquam certiſsimum hoc ſtabilitum ſit, quòd anima à Deo creetur & infundatur, non defuerunt tamen, qui tertio à conceptu die à Deo infundi tanquàm veriſsimum ſtatuerint; ſic Fienus *lib. de format. fœtûs q.* 11. *concluſ.* 11. quod iterùm nititur probare in apologia adverſus Ant. Ponce Sancta-Crux. anno 1629. edita. Mercurialis *lib.* 1. *de morb. mul. cap.* 2. ex Hippocrate & Ariſtotele tenet antè ſeptimum diem animatum nunquam eſſe fœtum, & 7. animari credit; quam opinionem etiam ſequitur Mena *Comment. in lib. de ſeptimeſtri partu*, & Petrus Garçia *diſp. ult. de locis affect. cap. ult.* Rurſùs ſunt, qui in 30. die, alii 35. alii in 40. alii in 50. Et licèt horum opinio, qui à 30. ad 40. fœtum animari ajunt, communior & verior habeatur, tamen fuerunt alii, qui non niſi 80. animam infundi voluerunt; quod ultimum placuit Doct. *Ochæ Anglicano*, cui conſentit A Caſtro *lib.* 3. *de nat. mul. cap.* 18. atque *Amatum*, & *Fernelium* ejuſdem fuiſſe opinionis ait, & non antè tertium & quartum menſem infundi aſſerunt. Multorum itaque de hac re opiniones afferuntur *in gloſſ. & DD. in l. divus D. de extraordinariis criminibus.* Sed inter omnes illa, ut dicebamus, receptior ſententia eſt illorum, qui ſtatuunt à 35. uſque ad 40. aut 45. & tam in maribus, quàm in fœminis, determinatum tempus aſsignat pro anima accipienda, & infundenda; quia tunc jam diſpoſitionem, & configurationem neceſſariam agnoſcunt, ut animâ informetur embryo. Hanc ſequuntur Theologi ferè omnes & Juriſperiti, & ex Medicis Mercatus, Moxius *lib.* 2.

33.

cap.

cap. 14. Paulus Zacchias *titul.* 2. *lib.* 1. *q.* 9. qui ad summum ultrà 60. nunquam inanimatum inveniri ut ratum statuit; cum quibus etiam consentit Rhodiginus *lib.* 15. *lect. antiq. cap.* 23.

Cùm igitur tam discordes sint auctorum de fœtûs animatione sententiæ, ut stabilis ac firma hujus rei certitudo apud Deum, qui ipsam animam creavit & infudit, solùm stare videatur; & propterea D. Hieronymus *lib. adversus Ruffin. apol.* 2. quo loco plures gravissimorum virorum opiniones refert, se quidpiam de hac quæstione definitum non habere palàm profiteatur: quænam igitur hominum erit stoliditas, aut execranda audacia, ut fœturam corrumpere audeant; cùm de anima ibi existente, aut nondum commorante certitudinem nullam, in tanta opinionum varietate, habere possint? Quod si ità est, haud video quâ sanâ ratione suffulti Jurisperiti aliqui, tanquam legem huic difficultati imponentes, regulam statuant circà punitionem illorum, qui aborsum causârunt, dicantque homicidium tunc factum fuisse, cùm jam ad nascendum maturus fœtus exclusus fuit; hocque non nisi à 5. mense completo intelligendum, quo tempore animationem jam perfectam esse ajunt, aliter pro homicida non habendum, quia jura de tam tenui animatione (puta antè quintum mensem) non loquuntur. Sic Thesaurus *in decis. Pedement.* 12. *ex nu.* 15. Suarez *in com. opinio. V. aborsus.* Plaza de *delictis lib.* 1. *cap.* 9. *nu.* 10. *& cap.* 26. *nu.* 8. Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *Cas.* 357. Antonius Gomez *variarum* 3. *cap.* 32. Quibus assentitur. Villalpandus *lib.* 2. *epit. delict. cap.* 43. qui omnes meritò hâc parte taxandi, quia vel credunt animam non antè quintum mensem infundi, vel non: si primum, excusari possunt, licèt illud haudquaquam verum ait; si secundum, quæro ex illis, an anima aliquam perfectionem acquirat postquam semel domicilium embryonis ingressa est? quod nemo bardus dicere audebit: ergò si eadem & æquè perfecta, quænam ratio magis homicidium constituit, si à primo mense, die, imò & hora, quâ infusa est, auferatur, quàm in sequentibus? an qui senem interfecit, majus homicidium fecit, quàm qui puerum? ipsi viderint ad quos ista judicare attinet; nam & gentiles nefas esse putârunt cùm sensus & vitam accepit infans, illum attingere, ut 7. *Polit. cap.* 16. scribit *Aristoteles.* Nos quod consentaneum magis videtur tantummodò dicimus, & Catholicæ Ecclesiæ sanctissimis decretis, doctissimorumque Theologorum rectissimis judiciis nostrum libenter submittimus.

Ex dictis patet quid ad ea, quæ pro parte contraria adducuntur, respondendum sit; & primùm ad Hippocratem *lib. de nat. pueri*, quo loco sibi cum aliis, quæ in jurejurando scripsit, contrarius deprehenditur. Multi, ut eum ab hac contrarietate facilè vindicarent, prædictum lib. *de nat. pueri* Hippocratis non esse, sed Polybii affirmârunt, ut inter alios tenent Horat. Augenius *lib.* 12. *epist.* 71. Silvaticus *controv.* 82. Franciscus Ranchinus *Comment. in jusjurandum Hipp. lege* 5. *quæst.* 1. Cæsar Cremoninus *lib. de origine, & principatu membrorum dict.* 17. quin & And. Cæsalpinus vir doctiss. *lib.* 8. *artis med. cap.* 1. Alcmæoni Crotoniatæ tribuendum censet, quòd pullum in ovo nasci ex luteo, augeri ex albumine in eo statuatur. Hanc enim sententiam Alcmæonis fuisse testatur Aristoteles 3. *de gen. animal. cap.* 11. nec enim stylus majestatem *Hippocratis* sapit, sed luxuriat, ut Theod. Zuingerus *in illius comment.* docet, quem sequitur Meybomius *com. in jusjurandum*, imò nec jusjurandum tanquam *Hippocratis* legitimum fœtum agnoscit Silvaticus; quod etiam existimant Jacob. Segarra *lib.* 2. *de nat. facult. cap.* 3. Petrus Garçia *disp.* 76. *de locis affect. cap.* 8. & Mercurialis *in princip. prælect. Patavin.* qui omnes jusjurandum spurium, & minimè legitimum agnoscunt, cùm nulla aqud *Galenum* illius mentio fiat; sed cùm ex multorum irrefragabili testimonio legitimum *Hippocratis* esse appareat, ut ex D. Hieronymo & Scribonio Largo ostendit Turnebus *cap.* 21. *lib.* 19. quod etiam testatur Nazianzenus *in orat. funeb. Cæsarii fratris*, & ex Suida confirmat Opsopæus insignis & antiquiss. medicus. Quibus accedit quod Soranus & Erotianus *in catalog. lib. Hippocratis* prædictum librum reponunt, quarè manifestum est accipi non debere excusationem illorum, qui *Hippocratem* ab hoc crimine ideò liberare contendunt, quòd illius libri auctor non fuerit, cùm potius utrumque scripsisse ex antiquioribus pateat; nam licèt Galenus *lib. de fœtûs form. cap.* 1. *de nat. pueri*, Polybio tribuere videatur, & 2. *de nat. facult. cap.* 3. ambiguus videatur, *Hippocratis* an *Polybio* adscribat, tamen *lib.* 1. *de sem. cap.* 4. ut *Hippocrati* germanum recipit, & illius esse clarè fatetur 5. *aph.* 37. quo nomine illum citat. Macrobius quoq; *com.* 2. *in somn. scip. cap.* 6. idem tenet & Erotianus

Hippocrati tribuere non veretur: unde quàm inanis, aut saltem dubia conciliatio sit, evidenter colligitur; in qua proferenda operosè laborârunt Maurit. Cordus *lib.* 1. *de morb. mul. comment.* 3. *tract.* 3. Ioan. Matthæus *quæst. med.* 87. Mercurialis 1. *de morb. mul. cap.* 2. & 4. *variar. cap.* 10. ubi aliter *Hippocratem* explicat, quod *in jurejurando* de aborsu animato intelligi debeat, in lib. verò *de nat. pueri* licitum esse existimaverit effluxionem concitare, & semen non animatum corrumpere; quod apud gentiles permissum fuisse ex Aristotele 7. *polit. cap.* 16. probare nititur, ubi ne fœtus animaretur, remedia proponit; cui explicationi adstipulatur Moxius *lib.* 2. *cap.* 15.

36. Sed nec huic sententiæ accedendum puto, nec aliis aliorum responsionibus, quas *Segarra*, & *Petrus Garcia* citati referunt; quippe *Hippocratem*, quem prudentissimum ac perspicacissimum virum ipsæ etiam Sanctorum & Christianorum censuræ faciunt, adduci non possum ut credam tam directè ad conceptum abigendum planè remedium consuluisse, cùm se nunquam hoc facturum sine ulla distinctione in jurejurando promiserit: quare ego putaverim (si illius liber est) quòd *Hippocrates* nobiliss. ac familiarissimæ Heroinæ, remedium obnixè expostulanti, saltationem consuluerit, sperans fortè quòd ex illa nil tale sequeretur, & sic à petitionis tædio se liberaret, in juvene præsertim puella, optimâ sanitate dotatâ, in quâ uteri retentrix validissima plerumque est: videmus enim non ita pronum hoc remedii genus esse, ac multoties prægnantes currant licèt, saltent, & immodicè se exerceant, aliquando quidem, sed plerumque minimè abortire, ut in procacissimis & impudicis abortum procurantibus quotidiè accidere scimus. Et hoc exinde colligi potest, quòd si de facto aborsum promovere voluisset, efficacioribus aliis remediis & potionibus, aut sanguinis missione ex cruribus, quod illi satis notum erat, uteretur; atque ita credendum quòd nil tale sperans in errorem lapsus est, cujus non est dubium quin posteà illum pœnituerit: nec absque ratione suspicandum, famulam quæ tam obnixè remedia ad aborsum procurabat, simul aliis usam, ut unà operantibus voti compos fieret, prout accidit. sin minùs hæc adhuc placeant, ethnicus fuit *Hippocrates*, & veræ religionis ignarus; nec factum ejus quodpiam, nisi ex se justum fuerit, pro exemplo nobis obtrudi debet, cùm labi ut homo facilè potuerit.

37. Ad locum *Theod. Priscani* satis respondet *Pet. Garcia* citat. frivolam & parvi momenti esse rationem, quam adducit; ac inanem etiam similitudinem, quam ex ramis plantarum siccis affert, cùm non solùm arescentium, sed viridium etiam amputatio, cùm nimis luxuriant, conveniens esse soleat, sani verò fœtus minimè; unde similitudo non quadrat: tum etiam quia experimento constat plures fœminas, quæ medicamentis ad excitandum aborsum usæ sunt, interiisse; plantas verò ex abscisione illorum ramorum diutiùs vivere, & amœniores reddi. Deinde quid onus navis in tempestate cum ægrotante gravida comparatur? navis ut in procella liberetur, remedium est onus deponere; gravida in maximo periculo ægrotans, ex aborsu non rarò deteriùs habet. Tandem navis onus, ut communiter omnes liberentur, sine alicujus vitæ periculo, & absque ullo conscientiæ scrupulo deponitur: fœtus exclusio & mors non nisi cum maxima peccati labe procurari potest; ad quod *Priscanus*, ut ethnicus, nullo modo respexit: in quo sensu locutus etiam fuit Tertullianus *lib. de anima. cap.* 25. cùm dixit *infantem matricidam necessariâ crudelitate trucidari*; quod ex gentilium sententia non ex sua scripsit, ut ibidem *nu.* 331. declaravit *Pamelius*, cùm præcipuè *cap.* 9. *apolog.* & *in exhort. ad cast ita.* purgans Christianos ab impacto infanticidii scelere, & eam impietatem in ethnicos retorquens, sanguinis liberorum suorum adeò prodigos, animatum & inanimatum fœtum disolvere non licere dicat, cùm utrumque homicidium

38. esse statuat: *Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet; homo est, & qui futurus est. Homicidii festinatio est, prohibere non nasci.* Aristotelem probabile est nil aliud 7. *polit. cap.* 16. voluisse, quàm satius esse genituram ejicere antè fœtus animationem, quàm post jam inditam animam; de quo nulla est dubitatio: est enim longè truculentius sævire in fœtum vitâ præditum, quàm ne ad vitam perveniat impedire; nam quamvis utrumque nefarium sit, tamen longè detestabilius absque controversia fœtum vivum occidere, quàm nondum viventem animatione prohibere. Quod est juxtà Theologorum regulam, quâ docemur fas esse, obfirmatum ad patrandum alterutrum è duobus malis, posse sine culpa induci, ut illud potiùs admittat, quod levius est: quo pacto Aristoteles numerositate prolis gravatos conjuges, & præ egestate illam vivam perdere fixum habentes, admonet minùs certè peccaturos, si ante-

anteverterent, & exclusione recepti jam intrà uterum seminis fœtum animatione prohiberent; animatos verò nefas (id est, gravius peccatum) attingere dixit. Ad rationes verò anteà adductas satis ex jam dictis responsum est: nec enim famæ aut honestatis periclitatio tanti est, ut aliquem ad aliquid ex his vitandum in gravis peccati reatum adducere cogant. Ægritudines verò illæ numeratæ sperandum est, ut divina favente gratiâ aut demulceantur, aut parientis conatibus cedant, nec omninò obstent: Deus enim, qui conceptum fecit, paternâ semper benedictione assistit, & quando convenit, vel nobis desperantibus adjuvat. Multas anno ætatis 5. 6. 7. 8. 9. 10. peperisse, aut parere solitas, narrant Plinius *lib. 7. cap. 2.* Arianus *rerum Indicarum cap.* 174. Sigismundus Baro *comm. rer. Moscovit. fol.* 104. Albericus de Rosate *in indice, verbo, matrimonium.* Aloysius Cadamust. *navig. cap* 75. Augerius Busbequius *Legat. Turc. epist.* 3. Joan. Schenckius *lib. 4. obs.* de quibus *quæst.* 90. latiùs agemus. Ex quibus patet impossibile non esse fœminam parvam, aut uteri parvi, vel aliter ex morbo coarctati aliquando sine periculo parere posse, cùm ferè proportioni uteri correspondeat magnitudo fœtûs.

39.

Ut igitur ab operosa hac quæstione nos expediamus, cum omnium ferè auctorum maximâ parte ultimò concludimus, eam prolis lanienam vel interemptionem, quocumque modo ex directa intentione patratam, summè aversandam esse, sive animatus, sive inanimatus sit fœtus, cùm hoc ad unguem scire nemo agnoscat: tamen dicimus fas esse usurpare remedia directè & per se tendentia ad matris salutem tuendam, præcognito licèt prolis damno, sed non nisi indirectè & per accidens volito: Ita Laymann *lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 3. cap. 4. nu.* 1. Comitolus *lib. 4. respons. q.* 13. *nu.* 6. Naldus *V. abortus nu.* 3. Diana *p. 3. tract. 5. resol.* 11. Azor. *tom. 3. lib. 2. cap. 3. q.* 22. Fernand. de Moure *p. 4. cap. 12. §. 2. nu.* 4. Sanchez *lib. 9. matri. disp. 20. nu.* 14. à quo allegantur Corduba, Petrus Navarra, Rodericus, Lopes, Vega, Bañes, Henriques, Bensoinus, Saa, Aragonius. Cum quibus omnes ferè medici Christiani, & neoterici consentiunt, ut latè videri potest apud Moxium *lib. 2. de vena sect. in morb. acutis cap.* 13. & apud innumeros alios.

Conclus. 40.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMASECUNDA.

An ex nodis, seu tuberculis vasorum umbilicalium, possint obstetrices prædicere filios quos posteà mulier paritura est?

AB aborsu igitur & immaturo fœtu ad perfectum & legitimum partum gradum faciamus: sed quoniam in præcedenti quæstione in tam seriis fuimus occupati, liceat in duabus sequentibus per aniles quasdam nugas paululùm divagari, quibus an inanis mulierum curiositas, an veritas ipsa experientiâ comprobata locum fecerit, judicent alii. Et quod ad præsentem dubitationem attinet, notissimum & omnibus medicis cognitum est, fœtum per vasa umbilicalia secundinis alligari, omniaque simul adjungi, ita ut unum velut corpus efformare videantur; quod tamen ex quatuor vasis constat, venâ scilicèt unicâ, arteriis duabus, & uracho; quorum vasorum historiam, usum, & dignitatem latè describunt anatomes professores, & pulchrè inter alios Laurentius *l. 6. c.* 9. Spigelius, Riolanus, & alii. Hæc itaque vasa ubi unum corpus efficiunt, & chordæ instar aut teretis alterius corporis, ad fœtûs umbilicum deducuntur, locis nonnullis veluti tuberculis nodisve distinguuntur; quæ quidem tuberositates nil aliud sunt, quàm ipsorum vasorum & præcipuè venarum crassitudines, & veluti cavitates, quas eo artificio natura construxit, ut morâ adhuc in illis factâ ampliùs sanguis pro nutriendo tenello fœtu elaboraretur: cæterùm cùm eodem semper numero in omnibus enixis non inveniantur, nec etiam in eadem parturiente, cùm sæpius jam plures jam pauciores notentur; mulieres & obstetrices præsertim suadere conantur, in hujusmodi nodis, aut tuberculis à natura fœtus designari, quos fœmina posteà paritura est, hincque illius fœcunditatem venari autumant. An verò obste-

1.

2.

obstetrices hoc à medicis acceperint, an medici ab ipsis acceptum inter alias ipsarum nugas crediderint, incertum est. Quidquid igitur fuerit, non pauci sunt ex Arabum præsertim schola, qui hoc tanquam verum affirmare ausi sint; illud enim inprimis scripsit Albumasar *in principio introductorii*, & confirmare videtur Avicenna *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 17. ubi sic scribit: *Et de signis geminorum, & qui suprà sunt, secundùm quod dixerunt & expertum est, ut consideretur umbilicus nati primi continuus cum fœtu: tunc si non fuerit in ipso ruga nec nodus, non erit post natum primum filius; & si fuerint in ipso ruga, tunc prægnatio erit secundùm numerum rugarum.* Et sanè ex tali signo videtur voluisse *Avicenna* non solùm fœtus, quos posteà mulier paritura est, cognosci posse, sed gemellorum etiam notitiam inde haberi, inspectis scilicèt rugis seu nodis, quod expertum esse scribit: in cujus loci comment. *Iacob. de Partibus* saltem illud concedit, quòd illæ rugæ seu nodi de præsenti gemellum commonstrent, an in utero vel non remaneat; & hâc arte sunt qui dixerint obstetrices in nativitate Esau cognovisse quòd post eum nasciturus esset *Iacob*, atque ob id alligâsse filo coccineo, ut ab eo discerneretur; ut notat Torreblanca Villalp. *in epit. delictor. lib.* 1. *c.* 24. Horum itaque opinionem secuti, hoc verum esse, & certam hujusmodi omphalomantiam confirmant, præter Salicetum, Gabriel Zirbus *lib. de anat. infantis*, Conciliator 10. *probl.* 46. Rhodiginus *lib.* 4. *antiq. lect. cap.* 5. præter quos etiam non defuerunt juniores alii medici, qui hoc signum tanquam certum approbent; quemadmodùm tenet Petr. de Bairos *in suo vade mecum lib.* 15. *cap.* 8. ubi alia non minùs ridicula addit, rotundos scilicèt nodos mares significare, oblongos fœminas; quemadmodum de gallinaceis ovis alii scripserunt: cognoscere etiam docet an mas, an fœmina, an gemelli sequenti partu prodituri sint; indeque conjectari ait, si primi partûs embryonis caput, statim ac ab utero materno exivit, inspiciatur: nam si capillorum congeriem habeat, & quasi circinos, masculum secuturum fore existimant; sin gemini spectentur circini, gemellos edituram. Embryonis nomen infanti jam edito malè ab ipso adaptatur; quia talis solùm dicitur antequam suæ speciei perfectam delineationem & animam accipiat: sed hoc nil refert, dummodo cætera, quæ de suis circinis docet, aliquâ ratione aut veritate fulcirentur, ne ridicula fabulosis miscere videretur.

3.

4.

5. Sed ad nodos illos iterùm redeundo, idem signum etiam experientiâ duce suscipit & approbat Hier. Montuus *in anasceve lib. ult. cap.* 35. cujus titulus est *de nu. natorum, qui nascituri sunt*, ubi prædictum signum tanquàm certum affert, quod in prole Reginæ matris Christianissimæ comprobatum fuisse ait. Joan. Alonso de Fontecha *privileg.* 8. *prægnant. fol. mihi* 111. cum prædictis non solùm convenit, sed rem hanc inquit receptissimam esse, & experientiâ cognitam; & cum Conciliatore, cujus verba affert, ait, quòd si nullus nodus inveniatur, nullum deinde fœtum prægnantem habituram; si inveniantur, tot numero parituram, quot nodi fuerint; quos ait in subsequentibus imminui, ita ut in unoquoque partu unus paulatim deficiat; quod absque dubio verum esse comperietur, si singuli prout nascuntur observentur (ait ipse:) quin & *fol.* 150. *sequenti* cum *Iacobo de Partibus* gemellum in utero remanentem eodem signo agnosci ait, ita ut si gemellus remaneat, de præsenti nodi illi significent; sin aliter, de futuro & reliquis conceptibus, quos postea mulier habitura est: ac tandem hujus eventûs rationem nemini notam esse, nec assequi posse judicat, cùm nec in aliquo fundari possit in quo acquiescat humana mens; quare summo rerum Conditori tantùm hujus effectûs causam relinquendam, ut alia multa, quæ nunquam comprehendere poterimus, licèt præ oculis quotidiè habeamus.

6. Sed hæc omnia futilia, fabulosa, & nullius veritatis & certitudinis esse peritiores medici & juniores fatentur; tenet in primis Rodericus A Castro *lib.* 1. *de natur. mulier. cap.* 10. Langius *epistol.* 10. *tom.* 2. cùm sciolæ obstetrices, & quæ inter ipsas peritiores videri volunt, hoc vel primò invexerint, ut obstetricandi scientiam suam ampliarent, vel à medicis inter alia vana, & nullius veritatis inconsideratè prolata acceperint. Et meritò hanc illarum omphalomantiam inter alias ipsarum divinationes ad explorandam virginitatem, & fortunam infantis, quam ex colore involucri illius capiti adnascentis augurabantur, damnat tanquam superstitiosam Villalpandus *lib.* 1. *magiæ divinat. cap.* 24. cum variis aliis mangoniæ speciebus: ut enim jus suum extenderent, ridicula multa enixis, & aliis mulieribus persuaserunt; unde postea in vulgus derivata opinione magis quàm veritate stabilita sunt.

sunt. Sed tamen cùm ista nullâ ratione fulciantur, nec experta probentur, aut veritati respondeant, facilè ut falsa convincuntur & evanescunt; unde à cæteris omnibus medicis inter fœcunditatis signa plerumque omissa sunt. Nec obstat quòd aliqui parùm attenti & nimis creduli auctores illud confirmarent; quia nullâ experientiâ edocti hoc facere visi sunt, sed alius ex alio transcribendo ridiculum hoc mendacium in vulgus sparserunt. Quòd si aliquando tanquam certum tale signum expertum est, ut in Christianissima Regina accidisse tradit *Montuus*; casu potiùs contigisse putandum, quàm ut verum in reliquis admittendum, ut certa inde pro cæteris regula approbetur; cùm fallax omninò & sine ullâ ratione signum existat, & astrologorum superstitiosis prædictionibus fraudulentius: fieri enim potest ut mulier moriatur, aut conjugio privetur, vel aliter castè vivat, aut absente marito degat; quibus in casibus illa prædictio necessariò frustrabitur. Quòd si aliquis dicat hoc intelligendum de aptitudine mulieris, nil ex necessariis deficiente, adhuc absurdum est, quia multoties fœminæ huic viro adjunctæ facilè concipiunt, alii nequaquam, aut multo minùs, cùm non rarò prole hac de causa priventur; unde fieri non potest, ut certò & signato numero nodorum fœtus respondeant: alioquin illud signum ex mariti virtute penderet, aut fatendum eodem semper numero pro uniuscujusque natura donari, quod est falsissimum. Ex quibus patet ridiculam esse hanc observationem, cùm ex infinitis causis frustrari queat, nec ullam veritatem continere; quemadmodum *Cardano* etiam visum est *lib.* 8. *de rerum variet. cap.* 44. quare cum eodem dicendum est, fœcundos uteros plerumque plures nodos parere in umbilico; steriles verò paucos, nec ad unguem distinctos. Cæterùm quòd singulis partibus deficiant, & natorum qui secuturi sunt numero correspondeant, ut voluit *Conciliator*, *Fontecha*, & alii suprà adducti, commentitium omninò & fabulosum judicamus: quòd verò fœcundiores uteri plures efforment nodos, ideò existimaverim, quia cùm majori sanguinis copiâ abundent, ex eo etiam faciliùs concipiunt, & ipsi nodi quædam veluti sanguinis ad ipsos confluentis sunt receptacula, in quibus magis elaboratur, ut anteà dicebamus; imò quò plures sunt, sanguinis abundantiam denotant, & ad concipiendum & prolem generandam majorem aptitudinem adesse demonstrant: quare in hoc tantummodò problematis veritas verificari potest, alioquin in determinato sobolis numero minimè.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMATERTIA.

Lac, secundinæ, menstruum, & alia corporis excrementa, posteaquàm è corpore exierunt, aut ipsa etiam infantium linteamina, an noxam aliquam parere possint, si igni admoveantur, aut rebus aliis misceantur?

SEd & circà nutritionem, & administrationem jam editi fœtûs, jus suum extenderunt obstetrices: mirum est quàm futilibus nugis facilè credulas mulieres imbuant, quantoque studio hæ ex illarum monitis multa rigorosè observent & caveant; sed & non pauca ex his, quæ superstitiosa quodammodò videntur, non tamen omninò contemnenda sedulò jam diu adnotavi. Quis enim est, qui sæpiùs non viderit, lactantes & nutrices, si quando ab ipsis lactis aliquantulum expostuletur, dubitanter aut negare, aut non libenter exhibere, illud frequentissimè admonentes, ne igni admoveatur? fama enim apud ipsas increbruit ex tali ad ignem applicatione lac in nutricis uberibus exsiccari, & infantem necessario alimento privari: quod non in lacte solùm contingere aiunt, sed in virentibus quoque plantis evenire, certò audent affirmare, si teneræ illarum frondes, & virides pampini eo incoquantur aut frigantur; unde non paucas novi, quæ absinthii, rutæ, aut alterius herbæ, quam in deliciis habent, petitos ramusculos exhibentes, illud statim monebant, ne quoquo modo igni admoverentur; alioquin plantam exsiccatum iri, & perire. Et quoad secundinas, omnes etiam nôrunt, quàm solerter & diligenter eas obstetricum aliæ combu-

burant, aliæ defodiant, nil magis pro certo habentes quàm si à felibus aut canibus devorentur, frigidóve aëri exponantur, aut à radiis lunæ tangantur, maximum inde damnum enixis secuturum: circà quod ultimum de lunæ radiis vigilantissimè etiam cavent, ne infantium linteamina, dum lota aëri suspenduntur ut exsiccentur, ab ipsis lunæ radiis attingantur; nam vel hac solùm de causa infantes quotidiè malè habere aiunt, famulasque, quòd hoc non caverint, negligentiæ accusant & increpant. Tandem de sanguine etiam per venæ sectionem extracto religio quædam est illum custodire, ne à quo quam animali absorbeatur, aliquid mali ægroto inde supervenire posse timentes: quod in menstruo quoque & primo præsertim virginum sanguine, ac menstruatis etiam linteis studiosè observant, non sub reverentiæ & honestatis solùm respectu, sed ne deterius aliquid contingat, si non rectè & ut decet tractentur. Porrò his similia apud ipsas præsertim fœminas inveniuntur multa, quæ licèt ridicula, fabulosa, vanitatisque plena, nulliusque rationis à plerisque judicentur; tamen ipsæ aut experientiâ edoctæ, aut fidem aliis præstantes, ab eisdem non desistunt, ut in opinione sua, quam semel apprehenderunt, firmiter persistere magis velle videantur, quàm contrariis doctiorum suasionibus acquiescere: quibus simile videtur illud commentum ab auctoribus unguenti armarii summâ cautione animadversum, ne videlicèt gladius eo unguento illitus aëri exponatur, sed ut rectè munitus & involucro optimè tectus servetur; alioquin periculum fore vulneratis non contemnendum.

3. Sed an aliqua ratio inveniri possit, aut in medicorum libris aliquid scriptum reperiatur, quod illarum judicio faveat, modò videndum est. Et in primis quoad experientiam videtur quòd non omninò fides illis neganda sit, quia multoties hoc observâsse asserunt; & certè maximam vim habent illa, quæ communiter apud vulgus prædicantur, & jam diu mentibus infixa adhæserunt: quæ enim omninò fabulosa, non ita permanere solent, sed facilè evanescunt; quæ verò animis altiùs insinuata durant, non omninò talia creduntur, quamvis evidens illarum causa & ratio non ita facilè inveniatur. Unde, quæso, tot sympathiæ & antipathiæ genera medici observârunt, quorum plerumque causa nulla redditur? cujusmodi multa in propriis libris retulit *Fracastorius*, & quamplurimi alii, qui de occultis rerum proprietatibus scripserunt, & naturæ adyta & abdita investigare conati sunt; quorum causas nulli quantumvis assiduo studio occupati invenire potuerunt. Fateor sanè multa fabulosa, mendosa, falsa à quamplurimis tradita, quorum aliqua adhuc hodie ab ipsa gentilium antiquitate perenni hominum memoriâ derivata permanent; sed negandum minimè inter Priscorum non paucas nugas aliqua etiam seria involvi, in quorum ratione indaganda humana obstupescit mens, & impervia illa naturæ arcana magis ac magis hæsitabunda miratur: & ut multa omittam, aliqua ex *Plinio* admirabilium naturæ indagatore maximo transcribam; quæ aut negare oportet, aut in causa reddenda erubescendum omninò est. Scribit idem *lib.* 28. *cap.* 3. aggravari vulnera illorum introitu, qui unquam serpentum canísve morsu fuerint læsi. Eosdem gallinarum incubitus, pe-

4. corum fœtus abortu vitiare. *lib.* 30. *cap.* 11. de ave Ictero, quam & galgulum vocant, quæ si ab illis, qui regio morbo laborant spectetur, sanari eos, & in avem transacto malo ipsam emori; *cap.* 8. *lib.* 32. de quadam rana parva loquens, quæ arbores scandit, *In hujus* (inquit) *os siquis tussiculosus exspuat, ipsamq; dimittat, à tussi liberatur.* Simile est quod de equi saliva scribit idem, & confirmant *Sextus*, & *Marcellus*: Equi salivam si biberint phthisici, & qui malè tussiunt, sani efficiuntur, equus emoritur. Non absimile est, quod ex frequenti cujusdam Itali experimento refert Mizaldus *cent.* 6. *memorab.* 38. adversus quartanam: Si accipiatur omne lotium, quod laborans unicâ vice accessionis tempore reddiderit, & cum eo farina concoquatur; si hoc cani famelico devorandum exhibeatur, ubi id ter repetitum fuerit, sanitatem consequi, & pro ægroto canem laborare.

5. Sed licèt hæc & similia difficilè credi possint, nec fidem omninò mereantur, tamen cùm nullum vel exquisitissimum sit mendacium, quod aut testibus careat, aut in aliquo saltem non fundetur; quid mirum, quòd si à doctissimis auctoribus talia scribuntur, à vulgo etiam & à mulieribus, quæ in veritate indaganda minimè elaborant, consimilia etiam credantur, & proferantur alia? Præsertim cùm experientiâ suâ, quâ nituntur, veritatem confirmari dicant, ut de lacte affirmant, quod non rarò igne calefactum, in nutricis uberibus exsiccetur; potuit enim hoc casu accidere, & ex alia

alia causa evenire, ignis tamen occasione susceptâ, illi attribui; nam quòd admodum rarenter, aut nunquam accidat, in lacte aliorum animalium quotidiè experimur, caprarum, ovium, vaccarum, quorum lac nullo non die cogitur, sine ullo illius damno, aut imminutione. Nec est quod aliquis dicere possit, hoc in mulieribus non in cæteris animalibus certitudinem habere; nam quare in his accidat, non illis, tam obscurum erit, quàm ipsa eventûs ratio, quam nullus (si illud verum est) invenire poterit, nisi ad magnetismum, occultam sympathiam, & tacitam illam idearum penetrationem à junioribus excogitatam recurrat.

Hoc igitur pacto quoad secundinas, non sine ratione hoc facere mihi videntur, cùm eo tempore admodum delicatæ puerperæ inveniantur, ut promptissimè ex levi quadam causa laborent, & à quovis externo aëre offendantur; secundinis etiam cum utero, & tenerrimo fœtu notissimus sit consensus & sympathia, cùm intrà easdem per novem menses jacuerit, sanguine per illarum venas attracto nutritus & altus fuerit, & ab eisdem principiis embryonis & illarum materia initium sumpserit: ut hinc conspicua appareat connexio & symbolica proprietas, nec mirum propterea fuerit altero læso in alterum quantumvis jam separatum noxam etiam redundare, cùm (ut alii loquuntur) mediante spiritu mundi multa sese quærant, & ad invicem affectiones suas communicent. Et si exemplis agere licet, narrat Mizaldus *cent. 8 memorab. 92* de populi nigræ quadam specie loquens, quam vulgò Tremblam vocant, quòd si animal quoddam pilosum, aut ipse homo, vermes in aliquo ulcere patiatur; si pili ejusdem animalis sub cortice ejus arboris occultentur, miraculo quodam vermes decidere, vel emori, vel stationem deserere. Dicat mihi aliquis si potest, quid ex pilis sub cortice arboris repositis, vermibus & corpori ex quo extracti sunt communicetur; aut quibus mediis hoc fiat, ut vermes emoriantur, & decidant? Virtutem in naturæ remotioris operationibus non esse, nisi à contactu illo propinquiori, si contendas; quidquid est tuarum, sive è Stoa, sive è Peripato argutiolarum, non paribus sophismatum strophis & involucris diluam, sed scommate vel è triviis petito; quod sic narrat Ernestus Burggravius in Achil. Panopl. redivi. p. 82. *Ventris anus*, inquit, *nimis vicinum excrevit quispiam, vel in contumeliam deposuit alicui, ut ejus graveolentiâ offendatur. Animo vindictæ cupido? Tam incivilis ultor depositi, prunas candentes cum vino adusto & pipere excremento injiciat recenti, & exagitabit nebulonem istum, adeò ut aliquot dies ægrè illi sit, & pudendis illis partibus insidere nequeat: quin & consimili magnetico quodam magico-physico artificio tantus alicui alvi fluxus absque alio pharmaco, sive intrinsecus exhibito, sive foris admoto, solâ magnetis naturæ spiritualis ac invisibilis sympathici illius virtute, atque efficaciâ concitari potest, ut inde, nisi sisteretur (quod non nisi ab illo fit, qui fluxum illum occulto modo concitavit) in præsentissimum vitæ periculum adducatur. At nihil ibi* (subdit) *contactûs est corporei, sed magnetica est pura puta vis quædam, & efficacia; cujus spiritualis contactûs exempla è naturæ profundis sexcenta licet haurire, cui otium fuerit illis immorari. Nos enim non moramur corporeum illum contactum, quem rus merum novit, & mare ipsum sentit.* Si namque in aliis ob naturæ congruentiam in determinata distantia ut sese fruantur attractio fit, ut in magnete & succino videmus, & majoris admirationis aliis (si vera sunt quæ de Echenide, & Torpedine narrantur, quæ multi nec fabulosa, nec impossibilia judicant) quid obstat, ut in aliis eodem aut incognito alio modo aliquid communicetur, cujus ratione ad invicem compatiantur (ut inter secundinas, uterum, & fœtum accidere posse, verentur obstetrices) atque ita lædantur? verùm ab igne & calidis multò minùs, quàm à frigidis, quæ nobis adversa, & utero, ut nervoso, inimica, magis illum offendere possunt: ideoque adhuc meliùs faciunt, qui secundinas comburunt, quàm qui defodiunt; & fortassis ob prædictam causam animalia, quæ natura sine doctore multa edocuit, statim à partu secundinas devorant, ne ex aëris frigiditate aut putredine læsis ipsa quoque aut fœtus lædantur, ob tacitam illam & occultam sympathiam, quæ inter ista intercedit, ob quam similia alia non minoris forsan admirationis evenire auctores tradunt. Scribit Mizaldus *cent. 9. memorab. 17. & lib. 1. arcanorum naturæ*, observatum ac expertum sæpiùs, vaccam, ovem, asellam, canem, suem, felem, & similia fœminei sexûs animalia domestica & mansueta, dum utero gerunt, abortire, si mas ex quo conceperunt occidatur: tam validus est & concors inter parentem & prolem occultus naturæ influxus ac sympathiæ vis, ut illo læso fœtus quoque lædatur, aut saltem uterus cui alligatus est, enervetur & illum continere non possit. Nec est cur aliquis dicat hanc doctrinam, superstitiosam

illam unguenti armarii à Doctoribus damnatam & explosam sapere; cùm in his, de quibus in præsenti agimus, major multò intercedat connexio & symbolica proprietas, ut ipsâ mediante se quærant, cùm sint ejusdem animalis partes, quàm inter cujuscumque hominis sanguinem, & illa ex quibus unguentum paratur, licèt ex sanguine & pinguedine humanis fiat; quia multùm differt natura à natura, ut occulta illa sympathia unguenti ad hominem vulneratum non facilè credi possit: de qua difficultate vide Sennertum *lib.* 5. *praxis. p.* 4. *cap.* 10. ubi de hac re latè disputatur.

9. De linteis etiam, ne ad lunæ radios expandantur, quod mulieres observantissimè cavent, hoc rectè facere non est dubium; cùm illius lumen & frigiditas maximas causet impressiones, & tenellis præsertim infantibus, quibus ipsa multùm dominatur, maximè noceat: noxias enim qualitates, & quæ cerebrum & nervos magnoperè lædunt, lunæ radii imprimunt. Quod sanè haud ignorabat Pythagoras ille Samius, qui aliquando interrogatus, quomodò tam diu vixisset? Respondisse fertur: *Satur nunquam à mensa discessi: luna me nunquam vidit: cum vetula nunquam coivi.* Quare sub ejus lumine dormire malum; nam pallor & capitis gravitas statim subsequitur, ut monet Galenus 3. *de dieb. decret. cap.* 2. epilepsiam etiam movere, & somnambulones ad motum excitare firmat Sennertus *lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 19. & ob hanc causam Plutarchus *decad.* 3. *prob. sympos.* 10. ait quòd lunæ radii, si dormientes feriunt, stupidos & sensibus obtorpentes reddunt, quod 7. *Satur. ulti.* etiam scripsit *Macrobius*: unde convulsiones ex decubitu sub dio contractas vidisse refert Iachinus *in lib.* 9. *Rhas. cap.* 13. quin & Horatius *Satyra* 4. *lib.* 2. vina nocturno cœlo exposita nervis multùm nocere dixit.

Massica si cœlo supponas vina sereno,
Nocturnâ, si quid crassi est, tenuabitur aurâ,
Et decedet odor nervis inimicus.

10. Quæ cùm ità se habeant, & radii lunares adeò damnosi ab omnibus judicentur, ut adultos quoque & robustos multùm etiam offendant, ac attonitos quandoque & aphonos reddant, ut cuidam vinitori accidisse testatur Zacutus *lib.* 1. *prax. mirand. obs.* 37. qui etiam ipsius lunæ damna, & vim in hæc inferiora ex multorum mente prosequitur *lib.* 2. *de princip. hist. q.* 37. de quo argumento *quæst.* 75. latiùs aliqua afferemus: quantò potiori ratione tenerrimos & humidissimos infantes, qui illius mutationibus & alterationibus multùm subjacent, faciliùs ac promptiùs lædi par est? ut quamvis ipsi non tangantur, lintea tamen illius lumine & qualitatibus infecta illis magnoperè nocere dubium non sit: ut proinde matres & nutrices pro hoc vitando damno maximè solicitas esse deceat, cum præsertim callosi quidam & experti chirurgi moneant, ne panni, & linamenta, quæ à vulneribus extrahuntur, radiis lunaribus exponantur; nocere enim hoc periculo compertum sibi esse dicentes, ut inter alios advertunt Andreas Balcasar *lib.* 1. *de vul. cap.* 24. *in fine*, Joan. Fragoso *in gloss. quæst.* 110.

11. Ultimò tandem, quod de sanguine menstruo, illo potissimùm primo, qui à virginibus exit, quem appellant Zenith, & de lochiis ajunt & observant, Sennertus *lib.* 5. *praxis* suprà citatus *cap. de unguento armario*, & illius mirifica virtute à multis prædicatâ, illud secundinarum & sanguinis servandi supervacaneum studium & curam esse tradit, & ex muliercularum superstitione inventum: sed ego licèt de hujusmodi illarum commentis non dubitem, tamen adhuc hìc aliquid excusationis animadverto, si verum est, quod ut certissimum narrat Laguna *lib.* 6. *in Dios. cap.* 25. ibi enim scribit, ebrias ac vinolentas reddi mulieres quarum sanguini menstruo vel guttula tantùm vini misceatur; unde colligit illius infectionem ipsi quoque nutrici perniciosam esse, à corpore quamvis separatus & expulsus sit sanguis cujus tandem effectûs causam se non assequi ingenuè fateri non dubitat. Quod si verum est, similia aut alia pericula cur non vitabunt fœminæ? in re præsertim adeò

12. maligna, de cujus pravitate & horrendis effectibus sat multa *Plinius* & *Aristoteles*; à quibus modò supersedimus, cum multa ab aliis etiam auctoribus & ab eodem etiam *Laguna* ibidem referantur, præsertim si potetur; nam furentes, & amentes reddit, ut de Caligula, cui uxor Cæsonia illum propinavit, ut scribit

bit *Suetonius*. Nam quantum vel illius solum vapores virus habeant & inficiant, in speculis, vinariis cellis, virentibus plantis, canum rabie, qui illum devorârunt, & in puerorum fascino notissimum jam est, & à plurimis confirmatum. Est enim tanta illius pernicies, ut dicat Pet. Texera *in hist. Regum Pers. cap.* 33 se Goæ arborem vidisse in horto cujusdam vicini pulcherrimam, quæ brevi tempore exsiccata fuit, ex eo solùm, quia in illa lintea sanguine menstruo infecta suspenderentur: quin & lapidem Bezaar magnæ virtutis & pretii ab ancilla menstruata manu leviter tractatum statim dissolutum fuisse, vidisse ibidem ait. Quare mulierum linteamina tanto veneno imbuta, ut à vulneribus arceantur monet idem *Laguna*, & *Fragosus* supra citatus: quia etsi millies abluta, adhuc qualitatem illam pestiferam semel contractam retinent, ut notat idem auctor. Hinc etiam est quòd *Lanfrancus* medicos hortatur, ne menstruatas fœminas vulneratos aspicere permittant, nec etiam alia optima lintea ipsarum manibus tractari sinant: unde non omninò superflua mulierum cautio & cura judicanda, cùm eis & aliis tantum hoc virus officere possit: quâ etiam ratione illos, qui à Veneris congressu parùm anteà discesserunt, à vulnerum conspectu arcendos esse monent, cùm illis humectâ ac hircosâ illa fumigatione, & intuitu non parùm nocere possint; ut inter cæteros adnotavit Ioach. Camerarius *decuria* 5. *probl.* 2. ob quam hi ab apibus insequuntur & læduntur, cùm alioquin castitatis amantissimæ sint.

QUÆSTIO QUINQVAGESIMAQVARTA.

Nepotes quarè avunculis, & aliis cognatis frequentiùs hodie magis quàm parentibus nascantur similes?

EDito igitur jam fœtu, & extremis lactationis & nutricis muniis consideratis, attentè jam contemplemur, quo tempore faciei partes magnitudinem & perfectionem adeptæ, quibuscum majorem referant analogiam, facilè ostendant; miraculosâ sanè divini opificis varietate, ne nutante hominum judicio individuorum daretur confusio, sed ex conspicua similitudinum differentiâ facilè dignoscerentur. Videntur equidem sublunaria omnia quâdam naturæ subordinatione circuitu quodam in se revolvi & mutari; ut quemadmodum plantarum & animalium aliqua in alia atque alia degenerant, ita hominum similitudo ipsa à paterna non rarò recedens, subindè avorum & proavorum imaginem repetere videatur, jamque obliterata signa iterùm suscitare ac exprimere, ut inconstantis naturæ motiones nulla in re clarius conspiciantur: rotantur quippe omnia, & cæco naturæ ductu nullâ stabilitate firmata ambiguis mæandris, & assiduo remigrationis ambitu novis semper figuris apparent; non solum ut illius majestatem pulchritudine quadam in varietate gaudentem irrequietâ mutatione ostendant, sed ne immutabilis illa firmitas & constans immutabilitas, quæ divinitatis tantum propria est, in alio inveniretur. Sed quemadmodum cæterorum omnium, quæ in mundo sunt, similitudo plerumque eadem, quia ab eodem principio & efficiente causa producuntur, eademque materiâ, aut parum saltem diversâ constant; ità in viventibus dissimilitudo ob contrariam rationem major: sed in triplici illorum genere conspicua magis similitudo, & utique ferè semper eadem in plantis visitur, respectu animalium & hominum maxima, cum illis ex quarum semine productæ fuerunt; quippe cùm à terræ tantummodò varietate & ineptitudine mutari possint, hinc accidit, ut ob regionis diversitatem in similitudine & figura aliquatenus minus similes & formâ & viribus aliquandò conspiciantur; alioquin eodem solo productas eâdem semper effigie & viribus insignitas apparere videmus: sed in animalibus non ità, in quibus etiam præter ista duorum seminum materia intercedit, quorum diversitas & varia commixtio

facit, ut magis inter se dissimilia existant quàm plantæ. Sed omnium dissimilitudo maxima in hominum effigie sese promit; in quo præter dicta, tertia intercedit causa omnium potissima: quippe in illo seminum diversitas, & materiæ ineptitudo non solùm sicuti in cæteris reperitur, sed imaginationis quoque vis maxima; quæ fœtum dum concipitur, & post conceptum adeò immutare valet, ut innumeris pænè figuris, non patris, avorum, aut aliorum consanguineorum similitudinem repræsentantibus, sed novis & nulli congruentibus illum effigiet: nam licèt facultas formatrix in subjecta materia pro illius efficacia & aptitudine hanc aut illam figuram imprimere nitatur, à superiori imaginationis potentia, cui subordinata est, facilè non rarò distrahitur, & pro idoli conceptâ specie in illius accidentibus talem cogitur formam inducere, qualem spiritus corporeus ab imaginatione susceptam obtinuit; hinc tam multiplex ac varia in humana specie accidit figuratio, ut non immeritò inter naturæ miracula: hoc tanquam maximâ admiratione dignum referat Plinius *Iam in facie (inquit) vultuq; nostro, cùm sint decem aut paulò plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere: quod ars nulla in paucis numero præstat affectando.* Sic itaque nulla in perexiguo vultûs spatio facies alteri appositè videatur ità convenire, ut si attentè inspiciatur, notabilis non adnotetur differentia, quâ individua distingui ac internosci facilè possint: nec ignoro in multorum scriptis aliquorum exempla reperiri, & præsertim gemellorum, qui ita inter se consimiles extiterunt ut nullo modo distingui facilè potuissent; de qua omnimoda similitudine Plautus *in Men.*

4. 5. Lib. 7 1.

Neque aqua aquæ, neque lac est lacti, crede mihi, usquam similius.

Similitudo inter plurimos observata.

De qua etiam Virgilius 10. *Æneidos*:

Daucia, Laride, Tymberq; simillima proles
Indiscreta suis, gratusq; parentibus error.

Quorum aliqua adnotavit *Plinius*. Quemadmodum etiam tradit *Cicero*, Servilios geminos difficilè à quoquam ob similitudinem dignosci potuisse; quod quoque de Menæchmi geminis refert *Plautus* adeò fuisse similes, ut nec nutrix, neque mater, quæ pepererat, dignosceret. Mirum est, quod de Rege Antiocho narrat *Solinus*, Arteon quendam ex Syriaca plebe sic Regi æmulâ fuisse facie, ut Laodice uxor regia objecto populari isto tamdiu dissimulaverit defunctum maritum, quoad ex arbitratis regni successor ordinaretur. Similem etiam vultûs æquabilitatem in Cn. Pompeio, & humili loco nato Vibio adnotatam fuisse ait; quorum etiam meminit Majolus, & Valerius Maximus *lib. ult.* quibus similia sunt, quæ de Gervasio & Protasio fratribus scribit Marulus; & passim hujusmodi historiæ apud auctores occurrunt, ut videre est apud *Pet. Mexiam*. Sic in temporum Enchirid. ex D. Ant. Florentiæ narrat *Venerus*, Caroli Magni scilicèt tempore duos inventos equites *Amicum* & *Amelium*, adeò inter se similes, ut nullo modo discerni potuissent, unde sine ulla nota alter alterius opera interdum ministraret. Ridicula etiam est historia quam de adolescente Augusto Cæsari simillimo narrat *Suetonius*; qui cùm provincialis esset, ac Romam venisset, Imperator cui oblatus est, tantam secum oris similitudinem admiratus, an illius mater unquam Romæ fuisset, rogabat; quod adolescens negans, ac jocum sentiens, retorsit in illum, adjecitque: Pater sæpiùs fuit, mater nunquam. Porro ex D. Augustino 5. *de civitat. Dei cap.* 2. ex Alberto Magno 9. *de animal. cap. ult.* & ex Quintiliano *declam.* 7. consimilia multa refert *Conciliator*; & alii ex nostris medicis, ut *Vidus Vidius*, qui de P. Servilio & Quinto gemellis ait, ita inter se similes fuisse, ut sicuti inter priscos Romanos, qui Servilium videret, Quintum videre putaret: quin ait suo tempore Pisis Jacobum & Iulium Anglos, duos doctissimos juvenes, & publicos professores, illum juris, philosophiæ alterum, ità similes fuisse, ut ab ipsis quoque auditoribus Iurisconsultus pro Philosopho, & hic pro illo salutaretur, nullâ apparente notâ quâ internoscerentur; quod in duobus fratribus Hebræis etiam vidisse tradit *Amatus*, & in duobus monachis; sicuti in duobus aliis fratribus observâsse scribit *A Castro*. Cujusmodi exempla alia apud Greg. Horstium *tract. de caus. similit.* leguntur, & apud Torquemada *colloq.* 1. de qua etiam re plurimas historias collegit *Gratianus* Iurisconsultus. Tandem in hoc ludentis naturæ ludibrio celebris fuit illa similitudo, quam suprà citatus *Plinius* de duobus pueris narrat, altero in Asia, altero trans Alpes natis, quos Toranius M. Antonio jam triumviro, formâ eximios, & per omnia simillimos, ut geminos, caro admodum pretio vendidit; ac propterea ad judicium delatus, respondit diversarum gentium natalia tam concordi figurâ reperiri, super-

Lib. 7 2. In quæ Academ. lib. 4. cap. 5. Collo lib. 2. Lib. 1 riar. le cap. 4. In illiu ta. Differ 23. Lib. 3 curat. memb cap. 1. Cent. 5 rat. 15 Lib. 3. nat. m cap. 9. In for discepta cap. 56 à nu 4- 61.

om-

omnem esse taxationem. Sed suprà omnes historias admiranda est illa, quam narrat *Henricus Stephanus* de Martino Guerra, & Arnoldo Tillio, formâ & oris lineamentis adeò similibus, ut Martino in militiam profecto Tillius Martini uxorem circumvenerit, quatuorque ipsius sororibus & aliis propinquis imposuerit; quarè aliquot annis conjugali quasi consuetudine cum illa versatus est, omnibus formæ ingenti similitudine deceptis; prout hanc historiam pluribus refert Arrestus Tholosanus *in annotationibus Corasii jurisconf.* de qua vide Greg. Tholos. *in syntag. juris lib.* 86. *cap.* 6. *nu.* 7. Nec minùs mirandum, quòd, hi in quibus tanta intervenit similitudo, ut nec vultu, voce, loquelâ, corpore, actionibus, aut exercitiis discerni possint, moribus quoque & animi affectibus etiam cohæreant; quæ enim inter se similia adeò sunt, eâdem temperie, aut saltem parùm distante ita conveniunt, ut vitiis aut virtutibus eisdem insigniantur: & sicuti in hominibus, & brutis analogica hæc vis, & symbolica virtus conspicitur; ità ob eandem similitudinem, easdem congeneres vires in plantis medici observârunt, ut in guajaco & buxo, in smilace & sarsa, in sassifragia & silvestri fœniculo, in polip. & filice, ebulo & sambuco, china & radice arundinis, rhabarbaro & hippolapatho, sexcentisque aliis, quæ medici quotidiè substituunt. Tandem prædicta omnia superat illud, quod etiamsi raro, tamen observatum est, ut homines in quibus notabilis hæc similitudo intervenit, eisdem quoque morbis & accidentibus aliis afficiantur, maximè si eodem victu, eodemque aëre & cælo utantur; quemadmodum in duobus monachis ab *Amato* adductis vidisse scribit idem. Et ego quoque gemellas vidi sorores hortulani filias, non parum facie, gestu, & moribus similes, quæ eodem morbo, eodem die, imò & horâ ægrotârunt; quæ tandem crisi per sudorem factâ, alterâ die simul liberatæ sunt; & quod majori dignum est admiratione, iterùm ambæ eodem tempore & die recidivam fecerunt. Hoc si quandoque accidat, quis non eandem naturam & temperiem in utroque adesse judicabit, quæ sub eodem cælo & domo, eodemque vitæ studio pari passu æquali veluti gradu in ambobus excurrat, gemellis præsertim ex eodem semine & utero simul ortis, eodemque temporis momento, & sub eadem cæli configuratione conceptis & enatis? Ex qua vel tantùm causa, cælestis inquam influxûs, in illis etiam qui ex diversis parentibus enati sunt, similem vultum, mores, actiones, affectiones, fortunamque eandem, & vitæ exitum accidere posse, præter astrologos, ex medicis sunt qui affirment, ut post Gordonium scribit etiam Castrensis *lib.* 1. *de meteor. microcos. cap.* 17. qui verissimis historiis hoc adstruere nititur; pro quarum confirmatione Polystrati & Hippoclidis illa, quam Valerius Maximus *lib.* 1. & ex eo Eborensis referunt, non parum conducere videtur: cui similis est altera, quæ de Gerardo & Medardo Gallis *lib.* 1. apud Fulgosium legitur: uno die, uno partu editos, unâ die ambos Episcopatum adeptos, unâ defunctos, unâ in Sanctorum numero adscriptos, in quorum laudem *Majolus* sic cecinit:

8. — Parte 5. de progn. c. 7. — Colloq. 4.

Vna dies peperit, mitras dedit altera, mortem
Altera, & in Sanctos lectus uterq; fuit.
Felices fratres, quorum communis origo,
Vita, corona, obitus, gloria, festa dies!
Quin communis erat mens & cor: dicite sed vos,
Corde uno possint corpora bina regi.

Hoc etiam ex *Alberti Magni* historia loco suprà allegato comprobari videtur; nam geminos illos Germaniæ non solùm inter se simillimos vidisse ait, ut dignosci nullo modo possent, verùm (inquit) augebatur miraculum, quòd gestus iidem, animi affectiones eædem, eadem vox ac loquela, nunquam soli seorsim, sed simul semper; quin separari paululùm ægerrimè ferebant, uterque in ægritudinem eandem incidebat, ab eadem uterque surgebat. Quod idem repetit Petr. Mexia *Sylv. p.* 1. *cap.* 38. unde si opera naturæ scrutemur, ingentem sympathiam inter hujusmodi gemellos adesse cum Hipp. fatebimur; qui, ut ex Cicerone refert D. Augustinus 5. *de Civit. Dei cap.* 2. ex hac solùm ratione gemellos esse agnovit fratres qui simul ægrotabant, & pari passu sanitati restituebantur.

9.

Sed tamen illorum sententiam de influxu cælesti video à multis explodi, & variis rationibus convinci; & ne hac parte longiùs abeamus, apud Torreblanca Villalpand. *lib.* 1. *epit. delict. cap.* 8. quàm à ratione aliena sit causa illa ab astris petita, latiùs videri potest, ubi plurima circà hanc rem adducuntur; nam licèt in gemellis & in aliis,

qui tales non fuerunt, similia aliquando prodigia adnotata sint; tamen in quamplurimis aliis, vel gemellis, vel nullo sanguine junctis econtrà evenisse multò pluries observatum est; cùm nullo modo formâ, moribus, actionibus, aliísve affectibus studiis, & vitæ progressu & exitu convenisse animadversum sit: unde casu quodam, ex complexionibus aliquatenus similes, & non admodum dispari vitæ studio sic evenisse putandum, nullâ superiori planetarum vi ad hoc forsan compellente, cùm si talis esset, non ita rarenter, sed frequentius hujusmodi hominum similes proprietates conspici deberent; quod neutiquam, nisi rarissimè, videmus, cùm tamen multa hominum centena, qui eâdem horâ concipiuntur, & in lucem exeunt, quotidie oriantur, in quibus dispar omninò natura, mores, studium, & exitus notantur: ut abundantiùs apud citat. *Torreblancam* videre quis poterit. De quo etiam aliqua tetigit Valeriola 3. *enarrat. cap. 2. & in append. ad loca commu. cap.* etiam 2. ubi hæc mathematicorum deliramenta cum multis aliis damnantur, & præsertim apud D. Augustinum *lib. 5. de Civit. Dei cap. 2. & 3.* qui has gemellorum similitudines, & proprietates à stellis haudquaquam provenire adversùs *Possidonium* abundè tuetur. Sed illud hîc in fine meritò addiderim, hujusmodi prædicatas hominum similitudines neutiquam ità fuisse unanimes, & ex omni parte congeneres, ut quantumvis primo contuitu à multis non distinguantur, ab illis cum quibus familiariter degunt, quibusdam parvis licèt notis animadvertantur, ut unum ab alio disjudicent; nil enim omninò & per omnia simile est, ut benè notat *Vidius*. Unde dubium illud à quibusdam curiosè inventum: An scilicèt è duobus hominibus eâdem horâ natis, ejusdem omninò temperiei, sub eodem cælo educatis eisdem alimentis nutritis, & vitæ studiis occupatis, ut nullo modo quidquam in aliquo differant; dato quod ex eodem morbo ægrotent, similiterque unà eisdem remediis curentur, an possibile sit unum mori, alterum evadere? Hoc, inquam, dubium nullum habet locum, quia quod supponitur, impossibile omninò judicatur, cùm ex individuali differentia admitti non debeat hæc omnimoda congruentia, quia intrà illius constitutionem non cadit, sed omninò impossibilis videatur.

10.

Sed his obiter dictis, de quibus forsan pluribus egimus, ad propositam quæstionem redeamus. De similitudine igitur ad parentes, & illius causa, non est cur longam tractationem instituamus; non enim modò vacat illa repetere, quæ à tam multis satis accuratè scripta inveniuntur; de quâ re legendi sunt *Laurentius*, *Vallesius*, *A Castro*, *Bonaciola*, *Horstius*, *Septalius*, & doctiss. *Petr. Garcia*, qui ingeniosissimè de hac re disputavit. Evidentissimum enim est cum semine vitia, ægritudines, mores, virtutes, & omnis generis affectiones à parentibus in filios hæreditario quodam jure derivari. Perbellè Mantuanus:

11.

> *Qui viget in foliis, venit à radicibus humor;*
> *Sic patrum in natos abeunt cum semine mores.*

Unde etiam similitudo prodit, semine virtualiter parentum ideam deducente, & genito principia sua attestante, quæ postmodùm in ipso elucescunt. Hoc inprimis poëtis notum; Horat.

> *Fortes creantur fortibus & bonis;*
> *Est in juvencis, est in equis patrum*
> *Virtus, nec imbellem feroces*
> *Progenerant aquilæ columbam.*

Lucretius quoque non mediocris rerum naturalium indagator, non solùm ab utroque parente semen scaturire, sed similitudinis causam esse disertissimè docuit *lib.* 4.

> *Semper enim partus duplici de semine constat*
> *Atque utri simile est magis id, quodcumque creatur,*
> *Ejus habet plus parte æquâ: quod cernere possis*
> *Sive virûm soboles, sive est muliebris origo.*

Macrobius quoque lib. 5. satur. cap. 11. *Quamobrem* (inquit) *non frustrà creditum est, sicuti valeat ad fingendas corporis atque animi similitudines vis & natura seminis, non secùs ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valere.* Quid mores, inquam, & internas affectiones memorem, cùm externa quoque, & quæ oculis facilè subjiciuntur non rarò filii à parentibus mutuentur, cùm sæpiùs cæcus cæcum, & claudus claudum, aut mancum generâsse visus sit, quod ego in quodam sartoris filio vidi. Imò & cicatrices aliquando sic in prolem transiisse conspectum: *Fuerunt* (inquit *Dalechampius*

12.

pius in doctiss. ad Plinium annot. *in quibusdam stirpibus gentilitia quadam signa, ut Spartis, & Thebanis lancea, quibusdam stellæ, Thyesti cancer, innata & insita ab ortu; quæ interdum extincta, ac tecta in filiis proximisq; nepotibus, longo post tempore in remotis posteris veluti reviviscerent.* Seleuco, ejusque posteritati anchoræ imago in femore visebatur, ut de illo refert *Alexander ab Alexandro.* Equorum progeniem quoque novi, in quorum coxa cicatrix conspicua apparebat, quam ex lanceæ ictu illorum parens in taurorum ludo primus acceperat, unde in posteris omnibus eadem cicatrix eodem loco visebatur; quare posteà hæc equorum progenies *de la lansada* cognominari cœpit, id est, dè ictu lanceæ. Sed hujusmodi signaturas, colores, læsiones, mores, & accidentia alia, pluresque similitudines aliquando in filiis delitescere, & iterùm in nepotibus aut subsequentibus aliis supervenire, ac iterùm redordiri noverunt atque viderunt etiam antiqui, & adnotavit *Plinius* loco suprà citato de Nicæo Bysantino poëta, qui à candido utriusque parentis colore natus in avum Æthiopem degeneravit: quod idem de *Helide* refert *Aristoteles*, quæ cum Æthiope concubuerat, non tamen filiam colore similem enixa est, sed natus ex filia Æthiops erat; quod idem nos in pharmacopolæ filiis vidisse testamur, cujus uxor ex Hybridis parentibus albissima nata, illius filii (quamvis non omnes) avorum colorem maximè fuscum, & ad Æthiopicum accedentem repræsentabant. Hoc idem rectè novit Lucretius *lib.* 4.

Lib. 2. dierum genial. c. 19.

1. De gen. animal. cap. 18.

> *Fit quoque ut interdum similes existere avorum*
> *Possint, & referant proavorum sæpè figuras*
> *Propterea: quia multa modis primordia multis*
> *Mista suo celant in corpore sæpè parentes;*
> *Inde Venus variâ producit sorte figuras,*
> *Majorumq; refert vultus, vocesq;, comasq;.*

Plutarch. quoque auctor est in corpore filiorum Pythonis Nisibensis hastæ signum apparuisse Spartanis conveniens, quod post multorum annorum cursum renovatum est. Hujusmodi exempla non dubito forent infinita, & multis cognita; unde ad causam jam accedendum restat.

4. Similitudinis igitur vocabulum licèt apud logicos strictiùs sumatur, pro illa tantùm convenientia, quæ rebus diversis ratione qualitatum earundem tribuitur, ita ut sit aliqua relatio, cujus fundamentum sit eadem qualitas; hoc tamen loco latiùs de omni convenientia accipiemus, quæ inter generans & generatum occurrit. Sed cum communiter inter progenitorem & filium triplex similitudo considerari soleat, nimirùm secundùm speciem, secundùm sexum, & secundùm individuales proprietates & accidentia: similitudo secundùm speciem est, quâ homo hominem, bos bovem producit; cujus tanta necessitas est, ut genitum à specie generantis varians, meritò monstrum dicatur. Similitudo in sexu illa est, per quam genitus mas vel fœmina constituitur: sed licèt inter marem & fœminam substantialis differentia non sit, minimè tamen negari potest hujusmodi diversitatem sexuum ad numerum eorum accidentium pertinere, quæ philosophis inseparabilia dicuntur; cùm non mas tantùm, sed & fœmina secundùm intentionem naturæ generetur. Talis igitur sexûs differentia accidens est pro generis humani conservatione constans, necessarium, & immutabile: cùm enim, ut habet *Scaligerus*, non nisi ex masculo & fœmella perfecti animantis ortus eveniat, utrumque æquè necessarium fuit in natura sua, alterum quidem propter alterum, utrumque propter specierum perpetuationem.

Exercit. 131. sect. 4.

Superest tertia similitudo secundùm individuales proprietates & accidentia alia, quando parentes nati referunt in effigie externa, situ, quantitate, corporis constitutione, moribus animi, & similibus; quam similitudinem tam exactam *Aristoteles* & *Pompon. Mela* apud Gammaras inesse aiunt, ut etiamsi communes uxores habeant, quisque tamen ex similitudine filios suos agnoscat. Hoc ipsum de Limyrniis refert *Stobæus*, quòd uxores etiam haberent communes, & liberos communiter alendo, usque ad annos quinque, deinde sexto pueris omnibus congregatis, similitudines ipsorum ad viros conjectando, unicuique cui similior videbatur puerum tradebant, quem acceptum pro filio educabat. Hoc pacto Nestor apud *Homerum* Telemachum alloquens:

5. Lib. polit.

Serm. 42.

Lb. 3. odys.

> *Illius filius est, admiratio me habet intuentem;*
> *Etenim verba similia sunt, nec diceres*
> *Virum juniorem adeò concinna fari.*

& 4. ejusdem Menelaus Pisistrato:

Talis, inquit, & patris est, qui & prudentia loqueris.

Hinc Evander Arcadum Rex, ubi primùm Æneam intuitus est in patris Anchisis memoriam, illum his verbis amplexus, juxta Poëtam 8. *Æneid.*

—— Vt te, fortißime Teucrûm,
Accipio, agnósco, libens, & verba parentis,
Et vocem Anchisæ magni, vultusq; recordor!

16. Historicorum etiam illud est, quòd hâc similitudinis industriâ Semiramis Assyriorum Regina, Nino mortuo, filii etiam Nini, cui faciei lineamentis persimilis erat, sexum atque personam mentita, multis annis Assyriis magna cum laude & imperii incremento imperavit; ut *Iustinus* & *Sabellicus* narrant. Hujus similitudinis causas varias assignârunt veteres. *Empedocles* similitudines filiorum ad parentes ob genituræ vigorem fieri statuebat. *Parmenides* patri fœtum assimilari voluit, si à dextro latere seminalis materia communicaretur; matri verò, si à parte sinistra. *Averroës* masculinitatis, aut fœmininitatis formam & vigorem in semine perpendit, ex eaque omnia deducere conatur; quò etiam inclinat *Vallesius*. Stoici pro seminis idea, totum ex anima & corpore constans repræsentante, similitudinis causas demonstrare conabantur; quò etiam *lib. de genitura* videtur inclinare *Hippocrates*. Quæ omnia recentiores colligunt, & planiùs rem ipsam determinando similitudinem individualem ex ipsa formatrice individualiter in hoc vel illo subjecto agente deducunt, ut latius videre est apud *Mercatum*. Hoc verò non ex sola facultatis vi & effectu, sed potissimùm ex subjecto & materia in qua operatur; potentiæ enim non nisi ex materia individuantur: unde cum in parentum membris & semine individualis illa similitudo virtualiter contineatur; sitque materia velut facultatis instrumentum, quâ ipsa utitur, & cui veluti subjecto alligatur, ad illius dispositionem & inclinationem idolum efformat, atque pro materiæ aptitudine adaptat, nisi aliquid deficiat aut impediat. Hinc etiam colligitur ex hac causa morbos hæreditarios suam habere originem; parens enim, qui quoad extrema lineamenta filium sibi similem generare potest, internam quoque partium imbecillitatem cum semine illi infundit: unde non omnes morbi cum semine propagantur, sed illi tantum qui radices obtinent fixas, & diuturnitate partium crasim labefactârunt, pravamque ac morbosam qualitatem in ipsis altius implantârunt; atque ideò longos & confirmatos morbos per semen communicari videmus, non breves & fortuitò invadentes, ut notavit *Cardanus*, & prius docuit *Avicenna*. Hinc apud veteres mos fuit, post mortem eorum, qui ex talibus morbis perierant, ipsorum filios ab ineunte ætate medicorum curæ submittere, ut quoad fieri possit præservatio conveniens institueretur, quod *lib. de sera numinis vindicta* scribit *Plutarchus*. Nec obstat huic assertioni, quòd non semper podagricus, aut calculosus filium podagricum, aut calculosum generet, ut arguit *Sylvaticus*; quia aliquando vel affectus levis esse potest, vel etiamsi gravior sit, seminis bonitate alterius parentis obliterari potest, quæ pravas illas morbi qualitates expugnare & corrigere poterit.

17.

Lib. | Lib. | Eu. | Lib. cap. | Lib. morb. cap. | Lib. venen. cap. fen 2 3. tract. cap. 3 | Contr.

18.

Podagricus cur non semper podagricum generet.

Cur autem similitudo sæpius, etiam quoad accidentia, non filio sed nepoti communicetur, ita ut proles non patrem sed avum referat, meritò dubitârunt plurimi: quod ut explicemus, liceat in hac re aliquantulum longius divagari. Hippocrates *lib. de diæta*, similitudinis gemellorum causam assignans, non aliam esse inquit, nisi quòd ex eodem semine concepti, eodem sanguine nutriti, ac eodem loco foti, idem omninò, hoc est, simillimum sortiantur temperamentum: ex qua sanè causa evenire docet *Aristoteles*, ut fœminæ matribus, mares patribus ut plurimum similes nascantur; cùm enim generationis suæ primordia ab illorum substantia propriâ temperie dotatâ obtineant, consequens est ut in genitis quoque eadem, aut perquàm similis repullulet: orta enim sua principia attestantur, & naturam formamque unde ducta sunt plerumque ostendunt, non temperie tantùm, sed effigie exteriori, frequentissimè structurâ, & actionum affectionumque concentu non raró simillima evadunt, ità ut multoties, qui parentem agnovit, ad primum conspectum filium agnoscat ac disjudicet. Sed quâ ratione tanta in similitudinibus differentia accidat, ut nati parentibus similes sint, aut partim patri, partim matri; aut quare in quibusdam partibus patri, & in quibusdam matri, & quare alteri in totum, & quare mari potius quàm fœminæ, & quare parentibus potius quàm majoribus suis, & quare potiùs iis quàm quibuslibet aliis, & quare nulli horum, sed homini solùm, & quare quandoque ne homi-

Similitudo cur aliquando in nepotibus non in filiis accidat.

19.

De hist. animal.

20.

homini quidem; jucundum erit ſcire, ut exinde dubitatio omnis, quæ circà has conſanguinitatum ſimilitudines aut diſsimilitudines, & illarum differentias moveri poteſt, facilè pateſcat.

In mare multa intelligere oportet; mas enim continet, quà mas eſt, facultatem & potentiam; & quà pater eſt, nempe Coriſcus aut Socrates, is quoque præter id, quod Socrates eſt, homo eſt & animal: quæ omnia ſemen ipſius poteſtate continet. Ex hominibus quoque quidam ſunt magis proximi, quidam verò magis naturâ diſtantes. Igitur quo tempore ſemen maris cum menſtruo ſanguine conjungitur, ſi ipſum probè coxerit ac ſuperaverit (hoc ex *Ariſtotelis* ſententiâ, ſed in probabiliori & veriori, quæ *Galeni* & medicorum eſt, hæc conjunctio de ſemine maris & fœminæ, non de ſanguine menſtruo accipienda eſt) mas generabitur: ſi verò non vicerit mas, quà mas eſt, in contrarium degenerabit, nempè fœminam. *Ita enim fert natura (inquit Ariſtoteles* citat.) *ut quà mas, & quà pater, ſuperet, & ſuperetur.* Hæc eſt prima degenerandi ratio, nam quoties generans ſibi ſimile non generat, non aſſequitur natura quod intendit. Quòd ſi eâ ratione quà mas eſt, & quà Coriſcus, neque motus ſeminis ſolvatur, aut in totum aut in aliqua parte, mas generabitur, & patri ſimilis; ſi verò vicerit quà mas eſt, non tamen quà Coriſcus, erit mas, ſed matri ſimilis; quòd ſi vincat quà Coriſcus, non tamen quà mas eſt, erit fœmina, ſed patri ſimilis; quod enim à mare declinat, fœmina erit; quatenùs verò Coriſci potentiam ſervabit, Coriſco, id eſt, patri ſimilis erit: quòd ſi nec vincat quà Coriſcus, neque quà mas, fœmina erit, & matri ſimilis. Prætereà ſi vincat ſemen maris ex potentia quà mas eſt, ſeminis verò motus ſolvatur; tranſibit in proximum aliquem, & erit mas avo ſimilis: filiorum enim ſemen parentes non ſolùm poteſtate continet, ſed quemadmodum magnes (ex *Ariſtotele, Plinio,* & *Lucretio,* inquit *Langius*) vim ſuam per cohærentes ordine acus in quartam & ultrà oſtendit; ita vis illa de ſemine in ſemen tranſmittitur. Quòd ſi ampliùs ſolvatur, tranſibit in proavum; quemadmodum ubi non vincit quà mas eſt, ſed tamen motus ſeminis ſolvitur, fœmina generabitur, ſed aviæ ſimilis, aut alicui ex ſuperioribus; quòd ſi adhuc magis ſolvatur motus, nulli eorum ſimilis erit natus, ſed alicui hominum.

4. De gen. animal. cap. 3.

Epiſt. 10. tom. 1.

Tribuitur itaque ſimilitudo facultati formatrici animæ vegetativæ, quæ in parte potiſsimùm ſpirituoſa ſeminis reſidet, non ſecùs quàm generatrix & altrix potentia, ſingularum partium ideam & potentiam in ſe continens, ſi liberè agat, & ſi toto formationis tempore à nullo impediatur. Itaque prout hujus aut illius ſemen majorem habet vim, ſic nunc patris, nunc matris effigiem repræſentat; quæ quidem opinio *Democriti* primùm fuit, deinde *Hippocratis*, tandem *Galeni*, quæ & *Ariſtoteli* etiam placuit, ſi quod ille de menſtruo ſanguine, nos de ſemine fœmineo intelligamus: in qua quidem ſententia, ſi patris virtus ſuperior eſt ac validior, illius effigies reſultat; at cùm debilitatur, & matris virtus ſuperat, illius ſimilitudo in fœtu emergit; quòd ſi in utroque vis ac motus ceſſet & remittatur, avi aut proavi ſimilitudinem acquirit genitus. Sunt enim in ſemine, ut anteà dicebamus, multæ facultates & virtutes, quæ ſpeciei inprimis, deinde majorum ideas virtualiter continent; ac ita deficiente unâ & enervatâ, ad proximam & validiorem recurritur, quæ ibi recondebatur, ac tanquam jam cæteris ſuperior exurgit, & pro viribus effigiem ſuam parit. Itaque ſeminis parentum vis debilitata, ut avorum & proavorum ſimilitudo reſultet, potiſsima cauſa eſt, dum à propria efficacia & energia dehiſcens, ad illam, quæ magis viget, cogitur recurrere; ita ut ſi debilitas ſeminis ulteriùs progrediatur, majorumque idola, quæ in ſemine recondebantur, extincta & obliterata pereant, tunc nulli ex majoribus fœtus jam aſsimilatur, ſed tantùm homini; euſque ut ſi & ſpeciei virtus deficiat, monſtroſa generatio eveniat, ut ex Ariſtotele & Liceto *quæſt.* 36. & 45. anteà ſcripſimus.

Lib. 2. de ſemine cap. 5.

Pronum igitur eſt, natos à genitorum temperie & ſimilitudine recedentes, ad avorum complexionem & effigiem deflectere, aut proavorum, cum quibus patrum temperies convenientiam & ſubordinationem maximam habebat: nam cùm pater cum filio & cum avo tantam connexionem obtineat, facilè contingere poteſt ut genitus cum avo magis quàm cum parente conveniat; nam quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, ut commune Philoſophorum axioma docet. Propterea filiis communiter avorum nomen imponi ſolitum, non ſolùm ut generis radix vetuſtate marceſcens iterum revireſcat, & novos pampinos ac frondes emittere conſpiciatur; ſed ſecretò naturæ inſtinctu, ut avum quem ex illius

ſubordinatione ſimilitudine, moribus, & aliis accidentibus & actionibus nepotes frequenter repræſentant, nomine etiam referant, & omni ex parte ejuſdem notitiam & perſonam prodant: gaudet quippe in ſe ipſam natura revolvi, ut ipſa quoque tempora, imò omnia oſtendunt. De quo rectè *Boëtius:*

> *Repetunt proprios cuncta recurſus,*
> *Redituq; ſuo ſingula gaudent;*
> *Nec manet ulli traditus ordo,*
> *Niſi quod fini junxerit ortum.*

26. Prout igitur facultas formatrix, quæ in ſpirituoſa ſeminis parte conſiſtit, & cui tota hæc ſimilitudinis vis tribuitur, in materia ſic vel ſic diſpoſita operatur, actiones ſuas partim in actu, partim in potentia continet, partim in proxima, partim in remota; hinc accidit, ut quæ magis in actu poſita eſt, à facultate producatur, & quia plerumque parentum talis eſt, ideò frequentiùs apparet; quæ ſi deficiat & enervetur, ad avorum proximam tranſitus fit, & in propinquum ſoluta ipſa emergit: quòd ſi neque hoc obtineat, in remotiores alios ſolvitur; & adhuc ſi major virtutis reſolutio & imbecillitas, conſanguineos repræſentari accidit, & ad illud quod in materia majorem diſpoſitionem & propenſionem habuit, facultas formatrix opera ſua accommodat, quouſque vetuſtate ideæ omnes & imagines obſcurantur & obliterantur; quod ad

27. quartam uſque generationem extendi arbitrandum eſt, ideoque conſanguinitatis gradus non ulterius numerantur, ſed ibi deſinunt, ubi naturæ quoque vis & virtus deficit, ultraque progredi non poteſt. Quòd verò hodie in quamplurimis frequentiùs contingat, ut filii, magis quàm parentes, avunculos in ſimilitudine velut redivivos reddant, nullam aliam cauſam eſſe puto, quàm antedictam ſeminis debilitatem, quæ noſtris temporibus in multis invenitur; ob frequentem enim & præpoſterum Veneris uſum vis illa parentum, quæ in actu primo eſſe debebat, nimio coitu facilè evaneſcit

28. ac perit: & hæc etiam cauſa eſt, quare qui primi generantur parentibus, deinde cæteris alii ſimiles evadant. Dictu ſiquidem difficile eſt, cognitu facillimum, ſpectatu horrendum, quantum nunc paſſim humanæ mentes omnibus virtutibus exutæ, omni bonâ diſciplinâ ſpoliatæ, omni denique honeſtate denudatæ ægrotent; quantumq; velut publicè conceſſâ peccandi licentiâ inſaniant, omni vitiorum & ſcelerum generi ſeu volutabro immerſæ & perlutatæ, in tanta caligine oblitis oculis non cernentes quòd

> *Iratum gravis eſt res habuiſſe Deum.*

Concatenatæ enim hodie conſpiciuntur vitiorum ſpiræ, & veluti glomerata animi morborum ſeminaria, quibus ſui oblita humana mens, cùm ſemel feneſtram aperuit, turmatim deinde quaſi illabentibus muſcis, in vitiorum agmina ſic facilè irruit, ac in ipſis volutatur, ut deinceps laſciviæ, & Veneris præſertim illecebris non facilè reſiſtere valeat.

QUÆSTIO QUINQVAGESIMAQVINTA.

Vtrùm loquela ſit homini naturalis; & an ſit locutionis tempus determinatum? Obiter de miraculoſis locutionibus.

Ablactati igitur infantis effigie & ſimilitudine conſideratâ, cum illo paulò ulteriùs progrediamur, accedamuſque ad illud tempus, in quo τραυλίζειν blæſitans gratâ & jucundâ balbutie, hæſitationeque animi perplexâ, obſcuris & malè formatis verbis linguæ vincula explicare ac rumpere incipit; quæ loquendi actio an homini ſit naturalis non immeritò dubitârunt plurimi, cùm quibus hanc quæſtiunculam jam cæteris annectendam duximus: ſitne homini loquela naturalis, & loquendi tempus cum pauca intercapedine determinatum?

1. Infantem antequam in lucem exeat, & toto tempore quo in utero incluſus eſt, nullam vocem emittere communiter videmus: rationem affert *Pet. Garçia*, quia pro voce aliqua edenda cùm aër neceſſarius ſit, fœtus verò omninò illo careat, quia non reſpirat, inde impoſſibile eſſe vocem aliquam edere poſſe credit; unde & falſum eſſe concludit, quòd vagitum aliquo modo, aut gemitum emittere poſſit; quamvis lachrymari non dubitet: illius fundamentum, nempè quòd fœtus in utero non reſpiret, confirmat Laurentius *lib.* 8. *anat. q.* 26. & alii plurimi. Quod licèt verum ſit, tamen

[Margin: Diſp. locis: ctis.]

vel

vel ab excrementis resolutis, vel aperto ore, ab aëre in capacitate secundinarum contento, vel tandem à matre per arterias umbilicales communicato, aërem suscipere posse, cujus ope vagitum emittat, tanquam certum asserunt præter *Albertum Magnum* & *Libavium*, *Sennertus* & *Gregorius Nymannus*; apud quos multorum historiæ scribuntur fœtuum, quos in materno utero non plorâsse tantùm sed vagitum & vocem emisisse animadversum est; quorum opinioni favet etiam Delrius *lib.* 2. *q.* 19. *propè finem*. Quapropter fœtum in utero gemitum & vagitum edere posse possibile judicant, & de facto quamplurimis accidisse citati enarrant auctores; nec hoc ita rarum putat *Sennertus*, quin multis accidat, opinionemque de malo omine, quæ ex tali vagitu communiter habetur, tantùm veram existimari debere ait, si à causa superiori accidat, cùm alioquin ob naturales alias ab eo adductas vagire & flere possit infans; quo tempore nil ominosum aut calamitosum portendet, nisi suam displicentiam & laborem aliquem, quem patiatur. Et quod adhuc in utero existens non vagitum aut gemitum tantùm edere possit, sed & articulatè loqui, testatur (si verum est) illud quod narrat Livius *lib.* 21. Romæ semestrem infantem in foro olitorio altâ voce in matris alvo exclamâsse, & *lib.* 24. *fol.* 419. alium infantem in Marrucinis intrà uterum Io triumphale pronuntiâsse, quod Q. Fabio Max. Verrucoso, & M. Claudio Marcello Coss. accidisse *cap.* 34. scribit *Iul. Obsequens* in prodigiis. Quod non nisi miraculo aliquo aut prodigio evenisse credendum est, ut tenet D. Augustinus 3. *de civitate Dei cap.* 31. aut tandem diabolico commento accidere posse putaverim: vagitum tamen emittere & clamare naturaliter posse innumeris historiis confirmari potest, quarum plurimas ex *Wenrichio*, *Libavio*, *Crucio*, *Fincelio* collegit Joan. Rudolphus Camerarius *centuria* 11.

3. Itaque infantem statim ac in lucem exit plorare, ita omnibus commune, ut rarissimum fuerit, quod de filio suo Henrico narrat *Semitus*, peculiare illi fuisse, ut natus nullum vagitum ederet, aut ploratum emiserit; quem tamen quartâ die epilepsia invasit, forsan & dum nasceretur, unde ligatis sensibus, & oppressâ animali virtute, nec vagire, nec causas, quæ hujus ploratûs in ipso ortu omnibus infantibus communes assignantur, percipere potuit; unde nil mirum si à sensibus abstractus, aut præ debilitate, casúve alio impeditus, vagitum edere non potuerit. Porrò hujus ploratûs causas dum ab utero exeunt multi tradere conati sunt, ac sanè multiplices. Alii enim cælestium orbium motiones, quibus tenella corpuscula commoveantur: Soranus Ephesius, quòd insuetam tangat terram, & spiritus à luce concutiantur: alii quòd à lumine exterreantur: alii terræ revolutiones ridiculè crediderunt, ac ideò mari & navibus nascentes non flere; quod tamen dubio procul fabulosum docet experientia. Hujus etiam ploratûs in infantium ortu causam, sed nullo modo credibilem, afferre conatus est falsus ille Sarracenorum Propheta Mahomedus *in lib. Albokarim & Mozlim.* ubi scribit omnes in ortu plorare, quia satanas illos tangat cùm primùm nascuntur, ideoque vociferari & plorare; addidit verò ibidem, Sanctissimam Virginem, & illius filium Salvatorem nostrum à tali satanæ contactu ex omnibus, qui nati sunt, tantummodò immunes fuisse; ea enim est veritatis vis, ut etiam spurcissimum, & catholicæ legis inimicum illam justo Dei judicio fateri cogat. Tandem hoc inde provenire dixerunt alii, quòd anima cælestium regionum extorris, terrenum quia corpus inhabitet, in fletum erumpat: sed qui meliùs dixisse visi sunt, nascentium ejulatûs potissimam causam nullam aliam esse, quàm ambientis aëris alterationem ab illo, quâ in utero fruebantur, diversam; cui ploratui multùm adjuvat, quòd spiritus ille ad illam usque horam in utero coërcitus, jam velut à carcere exeundi concessâ facultate, impetu quodam feratur, ac subitò prosiliens à luce exterritus, vagitum emittit: talis enim est illa vox, non ploratus, quia usque ad 40. diem infantem nec plorare, nec ridere docuit *Hippocrates*; ex quo sumpsit *Aristoteles* & scripsit, qui nec flere, nec quantumvis titilletur ridere usque ad 40. diem apertè tradidit, sed tantùm vagire. Hinc apud Græcos diversis nominibus triplex vocum humanarum differentia exprimitur: βαβάζω quæ vagientis pueri vox est; cùm verò jam loqui, inarticulatè tamen, incipit, βαμβαίνω exprimitur. Sed hæc inarticulata locutio, quæ vox propriè dicitur, non hominibus solum competit, sed cæteris etiam animantibus, quæ clamant & vociferantur, & inarticulatè voces suas emittunt; quod in infantibus ad secundam & propè tertiam mensium septimanam plerumque durat, quo tempore

Marginal notes: 2. (at "rum putat Sennertus"); Lib. 10. miscellan. (at Semitus); [...]o cur [...]t fla[...] ac [...]itur. (at "Porrò hujus ploratûs causas"); 4. (at "sed nullo modo credibilem"); 5. (at "utero coërcitus"); Lib. de sept. partu. Lib. 7. de hist. animal. cap. 10. (at βαβάζω)

jam aliquid articulare incipiunt, paulatimque usque ad septimum annum perficiunt; quamvis ad 14. usque articulatam omninò vocis perfectionem aliqui non acquirant.

Hæc itaque communia sunt, & naturaliter hoc modo evenire notissimum, & non aliter accidere posse certum est; nisi vis aliqua superior omen aliquod proditura, prodigiúmve, aut miraculum aliter fieri compellat: Altissimo quippe, à quo creata, & Sanctis in illius verbo cuncta vel etiam inanimata obedientiam præstant, & quæ jubentur peragunt, operaque naturæ suæ prorsùs aliena & actiones exhibent, ut Creatoris virtus & potentia magis exaltetur; quam ut ostendat, admiranda, & suprà naturæ vires operatur, ut hominum animos ad illud quod vult, renitentes trahat, & sui undique admirationem, timorem, aut venerationem inducat: sic bruta cum religione aliquando visa, insensata cum ratione, muta & inanimata cum lingua. Stupendum saxi loquentis prodigium fuit apud Occidentales Indos in Regno Montezuma; nam à Rege asportari jussum ad peragenda idolorum sacra, immobile cùm stetisset, nec cùm ab infinitorum ruderibus urgeretur, quidquam moveri potuisset, aut ullâ vi sedem mutare, frustrà tandem conantibus intonuit vox, nullo pacto posse dimoveri, quandoquidem naturæ Domino barbarorum illa sacrificia displicere, palàm locutus & fassus est lapis: nunciatur Regi prodigium, ut ibi peragantur jubet; sed iterum in vocem prorumpit lapis: *Nonne jam dixi displicere ista Creatori? in hujus fidem permittam tantisper me portari, & iterùm fixus stabo, ut dimovere me non valeatis.* Stupendum sanè miraculum, quod in naturæ auctoris ingentem admirationem barbaros adducere debuit, & in eandem nos modò rapere, quin & timorem incutere; nam & qui saxis loquelam addit, eandem hominibus adimere & in saxa vertere aliquando potuit, ut sceleratissimo illi, qui falsò per sancta corporalia pejeravit evenisse tradit *Eusebius Nierembergius*, apud quem saxi hujus loquentis historia legitur.

6.

Lib. de mirac. E cap. 1 lib. 3. nat. ca

Quid igitur mirum, infantium torpidas balbutientésque linguas & ligatas eodem Creatoris jussu solutas in loquelam prorupisse? Rarum & verissimum miraculum extitit, quod Dei viro Ignatio Martino accidit; quippe cùm in Lusitania per plateas Christianæ Doctrinæ rudimenta cœpisset docere, evenit ut auditoribus diceret; an Virginem salutare vellent? omnibus pudore quodam ora tenentibus, in ulnis matris infans insonuit: *Ave Maria.* Quo prodigio adulti perculsi, progressi sunt: *gratiâ plena.* Sic in eodem Regno, cùm Joannis primi dubia de sceptro comparando vacillaret spes, in Eborensi civitate in cunis existens infans alius, eundem Joannem Regem distinctè proclamavit, cùm nil anteà articulatè locutus fuisset; quod evidentissimum Regis fuit omen haudquaquam incertum, ut protinùs visum est: sic alius infans divinâ imperante potentiâ 20. tantummodò diebus natus clarâ voce verba protulit, ut patrem, de quo & matris pudicitia dubitabatur, ostenderet; & Danieli abbati de patre quærenti respondit, legitimumque patrem indicavit, ut in *prato spirituali* narrat *Sophronius.* Cui historiæ multùm similis est alia, quam ex *Surio* in vita S. Anthelmi affert Majolus *colloq.* 4. *prope finem* de Sergio Papa, cui de castitatis labe turpissimum nævum æmuli inurebant. *Venerus* etiam *in Enchirid, fol. mihi* 137. de filio Dagoberti Galliæ Regis scribit, dum ad baptismum duceretur, S. Amando benedicenti clarè respondisse *Amen.* ut Robertus Guaguinus, & Reginus in *chronico* narrant. In appendice etiam *Mariani Scoti* anno 1117. scriptum est apud Cremonam infantulũ in cunis jacentem matrem cibum familiæ parantem compellâsse, ut à ventris cura cessaret; Deum enim gravibus pœnis perversam hominum vitam ulcisci constituisse, sed Dei genitricem antè tribunal Christi stantem instantissimis precibus obstare. Similiter refert Eborensis *in exemplis* de alio nondum 30. dies nato qui locutus est. Quæst. 45. *propè finem* ex *Munstero, Buschio, & Peucero,* de monstro quodam mentionem fecimus, quod horis quatuor post partum expirans in hanc vocem prorupisse referunt: *Vigilate, Dominus Deus vester adventat.* Porrò similes casus apud antiquos & ethnicos sæpiùs accidisse præter *Livium* adductum, testis est *Iul. Obsequens,* qui ait Amiterni infantem ex ancilla natum, dum nasceretur dixisse: *Ave.* Cræsi filium semestrem locutum tradit Plinius *lib.* 11. *cap.* 51. quod Herodotus *lib.* 1. aliter scribit, ac cum patre Sardis captâ urbe fuisse ait; ubi cùm mutus esset, & Persa patrem occisurus stricto gladio invaderet, præ timore exclamâsse fertur, ne Cræsum interimeret, ut *Maximus* & *Gellius* quoq; narrant: de duobus etiam pueris qui ante tempus locuti sunt, apud *Cardanum* mentio fit. Sed inter omnes stupenda est historia, quam refert Rhodiginus *lib.* 29. *antiq. lect. cap.* 14. & ex medicis

7.

Cap. 1

8.

Titul. de prodigiis in hist. Eccl.

Lib. 5. c. 8. lib. 2. nat. quæst. 2. 7. tract.

Con-

Conciliator *probl.* 27. *sect.* 11. Fontecha *privileg.* 7. ex Haly Ebenrragel *in suo lib. natalium*, ubi ait se cum aliis astrologiæ peritis à Rege vocatum, ut de filii ortu, quem quædam ex illius uxoribus pepererat, judicium faceret; aliis multa prædicentibus, ad se ipsum nil loquentem Regem ait dixisse: Quid habes? Quarè non loqueris? Tunc sanè trium dierum terminum à Rege ait expostulâsse, addens miraculum magnum eventurum, si ultrà tertiam diem viveret infans; qui tamen transactis 24. horis loqui, manibusque signa facere cœpit, omnibus tandem propè accedentibus in hæc verba prorupit: *Ego natus sum, & ad hoc formatus, ut regni Ageder, & Almanæ gentis destructionem & perditionem annunciem*: statimque his dictis expiravit. Quod non aliter evenire potuisse credunt astrologi, nisi quia viderit maximum Mercurii termini ascensum, cujus ascendenti infantium locutionem præstò eventuram tribuit; ut ideò Græci *Hermes*, *Hermon*, quod interpretatur locutio, Mercurium appellare consueverint; unde ut alii tradunt, nuntius etiam dicitur, quòd mentis conceptus statim prodat, quare & eloquentiæ auctorem nominârunt. Igitur natus fuerat infans in 8. gradibus Libræ ascendentis in termino Mercurii, conjunctione Jovis, Veneris, Martis, & Mercurii; qua de causa Haly Ebenrragel hoc prævidens sic eventum expectavit, ac Regi prædixit: ex qua etiam historia, si vera est, hominis non solùm eximiam scientiam mirari possumus, sed astrorum vim in hæc inferiora colligere, ad quam hujusmodi portentosas locutiones astronomi reducere conantur. Sed tamen hanc astronomiæ judiciariam partem, tanquam ineptam & fallacem à præstantissimis philosophis contemptam, derisam, atque damnatam, non est quòd modò refutemus; quando & ipsi astrologi hoc fatentur, Theologi quoque, Jurisperiti, & Medici, ut latiùs probavit *Valeriola*.

Lib. 3. enarrat. cap. 4.

10. Quare cùm adeò incertum sit, ex prædicta causa admirandas has infantium locutiones provenire, vel ad astuta dæmonum commenta referendæ sunt (cujus operâ illas, quæ ex gentilibus afferuntur, evenisse crediderim) vel tandem cum *D. Augustino* ad miraculum & occultum Dei judicium recurrendum erit, ut *sect.* 11. *probl.* 27. optimè judicat *Septalius*. Nam quod ex planetarum influxu non dependeant, vel illud solùm convincere videtur, quòd plures alii infantes eâdem horâ concepti & nati fuerint, in quibus nil tale animadversum est; imò cum illius Regis filius ad illud se tantum genitum & natum fuisse dixerit, superiorem jam aliam causam habuisse fatendum est, nempe divinam. Ex qua etiam, ut opinor, provenire potuit infantis illius locutio, quæ viro Dei Ignatio prædicanti accidit, ut suprà retulimus; & S. Geraldi comitis Aureliacensis clamor, quem in matris utero ter edidisse scribit S. Odo in illius vita: nemo enim naturaliter ea proferre potest, quæ priùs non cognovit, & per sensum auditûs nondum percepit; eâ potissimùm ætate, in qua ratiocinatione ventura prænoscere non valemus, & nec prudentioribus, sed soli Deo cognita sunt. Ad illum igitur præcipuè similes locutiones & prædictiones referri debere haud dubiè apparet, cùm naturales minimè esse possint; licèt *Aristoteles* hoc ad naturales aliquas dispositiones reducere nitatur, dum causam quærit ob quam aliqui infantes priusquàm ad ætatem deveniant, quâ vocabula explanare possint, fari incipiant, & rursus obmutescant: ibi enim de istis admirandis locutionibus tam citò evenientibus minimè accipiendus est, sed de illis, qui jam propiùs ad loquendi tempus accedunt, intelligendus, in quo jam aliqua animi attentio fit, & specierum per auditûs organa receptio aliqua contingit; cum quibus etiam aliqua ex accidenti siccitas cerebri accidit, quâ mediante aliqua proferre possunt, aut urgens aliqua necessitas compellit; ut in quadam puella vidi, nondum 8. menses natâ, quæ quia in incunabulis excrementis conspurcata longâ morâ aliquandò relinquebatur, clarâ voce puerum Antonium vocabat, veluti auxilium expostulans, sed paulò post hoc amisit, nec ampliùs fari usque ad debitum tempus valuit. Et licèt ibi dicat *Aristoteles* aliquos statim ab ortu locutos fuisse; modo jam dicto & tempore intelligi debet, cùm aliter si statim ab ortu rigorosè accipiatur, ad prodigium & miraculum confugiendum sit; quia quòd naturaliter accidat nulla ratio suadere potest, cùm non tantum aptitudo deficiat, sed omninò ut advertere possint, sensus non detur.

11. probl. 27.

11.

[E]xemptis [l]inguis lo[cu]tes. 12. Sed ad portentosas has locutiones redeundo, pauca sanè videbuntur hæc, si cum aliis conferantur; nam exemptis linguis aliquando in barbarorum confusionem alios locutos fuisse ex ipsius Procopii auditu narrat *Egnatius*; qui sic clarè loquentes Libycos ait Episcopos vidisse, quibus Arriani linguas radicitus evulserant: quod aliis

Lib. 4. hist. cap. 14.

etiam Christianis apud Persas versantibus evenisse memorat *Nicephorus*, & tradit etiam *Victor Vticensis* apud Surium *tom.* 4. in S. Eugenio, quod Justinianus Imp. affirmat *in cod. de off. præfec. prætoris Afric.* quin & Romano martyri idem accidisse, qui à persecutore eradicata lingua fuit, & tamen disertissimè loquebatur, *Ioan. Chrysostomus* narrat apud Metaphrastem *in vita S. Romani*, *Novemb.* & Surius *tom.* 6. citati apud Majolum *colloq.* 4. *propè finem.* Itaque qui omninò linguâ privatos loquaces ac disertos reddere potuit, potuit & ligatas solvere; imò & brutis animalibus loquelam addere cùm placuerit: omnia quippe Creatoris verbo obediunt, & ad illius nutum mutantur, moventur, & naturæ suæ aliena ex divina dispensatione & jussu aliquando proferunt. Quam Dei potentiam illius simia diabolus cùm imitari velit, multa antè Christi præcipuè adventum similia operari conatus est, ut gentiles illos illuderet ac deciperet, & in sui reverentia diabolicâ idololatriâ devinctos contineret: hoc pacto satanæ astu pulso Tarquinio arbores locutas *Epidius* prodidit, meminit & *Plinius*, speciatim *Philostratus* ulmum, *Orpheus* fagum; & Babylonis muros hanc vocem semel intonuisse tradunt: *Tunc urbem captam iri, cùm mula pareret.* quod omen impossibilitate securum, Zopiri Persæ mula infregit, cum partu spem quoque captandæ urbis enixa. Eodem commento C. Volumnio, & S. Sulpitio coss. bovem locutum fuisse ferunt, & alium secundo bello Punico, *Cave tibi Roma*, exclamâsse scribunt *Obsequens*, *Livius*, & *Fulgosius*; & antè Augusti imperium alium ad aratorem, *Frustrà se urgeri, cùm homines brevi, non frumenta deficerent:* præterea canem locutum viderunt ethnici, quod testatur *Plinius*; qui & serpentem latrâsse ait, cùm pulsus est Regno Tarquinius. Hoc pacto eadem prodigia in homine non rarò ostendere conatus est, ut de illis infantibus, qui adhuc in ventre locuti sunt, ex *Livio* diximus.

[Margin: Lib. 16. cap. 36. Lib. 2. h cap. 22. — 13. *Arbores locutæ. Muri Babylonis loqui.* — Lib. 17. cap. 25. — *Boves locuti fuisse visi sunt. Canis locutus est. Serpens latrans.* — Lib. 8. cap. 41.]

[Margin: *Homini an naturale sit loqui.* 14.]

Derelictis ergò prodigiosis his locutionibus, quæ minimè naturales habendæ sunt, an homini loqui naturale sit, jam videndum est. Et quòd sermo naturaliter hominibus adveniat, ex eo primò colligitur, quòd sicuti natura brutis vocem dedit, quâ sibi ad invicem, si non ut conceptus specificent, saltem ut aliquo modo intelligantur, & affectiones suas exprimere valeant; ita conveniens non erat ut hominibus tantum hoc beneficium denegaret, cùm multò magis in illis necessarium sit: nec dicendum est bruta voces suas ab aliis suæ speciei addiscere, nam si canis aut aliud animal statim ab ortu separatim nutriatur, ubi nullos alios videat aut audiat, tamen latrare & aliorum more voces emittere conspicietur; quod & in aliorum animalium unaquaque specie obtingere dubitandum non est: ergò sicuti cæteris animantibus natura hoc concessit, consequens erat, ut homini idem præstare debuisset. Secundò videtur non rectè dici loquelam auditu ab hominibus addisci, quia dantur homines, qui optimè audiunt, & tamen non loquuntur; ut de Troglodytis, & Zeoromandis in theatro naturæ humanæ scribitur, qui audientes tamen locutione carent: quarè videtur saltem apud istos locutionem auditûs perceptione addisci non posse. Tertiò ex antedictis apparet multos statim ab ortu locutos fuisse, quod non semper ad miraculum referendum, cùm naturaliter etiam accidere posse judicet *Aristoteles*; imò *Schenckius* ex *Alberto Krantzio* refert, ex Duce Baruch Vandalo uxorem concepisse, & biennio prægnantem infantem peperisse statim gradientem & loquentem, quod de alio testatur *Aventinus*; quæ tamen accidere non poterant, nisi locutio naturalis esset, cùm per auditum antequam nascerentur edoceri impossibile fuisset: unde *Apponensis* quærens, si duo pueri in deserto collocentur loco, ubi nec gentes perveniant, aut aliter aliquid audire valeant, quidnam loqui deberent? sine dubio tenet, primam saltem linguam locuturos, nempè Hebræam, quâ Deum Adamo locutum fuisse scribit D. Augustinus *in lib. de Civitate Dei*, & Isidorus; quarè omnium primam fuisse non Chaldæam, ut alii voluerunt, manifestè docent. Tandem in confirmationem experientiam illam adducunt, quam narrant *Herodotus*, *Polydorus Virgilius*, & alii, Psammetichi Ægyptiorum Regis, qui cùm experiri voluisset an lingua hominibus esset nativa, & gens aliqua Ægyptiis antiquior (omnium enim hominum primos extitisse putabat) ut id assequeretur, pueros duos humilibus parentibus recèns natos pastori tradit, inter pecora educandos, simulque vetat vocem ullam edi audientibus pueris. Abit pastor, Regis jussa facit, pueros includit, voces cavet, & tempore ut rex jusserat capras admovet alendis pueris. Transit ita biennium, in quo infantes nec vocem reddunt, nec accipiunt, nisi fortè à barbaris suis nutricibus.

[Margin: 15. — 11. Pro 27 lib. obs. 59. Lib. 5. nal. Bay Probl. — 16. — Lb. 9. et molog. cap. 1. In Eure lib. 2. Lib. 1. invento rerum.]

Sic

Sic enim ubi jam articulatè loqui, & vagire desiissent, quæ vox prior ex his pueris erupisset, cujus foret linguæ, illa potissima, & illius homines primi, & antiquiores haberentur. Exacto itaque tempore pastori januam aperienti & intranti ambo pueri porrectis manibus occurrentes βεκὸς clamabant; quod eodem quoque modo crebriùs adeundo observavit, dum idem verbum frequentaretur: miratur pastor, silet tamen, rem ad Psammetichum cum pueris defert, quos cùm ipse audiisset, percunctari cœpit, quinam hominum βεκὸς quidpiam appellarent, comperitque Phryges sic panem nominare; quarè hoc argumento Phryges Ægyptiis priores extitisse sibi persuaserunt.

17. Quibus tandem non obstantibus sine dubio certum est, locutionem naturaliter minimè hominibus inesse; quod ex eo tantummodò inferri potest, quia si talis esset, omnes eundem sermonem loquerentur, nec tam vario idiomate apud varias nationes, & diversas orbis plagas uterentur, imò in eadem regione sæpiùs multum differre conspicimus: unde patet auditu acquiri, & non aliter quàm pro patriæ consuetudine loquelam adipisci; & quemadmodum sic maternam infantes ex frequenti auditu addiscunt, sic adulti vel ex magistris, vel ad alias nationes traducti, alias locutiones eodem modo audiendo percipiunt ac proferunt; imò ætate grandiores, alienam linguam perfectè nunquam sicuti pueri proferre valent, quia propriæ assueti, illius non facilè obliviscuntur, nec dura illorum substantia antiqui & usitati sermonis specierum plena, ad alterius vocum accentus se accommodat, cùm ad usitatam statim recurrat: econtrà in infantibus & pueris ob contrarias rationes, & quia illorum intellectus adhuc velut tabula rasa quælibet facilè suscipit, quæ ad illum accedunt, & cùm ad 14. usque annum sermonis stabilitas perficiatur, usque ad illud tempus facilè in hanc aut illam intorqueri valent; est enim puerilis ætatis proprium balbutire, & non expeditè loqui, quare adhuc nutantes facilè quamlibet de novo advenientem suscipiunt, & illi assuefiunt. Loquelam igitur ab arte & disciplina esse, non à natura, meritò omnes asserunt, ut latiùs ex medicis probant Valescus de Tharanta, Fontecha *luminari* 2. *cap. de auribus* Hieron. Fabric. Aquapendens *lib. de brutorum loquela cap.* 12. ubi quærens, cur animalia ejusdem speciei ad invicem colloquentia se intelligant homine excepto, qui alterius nationis hominem non intelligit, cùm in eadem humana specie contineantur? Respondet id provenire, quia hominis locutio ad placitum est, brutorum verò naturalis. Hoc ponderans Plinius, *Tot linguæ*, dicebat, *tanta loquendi varietas, ut externus alieno penè non sit hominis vice.* Et lib. 7. *in proœmio* clarissimè hoc fatetur, de homine sic loquens, *Hominem scire nihil si doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterq; nihil nisi plorare.* Fusiùs Sennertus *in paralipom. ad instit. cap.* 6. Sic videmus infantem in Hispania natum, si in Angliam transferatur antequàm loqui incipiat, Anglicè & non Hispanicè loqui; & sic de aliis si in alias regiones mittantur: unde apertè colligitur ab arte, & non à natura sermonem acquiri, ut doctè probant Jerem. Drexelius in *Phaëthon.* & Philippus Camerarius. Quare *Ægidius* afferente Rhodigino *lib.* 29. *cap.* 14. quæstionis nodum exsoluturus, *Aliquid* (inquit) *in suo universali naturale est, quod si ad speciem revoces, fiet ad placitum; veluti fures supplicio afficere naturale est, sed laqueo gulam frangere, ex arbitrio; idem de locutione valet adstrui, nam loqui & sermone aliquid distinctè enuntiare insitum ingenitumq; homini est; sed hoc vel illo modo id agere, ad placitum.* Quod etiam alii aliter sic explicant. Nam sicuti vox species est soni, sic locutio species est vocis; omnis verò locutio est vox, sed non econtrà; siquidem loqui, voci dearticulationem superaddit: ergò quamvis vocem omnis homo emittere ex natura valeat, hoc aut illo modo, prout didicit, perpetuo & more patrio facere consuevit: unde idioma artis est, non naturæ; & velut gladius, in quo si materiam spectes, naturalis est; si formam, arte confectus.

[Margin: ...ri ... alie- ... lin- ... opti- ... cuti ... addi- ... non ... ant.]

[Margin: Lib. 2. c. de surditate.]

[Margin: 18.] [Margin: Lib. 7. c. 1.]

[Margin: P. 1. in fine Cent. 3. oper. subs. cap. 71.]

19. Nec ea, quæ anteà dicebamus, aliquid in contrarium suadere possunt; nam quòd natura brutis vocem dederit, quâ aliquatenùs affectiones suas exprimere queant, minimè loquela dicenda est, quia articulata non est: & quantumvis avium aliqua, ut psittacus, cornix, pica, & aliæ distinctè loqui videantur, tamen verus sermo non est, quia nullum mentis conceptum exprimit; talis quippe hominibus solùm competit. Et hinc etiam deducitur falsissimum esse, quòd quidam dicere ausi sunt, aves scilicet inter se sermones conferre, & invicem intelligere; quod ex Apollonii Thyanæi historia probare conantur, quam in illius vita refert *Philostratus*, omnium Græcorum menda-

da-

dacissimus, illum nempe voces avium intellexisse: ut quoque de Melampo, Tiresia, & Thalete veteres credidisse tradidit *Porphyrius*, quem Pythagoricam opinionem renovare non erubuit, animalium videlicèt animam rationalem esse, quòd ratione orationeque interiori inter se loquerentur; quorum verba à nobis non discerni nil mirum existimabat ipse, cùm Barbarorum etiam multorum sermonem minimè discernamus, atque ideò non tam loqui quàm vociferari putemus. Cæterùm hæc omnia, & ipsam Apollonii historiam, quam apud eundem *Philostratum*, & *Rhodiginum* videre poteris, meras esse nugas ex communi multorum opinione putamus; ipsumque Apollonium excellentem fuisse magum, & ex dæmonum relatu & disciplinâ multa dixisse ac fecisse admiranda, non est dubium, ut ad Paulinum scribens testatur *D. Hieronymus*.

Lib. [...] sacrif.

Lib. 1 cap. 1

20. Nullam igitur locutionem brutis aut avibus natura concessit: imò *Aristoteles* apertè fatetur aves à parentibus separatas, si aliis diversæ naturæ adjungantur, & illarum voces audiant, pro more ipsarum modulationes immutare & addiscere; quod probè nôrunt, qui canentes aviculas nutriunt, & eas aliis adjungunt, ut aliarum modulationem imitentur: unde patet etiam animalia, si non omninò, aliquid tamen pro illarum voce formanda arte adipisci, ut de Luscinia scribitur, quæ aliquando visa est modulos suos pullos edocere, versusque quos imitarentur tradere. Proindè nullum sermonem natura hominibus dedit; quod si fecisset, cùm ejusdem speciei sint omnes, unam tantummodò loquendi formam haberent, quod non videmus: imò si unam aliquibus loquendi normam dedisset, cæterarum usum forsitan admittere non potuissent; quare multò meliùs cum homine fecisse conjectandum, quem cùm ad omnes addiscendas linguas creâsset, nulli adstringi voluit, sed pro omnibus acquirendis judicium & intellectum addidit, sicuti in animalium armatura optimè *Galenus* declarat, & de artibus; arma enim & varias artes animalibus ferè cunctis dedit, sed istorum nil homini inseruit: *Quoniam* (inquit) *sicuti si ei aliqua arma dedisset, sola illi semper adessent, ita & si artem aliquam sortitus esset, reliquas sanè non haberet: sed quia melius erat omnibus armis, omnibusq; artibus uti, neutrum eorum propterea datum est. Igitur* (cap. 2. antecedenti dicebat idem) *pro omnibus armis manus homini dedit.* Ita & nos dicere possumus, pro omnibus artibus & sermonibus rationem & judicium addidisse, utpote quem variarum gentium sermones addiscere non rarò occasio postulabat.

Lib. 4 hist. a. cap. 9

21.

Lib. 1. usu pa[...] cap. 4.

22. Quod verò de Troglodytis & Zeoromandis afferunt, incerta res est, & an sint homines non certum, brutorúmve aliqua vel monstrifica, vel naturalis species, cùm ferarum more in antris habitent, humanis carnibus, & animalium crudis vescantur. Tandem neque quod ajunt de infantibus ab ortu statim loquentibus, quòd naturaliter loqui aliquando potuerint, & non semper ex miraculo, probabile aliquo modo videtur; cùm sive statim, sive intrà semestre spatium naturaliter loqui impossibile sit, quousque advertere, & aliqua verba addiscere queant, ut illa proferre possint; quod adhuc in præcocioribus, & in illis in quibus natura actiones suas accelerat, rarissimè ante annum visitur, nec balbutiendo quidem aliquid proferre articulatum, ut proptereà meritò pro miraculo habeatur, si non solùm ab ortu sed primis diebus aut mensibus usque ad duodecimum loqui accidat: quarè non immeritò apud *Esdram* inter signa miraculosa venturi judicii hoc annumeratur, *quòd anniculi infantes vocibus suis loquentur*; quæ sanè loquendi præcocitas prodigiosa erit, & totius orbis tragœdiæ omen infaustum. Determinatum siquidem tempus quod locutioni à natura cum aliqua latitudine datum est, à 21. mense incipit, si *Macrobio* credimus, aliis tardiùs, aliis citiùs. Cætera verò, quæ ex Krantzio de filio Ducis Baruch, & ex Aventino afferuntur, si vera sunt, tam uteri gestatio, quàm locutio, prodigiosæ fuerunt; minimè verò opus naturale, de quo hîc agimus.

Lib. 4. c.

Lib. 1. c. somn. Sc.

23. Ultimò ad illud, quod existimat Conciliator de pueris in deserto nutritis, quos linguam Hebraicam locuturos ait, quòd omnium prima fuisse credatur, minimè verum est, & quòd prima fuerit incertum, aut saltem aliquibus dubium, licèt *Camerarius* non levibus rationibus hoc videatur probare; sed qualis qualis fuerit, pueros illos nullam habituros, nisi de qua inter se ad conceptus explanandos convenirent, concors est omnium opinio: nec Psammetichi Ægypti Regis experimentum pro linguæ Phrygum præstantia & primatu aliquid probat, licèt in eorum lingua *Becus* panem significet; quia illa vox, non quòd alicujus nationis hominibus usitata foret, à pueris edita fuit, aut ab ipsa natura edocta, sed ex caprarum mutitu cùm nil aliud audiissent,

Cent. 3. cap. 62. 70.

sent,

sent, absque dubio addidicerunt, ut Hipponis, imò Orbis miraculum *Augustinus* affirmat *lib. de quantit. animæ cap.* 18. *tom.* 1. ubi hujus controversiæ mentionem facit; quare verbum illud nulli linguarum adjudicari debebat: quin imò totam historiam fabulosam esse, & Herodotum sexcentas fabulas scripsisse tenent *Drexelius*, & *Camerarius* citati. Quæ tamen licet vera fuisset, nil tamen certi ex ea deduci posse, ex simili alia, & certiori Magni Mogoris diligentia evidenter colligi potest; qui, ut *Sennertus* & *Drexelius* narrant, nostro ævo 30. pueros eodem studio & curiositate ductus, in loca inaccessa abdere, & includi jussit, ut exploraret somniatam istam & ultrò crescentem loquentiam, custodibus hoc præcipiens, ne vocabulum ullum ad illorum aures accederet, ut sic quânam linguâ essent usuri, & ejus gentis religionem simul amplecteretur, cujus idioma proferrent infantes. Diu expectavit, sed tandem pro Ciceronibus, aut Demosthenibus, mutos vidit; siquidem illorum nullus aliquid articulatum locutus est, atque ideò vanissimum fuisse laborem cognovit, & fassus est; quare nullam religionem barbarus amplexari voluit, planè noscens linguas omnes addisci, & à natura minimè hominibus inesse: quod verissimum est; quid enim superest? unde nobis sermo? unde verba? si non ab imitatione; tolle imitationem, tolle exemplum, & sustulisti sermonem. I nunc, invise tuos infantes, & mirare solitariam illam facundiam, quæ rudet potius quàm loquetur. Prodeant nunc tibi (inquit *Arnobius*) in operta solitudine nutriti, mortalium conciliis inferantur, dent responsum roganti, certè omni pecore, ligno, saxo obtusiores stabunt: quod recenti & nostro ævo viso exemplo observatum est, à Nicolao Tullio adducto *lib.* 4. *obs. cap.* 9. juvenis cujusdam in Hyberniæ montibus à venatoribus capti, ubi vel casu, vel parentum incuriâ derelictus fuit cùm adhuc infans esset, qui tandem adolescens nihil nisi balare noverat. Itaque hinc patet in reddenda causa quare muti non loquantur, præter alias non contemnendas non infimam illam esse, quòd omnes surdi cùm sint, minimè ex auditu verba percipere valent, ut edocti sicuti cæteri proferre possint. Tenendum igitur firmiter est, vocem à natura quidem esse, sed loquelam hanc aut illam ab arte: hinc rectè *Aristoteles* ait, homines locutione variâ uti, vocem tamen reddere eandem.

4.

5.

De præstantia linguarum quidquid alii addubitent, Hebræam primam fuisse, ac omnium matrem ac principem esse in confesso est, cujus Deus auctor & inventor; eandemque ipsum Deum & Angelos locutos fuisse, cum multis scribit *Camerarius*; cæteras verò omnes ab hominibus inventas aut expolitas. Post diluvium enim inquit *Aldrovandus*, Noë filios & nepotes, pronepotesque in diversas mundi plagas distribuisse, ut totus orbis iterum coleretur; hanc verò filiorum immaturam abalienationem, cùm nondum parentum & progenitorum mores & vivendi ritum satis imbiberant, totius diversitatis, imò & variarum linguarum causam extitisse. Quod cum illo, quod *Genes.* scribitur, quadrare non videtur, ubi propter hominum malitiam & audaciam in ædificanda turri, Deum eorum sermonem, qui unus erat, & terra unius labii, divisisse atque confudisse legitur; quare ab opere cessare coacti sunt propter confusionem, unde Babel dictus est locus: cum his, inquam, illud de filiis Noë quadrare non videtur, nisi dicamus confusionem in turri Babel tantùm pro tempore fuisse, ut illorum audaciæ obviam fieret; postea verò ex prædicta causa in varios sermones mundum evasisse; quod dicere Sacris Literis non repugnat, cùm hodie etiam non solùm pro regnorum diversitate, sed ejusdem nationis diversis locis passim conspicuæ differentiæ in loquendo animadvertantur, quæ tamen varietates ad unum finem apud omnes tendunt. De præstantia verò cæterarum, præcipuè illarum quæ Europæis frequentiores sunt, sic *Tympius* distinguendum putat, ut si quispiam cum Deo locuturus esset, Hispanicè deberet loqui, ob linguæ majestatem; si cum aliquo Principe, Italicè propter hujus elegantiam; si cum fœminis, Gallicè ob suavitatem; si cum militibus, Germanicè quòd sit omnium robustissima; ac sic omnes suo encomio evexit, sed Hispanicam cæteris superiorem meritò extollit.

6.

De Monstr. cap. de voce.

Cap. 11.

In mensa Theophilos. p. 2.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMASEXTA.

Utrùm sectio venarum, quæ retrò aures sunt, sterilitatem inducat, ut Scythis evenisse docuit Hippocrates?

SEd quando humanæ naturæ adyta, Veneri non ingratos flores hinc inde decerpentes, jam sumus ingresi, ad penitiores quoque recessus pervadere haud puto fuerit injucundum, ut abdita alia & denso obvolucro in intimis illius sacrariis recondita scrutemur, ad miraculum usque grato sciendi desiderio expetita; quæ licèt jam multorum labore pervestigata, adhuc non omninò ab omni penitus tegumento nuda sese produnt. A prolifica igitur Venere ad illam, quæ quodammodò subventanea est ac sine fructu irrita, descendamus, & ex plurimis sterilitatis causis, quæ apud medicinæ factores enumerantur, antiquissimam illam in *Hippocratis* pulvere jacentem, iterùm in arenam revocemus; si fortè tantis luctatoribus fatigata, nostris quantumvis exiguis & flaccidis viribus succumbere aut evinci posit, palamque omnium oculis dempto cortice & submoto peplo appareat conspicienda.

1. Ille igitur medicorum maximus (sic *Seneca* meritò *Hippocratem* appellat, quem quoque *Macrobius* supra humanæ naturæ fastigium collocâsse visus est) omnium primus hanc venarum retrò aures sectionem, sterilitatem inducere, non scientiâ tantùm ductus, sed experientiâ quoque edoctus affirmavit; sic enim loquitur: *Aliæ duæ venæ à vertice juxtà aures ab interiori colli parte utrimque ad cavam appellatam venam feruntur; cava autem vena finitur quidem velut gula, consistit autem inter gulam & guttur, sive arteriam, ferturq; per septum transversum, & per cor & interseptum, & finditur ad inguina, & ad femora intrò, & dispatationes in femoribus facit, & ad tibias intùs fertur ad malleolos. Hæ & infœcundum faciunt hominem, si fuerint sectæ, & in magnos digitos tendunt ac desinunt.* Sed antequam ulteriùs progrediamur, advertendum est temerè aliquos ex præsenti *Hippocratis* contextu credidisse venas, de quibus *Hippocrates* hîc loquitur, & sterilitatem facere ait si secentur, eas esse, quæ per malleolos, & usque ad pedum pollices decurrunt; unde *Africanus* ex *Orphei* testimonio libidinis locum illum præcipuum esse existimabat, ac proindè entatica emplastra (quæ alii mentathica potiùs dicenda non malè colligunt, id est, quæ tentiginem in viris & fœminis concitent) pollici & talis imponenda esse præcipiebat. Quod & *Avicenna* præcepit, qui pro coitu juvando pedes oleis calidis fricare jubet; quin & apud aliquos juniores idem remedium commendari legimus, ut *in idea* scribit *Ionstonus*, oleo in quo cantharides ebullierint. Hac ratione idem Avicenna *cap. 28. sequenti*, coitûs desiderium imminui ait, si nudis pedibus fiat incessus; quâ sanè de causâ creditur D. Franciscum suis fatribus hoc præcipisse, ut meliùs sic Veneris incitamenta & lachia vitarent. Quæ licèt vera sint, & in illis pedum venis talem vim inesse dicant, tamen *Hippocratem* de eis locutum fuisse ridiculum est putare: *Africanus* quippe & *Orpheus* pollices pedum, imò & manuum, libidinis non infimas esse partes crediderunt, non aliâ forsan ratione ducti, nisi chiromantum errore decepti, qui eorum, qui in libidinem proni sunt, indicia ex Veneris illo monticulo, quem in manibus sic appellant, captare solent; ac quemadmodum hac parte, sic in pedibus locum illum correspondentem eâdem vi præditum opinati sunt: unde illius loci venas sanguine fraudare, & illius defectu frigidas reddere, coitui maximè nocivum fore ajunt, & ex quo homo sterilesceret. Quod tamen tantum abest quòd verum sit, ut econtrà pro uteri affectionibus in fœminis, pro partu juvando, & in viris pro schiade & aliis ægritudinibus optimum juvamen illarum venarum sectio similiter afferat: quòd si prædictorum, vel muliercularum opinio, quæ hoc timet etiam ac probat, aliquo modo vera dicenda est, de frequenti aut admodum larga sanguinis detractione intelligenda est; quod non illis tantum venis, sed omnibus aliis commune erit, licèt ex istis aliquantulū magis, quòd cum genitalibus & matrice magnum habeant consortium. Sed *Hippocratem* illud dixisse aut voluisse minimè credendum, quamvis ultima textûs verba sic sonare videantur, quod errandi fuit occasio; quia quod in fine concludit, cum respectu ad venas aurium accipiendum est, de quibus ibi loquebatur: & quòd hæc fuerit *Hippocratis* mens, facilè ex aliis illius locis colli-

Margin notes: 2. 3. 4. — Lib. ... cis in ... mine ... 10. — Lib. 3. 2. tract. cap. 6.

colligi potest, præsertim *lib. de aëre, aquis, & locis*, ubi de Scytharum morbo effœminato agens (qui nil aliud quàm coxendix inveterata & rebellis erat) quem *Herodotus* divinum fuisse prædicavit, & ab Vraniæ Deæ ira illis immissum, quod ejus Deæ templum in Ascalone, antiquissima Palæstinæ urbe, depopulati fuissent, ut latiùs attulit Mercurialis *lib. 3. variar. cap. 7.* quam tamen persuasionem altiùs infixam, ut ab omnium pectoribus *Hippocrates* averteret morbi causam dilucidè exposuit atque explicavit, nec divinitatis aliquid magis quàm cæteros in se continere clarè docuit, tandemque curationis modum apud Scythas usitatum reprehendens, sic ait: *At mihi sanè videntur eâ medicatione seipsos perdere; venæ enim retrò aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferat iis, quibus secantur.* Docebat itaque ibi modum, quo ipsi dum coxæ morbum sanare studebant per venarum ex auribus sectionem, in infœcunditatem & coitûs impotentiam devenirent: sed legitimam sterilitatis illorum causam ex eadem causa provenientem *libello de genitura* clarissimè exposuit, per hæc verba: *Quibuscumque verò juxtà aures venæ sectæ sunt, hi coëunt quidem, & genituram emittunt, verùm modicam & debilem & infœcundam; nam plurima genituræ pars à capite juxtà aures in spinalem medullam procedit, ipse autem transitus cicatrice sectione inductâ consolidatus est.* Per has enim venas juxtà aures semen nondum elaboratum in testes deferri, dum internè propè spinam ab utroque in ipsos procedunt, apertissimè docebat *Libello de ossibus*, ubi easdem venas appellat *Sphagitidas*, quod idem est ac jugulares.

In clio.

Hac igitur ratione illarum sectione sterilitatem induci *Hippocrates* asseruit; & certè cerebrum cum semine aliquid commune habere videtur etiam *Aristoteles* sensisse, quod ex oculorum læsione infert, quòd ex frequenti coitu immutentur & Veneris usu immodico subsidant, & aperti langueant; quarè frequentiùs eo utentes in calvitium facilè incurrere dicebat, ob inopiam humidi calidi pinguis, id est, alimentalis: quod nec Romanos latuit, qui in triumpho Julii Cæsaris sic proclamabant, hujusmodi scomma proferentes: *Romani servate uxores, Mœchum calvum adducimus.* Sic in petulantissimi cujusdam histrionis post mortem dissecto capite exiguam propterea cerebri particulam repertam fuisse, sunt qui tradant cum *Alberto Magno* & *Laurentio*; de quo etiam meminit *Langius*: quod etiam ex *Hippocrate* confirmari videtur, cùm spadones & pueros non calvescere ait, cui *in comment.* Galenus consentit; semen enim à capite descendere ut certissimum scripsit Plato *in Timao.* Quibus accedit *Aristoteles*, dum enim causam quærit, cur spadones non calvescant, ait multùm cerebri habere, quia non coëunt, semenque per spinam ex cerebro delabi. Porrò horum judiciis subscribunt ex Arabum schola potissimi auctores, ut Rhasis *lib. 24. continentis.* & *Avicenna* qui *Hippocratis* auctoritatem afferens, à cerebro semen per dictas venas descendere scribit, & illarum sectionem sterilitatem inducere: *Et Hippocrates dixit, quòd plurimùm materei spermatis est à cerebro, & quod descendit ex duabus venis quæ sunt post aures ambas, & propter hoc abscindit phlebotomia ambarum generationem, & facit incurrere sterilitatem.* Quam tandem opinionem multi ex junioribus posteà approbârunt, tam in eo quòd semen à capite descendat, quàm quòd illarum venarum sectio sterilitatem pariat: sic tenent *Langius, Balcasar, Marcellus Donatus*, & alii complures; nam & aliquandò ex capitis tantùm vulnere coitum defecisse, in quodam Judæo vidisse refert Nicolus *serm. 6. cap. 6.* Quarè mirum non est si Scytharum nobiliores, qui ex frequenti equitatu in coxendicis morbum incidebant, & pro illius curatione venas post aures secabant, in coitûs impotentiam & infœcunditatem devenirent; quorum sterilitatis causam hanc fuisse & non aliam apertè fatetur *Hippocrates.*

2. de generat. animal. cap. 7.
5. de gen. animal cap. 3.

Lib. 22. de animal
Lib. 8. anat. quæst 4.
Tom. 1. epist. 10.
Lib. 6. aph. 18.
sect. 10. probl. 56.
Lib 3. fen. 20 tract. 1. cap. 3.

Tom. 1 epist. 60. & tom. 2. epist. 7.
Lib. 5. de morb. gall. cap. 20.
Lib. 4. de hist. med. mirab. cap. 18.

Sed an illud remedii genus prudenter ab illis usurparetur, hodieque in usum convenienter & securè trahi possit, non erit abs re, antequam ulteriùs progrediamur, inquirere. Et inprimis quòd apud Scythas communiter pro dicto morbo usurparetur, ipso *Hippocrate* teste patet; & non solùm ad prædictum morbum, sed ad aurium pruritum eandem venarum sectionem commendat *Ioan. Alexandrinus* explicans *Hippocratis* sententiam: *Vbi adsunt κέδματα, venas, quæ in auribus sunt, scarificare oportet*: licet malè ibidem pruritum interpretetur, cùm & apud Grammaticos aliter accipiatur, per genitalium scilicèt dolorem; potiùs tamen cum *Valesio* nil aliud significare judico, quàm defluxionem in coxæ articulum, ut quoque *Foësius* in illius loci *comment.* vertit, & probat; unde remedium cum morbo convenire satis conspicitur, quod *Hippocrates* ipsâ Scytharum experientiâ ductus, notissimum habebat: quòd si *lib. de aëre aquis & locis*, illos tali medicatione se ipsos perdere dicebat (unde colligi

Lib. 6. de morbis pop. sect. 5. tex. 21.

 poterat

poterat ab eodem 6. *epid.* immeritò approbari) facilis est evasio, cùm ibi profundam & omnimodam venarum incisionem, sanguinisq; nimiam effusionem, quâ ipsi utebantur, evidenter reprobare videatur; hìc verò scarificationem tantùm commendet: sed quidquid sit, venarum illarum post aures sectionem ab usu omninò recessisse, nec apud ullum practicantium inveniri, certum est, (si *Foësium* demas *comment.* 22. *lib.* 6. *epid. sect.* 5.) & *Valesius* citatus fatetur se nunquam vidisse tale remedium ab aliquo in praxi exerceri, aut per venam sectam sanguinem ex venis aurium affatim educi, cùm nec *Galenus* eodem *comment.* illud approbet; nec etiam à quopiam, qui ipsum laudet, unquam tentari dicit, cùm præsertim *Galenus* prodesse posse neget. Quare Empiricorum, non medicorum inventum fuisse non malè judicat *Cardanus*, forsan ignorantium, quæ sequerentur damna; quibus animadversis, alia atque alia experiundo cum minori periculo tentantes, illius vice ustionem pro schiade curandâ invenerunt; quam multis modis tam ipsi, quàm medici variis in locis factam tanquam optimam approbârunt: quippe alii in pedibus, alii in poplite, alii sub genu in parte sylvestri inurebant, ut apud *Rhasim, Albucas. Nicolum,* & innumeros alios videri poterit. Alii etiam in manu ustione illa Arabicâ dictâ utebantur, cujus *in apolog. pro chirurg. præstantia*, faciendi modum & utilitatem pulchrè exponit *Gesnerus*, ex quo transtulit Paræus *in præfatione sui operis.* Cæterùm inter omnes maximè hodie prævalet illa, quæ super coxæ vertebras multiplici loco inuritur; quam tantoperè commendant recentiores, celebrium medicorum opinione & ipsâ experientiæ utilitate suffulti, ut colligitur ex Hippocrate 6. *aph.* 60. Galeno *eod. comment.* Celso, Paulo, Æsio.

Sed his adhuc non acquiescentes in tam rebelli morbo ad cartilaginem illam, quæ intrà aurem continetur, aut circà aures cauterium adhibent, præcipuè empirici, maximam utilitatem exindè sperantes; quod *Valesius* dicto loco *epid.* non reprobat, imò *Mercatus* remedium hoc tanquam præstantissimum à viro quodam docto accepisse scribit; quare *lib.* 1. *indicat. num. ult.* illud iterùm commendat; quod etiam facit *Fragoso*, qui cum *Valesio, Mercato,* & *Andrea Balcasar* rationem addit, quare tantùm hujusmodi ustio prosit, quia nempe scinditur ibi nervus seu vena, unde fluxio decurrens intercipitur: alii quòd capitis frigiditas & imbecillitas per ignem corrigantur unde pituitæ & frigidorum excrementorum proventus imminuitur; nam cùm cerebrum membrum sit frigidum, friabile, & exangue, pituitæque metropolis ac domicilium, ex Hippocrate *epist. ad Demetrium* copiam excrementorum ad inferna detrudit, ut docet *Galenus*; unde affectiones partium infernarum fovet, adauget, ac per circuitum exacerbat, ut luculenter explicavit Fernelius 5. *Pathol. cap.* 4. quod verum esse, brevi epilogo monuit Hippocrates 2. epid. *Si caput doleat, ad humeros descendit, deinde ad pectus, ad hypocondria, postea ad coxam.* Ex quo loco manifestè deducitur, caput coxendicis dolorum potissimam radicem esse; quod *lib. de glandulis nu.* 10. & *de locis in hom.* evidenter ab eodem iterùm scribitur: quare *Fumanelus* hujusmodi cauterium tanquam optimum remedium satis commendat; in cujus confirmationem historiam illam *Rhasis* adducunt, quam etiam narrat *Avicenna*, de quodam, qui cùm vulnus in cervice accepisset, ex quo abscissâ arteriâ copiose sanguis effluxit, ab antiquo coxæ morbo sanus evasit.

Et ut ad ustionem revertamur, apud Pœnos in usu esse infantium capita lanâ succidâ inurere, ut defluentem pituitam sistant, *cap.* 25. *lib.* 2. scribit *Alexander ab Alexandro*; qui Æthiopes quoque ait frontem natorum statim inurere consuevisse, ut capitis & oculorum supervacaneum humorem exsiccent & absumant. Itaque prædictâ aurium ustione aliquos curatos vidisse testatur *Fragosus* citatus, & ego empiricum novi stolidissimum, qui multos ita curabat, cùm nil aliud facere sciret; & sumpto hinc initio in magni nominis chirurgum apud vulgus evasit. Quæ cùm ita sint, haud scio quâ ratione aliqui asserant, dictam ustionem ex parte contraria coxæ dolentis fieri debere, & sic magis prodesse certissimo experimento testentur; ut tenet Peramatus, & Alphonsus Lopes de Corela *lib.* 3. *de arte curat.* à Fragoso citatus: nam licèt hoc locum habere posse videatur in opinione, quæ docet ideò cauterium prodesse, quia cerebri frigiditatem emendat, & excrementorum frigidorum generationem minuit (unde non minùs ex hac, quàm ex illa parte inustum, caput calefaciet, & pituitam in eo contentam absumet) tamen in opinione quæ cauterium ideò prodesse tenet, quòd cicatrice inductâ humorum influxus inhibeatur & intercipiatur, locum habere non potest; quin & in antedicta opinione promptiùs ac faciliùs in parte affe-

affecta auxilium præstabit, servatâ rectitudine, & patienti loco ab ignis efficacia & calore quàm citissimè adjuto. Quapropter illud consilium de parte affectæ contraria inurenda ridiculum est, & à nemine approbatum aut usitatum: nec obstat quòd *Hippocrates* de temporibus vulneratis loquens convulsionem fieri dicat in parte dextra, si sinistra fuerit vulnerata, & econtrà; hoc, inquam, nil obstat, quia non tanquam perpetuum, sed tanquam contingens intelligi debet, cùm sæpiùs rectitudo in hujusmodi læsionibus servetur: quare ex illo, quod aliquando accidit, non est efformanda regula ad illud quod communiter debet fieri, cùm ex alia causa oppositio illa & consensus proveniat, & non ex aliqua communi, quæ debeat imitari; de cujus adversæ convulsionis causa (ut hoc obiter) vide Jul. Cæsar. Arantium, Laurentium, Paræum, & Dalechampium *ibi*, Peramatum *lib. de evacuandi rat. cap.* 32. Valesium 4. *epid. textu* 15. & *lib.* 5. *textu* 16. Mercatum *cap. de epilept.* Augenium *lib.* 7. *de venæ sect. cap.* 4.

Lib. de vulnerib. cap.

Comment. ad lib. de cap. vuln. Lib. 10. quæst. 5. Lib. 4. cap. 11.

Sed non minùs errare videntur in eo, quòd dicti remedii utilitatem ad occultum aurium & coxæ consensum referant; quod etiam *Lupeo* visum est *com. ad caput* 13. *Gal. de curand. rat. per sang. miss.* & in *animadv. fol. mihi* 86. quia sine ullo harum partium consensu, sed ob capitis corroborationem, ex qua materia imminuitur & fluxio cessat, tantum juvamentum provenit; quare notandus venit Laguna *tract. de morb. articulari*, qui hujus remedii nullam causam invenisse ait.

4.

Sed quando in cauteriorum mentionem jam incidimus, obviam quandam quæ sese præbet difficultatem, curiosam licèt magis quàm utilem, superpondii loco discutere non gravabor: An scilicet fonticuli, qui nobis hodiè frequentissimi sunt, antiquis etiam in usu fuerint? Ab ipsis enim cognitos, & usitatos fuisse scribit *Fienus*, qui licèt fateatur *Hippocratem* & *Galenum* de illis nunquam mentionem fecisse, ait tamen verisimile non esse illos tale remedium ignorâsse; quod etiam *Zacutus* & *Amatus* contendunt, quin imò inventores & auctores illorum fuisse ajunt, cùm & *Galeno* antiquiores, & qui non multò post in medicina fuerunt, puta *Dioscoridem*, *Rufum*, *Antillum*, *Posidonium*, hujus remedii notitiam habuisse, nescio ex quibus locis colligant. Econtrà verò cæteri ferè omnes hoc negant, ac juniorum inventum fuisse ajunt, cùm fonticuli nostri alias multùm differentes, quàm antiquorum nominata cauteria, subeant leges, & planè cum fonticulis nostris non convenire, nec ab antiquis cognitos fuisse affirmare non dubitant; quam opinionem sequuntur Mathias Stroii apud *Cratonem*, Cardanus, Pernumia, Castrensis *opusculo quæ ex quibus*, *lib.* 4. *cap.* 9. Serna *lib. de alendis infant. cap.* 30. ubi rationibus & auctoritatibus, quæ pro affirmativa adversariorum parte allegantur, abundè respondetur; atque tandem concluditur, omnia illa loca quæ ab ipsis afferuntur, ex quibus antiquos pro multis morbis curandis fonticulis usos fuisse inferre conantur, de cauteriis tantùm intelligenda, minimè verò de fonticulis, ut latiùs apud citat. auct. videri potest. Quibus ego libenter assentirer, nisi quidam *Hippocratis* locus, forsan ab aliis non animadversus, me in contrariam opinionem duceret, ex quo absque dubio infertur Scythas fonticulis usos fuisse: quippe de illis loquens *lib. de locis in hom. textu* 29. sic ait: *Scythæ omnium hominum sunt ad coitum minùs valentes*; & præter alias rationes hujus ad coitum imbecillitatis, quas ibi affert, hanc addit: *Quòd humoris detractiones ex perustione cauteriorum semper habeant.* quod non nisi de fonticulis cauterio apertis intelligi potest, cùm dicat semper habere illas humorum detractiones ex cauteriis, nempe fonticulis cauterio factis. Ex his enim multùm & diu manentibus non solùm coitum imminui, sed homines sterilescere, nostri quoque docent juniores, Mercat. *lib.* 3. *de morb. mul. cap.* 5. Joan. Varandæus *lib. de morb. mul. cap. de sterilitate*, Sennertus *lib.* 3. *part.* 9. *sect.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 1. Ex quibus saltem colligo *Hippocratem* fonticulorum usum agnovisse, sed nec usitâsse, nec cuiquam consuluisse; unde cæteris aliis posterioribus ignoti fuerunt: ut apud Castrensem *opusculo quæ ex quibus* latiùs videri poterit.

5. [Fonti]culi [an]tiquis [usi]tati fuerint.

Lib. 1. de cauteriis cap. 13. Lib. 3. de princip. hist. cent. 5. obs. 7.

Lib. 6. consl. 102. Consl. de diff. spirandi. Lib. 5. de curandi arte in fine & apud eundem Cardan. in meth. medendi fol. 321.

6.

His igitur paucis de cauterio & fonticulis obiter prælibatis, ad sectionem venarum, quæ post aures sunt, iterum revertendo, advertendum in medicinæ operationibus hoc remedium non recipi, tùm quia aliis securioribus suppletur, tùm quia timorosum ex *Hippocratis* monitis semper judicatum fuit: quod de larga nimiaque sanguinis detractione intelligendum est, & de illa, quæ per unicam aut duas sectas venas copiosè extrahitur; nam aliter per leves scarificationes non raro in capitis morbis in usum venire certum est, aut sanguisugis appositis, cum utrumque periculo careat: nec hoc

hoc cum immodica illa Scytharum evacuatione in aliquo convenit, ut inde sterilitatis damnum sequatur, aut timeri possit. Sunt quippe hæ venæ multis ob excellentem

17\. usum nominibus à Græcis & Arabibus insignitæ: *Celsus* lib. 4. c. 1. *grandes & sphagitides*, Latinis *jugulares*, quin *parotidas* vocat, mendosè tamen ac corrupto nomine, cùm *carotidas* potiùs legendum sit; sic enim easdem appellârunt, quasi dicas apoplexicas, hunc siquidem affectum κάρον Græci vocant; experientiâ enim compertum est venas has aut arterias aliquo modo pressas, aut ligatas, veternosum somnum, & torporem quendam apoplexicum afferre, denegato scilicèt spirituum animalium exitu. Ab Arabibus *Passiguidem* dictæ sunt, quibusdam *pensiles*, *spermaticæ*, *somnificæ*, *juveniles*, *organicæ*, *sphagitides* appellantur; est siquidem tanta illarum præstantia, ut *lib. de cap. vul. & 2. de articulis* scribat *Hippocrates*, quòd in temporibus sectæ in vulneratis homines apoplexiâ, spasmo, ac soporifero caro corripiantur, quod *Galenus* confirmat. Quarè mirum non est si ab illarum sectione, & larga sanguinis effusione Scythæ in

18\. sterilitatem devenirent, & somnus longissimus ægrè dissolubilis illos apprehenderet, ut ipse *Hippocrates* narrat, & scribit etiam Aristoteles *sect. 4. probl. 56.* *Avicenna* quoque citatus *lib. 3. fen. 20 tract. 1. cap. 3.* ubi de Galeno ait, illum non scivisse an harum venarum sectiones in sterilitatem ducerent, an non; imò *lib. 1. fen. 4. cap. 20.* Galenum hoc negâsse tradit: sed cùm apud *Galenum* nullibi hoc scriptum inveniatur, *Avicennam* hoc illi imposuisse conjectandum, ut non citrà rationem advertunt Langius, Lemosius, & Roder. Castrensis. *lib. quæ ex quibus 4. cap. 5.* licèt non immeritò suspicentur *Cardanus*, & *Septalius* à Galeno *in com. ad lib. de locis in homine* illud scribi potuisse; talem quippe librum *in catalog. de propriis lib. Galenus* annumerat; sed cùm ad nos non pervenerit, sub *Avicennæ* fide illud potius relinquendum duximus, quàm falsitatis illum modò accusare velimus: aut fortè dicamus *Avicennam* ositanter *Galenum* legisse; nam cùm *6. epid. com. 5.* talem venarum sectionem coxendicis morbo laborantibus prodesse posse negaverit, forsan oblitus *Avicenna*, sterilitatem inducere non posse *Galenum* dixisse credidit; cum alioquin temerarium esset *Galenum* tam apertè *Hippocrati* contradicere; quod etiam voluit *Sotus* citat. Sed cùm nil ex *Galeno* habeamus, quod nos in præsenti dubitatione adjuvare possit, & lucem afferre, ab *Hippocrate* verò, *Avicenna*, & aliis verum esse judicetur: quid in hac re statuendum sit, multorum priùs relatis opinionibus jam dicere conabimur.

Lib. ... usu p... | Epist. tom. ... | Lib. ... meth...

19\. Inprimis missum faciamus *Peramatum*, qui hujus sterilitatis causam occultum aurium cum genitalibus consensum esse scribit, quia cùm quamplurimas causas alii invenerint non contemnendas, ad occultum consensum hoc reducere velle, industriâ & ratione caret: sic etiam *Augenium* minimè accipiendum existimamus, qui omninò negat harum venarum sectionem sterilitatem aliquam afferre posse, aut impotentiam; tenetque nullo modo magis ex istis, quàm ex aliis venis hujusmodi periculum advenire posse, *Galenumq́;* hoc rectè negâsse inquit, quod tamen ex *Avicenna* desumpsit, cùm locus ubi *Galenus* illud scripserit non inveniatur; quare illius auctoritas nil illi favet, ac proinde malè cæterorum omnium medicorum opinionibus, quæ hoc tanquam certum affirmant, *Augenius* sese opponere intendit: quare de causa tantùm indaganda lis inter plurimos est, quam modò componere pro viribus conabimur.

Cap. ... evacua... rati... | Lib. 9 ... sang. ... cap. 9.

20\. Cùm igitur hujus sterilitatis causa ab *Hippocrate* adducta *lib. de genit. & libello de ossib.* dum ait semen à cerebro decidere, minimè admittatur; licèt juniorum aliqui verbis tantùm *Hippocratis* & aliorum antiquorum decepti, sine ulla anatomes, aut veritatis inquisitione illud etiam scripserint; quod minimè verum esse quamplurimi alii sedulò inquirentes invenerunt: quare hâc parte *Hippocratem* & alios, qui illius opinionem secuti sunt, haudquaquam admittendos omnis ferè juniorum schola approbavit, ut latius patet apud *Laurentium*, *Petrum Garciam*, & plures alios; semen enim non ex aliqua parte determinata descendit, sed in testibus, quemadmodum lac in mammis perficitur; materia verò ex qua fit, non ex aliqua etiam determinata parte, sed ex omnibus advenit, quod ex eo infertur, quia filia videmus non rarò parentum cicatrices, nævos & claudicationes afferre in locis, ubi parentes easdem obtinebant: sed necessarium non est, ut exquisitè ab omnibus simul descendat, alioquin mancus semper mancum generaret, licèt & hoc rarò eveniat. Igitur cum hoc apud omnes pro indubitato habeatur, non est cur hîc ulterius immoremur, cum nullus hodie verum hoc esse neget; quod forsitan advertens Gentilis super *Avicennam* 4. 1. *doct. 5. cap. 20. & tract. 2 43. cap. 3.* cum hunc descensum seminis à capite non probet, confluxum tamen

Lib. 8. ... quæst. 4 ... disput. ... sup. Avi... cap 4.

spiri-

spirituum præcipuè à toto necessarium esse putavit, & hoc potissimùm à partibus principibus, ut ex omnibus spiritus quidam genitivus fiat; nec aliunde provenire posse similitudinem ad parentes judicat: & quia ex prædicta sectione venarum deficit animalis spiritus, qui non potest descendere, ideò credit ob illius defectum semen reddi infœcundum, & paucum, ut de Scythis dicebat *Hippocrates*.

Septalius verò cum *Cardano* ambo *in comm. ad Hippocrat. de aëre aquis & locis*, à *Gentile* parùm aut nihil differre videntur; nam materiam & spiritus ad seminis fœcundi generationem à cerebro desiderant: quæ duo, ajunt, etsi à cicatrice, ut *Hippocrates* voluit, non impediantur, tamen ob spinalis medullæ frigiditatem in minori copia suppeditari credunt, ac ideò semen esse infœcundum. Sed horum sententia admittenda non est, quia nec spiritus aut seminis materia necessariò à capite deducta requiritur ut fœcundum sit semen, & generationi aptum; nam etsi cerebrum nil omninò mitteret, non idcircò magis deficeret seminis materia, quàm amputato crure aut brachio: & licèt ex coitu cerebrum maximè debilitari videamus, hoc aliundè evenit, ex eo quòd cùm pars sit admodum exanguis, sanguinis defectum maximè sentit, & cùm sit pars extrema corporis, non habet aliam, à qua secundùm indigentiam trahat; nam cùm in defectu unaquæque ex alia id pro indigentia faciat, cùm jam ad extremam devenitur, nec detur tunc alia, à qua attrahere possit, in illa major noxa & defectus præcipuè sentitur; ad quod etiam accedit, quòd cùm cerebrum multis spiritibus egeat, tam ad cogitationes, quàm ad alias animales functiones obeundas, ex quolibet illorum defectu læditur.

Vallesius *lib. 2. cont. c. 7.* quem sequitur Soto *tra. 16. de locis in homine*: alium modum invenit, quo hujusmodi sterilitas causari possit; nimirùm quia obductâ cicatrice spirituum vitalium, qui animalium generationi materiam præstant, transitus à corde impediretur: quare ex illorum defectu cerebrum debilius reddi, & universum quoque corpus enervari necessarium est, propterea quòd sicuti cerebrum vitali spiritu privatur, ita semen animali; unde infœcundum omninò & debile evadere debet. Cæterùm cùm constet has venas ex cicatrice non claudi, ut plurimi docent, illius opinio nulla est; & quòd non claudantur monet *Laurentius*, quem sequitur *Petrus Garcia*; nec etiam quantumvis clauderentur aliquid convinceret *Vallesius*; oportebat quippe probare spirituum vitalium ascensum per illas, & non per alias fieri debere. Præterea *Hippoc.* hic de venis loqui videtur, cùm *lib. de locis in homine textu citat.* de illis agens ad cavam venam ferri dicat; unde quamvis in illius doctrina & in multorum veterum scriptis venarum nomine, arteriæ sæpiùs intelligantur, tamen hic venas & non arterias accepisse credendum est: quare cùm spiritus vitalis per arterias & non per venas feratur, ridiculum est putare harum venarum sectionem & cicatricem illorum transitum impedire posse. Et hanc difficultatem fortè advertens *Vallesius*, aliam causam addidit, quòd forsan cum venis præscindatur nervus, quem *Vesalius* in multis vidisse affirmat, descendentem à sexta conjugatione ad vasa seminalia; verum cum illum in aliquibus tantum vidisse dicat *Vesalius*, in omnibus non inveniri perspicuum est, cum præsertim cæteri Anatomici talis nervi non meminerint; unde aut ipsum *Vesalium* deceptum fuisse judicandum est, aut certè dicendum ex illo, quod particulariter evenit, sumi non debere rationem ad illud, quod communiter observari debet; ac tandem ut necessarium minimè supponendum illud quod fortuitò & ex errore contingit, scilicèt nervum secare, dum vena secatur; ut ex eo conclusio in cæteros probetur.

Rodericus Castrensis *lib. 4. quæ ex quibus cap. 5.* cum aliorum opiniones rejecisset, in hanc tandem devenit, ùt credat harum venarum sectionem sterilitatem inducere ob cerebri imbecillitatem; hanc verò ex eo causari, quòd cerebrum necessario alimento ob illarum cicatricem privetur; unde cerebro debilitato consequens esse ait, nervosum & musculosum genus debilitari, unde penis erectio pigra & imbecilla, & semen pauco turgeat spiritu. Videtur tamen hæc sententia non admittenda, quia supponit cerebrum per has venas alimentum suscipere; quod verum non est, nec ab illo probari poterit, cum affirmantibus omnibus Anatomiæ peritis externæ sint, & patentiores aliæ multò interiores inveniantur, per quas alimentum ad cerebrum ferri possit: deinde quantumvis hoc munus præstarent, non ideò illud sequeretur, quia non omninò ex cicatrice claudi jam suprà diximus. Ulterius in vulneratis quamvis venæ plurimæ scindantur, partes tamen alimento fraudari non videmus, quia à natura

tura

tura facilè uniuntur; & quia facultas attractrix in omnibus partibus viget quæ adhuc per poros sufficienter attrahit: quarè illum veram causam hujus sterilitatis docuisse minimè confitemur.

Hunc rationum labyrinthum perpendens Laurentius *lib. 8. suæ anat. quæst.* 4. Hippocrati ex harum venarum sectione sterilitatem docenti minimè assentiendum ratus est, quia falso principio de seminis à capite descensu nitebatur: aliorum verò auctorum explicandi modum facilè ex jam dictis nil certum ac veritati consonum adducere conspiciens, hujus infœcunditatis causas in Scythis præcipuè alias fuisse omninò contendit; quarum tres potissimùm statuit. *Prima* est, frequens equitatio; nam licèt *Aristoteles* scribat, assiduam equitationem ad libidinem facere, quâ ratione etiam aliqui practicantes, ut ad coitum minùs valentes, & genitalium partium ignavos calefaciant ac promoveant, eandem equitationem consulunt, ut inter alios commendant Christophorus à Vega, & Guilliel. Insulanus *lib. de rat. vict. salub. cap.* 15. qui tamen de suavi ac levi audiendi sunt, quam stomacho & coxis utilissimam esse scripsit Plinius *lib. 28. cap. 4. prope finem*; quare de ea, quæ talis est, & modica, philosophum locutum fuisse dubium non est, quæ minimè lædit; *Hippocratem* vero, cùm illud de Scythis ait, de frequentissimâ ac maximè incommodâ, ac præcipuè sine stapedibus; ut illis in more fuisse, antequam invenirentur, advertit *Cardanus*, & stapedes juniorum fuisse inventum, non veterum tradit *Septalius*. Quare non immeritò *Laurentius* hanc causam illorum sterilitati conferre, aut saltem ad coxæ dolorem facere ait; quia sic crura divaricantur, & pendentia facilius fluxionem suscipiunt, maximè si concussio ex equi motu haudquaquam leni accedat; unde certum est ex frequenti hac equitatione coxas & crura impleri, & debilitatem quandam contrahere; quod in equitantibus sæpiùs conspicimus, qui cùm statim ab equo descendunt, commodè ambulare non possunt, & vacillantibus cruribus incedunt. Secunda causa (inquit ipse *Laurentius*) erat coxendicus dolor; hic enim totum hominem infirmat, enervat, atque humores corrumpit, spiritus dissipat; nil enim æquè corpus infirmum ac debile reddere 3. *de fracturis* ipse *Hippocrates* docuit, potissimùm si musculos & nervos femoris infestaverit, ut in schiade accidit, in qua genitalia tanquam propinqua læduntur & enervantur: siquidem femorum optimam dispositionem & robur ad coitum requiri, & præstantiam ad Venerem non exiguam conducere ex *Sacra Pagina* colligi videtur *Genes.* 49. ubi Jacob filiis ventura annuncians sic alloquitur: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Proptereà pactum & jusjurandum manu femori impositâ fiebat *Genes.* 24. & 47. quia & ibi generandi vis adesse conjectabatur.

24.

25.

Sect. probl.

Lib. eodem sect. cap.

In co ad di probl.

Sed quia prædictæ duæ assignatæ causæ fortè inefficaces *Laurentio* videbantur; nam ex frequenti equitatione tantum nocumentum raro evenire poterat, ut in multis visitur, qui cùm assiduè equitent, tamen non ideò minus potentes sunt, nec propterea evirantur; nec etiam dolor coxendicis, nisi omninò contumax & fortis, qui remediis non cedat, hujusmodi impotentiam causare valeat, quod aliis quoque doloribus commune esse nemo dubitabit: ideò tertiam & potissimam addidit, nempè immodicam sanguinis effusionem, quam ex sectis venis retrò aures fluere sinebant, quâ corpus præ inopia exangue reddebatur, spirituumque defectu debile, & ad coitum impotens, unde & infœcundum; ut in Scythis eveniebat, in quibus omnes istæ causæ concurrebant, ut ex eodem *Hipp.* patet. Tenet itaque minimè ob venarum sectionem tantùm, aut illarum cicatricem steriles evasisse, cùm nec illarum venarum sectio tale nocumentum præstare posit, nec semen, aut alia materia ad illius generationem per illas decurrat, ut cæteri ferè omnes posteà arbitrati sunt: quare rectè concludit *Laurentius*, vel prædictas omnes tres causas simul, vel nimiam refrigerationem tantùm ex immodica sanguinis evacuatione contractam, sterilitatis illorum certissimam fuisse causam, cùm nulla vel vena vel arteria ibi scindatur, per quam semen aut alia illius materia ad testes descendat; nullosque esse ductus à cerebro, spinalive medulla, qui ad testes decurrant, constanter asserit, cui tanquam dexterrimo anatomico credendum esse haud dubitandum, præsertim cùm videamus doctissimos alios medicos cum illo hac parte convenire; inter quos calculum addit acutissimus *Petrus Garcia*, qui etiam tenet venas illas juxtà aures, sive arterias velis dicere, nullam cum cerebro communionem habere, & alimoniam externis tantùm partibus præstare, ad quod à natura factæ sunt: quarè concludit falsa esse omnia, quæ de seminis per illas de-

Lib. de aquis.

Disp. 3 sup. Avi cap. 4.

decursu, aut cicatricis impedimento à plurimis dicta sunt; quod etiam novissimè *Sennerto* placuit: at ideò cum Laurentio *Hippocratem* excusandum ajunt quod veram sterilitatis Scytharum causam non attigerit, cùm suis temporibus rudis esset, nec satis exculta anatomica ars; quare ad solam cerebri refrigerationem hujus infœcunditatis causam rejiciendam putat idem *Sennertus*.

Lib 3. prax. p. 9. sect. 2. cap. 1. quæst. 11.

6. Hæc igitur opinio omnium optima nobis etiam videtur, etsi non contemnendas alias rationes addamus, quæ his adjunctæ, Scytharum sterilitatem à nulla alia quàm à prædictis causis provenisse confirment: quippe ad cerebri nimiam frigiditatem ex immodica sanguinis detractione multùm adjuvabat regio frigidissima, qualis ipsorum erat, & corpora quæ propterea habebant mollia & frigida; unde illorum natura ex se parùm fœcunda erat, ut *lib. de aëre, aquis, & locis*, fatetur *Hippocrates*, qui sic inquit: *Nec verò possibile est fœcundam eorum esse naturam, cùm viri minimè cupidi sint cum fœminis commisceri, ob nimiam corporis humiditatem ventrisq́ mollitiem ac frigiditatem.* Qua sanè de causa arbitrandum *Hippocratem* dixisse multos illorum naturaliter eunuchos esse, & nasci; quod intelligi non potest, nisi de frigida illorum natura & ad Venerem impotenti, ut *Mercatus* quoque advertit: quare idem auctor, postquàm plures sterilitatis causas percurrit, prædictam hanc approbat ac *Hippocratem* sano modo intelligendum scribit, & ob ingentem tandem frigiditatem totius corporis & præcipuè cerebri, in talem impotentiam Scythas devenisse credit, ex copiosa sanguinis detractione pronatam. Licèt enim semen à cerebro non descendat, est tamen pars, quæ vim & efficaciam testibus præstat, & erectioni conducit, ac robur addit; quarè ipso debilitato ac impensè refrigerato, mirum non est si semen minus prolificum ac ineptum evadat: quod inter alias causas sterilitatis illorum non omisit *Hippocrates* cum inquit, *Copiosè sanguinem effundere solitos, donec præ frigiditate obdormiant; ex quo qui evadunt, steriles caloris & spirituum defectu supersunt.*

Lib. 3. de morb. mul. cap. 5.

Consonum enim erat ex ingenti illa evacuatione debilitari maximè ac saltem ad tempus impotentes fieri, præcipuè naturâ frigidiores & humidiores, ac imbecillo cerebro præditos; cujusmodi frequenter sunt, qui coxendicis morbo laborare solent, maximè in Scythis, quibus ex natura & regionis temperie magna frigiditas adjungebatur. Et sanè contracta illa infœcunditas & impotentia cauteriis & fonticulis assiduè manantibus fovebatur; inquit enim *Hippocrates* humoris detractiones ex cauteriis semper habere solitos fuisse: quod non nisi de fonticulis intelligi potest, hos enim ad sterilitatem quoque disponere jam suprà ex *Mercato* & aliis adduximus. Quarè mirum non est cùm paulatina hæc evacuatio, si assidua sit, fœcunditatem aliquando tollat, & enervet, multò potiùs ex confertim ac subitò factâ copiosâ evacuatione à cerebro præsertim admodùm exangui, caput validissimè refrigerari; unde homines illi infœcundi, & ad coitum minùs potentes redderentur: ut cum aliis approbat etiam *Lemosius*, qui ait ideò nostris temporibus harum venarum sectiones minimè infœcundos reddere, quia ut decet parùm sanguinis detrahitur; alioquin secùs accidere, si quem admodum Scythæ consueverant, maxima fieret profusio. Quod tamen non ita perpetuum accipiendum est, ut licèt aliquando in magna copia ex illis venis extrahatur, certissimum sit in impotentiam devenire; econtrà enim in tale infortunium non devenisse quendam, cui ex venis post aures maxima sanguinis profusio facta est, propriâ experientiâ vidisse testatur *Alpinus*: postquam enim jam dictam & non aliam sterilitatis Scytharum causam approbavit, rarò aut nunquam ait hodiè visum, ab hac sectione aliquem sterilem evasisse: in cujus confirmationem historiam narrat; juvenis Christiani annorum 20. Aois appellati, cui ob difficilem opthalmiam cucurbitulæ retrò aures profundè sectæ applicatæ sunt, ac nimio Ægyptiorum more evacuato sanguine, in somnum profundissimum ait incidisse, ex quo multi mortuum arbitrabantur; qui tamen post tres dies expergefactus convaluit, paucosque post menses uxorem duxit, statimque filium genuit. Quod si verum est, in regione calidissima, cujusmodi est Cairus, in quo illud vidisse memorat, & in homine forsan robusto, & calidi temperamenti accidere potuit; unde colligi potest, in Scythis ob contrarias rationes multò aliter evenisse, ac ideò in illis ita accidisse, ut jam satis diximus.

Lib. 1. de nat facul. cap 6. & 5. meth. cap. 4.

7. Lib. 2. de med. Ægypt. cap. 10.

Sed nostris his temporibus & regionibus hoc alicui accidisse non memini legisse, aut audivisse; quod satis est, ut Scytharum illa sterilitas ad frequentem & immodicam illorum sanguinis detractionem ex dictis venis, & non ad aliam causam

reduceretur, cùm alioquin si ex cicatrice & præclusione illarum venarum talis sterilitas contingeret, hoc non rarò experiremur; quod tamen nunquam aliquis medicorum vidisse refert, cùm ibi sæpius cucurbitulæ scarificatæ apponantur, & sæpissimè in illis partibus parotides fiant, in quibus ad puris exitum maximæ incisiones aperiuntur, & tamen talem exinde impotentiam sequi non conspicimus. Quare dubium non est nimiam Scytharum ac præposteram adhibitam evacuationem tantum nocumentum illis attulisse; quod nostrorum aliquibus absque dubio accidisset, si illorum modo profundè & copiosè ex illis venis sanguinem detraheremus; sed quia consultiùs facimus, tantum periculum vitamus. Et licèt hoc damnum ex omni immodica sanguinis evacuatione, ex quacumque parte fiat, impendêre possit, ut citat. *Augenius* scripsit; hoc incertum est, & nullius experientiâ confirmatum: à capite verò & venis post aures factâ, ut à membro principalissimo exangui & suapte naturâ frigido tale potissimùm nocumentum causari posse, pronum & certius. Quibus etiam si aliquis addere voluerit occultum aliquem aurium cum partibus genitalibus adesse consensum, non utique multùm refragabimur: unde Jurisconsultus quidam (*Laurentio* dicente) scripsit latronibus aures præscindi debere, ne latrunculos generent: & qui equos aut mulos ex itinere fatigatos ad hospitium conducunt, illis aures manibus fortiter distendere solent; quod ad lassitudinem illorum prodesse experimento agnovisse ajunt, & alacriores reddi; quod nullâ aliâ ratione proficuum esse videtur, nisi quòd concalefactis auribus virilitas novas assumat vires: nam si cum pectore genitalium consensus adest conspicuus adeò, ut Veneris complexum primum experientes vocis mutationem statim sentiant, & cum barba etiam, ut propterea si ipsa sola canescat, illarum partium, nempe generationis, imbecillitatem arguat, ut non pauci adnotârunt; cur & cum auribus non erit? quarum sectas venas sterilitatem inducere *Hippocrates* constanter asseruit.

28. — Lib. 8 quæst.

QUÆSTIO QUINQVAGESIMASEPTIMA.

Sexûs mutatio masculi in fœminam, aut econtrà, an possibilis sit, tam in homine quàm in cæteris animalibus?

A Sterilitate ad sexûs mutationem transitum faciamus; de qua an possibilis sit multi dubitârunt, ac tandem historiis tam veris, quàm fabulosis dari posse probare conati sunt. Atque in primis Cæneum Elati filium à prima ætate puellam fuisse narrat *Ovidius*, formâ venustissimam, adeò ut marinus Deus illius pulchritudine tactus cum ea concubuerit; à quo etiam, ipsâ petente, in concubitûs mercedem in virum mutata est, quæ cum sexu nomen quoque mutavit, & ex Cænide Cæneus dictus: hanc *Plato* divinâ virtute ex fœmina in virum, & rursùs ex viro in fœminam commutatam ait; cujus etiam meminit *Virgilius*:

1. — 12. Metamorph. — Lib. 11 legum. — 6. æneid.

It comes & juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus,
Rursùs & in veterem fato revoluta figuram.

De quo etiam Pontanus *in Stellis*:

Pœniteat generis tamen, & se Cænea malint,
Aut in fœmineam penitùs transire figuram.

& Ausonius:

Mæret in antiquam Cæneus revocata figuram.

Simile quid de Tiresia Thebano vate fingunt poëtæ eum nempe in fœminam, deinde verò in marem iterum mutatum. De Iphide idem fabulatur *Ovidius*, qui & de Scythone similiter, jam in fœminam, jam in marem versum scribit:

6. Metamorph. — 4. Metamorph.

Quid loquar ut quodam naturæ jure novato
Ambiguus fuerit modò vir, modò fœmina Scython?

Empedocles Agrigentinus Philostrato auctore de se ipso dixit:

Et puer ipse fui, nec non quandoque puella.

Sed quod fabulis vetustas commenta est, tantus est naturæ lusus, ut novitates semper expetens easdē prodigiis exequatur, & ad sexuum usque metamorphorsim procedat, si verum est quod plurimi referunt. Exempla tam apud antiquos, quàm juniores plurima leguntur: *Anton. Liberalis* (qui etiam *fabul.* 17. multa de sexûs mutatione attulit)

lib. 2. alterat. Nicandri, Hypernestam ait pro muliere venditam, posteà Deorum dono in virum mutatam; Siproëtam Cretensem factam virum, quòd Minervam vidisset lavantem; Galateæ filiam falsò vocatam Leucippum, quæ Leucippe dicenda erat, sexu mutato suppositum nomen meruisse, beneficio Latonæ Phæstiæ. Plinius *lib. 7. cap. 4.* & Livius *lib. 4. secund. belli Punici* multis historiis hanc rem confirmant; subscribunt Gellius *lib. 9. noct. Attic. cap. 4.* Albertus Magnus *lib. 18. de animal. tract. 2. cap. 3.* D. Augustinus *3. de civit. Dei cap. 31.* ex gentilium scriptis memorat mulieres in viros, & gallinas in mares fuisse conversas. Sabellicus *lib. 9. exemplor.* Fulgosius *lib. 1. cap. 6.* duabus sororibus tempore Ferdinandi I. Neapolitani Regis, ex quinque filiabus, quas habebat Ludovicus Guarna, postquam ad 15. annum pervenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem erupisse ait, quæ mutato nomine Carolæ & Franciscæ, Franciscus & Carolus nuncupati cœperunt. *Phlegon* virginis Philonis Smyrnæ natæ meminit, quæ viro ad nubendum à parentibus tradita, masculino enato membro in virum evasit, quam Laodiceæ vidisse testatur idem Adriani libertus; de qua etiam *Plinius*, qui & de Arescontе puero similia narrat, & suis oculis in Africa aliam vidisse nuptiarum die in marem mutatam: quin & Licinio Crasso, & C. Casio Longino Coss. Casini puerum ex virgine factum affert Textor *in officin. tom. 2. titul. de miraculis.* Michaël Montanus de puella nomine Maria tradit, eam suo tempore virilibus erumpentibus in virum mutatã esse subitò, cùm violentiùs saltaret, & ab Episcopo Suesionensi Confirmationis Sacramento mutato nomine Germanum vocatam; addit ejus mento posteà adnatam barbam, & ad decrepitam usque vixisse; uxorem tamen duxisse nunquam. Author quoque *Antimologii* scripsit sibi visum Auscis in Vasconia virum plusquam sexagenarium, canum, fortem, & hirsutum, qui ad annum 15. ante puella fuerat; tandem tamen ex casu ruptis tenuibus ligamentis pudenda erupisse, sexumque mutâsse: illustri alteri virgini Antiochiæ desponsatæ post dolores virilia erupisse; Meraniæ alteram in virum abiisse; Romæ aliam ipso nuptiarum die erupto genitali, virum apparuisse testatur Volaterranus *lib. 4. comment. Urbani. & lib. 29. titul. de vesica in fine*: quamobrem expiationis causâ simul & dispensationis ad Alexandrum VI. Pont. Max. adiit, & diplomata exoravit, ut latiùs ex eodem refert Majolus *colloq. 3.* Similes alias historias referunt *Delrius*, *Torquemada*, & *D. Augustinus* citatus, qui hæc novo, sed non noxio prodigio accidere ait. Ex medicis sat multi similes casus narrârunt: huc inprimis spectat quod *7. epid. in fine* de Phætusa Pythæi conjuge, & Namysia Gorgippi uxore, scribit *Hippocrates*, cùm anteà fœcundę essent, maritis in exilium missis, deficientibus mox muliebribus, corpora illarum virilia & hirsuta evasisse, barbam emisisse, & vocem exasperatam fuisse. Quod similiter alteri in Hispania accidisse; quæ Brigida de Peñaranda vocabatur, refert *Iacobus Segarra*, qui Valentiæ eam vidisse ait anno 1590. & illius effigiem Zacutus *lib. 3. de princip. med. hist. quæst. 16.* eandemque picturam ego optimè effigiatam Hispali conspexi anno 1651. Pulsu, voce, facie, & universo corporis habitu, viro omninò similis videbatur; nam & barbam habebat undique densam, & adeò prominentem, ut palmi longitudinem æquaret. Huic menses, ut ex ejusdem mulieris relatione tradit idem *Segarra*, ab anno 12. pauci eruperant, & ad 18. perdurantes, barbâ tunc apparere incipiente, sensimque increscente, omninò inposterùm suppressi sunt. Porrò eodem modo & eadem de causa alteri viduæ similiter in Græcia accidisse, & vidisse testatur *Alex. Benedictus*; quin & *Ioan. Euseb. Nierembergius* aliam ex Grimaldo refert, cujus barba umbilico tenùs descendebat: quandoque enim hoc accidere firmat Avicenna *fen. 21. lib. 3. tract. 3. cap. 26.* & Aristoteles *3. de hist. animal. cap. 11.* qui in terra Caria multis Sacerdotissis fœminis contingere ait.

Sed non ex corporis habitu tantùm, & barbâ, sed sexu & genitalium commutatione, plurimas fuisse legimus. *Amatus*, *Paræus*, *Georgius Bertinus*, *Montuus*, *Iulius Alex.* & multi alii plurimas historias recitârunt; quas omnes congessit Schenckius *lib. 4. titul. de partib. genital.* præter quos Marcellus Donatus *lib. 6. hist. mirab. cap. 2.* & ex Jurisp. D. Francisc. Torreblanca Villalpandus *lib. 2. magiæ operat. cap. 17.* qui (ut alios præteream) præter externa exempla alia plurima nova apud Hispanos visa adducit ex *Petro Hispalensi*: duo etiam Cordubæ, & Matriti observata ex Peramato *tract. 2. de regim. pragnantis. cap. 8.* quin & eo ipso tempore, quo illa auctor scribebat, alteri Ubedæ similiter accidisse refert: Compluti aliam eodem modo sexum mutâsse vulgaris est fama, sicuti de alia in civitate Jaen; quod & de altera Villavitiosæ

Lib. 1. de mirab. & long.

Lib. 7. cap. 4.

Lib. 1. experiment. cap. 22.

Lib. 2. mag. quæst. 22.

Dialog. 1. in fine.

In Hipp. denat. hum. comment. 10.

Lib. 26. cap. 4.

Lib. 2. de miracul. nat. cap. 35.

Cent. 7. curat 39.

Lib. 24. cap. 5.

Lib. 4. cap. 10.

Lib. 1. theoricæ cap. 6.

Lib. 21. salub. cap. 14.

meo tempore communiter vulgabatur. Nec mirum toties apud Hispanos hoc accidisse ob immodicæ Veneris usum, ob cujus frequentiam vires & calor in fœtibus enervari contingit, ut propterea in conformatione ad foris expellenda genitalia sufficiens vis deficiat. Sed quod omnem superat admirationem sunt illarum historiæ, quæ post multos matrimonii annos, & assiduos coëundi conatus, in viros tandem evaserunt; & adhuc multò magis quod de aliquibus tradunt, quæ postquam conceperunt, & filios enixæ, posteà in virilem sexum mutatæ sunt. *Marcellus Donatus* citat. & *Pontanus* narrant Caëtanam mulierem piscatoris uxorem, post 14. connubii annum, & multos quos sustinuerat concubitus, in virum evasisse; quemadmodum alteri evenit Æmiliæ nomine, Antonio Spensæ civi Ebulano matrimonio junctæ, quæ post 12. matrimonii annum exorto pene in virum transiit; & quod rarius est, mutato sexu aliam duxisse uxorem, & liberos sustulisse scribunt Marulus *lib. 1. memorab. cap. 3.* Alanus Copus *dialog. 1. cap. 8.* & Jacob. Dalechampius, qui etiam tradit aliam virilem sexum adeptam cùm jam filium prius peperisset, quod omnem admirationem superare videtur; & multò magis, quod *Euseb. Nierembergius* scribit, non multos abhinc annos Compluti aliam sexum virilem induisse, cùm prius per 30. annos in matrimonio vixisset, & plures partus habuisset. Innumeræ itaque sunt historiæ, quæ afferri poterant, cùm omni ævo similes sexuum mutationes in humana specie contigisse ex tot fide dignorum auctorum historiis pateat; ita ut *Tortulam* medicum priùs mulierem fuisse ex aliorum relatu affirmet *Mercurialis*: tantis enim viris hoc asserentibus fidem denegare temerarium esset & inurbanum, cùm præsertim id testetur *D. Augustinus* citat.

Lib. 1 rebus lect. — In ann. Plin. cap. 4. — Lib. riosf. p soph. 17. — Lib. 1 morb. cap. 4

4. Ex tot itaque historiis plurimi ex supradictis auctoribus hanc in virilem fœminei sexûs mutationem adstruere non dubitârunt, quos refert & sequitur *Zacutus*. Et quòd possibilis sit videtur comprobari posse ex *Aristotele*, qui ferè idem de gallinis scribit, quas cùm vicerint cucurire, & exemplo maris tentare superventu coire ait, eisque cristam & caudam erigi, calcaria enasci, ut mas an fœmina sit non facilè agnoscatur; quod idem confirmat *D. Augustinus*, & propterea idem in humana specie accidere posse scripsit. *Aldrovandus* ex PP. Jesuitarum literis narrat in Brasilia sues reperiri, non solùm hermaphroditas, sed etiam, quæ sexum mutent de fœmina in marem, & quod majus est, econtrà de mare in fœminam. *Langius* quoque, qui hanc metamorphorsim nullo modo fabulosam credit, cervos quosdam esse scribit, qui sexum mutent; quod (ait) cornua virilia cervorum arma attestantur, quæ cervas quandoque gestare observatum est, ut in illa visum, à Marchione Badensi in venatione captâ, cujus cornua Gallorum Regi dono misit, quæ Ambasi in regio horto affixa sunt, subscriptis in tabella testibus, qui venationi interfuerunt; & hujusmodi aliam cornigeram cervam Henrico II. Anglorum Regi missam testatur Gyrald. Cambrens. *in suo itinerario Cambriæ cap. 1.* & ex eo Carol. Clusius *in notis ad obs. Petri Bellonii lib. 1. cap. 34.* Et poëtæ cervam ab Hercule expugnatam cornigeram fuisse tradunt; quod etiam ex Euripide confirmari videtur: *Cervam (inquit) cornigeram manibus Achæorum tradam, quam pro tua mactabunt filia.* Inveniri quippe cervas, quæ cornua gerant, quamvis *Aristoteles* negaverit, affirmant *Aldrovandus* & *Gesnerus*, licèt hoc monstruosum judicet *Franciscus Veles* de Arcinega, regiosque venatores Matriti hoc etiam aliquando vidisse, ex illorum bona fide refert: sic lepores aut utrumque sexum habere, aut mutare, sunt qui tradant; sed in hyæna hoc commune esse scribit *Ovidius*:

Alternare vices, & quæ modò fœmina tergo
Passa marem, nunc esse marem miramur hyænam.

Lib. prin. h. 16. — Lib. 9 hist. a mal. c. 49. — In bis in hist. sue. — Epist. tom. 1 — Lib. d quadru pedibu — Meta. ult.

Cujus etiam meminit *Oppianus* & *Plinius*: quin & de hyæna serpente quòd sexum mutet ex *Æliano* tradit Aldrovandus *cap. 21. de serpentibus*, sed tamen fabulosum putat. Non solùm igitur ex tot experimentis sæpiùs & ubique observatis, & ex simili sexûs mutatione, quam in animalibus natura aliquando molitur, & naturaliter ostentat, hoc evidenter constare videtur, ut ab ipsius naturæ viribus non alienum esse judicetur; sed insuper rationibus non contemnendis comprobari posse apparet: si enim natura illud quod optimum est & perfectius semper intendit, ut *2. de part. animal.* 14. *lib. de gressu animal.* & aliis in locis *Aristoteles* sæpiùs docuit, & *in libris de usu part. de anat. administ.* & alibi passim *Galenus* inculcat, quod *Ægineta*, *Rhasis*, *Avicennæ*, & cæterorum medicorum communis doctrina probat; quâ ratione ajunt mulierem quodammodò monstrum dici debere, aut ut *Aristoteles* loquitur, *Fœmina quasi mas læsus.* Et iterùm: *Quasi fœmina detrimentum sit, & læsio naturalis*: quoniam

5.

Lib. 3. venat. c num. — Lib. 8 30. & l 28. cap — Lib. 2. gen. animal. cap & lib. ejusdem cap. 81.

niam natura in illius conformatione illud quod optimum erat assequi non potuerit, sed imperfectam reliquerit. Quarè mirum non est, si adhuc extrà uterum per gradus quosdam propinquos ad illam perfectionem ascendere nitatur, quam in maribus natura consequitur: qua de causa suppressis paulatim menstruis, vocem robustiorem intonare, cutem pilis vestiri cernimus, & totum corporis habitum roborari, ut in hominibus consuevit. Sic aliquando visum quod senes admodum ad juvenilem habitum iterùm natura reduxerit, ut *quæst.* 26. plurimis exemplis demonstravimus: sic in aliis decrepitâ jam ætate iterùm dentes produxit, ut narrant *Alex. Benedictus*, & *Valesc. de Taranta*; quod multis aliis exemplis ostendunt *Schenckius* & *Laurentius*, tandemque in dentium communi generatione in utero patet, quos ibi genitos posteà natura emittit, & alia opera admiranda exequitur, ut ex *Aristotelis* mente scripsit Avicenna *com.* 5. 6. 7. *de animal.* cujusmodi sunt fæcum narium, auriumque meatuum occlusiones, quas natura in jam editis aliquandò patefacit & aperit: & licèt particularia hæc in aliquibus operetur, tamen sagax ac provida parens in hominis utilitatem semper incumbit ut illum augeat, & velut per quosdam gradus perficiat; siquidem, ut *Rhasis* adnotavit, ad 50. usque semper homo perficitur, inde verò imminuitur.

Lib 7. in procem. Lib. 6. cap. 12.

Addunt prætereà ex *Galeno*, generationis membra non aliter nisi situ differre, quòd extrà in maribus, in fœminis intùs locum obtineant; sicuti multis auctoribus visum est, *Avicennæ*, *Nicolo*, *Paræo lib.* 24. *cap.* 5. quod & alii auctores communiter cum *Galeno* crediderunt, ut latius probat *Galæotus Martius*. Quare cùm natura ad perfectiorem gradum semper pervenire intendat, non esse impossibile putant, si in calidiori aliqua fœmina, juvene præsertim ac virgine, coitûs vehementi desiderio genitalia adeò turgescant, & pruritûs ardore calefiant, ut suo loco divulsa, inconsueto naturæ opere (qualiter monstrositates alias parit) foras propellantur: constat siquidem viduis & virginibus hoc accidisse calidioribus sanè, dum Veneris cupidine & œstro percitæ, de illius amplexu ardentiùs cogitarent; & tantum hoc prodigium, quod in multis visum est, omnibus ferè aut saltem plurimis in ipso nuptiarum die evenisse, ut ex historiis patet, cùm ad coitum jam instantem vehementiùs incenderentur, animumq; ad illum inducerent, quòd imaginationis vis in membris generationis summè potens aliquid novum moliretur, ac stupendum: ajunt quippe in talium fœminarum conformatione naturam masculum intendisse, sed ob materiæ indispositionem & inobedientiam, quæ foris propendere debebant partes, intùs fuisse derelictas, aut ob caloris inopiam, qui ætate vegetior ac intensior factus, opus illud, quod in utero absolvere non potuit, extrà assequatur & perficiat. Hoc siquidem magis approbari deberet, quàm quod astrologi ajunt, dum hujus eventûs causam in sidera rejiciunt, præsertim Veneris ac Mercurii conjunctionem, ut de hermaphroditis existimavit Ægineta *lib.* 6. *cap.* 69.

Lib 2. de sem. cap. 5. & 14. de usu p. 6. Cap 18. de doctrin. promisc.

Sed tamen cùm hujusmodi eventus multis non solùm difficilis, sed pænè impossibilis videatur, aliter quàm per venam sexûs mutationem evenire non malè conjectant; illam quippe in humana specie dari posse, aut possibilem esse, naturæ ordinationibus videtur alienum, & rationi contrarium. Fatentur sanè illam ad perfectiorem suæ potentiæ terminum actiones suas semper intendere, sed hunc in fœminis non attingere, non facilè concedendum; limites enim materiæ, in qua operatio fit, nulla naturalis actio transire potest. Deinde dicere naturam in generatione semper masculum desiderare, extrà subordinatum illius ordinem dicitur; quia fœminæ & maris vices alternare vis quædam naturæ est, ac necessitas; atque ita dicendum fœminam non per quandam resultationem, & primarii finis intenti frustrationem, sed primariò fuisse tentatam, virosque sapientissimos (quod pace illorum dixerim) minus illi tribuisse quàm mereatur: non enim credibile est sapientissimum Opificem partem totius generis nostri dimidiam imperfectam relinqui aut esse voluisse; non enim ex partium situatione aut ex qualitatibus perfectio judicanda est, sed ex fine naturæ & communis agentis. Ad rerum naturalium perfectionem & generationis propagationisque gratiâ fœmina fabricata, & viro adjuncta est; ad has operationes partes habet, & temperiem convenientem, quarè viro æquè perfecta dicenda; imò ipsius frigiditate necessariam perfectionem accipit, cujus causâ minùs alimenti consumit, ut ad menses suppetat materia, generando & nutriendo fœtui admodùm necessaria: nec etiam præter agentis institutum fieri dicendum, nisi præter agentis particularis insti-

institutum intelligas, quoniam juxtà universalis naturæ institutum ad generationis opus intenditur & ordinatur, cui partes & instrumenta convenientia dedit; sicuti enim cætera externa membra perfecta illi donavit, ita interna quoque dedisse fatendum est, & æquè quàm in hominibus absoluta. Ideò *Plato* rectè quidem existimat ad eadem animi studia, & ad easdem operationes eodem modo mulieres atque viros natos esse; & mulierem non vitio aut errore, sed naturaliter fuisse fabricatam scribit D. Augustinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 17.

Lib. lege

Nec illud quod de dentibus & meatuum apertione afferunt, aliquid convincit: fatemur naturam semper majorem utilitatem & commodum animantis solicitare in his quæ ad salutem spectant, ut in optimo salutis statu hominem conservet; sed in sexûs alternatione post ortum hoc nunquam intendere, quia partes illas sive maris sive fœminæ jam absolvit; dentes, & alia hujuscemodi nondum perfecit. Quare vanum est sexûs mutationi hanc similitudinem æquiparare, nisi enim modo statim dicendo intelligatur, recipi non debet. Quod verò de generationis partibus dicunt, solo situ aut magnitudine differre, licèt plurimis cum *Galeno* ità visum fuerit, Arabibus tamen, Græcis, & anatomicorum etiam non paucis, multò aliter: nec inter se distingui solùm situ, sed formâ etiam, numero, & structurâ satis probat insignis & anatomiæ peritissimus vir *Andr. Laurentius*; quam etiam opinionem tenent *Pinæus*, *Mercurialis*, & juniores alii ferè medici omnes, qui hoc animadvertentes aliter indagare cœperunt, & admirandi istius eventus, qui in sexûs mutatione falsò credebatur, causas alias invenerunt, quas veritati magis consentaneas esse ratio & experientia ostendit, ut in sequentibus patebit.

Lib.

8. Igitur prædictam sexus mutationem verè accidere posse constanter negant Laurentius *ubi suprà*. Gregorius Horstius *lib.* 1. *de natura humana, exercitat.* 7. *quæst.* 1. *& tractatu de causis similitudinis in fœtu*, Pinæus *lib.* 1. *de notis Virginit. cap.* 9. *probl.* 2. Mercatus 2. *de morb. mulier. cap.* 10. *&* 11. A Castro 1. *de natura mulier. cap.* 3. & alii plures. Causam verò ob quam in relatis historiis & aliis plurimis talis sexus mutatio credita & vulgata fuerit, non uno modo, sed diversimodè auctores insinuant.

9. Putant aliqui nil aliud prædictis fœminis accidisse, nisi quòd aliquando pars illa pudendi muliebris, quæ nympha, cauda, seu clytoris appellatur, naturaliter, aut ex consuetudine manu versandi, & trahendi, (ut de quadam narrat *Schenckius*) ita aliquandò excrescat, distendatur, & erigatur, ut eæ quibus hoc accidit in viros migrâsse crederentur; cùm tamen affectio sit præternaturalis in magnitudine aucta, cujus meminit *Hippocrates* & κίων appellavit, quasi uvulam diceres, ab uvula in faucibus pendente ductâ similitudine: crescit enim in tantum aliquando hæc pars, ut virile membrum referat; quarè ab *Avicenna* virga, ab aliis quoque mentula dicta est, cùm præter modum aucta Veneris desiderium excitet, unde & ab aliquibus tentigo, à *Moschione* symptoma turpitudinis etiam appellatur, cùm velut in coitum arrigatur, ita ut fœminis in concubitu impedimento sit, quominùs commodè cum viris congrediantur; viduisque & virginibus ob nimiam Veneris abstinentiam, & illius desiderium, ita aliquando accidere monet *Aristoteles*, & Albucasis: *Et quandoque in quibusdam mulieribus adeò procedit, donec expanditur sicuti in viris, & pervenit usque ad coitum.* Firmant Paulus *lib.* 6. *cap.* 20. Bauhinus *lib.* 1. *theat. anat. cap.* 4. Pinæus *de not. virg. cap.* 3. Spigelius *lib.* 8. *de fab. corp. hum. cap.* 18. vestium quippe contactu continuè arrigitur, & ad Venerem proritat, ut notat *Æsius*; & nonnunquam ad illam mensuram devenit, ut membrum virile æquet, ita ut hanc habentes cum aliis fœminis coëant ac si viri essent, ut scribunt Fallopius *in observ. ad Petrum Mannam*, Vesalius, Coytar *in tabulis*, Platerus *de corporis hum. structura*, Riolanus 2. *Anthropa. cap.* 21. quemadmodum quandam Helenam narrat Fortun. Plempius *lib.* 2. *fund. med. sect.* 5. *cap.* 9. Antverpiæ fuisse, quæ tali mentulâ, seu nymphâ prædita erat, ut non solùm in lupanari multas exerceret meretrices, sed etiam alibi non paucas virgines vitiaret. Quapropter sexus falsæ illius mutationis hanc fuisse causam putant *Mercatus*, *A Castro*, & alii citati: quorum tamen opinio licèt vera sit, quatenus ad nymphæ augmentum & tentiginem spectat, tamen insufficiens videtur hæc causa, ut mulier in virum transiisse crederetur, & habitum mutare, virilemque induere; quia multæ sunt fœminæ, quæ auctâ hujus partis magnitudine laborant, & tamen coëunt, & suum sexum recognoscunt. Deinde cùm de aliquibus dicatur, uxores

Lib. 4

Lib. d nat. m

Lib. 7 hist. a cap. 2. Lb. 2. c

Lib. 4. serm. 4 cap. 10

10.

res duxisse & filios generâsse, aliter quàm membro virili uti non poterant, minimè verò caudâ auctâ & inflatâ; quia per hanc semen in vulvam immitere non poterant, nec quamvis emitterent, conceptui foret aptum, quia tales fœminæ licèt quodammodò coitum masculino modo exercere videantur, semen tamen masculinum non habent, sed fœmininum, quod aliam implere posse non est dicendum.

Alii prædictos omnes hermaphroditos fuisse asserunt, ac prout jam in hoc sexu, jam in illo magnificantur, & major aptitudo & potentia ostenditur, ita huic aut illi adjudicantur; videnturque statuere, per quasdam vicissitudines jam fœmininum jam masculinum sexum potentiorem se ostendere, atque ita quibus in illa ætate masculinum augeri & magis quàm fœmineum elucescere ac prurire accidit, in viros transiisse dicerentur, cùm anteà ob contrariam rationem fœminæ haberentur: hujusmodi enim homines, nempè Androgynos, naturaliter fieri testatur *Gellius*, eamque gentem esse, quam suprà Nasamones confines Machlyas habitâsse scribit *Plin.* Et quemadmodum in istis, utriusque sexûs naturâ præditis quilibet eorum manifestè proditur; ita poterunt similiter sexu uno occultato, altero patentiore edito commutari, quo crescente, vel minuente calore facile sit, ut fœminæ in mares, & vice versâ convertantur, aut conversi putentur, ut excogitârunt *Cardanus*, *Wierus*, & *Marcellus Donatus*. Sed licèt hæc opinio aliquo modo defendi posse videatur, tamen adhuc difficilis apparet: quia sicuti verum est fœminam, quæ verè talis est, in masculinum sexum abire non posse; ita dubium non est nec androgynum per vicissitudines mutari, ita ut, qui in fœmineo sexu potentior & ad illum aptior judicatus est, posteà vice versâ mutetur, & masculinus evadat, quasi pro arbitrio natura homine jam absoluto illum commutet, ac involvat, quod credi non potest. Nec exemplum de Nasamonibus androgynis aliquid probat, nam tales sic nasci, & naturaliter esse *Plinius* docet; sed quòd jam in hoc sexu potentes, jam in illo sint, ita ut genitalia vicissim mutentur, minuantur, & augeantur, hoc *Plinius* non scripsit.

Lib. 9. noct. Attic. cap. 4. Lib. 7. c. 2. Lib. 8. de rer. variet. cap. 43. Lib. 4. de præstig. cap. 24. Lib. 6. de hist. mirab. cap. 1. quib. consentit Villalp. in mag. oper. Lib. 2. c. 1.

Verior igitur opinio, & communior est, prædictos vel hermaphroditos, vel uno tantùm sexu præditos taliter in lucem prodiisse, ut nullius compotes viderentur, & præcipuè genitalia cum testiculis intùs recondita habuisse, membranâ aliquâ obducta; ita ut signum aut foramen aliquod constitueretur, cujus causâ fœminæ crederentur, cùm tamen tales non fuissent nec intus uterum habuissent; sed masculos omnes fuisse, virilibus ita reconditis, ut posteà vel naturæ conatu, vel aliquo accedente motu violento, rupto obstaculo & membranâ, foras prodierint; quæ si non dabatur, talis à formatrice agente forma partibus illis indita est (ait *Horstius*) ut non nisi determinato tempore extrà prodire possent. Hujus opinionis sunt præter *Horstium* citatum Saxonia *cap. de Mola*, Cardanus 8. *de rerum variet. cap.* 43. Laurentius *lib.* 7. *anat. quæst.* 8. Sennertus 3. *praxis p.* 9. *sect.* 1. *cap.* 13. Marcel. Donat. *lib.* 6. *cap.* 2. Angel. Victor. *obs.* 71. Licetus *lib.* 2. *de monstris cap.* 54. Riolanus filius *lib.* 2. *Enchirid. anat. cap.* 31. *in fine*, Montuus *lib.* 1. *theoricæ cap.* 6. Pinæus suprà citat. & præter medicos, sequuntur eandem Delrius *lib.* 2. *disquis. mag. quæst.* 22. Albertus Magnus *lib.* 18. *animal. tract.* 2. *cap.* 3. qui apertè ait sexum non mutari, sed prodire, & plures alii: sicuti enim natura dentes in utero format, & non nisi determinato tempore extrà eosdem promit, ita aliquoties in mentula accidere posse non ineptè colligitur; hoc enim modo hanc sexûs mutationem falsò putatam evenire, & non aliter, ex plurimis historiis constat. Narrat in primis *Titus Livius* in Sabinis olim infantem natum, qui incertus an mas an fœmina esset, in marem tamen posteà erupit. *Albertus Magnus* suo tempore infantem natum scribit, cui testiculi superiùs intrà pellem contenti erant, ita ut illorum prominentia duo vulvæ labia repræsentaret, & fissura videretur in medio clausa per pellem, & inhabilitare ad coitum; sed factâ incisione testiculi prodierunt & virga, & posteà duxit uxorem, & filios genuit. *Severinus Pinæus* non absimilem casum refert de altero, cui forsan sicuti huic contigit, Lutetiæ anno 577, in vico S. Dionysii mulierem noctu peperisse filium, qui festinanter ob virium imbecillitatem baptizatus pro filia fuit, & Joanna vocata; aliquibus post diebus marem esse primùm mater, deinde cæteri non sine magna admiratione agnoverunt. De alio similiter qui pro puella judicatus est & baptizatus, historiam refert *Platerus*, atque ita ut fœmina, illarum habitu vestitus, munia obibat, ad 20. usque ætatis annum, omnibus puellam esse existimantibus, cum quibus versabatur & dormiebat; donec paulò liberiùs cum eisdem ludere, & contrectare cœpit, ut tandem

Tract. de causis simil. fol. 8.

suf-

suspicionem injiceret, & propterea magistratui delatus, & ipso *Platero* judice inspectus, inventâ mentulâ pro homine deprehensus, in Hungariæ militatum ablegatus est: qui tamen licèt penem haberet, testiculi admodùm retracti suprà videbantur, nec in scroto penduli, in quorum medio ruga apparebat rimæ instar, quæ pervia non erat, nec quidquam admittebat; quæ forsitan ut sexûs fœminei judicaretur in causa fuit. Porrò alterius Lipsiæ deprehensi memorat *Horstius* citatus, qui muliebri habitu vestitus ancillarum amplexus tentabat; sed cùm propterea virilitatis oriretur suspicio, adhibitis obstetricibus, utriusque sexûs inventus est, ita ut virilem potiùs, quàm fœmininum sexum illi convenire concluderetur; quam ob causam mutato nomine virili habitu vestitus est.

14. Constanter igitur asserendum est, nullam ex prædictis, quæ in relatis historiis referuntur, fœminam fuisse, nec sexum verè unquam mutâsse, commentumque esse illud affirmare velle; sed aliqua ex prædictis causis falso rumore sic contigisse, ut fœmina in marem transiisse putaretur, quæ talis nunquam fuerit; sed mares omnes fuisse, malè tamen quoad genitalia conformatos, cùm intùs reclusa illa haberent, quæ extrà & pendula naturaliter esse debebant; atque ideò malacissatos fuisse (ut cum *Strabone* loquar) aut emasculatos, seu mulieratos, ut alio licèt sensu dixit Varro, tanquam qui agere nequirent, pati posse viderentur. Si enim fœminæ essent, & pene exorto atque extrà emisso masculini sexûs evaderent; quid de utero factum? Ubi illum natura transposuit? An mas jam factus adhuc uterum sicuti anteà retinet? Absurda sunt hæc, & ut credantur indigna, nisi à sciolis tantùm recipienda, qui hujusmodi frivolis fidem adhibent: alia quippe est viri fabrica, alia mulieris; alii viri testes, alii mulieris; aliud viri scrotum, ut alius mulieris uterus; aliud priapus & viri virga, aliud mulieris vagina inanis & vacua semper. Deinde matrix est ligata, & ut talis egredi non potest, nisi ad vulvæ os: ut quid igitur uterus suis aliis cum testibus foras egredietur, remanentibus labris, nymphis, Veneris labro, si sapis? An mas fœmina, econtrá ve? Pendet ac extrà propellitur non raró matrix, laxatis quibus alligatur ligamentis; quid tunc videmus nisi membranaceum illud corpus satis à pene distinctum, & alterius prorsùs fabricæ & compositionis? Judicent qui viri & fœminæ genitalia eadem esse, ac solo situ differentia cum Galeno tutantur.

Lib. de Sa... de fo... loqu...

15. (margin number beside "modi frivolis fidem adhibent")

16. Nec illa, quæ de mulieribus barbatis afferunt, ad rem faciunt; possunt aliquæ calidiores esse, excrementisque ad pilorum generationem aptis abundare, tamen adhuc licèt barbam habeant mulieres sunt, uterum habent, præterquam quòd aliquibus ob mœrorem pili augentur, ut de illis ab *Hippocrate* relatis doctè existimat *Laurentius*, ob maritorum absentiam. Nec mirum est quòd in una specie aliquid masculino sexui commune sit, quod idem in fœminino inveniatur; quando diversitas per illud essentialiter non specificatur. De cervis cornigeris dicendum est, quòd sicuti fœminis taurorum & caprarum commune est cornua habere, ita alicui particulari cervorum evenire posse judicandum, in cujus capite major excrementorum copia supersit. De leporibus & cuniculis fœcunditas occasio fuit, ut hermaphroditi omnes crederentur, ac parere, cùm tales non sint, ut malè arbitrati fuerunt *Niphus*, & *Archelaus*, quia sexu sicuti cætera animalia distingui communis est naturalium opinio. Gallinæ in mares non transeunt, sed imaginationis vis & superbia ex habita galli victoria facit, ut cristas & caudæ pennas erigant, ac cucurire velint; unde propterea dicere sexum mutâsse ridiculum est. Quod de suibus Brasilianis historiæ Jesuitarum referunt, fortassis illud, si verum est, illarum speciei est proprium: sicuti enim aliquæ sunt plantæ, quæ speciem mutant, & in aliam degenerant; sic non impossibile habendum, dari aliquam animalis speciem, quæ sexum mutet.

In com... ad Arist... animal...

17. Quod de hyæna tradit *Ovidius*, fabula est, inter alias, quas eodem opere *metamorph.* conscripsit: in brutis, & in hominibus etiam hoc commenta est antiquitas, ut de Scythone & Iphide suprà ex eodem jam diximus: neque quale animal sit hyæna apud Scriptores adhuc constat, ut *in digitatis cap. de lupo, titul. de insomniis* advertit Aldrovandus. *Bellonius* putat esse felem zibeti, *Gesnerus* Gulonem, quod in Gulonis historia verius credit idem *Aldrovandus*. Propterea fabulosum esse hoc animal, & in rerum natura non extare non pauci existimârunt, licèt *cap. de equo*, decem hyænas Gordiano imperante Romæ visas ipse auctor scribat. Sed tamen licèt verè extare concedamus, sexum mutare non est verosimile, quamvis *Ælianus* & *Plinius* hoc asserant; contrarium siquidem docuit *Aristoteles*, quam opinionem confirmat *Barth. Ambros.* apud Aldrovandum *in illius*

3. De ge... animal. ... cap. 6. & ... de nat. animal. ... cap. 81.

illius hist. & idem Aldrovandus *cap. de Rhinocerote*, ubi apertè sexum mutare negat. Historias mulierum, quas postquam conceperunt & pepererunt in viros evasisse ajunt, fabulas esse credimus, aut diabolici commenti vafriciem aliquam interfuisse, cùm tale sit illius ludificandi studium, ut non solùm sexum, sed in belluas aliquando homines mutâsse legamus; unde hujusmodi technis & fallaciis delusa antiquitas innumera mendacia ac fabulas commenta est.

De viro an in fœminam verti posit, ridiculum fuerit quærere, cùm nulla nec incongrua ratio hoc suadere valeat, cùm adhuc artificio & industriâ hujusmodi conatus Neroni irritus fuerit. De suibus Brasiliensibus hoc historiæ narrant, quibus respondimus. *Iulius Obsquens* anno urbis 800. ante natum Christum 215. gallinam in gallum, gallum in gallinam conversos fuisse memorat; quam eandem conversionem *Titus Livius* memorat *decade* 3. *lib.* 2. quod exemplis aliis *Ausonius Burdigal.* in pavo, & homine confirmat:

Cap. 31. de prodigiis.

Lib. 1.

> *Fœmineam in speciem convertit masculus ales;*
> *Pavaq; de pavo constitit ante oculos.*
> *Nec satis antiquum, quòd Campano in Benevento*
> *Vnus ephœborum virgo repentè fuit.*

Tiresiam addunt ex viro fœminam factum; similiter & in ventre cervi masculi cornigeri, dum evisceraretur, hinnulum inventum ut certissimum affirmat Langius *epist.* 70. *tom.* 1. unde non immeritò arguit cervos quosdam sexum mutare. Quæ tamen omnia aut pro fabulis, & poëticis figmentis habenda, aut saltem cum *Delrio* dicendum utrumque exum habuisse, ita ut altero supereminente alter minùs conspicuus fieret, vel tandem dæmonis vafricię contigisse.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMAOCTAVA.

An homo sine ullo cibo aut potu diu naturaliter vivere possit? Narratur historia verissima de muliere, quæ sine ullo cibo 72. dies vixit in crypta, seu profundissima fovea, in quam pro mortua à marito dejecta est, à nemine adhuc scripta.

HVmanæ naturæ magnalia prosequimur, scrutamurque rarissima, quæ prodigiosa multis, si non incredibilia, haud dubiè videbuntur; illius siquidem majestas ac vis in omnibus momentis fide caret, si quis adhuc partes ejus, & non totam complectatur animo, dicebat *Plinius*; quis enim Æthiopes antequam cerneret credidit? aut quid non miraculo est, cùm primùm in notitiam venit? quàm multa fieri non posse, priusquàm sint facta judicantur? Cæterùm cùm homo potissimum sit naturæ miraculum, in illo magis quàm in cæteris animantibus admirandæ suæ potentiæ & omnem fidem superantia opera exhibet, ut sic magis tanquam in subjecto nobiliori elucescant: in eo (ut innumera multa prætheream) ingentes defectus, in quos non raro ob materiæ vitium delabitur, diligentissimè compensat; ut in cæcis, in quibus lucis defectum non solùm auditûs præstantiâ, sed mentis quoque acutie, & interno intellectûs lumine reparat: undè *Democritus*, tantam hanc internæ lucis usuram quæritans, ut illam promptiùs adipisceretur, corporalium oculorum aciem in pelvim soli oppositam intendere non dubitavit, ut sic cæcitatem leniùs adsciceret, non aliam ob causam, quàm ut absque impedimento intelligibilia commodiùs contemplaretur; quod non ignoravit Plato: *Tum mentis oculi perspicaciùs videre incipiunt, cùm corporis oculi deflorescunt.* Exempla plurima afferunt *Pontanus*, & *Philip. Camerarius.* Brachiis carentes, pedibus incredibilia facere videmus, ut multis historiis ostendit Schenckius *lib.* 5. Sennertus *lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 7. A Castro *lib.* 3. *de nat. mul. cap.* 11. & alii plures. Et quemadmodum in eodem subjecto similes defectus quoad potest reparat, ita in diversis aliquando resarcit: nullum est membrum, quod sæpiùs monstrosè non deficiat; sine pedibus, brachiis, & adhuc sine capite plures nasci visi sunt, quas tamen partes in aliis duplicat, triplicat. Eâdem prorsùs varietate in affectuum contrarietate & alternatione gaudet; hoc

Lib. 7. cap. 1.

Cicero in Tuscul.

Lib. 2. cap. 7. de fort. domest. Cent. 3. cap. 80.

pacto insignes potatores non rarò produxit, ut inter nationes fuerunt Parthi, qui ex potatione gloriam quærebant; ex eadem apud Græcos famam Alcibiades meruit: *Novellus Torquatus apud nos* (inquit Plinius) *ad proconsulatum usque è prætura honoribus gestis tribus congiis epotis uno impetu, spectante miraculi gratiâ Tiberio;* unde & cognomen illi fuit, ac tricongius dictus. Eâdem commendatione L. Pisonem ab eodem urbis Romæ curæ delectum idem prodit auctor, quòd apud eundem Principem biduo, duabusque noctibus potationem continuâsset; quare custodem, tutorem, præfectum creatum, auctores sunt *Seneca* & *Tacitus*. De quodam Diotimo Atheniensi scribit Rhodiginus, *Chone*, id est, infundibulum cognominatum fuisse, quoniam eo apposito ori incessanter hauriret vinum; quod etiam de Germano quodam, eodem modo immoto gutture haurire consuevisse, scribit *Cardanus*; & de aliis qui integras vini amphoras, & plures ad ostentationem brevi horarum spatio haurirent, meminit *Galenus*: de quibus insignibus potatoribus plura apud Bruserinum *lib.* 3. *cap.* 6. & Zuingerum *in theatro*. Horum intemperantiam & excessum in aliis ita temperavit, ut non solùm vinum, sed cervisiam, aquam, ac omnem denique potum ablegaverint, illisque per totam vitam abstinuerint. In horum numero Lasyrrem Lasionium inprimis refert *Athenæus*, & Magonem Carthaginensem, Archonidemque; sed *Andronem* puto legendum, quem *lib. de ebrietate* per omne vitæ suæ tempus siti potuque caruisse (quamquàm cibis salsis & siccis vesceretur) narrat *Aristoteles*. Julius Viator eques Romanus in pupillaribus annis ob aquæ subter cutem morbum, à medicis humore prohibitus, consuetudine naturam fecit, atque in senecta potu omni abstinuit. Neapoli quendam ex Tomacellorum gente nunquam bibisse scribit *Rhodiginus*; & hujuscemodi aliorum exempla observârunt recentiores, quemadmodum leguntur apud Torquemada *dialog.* 1. Joubertum *in respons. ad Valeriolam pro paradox.* 2. Pontanus quoque testatur fuisse hominem, qui nullo unquam tempore vinum vel aquam biberit; quin cùm aliquandò Ladislai Neapolitani Regis hortatu tantillum bibisset, ægrè id tulit, noxiusque illi fuit potus. Qualiter in civitate Placentia annis præteritis quendam Fratrem Jesuitam fuisse, qui nec aquam nec vinum unquam potaverit, à fide dignis audivi, qui hominem cognoverunt: ac tandem, ut de istis finiam, *Ioan. Pet. Lotichius* juvenis cujusdam mentionem facit, qui certâ quâdam & admirandâ antipathiâ nec vinum nec cervisiam, nedum aquam insuper gustaverat unquam; quod inter rara eò magis habendum, quòd patre erat proseminatus, insigni aliàs ut ajebant, & famoso helluone; ut mirari eò ampliùs subeat, unde rara ista & inusitata potûs abstinentia hominem invaserit.

2. *Potatores insignes qui fuerint.*

3. *Nihil bibentes.*

Lib. 1. cap. 2. / Epist. lib. 6. / nal. / Lib. 2. cap. 6. / Lib. 8. rer. var. cap. 40. / Lib. 2. ... nosoph. cap. 2. / Plin. lib. ... cap. 18. / Lib. 13. antiq. l. cap. 24. / Lib. de ... cælestib. / Lib. 4. ... cap. 1.

Prodigiosæ bibacitatis, & econtrà omnis potionis abstinentium hominum historias adduximus; quare reliquum est, ut hanc eandem naturæ vicissitudinem, seu oppositionem mavis dicere, & raritate stupendam in ciborum ingluvie quæramus. Theaginem Thasium scribit *Cælius* taurum devorare solitum; Milonem Crotoniatum minas carnis 20. vorare consuevisse, panis totidem, & vini choas tres simul exsiccabat; in Olympiade quoque quadrimum devoravit taurum, per stadium anteà humeris circumlatum. Astydami etiam ingluviem, & Cambletis Lydorum Regis admirandam, qui uxorem unicâ nocte devoravit, historiam ibidem refert. Aglaidem quoque prodigiosæ edacitatis fœminam ex Græcorum monumentis recitat idem; quemadmodum de alterâ non minoris ingluviei scribit *Gemma*, quæ nec momentum quidem absque ingestione ciborum vivere poterat, quin anxiæ in modum exiliret, & tanquam injecto laqueo strangulanda quamprimùm videretur. Anno 1511. Maximiliano Cæsari in Comitiis Augustæ, immensæ vastitatis & crassitudinis, voracitatisq; inauditæ virum oblatum fuisse narrat *Surius*, ita ut vitulum crudum, & ovem incoctam necdum expletâ fame devoraret. Quæ tandem ne quis fabulas putet, auctor est *Flavius Vopiscus*, Aurelianum mirum in modum fuisse delectatum Phagone, qui usque adeò multum comedit, ut unâ die antè ejus mensam, aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum comederet; biberet autem infundibulo apposito plus orcâ: ut interim picatos ac depravatos multorum appetitus, & sordidissimarum rerum ingluviem omittamus. Notissima quippe est historia, quam multi & omnium primus narravit *Columbus*, de quodam Lazaro vitri-voracis vulgò dicto; qui nil non vorabat, insipida, amara, dulcia, pinguia, salsa, saxa, lapides, ligna, lanam, linum, stropas, carbones, & ut brevi complectar, quidquid homines, quidquid animantia vorant, & quidquid mercede propositâ deglutiendũ offerebatur, ingurgitabat; insuper & vitrum absque

4. *Insignis edacitatis homines.*

5.

Lib. 7. cap. 11. / Lib. 15. cap. 19. / Lib. 1. ... mocrit. cap. 6. / Commen. rer. in or... be gest. / In Aureli... ni vita. / Lib. 15. anath.

absque noxa: quod etiam tres alios homines factitantes vidisse scribit *Fabric. Hildanus.* Sed prædicto similem alium in aula Philippica vidisse testatur *Ioan. Nieremb.* qui omnia voraret lanea, pannos, coria, vivos mures; imò, ait, semel visus est vivum felem cum pelle & pilis manducare, ipsumque ejulans & repugnans animal mordebat ille, crudele certè spectaculum exhibens; ut meritò dicat auctor vidisse, quæ credere non poterat.

Cent. 5. obs. 2.
Lib. 3. hist. nat. cap. 9.

A stupendis igitur istis, & prodigiosis edonibus, quos, si quando invenirentur, meritò Daniæ Reges illicò suspendi jubebant, ne utilium laboratorū escas consumerent, prout referunt *Olaus Magnus* & *Alb. Krantzius*, naturæ quâdam revolutione mirè varietate gaudentis, jam ad illos veniamus omninò abstinentes (*Asitos* Græci dicunt) omni cibo & potu carentes, quos in humana specie sæpissimè visos admirandæ multorum historiæ referunt, ac tam medici, quàm historici testantur; dari nempè homines, qui non solum per plures dies aut menses, sed per integros annos sine ullo cibo, aut potu diu vixerint; quod innumeris casibus & historiis apud præclarissimos ac fide dignos auctores narratum legimus, quarum potissimam partem maximus ille medicinæ aggregator *Sennertus* compilavit, quibus præter novissimam aliam, à nemine adhuc (quod sciam) scriptam, aliquas ab ipso prætermissas adjungam, ut posthac, qui rarissima mirabilia naturæ humanæ opera sciendi affectu prosequuntur, velut in promptuario quodam omnia illa habeant, quæ sparsim ac temporum curriculo, prout diversis in locis evenerunt, varii ac fidelissimi auctores scripserunt.

Lib. 13. cap. 11.
Lib. 3. praxis. p. 1. sect. & cap. 2.

Sed primùm illud monemus non esse audiendos illos, qui nullâ ratione innixi, historias omnes, quas modò narrabimus, meras esse fabulas contendunt, facileque sic ab inquirenda difficili hujus eventûs causa se extricant, ut fecit *Lupeus*; & multò anteà *Gentilis* citat. à Savanarola *cap. de singultu*, qui sic ait: *Difficilia hæc sunt apud me in homine; nam tales humores deberent potiùs putrefieri & carere regimine naturæ.* Ejusdemque opinionis fuit Valeriola *in annot. ad paradox. Iouberti*, ubi hominem sine cibo diu persistere posse impossibile judicavit, doctissimumque Joubertum de hac re paradoxam suam inediam amicè interpellavit, ut *Citesius* scribit; quam eandem sententiam *Israël Harvetus* medicus Parisiensis publico libello etiam defendit, existimans neminem per plures dies, & annos sine cibo transigere posse; imò exempla omnia, quæ de hac re referuntur, vera non reputat, auctoresque negligentiæ arguit, quòd tandiu credito jejunio falli potuissent, & fidem præstitissent. *Brasavola* etiam *in 1. Hipp. de morb. acutis aph. 44.* fabulas dicit esse, quæ de triennali quarundam religiosarum inedia, sine cibo & potu Romæ suo tempore degentium dicebantur: credit quippe sine cibo per aliquot dies solùm hominem vivere posse; si sanus, per pauciores; si æger, per plures; ita ut comatosos ad 14. aliquandò pervenisse viderit: aliter ad 7. tantum, vel 9 devenire cum *Hipp.* statuit. Cur enim impossibile judicandum est, quod multis animalibus naturaliter natura indidit, ut sine ullo externo alimento, sed ex suis humiditatibus intùs sumpto plures vivant ac degant menses, id ipsum in humana specie aliquibus advenire? cùm vel ratione morbi, aut particularis complexionis in illam devenire possint, qualem prædicta animalia naturaliter sortiuntur; præsertim inter tot numero individua, in quorum alternatione mirificè sæpiùs natura ludit, & rarissima molitur opera omni fide majora; cùm in nulla alia specie variam ita ac multiplicem sese ostentet, quàm in homine assolet, circà quem metamorphoseos quâdam varietate, in similitudinibus, temperamentis, ac accidentibus, milleque aliis effectibus multa exequitur prodigiosa. *Citesius* multa animalia enumerat, quæ ex suo penu tanquam è feraci condo sibi alimenta attrahunt, & velut alterum rorem in universam suam substantiam concipiunt ac alliciunt: hujusmodi sunt cochleæ, de quibus Plautus *in captivis*:

Lib. de morb. pustul. fol. 32.
Lib. de abstinente Consol.

> *Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent,*
> *Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit.*

Hoc de marinis; sed & terrestres similiter solo interno redundantis humoris fomite sustentantur per integrū semestre. Multa præterea sunt animalia, quę hyemis asperitatem variis latibulis lenire solent, nullū interim quærentes cibum; qualia sunt angues, ranæ, muscæ, erucæ, glires, montani mures, turtures, hirundines: sic serpentes omnes frigoris impatientes, hyeme abditos in terra latere docet *Arist.* quin & annuâ fame viperas durare tradit *Plin.* quod experientiâ sibi constare affirmat idem *Citesius*, qui frequenter eas phialis inclusas sine cibo per integrum annum & amplius asservâsse scribit. De ranis *Plinius* ait, semestri vitâ in limum resolvi, rursusque vernis aquis renasci; solvuntur quidem frigore, non resolvuntur, & littorum cavernis latent, non

Lib. 8. hist. animal. cap. 15.
Lib. 8 cap. 39.
Lib. 9. cap. 51.

abstinentes modò; sed semianimes; in quibus vere non earum fœtus tantùm, sed veteres quoque ranæ visuntur: eodem modo muscæ in tabularum rimis frigore torpidæ delitescunt, quas temporis tepor jam pridem velut sepultas revocat; intereà sibi ipsis sufficiunt, non ob corporis solùm exiguitatem, ut 4. *de part. animal.* 5. putavit *Aristoteles*, sed ob frigiditatem; frigida enim cibi defectum maximè ferunt: quod etiam de grandioribus affirmat *Lucianus*, totâ hyeme absque cibo degere. Ferè idem de apibus tradit *Aristoteles*, siquidem illas à bruma ad Arcturi exortum diebus 60. sine ullo cibo somno ali scribit *Plinius*: sed omnium maximè cicadarum genus jejunum esse fatetur *Aristoteles* 4. de part. ani. cap. 5. *Satis enim iis alimento est humor, qui in corpore superest*, inquit idem. Similiter & erucis evenire docet, præcipuè senescentibus, quibus externa cutis callum contrahit, & aureus redditur color, unde chrysalides & aureliæ dici solent; in quem statum cùm transierint, nil recipiunt, nil excernunt. De bombyce insigni naturæ miraculo nemini non est notum, mediâ etiam æstate suo conclusum cortice, 40. ad minimum dies non tantùm sine cibo durare, sed & propriæ substantiæ in lanificio non parùm impendere. Glires somno ali *Plinius* & *Aristoteles* confirmant; sicuti montanos mures, qui integris sex mensibus tam altè dormiunt, ut effosi & extracti adhuc non excitentur, antequam ad solem vel ad ignem appositi satis incalescant. Testudo terrestris totam hyemem latens somno pressa sine ullo cibo traducit; sed & omni cibo destitutam quovis tempore diu durare ac vivere testatur *Rondoletius*: quod etiam aliis ex testacearum genere commune esse suspicor, ut magnis illis testudinibus marinis, quas Hispani *tortugas* dicunt, quarum multas cupis inclusas afferunt, qui ab Indis discedunt, & per 50. dies, aliquando 60. sine ullo cibo vivos persistere sæpiùs visum est. Echini etiam terrestris mirabilior natura, quem ad integrum annum sine cibo durare, Aristotelem *lib. de mirab.* scripsisse notavit *Aldrovandus*: de Chamelæonte & Salamandrâ quæ communiter dicuntur, tanquam omnibus perspicua transeo.

Lib. 8. part. animal. cap. lib. 11. 16. Lib. 5. hist. animal. cap. 19.

Lib. de amphi.

Aves, quæ sine cibo diutius vivunt.
10.

Sed & in avium natura multas inveniri, quæ diutiùs omni cibo abstinentes permaneant, non pauci tradunt; ut de chlorio, seu galgulo ave, quam totâ hyeme delitescere, & circà æstivum solstitium procedere affirmant *Aristoteles* & *Plinius* variis in locis: quemadmodum de hirundinibus tam domesticis, quàm agrestibus; quæ ab hyemis asperitate metuentes in finitimos montium recessus se recipiunt, ubi nudæ & implumes inveniuntur; sicuti aliæ in lacuum, paludum, & fluminum ripis, ripaneæ ideò dictæ, & in puteorum cavernis ubi sese præcipuè includunt, aut in scopulos circà maris littora se conferunt, ubi mutuo complexu adhærentes deprehenduntur: *Accidit enim* (inquit Agricola) *ut piscatores interdùm inter se conjunctas ex aquis extrahant*. Quod ita esse ex *Aristotele*, *Plinio*, *Olao*, & aliis refert *Aldrovandus*; ut desinant nostri philosophi novas iis colonias in Africa, & alia transmarina loca adscribere, *Plinii* corruptis in textu verbis decepti, qui sic: *Sed in vicina abeunt apricos secutæ montium recessus*. ubi *Africos* malè Chif. vertit. Porrò toto semestri jejunas manere certum est; quod & turturibus accidere auctor est *Aristoteles*. Manucudiatam Indicam, Paradisi avem aliter appellatam (quidquid Ornithologorum aliqui reclament) rore aut aëre tantummodò nutriri multorum pervulgata opinio testatur, ut tenet *Scaliger*, cùm in aëre perpetuò vivat, & in terram nunquam nisi mortua descendat. Prætereà aviculam esse in Persis Rhyntacem nomine scribit *Plutarchus*, cui nulla intus fæculenta retrimenta; sed pinguedine tantùm referta est, unde conjectatum sit vento illam ali, aut rore. Doctissimus Nierembergius *in hist. nat.* de ave quadam Indica, quam variam vocat, ob diversitatem formarum, quas plumis suis exhibet, mentionem facit (vicicilim appellare naturales ait, aliter apud Indos hoitzitziltototl) cujus talis est natura ut non diutiùs vivat quàm flores herbarum, quarum alitur melligine, superstites durent; postquàm verò marcuêre, ad arbores quâdam naturæ providentiâ se confert, ibique rostro affixo appensa se servat, donec sex transactis mensibus, & decidentibus jam pluviis, agrisque vernantibus, amicis herbis ac floribus rursùs exortis denuò reviviscat, similes vices pluries subiens, ex *Gomara* & *Franc. Hernandez*, qui Indiarum historiam affabrè scripserunt: verùm omninò emori incertum judico, obdormiscere potiùs crediderim, ut tenet *Gomara* citatus; & *Lycosthenes* ex *Cardano* adductus à *Ionstono*, qui de hac ave scribit sub passeris vitulini nomine, & juxtà Mexicum grandi ape haud majorem esse ait, jacereque velut mortuam, quoad flores quibus alitur iterùm germinent, quo tempore & ipsa expergiscitur, ac proin-

Lib. de subterra. Lib. 10. cap. 24. 8. de hist. animal. cap. 16. Exercitat. 228. 229. sect. 2. In Artaxerxe. Lib. 10. cap. 1.

Classe 6. thaumato. cap. 30.

de

de resuscitatam vocari; quod idem *Euseb. Nierembergius* citato opere fatetur, specie tenùs mortuam dicens, non à vinculo vitæ omninò exolutam; vitæ quippe per typos quosdam accessum & recessum haud facilè crediderimus. Possumus etiam, si placet, corvorum pullos iis adjungere, quos per aliquos dies à parentibus statim ac nati sunt derelinqui communis fert opinio: Auctor naturæ rerum per 7. dies parentes illos deserere, ac sine cibo relinquere ait; quo tempore, cùm jam atro colore vestiri incipiant, illos agnoscunt & nutriunt; quo verò alimento per illud spatium alantur, incertum: & præter alias opiniones, ut existimat *Cassiodorus*, cælesti rore ali, divinâ Dei providentiâ illorum orbitate subveniente, quod ex *Psal.* 146. aliqui intelligunt: *Qui dat escam jumentis, & pullis corvorum invocantibus eum.*

Lib. 1. cap. 15. & 18.

Sed ne minuta ista animalia hâc abstinentiæ dote tantùm frui opinetur aliquis, tanquam pusillo corpore prædita, cujus ratione nutrimenti defectum tolerare possint, aut illius tenuitate diutius permanere, ad majora jam oportet attendere; in quibus etiam non pauca reperiuntur grandi sanè corpore, & molis non exiguæ, inter quæ tanquam notiorem, ursum est advertere, quem 8. *de hist. animal. cap.* 17. latibuli sui toto tempore nil edere, duabus de causis probat *Aristoteles* & quòd foràs non prodeat, & quòd captus ventre intestinisque inanibus conspiciatur: mirum in tam vasto corpore, animalique feroci, & artuum robore insigni! Upalim quoque, si non adeò ferox animal, corpore non minus, aëre nutriri firmat *Aldrovandus*; quibus enim aliis cibis vescatur, aut delectetur, incertum adhuc esse ait: sicuti etiam de Ignavo Brasiliensium affini fatentur plurimi, de quo *Thevetus* & *Oviedus*, examine multorum dierum facto, aëre nutriri tradunt: præter quæ etiam crocodilum immanem bestiam, & carnivoram humanæque admodum avidam quatuor hyemis menses inediam sustinere auctores sunt *Aristoteles* & *Plinius*, licèt *Ælianus* 60. dies non ampliùs dicat sine cibo durare.

Ad serpentes transeamus: de quodam satis magno scribit prædictus *Nierembergius* quem dominum serpentum appellari ait apud Indos, animal quidem lethalis veneni particeps, sed quod securari se permittat; unde ab aliquibus (inquit) observatum, quòd per integrum annum sine ullo cibo degat, nec ullo etiam potu utatur; ut non immeritò dicat *Bellonius*, serpentes 10. menses absque cibo vivere posse, ut multis exemplis probat *Barth. Ambrosinus* apud Aldrovandum *in serpentib. cap. de victu.* Hæc de naturali ac propria istorum omnium constitutione, quâ illos sic natura donavit, adducere placuit; plura apud *Aristotelem*, *Plinium*, *Conradum*, *Aldrovandum*, & alios forsan invenientur. Cæterùm & aliqua, quæ casu in aliis acciderunt, subnotare non erit alienum, quemadmodum de bove narrat *Bisciola*, qui sub ingenti fœni cumulo multos exegit menses, omni interim alimento abstinens; hunc jam rustici amissum putantes, tandem nitidum adeò ac pinguem invenëre, ut se loco movere non posset. Reverend. Societ. Pater *Francisc. Mendoça* doctrinâ ac virtute præclarus, & eruditione insignis, post multa de hac ciborum abstinentia, satis rarum exemplum de gallina affert, quæ per integros 80. dies sine cibo ullo aut potu vivere inventa est, cùm clausa in quadam domo fuisset derelicta, ubi nil quod comedere aut bibere posset derelictum est; quod magis (inquit) mirandum, cùm sit animal calidum satis, & voracitatis assiduæ. Itaque ut de animalibus, quæ sine cibo diu vivunt, finiamus, videndi sunt Aristoteles 8. *de hist. animal. cap.* 7. Plinius *lib.* 8. *cap.* 35. *&* 36. Libavius *lib.* 1. Batrach. *cap.* 14. *part.* 4. *singul.* Fortun. Licetus *proprio lib. de his, quæ diu sine cibo vivunt. & disput. de feriis altricis animæ*, Citesius & alii.

Lib. 12. hist. nat. cap. 1.

Lib. 18. horarum subcess. cap. 2.

Lib. 4. virid. probl. 24.

Antequam tamen ulteriùs progrediamur, quia sunt aliqui qui prodigiosæ istius abstinentiæ, cujus multa exempla inferiùs adducenda sunt, causas omnes naturales ablegant, & miraculosè tantùm evenire posse concedunt, ut inter alios tenet Jacob. Zuingerus *epist. ad Paul. Lentulum*, adductâ à *Fab. Hildano*; aliqua priùs miraculosæ & diuturnæ satis inediæ exhibere non gravabimur, quæ cùm sint ab aliis multò distincta, nec causam illorum quærere opus est; cùm certum sit Omnipotentis Dei virtute præstari potuisse, ut in Sanctis & Electis suis mirabilis utique appareat; & quos cælo destinatos adhuc in vivis continet, verbo suo & divinâ gratiâ magis, quàm terrestri alimentorum substantiâ, nutriri jam ostendat. Hujusmodi fuerunt multorum dierum à cibis abstinentiæ Moysis, Eliæ, & 7. puerorum, quos dormientes vulgò appellant, quorum historiam narrat *Nicephorus*, & annos 373. dormiisse refert, in quo toto tempore divinâ providentiâ ita sunt detenti, ut neque corpora, nec vestimenta

Cent. 5. obs. 32.

Lib. 14. hist. Eccles. cap. 45.

menta eorum defluxerint. Alii pauciores annos assignant, ut P. Alonsus Venerus *in temp. enchirid.* qui 186. annos dormiisse ait. Jason Ziriçæus medicus *cap. de caro* 196. assignat, cui consentit Textor *in officina p.* 2. qui etiam eorum nomina addit, Maximianus, Malchus, Martianus, Dionysius, Joannes, Serapion, Constantinus. Sed quomodocumque fuerit, satis longè dormierunt, nilque refert quòd in annorum numero auctores varient, historiam etenim veram fuisse ex multorum fide constat, ut narrant *Surius, Majolus*, & alii plures; qualiter aliis quinque pueris accidisse scribit *Paulus Diaconus*. Præter hæc narrant *Vrsperg. Abbas, Fulgosius*, & *Vincentius*, tempore Lotharii V. Imp. in territorio Tullensi juxtà villam Convernacum fuisse puellam, annorum 12. quæ post assumptam die Paschatis sacram Communionem usque ad 3. annos sine cibo & potu permanserit, ab anno scilicet 822. usque ad 825. circà initium Novembris, quo cœpit aliorum more manducare. De alia puella in villa Eikel circà annum 1288. quæ similiter solâ sacræ Eucharistiæ refectione, omni alio cibo & potu carens, per 30. annos vixit, narrat Nauclerus *Gener.* 43. & circà annum 1478. eodem miraculo aliquos compertos scribit idem *Gener.* 50. sicuti de Perusia Palumba Interamensi, quam annos natam 20. eâdem Hostiâ sacratissimâ nullo alio sumpto cibo, 7. annos vixisse tradit *Fulgosius* Innocentio VIII. Pontif. qui totam rem diligenter inspexisse ait. Idem quoque Romæ contigisse præsbytero cuidam tempore Eugenii Papæ, & se vidisse refert *Poggius Florent.* Helvetiorum annales de Nicolao anachoreta, quem Nicol. Helvetium alii nominant, tradunt in deserto 20. annos inediam sustinuisse: hunc eundem puto fuisse Nicolaum Subsilvanum, de cujus abstinentia *Petrum Numagen.* librum scripsisse notat Cardanus *in lib. de rerum variet.* qui tamen editus non est. Eâdem Dei gratiâ de alio ex eremitarum ordine narrat Savanarola *rub.* 32. *de singultu*, qui suo tempore in Hispania degebat, qui post acceptam sanctissimam Eucharistiam 20. dies sine cibo stabat; quod Rex & Generalis Ordinis ipsius maximâ diligentiâ examinârunt, & ita esse realiter invenerunt. Sic etiam de Petro Alcantara insignis virtutis monacho, & ejusdem regni filio non pauca narrantur admiranda; solebat quippe per singulos menses, octo & amplius dies continuos sine ulla refectione corpus macerare. Multa haud dubito hujusmodi referri poterant exempla Sanctorum, qui summâ vitæ austeritate nil humanum, nil mortale, cùm adhuc viverent, divinâ tantùm gratiâ suffulti repræsentabant, ut de Joanne quodam anachoreta scribit Marulus *lib.* 1. & de Maria de Cegni *lib.* 3. Nivellæ Leodiensis pagi oriunda, quam ait 30. aliquandò diebus jejunam perseverâsse, divinis fruentem colloquiis. Nec aliter Maria Magdalena, de qua fertur 30. jam annos non alio cibo sustentatam, præterquàm cælestium gaudiorum contemplatione, ut idem Marulus *lib.* 5. & ex illo Eborensis *in exemplis* narrat; ubi pleraque alia referuntur de Catharina Senensi, & aliis virtute & sanctimoniâ præclaris, ut de S. Lutgardi, Maria Oiniacensi apud *Surium*, Simone Stockio, de quibus videndus *Mirandulanus*. Quibus etiam Gallici auctores Ludovici Pii Francorum Regis rarum & miraculosum jejunium annumerant, qui ultimis vitæ suæ 40. diebus, post assumptum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, ab omni cibo & potu abstinuit, ut narrat *Robert. Guaginus*. Narrat quoque latius *in Genealog. Austriacæ comm. l.* 1. anno 1348. puellam quandam in Austria tempore magnæ charestiæ, cùm à matre panem postulâsset, & illa fortè impatiens doloris famem decennem imprecata fuisset, decennio omni cibo abstinuisse. Quorum omnium supernaturalem causam extitisse haud dubiè fatendum est, & ab aliis aliorum inediis longè diversam; quarè à reliquorum classe illos sejungimus, sicuti etiam illorum casus, in quibus dæmon astu & arte sua coöperatur, vel clam & occultè subministrando; cujusmodi exemplum affert *Delrius* ex Prospero Aquitano *lib. de promiss. & prædict. cap.* 5. de juvencula obsessa, cui per 70. ferè dies, in figurâ avis nocte liquorem instillabat, vel potentia multi temporis inediam perferendo; hoc enim facere posse probat *Tostatus, Torrebl. Villalpandus*, ubi tenet Epimenidis illum somnum, & diuturnam inediam annorum 47. juxtà *Eudemum*, aut 67. juxtà *Pausaniam* dæmoni magis, quàm causæ ulli naturali adscribendam esse; quemadmodum de alio rustico narrant D. Damascenus, Lilius Gyraldus *in historia poëtica dialog.* 4. Medina *lib.* 2. *de recta in Deum fide*, & ex medicis citatus Forestus *lib.* 7. *observat.* 28. *in Scholio*, qui totum autumnum cum sequenti hyeme sub ingenti fœni cumulo perpetim dormivit, ac fœno paulatim consumpto attonito similis tanquam ab inferis excitatus surrexit;

Left margin: 14. — 15. — *Inedia dæmonis arte & dolo.* 16.

Right margin: In cl... lib. lib. ... cap. — Lib. — Lib. ... præn... cap. — Lib. ... hist. ... — Lib. 6 mag... sect. In exe... 7. L. 2. ... c. 21.

quæ

quæ sanè vis & furor illum à dæmone obsessum, & ejus arte detentum fuisse declarant: forsan talis etiam fuit somnus Scholastici tempore Gregorii II. Sum. Pontif. quem *Albertus Krantzius* Lubecæ in concamerato muro 7. annos dormiisse, & nec mutatâ nec maceratâ facie cognitum ait.

Lib. 8. suæ Vandal. cap. 39.

Omissis igitur miraculosis & supernaturalibus, ad illa quæ naturaliter evenisse memorant jam deveniendum. Quorum adeò innumera sunt exempla, ut omnia quæ à plurimis narrantur difficilè sit afferre: quæ tamen assequi potuimus sequentia sunt, nec sanè pauca, ut non facile proinde videatur tantis ac tam doctis viris id testantibus fidem denegare; licèt in re adeò dubia, & quæ in rarissimis naturæ, & speciei humanæ ac miraculosis operibus omnem superat admirationem, toties & tam vulgariter accidisse vix credi posse videatur, fides tamen apud ipsos maneat: nobis verò pro nunc prudentiæ sit norma, non statim negare illa, quæ impossibilia videntur; nec vera existimare omnia, quæ vanâ quâdam scribendi licentiâ ad ostentationem usque admiranda à plurimis traduntur, cùm dolus, & deceptio in multis non desint, commentisque pleraque scateant, quibus non rarò etiam perspicacissimos hallucinari contingit: sed historias à minoribus ad majora ascendentes jam exordiamur enarrare.

Musa Brasavolus collegam in studiis habuisse scribit Philippum Riminaldum, quem bis vidit per integros 4. dies & noctes omni cibo & potu abstinentem, accepisseq; ab eodem, quòd bis etiam ad spatium octo dierum omninò jejunus permansisset; quo toto tempore omnibus vitæ muniis rectè fungebatur, mingebat, excernebat, expuebat, nares emungebat, dormiebat; sed & quod addit, mirabilius est, ruri obambulando ita alacriter & fortiter se gerebat, ut *Brasavolam* ferè delassaret, & labore vinceret. *Cardanus* quemdam refert Leonardum Pictoriensem sensim eò se adduxisse, ut semel tantùm in septimana cibum assumeret; quod quosdam monachos communiter factitâsse, & hodiè facere nonnulli ferunt. Sed quod istis ex consuetudine, aliis ex necessitate accidisse visum est: *Barthol. Annul.* fossorem ait dum puteum foderet ruinâ oppressum sub tabulato, quod objecit, 7. dies mansisse nullo cibo utentem, nisi urinâ suâ tantummodò epotâ: *Gondisal. Illescas* audiisse memorat Didacum Cisneros Philippo Hisp. Regi sæpiùs enrarantem, Maurorum Regem Azem Baxa in urbe Argel, in qua ipse pro Christianorum redemptione diu commoratus fuerat, non nisi de septimo in septimum diem edere solitum, ut sic corporis molem & ingentem obesitatem imminueret, & in eadem abstinentia ad octavum & ad nonum aliquandò perseverâsse dicebat. Ad talem quippe dierum numerum, nempe 7. ex *Hippocratis* sententiâ hominem omni cibo destitutum pervenire posse communiter omnes cum eodem fatentur; ob id vitam hominis 7. dierum esse dixit, cui subscribit *Macrobius*; nam & sub finem dicti libri *de carnib.* sententiam illam velut exponens, causam addit, dum sic inquit: *Tot dies potest vivere absque cibo, quot sunt dies formationis fœtûs.* Sed hujus sunt 7. ergo & 7. dies poterit homo sine cibo vivere; licèt ad 9. ex ipsius Hippocratis authoritate extendat *Brassavola*, locum tamen non indicat. Tandem Hippocratis sententiam veram esse in Carolo septimo Gallorum Rege observatum fuisse tradunt historiographi, qui pertinaci inediâ vitam die 7. finivit; à quo cùm jam cibum assumere vellet, aut ad hoc coactus fuisset, occlusis præ siccitate viis moribundus minimè potuit. Verùm licèt hoc frequentius sit, non tamen tanquam præfixus terminus habendus est; nec puto ullum statui posse certum & definitum, cùm pro naturæ, & temperamenti varietate, aliis citiùs, aliis tardiùs extingui contingere debeat: hoc pacto Darii matrem in quinto vitam clausisse scribit *Q. Curtius*, *Plinius* ad 11. & ultra plerosque durâsse tanquam certum tradit: ad multò plures alii extendunt, ut ex historia mox patebit. Quare non sine ratione multi *Hippocratem* cùm illud protulit, accipiendum ajunt de illis, quibus ventriculis, & jejunum intestinum excrementis vacant pituitosis, à quibus natura alio carens alimento nutriri valeat.

Lib. 1. de vict. rat. in acut. aphor. 44.

Lib. 11. de subtil.

In picta poë.

In hist. Pontif. in vita Greg. 13.

Lib de carnibus.

Lb. 1. de som. Scip. cap. 6.

Lib. 12. cap. 54.

Pergamus ad alios: Isocratem Rethorem frequenter ad 4. nonnunquam ad 9. abstinuisse accepit *Plutarchus*, refertque. Mathias de Gradi *in 2. p. cap.* 12. experientiâ hoc vidisse ait in moniali, quæ stetit per 8. dies sine cibo & potu. Sylvius *in cons. advers. famem*: Audio (inquit) nunc Avenione esse hominem sexagenarium, qui per intervalla 5. 6. 10. & plurium dierum comedat. *Avicenna* quendam scribit à potu unius libræ olei violacei, in quo cera & adeps dissoluta fuerant, per decem dies cibum non

Opusc. de vita 10. rethor.

Fen. 3. lib. 1. doct. 4. cap. 2.

appe-

appetivisse. Ad eundem numerum pervenit Monialis quædam Montis Cæli, de qua scribit *Benevenius*, quæ uteri suffocatione oppressa, solâ panis buccellâ semel assumptâ 10. dies duravit; talemque abstinentiam non tantùm innoxiè tulit, sed ipsam à morbo curatam testatur idem auctor. De Ero Armenio genere Pamphilo narrat *Plato*; qui cùm in acie cecidisset, atque decem dies jacuisset, rogo impositus, adhuc vivere inventus est; quod verum fuisse, non fabulam, firmat *Iustinus* Platonicus, Martyrque Christianus, nec in argumento refellit *Ficinus*. Petrus Texera agnovisse ait Indum nomine Rolu, qui 10. dies sine cibo multoties degebat in quadam gruta inclusus. Platerus *quæst. medicarum* 32. ait juvenem citrà ullam querimoniam aut molestiam 14. dierum spatio famem patientissimè pertulisse, dum captivus in vinculis detineretur ob gravissimum crimen commissum, cujus causâ ut infame ac jam imminens supplicium voluntariâ morte anteverteret, ciborum abstinentiam sibi elegit, ut sic ad illam deveniret, & ad 14. diem jam perveniens, pœnitentiâ, sed serò, ductus, cùm cibum peteret, respuens tamen ac gustare non potens, citrà aliud symptoma expiravit. *Horatius Augenius* rusticam vidisse refert, quæ gravida ulcere ventriculi laborans 20. diebus sine cibo vixit, tandem mortuæ fœtus adhuc vivus extractus. Normanam quandam per 18. dies nihil comedisse scripsit *Conciliator*. Carol. Clusius incolas Guzaratæ, & Decan febricitantes per 10. nonnunquam per 15. dies cibo abstinere tradit; & *lib.* 1. *in hist. aromatum* Garcias ab Horto Baneanes Indorum philosophos, præsertim qui inter ipsos sunt superstitiosiores, 20. dies interdum omni cibo abstinere. *Albertus Magnus*, & ex ipso Rhodiginus *lib.* 3. *antiq. lect. cap.* 24. in Germania fœminam vixisse ajunt, quæ 20. & aliquando 30. dies sine cibo transegit. Cardanus *loco citat.* & 8. *de rerum variet. cap.* 43. juvenem quendam Scotum refert sub Clementis VII. Pontif. custodia per undecim dies fuisse, qui aliquando 20. aliquando 30. diem sine cibo ullo attingebat. Hildanus *cent.* 4. *obs.* 30. de gravida quadam scribit, quæ sex hebdomadarum spatio ab omni cibo & potu abhorruit. *Alb. Magnus* loco proximè adducto virum melancholicum tempore Frederici II. vixisse memorat, qui quodam arcto loco custoditus salvis sigillis, omni cibo destitutus septem hebdomadas permansit, alternis diebus semel haustum aquæ frigidæ tantùm bibens, & præterea nihil: quod in alio ego observavi, qui ad 45. diem solâ aquâ vixit, ac tandem est mortuus; & vetulam quandam in Lombardia in civitate Padua 40. dies sine ullo cibo vixisse ex eodem *Alberto* tradit *Gentilis*, & refert Savanarola *cap. de singultu*. Augustinus alium hominem scribit suis temporibus 40. diem absque alimento evasisse. *Montuus* ex *Oribasio* tradit hominem solo mellis odore 40. dies vixisse. Sed Neander *in tabacolog.* hîc errorem subesse non immeritò suspicatur, *Oribasiumq;* illud, quod de Democrito fertur, adducere voluisse, de quo ferunt 4. dies, non 40. ad mellis anaphoram vixisse: verùm *Oribasii* locum non citant; existimo ego alium fuisse casum, nam si Democriti fuisset, nomen tam celebris philosophi *Oribasius* non subticesceret. *Alex. Benedictus* quendam Venetiis 46. diebus jejunum fuisse ait, habitudine membrorum frigidâ, crasso phlegmate intùs concocto, meatibus corporis adstrictis; cujus etiam meminit *Petrarcha*. Ex Plutarcho *in sympostacis*, & Atheæno dipnosophista *lib.* 2. notum est Timonis amitam, sive nutricem, quotannis ursarum more bimestre tempus in Siciliæ spelunca sine alimento semianimem degere consuevisse. *Fernelius* vidisse ait gravidam, cui duro tuberculo ita os ventriculi obturatum fuerat, ut quidquid indebatur, mox remearet, atque sic nil cibi aut potûs assumens bimestre spatium duravit, tandemque mortua est. Admiratione etiam satis dignus est casus cujusdam Pauli de Goitis, quem narrat *Marcell. Donatus*: hunc post longam admodùm taciturnitatem mensium 26. & 7. dierum, in quibus nec verbum quidem proferre auditus est, nullaque vi aut industriâ ad hoc adduci potuit, tandem ultimis vitæ suæ 67. diebus, & horis 3. nil cibi, aut potûs assumpsisse ait. *Texera* sup. citat. audivisse inquit apud Indos, cùm ibi degeret, mulierem esse, quæ ad 4. menses sine ullo cibo perveniret. *Valescus de Tharanta* ex *Iordane de Turre* narrat, fuisse in Alemania fœminam, quæ per menses 6. nil ederit, aut biberit. Huc spectat rarissimum (si verum est) naturæ prodigium, quod de Lucomoriis Russiæ in Moscovia populis tradunt, ultrà Obi fluvium in montibus sitis quos in singulos annos 27. die Novemb. mori ferunt, ac vere insequente, maximè Aprili mense exitum affectante, ranarum instar denuò reviviscere: omitto reliquum historiæ de jurgiis, & litibus quas cum Grustinziis, & Sperpanomotziis assiduè habere dicunt, causâ mercium, quas ipsis soporatis illuc venien-

Left margin: *14. Dierum.* — *20. dierum* — *7. Septimanis sine cibo degentes.* — *2. Mensium.* — *4. Mensium.* — *6. Mensium.* — 21.

Right margin (cropped): Ca... — Di... de... In... orig... Per... 1. c. — Lib... sang... cap. — Lib... plan... cis c... — Lib... anim... tract. — Epist. Casula... In An... velib. cap. 1. — Lib. 11 cap. 10 — Lib. de... rabil. 7. cap. — Lib. 6. cap. 1. — Lib 4. med. hi... cap. 12. — Lib. 4. c...

venientes commutant: itaque toto illo tempore veterno immersi non viventes vivunt, ac temporaneam veluti mortem sustinent, nullo externo alimento utentes, sed interno tantum ex frigido muco & insipido phlegmate fruuntur. Incredibile hoc multis haud dubiè videri non dubito, cùm sit omni exceptione majus; sed ex aliorum relatu illud hîc insero, an verum sit, nec prorsùs annuo, nec impossibile judico; cùm præsertim videam tanquam certum à multis referri. Quod si ita est, tales mori minimè dicendum, sed profundo somno potius detineri, lethargoque esse occupatos, quo & corporis motum sensusque omnes ligatos ac veluti ablatos habeant; nisi aliquod subest dæmonis præstigium, ut *Delrius* & *Strazzius Cigogna* suspicantur: sed difficilè adduci possum ut hanc superstitionem & præstigium credam, cum dicant omnes eodem tempore, singulis annis, & ad determinatum spatium hunc somnum ac detentionem pati; quod naturale opus magis quàm præstigiosum videtur, si verum est de quo dubitat *Sigismundus* Liber Baro, qui primò historiam narravit, & fabulosam judicat *fol. mihi* 86. licèt haud dubiè veram esse asserat *Guaginus*, ex quo *Citesius*, & *Sennert.* decerpserunt, apud quos latiùs tota historia videri potest, sicuti apud Fortunium Licetum *lib. de his, quæ sine cibo vivunt.* Quarè cæteri hoc tanquam indubitatum suis scriptis inserere non dubitârunt, sicuti Pat. Hieronym. de la Nuza *homilia 5. in 1. Dominica quadrages. §. 8. nu. 22.* qui eandem tanquam minimè fabulosam refert, quàmvis apud alios non levis suspicio maneat, cùm videant *Olaum Magnum* de omnibus illis populis & eorum particularibus moribus ac ritibus scribentem, nil de hoc miraculo locutum, cùm alioquin admirationis plena multa enarret. Tandem ut mensales has inedias finiamus, scribit Alex. Benedictus *lib. & cap. allegatis* fuisse suâ ætate virginem sacerdotalem nomine Columbam, quæ inediam plures menses sustinebat; quod in miraculum Patribus Romæ venerat, unde experimentum & admirationem pluribus custodientibus dedit. Denique de ægrotantibus, qui multos dies sine cibo vixerunt, alia exempla afferunt *Gentilis*, *Nicolus*, *Herculanus*, & *Brassavola*.

Lib. 2. disquis. mag. quæst. 29. sect. 1. lib. 4. mag. omnif. cap. 7.

In descript. Moscoviæ.

Sed licèt prædicta longioris inediæ satis prodigiosa sint exempla, tamen quæ sequuntur omnem admirationem superant, & miraculis similia videntur: ego historias ab aliis scriptas ad longum non transferam (hoc enim prolixum nimis foret) sed loca, personas, abstinentiæ tempus adducam, auctores insuper, ut quantum possibile sit brevissimè me expediam. *Alex. Viguntia* Patavinus professor, de virgine quadam Patavina narrat, quòd anno Christi 1598. variis morbis conflictata, quorum causâ in vomitum primùm devenit, ut nil assumpti continere posset, postmodum omnia aversari cœpit alimenta, cum tamen medicamenta (mirum dictu) facilè ingereret, & detineret: itaque dum nil cibi caperet, omnes evacuationes corporis suppressæ sunt; tandem ut multa relinquam *octimestre spatium* nullo cibo utens transegit, ac rursùs jam capere aliquid incipiens, corporisque excrementis suis in locis apparentibus, secundo vomitu correcta, & eisdem symptomatibus, quibus anteà oppressa fuerat, iterùm per duos menses sine cibo vixisse ait. Sed in hac historia maximâ admiratione digna sunt duo, quæ addit auctor, nullam scilicèt in corpore maciem apparuisse, colorem corporis nil mutatum, sed vividum permansisse; & adhuc aliud, quod vix fidem impetrat, per 3. menses continuos, quotidie, vel alternis diebus, sanguinis libram per alvum exonerâsse: unde enim tanta sanguinis generatio, citrà ullam cibi ingestionem? animus non capit. *Dinotus* de alia scribit puella, quæ in agro Tullensi absque cibo & potu 10. *menses* permansit, quem post iterùm sumens sana evasit. Porrò historiæ à *Viguntia* enarratæ multùm similis est alia, quam scribit *Math. de Gradi* de moniali Ordinis *D. Augustini*, quę tribus annis vixit vomens omnem cibum, & in majori quantitate, quàm illum ingerebat, oborto statim vehementissimo ventriculi dolore, qui non aliter quàm sanguinis missione alleviabatur; incredibile autem est, quoties & quanta in copia sanguis illi educeretur, ut non solùm semel, sed bis in septimana per octo menses continuos phlebotomaretur, & aliquando per duos menses ter in hebdomada, ita ut alternatis diebus hoc fieret ad uncias vj. vel vij. singulis vicibus extrahendo. Mirabilis certè sanguinis abundantia! cui ferè similem casum à se visum in alia moniali narrat idem *Gradi*. De quo etiam omnem raritatem excedit altera cujusdã matronę sanguinis evacuatio, cujus ex *Sebast. Brand.* Jurisconf. apud *Schenckium* fit mentio, à qua intrà annum plusquã mille sanguinis libras excretas fuisse affirmat, præter 50. quas sustinuit sanguinis missiones; quod tamen aut præstigiosum, ut credidit auctor, aut morborum artisque medicæ rarissima monstrositas, in qua sicuti in natura sæpius contingit, ut dicebat *Averroës*.

In advers. sariis.

Cap. de vomitu.

Cap. 25. de fluxu sanguin. nar.

Lib. 7. cap. de venen. in gen. titul. de præsti. 7. Collig. cap. de cur. sat. cancri.

Sed

Sed redeamus ad historias: Sennertus *lib. 3. p. 1. sect. & cap. 2.* ubi multa conjecit, fuisse ait anno Christi 1603. puellam in Hetruria in agro Lucensi, planè contabescentem solo simplicis aquæ potu, sine ullo cibo languidam, somnolentam, taciturnam, nullaque excrementa præter urinam reddentem, quæ tamen 16. *menses* superavit; à quibus iterùm cibum assumens sanitati restituta est. *Per duos annos* plurimos jejunâsse plurimi tradunt: unius exemplum est apud *Rhodiginum*, & eodem biennio Stendaliensem monialem sine cibo degisse asserit *Apponensis*. Alium per idem tempus sub Nicolao V. Pontif. jejunum permansisse affirmat *Citesius*: hunc sacerdotem quendam Gallum fuisse scribit *Delrius*, cujus historiam vide latiùs apud Fulgosium *lib. 1.* sicuti apud Eborensem *in exemplis*. Idem spatium sine ullo cibo aut potu Germanam puellam traduxisse auctor est *Portius*: quin & Saxonia *lib. 3. cap. 5. Panthei medici*, ait habuisse puellam, quæ ultrà duos annos absque cibo vixit in Montecella, & adhuc suo tempore vivere dum illud scriberet; quod verum esse & cum eodem Saxonia eandem vidisse testatur Claud. Deodatus *lib. 1. Panth. Hygiast. cap. 20.* Rondoletius *lib. de piscibus cap. 13.* puellam aliam in Gallia Narbonensi *ad annos 3.* omninò jejunâsse refert. Per idem tempus, nempè annos tres, puellam aliam annorum 14. Consolento natam urbe, omninò à cibo abstinuisse in Lemovicum & Pictonum confinio, nil penitus assumentem plurimi viderunt; cujus historiam describit *Citesius*, edito proprio hujus rei libello, quam etiam transtulit *Sennertus*: est quippe ex recentioribus, quæ in hoc prodigioso eventu visæ sunt, anno 1599. à plurimis observata; quam eandem puellam in eadem urbe suis oculis vidisse testatur *Quercetanus*, cùm jam per annum integrum in tali inedia permaneret. Tandem triennalis abstinentiæ historiam aliam alterius puellæ è Ducatu Juliacensi, quæ Coloniam adducta est, latè exponit *Fabricius Hildanus*. Puellæ Spirensis, quæ *toto quadriennio* nil gustavit, mentionem facit *Langius*; quam ait anno 1552. ad Ferdinandum Imp. aliosque Romani imperii proceres adductam, de qua etiam *Sylvius, Schenckius*, & alii.

16. Mensium. 2. Annorum. 3. Annorum. 4. Annorum.

Lib. 13. c. 24. antiq. Diff. 112. 10. probl. ult. Lib. 2. m. quæst. 2. Lib. 3. c. 5. In diæ polyhist. sect. 2. cap. 4. Cent. 1. obs. 40. epist. 2. tom. 1.

24. Pauca hæc videbuntur, si cum sequentibus conferantur. Schenckius *in suis obs.* historiam inseruit de quadam Catharina in Palatinatu in pago Schmitvveiler vietoris filia, quæ 7. *annos* sine cibo vixit; hujus historiam Germanico scripto ad plenum Heidelbergæ publicatam ait, quam etiam latiùs scribit Henricus Smetius *lib. 13. suæ Miscel.* qui cum aliis D D. jussu Joannis Casimiri Comitis Palatini eandem puellam bis invisit anno 1584. & 1588. Apud *Savanarolam* suprà citat. sic scribitur: quidam Pistoriensis ex Pistorio, quæ civitas est inter Lucam & Florentiam, refert à fide digno habuisse, quòd in civitate, quæ vocatur Alumna, fuit quædam vetula, quæ 7. annis sine cibo vixit. *Petrus Apponensis* ait fœminam fuisse in Comandria, quæ *per annos 8.* nil prorsùs ingesserit. *Rondoletius* loco suprà citato postquàm de puella jam memorata egit, quæ per triennium nil assumpsit, addit aliam in Germania multò plures annos solo aëris alimento vixisse; imò aliam vidisse ait, quæ in cibi abstinentia *ad 10.* usque pervenit: hanc eandem grandiorem jam factam nupsisse, & felicem habuisse prolem tradit *Joubertus*. De puella Halberstadiensi, quæ per alios 10. annos nil esculenti aut potulenti assumpsit, præter cervisiæ potum, cujus sextarium quotidie potabat, scribit *Sennertus*, ubi suprà; quam historiam tanquam recentissimam ultimò addit, anno siquidem 1623. mortua est in eadem ciborum inappetentia ad finem usque vitæ permanens. *Poggius Florentinus* à *Schenckio* adductus se legisse testatur de quadam puella, quæ anno 1322. tempore Lotharii Imp. ἄσιτα *per 12. annos* fuit, Paschalio Pontif. sedem tenente, ut & apud *Langium* citatum, qui etiam hujus historiæ meminit. Hanc etiam 12. annorum abstinentiam æquavit Apollonia Schreierina puella nata in oppido Galx. ditionis Bernensis; ab anno quippe 1600. jejuna, anno 1612. circà festum natalis Christi edere cœpit: cujus historiam cum rebus aliis notatu dignis, quæ in ipsa observatæ sunt, edidit *Paulus Lentulus*, ex quo transtulit *Sennertus*; & hanc eandem puellam vidisse testatur Claudius Deodatus *lib. 1. panth. Hygiast.* anno 1608. Nicolai Vndenevaldensis Helveti, qui *per annos 15.* sine cibo vixit (alii plures addunt) mentionem facit Zuingerus *cent. 5. obs.* apud *Fab. Hildanum*; sed hanc historiam inter miraculosas jam suprà recitavimus.

7. Annorum. 8. Annorum. 10. Annorum. 12. Annorum. 15. Annorum.

10. Pr. ad finem. Decad. parado.

Quæ sequuntur adhuc magis incredibilia videntur, & tamen verè accidisse auctores affirmant. Quemadmodum de muliere, quæ 18. *annis* nil comedit, meminit *Apponensis* jam citat. Puellæ Anglicanæ, quæ *per 20. annos* nil alimenti assumpsit, *Rogerius*

18. Annorum. 20. Annorum.

rius Bacconius, & ex ipso *Delrius*. Hominem eremitam non longè à finibus Lucernensium per annos 20. sine cibo vixisse scribit *Krantzius*. De alia puella, quæ ad 20. annos jam pervenerat nullo alimento fruens, nobis scriptum reliquit Thomas à Vega *comment. in lib. 6. Gal. de locis affect. sect.* 2. hæc enim cùm in omnium excrementorum suppresionem incidisset, quidquid comederet aut biberet, vomebat statim, ut nil assumpti retineret, aut eo frui posset; tamen suo tempore sic jam ad 20. annos pervenisse ait, epilepticis quantumvis insultibus vexatam. *Rhodiginus* fuisse tradit in Hispania puellam, quæ nil unquam comedens *ad 22. annum* jam pervenerat, aquam simplicem potando. Fœminæ alterius, quæ 30. *annos* ab omni cibo abstinuit, meminit *Ioan. Boccatius*; quem citat Petrus Bovistau *in theat. mundi minoris lib.* 3. ubi ex eodem Boccatio etiam scribitur de Alemano quodam Infernate, qui eodem *Boccatii* tempore totis 30. *annis* per os alimentum nullum hauserat; quod non auctoribus tantùm, sed ocularibus testibus compertum ac comprobatum fuisse testatur. Porrò alterius mulieris, quæ per 36. *annos* nil cibi sumpsit, meminit *Conciliator*. Viri sacrifici, qui 40. *annis* Romæ à cibo abstinuit, plurimi historiam referunt, ut *Ioubertus* & *Rondoletus* citati: firmat Hermolaus Barbarus *tract. 3. cap.* 3. & verum esse ex Leonis Pontif. & multorum principum custodia, ipsiusque Hermolai fide certissimè inventum est. De puella Mersense, quæ ultrà 29. annos sine cibo vixit, *Guill. Fabricius Hildanus*; ex quo apud *Sennertum* longiùs cum aliis enarratur: præter quæ omnia affirmat *Theophrastus* hominem fuisse, qui solâ aquâ toto vitæ suæ tractu, & nullo alio cibo; aut potu nutriretur. Hunc Philinum medicum fuisse legitur apud *Rhodiginum*; sed quamvis lacte, non aquâ tota vita nutritum dicat, aquam tamen, & non lac fuisse scribit *Marcell. Donatus*. Ficinus alium vidisse ait, qui solo aëre nutriebatur. *Olympiodorus* historiam ex Aristotele affert, in qua Philosophus fatebatur hominem à se visum, qui aëre, & sole tantùm sine ullo alio cibo vivebat, quibus alia similia conscribit *Plato*. De quibus vide Strabonem *lib.* 15. Plinium *lib. 7. cap.* 2. Cælium *lib. 24. antiq. lect. cap.* 21. si vera sunt, quæ de Astomoris Indiæ gentibus narrant, solis odoribus nutriri.

Lib. 2. mag. quæst. 21.
Lib. 12. hist. eccles. cap. 21.
Lib. 13. antiq. l. cap. 24.
Diff. 112.
Cent. 5. obs. 35.
Lib. 13. cap. 11.
Lib. 6. de med. hi. mirab. cap. 3.
In phædone.

Videor hîc plenissimè de asitis, & per longum tempus à cibo abstinentibus exempla omnia, aut saltem plurima, quæ sparsim à multis auctoribus tradita sunt, in unum compilâsse; quæ certè adeò sunt numerosa, ut miraculoso huic in humana specie eventui raritatem non solùm, sed & admirandi causam tollere videantur: cum hoc tamen aliqua, & postrema præsertim stuporis adeò plena sunt, ut auctorum fides periclitaretur, nisi optimorum quoque virorum stipulatio accederet. Sed inter tanta, ac præ diuturnitate insignia exempla, nostrum addere placuit; nam licèt, si cum multis conferatur, longè inferius appareat, tamen quòd verissimum sit, & à nullo (quod sciam) Hispanorum scriptorum literis adnotatum, ut in cæterorum classem etiam veniat, haud dubiè meretur.

Ab Hispali celeberrima Hispaniæ urbe Orientem versùs, duabus leucis distat pulcherrimum oppidum Alcala de Guadaira totâ sanè Vandaliâ notissimum ob panis præstantiam, qui ibi conficitur: in hujus oppidi confinio diversorium est, cujus nominis modò non recordor; huc peregrina quædam mulier devenit, quæ pacto pretio diversorii dominis se elocavit, ut viatoribus illic pernoctantibus famularetur: duo vel tres anni jam præterlapsi erant à tempore quo ibi commorabatur; eccè quâdam die circà vesperam ad hospitium pedestris quidam homo accedit, quem cùm ipsa videret, & vicissim ab ipsa videretur, illa maritum suum, vir uxorem agnoscit, quæ à tribus aut quatuor annis ab illius consortio clam se subduxerat. Igitur fœmina aliquid mali sibi à marito imminere valdè timens, in Dominæ cubiculum semianimis statim se recepit, herum quoque vocari fecit; breviter hominem illum maritum suum esse, discessum quem jam dudum ab illius domo fecerat, metum tandem ac periculum exponit, multaque alia, ab ipso tandem jam visam & cognitam se fuisse addit, auxiliumque & opem implorat. Itaque hospitii domini ipsam pro tempore & necessitate solantur, promittuntque diligentem in omnibus operam præstituros, ut in viri gratiam iterùm redeat; quarè à cubiculo egressi comiter hominem salutant, leniter recipiunt, blandè alloquuntur, ac tandem post multa ad cœnam se accingunt, in cujus fine de uxoris negotio sermonem conferunt, illius pudicitiam extollunt, quantaque modestia ac virtute apud illos toto illo tempore vixerit; fœminarum errores aliquantisper ferendos, cùm sæpiùs imprudenter se gerant,

de factis illam maximam ostendere pœnitentiam, ac fidem dextramque jam promittere, quòd obedienter illi in omnibus obsecutura sit. Callidè maritus omnia audiebat, & patroni respectu præterita uxori pro tunc indulgere, veniamque condonare simulabat, dummodò ipsa illi iterum se adjungere velit, atque in villam suam & domum redire; quibus & illa facilè annuit: his peractis totum negotium hospites rectè confecisse sibi persuadebant, fœmina metum paululùm deposuerat; interim maritus vindictam animo, non aliter quàm uxoris morte cogitabat. Sequenti die 13. Decembris divæ Luciæ dicato, dominis suis vale dicto à diversorio exeunt, iter in vicinum oppidum Marchionam pedestrim ambo incipiunt: vix ab hospitio dimidium leucæ discesserant, quâ parte saxosa & prærupta imminent montium quædam cacumina, inter quæ ad certa intervalla profundæ distant cryptæ, seu altæ fossæ, à Maurorum tempore ibi excavatæ: ad unam istarum maritus, qui loca illa benè noverat, cum muliere relictâ viâ divertit, ibi ipsam tribus aut quatuor ictibus pugione confodit, ac tandem pro mortua habitam mulierem in cryptam dejecit; quo peracto viam capessit, quam per alium locum sibi commodiorem elegit: factum nemo noverat, nemo viderat; locus ab itinere aliquantisper dissius, fovea satis profunda, ut debilis fœmina ex casu, ictu, & vulneribus ad se reversa, quantò licèt conatu clamaret, minimè audiri potuerit, ruri præsertim, & loco gentibus vacuo. Latuit itaque per 72. dies illa profunditate inclusa, à 13. Decembris, usque ad 22. Februarii, quo die villicus quidam pauper, qui vocabatur Albaida, asparagos quæritans, unum decerpturus, quem juxtà foveæ orificium conspexerat, pedibus parvam glebulam fortè intus dejecit; ad cujus ictum mulier vocem quantùm potuit extollens, *quis desuper?* inquit; rusticus quodammodò expavescens, imò *quis infra?* respondit; tunc ab ipsa verbis quantumvis confusis ac malè formatis, mulieris miseriam intellexit, quæ ut sibi in tanta angustia ac labore versanti opitulari velit, obnixè exorabat: divertit protinùs in oppidum Albaida, magistratu irem omnem exponit, qui tantâ novitate commotus, multis hominibus & aliis necessariis adductis, statim ad locum convolat; mulierem extrahunt satis emaciatam, extenuatam, pallore magno suffusam, sed adhuc mediocriter incedere valentem, vestimenta tamen adeò erant putrida & corrupta, ut trahendo facilè disrumperentur: totam rem quærentibus enarrat, & quo alimento intus inclusa uteretur percunctantibus, & quibus medicamentis vulnera curaverit, pro omnibus respondit, nullo alio quàm paucissimâ aquâ, quæ ex pluvia intùs remanebat, vulnera aliquoties lavisse; de qua etiam madefactis in ea fasciis, quas capite gestaverat, aliquando paululùm sugebat, nilque aliud comedisse aut bibisse totis illis 72. diebus constanter jurejurando affirmavit. Totius historiæ testimonium prout accidit in oppido asservari jussum est, multis qui viderunt comprobantibus, qui testes fuerunt: eam ego accepi à nobili viro D. Didaco de Bordas, qui tunc in ipso oppido commorabatur; aliàs etiam, cum ad idem oppidum adiissem, à multis aliis audivi. Accidit hoc anno 1606.

Historiarum jam satis adduximus. Ad causas quod attinet tam insolitæ & ultrà humanum captum mirandæ abstinentiæ, si accedere velimus, maximam sanè opinionum varietatem & confusionem inveniemus; quarè singulorum circà hanc rem sententias exponere nimis esset longum, sed nec omninò necessarium, cum abundè apud Sennertum describatur. Summatim igitur illas afferemus, illud tantum addentes, quod nobis abstrusum hoc negotium rimantibus certissimum visum est, non unam certè esse in omnibus causam, sed in aliis atque aliis valdè diversam.

27.

Ab ardua igitur hac difficultate facillimè aliqui se expediunt, historiis veritatem & auctoribus fidē prorsus denegantes, ut in principio *quæst. num.* 7. jam suprà attulimus: ex his sunt Valeriola *in annot. ad paradox. Iouberti*, apud ipsum *Ioubertum*; somniorum quippe instar hæc omnia credit: *Gentilis* citat. apud Savanarolam *cap. de singultu*, qui difficilia apud se hæc omnia judicat: *Lupeus* suprà citat. licèt in *annotat. fol.* 151. aliter sensisse videatur: *Harvæus*, & *Brasavola*, qui omnia, quæ de hac re narrantur, fabulas esse dicere non verentur, ut anteà jam adduximus. Sed isti ut increduli & audaces rejiciendi sunt; philosophorum quippe non est statim ea negare, quæ impossibilia videntur: nec enim solum illa credenda sunt, quæ probabilia judicantur, & quæ sensus protinus assequi valet; aliquando enim multa, quæ pervulgata opinio vera esse confirmat, humanum captum effugiunt, ea tamen experientia haud fabulosa esse docet, nec ea omnibus experiri licet, nec fide certâ omna cognoscere, quæ ideò negare imprudentis hominis foret, & illius præcipuè qui naturæ occul-

1. Opinio de causa longævæ abstinentiæ.

28.

tas

tas vires non credit, nec unquam rimatus est. Eâdem facilitate se excusat *Forestus*, qui hujus eventûs causam soli Deo notam esse arbitratur. *Iacob. Zuingerus* apud *Fabricium Hildanum* post multa ad miracula confugit, & nullis naturæ legibus convenire ait, sed miraculis adscribenda, à causa divina promanantibus. *Rogerium Baconium* meritò impium appellat *Delrius*, quòd diuturnæ omnis abstinentiæ causam influentiis adscribat; qualia verò hujusmodi sint sidera, quæ ad talem inediam corpus disponere possunt, satis ac prolixè *Iulius Maternus* inculcat: sed opinio hæc philosopho & pio homine indigna; sic enim Sanctorum admirandas illas inedias à Dei potentia provenientes sugillare videtur, quod impium est: cur enim si ita foret (optimè inquit *Delrius*) uni dumtaxat, & non alteri, vim hanc stellæ impartiuntur, cùm communem suum influxum demittant? Nec ad hoc ullam dispositionem patientis admittit, cùm nulla ad influentiæ respectum assignari possit. Præterea sunt, qui bonis & malis Angelis prolixi istius jejunii causam attribuant; utrumque sanè verum, primum ad miraculosa referendum, secundum ad supernaturalia, imò ad superstitiosa: clam enim diabolum cibum administrare posse suprà retulimus in historia illius virginis, quàm ex *Prospero Aquitano* affert *Delrius*, cui in forma avis liquorem instillabat; aliter corpora viva sine alimento conservare non potest, nec mortua sine corruptione, saltem per longum tempus, ut *quæst.* 34. jam diximus. Cæterùm eos, aut plures ex illis, qui in tot historiis adducuntur, obsessos fuisse, nullâ ratione ostendi poterit, cùm in ipsis nil tale observatum fuerit, nec in aliquo aliquibus signis dæmon se prodiderit, ut aliàs facere consuevit.

Lib. 18. obs. 7.
Cent. 5. obs. 33.
Lib. 2. quæst. 21.

Deinde sunt, qui ad occultas qualitates, & individuales proprietates confugiunt. Sunt etiam, qui jejunandi consuetudinem hoc præstare posse dicant. Sed neutrum sufficiens esse constat: nam proprietas illa occulta vel naturalis foret, vel à morbo originem acciperet; sed naturalem non esse patet, quia si talis esset, per totam vitam permaneret, nec ad tempus deficeret, ut in plurimis visum est, qui per certum tempus abstinentes, deinde posteà ad consuetam ciborum assumptionem iterùm devenerunt. Nec etiam ratione morbi talis proprietas oriri potest: nam licèt appetentiam depravare, imminuere, & tollere morbus possit; hominem tamen absque ullo alimento conservare non valet, cùm potiùs ex sua natura vires destruat, quâ ratione etiam majori refectione indiget: deinde cùm omnis morbus contrà naturam sit, unde credendum erit, quòd qualitatem aliquam producat, quæ corpus conservare valeat alimento destitutum, cùm hæc actio naturæ cibis adjutæ conveniat? Nec etiam quod de consuetudine dicunt, accipi debet: est sanè certum consuetudinem ad omnes actiones, & ad omnia opera multùm adjuvare; à labore minùs læduntur assueti; cibos benè concoquunt, qui multum ingerere solent; sic etiam famem meliùs sustinent, qui jejuniis sunt dediti: hoc autem tolerantiam quandam solummodò imprimere valet, & naturam paucis reddere contentam; sed omni cibo privatam sustinere posse minimè concedendum. Illud naturæ quædam moderatio est, hoc adversùs illius leges pugnat: nec illos, in quibus hujusmodi abstinentiæ visæ sunt, jejunando dum sani essent, sensim se à cibis abstinuisse observatum est; cùm alii repentè, alii à morbo in illam inediæ tolerantiam devenerint. Quòd si virtute insignes alii sic fecisse arguant, hoc longævæ illorum abstinentiæ, ut integra causa assignandum non est, sed solùm prævia quædam dispositio; cùm alioquin illorum merita (præclaris aliis virtutum prærogativis adjunctis) ut divina gratia in illis operaretur, in causa esse possint. Nec etiam exempla, quæ hìc possunt addi de illis, qui venenis paulatim assueverunt, aliquid convincunt; cùm venena illa alimenti aliquid conferre plerique fateantur, præterquam quòd de nullo dicitur, quòd nullis aliis cibis, quàm illis venenis uteretur. Deinde naturam assuefieri ut à noxiis non lædatur multò magis naturale est, quàm alimento omni destitutam ob consuetudinem conservari, cùm nulla assuefactio potens sit, ut illius necessarios defectus supplere possit.

Cùm ergò ex nullo istorum tam admirandæ abstinentiæ causa innotescat, in elementis illam quærere alii conati sunt. Quare prædicta corpora aëre nutriri non pauci ex philosophis & medicis statuerunt; de quorum numero est *Marcellus Donatus*, qui hanc opinionem acriter defendit, & ad argumenta quæ eam impugnare possunt respondet: à qua etiam opinione non multùm distat *Quercetanus*; eo tamen non puro, sed cum aliis elementis mixto. Probant in primis, quòd cùm corpora nostra ex tri-

Lib. 4. de med. hist. cap. 12.
In diætet. polyh. cap. 3.

 plici

plici constent substantia, solidâ nempè, humorosâ, & spirituali, triplici propterea alimento indigeant, cibo, potu, aëre; proindeque accidere posse ut calor naturalis debilis redditus aëriam tantùm substantiam dissipare valeat, non alias tanquam crassiores, & à debili calore nil patientes: quo tempore ajunt solùm aëriæ substantiæ reparatione indigere corpora illa, ut nutriantur & reficiantur. Afferunt præterea in comprobationem animalia alia suprà recitata, Chamælæontem, canem levem, Pigritia dictum, Manucudiatam, & alias aves, de quibus fertur sine ullo cibo, sed solâ aëris nutritione vivere. Quæ tamen ideò probari non debent, quia corporis nostri substantia ut nutriatur similem aliam desiderat, atque ideò per spirituum tantùm refectionem, quæ aëre fit, reparari non potest, omninoque solidius alimentum requirit, quale est sanguis, in quem aër, sive purus, sive impurus mutari non potest; quia solùm ab illis, quæ perfectè mixta sunt generatur, præsertim ex fructibus & animalium partibus: ea verò quæ de illis animalibus ajunt, incerta prorsùs habentur, cùm linguam longam, & exertam natura illis dederit, aliis etiam ventriculum; quod evidens signum est, alio illa alimento uti, quod præparationem & concoctionem in ventriculo requirat, ut ad nutriendum aptum reddatur; alioquin natura frustrà partes illas efformâsset, cùm nullum usum haberent. Quæ tamen licèt à *Senn.* optimè dicantur, tamen

31. alium nutritionis modum, qui mediante aëre fieri potest, ipse non advertit; accidere enim poterit, ut aër non tantùm respiratione, sed arteriarum & pororum inspiratione attractus, in aquosam quandam substantiam vertatur, quæ humiditatibus aliis corporis admixta, materia ad nutritionem apta fiat: elementa enim alia in alia transire posse cum *Arist.* philosophi admittunt; quod etiam concedit ipse Sennertus *lib. 3. epit. nat. scient. cap. 3.* & Petrus Garcia *super Avicen.* Ignis quippè in aërem, aër in aquam, aqua in terram invicem (saltem in aliquibus sui partibus, si non omnibus) permutantur; & quòd hæc permutatio aliquando in corpore humano acciderit, in quibusdam observatum est, ut ex rarissimis duobus exemplis constat: altero apud Schenckium *lib. 3. cap. de diabete*, ex Guillielmo Adolpho, cujusdam hominis, qui singulis diebus quatuor vel quinque cantharas urinæ excernebat, cùm vix quadrantem biberet: altero puellæ Mediolanensis, quæ anno 1481. per spatium 60. dierum quotidie 36. libras urinæ mingebat, cùm non plus quàm pondus 7. librarum cibo & potu assumeret;

Libell. urinæ inspect.

32. quam historiam *Cardanus* ibi citat. à patre suo audivisse refert, & ab alio accepisse, à quodam auctore esse scriptam & impressam, cujus nomen nesciret; hunc autem fuisse *M. Gatinariam* haud dubiè crediderim, qui *Cardano* antiquior fuit, eandemque historiam retulit *cap. de curat. in cont. urina.* Itaque de istius tam admirandi eventûs causa cum *Ioan. Marlianus* medicus doctissimus interrogaretur, respondisse aiunt, aërem, qui in arteriis ubique contineretur, in substantiam aquæ conversum fuisse, alio similiter succedente, qui etiam in eandem materiam convertebatur; atque ita in corpore multiplicatam fuisse urinæ & aquæ substantiam, nec aliam rationem tam rari accidentis inveniri posse, ut idem *Cardanus* fatetur, nisi aeris in aquam conversionem dicto jam modo causatam à frigida & humida intemperie, cum lenitate superficierum, arteriarum, & membrorum, per quæ urina permeat; cum puella illa præter quantitatem cibi & potûs, quem per illos 60. dies assumpsit, ultrà libras 1740. emiserit, cùm ejusdem corpus libras 150. non excederet; unde licèt totum corpus in aquam resolveretur, tam ingens pondus non æquaret. Itaq; ut ad aeris nutritionem redeamus, potuit talis aeris mutatio in aqueam substantiam in prædictis corporibus evenire, quæ quidem substantia aliis humiditatibus mixta alimenti vicem suppleret.

8. De r[...] variet. [...] 44.

33. Cæterum cum illa ex aëre nutritio non ab illo quatenus aer est, sed in aliam substantiam prius converso fieri deberet, & illa substantia si talis fuit, non sanguis, non alius humor, sed aqua esse dicatur; jam in aliorum dubitationem incidimus, qui quærunt, an simplicis aquæ potu abstinentes illi sustentari potuissent? cùm præsertim de aliquibus illam potare consuevisse narretur; in quibus saltem quæsitum hoc locum habere videtur, & in aliis etiam, qui licèt nec cibi nec potionis quidquã ingererent, aeris conversio in aquosam materiam, modo explicato, corpori quantitatem aquæ sufficientem præbere poterat, ex qua nutrirentur. Aquâ igitur nutritos fuisse qui sibi persuadent, in suæ opinionis confirmationem multa afferunt; quòd scilicèt plantæ eâ nutriantur, & herbaceum genus, quod illius irrigatione adolescere & pulchrius germinare videmus; eâdem etiam pisces pro cibo uti, ut clarè docet *Arist.* & verum esse latius

7. Opinio. Aquam nutrire probatur.

3. De pa[...] animal. cap 8. & 8. de hi[...] animal.

tius docent Ficinus *de sanit. stud. tuenda c.* 18. Rondoletius 1. *de piscib. c.* 12. & in hominibus idem præstare ex aliquibus historiis anteà relatis evidenter constat, ut de homine illo melancholico ex *Alberto Magno* narrat *Rhodiginus*, qui solâ aquâ 7. hebdomadas vixit; sicuti puella illa quam eodem loco ait in Hispania visam, quæ jam 22. annos aquæ potu sine alio victu sustentabatur: qualiter Spirensis altera, quæ Ferdinandi Imp. tempore solius aquæ usu aliquot annis vixerat; & fœmina illa, cujus ultimò historiam nostram exhibuimus, quæ aquæ tantùm suctu 72. dies transegit, ut ex illius relatione liquidò apparuit. Itaque rationi absonum non videtur, quod in aliquibus saltem solius aquæ potus alimentum corpori præbuisset; hanc enim corpora nostra nutrire, & non humidas tantùm, sed & carnosas solidasque partes substantificè humectare, plurimi ex doctis affirmant. *Hippocrates* aquam omnia nutrire docuit, & *lib. de affectionib. num.* 53. aquam annumerat inter ea, quæ corpori robur addunt. 3. *acut.* 19. mulsam aquâ potentiorem esse ait. Aristoteles 1. *probl.* 13. dum causam quærit, quarè ab aqua magis quàm ab aëre alteremur, inter alias hanc affert, quòd aquâ nutriamur, non aëre; & 4. *de Gen. animal. cap.* 11. aquam alimoniam corpori præstare manifestè docuit. *Celsus* inter ea, quæ sunt pauci nutrimenti, aquam recenset: idem affirmat *lib.* 4. *cap.* 2. & *lib.* 6. *cap.* 6. Eandem sententiam tenet *Avicenna*. Famem aquæ potu sedari docet Plutarchus 6. *probl.* 3. & *lib. de Iside & Osiride* Nili aquam epotam corpus reddere pinguius, carnisque incrementum efficere ait. Athæneus *lib.* 2. *cap.* 2. *Dipnosoph.* adversùs eos, qui aquam nutrire negant, invehitur, & cicadarum exemplo probat; eâ namque nutriri ut certum plurimi tradunt. Quapropter hanc opinionem, quòd scilicèt aqua nutriat, acerrimè tutantur *Rondoletius* citat. Cardanus *lib. de aëre, aquis, & locis*, Marcellus Donatus *lib.* 4. *cap.* 20. Andreas Baccius *lib.* 3. *de vinor. hist. cap.* 4. Mercatus *tom. quæst.* 164. *num.* 90. Horat. Augenius *tom.* 2. *quæst.* 2. apud quos omnes *Galeni*, & aliorum loca pro hujus veritatis subsidio afferuntur: si enim ex aliis quoque elementis animalia alia nutriri non pauci affirmant, cur etiam ab aqua idem præstari posse negandum erit? Chamelæontem aëre ali notissimum ferunt, Salamandram igne pasci scripsit *Aristoteles*, & firmat Plinius *lib.* 10. *cap.* 67. idem Pyraustam pennatum quadrupedem in Cypri ærariis fornacibus per ignem volare ait, & alia animalia magnarum muscarum instar in igne vivere tradunt Aristoteles 9. *de hist. animal. cap.* 1. Ælianus *lib.* 2. *de animal. cap.* 31. Paulus Jovius *lib.* 32. *hist. sui temporis*, Pomp. *lib.* 4. *in comment. meteor. dub.* 62. deinde talpam terrâ pasci naturæ indagatores docent. Quæ si vera sunt, quantò potiori ratione hoc de aqua credendum erit? Maximè cùm ea, quâ utimur, elementum simplex minimè sit sed aliorum elementorum aliquid admixtum habeat; quò fit ut ad alendum non prorsùs incommoda videatur: ideò Sapiens *Eccles.* 29. summa cum ratione scripsit: *Initium vitæ hominis panem & aquam fuisse*; quasi indicare voluerit, vitam hominis his duobus potissimùm fulciri & constare: aqua enim saltem quod de humida substantia resolutum est restituit, ac optimè reparare valet. Haud ignoro plures esse ex medicorum schola, qui hanc aquæ alimoniam aliter explicent, & reprobent, ut Gentilis, Jacob. uterque, Ugo *sup. Avic.* 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 16. Trallianus *lib.* 6. *cap. de pleurit*, Averroës 7. *collig.* Vallesius 6. *contr.* 6. Mercurialis *tract. de vino, & aqua cap.* 6. Cardanus *lib. de sex reb. non nat. cap.* 4. Brachel. Annunt. Foësius. Sanctorel. *lib.* 16. *anteprax. cap.* 4. & alii citati apud Zacutum 2. *de princip. hist. quæst.* 35. præter quos annumerandus etiam est Melchior Sebizius *l.* 5. *de aliment. fac. probl.* 28. quorum sententiam modò non probo, cùm contraria non levibus etiam authoritatibus innitatur, celebresque etiam habeat patronos, ut solidè & doctè probat *Lud. Nonnius.* Quare in re ancipiti nil vetat nos hanc aut illam partem defendere, secundùm quod arbitrari licet, aliquos ex relatis, qui omni cibo abstinentes diu vixerunt, aquâ nutritos fuisse; atque illos præcipuè, qui illius usum habuisse dicuntur, ac etiam illos qui in potu eâ non utebantur, forsan aliquale alimentum ex ea suscepisse, si aëris illa conversio in aquam modo jam dicto possibilis videatur, ut *Ioan. Marliano* doctissimo, *Cardano*, & aliis visum est: cùm aliter si impossibilis judicetur, illarum historiarum Guill. Adolphi, & Gatinariæ, de homine & puella, qui incredibilem illam urinæ copiam reddebant, minimam aquæ quantitatem respectu illius haurientes, rationem aliam indagare teneantur; quam naturalem inveniri non posse cum *Cardano* fateri non erubescam: quod aliis pensitandum relinquo; multùm enim differt natura à natura, corpus à corpore, ut propterea in humana specie aliquid rarum, & extrà communem ordinem accidere possibile sit.

Ve-

cap. 2. Lib. 15. cap. 24.

Lib. de diæta. num. 2.

Lib. 2. cap. 18. 2. 1. Doct. 2. cap. 15.

5. De hist. animal. cap. 19.

Lib. 4. de re cibaria cap. 4.

5.

6.

Verùm cùm nihil ex his difficilem hanc inediæ causam sedulò inquirentibus satisfaciat, circà alia atque alia dubitant, ut nil non movere videantur: quare adhuc etiam an odoribus & exhalationibus prædicti abstinentes vixerint, in dubium adducunt; cùm exhalationes ex sublunaribus corporibus perpetuò affluant, nec aliud sint, quàm ipsorum substantia, mixti ratione haudquaquam imperfecta, imò verè mixta, tenuitate tantummodò ab ipsis corporibus à quibus exeunt diversa, & in atomos resoluta; quas quidem exhalationes & vapores cum aëre inspirato attractos in sanguinem verti posse imaginantur, ex quo tandem corpus nutriatur, præcipuè si caloris, & temperiei quandam analogiam inveniant; cum plerumque videamus prædictas exhalationum materias, aëris vi exterius condensari, & alendis corporibus aptas fieri, ut in manna & melle conspicitur, & in rore, quo cicadæ nutriuntur. Afferunt in comprobationem Astomorum gentem, quam *Plinius* & *Strabo* odoribus nutriri ajunt; quo etiam modo ali dicunt Manucudiatam, canem levem; imò *Democritum* per quatriduum ad mellis & panis anaphoram vixisse tradunt ex Laërtio *in ejus vita*: quarè animi deliquio exsolutos nullo pacto meliùs ac citiùs quàm per odores refici, ut *lib. de alimento* docet *Hippocrates*. Cæterùm ne diutiùs immoremur, meritò hanc opinionem rejicit *Sennertus*, cùm isti vapores corpori nutriendo sufficere non possint: primò quia in sanguinem verti non possunt; secundò quia quamvis hoc possibile esset, exigua admodum foret quantitas & insufficiens, ut illud quod à corpore resolvitur, reficere possent: quare vapores & odores ad alendum non sufficere plurimis demonstrat *Aristoteles*, cùm spiritus tantùm, non solidas corporis partes nutrire valeant; quo pacto, & non aliter lypothomiâ oppressis citissimè succurritur; & hoc est quod voluit *Hippocrates*, tamen veram nutritionem nunquam illis concedit, nec medicorum alius. Ad exempla cum cæteris satis respondet *Sennertus*; quarè ab illis nunc supersedeo.

8. Opinio. 37.

Lib. 7. lib. 5

Lib. de ſu, & cap. 5

Restat ex elementis terra, de qua etiam dubitant an corpora alere possit, & an ipsâ clam assumptâ abstinentes nutriri possibile fuerit? Et quòd ex ea alimentum corpori accedat, ex multis inferre conantur. Primò, quòd gravidæ, & aliæ fœminæ picâ laborantes terram & cretam avidè comedant, nonnunquam etiam testas, cimoliam, & extinctos carbones, ut 1. *de sympt. caus. cap.* 7. Galenus docet, & *Aphor. probl.* 73. *lib.* 2. Secundò, quòd Aristoteles 8. *de hist. animal. cap.* 5. lupos cùm esuriunt terram devorare scribat, & eodem *lib. cap.* 26. elephantes ægrotare, si terram comedant, nisi eâ frequenter utantur; nam si frequenter eâ vescantur, nil mali sentire: subdit insuper eosdem lapides interdum ingerere. Tertiò notat *Scaliger* Bufones in terra degere & eâ vivere, serpentes totam hyemem in latibulis habitare, solâ terrâ victitantes; quod verum esse *ex Genes.* 3. satis liquet, ibi enim cùm Deus serpenti malediceret, sic ait: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quartò galeritas, columbas, & perdices terram & lapides ingerere ajunt, cùm in eorum ventriculis sæpè lapilli & arenulæ inveniantur: nullum verò animal tot lapides devorare inquit *Cardanus*, ac Lacertam Indicam, in cujus ventriculo maxima arenæ & lapidum copia conspici soleat. Taton (Indicum etiam animal est, Hispanicè Armadillo dictum) scribit Monard. *lib.* 2. *de medic. Indiæ Occident.* quòd in terra degat, & ex ipsa nutriatur. Quintò præter plantas, quas terrâ ali nemo dubitat, animalia etiam alia, pro cibo eâdem uti compertum est, ut talpas, lacertam, vermiumque insectorum plurima, quæ subtus terram degant. Ultimò sic argumentantur: Eisdem rebus nutrimur, ex quibus constamus; at terrâ omnia constant animalia, & quædam etiam ex terra nascuntur: ergò terrâ quoque nutriri poterunt. Deinde: Illud nutritioni aptum est, quod humido pingui constat; terra talis est: ergò nutriet. Quid mirum? cùm ferro, in quo multò minùs hoc invenitur, Struthio-camelus nutriri dicatur.

9. Opinio. 38.

Exerc. … ſect. 1.

L. 7. de variet. c.

Sed ex his omnibus nil pro terræ nutritione convincitur, cùm illa nequaquam nutrire valeat multis de causis, quia ob substantiæ soliditatem incoctibilis est & insuperabilis, quia humido pingui minimè constat, & quia insipida & corpori nec grata nec familiaris est. Gravidæ licèt omnia illa vorent, in alimentum non veniunt, nec pro cibo illis utuntur, sed vi humoris & morbi coactæ, cùm intereà aliis alimentis vescantur, quibus aluntur. Lupos terram edere ex aliorum opinione profert Aristoteles, nam *famam esse* inquit: quod si faciunt, ait *in comment.* Scaliger, asserere rusticos, famelicos lupos terram ingerere, non ut eâ alantur, sed ut grandia animalia agres-

39.

gravent, atque sic faciliùs prosternant, terram deinde revomere, ac prædâ expleri. Elephantes terrâ pro medicamento, non pro alimento utuntur. Itaque non quâcumque terrâ vescuntur, sed peculiari, & lapillis inscindendi, detergendi, attenuandique virtute præditis, ut naturæ instinctu flatibus & urinæ suppressioni, quibus sunt obnoxii, medeantur, ut notat idem *Scaliger*. Bufones non terrâ, sed vermibus & aliis nutriuntur. Serpentes herbis & carnibus sustentantur; quòd si Deus illis terram pro cibo habituros maledixit, hoc non de vero cibo fortassis intelligendum, sed quòd terræ semper incumbere deberent, & nunquam more aliorum animalium ab ipsa erigi, cùm pedes non habeant; quod verba illa, *super pectus tuum gradieris*, significare videntur, ad cujus majorem confirmationem & certitudinem addidit: *terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*; Quasi diceret: os tuum à terra, in quam pectore incumbis, non amovebis. Quòd si terram verè edere dicamus, ut 3 *Genes.* clarè docemur, cùm præsertim dicat *Isaias* cap. 65. *& serpenti pulvis panis ejus*. Et *Michæas* cap. 7. *lingent pulverem sicut serpentes*; hoc illis non tanquam proprium alimentum, sed maledictione datum; siquidem serpentes voracitati libenter indulgere, carnes & herbas edere scribit *Aristoteles*, animalia, & omne insectorum genus, ut tradit *Bellonius*: etenim avibus & earum pullis insidiantur, furantur; ut propterea non multùm à veritate recedere videatur *Olaus Magnus*, qui serpentes omnivoros esse constituebat. Columbæ, galeritæ, perdices etiam lapillis illis pro cibo non utuntur, sed pro condimento, aut medicamento, ut abstergant quæ cibi fastidium pariunt; quod ex eo patet, quia semper in illis lapilli integri inveniuntur, nunquam comminuti. Taton animal terrâ victitare fabulosum judicat *Aldrovandus* & *Gesnerus*, qui ait vivum apud gallos visum, fructus & semina comedere; & subtus terram formicarum cavernas quærere, & illis nutriri alii inculcant. Struthionem tandem ferro ali fabulosum à plerisque judicatur, quidquid *Langius* contrà vidisse asserat: nam licèt avidè devoret, revomit tamen integrum, & nullo modo pondere diminutum: alia namque ingerere alimenta notissimum est, ut Ornithologi fatentur. Plantæ ex solido terræ corpore non aluntur, & crescunt, sed succo in illius visceribus ex ipsa & aqua permixto, qui pinguis jam evadit, & nutritioni aptus, ut *lib. de nat. human.* & *lib. de nat. pueri.* & 4 *de morbis* docuit *Hippocrates*, eodem modo de vermibus, talpis, & aliis animalibus dicendum, quæ non simplici terræ substantiâ, sed terrâ humore imbutâ vescuntur; hinc videmus terræ intestina, lumbricos aliter dictos, imbribus æstivo tempore largiùs è cælo delapsis, copiosiùs generari, & saginari uberiùs. Ad postremum dicimus, verum esse nos eisdem rebus ali ex quibus constamus; tamen hoc intelligi debere de illo, quod actu jam nutrit, non de illo, quod de futuro nutrire aptum est: nutrimur sanè pane, vino, fructibus, leguminibus; an ideò dicendum quòd simus panis, fructus, aut legumina? minimè quidem; multo minùs de terra hoc locum habet, quia corpus mixtum à simplici nutriri non potest. Constat igitur terrâ nequaquam prædictos abstinentes fuisse nutritos, nec aliquos illorum diligenti custodiâ servatos illam gustâsse deprehensum est.

Lib. 10. de hist. animal. cap. 4.
Lib. 21. cap. 29.
Epist. 12. tom. 1.

Superest etiam examinandum, an aliquâ aliâ re herbis aut pharmacis furtim ingestis famem fallere & refectionis necessitati succurrere potuissent, quibus ad tempus utentes tamdiu jejuni persisterent: narrat siquidem Textor Scytas 12. dies durare in fame & siti virtute cujusdam herbæ, quæ vocatur Partania: quæ verò sit hæc herba, non satis constat. *Theophrastus* & ex eo *Mathiolus* Glycyrrhizam fuisse innuunt; ajunt quippe Scytas Glycyrrhizâ contentos, absque ullo alimentorum præsidio, ad 10. aut 12. dies degere; eam namque & Hippacem inter illa quæ famem & sitim sedant, conservantque vires, annumerat *Plinius*, & Scytas eâdem in ore detentâ famem non sentire scribit *lib. 25. cap. 8.* propterea Scytica dicta, quod circà Bæotim ab ipsis fuerit primùm inventa. Hoc pacto Æthiopes Loto utentes nunquam sitire refert *Strabo*. Præterea Langius *tom. 2. epist. 27.* de Alimo herba ait, eam se degustantibus famem & sitim non sinere obrepere, quod ex *Plutarcho* etiam tradit *Rhodiginus* de Alisis, & Adipsis pharmacis scribens. *Sylvaticus* in pandectis: *Allismus* (inquit) *est sicuti ramnus sine spinis, folia habens sicut oliva, sed latiora; nascitur in maritimis locis juxtà hortos:* sed quam plantam intelligat non explicat, nec ego determinare audeo, cùm de hoc nomine & herbâ maxima apud auctores sit confusio, ut apud Bauhinum *in theatro botanico* videre est; licèt Damasonium esse plerique credant, ut ipse putat *Langius*. Apud Indos quoque reperiri herbam nomine *Cacoore*, quæ famem expellit, refert *Delrius* ex

In offici. tit. de morib popul.
9 De hist. plant 13.
Lib. 11. cap. ult.
Lib. 3. cap. 7.
Lib. 13. cap 24. antiq. lect.
Lib. 2. mag. quæst. 21.

44. Petro Chiesa *in hist. Peru part.* 1. *cap.* 96. quod etiam scribit Zarate *lib.* 1. *ejusd. hist. cap.* 8. quam judico eandem esse cum fructu *coca* dicto, quem describit *Euseb. Nierembergius*, cujus esu ait Indos jejunos in opere & labore constantes durare; & modum quo illum præparant ibidem docet. De Nicotiana, quâ ipsi Indi famem & sitim solantur, notissimum est; quomodò verò id faciant, ex *Monardo* tradunt multi, de quo præter *Neandrum* vide Joan. Chrysostomum *exercit.* 9. *cap.* 1.

Lib. 14 hist. nat. cap. 29

Cæterùm nec aliquo ex istis tanto tempore jejunium extendi posse, nec ex prædictis abstinentibus aliquem dictis plantis, aut illarum pharmacis usum fuisse certum est; in nullo quippe illorum deprehensus est similium rerum usus, quantumvis diligenti examine inquirerentur: deinde illa talia non sunt, ut hominem ad menses aut annos sine alio victu deducere possint, quia talis virtus in nulla planta possibilis est.

45. Illud quod de Scythica seu Hippace dicitur, herbam non fuisse, sed lac equinum, aut caseum ex ipso cum aliis rebus & herbis coagulatum asserunt Mercurialis 2. *variar. cap.* 26. & latius Aldrovandus *in hist. equi. titul. de usu in cibis.* Quod Hippocrates *lib. de aëre, aquis, & locis,* de Scythis loquens primum retulit. Nil igitur mirum, si radice Glycyrrhisæ, & Hippace (quod nil aliud erat quàm caseus ex equino lacte paratus) ad 10. dies pervenissent. Similiter de Alimo, pharmacum fuisse ex ipsa herba cum aliis rebus paratum idem *Langius* insinuat; & quòd veteres hoc medicamentum pro fame levanda in usu habuissent, ex Alimo seu Damasonio cum aliis mixtum, scribit *Plutarchus*. De Cacoore, aut Coca Indica herba seu fructu, quidquid dicant, superstitionis aliquid habere idem suspicatur *Eusebius*: quod si tale non est, non aliter prædictum effectum causare, quàm Nicotianam putaverim; utraque enim vaporibus suis caput inebriat, ac somnum conciliat; quo sanè modo (præcipuè Nicotianam) famem sedare, & corpus reficere explicat Joan. Chrysostomus *in exercit. de tabaco*, quas modò edidit; & latiùs disputat Joan. Neander *in sua tabacologia fol. mihi* 34. ita enim somnum inducendo spirituum resolutioni obstat, & novorum generationem promovet; nam & Indos Cocâ illâ ad somnum conciliandum uti consuevisse tradit idem *Nierembergius*, sicuti etiam ad ebrietatem inducendam, & ad laborum curarumque omnium oblivionem & quietem: ad utrumque enim variis modis, seminibus & plantis diversis, apud multas nationes factitari solitum affert idem *Neander*; & Cocam illam Indicam pisces inebriare, præterquàm quòd *Mathiolus* scribit *lib.* 3. *epist. ad Thadæum Nemicum*, ego sæpius vidi. Quòd siquis velit ex communi multorum, & *Avicennæ* pervulgata opinione, indigentiæ tempore corpus à superabundanti in ventriculo phlegmate nutriri, similemque humorem à capite Nicotianæ usu trahi, quo & ipsum alatur;

In vita sympt. sapient.

46. non eo inficias, maximè cum videam ipsum *Avicennam* pro iter facientibus, quibus inediam diutius sustinere aliquando conducit, aut fames solatium unde accipiat non habet, pilulas præscribere ex frigidis rebus, adipibus, & aliis unctuosis rebus confectas, quibus famem sic solentur, & diutius producant: quod etiam ex Græcorum *comment.* adnotavit *Rhodiginus*, famem scilicèt falli & obtundi, dum ore detinetur aliquid, quod exinaniendis humoribus crudis, qui caput infestant, inserviat, & in os ventriculi deducat. Scio *Sennertum* aliter hanc tabaci virtutem non phlegmati hoc modo deducto tribuere, & hanc sententiam impugnare, ex eo quòd pituita excrementitia sit, quæ attrahitur, & nutrire non valeat; quod verum est, sed hanc solum attrahi non verum, cum dulcis & naturalis etiam attrahatur, quam in sanguinem ulteriori coctione migrare testatur omnis medicorum schola, cum eodem Avicenna *lib.* 3. *fen.* 13. *tract.* 5. *cap.* 8. firmat Galenus 2. *de vict. rat. text.* 3. & 12. *meth. cap.* 3. *Aphor.* 1. *probl.* 82. cum aliis innumeris. Nam quod ait idem *Sennertus*, Nicotianam id facere, partim quòd sensus obtundat, partim quòd humores figat & ita disponat, ut non facilè dissipentur, tam incertum est, quàm illud primum certum:

Lib. 1. 3. doct. cap. 2.

Lib. 1. cap. 2.

47. nam licèt Nicotiana narcoticâ vim obtineat, quâ sensus obtundit & hebetat (sic enim antea somnum conciliare dicebamus) & hoc modo per novam spirituum regenerationem, & dum genitorum resolutionem per somnum prohibet, fami succurrat; tamen humorum fixionem causare, & illorum dissipationem cohibere non satis constat, & ad libitum dici videtur, tanquam ex spagyricorum inventis desumptum: oportebat quippe qualitatem assignare, quâ Nicotiana id facere potens sit, cum potius contrarium colligi videatur ex calida illius intemperie, & acrimoniâ, quibus ipsos humores attenuat, fundit, ac resolutioni aptiores reddit.

Sed quomodocumque sit, virtute harum herbarum aut pharmacorum prædictos ab-

abstinentes, non dies tantum aut menses, sed per annos plurimos jejunos fuisse, absurdum est putare, tum quia in nullo cognitum fuit; tum quia nulli simplici aut composito medicamento tanta vis à Creatore summo impertita fuit, ut sine novæ substantiæ productione deperditam restaurare valeat, cùm neque vitæ arbori, cujus esu homines immensùm duraturi erant, talem ac tantam prærogativam concesserit: illius enim fructus novam substantiam deperditæ loco substituebat, in hoc à cæteris omnibus distinctam, quòd nullo pacto resolutæ deteriorem, sed aut æqualem, aut certè meliorem corporibus tribuebat. Itaque fatemur illa pharmaca, aut plantas, ad horas aliquas, & ad unum aut alterum diem famem solari posse; quemadmodum de Betere, quâ Orientalis Indiæ Reges uti, dum gravibus negotiis occupati cibationis horas differre coguntur, narrat *Ferdinand. Mendes Pinto*, quod facilè credi potest: sed quòd tam longo tempore alimenti necessitatem supplere valeant, ridiculum est & planè incredibile.

In hist. Chinæ.

Cùm ergò in rebus externis diuturnæ hujus inediæ causam aliquam, quæ sufficiens videretur, inveniri posse non crederent, intùs in homine eam quærere conati sunt. Excogitârunt igitur aliqui in ipso corpore aliquarum partium substantias fundi ac colliquari posse, ut sunt adeps, pinguedines, & secundæ aliæ humiditates; ex quibus colliquatis, & cum aliis humiditatibus mixtis, iterùm sanguinem novâ coctione accedente generari posse arbitrati sunt. Sed hæc opinio facilè rejicitur, quòd substantiæ illæ licèt colliquentur, in ventriculum non tendunt, ubi in chylum iterùm mutentur, ac deinde in sanguinem abeant; sed per corporis ambitum dispersæ aut resolvuntur, aut aliquo modo evacuantur; quòd si detineantur, putrescunt, & nutritioni quomodocumque fiunt ineptæ.

Fuit itaque receptior, ac multorum opinio, qui existimârunt hujus eventûs causam potiorem nullam aliam fuisse quàm pituitam & crudum succum in corpore redundantem, cum naturalis caloris debilitate, cujus ratione crudus ille humor magis indies multiplicatur; qui cùm ob debilis caloris exiguam vim absumi non possit, ad nutriendum hominem diu sufficere posse statuunt, absque eo quòd aliud alimentum accedat, præsertim si cutis densitas adjungatur, ob quam etiam paucissima fit evaporatio & resolutio: nec aliter ajunt glires, taxos, marmotas, crocodilos, ursos, hirundines, & antedicta omnia illa animalia quatuor aut quinque hiemis menses in latibulis jejuna degere. Sic plantas non paucas è terra erutas multos menses & annos durare & germinare, ut sunt cepæ, allium, semper-viva, faba inversa dicta, aloë, propterea semper-vivum marinum ab aliquibus dictum, & hujusmodi plurimæ aliæ, quæ humorem multum & crassum habent viscidumque, quo marcori & siccitari plurimùm resistunt, caloremque insitum paucissimum; ideò terrâ evulsæ diutissimè vivunt, ut aloë, quod in aëre suspensum per annos integros non virescere tantùm, sed germinare conspicitur: unde mirum non esse haud immeritò putant, homines in quibus calor exiguus & imbecillis, humores verò multi crudi, frigidi, crassi, lentique reperiuntur, qui non solùm resolutioni resistant, sed caloris quoque vim infringant, diutius jejunos vivere posse, ut tenent *Joubertus*, *Grevinus*, *Langius*, & *Rhodiginus* cum *Alberto Magno*, & alii, *Avicennam* hujus asserti patronum suscipientes, qui *lib.* 1. *doct.* 4. *cap.* 1. & *lib.* 3. *fen.* 13. *tract.* 5. *cap.* 8. pituitam in defectu alterius alimenti hominem nutrire posse docuit; quod tanquam receptissimum amplexantes diuturnæ abstinentiæ causam prædictam statuerunt, tanto auctore, & dictorum animalium plantarumque similitudine innixi.

Video tamen hanc opinionem juniorum doctissimis aliquibus non arridere, & hanc diuturnæ inediæ veram causam non esse tenent Horstius *decade* 5. *quæst.* 7. & Sennertus citatus, qui licèt in animalibus aliquid hujuscemodi accidere posse non negent, tamen in homine locum non habere ajunt, ut ex tali causa tantam inediam sustineat. Probant primò quòd non omnes, qui sine cibo vixerunt, pituitoso succo abundâsse repertum sit, cùm aliqui neque corpus tumidum, nec præcordia aut crura inflata habuissent, sed ventrem potiùs contractum, & corpus emaciatum. Secundò, quòd multi ex febribus acutis in tantam inappetentiam devenerunt. Tertiò, quòd si ita foret, senes plerumque in hujusmodi affectum incidere deberent, cùm pituitâ abundent, & debilem calorem habeant.

Sed

Sed ad has objectiones respondere difficile non est. Ad 1. dicimus hanc causam non fuisse omnibus communem, ita ut ex aliis accidere potuisse negemus; sed in aliquibus tantùm, præsertim in illis, qui somnolenti erant, desides, pigri, & immobiles, in quibus etiam nares muscido humore destillabant, quod in aliquibus observatum est: & hanc fuisse in bona illorum parte præcipuam causam, videtur ostendi ex eo quòd abstinentes, de quibus historiæ narrantur, puellæ fuerunt, ut notat *Grevinus*, in quibus naturalis temperies & calor multò quàm in viris debilior est, & propterea pituitosi humoris redundantia major. Ad 2. dicimus nil concludere ex eo, quòd ex febribus & morbis acutis in illam abstinentiam aliqui devenissent; quia ut notissimum est, ex talibus morbis ob immodicam caloris præternaturalis vim sæpiùs naturalis & innatus resolvitur, & in contrarium affectum fit mutatio, ita ut in hydropem non raro & in frigidos alios morbos incidant. Ad 3. respondetur primò, senes licèt frigidum temperamentum sortiantur, in talem tamen inediam non devenire, quia tale temperamentum ipsis & illorum ætati naturale est. Secundò, quia illorum siccitas humiditatem contemperat. Tertiò, quòd morbi plurimi non omnibus ætatibus conveniunt, & hæc affectio fortassis senum naturæ est improportionalis, cùm plerumque in junioribus puellis accidisse ex ipsis historiis constet. Quartò, quòd licèt pituitâ abundent, excrementitia tamen est, & minimè dulcis, sed salsa est & acris, & ad hoc ut in sanguinem vertatur & nutriat inepta; & quòd talis sit evidenter ex illorum vigiliis probatur, qui ob pituitosi illius excrementi acrimoniam & salsedinem insomnes sunt, & vigilare coguntur. Quare hæc opinio non omninò contemnenda.

Lib. de nen. cap.

50.

13. Opinio.

Cardanus multò ab his diversam opinionem habuit, & prædictæ abstinentiæ causam humorem melancholicum statuit, eo solo argumento ductus, quòd aliquos ex illis, qui in historiis narrantur, melancholicos fuisse visum sit, ut in illo, de quo *Alb. Magnus*; quin & aliquos ratione istius humoris deliros fuisse observatum fuerit: verùm non quemcumque humorem melancholicum hoc causare posse scribit, sed illum tantùm, qui à crassis & frigidis aliis humoribus generatur. Sed cum istius opinionis nullum aliud fundamentum afferat, nisi aliquos illorum, qui diuturnam inediam passi sunt, melancholicos fuisse, meritò à *Sennerto* rejicitur, nisi diverso alio modo intelligatur, quòd humor melancholicus humores alios alimentitios ita suâ aciditate disponat, ut caloris actioni resistant, & resolvi difficillimè possint; quâ explicatione *Sennertus* Cardanum in suam opinionem trahit: nam aliter humorem melancholicum diuturnæ abstinentiæ causam statuere meritò refutat, cùm potiùs melancholico succo abundantes voraces sint & maximè appetentes.

Lib. 8 rer. var. cap. 4

51.

Sed post tot causas, quæ investigandi desiderio à quamplurimis in dubio hoc negotio propositæ sunt, restant adhuc illorum opiniones, qui aliis neglectis circà nutritionem versantur, ibidemque cæteris anteponendas hujus inediæ causas tanquam certiores statuunt; in quo dicendi modo tripliciter à diversis auctoribus tam rari eventûs causa assignatur, quorum tamen judicia suis licèt difficultatibus non careant, magnâ tamen ingenii acutie excogitata videntur: & certè si aliquid inveniri potest, quod ingeniis inquirendi tædio fatigatis lucem & quietem afferat, in nulla alia ex adductis opinionibus probabilius aliquid invenitur, quàm in his, quæ modo sequuntur. Josephus Quercetanus *in diætet. Polyhist. cap.* 3. existimat, ideò hujusmodi abstinentes nil appetendo & absumendo nihilominùs vivere posse, quia membra ciborum attractioni & alterationi destinata, coagulata atque exsiccata fuerunt, à fæcibus tartareis densis ac spissis, quibus circumquaque intestina involvuntur, unde tamdiu appetitus omnis auferatur; quare illa membra velut emortua saltem in actionibus naturalibus manere ait, ita ut officio suo non fungantur, nec ad se alimentum attrahant. Assumit in exemplum infantis illius historiam, qui in materno utero in lapideam substantiam conversus est, sicque citrà sui aut matris corruptionem tamdiu in utero matris permansit, cujus aliàs in hoc opere mentionem fecimus; quam historiam latiùs videre poteris apud Augenium *ad finem lib. 2. de hominis partu*, & apud Sennertum *lib. 4. p. 2. sect. 4. cap.* 8. Schenckium, & alios plures. Porrò vitam non coöperantibus membris concoctioni primæ & secundæ dicatis superesse posse demonstrat idem auctor ex eo, quòd potissimæ corporis partes, in quibus vita præcipuè sedem habet, cor videlicèt, pectus, & caput, in hujusmodi hominibus admodum vividæ fuerint; ita ut ratione similitudinis easdem spiritu & aëre foveri nutririque posse à veritate non videatur

14. Opinio.

52.

deatur dissentaneum, cùm planum sit apud medicos aëre per inspirationem occultam & manifestam attracto, substantiam nostram refocillari, restaurari, & conservari; quâ ratione odores, quorum aër vehiculum est, celerrimè vires confortare dicuntur. Quam tandem opinionem Greg. Horstius *decad.* 5. *quæst.* 57. aliis verisimiliorem judicavit.

nio. 3.

Ab hac sententia non multùm distat Licetus *lib.* 3. *de his, qui sine cibo vivunt*, qui licèt causam illam de membris coagulatis & exsiccatis non afferat, nutritionem tamen in illis omnibus cessâsse ait; hanc autem vitâ durante & diu permanente cessare posse, probare conatur multis adductis exemplis tam plantarum, quàm animalium, quæ sine cibo diu permanent, de quibus suprà mentionem jam fecimus; arbores quoque addit, quas totâ hyeme nutritione carere communis docet opinio: de quibus omnibus nutritionem in illis, manente vitâ, cessâsse ait, quod nullo modo tam respectu animæ, quàm corporis judicat impossibile. Quæ tamen omnia Sennertus, Horstius citati, & Paulus Zacchias *lib.* 4. *quæst. med. legal. titul.* 1. *quæst.* 7. meritò rejiciunt, nullo quippe modo in medicina concedi potest, quòd animalia nutritione omninò cessante diu permanere possint; nec illa, quorum exempla affert, tam plantas quàm animalia, omninò non nutriri aliqua ratio, aut auctoritas docet, sed frigidis ac crassis eorundem succis ali dicuntur: & licèt aliquo modo à nutritione otiarentur, non ideò similiter in homine facilè idem concedi poterât, cùm illius perfectio tantum alimenti defectum non ferat, ut leviter idem *Licetus* existimavit. Deinde causam ullam præternaturalem, ob quam talis nutritionis cessatio in homine introducatur, non affert, quàm certè debebat assignare; quod cùm non fecerit, nequaquam illius opinio admittenda est, cùm nullo fundamento nitatur, & evidentibus medicinæ principiis contraria sit.

4. nio.

Itaque postquam *Sennertus* prædictas omnium opiniones percurrisset, nec ullam istius rarissimæ inediæ causam ex adductis satis congruentem judicaret, tandem omnium postremus aliam excogitavit, quam cæteris omnibus probabiliorem existimat. Tenet igitur prædictos abstinentes ideò tam longo tempore omni alimento carere potuisse, quia instaurationis & nutritionis nullam necessitatem habuissent; non quòd nutritio in illis cessaverit, ut *Licetus* putavit, nec quòd membra nutritionis coagulata fuerint, atque ita attrahere alterareq; alimentum non possent, sed quòd humores, qui nostrum corpus conservant & alunt, in eam dispositionem devenerint, ut à calore absumi non possint. Ad suæ sententiæ confirmationem verissimum illud supponit de nutrimenti in corpore necessitate, ut illud quod quotidie absumitur, reponatur & instauretur; quæ tamen absumptio & resolutio tam ex caloris operatione fit, quàm ex materiæ dispositione, quæ actioni caloris obediens ab illo superatur, & resolvitur: quibus sic statutis ait, ideò corpora aliqua hâc novâ materiæ repositione non indigere, quia substantia illa & humores, quos continent, in talem venerint dispositionem ut absumi & resolvi non possint, licèt fortis, aut debilis calor sit; quia materia taliter disposita est, ut illius actionem citrà sui deperditionem ferre posit, aut saltem non nisi diu ab illo resolvatur: quo fit ut cùm nulla accidat resolutio, aut sanè pauca, diu etiam deperditæ substantiæ restaurationem, & novæ defectum sustinere valeant. Et quòd hoc posibile sit comprobare nititur exemplo ex lucernis illis antiquorum petito, quæ Romæ & aliis in locis repertæ sunt, quarum flamma aliquot sæcula jam duraverat, ignis actione non deficiente, & materiâ taliter dispositâ illius vim citrà insignem jacturam sustinente; ut visum est in illa, quæ in monumento Max. Olibii in agro Patavino reperta est, & jam annos 1500. arsisse ex annorum computatione compertum est, ut Appianus *in antiquitatib.* scribit; cujus etiam mentionem faciunt Hermolaus Barbarus *in Dios. lib.* 5. *cap.* 849. Lud. Vives *in lib.* 12. *de civit. Dei D. Augustini*, & Langius *epist.* 52. *tom.* 2. quod etiam verum fuisse testatur Gesnerus *lib. de lunariis herbis*: omnes hujus rei testes locupletissimi, & à colono ajunt inventam sub lateritia crepidine non longè ab oppido Ateste diruta, ut latiùs in *musæo metallico* tradit *Aldrovandus* ex Porta 10. *magiæ nat. cap.* 13. urnâ hexastico decoratâ, infrà quam minor alia occultabatur, tali inscriptione insignita: *Maximus maximo Plutoni hoc sacrum fecit.* Temporibus quoque Henrici II. Imp. historiæ ferunt Romæ Pallantis gigantis cadaver inventum, quod spatio mille annorum sub terra jacebat, hoc epitaphio decoratum: *Hîc jacet Pallas Evandri filius, quem lancea Turni militis interfecit.* Et juxtà caput lucerna ardens, quæ nullâ aquâ vel vento

ne lo- sex- biles. 5.

Lib. 2. c. 3.

to extinguebatur, sed subtùs perforata aëre ingrediente lumen amisit. Sedente Paulo III. aliud sepulchrum inventum, in quo etiam lucerna reperta est 1500. annos jam incensa, quæ statim aëris adventu extincta est: fuisse hoc monumentum Tulliæ filiæ Ciceronis scribit *Pancirolus*, sed Lacuna *in Diosc. lib.* 1. *cap.* 13. ubi de hoc mentionem facit, non Tulliæ, sed Mariæ Arcadii & Honorii Imperatorum sororis, & Stiliconis uxoris fuisse, & in Vaticano inventum ait; ubi cum pretiosis aliis multis verum quoque cinamomum inventum tradit, cujus frustulum apud se habere gloriatur: detectum porrò fuit monumentum circà annum 1345. de quo *quæst.* 34. *num.* 28. jam meminimus, ex *Zirbo*, qui ipsum Tulliolæ cadaver vidisse ac tetigisse scribit *in sua Anat.* Similiter & in aliis sepulchris hujusmodi perpetuæ lucernæ inventæ sunt; ut de alia in Neside insula anno 550. tradit *Porta*; & aliam Bononiæ in ædibus D. Laurentii propè templum D. Jacobi, in sepulchro quodam aperto splendentem, se adhuc puerum vidisse scribit *Aldrovandus*. Putabant quippe Prisci quòd sicuti cineres in sepulchris condebantur, ita & anima ibi quiesceret, & ne tenebræ illi tædio essent, maximo studio laborârunt talem ibi excitari lucem, quâ animæ perpetuò fruerentur: quin & ad Christianos quoque hujusmodi ritum penetrâsse non desunt qui affirment, quibus mos erat suas lucernas ab Ethnicorum lucernis distinguere addita lit. P. quæ nota Christianorum erat, quâ Christum, vel pro Christo significabant. Tandem ex tali materia, aut liquore in fanis veteres lampades accendebant perpetuò duraturas; quâ ratione refert Pausanias *in Atticis* lucernam auream Athenis in ædibus Minervæ positam, cujus oleum semel infusum in annum durabat, cùm tamen diu noctuque arderet: & *D. August.* fani Veneris meminit, ubi lucerna sub dio ita ardebat, ut nullus imber, nec ulla tempestas illam extingueret; & ad Ezechielis quoque sepulchrum lampadem aliam perpetuò arsisse asserit Benjaminus *in suo itinerario.* Quænam verò fuerit hujus olei materia, & ex quo hujusmodi candelæ pararentur, ut perpetuò durare, aut per tam longum tempus potuerint, multa multi tradunt; de quo vide citatos *Langium*, *Pancirolum*, *Aldrovandum*; & præcipuè *Hieronymum Ruscelli*, in egregio illo opere, Italicè scripto, cui titulus est *Le imprese illustri*; res enim adeò incerta est, quàm illud certum, artem illam lucernas illas parandi deperditam fuisse, & in hujus temporis hominum notitia non extare; quidquid aliqui hoc demonstrare conati sint.

Lib. 1. morab. titul.

56.

Lib. 2 Civit. cap. 6.

Itaque ut ad *Sennert.* redeamus, putat ipse, quòd quemadmodum hujusmodi lucernæ ex materia naturâ aut arte sic confectæ reperiebantur, ut vim ignis illuderent; ita corpora illorum tantum jejunium sustinentia, ex aliqua dispositione peculiari, ad illam humorum fixionem devenire potuisse, ut caloris naturalis actionem sine dispendio ferrent, pabulumq; illi citrà consumptionem subministrare; quod impossibile non judicat ex eo, quòd chymici res plurimas suâ arte eò deducere promittant, ut minimè aut non facilè inflammentur. Sed hoc sanè, ut acutè excogitatum fatear, possibile haud existimaverim; quapropter nec prædictam doctrinam, nec illius fundamentum recipere possum, cùm multis difficultatibus non careat, ex quibus prædictum dicendi modum & opinionem nequaquam huic dubitationi satisfacere non difficulter colligere possumus: nam si in illis corporibus humores ita dispositi essent, ut caloris viribus resolvi non possent, sequeretur statim, toto illo tempore nil ab eisdem corporibus humidi radicalis, aut corporis substantiæ disperdi; ac per consequens illa hominum corpora per idem temporis spatium, quo sic permanebant, senescere non deberent, sed in illo statu pueritiæ aut adolescentiæ manere: hoc verò in nullo illorum observatum fuisse narratur, cùm tamen aliqui 10. 20. 30. annos sine cibo fuisse dicantur; quin imò majori ex parte corpora illorum erant exsiccata, consumpta, rugosa, & emaciata, ita ut propriæ substantiæ deperditionem & restauratricis defectum probè ostenderent. Deinde vel illa corpora ab illis humoribus quomodocumque dispositis nil alimenti assumebant, vel aliquid mutuabant: si primum, ergò cessavit nutritio, quod adversùs *Licetum* impossibile esse probabat *Sennertus*: si secundum, ergò jam à calore humores illi alterabantur & vincebantur, quia aliter quàm per caloris actionem disponi non poterant, ut ex ipsis fieret transmutatio, transumptio, ut in nutrimentum & partium deperditarum restaurationem abirent. Tertiò illa candelarum repertarum exempla omninò non conveniunt cum corporum nutritione; nam in illis solùm desiderabatur ardentis ignis perseveratio, cui materia illa pabulum citrà sui consumptionem & resolutionem præstabat; in nostris verò corporibus non solùm

57.

re-

requiritur pabulum quo calor naturalis alatur & sustentetur, sed ulteriùs multa requiruntur, novæ nempe substantiæ restauratio, quæ loco deperditæ continuò succedat, spirituum regeneratio, sine quibus vita non permanet; & cùm ob sui tenuitatem facillimè resolvantur, assiduam & intermissam generationem expostulant, alioquin ad illorum defectum statim linquitur animal: ergò licèt humidum illud taliter figeretur, ut difficilè à calore resolvi posset, adhuc pro sui nutrimento partes substantiam optarent; alioquin calor in illis permanere non posset. Nec obstat quòd *Sennertus* instare posit, per eandem resistentiam, quâ fixi humores caloris resolutioni reluctantur, corporis quoque defluxui obstare, ut non facilè consumptio & resolutio fiat: nam ex his sequeretur quòd nutritio cessaret, ut suprà dicebamus, quod auctor non admittit. Quartò, non desunt, qui in illis candelis aliquid magicum & superstitiosum fuisse dubitent, ut facit *D. Augustinus*. De lucernis enim magicâ vi durantibus, quæ nihil materiæ comburerent aut absumerent, multa apud Delrium *lib. 3. disq. mag. part. 1. quæst. 2.* Quintò, illud quod ait de chymicorum efficacia, qui res suâ arte facere promittunt, quæ ignis inflammationi resistant, illorum jactantia est, & de illis, quæ semper promittunt, & nunquam præstant. Minùs etiam concedi potest alterum quod statuit, humori scilicèt melancholico tantam inesse efficaciam, ut succos alios ita disponere possit, ut resolvi à calore non valeant: eadem quippe ratione hoc admitti non debet, quâ ipse utitur, cùm pituitosos frigidos ac crassos humores toto illo longioris inediæ tempore corpus alere posse non recepit; quia si ita esset (ait) senes, qui prædictis humoribus abundant, frequenter in talem ciborum abstinentiam inciderent: à pari ergò cùm videamus infinitum hominum numerum, in quibus melancholicus succus abundantissimè redundat, in talem inappetentiam non devenire, vanum erit talem vim huic humori tribuere; de quo econtrà verissimum esse omnes medici confirmant, eum appetentiam excitare, & inexplebilem famem continuò facere. Fateor melancholicum humorem, & substantiam quæ ex illius parte generatur, & proportione illi respondet, respectu aliarum difficiliùs resolvi, & diutius permanere, ob terream & crassam frigidamque substantiam illius, quâ caloris actioni non ita promptiùs obedit: ita ligna alumine illita vehementiæ ignis aliquatenùs reluctantur, sed tamen cremantur; juniperi carbones ignem diutiùs conservant, ut ad annum usque duràsse aliqui tradant, tandem tamen paulò post quàm alii ex aliis lignis confecti in cineres vertuntur: hoc pacto etiam humori melancholico accidit, ut demum à calore superetur, vincatur, & absumatur; quô minùs alios sibi commixtos taliter insuperabiles reddere posse putemus, quod mihi nullus persuadere posit, ut paradoxum hoc credam. Quare *Sennerti* sententiam *Horstius* citatus, licèt tanquam amicus non impugnet, tamen non recipit, & doctioribus examinandam relinquit.

Lib. 21. de Civit. Dei. Cap. 6.

Igitur post tot jam adductas opiniones arduum est aliquid invenire, quod tantæ difficultati lucem afferat, & inquirendi labore fastiditis consonum videatur: quarè cum doctissimo *Scaligero* adversus *Cardanum*, dum individualium & specialium causas se ignorare ingeniose fatetur, non erubescimus dicere, intellectui humano adeò sublimi & glorioso impositum esse terminum, ultràquem impossibile est ipsum pertransire; prudentissimè enim ait, *Veram sapientiam esse nolle nimis sapere*; dicente etiam Tullio: *In re nova & admirabili investigato, si potest; si nullam reperies causam, illud tamen exploratum habeto, nil potuisse fieri sine causa; eumq́; errorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione depellito.*

Exercit. 307. 29.

Sed ne asymbolus hinc recessisse videar, excogitatam aliam à nobis diuturnæ hujus inediæ causam offerre placet; non quòd aliis vel præstantiorem esse, vel à tot peritiss. ingeniis nondum agnitam ego assequi posse præsumam, sed ut cæteris ulteriùs progrediendi & investigandi appetitum acuamus: forsan post tot propalatas auctorum sententias aliquis abstrusi hujus eventûs veritatem rimabitur, quæ tantæ difficultati finem imponat, & studiosorum ingeniis undequaque pro illa invenienda incumbentibus quietem afferat. Scopum enim licèt multis attigisse non videamur, in magnis tamen voluisse satis semper visum est, sed majus conari; ardua siquidem affectantibus non fuerit indecorum, quando in apice non valemus, secundo aut tertio conspici fastigio.

Dicimus ergò prodigiosæ istius inediæ, si naturalis est, causam esse caloris naturalis à corde influentis exstaticum quendam statum (liceat ita loqui) aut suspensionem

nem si libet appellare, in quem idem calor ex actione aliarum qualitatum & causarum præternaturalium devenit, cum notabili sui deperditione & remissione, ob quam in propria sphæra, nempe in corde, velut circumscriptus manet, ad reliquum verò corpus aut nil, aut certè parùm se diffundens; unde in ipso corde, & partibus præcipuis & vicinioribus modicè adhuc officia sua præstat, ut pro vitæ debita ratione in bono statu illas conservare possit, reliquis interim aliis corporis partibus ab illo influenti calore quodammodò destitutis, quo mediante opera sua conficiebant, & actiones suas naturales, attrahendi, concoquendi, expellendi, & resolvendi exequebantur: quare illo privatæ, aut paucissimum recipientes, in suis actionibus aut deficiunt aut claudicant; ita ut quasi mortuam quandam vitam degant, & in operationibus suis consueta munia cogantur intermittere ac suspendere: quo tempore nativo ac insito calore tantùm fruentes minùs sic attrahunt, ac minùs etiam multò quàm anteà de propria substantia resolvuntur. In qua sanè dispositione pro re nata cum novæ substantiæ nil attrahant, ex humiditatibus in corpore redundantibus, quæ tunc etiam ob caloris inopiam subcrescunt, per longum tempus nutrimentum necessitate compulsæ assumunt, paulatinâ admodum successione ad id quod parcisimè resolvitur, succedentibus, & à partium indigentia & siccitate attractis, quas diuturnitate languidus calor disponit, ut tandem nutritioni aptę reddantur partium pręsertim indigentiâ non urgente, cùm paucissima & tardissima fiat illarum resolutio, ut dicebamus. Ita in plurimis istorum visum est, ex febribus & aliis diuturnis morbis hanc inappetentiam ortam fuisse, in quibus tantam caloris naturalis influentis jacturam conjectare licet. Nec est quod aliquis dicat, quòd oporteret tunc, ut deficiente in reliquum corpus caloris influxu, lypothomiam aut syncopem adesse perpetuam, quia ad talis influxûs defectum morbi illi statim sequi solent; præterquam quòd etiam videtur, deficiente ad partes corporis cordis influxu, ipsas vivere non posse, imò tunc gangrænam, & sphacellum citò adventuram: facilè enim respondetur, hoc in illis non evenire, quia pro cordis & principalium partium fulcimento sufficiens caloris & spirituum copia in illis remanet & generatur; aliter quàm in syncope & animi deliquiis accidit, inquibus non solum retractio caloris & spirituum fit, sed in ipso corde illorum maxima ac repentina resolutio, ita ut illis deficientibus non solum pro aliis partibus, sed etiam pro ipso corde in virtute & viribus suis conservando sufficientes non restent, quo fit ut statim concidat: aliter verò modo à nobis dicto, in quo pro cordis robore, & conservatione necessaria caloris & spirituum copia remanet & invenitur: præterquam quòd in syncope, ut accidat, spirituum celerrima fit resolutio; in his verò ideò non accidit, quia resolutio adeò sensim fit & paulatim, ut defectus non sentiantur, nec noxa ulla sequatur, quæ syncopem inducat. Nec etiam in tali casu gangræna oboritur, quia hæc non nisi calore partium nativo à causis illum corrumpentibus aut suffocantibus destructo fieri potest; quibus deficientibus calor nativus & insitus integer manet, & minimè destructus, tantumque in actionibus debilis redditur ob influentis defectum, qui partium illum innatum adjuvat & velut in actum reducit, ut commodè opera sua præstare valeat: præterquam quòd aliquid prorsùs influere non negamus, sed tamen parùm; quatenùs ad vitam sustentandam sufficit, non ad operationes, quemadmodum in paralysi fit; in qua licèt animalis facultas ad partes illas resolutas non influat, aliquid tamen sensûs plerumque restat, vel ex facultate in musculis & nervis remanente, vel ex aliquo animalis virtutis influxu, licèt admodum parvo, qui adhuc partibus illis communicatur: ita ex vitali facultate aliquid impertitur, quod ad calorem innatum vivificandum sufficiat, non verò ad operationes perficiendas sit potens. Ita animalia frigidissima totâ hyeme ob defectum à corde communicatum torpida & immota manent, & fortassis ob cerebri etiam virtutem non omninò communicatam; & tamen vivunt, quia cùm ex sua natura frigida sint, & poros habeant adstrictos, vere appropinquante dilatantur, & influxum interdum recipientes ad motum alacriora redduntur, & cibum appetunt, calore ipsorum iterum vivificato, & alimentum consumente, quo fit ut novo indigeant. Ita forsan & in nostro casu evenire posse non abs re putandum; impossibile quippe non est, ut sicut illud in horum universali natura ob illorum particularem evenit, ita in universali humana ratione acquisitæ temperiei & dispositionis aliquid particulare contingere, quod à communi variet, & à quo aliquid notatu dignum resultet. Sic multa admiranda in particularibus ob-

61.

ser-

servata sunt, quæ nos in stuporem rapiunt: sic forsan quod de Leucomoris narratur (si verum est) accidere suspicabimur, cum quod hîc particulare est, illis velut commune esse possit ob regionis immodicam frigiditatem, quæ hyeme maximè vigente torpidos illos, ac velut emortuos reddat; quousque calore iterum redeunte, dilatatisque venis & ductibus, per quos cerebri & cordis virtutes influunt, ad motum & sensum redeant, discussaque caligine, qui antea torpescebat calor influat, totumque irriget corpus, suscitet, ac vivificet, & illius facultates ad consueta opera redeant, ad quæ peragenda anteà sufficienter non communicabatur, licèt ad vitam sustinendam parum influeret. Ita in nostris abstinentibus evenire conjectare poterimus, qui licèt non immobiles, nec tanquam mortui jaceant, languidi tamen, inertes, ac torpidi plerumque manent totum illud tempus, quousque contrariis illis qualitatibus & causis, à quibus calor naturalis enervatus & velut per antiperistasim quandam retractus fuerat, jam devictis & superatis iterum à corde influens se per totum corpus expandat, & quemadmodum solis radii discussâ nebulâ in universum corporis orbem se diffundat, quo iterum partes illius absentiâ & alimenti defectu marcescentes, ad consueta munia redeuntes, officia sua & facultates exequantur, fortiusque attrahendo & resolvendo novam substantiam uberius requirant, unde in antiquam appetentiam iterùm deveniant.

Video hunc dicendi modum gravibus difficultatibus non carere ut propterea non dubitem scrupulosè plurimos hanc explicationem recepturos; sed in re admirabili, & extrà communem naturæ ordinem eveniente, ferendum est causam quoque aliquam asignare, quæ à communium norma plurimùm distet, ut cum effectu suo quem parit convenire posit. Quæ si minus adhuc placent, & cuique licet liberè judicium proferre, crediderim ego in raris istis abstinentiis non unam in omnibus causam fuisse: nec enim *Sennerto* assentior, qui determinati hujus effectûs determinatã causam esse debere ait, quasi velit unam & eandem semper in omnibus dari; quod mihi non placet, quia illud tantùm verum est, ubi effectus cum omnibus suis circumstantiis eodem modo semper evenit; quod multò aliter in corporum præternaturalibus affectionibus videmus, quorum cùm effectus iidem videantur & affectiones eædem, à diversis tamen causis oriuntur, & aliquando à contrariis, unde maxima subest medicinæ difficultas, & ardua omnium conjectura, quæ non rarò laboriosè assequitur. alioquin si ægritudinum peculiaris & unica uniuscujusque foret causa, dubia haud foret ars, nec auxilia adeò forent incerta, ut econtrà sæpiùs experimur, ob causarum varietatem, quæ aliquando nos latent. Itaque constanter assero, non unicam & peculiarem, sed variam ac multiplicem istius inediæ causam esse, pro naturarum, ætatis, temperamenti, & præternaturalium advenientium diversa conditione; nam præter miraculosum eventum, quem ab hac classe sejungimus, non pauci ob consuetudinem paucorum dierum inediam sustinere potuerunt, puta ad 4. 7. aut 9. diem, & forsan ad plures, paulatim cibum detrahendo, & ad longius tempus assumendo: quanta enim sit consuetudinis vis, *Galenus* & plerique docent, nemoque non novit venenis etiam naturam assuefieri posse, ut ex illis quæ communiter deleteria sunt & mortifera aliquis nutriatur; aëre etiam alios ali potuisse suprà ex *Marcello Donato* & *Quercetano* diximus, qui non levibus rationibus hoc approbant. Quare illos in quibus major corporis agilitas & siccitas conspiciebatur, & nulla excrementa visebantur, aërem pro cibo habuisse optimè conjectare posimus: aquâ verò eos, qui illius potu utebantur, in aliorum alimentorum defectu nutritos fuisse ex plurimis adduximus; quidquid alii contradicant. In re enim dubia, & cujus causa non ita facilè innotescit, illud tenendum est, quod experientiâ comprobatur; quod cùm in aliquibus visum fuerit, ut solâ aquâ diutiùs vixerint, certè non video quarè hoc admitti non debeat, cùm præsertim nutrire aliqui teneant; multò minùs cur *Sennertus* communem *Iouberti*, *Langii*, & aliorum sententiam non recipiat, dum pituitam, frigidosque ac crassos humores, cum summa caloris remissione conjunctos, illo indigentiæ tempore in sanguinem & partium substantiam converti statuunt, multisque animalium & plantarum exemplis confirmant, quas ex simili materia nutritionem suscipientes diu persistere ac vivere certum est. Quapropter hanc communiorem hujus eventûs causam esse plerique receperunt, ut in multis apparuit, qui pigri, desides, immobiles, & somnolenti conspecti sunt, eisdem frigidis & mucosis succis per naturales corporis vias satis se ostentantibus. De cæteris opinioni-

bus *Quercetani* convenientiorum cum *Horstio* judicamus; de quibus omnibus doctiorum judicium esto, quorum decretis stare promitto; sed unam in omnibus causam ac eandem esse debere, nec certum nec verum judico. De quo jam satis.

Circà venena, pulchra quædam & scitu digna.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMANONA.

Gallica Lues an sine contagio oriri possit: & an coitus frequens illam causare valeat, licèt in coëuntibus nullo modo anteà fuerit? Obiter an hic morbus quotidiè magis mitesca, ita ut quòd omninò finiatur sperari possit?

Siquidem in voluptuosæ Veneris deliciosis pomœriis tam latè ac jucundè in præcedentibus sumus spatiati, mirabitur nemo ex damnoso illius contactu nos quoque scabiei Gallicæ aliquid contraxisse, quam modò scalpere & paululum fricare etiam nunc permittendum est ac condonandum: & ut de nomine aliquid dicamus, notissimum est variis nominibus hunc affectum insigniri; frequentissimè enim *Gallicus morbus, Lues Gallica, morbus Neapolitanus*, ab aliquibus *Hispanus*, propriissimè *scabies Venerea*, & *lues Venerea*, quòd coitu & Veneris usu contrahatur plerumque; ideò à Fracastorio *Syphilis*, quasi concordiæ & amicitiæ Venereæ partus, ab aliis non immeritò *Serpigo Indica*, quia ab Indis in Europam defluxisse credebatur: quare etiam *Pua* dixerunt aliqui, quòd ab Indis sic appelletur; unde judico apud Hispanos nomen *Bubas* mutato *p* in *b*, inditum fuisse, quia & *Bugam* ab ipsis nominari aliqui scribunt; nisi dicamus hoc vocabulum *Bubas*, à bubonibus in hoc morbo erumpentibus, & à pustulis quibus totum corpus non rarò fœdatur, quas Hispani *Buas* appellant, originem accepisse; quod consonum magis videtur, cùm & apud Plinium *lib.* 24. *cap.* 8. & *lib.* 26. *cap.* 11. *Boa* morbus dicatur, ubi papillæ per corpus dispersæ rubent, quod in hoc affectu frequenter accidit. (1.)

Ex innumeris igitur difficultatibus, quæ circà petulantissimam hanc luem à medicis inquiruntur, paucas tantùm placuit discutere; quæ si non ad praxis utilitatem facere multùm videbuntur, curiosis tamen & indagandi cupidis non pœnitendam sciendi delectationem præstabunt. Est ergò prima, an sine contagio ex frequenti coitu Gallica infectio oriri possit? & in primis an morbus novus sit, obiter studiosorum gratiâ inquirendum. Constat siquidem per omnes ætates novos hominum generi repullulâsse morbos, quos anteà non conspectos auctores adnotârunt: & ut ab antiquioribus incipiamus, non paucos enumerat *Plinius*, quos circà sua tempora primum habuisse ortum scribit, Mentagram scilicet, quæ Tiberii principatu irrepsit in Italiam, quam & Lychenas græco nomine appellârunt; quin & carbunculum L. Paulo, & Q. Martio Censor. primùm venisse in annalibus scriptum refert. Sic elephantiasim antè Pompeii Magni ætatem non accidisse memorat: quin & alium Gemursa dictum, in pedum digitis nascentem ibidem annumerat; Celsus *in præfatione* carnem ex naturalibus partibus prolapsam & arentem, horrendum sanè & nunquam aliàs visum! ægram enim (quemadmodum de mentagra & gemursa ait *Plinius*) citò exstinxit; sicuti ille, quem Crateri medici servum passum fuisse narrat *Porphyrius*, cui carnes ab ossibus novo morbi genere abscedebant. Forsan his annumerandi Scolotirbe, Scorbutus communiter dictus, de quo *Langius*, *Ronsæus*, *Echthius*, *Wierus*, *Forestus*, *Salomon*, *Albertus*, *Mathæus Martinus*, quos omnes *Sennertus* proprio illius morbi tractatu adjunxit: sudor Britannicus, de quo Gemma *lib.* 1. *Cosmocrit. cap.* 8. Dracunculus tibiarum, cujus curationem tradidit Avicenna 3. 4. *tract.* 3. *cap.* 21. & Avenzoar *lib.* 2. *tract.* 7. *cap.* 20. Plicapolaca, de qua *Saxonia* proprium librum scripsit, & doctiss. Fonseca *lib.* 1. *cons.* 1. Nova lues Moraviæ, de qua Henricus Abra *epist.* 1. morbus Hungaricus, de quo apud (2.)

Margin notes: Lib. 26. cap. 1. — Libro de abstin. & anima.

Bal-

Balthas. Conradinum, & *Sennertum* luculenter satis tractatur 4. *de feb. cap.* 14. morbus Deliorum, apud Mercurialem 3. *variar.* 18. flatus furiosus, apud Albucasim *lib.* 2. *cap.* 13. morbus Brasiliensis *Vermis* dictus, de quo Zacutus 3. *praxis mirandæ cap.* 94. Alexius Abreu *in lib.* 7. *ægrit.* cujus historiam eleganter & doctè cum curatione Nierembergius *lib.* 12. *hist. nat. cap.* 34. prosecutus est. Mitto febrem stigmaticam puncticularem, quam novum etiam fuisse morbum non pauci tradunt. Sic etiam an morbus gallicus novus apparuerit in terris, lis inter medicos est, omnibus ferè id affirmantibus, ut apud Sennertum *cap.* 1. *de lue Venerea* abundè videri potest; licèt contrarium ut certum statuat Langius *tom.* 1. *epist.* 42. Valesius 4. *epid. textu.* 1. *&* 6. *ejusdem sect. & textu* 4. quem immeritò reprehendit Paschalius *lib. de morbo. gall. cap.* 2. *in scholio.* Nec enim interest, quod econtrà arguit *Sennertus* ægrotum illum ex 4. *epydem* ex cujus sympt. *Valesius* gallicatum fuisse infert, febrem adjunctam habuisse; quia licèt febris non sit de essentia morbi gallici, potuit tamen ex alia causa provenire: imò hâc lue affectos ad febres putridas paratissimos esse ob humorum putredinem & corruptelam, nemo non videt, & sæpissimè in praxi observatur. Quare illorum opinioni ego etiam accedo, qui veteribus cognitum jam fuisse statuunt; quod peritissimorum plerique multis convicti rationibus fatentur, ut faciunt Campegius *lib.* 2 *praxis. cap.* 12. Andr. Balcasar. *cap.* 1. *de morbo. gall.* Vigo *eodem lib. cap.* 1. & ex *Saliceti*, *Gordonei*, & *Tharantæ* auctoritatibus comprobat Dodonæus *in annot. ad Beneven. cap.* 1. quos auctores multò antè primam originem, quam huic morbo assignant, vixisse constat. Eodem loco *Ioan. Isaaci Pontani* dilucida comprobatio ex illius observat. præfigitur, in qua à citat. auctoribus *Celso* & *Martiali* antiquitus cognitum fuisse eximiè probatur, quod argumentum dilucidè prosequitur Zacutus *lib.* 1. *de princip. hist. quæst.* 35. ubi rationibus *Peredæ* & *Manardi* abundè satisfit, quibus adversum *Leonicenum* novum fuisse morbum contendunt. Possibile igitur fuerit, ut jam inde à priscis illis temporibus emergens paulatim exulaverit, ut de aliis refert *Plinius*, aut raró & obscuris symptomatibus, minorique vi se proderet; sicuti hodiè ab illo furore, quo crudeliter sæviebat, quando primùm incepit, multùm remisisse creditur, & indies magis mitescere sperant *Palmarius* & *Fracastorius*, qui sic ait: *Hic morbus interibit & extinguetur, mox jam nepotibus nostris rursus videndus renascetur, quemadmodum ætatibus præteritis visum à Majoribus fuisse credendum est.* Idem tenet Paræus *lib.* 18. *cap.* 5. & de multis aliis Sylvaticus *controv.* 53. magnis annorum circumvolutionibus aliquos omninò delitescere, alios nunquam visos exoriri; quamvis de Gallico *contr.* 70. eum non minori crudelitate, quàm quando incepit, hodie sævire dicat: nec aliis assentitur, qui vel malitiam influxuum remisisse, vel seminaria contagii paulatim deperditum iri dicebant; videri tamen mitiùs agere, quòd facilè curationem suscipiat, nec ægrotantium animos ita despondeat, cùm remedia sint inventa & nota. Quibus non obstantibus non ineptè judicare possumus, eum sicuti temporum diuturnitate quasi obliteratus fuerat, sic postquam recruduit, iterùm etiamsi non extingui, multùm tamen imminui posse; imò omninò defecturum sperat Mercurialis *lib. de morbo gallico cap.* 2. & Joan. Chrysostomus *lib. de tabaco exercit.* 10. *in fine*, qui post pauca lustra penitus extinctum iri credit & scribit, licèt hoc impossibile suis rationibus fultus *Rudius* arbitretur; quod & *Sennerto* placuit, cùm infectorum infinitus sit numerus, qui ab aliorum consortio amoveri non possunt, nec à concubitu abstinere: imò cùm hominum petulantia & Veneris libido indies crescat, fueritque hic morbus tanquam scortatorum flagellum à Deo immissus, non dubito mortalium malitiâ semper in deterius ruente supplicium quoque & pœnam non deficere; cùm talium novorum morborum causam non aliam certiorem inveniat *D. Basilius* Christianus medicus & Philosophus, quàm justissimam Dei iram, ut sceleratos & vitiis suis immersos puniat ac reprimat: ideò nullam aliam causam hujus morbi, quàm prædictam quærendam esse scribit *Manardus*, ne pergant homines in aëre aut cœlo illius causas inquirere; siquidem Christiana veritas hoc tanquam certissimum admonet, & rationis lumine adhuc Ethnici meritò idem suspicabantur, quemadmodum ipse *Plinius* cùm de Mentagra & novis aliis morbis loqueretur sic concludit: *Quid hoc esse dicamus, aut quas Deorum iras? Parùm erant homini certa morborum genera, cùm suprà 300. essent, nisi etiam nova timerentur? nec ipsi autem homines pauciora operâ suâ negotia important.*

7. Epist. 7. in fine.
Lib. 26. cap. 1.

Ad causas istius morbi quod attinet, varia fuit auctorum opinio, etiam illorum, qui circà illa tempora, quibus multùm sævire & ingenti crudelitate denuò homines vexare animadversus est (quod primum illius ortum alii putârunt) nec inter se convenire unquam visi sunt: siquidem Leonicenus, & Fracastorius *de morbo gallico, cap. 7.* in ea fuerunt sententia, morbum in sui exortu, seu potiùs recrudescentiam dicas, epidemicum fuisse, & causam habuisse communem, cum illius initio pueri, viri, senes, puellæ indiscriminatim morbo afficerentur; & imposibile videtur, ut putat *Fracastorius*, tam parvo tempore contagionem, quæ alioquin segnis est, tot terras & distantes regiones peragrare potuisse, cum in Hispania, Gallia, Italia, Germania, & in tota Scythia fermè uno eodemque tempore apparuisset: atque ideò sine ullo contagio, saltem ab initio, sed à causa communi & superiori, innumeros infectos credidit, quæ sententia multis etiam aliis placuit; quare in illius epidemiæ causa indaganda, non parum peritissimi se exercuerunt. Aliquibus visum est aëris maximam humiditatem calori adjunctam, quæ per illa tempora viguerunt, communem huic morbo causam dedisse; quanta verò fuerit humiditas, & pluviarum multitudo *Leonicenus* his versibus declarat:

Lib. 2. morb. contag. cap. 12.

6.

> *Tempore Alexandri Sexti, nonisq; Decembris*
> *Intumuit Tiber bis senas circiter ulnas:*
> *Insula quaque domus facta est, mediisq; repentè*
> *Circundata viis, æquabat cymba fenestris,*
> *Deucalionis vix tanto tempore tellus*
> *Diluvium passa est, latuit cùm tota sub undis.*

Hinc alii ob Tiberis & aliorum fluminum magnam inundationem originem habuisse scribere non dubitârunt, aëre à sordibus & colluvie ab aquis derelictis putredine infecto. Sed insufficiens causa meritò hæc semper judicata est, præsertim cùm illa fluminum inundatio Tiberi potissimùm, & vicinis aliis locis acciderit, non sic in aliis; nec etiam Romæ malum primum ortum fuisse constat, sed Neapoli primum innotuit, ut communis fert opinio, circà annum 1493. quo Rex Catholicus adversus Carolum cognomento Magnum, Galliæ Regem, belligerans milites plurimos, quos Christophorus Colombus secum ex profectione illa adduxerat, quam conquirendi novi orbis causâ susceperat, Neapolim deduxit, unaque cum illis Indicas mulieres, quas milites ab Indis vi ereptas in Hispaniam asportaverant, ex quarum consuetudine hanc labem contractam fuisse affirmant, quia Indis vernaculum hunc morbum esse & antiquum contendunt: nec desunt rerum Indicarum scriptores, qui referunt multis jam retrò sæculis Indis epidemicum fuisse, quemadmodum Hernand. de Oviedo *in hist. general. India, lib.* 17. & Ferdin. Cortes. *in tert. relatione* referunt; & ex eo inferri potest, quòd potissima illius alexipharmaca apud illas regiones abundantissimè natura procreaverit, semper in hoc provida, ut pro infirmitatum exuperantia, quas novit aliquo potissimùm loco vigere, ibi quoque remedia producat, ut *in hist. Scoti.* latius probat *Monardes*. Itaque cùm Neapoli illius belli tempore primum sese ostenderit, Hispani à Gallis provenisse existimantes, Gallicum dixerunt; Galli suum nomen tali turpitudine fœdari minimè ferentes, Neapolitanum vocârunt; Germani ex Hispanorum consuetudine hanc scabiem ad illos derivatam fuisse putantes, Hispanicum appellârunt; unusquisque ut injuriam à se repelleret, & amoliretur: quarè ut hanc vitarent, rectius alii alia imposuêre nomina, sed rectissimè sine alicujus famæ dispendio luem Veneream dixerunt. Verùm quamvis hanc nomine tenus jacturam minimè ferentes, morbi tamen fomitem & seminaria secum portantes, citò in omnibus Europæ provinciis tanquam nova Venereorum hydra caput extulit, ut *in Syphilide* cecinit *Fracastorius*:

7.

> *Illinc namque ferunt æternâ labe per omnes*
> *Id morbi regnare urbes, passimq; vagari*
> *Perpetuo cæli vitio, atque ignoscere paucis.*

8.

Et præcipuè in Gallis, in quorum castris primum conspici cœpit, aut forsan in ipsos tanquam libidinosiores acrius irrepsit; hinc palmam primi præripuerunt, si non belli, saltem morbi, non victoriâ, sed inquinamenti labe, & contagii virulentiâ insignes redditi, unde posteà morbo nomen fecerunt.

Sed quamvis hoc à plerisque ut certissimum statuatur (si enim verum est, frustra in cœlo & aëre communes aliæ causæ perquiruntur, cùm ex contagio manifesta fuerit

prima

prima, ut ajunt, morbi origo) tamen alii nec in tempore, nec in causa conveniunt; quippe *Fioravantus*, quem sequitur *Balcasar*, multò antè annum 1494. anno scilicèt 1456. huic malo originem assignat, aitque in bello, quod Joannes Renati filius eo anno adversùs Alphonsum Neapolis Regem habuit, ob diuturnitatem defecisse commeatus, & annonæ tantam fuisse inopiam in utroque exercitu, ut propolæ, qui exercitum sequebantur, militum cadavera noctu surriperent, & ex humana carne condimenta pararent, & farcimina partim assa, elixa, aut aliter condîta miseris venderent; ex quorum esu tam Gallos quàm Hispanos in pestiferam hanc luem devenisse ait, tuberculis, doloribus, & alopesiis undequaque erumpentibus; quibus Galli magis oppressi, receptui canere fuerint coacti, & in Galliam reverti, contractam labem secum ducentes, quam statim Neapolitanam, ait appellare incepisse; unde rursus varia nomina, unoquoque à se depellente, & nomen cum morbi causa in alium intorquente. Itaq; ex humanarum carnium esu hunc morbum originem habuisse voluerunt, hoc argumento ducti, quòd simile suo simili nutritum; in magnam deveniat corruptionem; quod tribus exemplis & experimentis verum esse comprobare nititur *Fioravantus*, suis, canis, milvi, quos omnes seorsum pinguedine porci, canis carne, & milvi, sine alio victu sustentâsse ait; tandem invenisse suem tumoribus & pustulis plenum evasisse, pilorum etiam defluvio correptum; eodem modo canem affectum, & milvum à prædictis passionibus immunem non evasisse: & quod magis est, hanc eandem apud Indos primam fuisse hujus morbi causam putat, cùm illi humanam carnem non solùm comedant, sed hoc tanquam deliciosissimum in conviviis habeant. Experimentorum tamen fides apud illum maneat, siquidem Gallici morbi causam illam non fuisse, nec esse potuisse judicamus; nam *Galenus* de humana carne loquens, suavissimam esse ait, & illius jus, neque tale periculum aut aliud ex illius esu adnotavit, cùm in caupona frequens esset illius usus, apud nefarium illum pistorem, qui nocte hospites interficiens illorum carnes condiebat, & intrantibus comedendas ferculis suis apponebat, & alias etiam nullo secuto damno; quin & fame compulsos homines, vel barbarâ consuetudine, sine ullo detrimento humanas esitâsse carnes visum sæpiùs est, quod Barbarorum multi hodiè in tractu præcipuè Guineæ faciunt, nec ullâ noxâ correpti abstinent. Quòd si in illo bello aliter accidisse vult, ideò forsan fuit, quia putrida aut peste inquinata erant militum cadavera, quod extemporaneum fuit malum, cùm nec pertinaci adeò contagio tam longè duraturo, nec quòd per tot mundi plagas tam brevi tempore extenderetur, causam præstare potuisset. Quare ut *Alpini*, *Minadoi*, & aliorum nullius probabilitatis noviter inventas causas relinquamus, rectè illi sensisse visi sunt, qui impurum illum mulierum Indarum coitum huic morbo per Europam causam præstitisse affirmârunt; cujus etiam origini multùm adjumenti attulit cæli temperies, quæ illo anno humiditatibus multis & pluviis viguit; & si conjunctio planetarum aliqua præcessit, quæ hominibus morbum aliquem minaretur, illi tanquam causæ proximiores coôperati sunt: & certè talem præcessisse astrologi adnotârunt, nempè Saturni, Martis, & Jovis, alii anno 1485. idib. Octob. horâ 2. pom. statuunt factam fuisse conjunctionem Martis, Jovis, Solis, & Mercurii, in sublimatione in domo 8. quæ est domus ægritudinis, Jovemque fuisse combustum. Prætereà eodem anno Kalend. Novemb. in eadem domo & signo factam esse conjunctionem Martis & Veneris, item Jovis & Veneris. Tandem *Nicol. Massa.* factam esse ait conjunctionem Saturni, Martis, & Veneris, sub exortu istius morbi in Scorpio, quæ illum produxit. *Ioan. Almenar* propter Saturni ingressum in Ariete, aliis cæli dispositionibus coadjuvantibus, originem habuisse ait; quare *Saturninum* morbum appellavit.

Lib. 10. simpl.

Cap. 6. de morbo Gallico.

Cæterùm cùm nec astrologi inter se conveniant, ac tam variè circà stellarum influxum & conjunctiones, quæ illo tempore factæ sunt, loqui videantur dubia illorum fides & conjectura manet; quare licèt aliqua conjunctio adjumenti aliquid attulerit, potissima tamen causa in jam dicto impuro concubitu extitit: nec est quod dubitet *Fracastorius*, ex hac causa in tot Europæ regiones & latè divisa regna non facilè sic potuisse tam brevi tempore proseminari, & tam innumeros omnis ætatis & sexûs homines coinquinare; si enim nostrorum temporum luxum, lasciviam, & Venereorum præsertim procacissimam ac execrandam intemperantiam consideremus, morbique in exortu excandescentiam, non difficilè talia præstare potuisse conjectabimus, cùm rarissimi sint, qui castè vivant, multi qui à parentibus hæreditario jure morbum acci-

cipiant; & forsan illius initio, cùm plurimùm sæviret, contactu & osculo quamplurimos invasit, & derelicto fomite vestibus & linteis communicatus fuit, cùm nil tunc timentes nullâ præcautione uterentur. Assignare verò locum & personam ubi primum contagium & morbus innotuit, ridiculum ac impossibile puto, quidquid de Elephantioso equite dicat *Manardus*, apud Valentiam Hispaniæ Tarraconensis urbem celeberrimam, qui noctem à formoso scorto quinquaginta aureis emit, & infectam adeò dereliquit, ut quadringentos ferè ad illam posteà accedentes brevi conspurcaverit: quis enim Venereorum Deus hunc, & non alium alio in loco primum fuisse indicavit? an qui ex Indis hanc labem contraxerunt non plures fuerunt, ut alius hîc, alius alio loco & tempore similiter morbum communicare atque implantare potuissent? meræ sunt nugæ.

12.

Sed longiùs quàm oportebat in re parvi momenti sumus divagati; quare cùm illud verissimum sit, infectorum concubitum notissimam ac potissimam causam fuisse, illud jam scire restat, an nullo modo infecti ex frequenti solùm coitu, sine alicujus contagio, in hanc Gallicam scabiem devenire possint? Major medicorum pars hoc impossibile judicat, & apertè negant Mercurialis *lib. de morb. gall. cap.* 2. & in *Pisanis prælect. hist.* 36. Valesium in hoc errâsse dicere non veretur; eandem sententiam tenent Fallopius, & Sennertus *cap.* 4. *de morb. Gall.* qui hodiè non aliter hoc malum contrahi posse ajunt, quàm per contagium, & neminem corripere, nisi ab alio fuerit infectus. Et eandem sequuntur alii quàmplures, inter quos *Betera* annumerandus *in probl. lib.* 7. *de igne pestil.* quod ex eo comprobat, quia nemo dare potest, quod non habet; quare concludit internas læsiones, quamvis aliquando ita parvæ sint, ut minimè se prodant, damnum tamen inferre posse; quæ causa est quare nil tale continentes, nec morbum propter illius exiguitatem percipientes, alium tamen inficiant: imò *Mercurialis* similia aliqua symptomata ex frequenti coitu benè oriri posse non dubitat, sed morbo suâ virulentâ qualitate adæquata provenire posse apertè negat; quia sicuti primò ex impuro concubitu originem sumpsit, ita & modò non aliter accidere: & sanè ita esse ex eo confirmari posse videtur, quia cùm plurimi inveniantur, qui maximè libidinosi frequenti Veneris usu ad extremum usque labefactentur, deberet hoc multoties evenire; quod tamen non conspicimus.

13.

Morb. Gal. absque contagio oriri potest.

Cæterùm licèt communis hæc sit multorum opinio, tamen aliquando sine alterius contagio ab intrinseca tantùm alteratione provenire posse tenet Nicol. Massa, *cap.* 2. *de morb. gall.* sed & ob nimium Veneris usum causari posse existimat Valesius 3. *in* 3. *epid. com.* 22. *& lib.* 4. *ejusdem, text.* 131. quibus in locis hoc possibile esse affirmare non dubitat, & ob solum immodicum coëundi exercitium hanc gallicam luem causari posse sibi persuadet: cujus opinionem defendit etiam Zacutus *lib.* 1. *de princ. hist. quæst.* 36. ubi Valesii rationes affert, & aliis comprobat. Et quamvis omnia, quæ ab ipsis adducuntur, non omninò probare videantur morbum gallicum omnibus suis requisitis, & malignâ præcipuè qualitate præditum sine ullo contagio oriri posse; quia ea, quæ ab ipsis afferuntur, nil aliud sunt quàm damna, quæ ex immodico coitu resultant, & morbum gallicum exindè advenire posse nullo modo probant: tamen hoc multò aliter probari posse non dubito; si enim non ex cæli infelici aliqua conjunctione, & morboso influxu affectum hunc ab ipso primordio, sed à contagio ortum fuisse, ut probabilius asseritur, fieri non potest ut in aliquo initium non habuerit; ergò sicuti in uno dispositio & causa ad talem morbum dari potuit, quare in alio eodem modo, quamvis rarissimè, accidere posse negandum est? Deinde licèt ex astrorum conjunctione originem sumpserit, quare etiam sine illa ex particulari humorum putredine aliquando etiam causari non poterit? Pestis, ut multi affirmant, à planetarum influxu non rarò dimanat; tamen particularis in pestilenti febre & maligna non minùs contagiosa sæpiùs accidit, nec aliis symptomatibus, quàm ipsissimam pestem concomitari aliquandò videmus; ergo ita in gallico contagio fieri poterit: sin minus, assignari debet ratio, cur quævis alia qualitas maligna sine contagio in alicujus corpore causetur, gallica autem causari non possit? Felix Platerus *l.* 1. *obs.* fœminam Basileæ vidisse ait, quæ à continuo tripudio & saltu continere se non poterat, in quo ferè ad mensem duravit; quare à veneno in corpore genito tarantulæ non absimili hoc accidens originem habuisse indicat idem auctor, & Sennertus *lib.* 1. *prax. p.* 2. *c.* 17. Deindè rabiei venenum homini plusquam cætera inimicum & improportionale, canum naturæ & paucis aliis animantibus tantummodò analogum,

14.

Rabies aliquando à causa interna absque contagio.

15.

quod

quod diu à medicis creditum est, asserente Arist. 8. *de hist. anim. c. 22.* tamen non raro sine canis aut alterius animalis morsu per febrium, aut aliter propter alias dispositiones, in corporibus pullulâsse visum est, ut quamplurimis historiis testatur Salius *l. de aff. parti.* Quod multis aliis verum esse confirmat Marc. Donatus *lib. 6. de medica hist. cap. 1.* nec desunt alii, qui tantam hanc raritatem aliàs vidisse asserant: Josephus de Aromatariis *lib. de rabie contagiosa fol. mihi* 58. sacerdotem ait vidisse, qui ex morsu cujusdam febrientis, qui nunquam à cane fuerat commorsus, nec rabies in ipso animadversa, tamen ab ipso in digito, quem illi in os indidit, commorsus, rabie sævissimâ correptus fuit, ut intrà octiduum exspiraverit. Betera *lib. 3. de igne pest. cap. 10.* de juvene quodam nobili melancholico ac squallido scribit, qui æstivo tempore pænè in rabiem incidisset, nisi citissimè frigidissimæ aquæ potu, & ciborum humectantium copiâ fuisset recreatus. *Platerus* quoque *lib. 1. observat.* in sutoris muliere ex timore tantùm sine ullo animalis alicujus morsu hydrophobiam stupendam observavit. Ergò sicuti ad exquisitissimum hoc venenum, canum feritati & aliquarum belluarum proprium, & ad alia antedicta datur aliquando in hominibus talis humor, aut illius corruptio & dispositio, ut sine contagio & morsu oriatur; quare venenum Gallicum sic etiam provenire posse negabimus? Cùm quæ pro illius generatione requiruntur, ex peculiari aliqua putredine sic vel sic affectâ resultare possint; cui non parum adjuvabit coitûs frequentia, vel ipsa excrementitiorum humorum illuvies, quæ in Venere ad obscœnas partes confluit, & ad prædictum morbum sufficientem occasionem præstare poterit, præsertim cùm ipse Aristoteles 3. *de hist. animal. cap. 11.* & *sect. 4. probl. 19.* pilorum defluvium ex immodico coitu aliquando fieri doceat, quod tamen luis Venereæ signum habetur certissimum.

Præterea Indos ex immodica Venere in pudendis, & circà genitalia ulcera pessima contrahere docet Hist. general. plantarum; quod si verum est, cur Europæis ita aliquando non evenire poterit? Nam quod rarò hoc accidat, possibilitatem non tollit, cùm patientis dispositio, quod necessarium requisitum est, non semper inveniatur. Quibus rationibus fultus *Valesii* sententiam non omninò rejiciendam puto: quarè illud, quod dicebat Betera, *Nemo dat, quod non habet*, impropriè ab ipso adducitur, cùm nil econtrà obstet; imò hoc est, quod in quæst. quæritur, an non habentes morbum Gallicum tamen ex frequenti Venere in illum incidere possint? Nec etiam quod alii respondent, semen non posse exindè coinquinari, quia cùm evacuetur, potiùs deficit, quàm manere posit infectum; quia non est necessarium, ut semen statim aliquam spurcitiem & depravatam qualitatem recipiat: sufficit enim quòd vasa, in quibus conficitur, maximè debilitentur, & putridis humoribus & vaporibus malè afficiantur, ut deindè impurum generent, unde toti corpori & hepati labem communicent, ut morbus Gallicus deinceps paulatim subcrescat; sicuti illis accidit, quorum historias narrat Fontecha *privilegio 10. fol. mihi* 184. ubi ait nobilem quendam agnovisse, qui sanctè jurabat, se per omnem vitam alicujus partis dolorem, ulcus, bubonem, aut morbi Gallici aliud signum nunquam habuisse; tamen uxor, quam eodem modo sanissimam & pulchram accepit, paucis à connubio diebus ita infecta fuit, ut non solùm talpariis plena evaserit, sed in mandibulæ quoque corruptionem devenerit. Fateor in multis veneni vires delitescere & consopiri, ut nullis signis se prodant, quod deleteriis & malignis multis qualitatibus commune est; quin & delitescere & iterùm supervenire, nullo in morbo sicuti in Gallico tam frequenter conspicitur, de quo rectè illud dicitur, *inducias facere, non pacem*; cujus causam reddere conatur Mercurialis *cap. 2. de morbo Gallico.* Fernelius *lib. 2. c.* 14. nunquam omninò curari scribit, quin iterùm recrudescat: vidit illum reducem *Cardan.* post annos 22. ut scribit *comment. in Hipp. de alimento*, & post 30. *Ingrassias*; licèt non immeritò suspicari possit, hoc non esse reditum præteriti sed novi acquisitionem ex novo coitu cum infecta: fateor etiam in quamplurimis hæreditarium dari malum, quod aut non sentiant, aut cum modicâ læsione ferant; tamen ob ingentem aliàs dispositionem facilè recipitur, aut qui antea latebat morbus excitatur, unde creditur tunc in illum devenisse absque ullo contagio: & quemadmodum hoc non rarò accidere potest, ita aliquando aliquis ex coitu cum infecta, aut econtrà, contagii seminaria recipere potest, à quibus tamen ob dispositionis defectum non lædatur, & tamen si tunc ad aliam, vel alium accedat sufficienter dispositum, illum absque dubio inficiet, & Gallicatum reddet; cùm tamen morbum non patiatur, sed seminaria tantùm ab alio recepta, quæ ad alium

infi-

inficiendum sufficiunt, quamvis subjectum in quo continentur minimè offendant.

QUÆSTIO SEXAGESIMA.

Gallica lues an sit contagiosa ad distans? Et cur gallicati, quamvis febricitent, difficulter in hecticam labantur, licèt tales videantur, & in summa macie constituti.

1. SEcundum dubium quod circà petulantissimum hunc morbum placuit examinare, est, an gallici istius affectûs malignitas ad distans quoque possit virus suum transmittere, & sine contactu inficere? Certum quippè est, frequentissimum & communissimum gallicæ istius pestis contagium per Venereum congressum potissimùm fieri, cùm ibi non solùm detur contactus & approximatio unius corporis ad aliud, sed spirituum infectorum fiat communicatio, & putridi vapores, ichoresque, & semen labe infectum intrà corpus se insinuent, undè citissimè morbus succrescit; quemadmodum aliquibus evenit, quibus statim à coitu peracto ulcera in pudendis eruperunt satis maligna, quæ non nisi grandi per hydrargyrum curatione, minimè aliis remediis curari potuerunt. Secundò, etiam per contactum sine coitu multipliciter communicari non est dubium, ut si nutrix gallicata infantem alat, quem non solùm ex contactu & approximatione, sed impuro & gallicato lacte, quo illum nutrit, satis conspurcat & inquinat: tum econtrà infantem à parentibus gallicatis natum & morbosum osculis suis, suctu, & oris humiditatibus per ubera communicatis nutricem etiam perdere & inficere satis est notum, cùm prædicta omnia multoties videri contingat.

2. Aliter etiam quantumvis rarò, aliquando tamen, ex sola approximatione & contactu accidere observatum est, ut si in eodem lecto sanus & gallicatus jaceant; ut pueris accidit apud *Paræum* cum patre in eodem lecto dormientibus, & puellæ alteri apud Gregorium Horstium *lib. 2. part. 2. obs.* 3. præsertim si morbum patiantur in 2. aut 3. gradu procedentem, aut ulcera ichores manantia, aut sudor ex illorum corpore fluat: deinde per oscula, potissimum si in ore, aut juxtà oris partes ulcera aut gallicas pustulas gestent; omnibus quippe his modis contagium causari posse, ipsa experientia sæpiùs ostendit. Quod verò inquit *Fernelius*, obstetrices ex manuum tantùm appositione ut enixis auxilientur infici posse, cum *Saxonia* incertum judico; quia si ita esset cum rabiei veneno gallicum certare posset, & efficacius forsan diceretur, quod ridiculum est; quin etiam chirurgi in suis operationibus maximè periclitarentur, quod nunquam visum. De poculis tandem, quibus gallicati pro usu quotidiano utuntur, an si ex illis sani bibant aut edant, in luem gallicam devenire possint, non affirmo,

(Margin: Lib. cap.)

3. cùm sic neminem læsum fuisse audierim: cæterùm hoc vitare tanquam securius consulerem; & licèt fomes in his non relinquatur, qui venenum conservare possit & læsionem inferre, tamen in his, quæ ad illum suscipiendum & retinendum majorem aptitudinem habent, conservari expertum est; ut ex multorum historiis confirmatur, qui vestimenta, lintea, & hujusmodi alia, gallicâ qualitate & vaporibus infecta induerunt, aut in lectis incautè dormierunt, unde facilè in dictum morbum lapsi sunt, ut videre est apud Guill. Fabricium *cent.* 1. *obs. ultima, & cent.* 5. *obs. ult.* Et *cent.* 6. novisimè impressâ narratur casus de homine, qui pallium cujusdam gallicati induit, & non multò post gallicatus evasit.

4. Itaque ut summatim dicam, per Venerem, per lactationem, per contactum corporalem, per oscula, per lectum communem, per vestimenta, per sordes & excrementa, seu ab ulceribus effusa, vel indusiis aut linteis inhærentia, aut aliter in vestibus derelicto fomite contagium accidere perspicuum est. An verò fomes aliis etiam rebus derelinqui & adhærere posit, ut inficiat, meritò dubitandum; præsertim cùm apud Horstium citat. *obs* 8. casus scribatur de homine, qui in balneum commune intravit, ubi gallicatus parùm anteà se laverat, & indè infectionem suscepit: quin & ab instrumentis, quibus scarificationes fiunt, puta cucurbitulis & novaculis infectis, quibus aliis sectæ fuerant, morbum alteri communicatum fuisse ait, ac fœda ulcera in scarificatis locis statim apparuisse; quod mihi sanè pos-

possibile videtur, & multò magis ab aquis infectis, quàm à prædictis instrumentis inquinamenti semina suscipi potuisse, cum in aqua plurimæ sordes relinquantur infectæ, quæ aliis facilè adhærere possunt. Quòd si in cucurbitulis vitreis aut argenteis, & ferro, quæ arctissimos ac minimos habent poros, tamen qualitas illa maligna insinuatur; pocula etiam, & quæcumque alia vasa, quibus gallicati utuntur, minimè secura habenda sunt, cùm etiam apud Langium *epist.* 40. scarificationis venenatæ, & apud *Schenckium* ex Mercuriali, venenati cultelli mentio fiat. Ita faciliùs est hæc credere, quàm illud, quod de quibusdam matronis, quæ castissimæ forsan magis haberi volebant, quàm esse, narrat Fallopius *cap.* 10. *de morbo gallico*, apud quem conquerebantur, se ex aspersione aquæ benedictæ morbum gallicum contraxisse; quod meritò ridendum, cùm tanta non sit hujus veneni vis, ut ex manûs levi immersione aquam inficiat; & quamvis aliquid damni in ea derelictum fuisset, illius aspersio, quæ fortè nec cutem attigerat, contagii aliquid afferre non poterat.

His igitur de contagio, quod per contactum aut fomitem accidit, prælibatis, an etiam ad distans venenum Gallicum communicari possit, jam videndum est; quod possibile esse sic aliquis probare conabitur: qualitates aliæ venenosæ, malignæ, & pestilentes ad distans venenum suum impertiuntur; ergò cùm gallica lues ex occultis quoque sit, videtur hoc quod aliis commune est, illi etiam inesse debere. Secundò: eodem modo ex corpore gallicato, & illius ulceribus putridis vapores & miasmata putrida lentaque excitantur, sicuti in aliis corporibus malignâ aliquâ ægritudine correptis; ergò sicuti in istis inficere possunt, etiam in gallicatis. Tertiò: lentor & aliæ proprietates, quæ requiruntur, ut ad distans communicatio fiat, in gallicatis non minùs, quàm in aliis venenatis inveniuntur; ergò, &c. Quartò: si per fomitem ex infecto pallio gallicato, ut testatur *Fabric. Hildanus*, communicatio facta est; ergò ad distans fieri poterit, nam fomes ille non aliter in pallio concipi potuit, quàm per vapores malignos ibi susceptos, qui tenacitate suâ perdurantes alium deinde eodem pallio utentem conspurcarent, dum motu & calore commoti excitantur. Quibus & minùs efficacibus aliis rationibus fultus Zacutus *lib.* 1. *de princip. hist. quæst.* 43. affirmativam sequitur; imò *lib.* 2. *prax. mirandæ obs.* 125. opthalmicum gallicatum affert, cujus curationi præfuit, observavitque ministrum, qui ægrotanti victum parabat, & sudorem abstergebat, curato jam ægro eâdem opthalmiâ correptum fuisse; cui etiam talpæ in fronte, & reliquo capitis ambitu obortæ sunt, quæ mala non nisi Mercurio evinci potuerunt: quare cum *Aurelio Minad.* defendit, gallicam luem saltem cum opthalmia conjunctam ad distans communicari posse; quippe cum illa aliquando conjungi Monardus *lib.* 9. *epist.* 2. & expertissimus *Vigo* multò anteà affirmârunt; imò *cap.* 1. *de morbo gallico* tradit, nullum esse morbum cum quo misceri non possit; quod etiam scribit Massa. *epist.* 30. Crato *lib.* 7. *cons. in assert. pro tractatu de peste*, Balcasar *fol.* 204. & alii complures.

Sed his non obstantibus novatorem istum, & nullius non mendacii parentem cum verposis aliis nullâ fide dignis, sicuti aliàs, ita hac parte rejiciendum putamus, quia illius opinio falsa prorsus est, & contrà communem medicorum sententiam; omnes quippe apertè negativam sequuntur nemine dempto, ac rectè docent morbum Gallicum vix aliter quàm contactu recipi, partium obscœnatum frequentissimè, aliquando osculo, lactatione, dormitione, linteaminibus, ut suprà jam diximus; optimeque notat *Sennertus*, si ad distans & per inspirationem fuisset contagiosa, quòd totus orbis jam esset gallicatus, nullumque ait exemplum visum; quod facit ut *Zacuto* illud asserenti minùs credendum sit: nec tandem quamvis detur opthalmia Gallica contagiosa, illud ratione morbi Gallici accidere dicendum, sed potius ratione ipsius opthalmiæ, quæ per se ipsa sine Gallici morbi consortio contagiosa est; per accidens verò in illo casu fuit à lue gallica simul apprehendi, cum per se ipsa solum ad distans hominem non læderet, sed opthalmiæ tantum respectu simul communicata est. Unde etiam minimè audiendum quod idem *Zacutus* ait 1. *de princip. citat.* vidisse nempe plurimas fœminas gallicatis ægrotis assistentes, quæ ex sola adstantia in morbum devenerunt ad distans communicatum; est, inquam, hoc merum figmentum, nam tales sudorem abstergunt, lintea inquinata contrectant, & multa alia faciunt, à quibus per contactum lædi possunt, alioquin ex sola cubiculi assistentia in prædictum morbum minimè inciderent: quod ex *Fabric. Hildano* confirmari potest *cent.* 5. *obs.* 99. ubi scribit de muliere, quæ in hippocasto calidissimo, ubi aliqui inungeban-

5.

6. [M]orbus [g]allicus [c]um cæte[ris] omni[bus] copu[lar]i potest.

7.

8.

gebantur, assistens maximam à vaporibus Mercurii læsionem accepit, sed morbum gallicum contraxisse non ait; tanta quippe est argenti vivi vis ac malignitas, & cum lue Venerea contrarietas, ut fœminam aliam gallicatam marito, qui inungebatur, ministrantem, à solis Mercurii vaporibus in salvationem devenisse, & curatam evasisse, idem auctor narret *obs.* 98. *ejusdem cent.*

Quare autem morbus Gallicus non sit contagiosus ad distans, *Mercurialis*, quem reprehendit ipse *Zacutus*, ideò non esse ait, quia cùm illius morbi subjectum spiritus naturales potissimùm sint, crassiorisque substantiæ existant, hinc tenet per aërem contagium non posse differre ad aliud corpus inficiendum: sed meo judicio incongrua ratio; non enim opus est, ut qualitas maligna extrà corpus exeat, qualiscumq; ea sit, quòd ab spiritibus vitalibus aut naturalibus feratur; siquidem ex humoribus, quibus inhæret, vapores suâ naturâ tenues, actione caloris elevantur, & à corpore exeunt, qui malignam qualitatem secum ducentes, sufficientes sunt, ut alia corpora inficere possint, in quibus dispositio conveniens invenitur. Quapropter existimo qualitatem gallicam malignam ideò non communicari ad distans, quia non more pestilentium & aliarum malignarum in materia tenui, & tenuiorum humorum subjecto implantatur, sed in crassiori & frigida illorum parte sedem obtinet; quo fit ut non facilè elevetur, quia torpida & segnis manet illius actio. Vel etiam dicendum Venenorum internorum proprietates & operandi vires ex diversa illorum natura pendêre, & hæc ex varia putredine, aut corruptionis modo, ex quibus resultat; atque hinc accidere ut gallicæ luis vis ad distans non extendatur, utpote quæ cum frigidis humoribus majorem dicat analogiam, illisque plerumque associetur, ut ex nocturnis doloribus & hujus mali tumoribus plerumque visitur: hinc fit ut vapores & miasmata vel non excitentur, vel excitati ob crassitudinem & torporem longiùs adire non possint, sed corpori statim adhæreant, & in humorem convertantur; hinc tot nocturni dolores, tot gummata, pustulæ, quæ miseros gallicatos assiduè vexant: quibus ad rationes anteà adductas sufficienter respondetur. Nec ex eo quòd aliquando per fomitem derelictum acquiratur aliquatenùs colligitur ad distans communicari posse, quia fomes ille ex ulceribus & ichoribus emanans licèt segnis sit & torpidus, diuturnitate tamen & assiduitate communicatur vestibus tanquam corpori admodum adjunctis: quod sufficiens non est, ut etiam ad distans communicari posit, ad quod præstandum planè inefficax est, cùm ad scabiei & cutis alias affectiones proximè accedat, in quibus ad distans non datur contagium, sed contactu aut fomite imprimuntur. Nec aliquid convincit illud, quod de lepra *Zacutus* affert, cujus contagium ad distantes extendi ait, atque ideò ab hominum consortio leprosos segregari; quare sicuti in lepra, ita in gallico morbo accidere posse credit: sed hoc, inquam, nil valet, quia nec lepra hodie ad distans contagiosa visitur, nec hujus eventûs experimentum aliquod narratur, sed sicuti alia cutanea vitia, contactu & fomite tantùm communicatur, ut apertè scribit Fernelius *cap.* 11. *lib.* 2. *de abditis*, ubi ex inspiratione nunquam elephantiasim, aut morbum gallicum oriri posse censet; quòd si aliàs quondam lepræ pernicies major fuit, tanquam à Deo immissus morbus, illud faciebat supernaturali magis, quàm naturali morbi vi, cùm præsertim hodie mitiùs multò agere videamus, & cum plurimis signis se ostendat, nil tamen contagii præbere, ut ex duabus historiis satis constat apud Fernelium *cons.* 69. & apud Hier. Montuum *in chirurg. aux. cap.* 35. in duobus siquidem patientibus, in quibus multa lepræ signa inveniebantur, tamen nullum contagium observatum fuit; quod in quodam etiam Hannibale Pedemontano, multis mensibus cum suis domesticis versante, visum fuisse scribit Marcellus Donatus *lib.* 1. *med. hist. cap.* 4. qui tamen leprosi notas omnes obtinebat: quod in nobili quodam, qui Sancho de Quintanilla dicebatur, etiam observavi, in qua omnia lepræ signa visebantur, & filios genuit, domique & extrà assiduè cum multis citrà ullum contagium diu conversatus est. Quare concludunt prædictos auctores lepram ad distans non inficere, nisi maligna ac putrida ulcera jam inventa fuerint; minimè verò si deficiant: aut certè dicendum varias dari lepræ species, & saltem illam Judæorum de qua *Lev.* 13. *&* 14. mentio fit, ab illa Græcorum, Arabum, ac denique Europæorum admodum fuisse diversam, cnm non solum vestibus, & parietibus adhæreret, sed illius quoque curatio non ad medicos sed ad sacerdotes pertineret; ex quo absque dubio infertur, aliter quàm naturaliter immissam fuisse, nec viribus nisi super naturalibus evinci potuisse. De quo vide Ranchinum *tract. de lepra*, in opusculis gallico idiomate scriptis.

9.

10.

11.

An-

Antequam tamen ulteriùs progrediamur, placet etiam duo problemata enodare. Primum: an sana mulier, quæ cum gallicato rem habuit, sanâ & sine ulla infectione ipsâ manente, alium hominem aliàs sanum inficere possit? Respondet *Mercurialis*, hoc possibile esse, & minimè à ratione alienum; quia sicuti venenosa qualitas in corpore per annos latere potest, etiam hujus morbi vis in spiritibus poterit latitare, co tu tandem attenuari, & ad actum reduci: quod probat exemplo puellæ napello nutritæ, quæ ipsa illæsa alios interficiebat; cum quibus consuetudinem habebat. Sed pace illius huic solutioni non assentior, quia inprimis illud de puella napello nutrita à plerisque incertum judicatur, ac fabulosum: deinde si concedit venenum gallicum in muliere latitare, non benè videtur dici posse ipsam illæsam mansisse; supponit enim jam gallicam illam ac malignam qualitatem intrà se continere, quæ in corpore permanere non potest, quin offendat, saltem per longum tempus; hoc enim solùm venenis ingenitis convenire videtur, minimè illis, quæ ab externis communicantur (uno tantummodò dempto rabiei veneno) illa enim connaturalia quodammodò fiunt, saltem in læsionis tarditate, hæc verò minimè; ut ideò quamvis ob dispositionis defectum statim non lædant, tamen conservari non possint, cùm causam producentem ibi non obtineant. Sic videmus canes tempore pestis absque eo quòd lædantur, pestem tamen ad domos deferre; sed hoc in illis non perseverat, quia contagii semina facilè extinguuntur, alioquin multas domos inficere possent: quòd si in vestibus & aliis rebus contagium asservatur, ac diu durat, cùm à nullo conservante dependeat, ideò forsan est, quia ibi non datur naturæ vis, quæ illud alteret, aut facultas, quæ illud repellat, ac vincere possit, & sic tantùm durat, quatenùs immotæ manent res; nam si aëri exponantur aut igni, veneni vis evanescit. Itaque mulier licèt nullam læsionem sentiat ob defectum dispositionis, tamen contagii vis in illa sine læsione diu durare non potest, quia si perseveret necessariò lædere debet; atq; ita toto tempore, quo illæsa manet, dici non potest quòd à labe sit immunis, utpote quæ causam ægrotandi intrà se habet, licèt læsionem non sentiat. Quare ego aliter sic solverem, dicendo impossibile esse quòd mulier sana à gallicato compressa illius materię virulentam qualitatem non suscipiat; quòd si ob dispositionis defectū accidat ut ipsa illæsa maneat (quod contingere posse extra controversiam est) tamen alium sanum posteà ad illam accedentem absq; dubio inficere poterit dummodò non multo post tempore ab anteacto congressu cum gallicato, sanus alius illi copuletur, & antequam à materia illa in qua gallica lues subjectabatur, penitùs emundetur, omnisque malignitas & vis contagiosa omninò extinguatur; sic enim benè alium inficere poterit ipsâ illæsâ manente quòd si jam omninò sordida illa materia & qualitas venenosa in eadem contenta consumptæ atque extinctæ sunt, & mulier ab illis penitus abstersa, tunc aliū inficere minimè poterit; quia alioquin si multo pòst tempore hoc fecisset, maligna qualitas debebat jam in ipsa conservari, & illi adhærere, in quo casu eandē tandem conspurcâsse negandum non foret.

Alterum problema insinuat Valesius 4. *epid. textu* 131. nimirùm, an qui morbum gallicum patitur, si cum sanis mulieribus Venerem exerceat, à morbo aliquandò liber evadere possit, evacuatis per congressum noxiis humoribus, quibus mali fomes adhæret, & mulieribus indè conspurcatis manentibus & infectis? Respondet *Valesius* ratione hoc non carere, cùm illi deponant propriam morbi materiam, illæ suscipiant inquinamenti principium: & verum hoc esse inde colligi potest, quòd apud vulgus frequentissimum sit, gallicam gonorrhæam patientibus consulere, ut cum Æthiope muliere coëant, ut à morbo immunes evadant; credunt quippe Æthiopes ad hoc consequendum albis fœminis magis efficaces esse, & verum esse hoc experimentum scribit Saxonia *lib.* 9. *cap.* 37 qui illud à nobilibus Venetis primùm tanquam certum accepisse refert, confirmatque ex Scaligero *exercit.* 180. *cap.* 18. ubi scribit Afros à lue Venerea curari, dum in Numidiam & Æthiopiam transeunt. Cæterùm hoc universaliter de omni morbo gallico verum non est; solum quippe certitudinem aliquam habere potest in gonorrhæa virulenta, in qua tantum à vulgo consilium illud præcipitur: nam cum natura excrementorum putridorum illuviem, quæ potissimùm vasa seminalia conspurcaverant, per illam viam detrudat, fieri potest, ut quia à coitu viæ magis dilatantur, & materia attenuatur, promptius sic unà cum semine exeat, & à natura expellatur, ac tandem homo sanus evadat; dummodò vasa seminalia, hepar, & aliæ partes jam infectæ non inveniantur, & gonorrhæa diutius jam duraverit, tunc enim nullo modo gallicatus utilitatem aliquam consequi poterit, atque ideò

in aliis hujus morbi symptomatum differentiis nulla etiam utilitas ex congressu sperari potest, quia venenosa materia & qualitas in partibus distantibus jam est divaricata, atque in eis altiùs radices jecit, puta hepate, capite, corporis ambitu, artubus, & hujusmodi aliis, à quibus per coitum retrocedere non ita facilè poterit. Quòd verò vulgus ad hoc consequendum Æthiopes fœminas laudet, suâ ratione non caret; albis siquidem calidiores sunt, poros ac corporis meatus latiores habent, & ad hunc morbum recipiendum majorem aptitudinem, non solùm quia in illarum regione endemius sit ac vernaculus, seu patrium dixeris, sed ob regionis illius caliditatem, ob quam videmus frequentiorem & sæviorem esse in calidis, quàm in frigidis regionibus. Sic in Italia & Hispania multùm vagari conspicitur, minus in Gallia, & adhuc apud Flandros, Batavos, cæterosque Germanos multò minus.

14.

Ad secundam verò quæstionis partem veniendo, breviter supponimus aliquos dari morbos, qui per μετάπτωσιν depositâ priori pelle in alios transeunt; alios, qui per ἐπιγένεσιν utroque permanente affectu ex aliis resultant: sed præter hos alii inveniuntur, ex quorum operandi efficacia, & lædendi modo, in alios quoque morbos miseros ægrotantes deducere, videbantur comminari, & ad illos tendere, cum tamen nunquam ex illis resultent. De horum numero est febris hectica, de qua quæri solet, quare cum tanta siccitate, quæ in convulsionem tendere videtur, tamen nunquam ægrotantem in eam deducat? cujus dubii enodationem præter Capivaccium, Mercatum, & Mercurialem *cap. de convulsion.* tradit etiam Matamoros *disp.* 8. *de feb. nu.* 4. Quemadmodum igitur hoc in hecticis evenit, ita gallicatos morbi diuturnitate confectos videmus non raro ad summam maciem devenire, ut pelle & ossibus tantùm constare videantur; quos in prædicto statu non solùm vulgus, sed & medici quamplurimi in hecticam devenisse arbitrantur: unde non pauci auctores adversus hecticam cum gallico morbo complicatam remedia præscribunt, ut Cardanus *in curat. admirandis nu.* 12. & quamplures alii faciunt; qui si rigorosè loquantur, febremque hecticam verè in hujusmodi gallicatis adesse dicant, ut facit Saxonia *cap* 5. *de morb. gall.* audiendi certè non sunt, cùm omnes sic affecti, quamvis hectici videantur, minimè tales sint, debitè enim applicatis remediis omnes fermè curantur, ut apud *Mercatum, Solenandrum, Zacutum, Septalium*, atque innumeros alios, tales hecticos curatos fuisse passim scribitur; quod tam frequenter accidere non poterat, si in hecticam propriè dictam febrem delapsi essent. Quare rectius multi alii auctores loqui videntur, qui ajunt tales putari hecticos; vel, ut alii faciunt, qui tabem gallicam & maciem appellant, ea enim est luis Venereæ conditio, ut cùm (teste *Leoniceno*) rarissimè febrem adjunctam habeat, tamen si diu perseverat lentam quandam febriculam accersit, quæ doloribus assiduis adjuta, alisque gallicis symptomatibus & vigiliis concomitata, in tabem quandam & consumptionem patientem deducit; ut non in hecticam tantum, sed in verum marasmum devenisse appareat, ob ingentem maciem & siccitatem, quam sic affecti repræsentant: sed cum ferè omnes non difficili negotio curentur, eisdem tantummodò remediis, quæ morbo gallico debentur, fatendum est non alium esse morbum adjunctum. Sed gallicum tantum, qui suâ magnitudine & malignitatis vi solidas corporis partes etiam invadit, & humiditates illius absumit, jecoris substantiam & sanguinem in eo genitum labe dirâ inficit, ac conspurcat; quare ad corporis alimoniam per venas distributus partim membra aut exulcerat, ac doloribus conficit, partim etiam ab ipsis tanquam inutilis rejicitur; unde paulatim ex atrophia in marasmodicam quandam dispositionem totum corpus devenit, quemadmodum in illo accidit de quo apud *Schenckium* ex Joan. Francisci Hildesii observatione fit mentio, quem pro deplorato & marasmo verè incurabili affectum medici reliquerant; qui tamen à gallico morbo probè curatus, restitutus est: respuunt quippè aliquando partes proprium alimentum ob adjunctam pessimam Veneream illam infectionem, cum eo magis conspurcentur, quàm alantur; quo fit ut corpus non nutriatur, sed arescat, & in summam maciem deveniat. Sed quòd isti, quantumvis in hoc statu positi verum marasmum aut hecticam febrem nullo modo patiantur, evidenter vel ex eo solum colligi potest, quia si hoc esset, non aliter quàm balneis, lacte, & aliis frigidis & humectantibus curari potuissent; quæ tamen remedia illis non adhibentur, imò evacuationes fiunt, decoctis sudoriferis utuntur, quæ remedia, si hectici forent maximè essent damnosa, & illos absque dubio interficerent, cujus contrarium observatur; nam devictâ gallicâ qualitate, & evacuatis humoribus illâ infectis

15. *Gallicati cur in hecticam non incidant.*

16.

fectis ad naturalem corporis crassititem iterùm ac citissimè redeunt, partibus non ampliùs alimentum respuentibus. Hoc ita esse firmant medici peritissimi, & omnium primus scripsit *Vigo* lib. de morbo gall. cap. 1. *Videmus febriculam quasi ad hecticam hominem conducentem.* Clarissimè *Musa* lib. de morb. gall. prognost. 5. *Lentæ febres ac longæ cum morbo gallico minimè hecticam futuram significant: infinitos enim vidi, qui in tales inciderunt febres, & in urinis pinguedo innatans visebatur, tamen hectici haud evasêre, imò gallico morbo curato unà & febris curata est.* Ita Mercatus *cons.* 22. Fonseca *tom.* 1. *cons.* 40. ubi tenet veram hecticam non esse, sed tantùm hecticam gallicam aut tabem gallicam per similitudinem quandam dici debere, non verò quòd talis sit; & ut innumeros taceam, idem docent Vega 1. *de diff. feb. in comm. cap.* 8. Zacutus *lib.* 1. *prax. mirandæ observat.* 125. *& lib.* 2. *ejusdem obs.* 119. ubi insolentem quendam medicum meritò taxat, quia juvenem sic affectum sudoribus ex sarsa & ebeno tractare renuebat.

…icati …re cum …a cor- …ma- …tamen …ici non …lant.

Sed quare cum tantâ corporis consumptione & macie, assiduâ febre extenuati, & in summa veluti siccitate positi, ut maximè tabidi videantur, tamen nec tabidi sint, nec in hecticam incidant, dubium est scitu dignum, cujus solutionem video à paucis tradi: quare citrà hanc difficultatem quid mihi consentaneum magis occurrat, dicere non gravabor, aliis indagandæ veritatis viam apertam libenter derelinquens. 17. Prima igitur hujus eventûs causa est, quia licèt qualitas illa gallica venenosa peculiarem sedem sibi non vendicet, ut juniores fatentur, tamen ad hepar magis quàm ad aliam partem vim suam dirigere satis evidenter demonstrant bubones in inguinibus frequentissimè evenientes, pustulæ, ulcera, pruritus, & scabies totum corporis ambitum fœdantes. Igitur sive præcipuum hoc & nobilissimum viscus potissimùm infestet, sive partes alias occupet, tamen cum cordis substantia nullam habere analogiam inde inferri potest, quòd sub axillis nunquam bubo gallicus oriatur, quidquid Zacutus 1. *de princip. hist.* ad libitum scripserit; est enim ex illis, qui ut novitate aliquâ insignes fiant, mentiri non verentur: siquidem bubonem gallicum sub axillis nullus auctorum vidisse retulit; & licèt aliquando acciderit (quod non impossibile judicaverim) nobis ad illud, quod in responsione intendimus, nil raritas obstat, cùm de communissima morbi consuetudine modò loquamur. Itaque cùm dicta gallicata ac maligna qualitas cor non oppugnet, consequens est, ut cordis substantiâ nil patiente, nec ullam siccitatem cum calore in facto esse habente, eodem modo & in reliquo corpore non detur, cùm necessariò ut in illius partibus carnosis dictæ intemperies in facto esse inveniantur, ab eisdem prius in corde stabilitis dependere debeant. Cur verò illa qualitas morbi gallici cor non oppugnet, ideò forsan est, quia illius venenum non est ex genere deleteriorum & mortem inferentium, nec similem efficaciam in agendo, & cum spiritibus ac vita contrarietatem habet, imò hebes admodùm in operando est, & segnis; quo fit ut à corde rejiciatur, nec ab illa vinci possit. 18. Secundò, febris illa, quæ plerumque in gallicatis invenitur, lenta est & mitis, ut ab ipsa humiditas illa naturalis non videatur depasci & consumi posse; atque ita non illius causâ sed ex atrophia, ut antea dicebamus, in maciem deducuntur, non ob alimenti sanè defectum, sed ob illius infectionem & spurcitiem; qua de causa tanquam ad alendum ineptum rejicitur ac relinquitur, ex quo tandem subortis ulceribus & aliis corporis fœditatibus, in putridam saniem conversum extrà corpus ejicitur, unde rursùs extenuatio & macies suboriuntur, non ex calore habituali, quia non datur, nec ab illo prædicta febris dependet, sed à putridis & infectis excrementis & humoribus, in venis, jecore, & toto corpore redundantibus. Tertiò, qualitas illa maligna pituitosis humoribus præcipuè se inserit, & illis tanquam magis familiaribus gaudet; ut proindè inter affectus frigidos aliqui luem Veneream reponere non dubitaverint, 19. ut existimârunt *Gordonus*, *Rondoletius*, & *Ambros. Paræus*, qui *lib.* 11. *cap.* 3. multis argumentis hoc probare nititur, non sanè contemnendis; quapropter alii gallicam luem, hepticam humiditatem appellârunt: ejusdem opinionis extitit Nicol. Massa. *epist.* 30. ubi apertè scribit, quoad activas frigiditatem habere adjunctam in hepate, unde illum humoribus pituitosis abundare facit, & venas illis replet, quod sæpiùs observâsse ait, cùm multos in xenodochiis secuisset, qui morbum gallicum passi fuerant, quorum venas pituitâ albâ refertas vidisse testatur. Quæ cùm ita sint, mirum non est quòd sui ratione nullam siccitatem inducat, nec ad veram tabem & hecticam deducat, quàmvis ad magnam illam extenuationem

ægrotantes deveniant, quam in verè tabidis conspicimus; hæc enim ex cordis siccitate tanquam necessario principio dependet, in gallicatis tantùm est quædam consumptio ob nutritionis defectum, quæ hecticam æmulatur, cùm tamen talis non sit. Fateor aliquando utrumque adjungi posse, in quo sensu possumus accipere *Paræum* cùm incurabile hoc esse dixit; aliter de communi eventu, de quo hîc loquimur, nec hectici sunt nec incurabiles.

20. Ex his inferimus, malè Amb. Paræum *cap. 5. lib.* 18. scripsisse incurabiles esse gallicatos, si in maciem & tabem gallicam devenerint, & fucatâ tantùm medelâ tractari debere; nisi enim hoc de vera hectica per humidi primogenii consumptionem intelligat, falsum est, ut ex multorum curationibus, quibus sic laborantes perfectam curationem adepti sunt, abundè jam ostendimus. Secundò ex dictis etiam elicimus, malè ab *Alex. Massa.* morbi gallici essentiam in intemperie calida & sicca constitui; in quem etiam errorem lapsus est Lazarus de Soto *in animadvers.* & Montanus *opusculo de componendis medic. fol.* 214. adversùs quem optimè insurgit *Rondolet.* Nam & eandem opinionem ut falsam rejiciunt *Mercatus* & *Fernelius*; quippe si talis intemperies calida & sicca foret, medicamentis calidis & siccis haudquaquam curaretur, quales esse *sarsam, guajacum, & radicem Chinæ* extrà dubium est: potiùs igitur frigida dici

21. mereretur, saltem causaliter, aut quòd illi & humoribus frigidis gallici morbi malignitas potius quàm aliis qualitatibus aut humoribus magis associetur, ut præter jam dictos etiam tenet Botalus *lib. de lue vener.* & apertissimè etiam fatetur Fracastorius *lib. 2. de morb. contagiosis cap.* 12. *Manifestum est* (inquit) *principia hujus contagionis ad phlegma crassum & sordidum analogiam habuisse &c.* Nec cùm hoc dicimus, essentiam istius morbi in aliqua ex primis qualitatibus consistere volumus, cùm in maligna potiùs & occulta totum suum esse obtineat; quam tamen venenosam qualitatem cum frigidis humoribus conspicuam analogiam sortiri, & illis familiarem magis esse, satis ex dictis constat.

QUÆSTIO SEXAGESIMAPRIMA.

Rabies an per contactum, inspirationem; vel ad distans contagiosa sit?

1. A Gallico morbo & illius veneno homini tantùm proprio, ad aliud illi & multis aliis animalibus commune transitum faciamus; nam licèt in canibus frequenter oriatur, ut illorum siccæ & calidæ naturæ magis proportionale, vel, ut voluit *Salius*, ob peculiarem proprietatem, & inclinationem, quam ad incurrendum in hoc malum obtinent (hoc enim verius est quàm illud quod Jacob. de Partibus *super Avicenn. fen. 1. lib. 3. tract. 2, cap. 3*, scribit, famam esse caninam rabiem à verme in canis cerebro nato prodire; est quippe hoc merum figmentum, à nemine, quod sciam, confirmatum) licèt, inquam, canum frequentissima, & velut peculiaris illorum habeatur ægritudo, tamen in aliis animalibus non raro accidere extrà dubium est, præsertim si à cane rabido commorsa fuerint; nullumque judico esse animal, quod à periculo immune esse possit, quidquid *Nicolus* de ansere à cane rabido commorso, & non rabiente scripserit: scimus quippe non omnes commorsos, sive homines sive animalia, in rabiem protinus devenire, cùm multi statim, non pauci longo pòst tempore aliqui nunquam in rabiem incidant, tam ex hominibus quàm ex animalibus. Unde argumentum unius, qui commorsus à rabie liber evasit, nil stabile aut certum confirmare poterit: & sicuti commorsa aliquando non læduntur, ita absque ullo contactu aut morsu non solùm animalia multa, sed & ipsum hominem ex particulari humorum adustione & putredine, in rabiem devenisse observatum est; quod verissimi auctores tradiderunt, ut *quæst.* 59. jam adduximus, & infrà prosequemur.

Rabiei definitio. Est igitur rabies, affectus præter naturam cum delirio, à veneno quodam peculiari in animali genito aut communicato productus, cum vehementi liquidorum omnium & aquæ potissimùm abominatione. De canum igitur rabie, pessimo morbo, dicturi, ut tantum hoc illorum damnum magnâ aliquâ utilitate temperemus, de ipsorum solertia in venatu præcipuè, sagacitate, sodalitio, pervigili ex-

excubatione, tandem amore & fidelitate ergà dominos, multa hîc prætermittimus, quæ Plinius *lib.* 8. *c.* 4. Tacitus *lib.* 3. Plutarchus *in amatoriis*, Higinus *lib.* 2. Ælianus, Pollux Cardanus *lib.* 6. & 7. *de variet. rerum cap.* 31. Scaliger *adverſ. eundem exercit.* 202. *nu.* 6. & præcipuè Geſnerus, & Aldrovandus *in canis hiſt.* ex profeſſo recitârunt; quorum tandem fidelitatis & eximii amoris ſi memorabiles ac pænè admirandas hiſtorias ſcire volueris, apud Scaligerum citat. invenies, Rhodiginum *lib.* 23. *antiq. cap.* 27, Georg. Cedrenum *in compend. ad hiſt.* Philip. Camerarium *cent.* 2. *horarum ſubceſ. c.* 94. & apud D. Ambroſium *lib.* 6. *Hexaim. c.* 4. Ant. Torquemada *colloq.* 4. modò loca indicâſſe ſufficiat.

Quibus tandem prætermiſſis, ad canem ferâ rabie affectum iterùm revertendo, illius ſigna ſunt, corpus gracile & ſquallidum, oculi exerti patentes ac rubentes valdè, ac multâ obſcurâque tenebroſitate obducti; craſſa & frigida pituita naribus, larga & ſpumoſa ore provenit, aures molles & in motu ſunt, ſolitarius, declivis, curvato dorſo, & quaſi ebrius ambulat, nunc citato curſu ducitur, nunc citrà rationem ſubitò conſiſtit, obvia quæque & non præviſa morſibus impetit, domino non parcens, inanimata non cognoſcens; taciturnus eſt, ſi verò latrat, raucam emittit vocem, potum omnem & eſcam averſatur, difficilè ſpirat, convellitur, ac tandem ſtrangulatus moritur: ſolent itaque canes hoc morbo vexari, ſingulis quidem anni temporibus, ſed præcipuè flagrantibus magnis caloribus, ac frigore maximè rigeſcente, vel ſi cibos potúſve ingerant putridos, acres, vel præter modum calidos, aut egelidos.

Jam verò paucis his enarratis, conſiderandum eſt an ſolus canis rabie corripiatur, an verò animalia plura hunc morbum patiantur? Dubitandi cauſam dat Galenus *lib.* 6. *de locis affect. cap.* 5. qui expreſſis verbis ſic ait: *Cùm etenim reliquorum animalium nullum rabie corripiatur, ſolus canis eo affectu corripitur.* Quod verum eſſe, videtur etiam exiſtimâſſe Alex. Aphrod. *lib.* 1. *probl.* 76. ubi quærit, cur ſoli animantium canes rabiant per æſtatem? Hanc etiam opinionem habuiſſe videtur Zacharias Calliergus *Collector comment. antiquor. in Theocriti idyllia com.* 4. qui dixerat, *Rabire proprium canum.* Ex alia verò parte conſtat reliquorum animantium plurima Rabiem ex ſe ipſis abſque canis morſu pati, ſic docent *Ariſtoteles*; *Cælius Aurel. Viget. Albertus Magnus*, quod verum eſſe ipſâ experientiâ conſtat. *Porphirius* equam eo morbo tentari prodit: rabioſi equi meminit *Abſyrtus*: Ariſtoteles 8. *de hiſt. animal. cap.* 22. equum & camelum rabie infeſtari manifeſtè ſcribit; idem probat Aurelianus 3. *acut. cap.* 9. Avicenna 6. 4. *tract.* 4. *cap.* 5. & 6. apud quos lupi, cameli, equi, ſues, boves, vulpes, feles, urſi, leopardi, ſimiæ, muſtelæ, muli, aſini, rabiei morbo infeſtari traduntur. Euſtachius Rudius *lib* 4. *de morb. occult.* urſos hoc morbo laborare ſcribit, aitque hominem vidiſſe ab urſo ſauciatum, qui paulò poſt in rabiem devenit, & in aquæ timorem lapſus eſt. Valeriola *in com. ad cap.* 20. *Galeni de conſt. artis med.* de mulo, quem proprium habebat, maximo rabiei furore infeſtato hiſtoriam narrat. De lupo rabioſo æſtate à venatoribus capto, cujus carnem eſitantes in rabiem acti ſunt, hiſtoriam recenſet Fernelius *lib.* 2. *c.* 14. *de abditis*: quin de 20. lupis rabie percitis, qui è ſylva egreſſi magnam ſtragem in omni genere animalium fecerunt, refert Jul. Palmarius *in lib. de contag.* & fuſiùs Joan. Bauhinus *proprio tract. de lupor. rabie*, Platerus *lib.* 1. *obſ. fol. mihi* 89. Novi etiam quatuor homines, qui nocte quâdam intempeſtâ ruri oves cuſtodientes, à truculentiſsima rabiente lupa ſubitò arrepti ſunt, quorum tres crudeliter vulneravit, ita ut duo paucis poſt diebus perierint: aſinum quoque rabie affectum propriis oculis vidi, dum ad occidendum ab hominibus duceretur, quos interrogavi an à cane fuiſſet commorſus? ſed ex tali cauſa minimè rabiiſſe affirmârunt, quòd de rabido cane nullam apud ipſos in vicinia notitiam habuiſſent. De fele rabiente Andreas Baccius *in proleg. venenor. antidot. pag.* 16. Amatus *cent.* 7. *curat.* 65. & quod magis eſt de gallo rabie furente idem *Baccius* citat. ex quo Guill. Fabricius *cent.* 1. *obſ.* 86. quin & de alio gallo, qui leviter hominem momordit, & citò in rabiem devenit idem Cælius Aurel. *lib.* 3. *cap.* 9. ſup. citat. mentionem facit; quare cùm indubitatum hoc ſit ut plurimi alii auctores teſtantur, Abenſoar *lib.* 1. *theiſ. tract.* 9. *cap.* 16. Petrus Salius *de affect. particul. cap.* 19. Lemoſius 9. *meth. quæſt.* 9. Sennertus *lib.* 1. *praxis*, & multò anteà Albert. Magnus 7. *de hiſt. anim. cap.* 2. quos ſequitur Mathiolus *ad cap.* 36. *lib.* 6. *in Dioſcor.* Itaque omnes nemine dempto, exceptis tantum Vega, Brabo, Androino 7. *de venen. cap.* 2. & Fracaſtorio

lib.

lib. 2. de morb. contag. cap. 10. qui *Galeno* assentiuntur, sed absque ratione, cùm experientia contrarium verum esse quotidie ostendat; ita ut non immeritò dicat *Salius* impropriè hanc tractationem de canis rabie nominari, cùm rabies ad multa alia animantia pertineat, solumque ex eo quòd frequentiùs in cane accidat, ut rabie corripiatur; & quia canum cum hominibus maxima est consuetudo & sodalitas, illorum rabies facilè, cùm nobiscum vivant, morsu furente aut aliter communicari potest.

Cùm hæc igitur ita sint, quid pro *Galeno* dicendum sit, si illum excusare velimus, non satis liquet; ideò Amatus *cent.* 7. *curat.* 41. Mathiolus *lib.* 6. *in Dioscor. cap.* 36. Lemosius 9. *meth. quæst.* 9. & plures alii, palàm illum culpant, & erroris accusant: Christoph. Vega *in com. sent.* 22. *lib.* 3. *prognost.* arbitratur solis canibus evenire per primogeniam affectionem, aliis animantibus non nisi à cane rabido commorsis, atque ita *Galenum* accipiendum esse vult; eodem modo censet Brabus *lib. de hydrophobia c.* 1. qui *Mathiolum* & *Conciliatorem* aliter statuentes, de rabie per consensum & morsum accipiendos esse declarat, non de illa, quæ per primariam affectionem oritur, quam solùm in canibus concedit; quod tamen citrà dubium falsum esse, præter auctores jam adductos, tenet Conciliator *diff.* 179. ut ex multis historiis suprà retulimus: & quænam major similitudo (uti *Salius* adnotabat) lupinæ ad caninam, quàm caninæ ad lupinam? Nónne per se soli rabiunt etiam lupi, feles, cæteraque plura animantia? nónne pari pacto rabiem communicare valent canibus & hominibus? Cogitârunt alii *Galenum* nunquam vidisse aut audivisse, aliquod aliud animal præter canem, nisi ab ipso commorsum in rabiem devenisse; cùm enim hæc sint ex his, quæ solâ experientiâ innotescunt, forsan talem experientiam nunquam habuerat; unde volunt, *Palladium*, *Abyrtum*, & *Hieroclem* (quibus observatum fuit plurima animalia rabiem pati) *Galeno* posteriores extitisse: quare aiunt facilè contigisse, ut illius tempestate nondum in alio quopiam, quàm in cane, rabies innotuerit, vel saltem id nomen non obtinuerit. Nec hoc admodum difficilè credi potest, cùm tempore *Aristotelis* rabiem in homine nondum visam, *Mercurialis* minimè dicere vereatur: sed levis fuga, & valdè lubrica; nónne (ut de *Aureliano* taceam) *Galeno* antiquior fuit *Aristoteles* & *Syracusanus* vetustissimus *Theocritus*, qui equum & camelum rabie corripi asseruerunt, quos *Galenus* non videre non potuit? Unde inferri potest *Galenum* tam lotis manibus hoc negare non potuisse, nec crederem in re adeò vulgari hallucinatum fuisse: quarè illum de frequenti eventu locutum fuisse existimaverim, dum canem tantùm rabie corripi dixit; cùm verò aliorum nullum, de illo quod rariùs accidit: sicque & illum excusabimus, & vera dixisse interpretabimur.

6.

Nec minor sese offert difficultas in Aristotelis verbis, *cap.* 22. *lib.* 8. *de hist. anim.* nam quemadmodum *Galenus* ex omnibus animalibus solum canem tentari rabie dixit, cæterorum animalium nullum, nisi à cane fuerit commorsum; ita *Aristoteles* omnia quæ fuerint commorsa rabire statuit, excepto homine, aut præter hominem, ut ipse loquitur; imò addit interire omnia quæ à cane fuerint commorsa præter hominem, illius verba sunt: *Et cùm momorderit canis rabidus, omnia commorsa rabiunt præter hominem. Occidit autem iste morbus & canes, & quodcumque commorsum est à rabido, præter hominem*: quæ tamen omnia si probè expendantur, quàm falsa sint, nemo non videt. Nam in primis omnia animalia à cane rabido commorsa in rabiem devenire, non videtur accipi posse; nam præterquam quòd non raro visum est aliqua animalia commorsa in rabiem non incidisse; hoc de ansere expressè tradit *Nicol.* quòd, à rabido cane satis vulneratus, à rabie liber evaserit: quare ut philosophum & nos ab hoc scopo facilè liberemus, sat erit, si dicamus illum intelligendum, quòd majori ex parte & plerumque sic accidat; etenim verbum illud *omne* majorem & potiorem partem quandoque denotat; velut cùm dicimus: *omnis commota est civitas*: *omnis populus hoc vult*, non intelligimus omnes & singulos, nullo equidem excepto, sed majorem partem, quod satis est, ut *Aristotelem* à prima hac calumnia vindicemus. Cæterùm duo alia, quæ statim addit, admodum difficilia sunt; nam cùm experientiæ sæpissimè observatæ contraria sint, durum est philosophum hoc negâsse, scilicèt hominem à rabido cane commorsum in rabiem non incidere; deinde *omnia commorsa interire præter hominem*. Quid igitur? Estne forsan *Aristoteles* in re tam clara lapsus? Sunt qui dicant, ipsum equidem errâsse: at graves homines, in rebus præsertim ad sensum attinentibus, ad tantam audaciam non devenêre, ut pro veris falsa tentaverint insinuare nobis,

7.

Ser. 4. cap. 15

& Ari-

& *Aristot.* præcipuè, qui in conscribendis libris de animalibus tot impendit nummos, tot sustulit vigilias, totque labores. Ex alia parte utrumque illud falsum esse satis est notum, nam hominem à cane rabido commorsum rabie infestari notissimum adeò est, ut neminem lateat; deinde canes & cætera animalia rabie correpta interire omnia, hominem rabie affectum non mori, tam longè abest à veritate, ut potius ex his, qui rabie correpti in aquæ timorem devenerunt, nullum superstitem aliquis viderit, ut *Dioscorides* testatur *cap*. 36. *lib*. 6. & expressis verbis confirmat Ægineta *lib*. 5. *cap*. 3. quare nec historias, quas ex aliorum auditu refert *Dioscorides* tanquam certas approbat, de Themisone, & alio ab Eudemone liberato; quo fit, ut & illa quam philosophi cujusdam narrat Æsius *tetrab*. 2. *serm*. 2. *cap*. 24. fabulosa etiam judicetur, sicuti altera Apollonii, quam affert *Philostratus* in illius vita, de juvene à cane commorso, qui latrabat, sedebatque, & ut canis pedibus, manibusque gradiebatur, omninoque in caninos mores deflexerat; sed forsan inter Apollonii ingentes superstitiones non minor hæc fuit, cum illius jussu conquisitum canem rabiosum lenissimè ad illius pedes procubuisse dicat, jussusque morsum, quo antea juvenem dilaniaverat, lambit, ac sanavit, cum potius de novo magis lædere debuisset, si rabiosus esset: eodem modo & illa historia quam narrat Plinius *lib*. 25. *cap*. 2. prorsùs mihi fabulosa videtur, cùm cynorrhodon aliàs nunquam similia miracula in rabientibus præstiterit, aut dicendum ægrotantem nondum in hydrophobiam devenisse, aliisque remediis adjutum; quo etiam modo intelligendi sunt alii juniores, qui hoc fecisse aut vidisse gloriantur, quos latè citat & affert Fabricius *cent*. 1. *obs*. 80.

Cùm igitur hæc sine dubio vera sint, quid ad *Aristotelem* dicendum sit, jam videndum est. *August. Niphus*, quem in historia de ansere affert *Aldrovandus*, quendam medicum ait *Aristotelis* textum sic legendum putâsse, ut verba illa *excepto homine* malè translata fuerint, cum potius dicendum foret *excepto ansere*; siquidem anseres, quamvis demorsos à cane, aut alio rabido animali, rabie non tentari plures affirmant, quod evidenti experimento confirmavit Nicolus Florent. *serm*. 4. *tract*. 4. *cap*. 15 quo loco ait vidisse anserem à rabiosissimo cane satis commorsum, & vulneratum cum multa sanguinis effusione, absque eo tamen quòd mali aliquid anser passus fuerit: Sed nihilominus ipse *Niphus*, *Aristotelis* textum non temerè mutandum monet; in cujus etiam versione & lectione mutandâ nititur Leonicenus *lib. de serpentibus, ante finem*, & *lib. de Plin. errorib.* tenetque pro verbis illis *præter hominem* reponendum esse *prius homine*. Quare *cap. de dipsade* Theod. Gazam leviter taxat, quòd πλὴν transtulerit, cum potius πρὶν dicere deberet: atque ita non *præter hominem*, sed *prius homine* legendum putat; cui opinioni favet Amatus *lib*. 7. *curat*. 41. cum homo commorsus in rabiem deveniat, sed posterius, cætera animalia multò prius: nam cum inter canem & alia bruta major sit communio & consensus, quàm inter canem & hominem, inde arguitur inter magis symbola faciliorem esse transitum, ut idem *Aristoteles* docebat *cap*. 4. *lib*. 2. *de gen*. atque ideò priùs omnia animalia, multò posterius hominem rabie corripi, ut ex multorum exemplis statim dicemus. Verùm nec huic lectioni acquiescit Marcellus Donatus *lib*. 6. *hist. med. mirab. cap*. 1. qui vult legendum esse πλέον, quæ vox Atticè por πλεῖον ab *Aristophane* usurpari solita, *plus* sonat.

Sed licèt hæc ingeniosè dicantur, tamen non adeò facilè ad hæc aut similia diverticula nos convertere debemus; est quippe invigilandum an possit consueta lectio retineri absque ulla veritatis læsione: *Ludov. Lemosius* citatus *Leoniceni* opinionem ex eo recipiendam non esse vult, quia si canis & homo minùs conveniunt, ergò periculosior erit rabies in homine, quàm in aliis animalibus, unde citius peribit; nam quæ magis differunt, & quibus morbus magis est improportionalis, non nisi à valentiori causa vincuntur; quæ ideò majus periculum important: quare ipse, licèt *Aristotelis* textum non mutet, aliter putat interpretandum; non quòd omninò velit nunquam hominem demorsum in rabiem devenire, sed quia non omnibus commorsis ita eveniat, ut in rabiem incidant; aliter bruta, quæ commorsa omnia rabie infestari ait: quæ explicatio *Theodoro Gazæ* anteà placuit, quasi hanc prærogativam in humano genere natura aliquibus concesserit, quòd tali temperamento præditi forent, ut licèt commorsi in rabiem non devenirent ob complexionis excellentiam, quâ multùm à brutis discrepant, ut *Fracast.* quoque tenet, & universim hominem respectu aliorum animalium à rabido quantumvis commorsum, aliquando vel non tentari, vel tardius corripi, &

promptiùs ex ea evadere. Vega 6. *de locis* hoc propter temperiei humiditatem accidere non immeritò scribit, quia respectu aliorum & canis multò humidior est homo; quo fit ut in illo veneni istius siccitas in operando magis præpediatur & retardetur. Deinde illud quod *Aristoteles* ait, *interire omnia excepto homine*, sic explicant multi; scilicèt ut omnia moriantur, non ita homo, qui medicamentis adjutus plerumque evadit: nam ut dicebat *Æsius* tetrab. 2. serm. 2. cap. 24. *Qui à rabioso cane commorsi sunt, si neglecti fuerint, ac malè curati, in hydrophobiam cadunt*. Quare apud Avicennam *lib.* 8. *de animalib.* philosophi sententiam sic amplificatam legimus: *Canibus accidit squinantia, podagra, rabies; & quando mordet canis rabidus, interficit omne animal præter hominem, qui potest medicari*. Quarè hanc interpretationem secuti sunt Albertus cognomento Magnus *lib.* 7. *cap.* 2. *de hist. animal.* August. Niphus Suessanus *in com. ad lib. de animal.* Nec itaque ab *Aristotelis* textu recedet, quicumque noverit affirmationes & negationes simul veritatem retinere posse, dummodò licèt universales existere videantur, universaliter tamen nec accipiantur, nec enuncientur: quâ ratione *Aristoteles* de homine loquens non universaliter loquitur, de cæteris verò animalibus omnia rabie corripi; quasi nos docere velit, reliqua animantia omnia rabire ob morsum canis rabidi, homines autem non omnes, cùm aliquando ope medicamentorum liberentur, nonnunquam nullo adhibito præsidio, ut inter alios testatur *Petrus Salius Diversus*, quam eandem expositionem attulerunt etiam *Leonicenus*, & *Montisanus*.

10. Cæterùm nec his, nec prædictis aliis acquiescens Hieronymus Mercurialis *lib.* 1. *variar. cap.* 2. post alias conjecturas ex antiquis codicibus manu scriptis desumptas, in quibus aliter legebatur, tandem ut concedat *Aristotelis* textum nil immutandum, neminem tamen illius veritatem assecutum fuisse existimat; quam in eo extare firmiter asserit, quòd *Aristotelis* tempestate hic morbus nondum hominibus innotuerit, unde jure ipse scriptis mandaverit solum hominem à rabido cane commorsum illæsum permanere. Dubitat verò an illud ita fuerit, quòd illo tempore rabiei morbus nondum in hominibus fuisset, sed pòst ortum habuerit? an verò quòd esset quidem, sed minimè cognosceretur? ac tandem utrumque fieri potuisse judicat. Hæc *Mercur.* opinio videtur confirmari posse ex eo quòd cùm plerumque accidat, ut commorsus homo non statim à morsu, sed multis posteà diebus, non raro mensibus, aliquando verò & annis in rabiem deveniat, pronum erat, ut licèt in dictam ægritudinem homo incideret, canis morsui non attribueretur: sunt enim rarissimi, qui paucos post

11. dies, puta intrà septimanam corripiantur, & plerumque tertio aut quarto mense malum detegitur; post annum scribit Galenus 1. *Prorrh. sect.* 2. *comment.* 17. quendam novisse, qui in affectionem incurrit; & ab antiquis, inquit *Salius*, proditum memoriæ scimus, hunc morbum ad 5. 7. & 12. annos dilatum fuisse. Sic elapso septennio aliquos aquæ metu correptos scribit *Dioscorides* citatus, & Actuarius *lib.* 6. *meth. cap.* 11. confirmat: *Avicenna* etiam post 12. annum ex aliorum sententia profert aliquando erumpere; exemplo probat *Albertus Magnus*, cujusdam historiam recitans, qui transacto anno 12. cicatrice recrudescente intrà biduum obiit. Confirfirmant juniores peritissimi, Brassavol. 2. *aph.* 23. qui ait aliquos repertos, qui post morsum 17. anno morbum contraxerunt: Gainerius *tract. de venenis* à fide digno ait accepisse, quendam post 18. annum in morbum devenisse, & quod magis est *Alzarav.* propriâ experientiâ testatur rabidum venenum per 40. annos in corpore delituisse. Causam verò istius moræ ad ipsius veneni vim, & patientis resistentiam aut aptitudinem esse reducendam omnibus patet: quibus multùm adjuvat partis commorsæ & læsæ natura, an vena, nervus, vel arteria læsa fuerit: citiùs enim per has partes, tardiùs si ignobiles ac distantes offendat, malignitas ad principes partes serpit, per quas non ita facilis est aditus, nec viæ patent; quibus etiam addi potest illud quod *Æsius* advertit, citius in affectum devenire, qui vitiosis humoribus repleti sunt, quàm qui illis carent. Itaque cùm plerumque tanto tempore lateat, puta 2. 3. & quatuor menses, jamque canis morsus velut oblitus, ubi morbum ex illa causa provenire forsan nondum animadversum erat, nec ex illa quantumvis adesset evenire judicari facilè poterat; qua ratione *Aristotelis* tempore nondum in homine cognitum *Mercurialis* suspicari potuit, cùm alioquin impossibile fore videatur, ut tam lotis manibus Philosophus illud dixisset, *interi-*

12. *re omnia præter hominem*, cùm potius rabie & hydrophobiâ jam prehensum evadere,

non

non rarissimum tantùm, sed pænè impossibile videatur, ut ipsa experientia quotidiè ostendit, ideoque cecinit Ovidius 2. *de Ponto.*

Solvere nodosam nescit medicina podagram
Nec formidatis ulla medetur aquis.

Et qui alioquin convaluisse dicuntur, de illis intelligendum puto, qui nondum in aquæ timorem devenerant; quemadmodum cogito *Valeriolæ* mulo accidisse, de quo rabie percito scribit *ad cap. 20. const. artis,* evasisse, quòd Rhenum currui alligatus transiisset, quia si aquam timeret, haud intrâsset, quamvis maximè urgeretur: imò cum illud remedium noxium potius, quàm utile experientia confirmet, ut ex *Celso. Aurel.* & *Avicenna* probat Sennertus *lib. 1. praxis*, & plures alii tenent, de veritate illius historiæ dubito. Et mihi etiam suspecta est alia quam de rustico quodam refert Cyprianus Maroja *cap. de rabie*, qui jam furens & aquam timens, ne alios læderet, in cubiculo inclusus est, ubi alliorum copia servabatur; unde villicum illis assuetum quamplurima esitantem, à morbo sanum evasisse ait: unde etiam infert allia præstantissimum esse adversus rabiem antidotum. Itaque *Aristotelis* tempore multa, præsertim circà morbos & medendi artem, non fuisse probè cognita inde licèt conjectare, quia ab *Hippocratis* ævo, qui omnium primus medicinam rationaliter tractare cœpit, & circà ægritudinum causas inquirere, & sub Artaxerxe Longimano vixisse fertur, ad *Aristotelis* tempora, qui sub Alexandro floruit, centum paulóve minus interfuerunt anni; unde mirum non fuerit, multa ignota, multa incognita adhuc extitisse, quæ dies diei magistra paulatim aperuit, & assiduus hominum labor investigavit. Inter illa igitur, quæ forsan nondum innotuerant, hominis rabies fuit, à canis morsu pronata; quam ideò Plutarchus 8. *sympos. probl.* 9. & elephantiasin annumerat inter morbos novos sub *Asclepiadis* tempore, qui sub Pompeio Magno Romæ claruit, cognitos, ut *Arthemidorus* quoque philosophus testatur *in epid.* quem etiam hac parte citat Langius *tom. 2. epist.* 13. Addit alia *Mercurialis*, quæ in hujus rei confirmationem apud illum videri possunt, *Hippocratem* præcipuè & *Nicandrum* istius morbi non meminisse.

13.

Sed tamen *Mercurialis* assertio, illiusque conjectura quòd circà *Aristotelis* tempora nondum rabies innotuisset, multis aliis & mihi non placet. Nam in primis Aurelianus 3. *acut.* antiquam hanc passionem fuisse concludit: nec enim obstat quòd *Hippocrates* aut *Nicander* de illa nil scripserint, siquidem *Democritus*, qui *Hippocrati* coætaneus fuit, non solùm illius meminit *lib. de emprosthotonicis*, sed ex professo causam & curationem scripsit, ut citat. *Cælius* tradit; licèt illi fidem abrogare contumeliosè tentet *Mercurialis*, quòd ex uno aut altero *Homeri*, *Menandri*, *Democratis*, & *Hippocratis* loco falsò & extra rem inducto, hydrophobiam veteres auctores novisse, sese probare credat. Verùm magna semper extitit *Aureliani* auctoritas; nec sunt ex plebe Scriptorum infima *Cælius*, aut *Soranus*, qui falsa insinuare soleant; nec indoctè aut ineptè adeò scripserunt, ut non semper magni nominis exiterint & omni veritate digni, ut fides hac parte illis non facilè neganda sit; rabiemque ante *Aristotelis* tempora cognitam fuisse ex eo constat, quòd Plinius *lib. 20. cap. 9.* ex *Epicharmo* brassicam sylvestrem laudat contrà morsum canis rabidi. *Epicharmus* verò *Aristotelis* tempora præcessit, quippe *Pythagoræ* auditorem fuisse constat, cujus meminerunt Cicero *lib. 1. Tuscul. quæst.* & Horatius *lib. 2. epist.* Quare ad alias *Mercurialis* rationes nunc respondere non vacat, quibus abundè satisfacit Josephus de Aromatariis *lib. de rab. contagiosa cap. 9.*

14.

Ex prædictis itaque omnibus, quæ ad difficilem hunc *Aristotelis* locum attulimus, præ cæteris congruentius judicamus, ut cùm dixit omnia animalia commorsa in rabiem devenire, de frequenti eventu, & de illo quod plerumque accidit, accipiendus sit; ut cum dicimus: *Omnis commota est civitas*; non quòd nolit aliquandò econtrà evenire, ut aliquod animal à cane commorsum non rabiat: sed cum addit, *excepto homine*, aut *præter hominem*, non omninò illum excipere, sed quasi comparando illum cæteris animalibus; in quibus quemadmodum rarum est in rabiem non devenire, si morsa fuerint, ita in homine in morbum non incurrere frequentius sit, respectu aliorum animalium, quæ ferè semper incurrunt, ut ita aliquo modo excipi posse dicendum sit; quemadmodum etiam cum ait, *interire omnia animalia commorsa, præter hominem.* Quia aliquoties fit, ut homo evadat, cui diligenter succurritur, & remediis

15.

ſubvenitur; animalibus autem aut nunquam aut rariſsimè ſuccurritur, cum potius ab illis ſtatim fugiamus; alioquin ſi curarentur, etiam aliqua evadere poſſe non eſt dubium.

Sed quantumvis *Ariſtotelis* textus & antiqua lectio prædictis his explicationibus ſuſtineri, & commodè interpretari poſſe videatur, non deſunt tamen, qui adhuc non ineptè alia adduxerint & excogitaverint; quæ quia non inutilia, & à paucis cognita, ideò illa hîc afferre non gravabor, ut lector omnia quæ in re adeò difficili cæteri invenerunt, facilè in promptu habeat. Fuerunt igitur alii, qui per quandam terminorum mutationem *Ariſtotelem* explicare conati ſunt, ut cum homines non rabire ex morſu canis rabidi, nec à rabie mori dixit, non utique veritati contraria dixiſſe probent: nec enim obſtare arbitrantur, quòd homines fieri hydrophobos & mori videamus; aliud quippe eſt rabiem, aliud hydrophobiam pati, illam canum, hanc hominum affectionem eſſe ajunt, neminem ſiquidem antiquorum homines rabidos fieri dixiſſe inculcant; quod ſiquis oſtenderit, palmam auferet: conſueverant quippe antiqui illi ſapientes nonnullis vocibus uti ad brutorum paſsiones denotandas, quibuſdam etiam ad ſolius hominis morbos explanandos: exemplo ſint κεχῦξος & πυρετὸς, quarum utraq; febrem notat, cum hoc diſcrimine, ut hæc in homine, illa in bove, & equo, & cæteris brutis accipiatur, ut videre licet apud eundem Ariſtotelem 8. *de hiſt. animal. cap.* 21. *&* 23. & equidem non eſſet, qui diceret homines κεχύξω laborare, ſed omnes πυρετὸν pati dicunt. Quare non aliter de rabie & hydrophobia videtur dicendum: non enim legimus apud priſcos bruta fieri hydrophoba, ſed rabida; nec *Dioſcorides*, cùm de morſu canis rabidi loqueretur, auſus eſt homines rabidos nuncupare, ſed hydrophobos, quod etiam ab *Æſio*, *Paulo*, & *Actuario* factum videmus, quamvis extiterint *Galeno* poſteriores: crediderunt enim hanc paſsionem tam in brutis, quàm in hominibus ſub genere perturbatæ cognitionis reponendam eſſe. Cùm igitur bruta ab illa adeò exaſperari contingat, ut veluti irata, omnia morſibus adoriantur, rationabiliter λύσσαν, ſive rabiem dicas, eandem nominârunt: in hominibus verò cùm ratiocinatricis facultatis turbationem eſſe crediderint, ideò alio nomine ſignare eam voluerunt; & cùm viderent perturbationem in hoc præcipuè conſiſtere, quòd aquam tantùm perhorreſcant, *Hydrophobiam* nuncupârunt: qui verò non ſolam aquam, ſed omnem reliquum humorem ægrotantes pertremiſcere putârunt, *Hygrophobiam* dixêre morbum. Reliqui verò, qui illius naturam in hoc poſitam voluêre, quòd ſitientes potum abſque ratione timeant, *Phobodiſiam* appellârunt: omnes à nobilioris facultatis commotione denominationem facientes. Optimè igitur credunt *Ariſtotelem* dixiſſe, homines non fieri rabidos; & forſitan dixiſſet fieri hydrophobos, ſi de nomine inter medicos conveniſſet: cæterùm cum de voce diſſentirent, & unanimiter aſſentirentur eſſe perturbationem ratiocinationis, eamque cum ira (ut uno verbo dicam) maniam quandam eſſe judicavit, ex qua fieret hydrophobia, non aliter ac *Dioſcorides* & alii dixerunt: & ne quis putaret hoc de brutis dici poſſe, illa & rabie tentari, & ex ea mori dixit; homines non item, cum in illis talis affectus ad ratiocinatricis facultatis perturbationem ſpectet, quæ propriè eſt mania, quam bruta non patiuntur, cum ratione careant: rabies enim non generat maniam, ſed eſt mania quædam, impropriè canum, propriè hominum; quod ex ipſo *Ariſtotele* non obſcurè colligitur, cum dixit: *Canes laborant tribus morbis, qui rabies, cynanches, podagra nominantur. Horum rabies generat maniam,* (ſcilicèt in hominibus, quibus tantum competit, ſi propriè loqui volumus) *& cùm momorderint, rabiunt omnia præter hominem*, qui fit maniacus, Hoc idem videtur voluiſſe Æſius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 24. qui & canes rabientes maniam ſuſtinere dixit; & propriiſsimè Abenzoar *lib.* 1. *theiſir. tr.* 9. *cap.* 16. ubi rabiem in homine maniam appellavit. Imò Pierius Valer. *lib.* 5. *hieroglyph.* apertè negat hominem in rabiem incurrere, ſed illos, quos ſic affectos vocamus, maniacos potiùs eſſe ſeu furioſos. Hoc igitur ſuppoſito principio, quòd hydrophobia ſit maniæ ſpecies, nullum eſt inconveniens in *Ariſtotelis* textu; cùm hanc pati, & ex illa homines mori voluerit, non ex rabie, quæ paſsio brutorum tantùm, non hominum eſt.

16.

17.

Nec obſtat quòd apud Plutarchum *lib. de ſol. animal.* diſcurſum & ratiocinationem animalia habere legamus; *Ariſtoteles* etiam equos domeſticos ileo laborantes maniacos fieri dixit 8. *animal. cap.* 24. Æſius canes rabientes maniacos eſſe, & quod magis adverſùs prædicta facit, *Galenus* & plures alii hunc affectum rabiem in homine appellârunt, quod practicis adhuc hodie in uſu eſſe videtur: hæc

18.

hæc, inquam, non obstant; siquidem *Plutarchus* eo in loco nobis suadere conatur, in brutis discursum & rationem inesse, quod non solùm ipse credidit, sed longè ante illum *Pythagoras*. Aristoteles eâ voce usus est, cùm pro equorum perturbatione aliam vocem non haberet, atque ita illo nomine abusus est, vulgatum loquendi usum sequens, consuetudine non illi novâ; quod etiam fecerunt *Æsius* & *Paulus*, qui metaphoricè nomen istud usurpârunt, quemadmodum etiam poëtæ, qui rabiem ipsam, discursivæ confusionem appellârunt; ut de Ajace flagellifero *Sophocles* dixit, quod etiam apud *Hesychium* legitur. Ad *Galenum* verò & alios, qui rabiem hunc morbum in hominibus nominârunt, facilè respondetur, *Aristotelem* abusus illos, qui post eum secuturi erant, non debuisse prævidere. Quæ tamen omnia si quis vel nimium subtilia judicet, aut tanquam admodum incerta, nec satis probabilia respuat, prætermissis omnibus antedictis interpretationibus, vocem illam *præter* advertat non solùm aliquando non negare, sed supponere aliquid tanquam verum, ut cùm dicimus *præter homines animalia plurima somniare*. Unde si dicas *Aristotelem* non respexisse ad illam, quam diximus, verborum proprietatem; forsan verbis illis *præter hominem* magis voluit asserere quàm negare, quasi in hoc sensu locutus fuerit: *Cùm momorderint, rabiunt omnia præter* (sive dicas *ultra*) *hominem: interimit autem iste morbus & canes, & quodcumque commorsum est à rabido, præter hominem*, scilicèt non solum hominem, sed & canes, & quodcumque commorsum est à rabido. Quæ explicatio inter cæteras sanè non videtur contemnenda, de quibus jam satis.

19.

Sed quoniam de rabie scitu digna sectamur, illud quoque quod à paucis superioris præcipuè ætatis medicis animadversum est, adducere non gravabimur. Dicebamus anteà rabiem ex se ipsis, absque eo quòd fuerint demorsa, multa animalia contrahere; & hominem non minus à cane, quàm ab alia rabiosa fera commorsum etiam rabie tentari: illud verò modò audire fortassis rarissimum fuerit, quod Gariopontus *lib. 3. cap. 7.* & antè ipsum Priscanus *lib. 2. cap. 8.* narrant, rabiem & hydrophobiam ex nonnullorum etiam serpentum morsu interdum excitari: quin & de venenis quibusdam recitant, quæ rabiem & ipsa concitant, ut de corde & lingua vespertilionis; quod ex *Ovieda* videtur confirmari posse *in hist. gener. de Indis Occident.* ubi tradit Canibalum venenum rabiem concitare. Sed majoris certè admirationis, quod ex veterum sententia idem *Gariopontus* ibidem scriptum reliquit, ex aëris nempè infectione rabiem excitari posse; quin & ab interna maligna aliqua dispositione, sine externo animalium morsu aut aëris vitio, aliquando oriri apud plerosque medicorum hodie in confesso est; nam præterquam quòd hoc scribit Galenus 2. *in* 1. *prorrith. textu* 17. Aurelianus *lib. 3. cap. 9.* Avicenna 6.4. *tract.* 4. *cap.* 5. testantur id ipsum Cardinalis Ponzettus 3. *de ven. cap.* 16. Paræus *lib. 20. cap.* 13. Eustachius Rudius; quod verissimum esse multis ac luculentis historiis probant Marcel. Donatus *lib. 6. de hist. med. mirab. cap.* 1. Petrus Salius *lib. de affect. particul. cap.* 19. Platerus *lib.* 1. *obs. fol. mihi* 90. Joseph. de Aromatariis *part. 2. de rab. contag. cap.* 1. qui mulierem ait vidisse ad mortem rabie deductam absque ulla contagii suspicione; ut interim omittamus ea, quæ *quæst.* 59. ex *Felic. Betera* antè adduximus. Quarè meritò culpandus *Brabus*, qui *lib. de hydrophobia*, hoc falsum esse adversus *Aurelianum* scribit, cùm tamen tanquam certissimum ab innumeris aliis recipiatur; de quo celebrem aliam historiam affert citat. Platerus *in obs. fol.* 83. unde reprehensione non caret *Fracastorius* qui 2. *de contag. cap.* 1. rabiem ex solo rabidi canis morsu excitari posse malè scripsit: cùm potiùs certissimum sit plures rabiei causas in homine assignari debere, quàm in aliis animalibus; siquidem in illo ex interna causa, ex aëris vitio, ex metu, ex morbi peculiari natura, ex canis aut aliorum animalium morsu, approximatione, multis modis oriri posse certum est, ut ex historiis suprà adductis satis jam ostendimus.

20.

21.

Jam ergò ad hujus morbi contagium veniendo maximè inter se medici digladiantur: sunt quippe, qui à contagiosis morbis illum prorsùs eliminent, ut Vega 1. *de diff. feb. cap.* 3. nec ratio quam pro hac assertione affert Brabus *lib. de hydroph. fol.* 7. aliquid convincit; inquit enim, cùm rabies non nisi morsu aut per spumæ contactum communicari possit, hinc evenire, ut à contagiosis affectibus secludatur, quoniam tales solummodò dicunt medici illos, qui ab uno corpore in aliud transeunt sine contactu, præterquàm physico, mediante aëre: hoc, inquam, nil valet, nam de ratione contagii non est, ut ad distans solùm communicetur, quia fomite aut conta-

22.

tactu tantùm sufficit, ut verè contagiosus dicatur affectus; atque ita omnes, qui aliquo ex tribus modis læsionem inferunt, verè contagiosi dici & haberi debent, sine eo quòd necessariò ad distans requiratur ut transeant; præterquàm quòd in rabie etiam ad distans fieri statim videbimus, cùm sit qualitas pessima, maligna, vitæ omninò contraria, in quo contagii vis præcipuè consistere videtur. Quapropter Vega Lusitanus *lib. etiam de feb. diff. sect. 2. cap. 2.* contagiosam esse rabiem asserit, quod ferè omnes sine controversia fatentur: sunt prætereà, qui contactu communicari posse negent, ut *Salius*: tandem sunt qui morsu contagii infectionem tantùm imprimere posse dicant, ut Amatus *cent. 7. curat. 41.* Fracastorius, & alii. Nos per partes dubium hoc seorsim tractabimus, ut quid in unaquaque contagii differentia ut certum tenendum sit, rectiùs investigemus.

23. Igitur an rabies per contactum & contrectationem contagium inferre posit, jam inquirendum: negat *Salius*, qui contactum ad hoc impotentem existimat, cùm & aliquando nec morsus sufficiat, & videamus non omnes commorsos in rabiem incidere; canis quoque rabientis salivam contactu solùm sine ulcere rabiem excitare posse negat: tantæ enim efficaciæ venenum hoc non credit, ut contactu solum cute integrâ inficere queat, cùm aliquando tam debile sit, ut nec morsu id causet, cùm demorsi aliqui sine ullo auxilio evadere tamen visi sint. Hoc quippe virus ait segne esse in penetrando & agendo, quare nisi notabilis sit quantitas, & ulcera multâ salivâ madefiant, rabiem causari posse negat; siquidem & deleteria pharmaca in parva quantitate nil aliquando lædunt, nec ignis scintillæ urunt.

24. Hæc difficultas duas videtur habere partes, alteram de rabiosi animalis contactu, alteram de illius spuma: quoad utramque assero contagium communicari posse, nam ex contactu ipsius canis, aut alterius animalis, si sufficiens detur dispositio, & rabiei venenum fortissimum & potentis efficaciæ sit, non dubito quin aliquando contagium causari posit; est enim talis naturæ venenum hoc, ut totam animalis temperiem immutet, & pravâ dispositione inficiat, ita ut non solùm respiratione, sed transpiratione malignitatem diffundat, præsertim si cutem raram inveniat, tenuem, & delicatam: quâ ratione Galenus 1. *de sanitat. tuend.* dicebat, cutem raram & mollem ab externis injuriis & extrinsecùs imminentibus malis facilè tentari; nam si per inspirationem inficere potest, ut statim dicemus, quare transpiratione eandem infectionem non inducet? Deinde si verum est quod *Aldrovandus* ex Rusio *cap. de ove* scribit, ovem in rabiem devenisse ex eo tantùm, quòd vacca rabiens eam cornu impetiisset; & quod *Aurelianus* etiam ait, aliquos unguibus rabientium læsos in rabiem incidisse; ergò si unguibus & cornu tanta virulentiæ fuit vis, quare in reliquo corpore potentior non poterit inveniri, ut multò promptiùs inficiat? Nec obstat dicere, in his ab unguibus & cornu vulnera facta fuisse, quia præterquàm quòd hoc ibi non dicitur, tamen si tam potens venenum in cornu & ungue est, valentius multò in cute erit, quæ ad illius receptionem capacior est, venisque & arteriis constat, ut absque vulnere & sanguine illos, quos attigerit, inficere posit: nec tandem necessarium videtur, ut cornu aut unguibus vulnera fierent, quia in his cùm sint partes siccissimæ, nil humoris venenosi contineri videtur, quod posit communicari per vulnus; ergò solùm qualitas maligna communicari potuit, quæ in rabienti animali per omnes corporis partes diffusa erat. Nec hoc mirum videri debet, quandoquidem vulnera à ferocientibus animalibus facta præ cæteris venenosiora esse testatur Nierembergius *parte 2. de occulta philosophia lib. 1. cap.*

25. 38. Nec alia ratione judico Amatum *centur. 2. curat. 78.* jussisse ut vulnera à magnis canibus inflicta diu aperta servarentur, & velut venenosa tractarentur, cùm isti magis quàm parvuli catelli furant, & ingenti irâ perciti ad mordendum ferantur. Venenum itaque rabidorum tactu communicari posse non est omninò præter timorem, & Palmarius *in opere de morbis contagios. pagin.* 266. vidisse ait equos, boves, & oves rabiem contraxisse, ac tandem periisse, quòd stramentum, in quo rabientes sues decubuerant, comedissent; quare videtur hujusmodi stramentum ex porcorum contactu & vaporibus infectum. Aliam prætereà historiam refert rabientis cujusdam rustici, qui morti jam proximum cùm se videret, asidentes obnixè rogavit, ut quos statim deserturus esset

esset liberos, osculari liceret; concessum est, atque illis oscula libavit: quid fit? paulò post obiit, & 7. transacto die eodem morbo & eisdem cruciatibus correpti omnes brevi quoque extincti sunt. Hac de causa rabientium urinam quomodocumque calcatam valdè nocere, maximè ulcus habentibus, scribit *Pierius Val.* quod idem testatur Plinius *lib.* 29. *cap.* 25. ex quibus patere arbitror quàm periculosus sit rabientium contactus, cùm contagii suspicione non vacet.

Quoad alteram partem circà spumam, non levis etiam est inter medicos contentio; negant *Fracastorius*, *Amatus*, *Salius*, qui, ut anteà dicebamus, tantam efficaciam hoc venenum habere non credit; quare nisi apertâ fissâve cute lædere posse non concedunt, talis quippe esse naturæ ut tardissimè operetur: quod non aliundè provenire existimat *Fracastorius*, quàm ab illius crassitie, unde evenit quòd segnius serpat, & non nisi post longum tempus actionem suam perficiat, & manifestetur. Cæterùm his non obstantibus spumam rabidi canis contactu perniciosissimam esse, & in rabiem adducere posse plurimi testantur, & experimentis (si vera sunt) probant. Hoc inprimis firmat Galenus 6. *de locis* 5. dum ait tantam fieri in cane tunc humorum corruptionem, ut solum ejus sputum, si humanum corpus tetigerit, rabiem excitare possit: idem adversùs *Fracastorium* concedit Brabus *lib. de hydroph.* Sennertus *lib.* 3. *praxis*, *& lib.* 2. *institut.* Zacutus *lib.* 5. *de princ. hist. quæst.* 23. Fabricius Hildanus *cent.* 1. *obs.* 86. & ibi Palmarius, Gradi, Mathiolus & alii plures; quod expertis historiis ex propriâ observatione adnotatis comprobant, quarum potissimæ sunt sequentes. Scribit Math. de Gradi *cons.* 82. magnificum dominum Joannem Coqueranum rabie infectum fuisse post multos dies, ex sola manûs impositione ad os canis rabientis, etsi illum non momorderit. Mathiolus *ubi suprà* duos ait vidisse homines, qui nullo modo vulnerati, sed ex spumæ tantùm perfusione rabiem contraxerunt: vetulam quoque ab equo furente apprehensam, nullo illato vulnere, sed ex solo spumæ contactu rabie agitatam citati affirmant; quo mortis genere *Baldum* insignem illum Jurisconsultum Tridenti occubuisse testantur innumeri, ex rabientis catuli salivâ inferiori labro vix approximatâ, unde 4. posteà mense in aquæ timorem & mortem devenit. Similiter & alius, quem refert Cardanus *lib.* 2. *contrad. tract.* 5. *contr.* 9. cùm canem, quem in deliciis habebat, suffocandum dimittens, anteà osculatus esset, inde mortem sibi accersivit: quarè fatetur idem rabidi canis spumam pessimum esse venenum; nuda quippe corpora tangens, non minùs rabidos homines efficere potest, & contagio inficere, quàm si à cane fuerint demorsi. Proindè rectè *Avicennam* admonuisse credimus, ne canum ciborum reliquiæ ab his, qui illorum curam gerunt, comederentur; & licèt hoc periculum, si devorentur, omnes communiter concedant, ut ex appositissima *Aureliani* historia patet; sutricis nempe, quæ vestem à cane rabido dilaniatam consuens dentibus filum abrupit, & nulla alia de causa tertio post die in rabiem incidit: licèt, inquam, ita accidat, tamen dubium non est, ob ingentem illius perniciem per transpirationem quoque in alta viscerum penetralia attrahi posse. Nec obstat quod Galenus 3. *de temp. cap.* 4. expressis verbis de veneno quantumvis exitiali affirmet, cuti exterius applicitum nil noxii afferre posse, unde nec aspidis, viperæ, aut rabidi canis spumam, prædictam vim habere dicendum; non obstat, inquam, quia *Galenus* non ita universaliter accipiendus, ut validissimis venenis & exitialissimis, ultrà communem nocendi modum, efficaciæ raritatem aliquando non tribuat: si enim dantur corrosiva aliqua & mordacia, quæ foris applicita cutem exulcerant, & intus sumpta non nocent, ut de sinapi, alliis, cepis, muria; docet idem *eodem lib. de temp.* 3. quantò potiùs lethalissima venena, quæ devorata aut gustata certissimam mortem inferunt, etiam contactu suo multùm lædent? Hujusmodi venenum Turcas habere scribit Cardanus *lib.* 1. *de venen. cap.* 15. quod solo contactu hominem eodem die interimat: sic de Cambaiæ Rege ex Indis historiis refert Scaliger *exercit.* 157. qui filium veneno educavit, & venenosum adeò reddidit, ut muscæ solo suctu turgidæ interirent; & Regem alium Indiæ adeò venenosum fuisse, ut si in alterius nudam cutem exspueret, sputo illum enecaret. Ita etiam vestes veneno infici posse testatur Androinus *lib.* 1. *cap.* 8. *de venenis*, Gainerius *de eisdem cap.* 22. Cardinalis Ponzettus *lib.* 7. *cap.* 2. Cardanus *lib.* 2. *de venen. cap.* 1. Zacchias *quæst. med. leg. lib.* 2. *titul.* 2. *quæst.* 11. quod celebri Herculis historia ex *Ovidio* probat 9. *metamorph.* cujus etiam in *Hercule OEthæo* meminit *Seneca*; nam cùm pallam à Deianira sibi missam, sanguine Nesi centauri imbutam indueret, veneno infectus est, ob cujus sævitiem

26. 27. 28. 29.

tiem se in monte OEtha combussit. Vestes itaque venenari posse sæpiùs experientia docuit: sic etiam ferunt Hispaniæ annales, insolentissimum Mauritaniæ Regem, Petrum Hispaniæ, quem hostem habebat, fictâ amicitiâ interficere tentâsse; cui inter alia eximii ornamenti xenia pulcherrimas, sed veneno delibutas ocreas misit, potenti adeò, ut siquis illas indueret, facilè periret: hujusmodi exempla plurima referunt Nicolus *sermon.* 4. *tract.* 4. *cap.* 5. Gainerius *cap.* 1. *&* 2. *de venenis*, Mathiolus *in præfat. ad lib.* 6. *Dioscor.* Grevinus 1. *de venen. cap.* 1. & alii citati apud Sennertum *lib.* 6. *part.* 5. *cap.* 2. qui ait hæc impossibilia non debere judicari, præsertim ab illis, qui Torpedinis vim agnoverunt, & serpentum aliorum, qui per hastas, quibus confossi sunt, alios enecârunt; quibus haud absimile est illud quod de araneo narrat Scaliger *exercitation.* 186. cujus veneni adeò perniciosa fuit vis, ut calcantibus per calceorum soleas venenum transfuderit, ut cuidam Vicentino accidit: quin & in Vasconia pestilentissimi aranei levissimo transcursu speculum crepuisse refert idem. Ego quoque ab amico audivi avunculi sui historiam, quæ talis erat: Ruri obambulans viperam & truculentissimum araneum pugnantes fortè conspexit; ad illius accessum vipera subterfugit, ille verò araneum interficere tentans, pede illum calcavit; tamen veneni pernicies tanta fuit, ut calceorum soleas penetraverit, unde dolor & inflammatio ingens statim secuta est, ex quibus non nisi magno labore evasit. Plura afferre possem, à quibus supersedeo, cùm sciamus circà venenorum vires majora aliqua quàm prædicta enarrari, quæ tamen credimus, ut de cantharidibus applicitis, aut in pyxide gestatis, à quibus malignitas intrà corpus tandem penetravit, quin illi adhærerent, ut narrant Paschalius *de curand. morb. cap.* 44. Adolphus Occus *in suis observat.* Langius *epist.* 47. *tom.* 1. *& epist.* 68. venenorum quippe exterius interficientium multæ sunt historiæ; nam & stapedibus imposita mortem aliquando attulisse scribit Grevinus *cap.* 1. & Joubertus *parad.* 10. Platina quoque auctor est Pontificem quendam per podicem venenatum fuisse à papyro, quam illi tribuit camerarius, ut post secessum se mundaret. Scio tamen alios tantam venenis vim non concedere, ut exteriori contactu tantùm naturaliter valeant enecare; sed illud diaboli adjumento & concursu fieri ajunt, ut inter alios tenet Delrius *lib.* 3. *disp. mag. part.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 2. *&* Villalpandus *lib.* 2. *magiæ operat. cap.* 39. sed plurimi alii hoc impossibile non judicant, ut ex tot historiis probari videtur; unde cùm rabiei venenum tam perniciosum sit ac potens, per contactum etiam inficere posse non omninò videtur negandum.

30.

Quoad fomitem, citrà dubium etiam videtur rabiei venenum per fomitem communicari; nam præter illa, quæ superiùs ex *Palmario* adduximus de stramentis, in quibus rabientes porci decubuerant, quæ posteà ab aliis animalibus comesta in rabiem illa adegerunt, ex alia etiam historia evidenter hoc patet, quam ex *Isaia Meischnero* affert *Schenckius* de ense, quo rabidus canis confossus fuerat; quem sub sponda derelictum post multos annos, ac rubigine obductum puer sibi cùm aptare voluisset, abstergens & perpoliens, improvidus digito vulnusculum inflixit, ex quo rabie percitus nemine advertente periit.

31.

Tandem ad distans contagiosam esse rabiem, & inspiratione communicari posse concedunt plurimi: animalia quippe venenata aërem inficere non est dubium, putridis enim & malignis vaporibus, ac exhalationibus à corpore & inspiratione transmissis non possunt non illum coinquinare; quare *lib. de ther. ad Pisonem* monebat *Galenus* viperarum aërem non esse inspirandum: & de rabido cane manifestè hoc docet Arethæus *lib.* 1. *de signis acut. cap.* 7. cum ait: *Quin etiam & à rabido cane, qui in faciem, dum spiritus adducitur, tantummodo spiraverit, & nullo pacto momorderit, in rabiem homo agitur.* Sic tenet *Aurelianus* citatus: *Quidam in hydrophobiam venerunt ex solius aspirationis odore ex cane rabido abducto.* Dioscorides *lib.* 6. *cap.* 36. de Themisone sic ait: *Dicunt ipsum cùm amico aquam expavescenti morem gereret, & officium exhiberet, quâdam naturæ concordiâ similem contraxisse affectum.* Si enim videmus anum aut fœminam pravis humoribus, vel mensibus inquinatam, vaporibus suis pessimis infantes fascinare, & tam crudeliter lædere, cùm tamen ipsæ nullum malum sentiant; quantò potiùs canis aut hominis rabioso veneno infecti exhalationes maligniores erunt, cùm à multò pravioribus humoribus perniciosissimo veneno infectis prodeant & eleventur? Propterea Pierius Valerianus

32.

Hioro-

hieroglyph. lib. 5. hujusmodi veneni vim illos ait sentire, qui rabie laborantem canem dissecuerint; nam eâ afflatos exhalatione contagii malignitatem experiri ait: quod adeò certum est, ut Fontecha *privileg.* 10. dicat, hominem nulla alia de causa, quàm quòd ab asina rabiente inspiratum fuisset, in rabiem post tertium mensem devenisse; quin hunc alium hominem eodem modo & morbo affecisse, qui tertio die malum sensit. Itaque ad distans, & per inspirationem contagiosum esse hunc morbum tenent Cardanus citat. Jonstonus *in idea*, Salius, Fontecha, Zacutus, qui licèt *lib.* 4. *de princip. hist. quæst.* 42. *propè finem* hoc negaverit, & solo fomite & contactu rabiem contagiosam esse dixerit; tamen *lib.* 5. *ejusdem hist. principum quæst.* 23. nescio an oblitus, an rectius judicans, rabiem ad distans contagiosam esse tenet ac probat; quemadmodum etiam Josephus de Aromatariis *part.* 2. *cap.* 1. *de rabie contagiosa*, cujus hæc sunt verba: *Sed quod longè mirabilius est, narratur fieri morbum hunc in hominibus si spiritum adducant, dum è directo rabiosus animans in eorum faciem inspiraverit.* Monitum tandem hac parte volumus lectorem, venenum rabidorum nunc esse fortius, nunc debilius: si fortius & ingentis efficaciæ, contactu & ad distans rabiem inferre posse dicimus, præcipuè si cutis raritas, & patientis dispositio apta inveniatur; aliter minimè hoc accidere, ut propterea mirum non sit, alios hoc vidisse & approbâsse, alios ut impossibile habuisse.

33.

34. Tandem in hac de rabie tractatione haud videbitur injucundum parergi loco problema scitu dignum discutere: scilicèt, quam ob causam, cùm rabiei venenum tantæ efficaciæ esse ab omnibus constituatur, ut non solùm fomite, sed contactu quoque & ad distans pestiferam suam vim immittere possit, cum hoc tamen illius actio tam torpida sæpius sit ac iners, ut tardissimè multoties operari videatur? cùm non afflati solùm, sed & commorsi, per menses plures, & aliquando annos nullam læsionem sentiant; quod sanè multò citius debebat fieri, si, ut dicitur, tantæ efficaciæ foret. Ad quod tripliciter respondemus. Primò sic; ideò tardè operationem suam facere, quia in genere venenorum inter crassa venena & terrestria numerari debet, quæ venena Galenus 3. *simpl.* tardè operari & interimere dicebat: ideoque cùm de istis sit, cum humore melancholico analogiam quandam habet; quare in operandi modo & tarditate illi assimilatur, & illius motiones velut æmulatur. Secundò dicimus, istius veneni malignitatem non in celeritate agendi consistere, sed potius in pertinacia adhærendi, ita ut semel impressum difficillimè extinguatur; quod certissimè colligitur ex historia mulieris à cane rabido commorsæ, quam narrat *Albertus Roscius* apud Fabric. Hildanum *cent.* 1. *obs.* 86. *in fine*, quæ quidem mulier optimè & à morsu statim curata, nullo non dexterrimè adhibito remedio, tamen obstare non potuit, quin per septennium ter recidivam fecerit, quousque tandem mortua est anno 21. postquam morsum acceperat: cui non absimilis fuit casus, quem suprà ex *Alberto Magno* retulimus. Tertiò dicendum, hanc esse pessimorum venenorum conditionem, ut quò maligniora sunt & magis pestifera, eò magis sese occulere fingant, ut subitò ac inopinatè invadant, horribilibusque accidentibus, quorum ab initio nil ostendunt, sese prodant, tragœdiam omnem ad sui manifestationem relinquentia; ut in malignissimis & minimis febribus sæpiùs observamus, quas ideò malignas esse 3. *de crisib.* 4. Galenus indicavit.

QUÆSTIO SEXAGESIMASECUNDA.

An in urinis rabientium catuli, vel aliquid simile appareat? & an ipsi in aqua, aut aliis liquidis, canes aut illorum viscera aspiciant, & propterea illam timeant; an alia de causa hoc faciant?

1. FAbulosum esse dicebamus suprà, quod ex aliorum mente *Iacob. de Partibus* scripsit, rabiem scilicèt ex verme in canis capite nato prodire; quod etiam ex communi

muni fama divulgatum esse ac verum notat Fontecha *lumin. 2. titul. de vermibus intestinorum*. Paulò aliter *Plinius*, qui videtur quasi credidisse morbum hunc originem habere à vermiculo quodam sub lingua canum latente, cujus signa sint macies totius, & morosa quædam propensio ad mordendum: hunc vermem Græcis *Lytta* vocari ait *lib. 29. cap. 5.* Sed non minus fabulosa hæc sunt, quàm illud, quod ex aliquorum quoque sententia affert Nicolus *serm. 4. tract. 4. cap. 15.* nimirum rabiem specialiter in cane ad unicum tantùm dentem determinari, quo si momorderit, rabiem inducit; si cum aliis, nequaquam, vulnusque non aliter esse, quàm si à cane non rabioso infligatur, ut etiam tradit *Augustinus Niphus*: nec enim hoc credi, nec ullo fundamento probari posse videtur, mirorque *Nicolum* tantum sibi hac in opinione placuisse, ut dicat duos vidisse ab eodem cane commorsos, quorum unus propterea in rabiem devenit, quòd tali dente vulneratus fuisset, alter minimè, quòd non illo sed aliis dentibus ictum accepisset; cui fabulæ forsan ansam dederunt *Dios.* & *Serapio*, qui caninum canis dentem ab animali rabioso exemptum, & in aluta ligatum pro amuleto adversus rabiem prædicârunt. Quemadmodum itaque circa rabiei certam causam inveniendam & assignandam variè medici disceptant, ita circa aquæ timorem, & veram hydrophobiæ causam reddendam, contentio inter ipsos non levis est: verùm nos, qui modò eorum lites componere non curamus, quia amœnitatum quædam delectamenta tantum prosequimur, haud sanè fuerit injucundum rabidum istum canem in aqua & liquidis indagare. Quærunt certè multi canem, qui morsum inflixit, ut illum interficiant, credentes vulneratum melius sic canis imaginationem declinare & intermittere posse, cùm illum jam mortuum apprehendat; sic nos in hoc rabiei etymo hos catulos, quos in urinis rabidorum apparere plurimi auctores affirmârunt, & illum, quem in aquis & liquidis aliis ab hydrophobis conspici dicunt, quærere intendimus: ut si certò inveniatur, recondita tanti veneni admiranda vis nos in majorem stuporem rapiat; vel si fabulosum hoc, & imaginarium invenerimus, à medicorum & vulgi erroneis mentibus ineptum hoc mendacium abigamus.

In comment. lib. de mal.

2. Igitur catulos, aut illis aliquid simile in rabidorum urinis apparere scripserunt ex Arabum præcipuè schola auctores non vulgares. De Græcis quidem apud nullum hoc inveniri extrà dubium est; inventum quippe, aut si mavis dicere Mauritanorum observatio fuit; quorum antesignanus Avicenna *fen. 6. 4. tract. 4. cap. 7.* sic de rabiente loquitur: *Et quandoque mingit pinguedinem, seu rem in qua apparent res carnosæ mirabiles, quasi sint animalia, & quasi canes parvi.* Eodem modo Abenzoar lib. 1. Theisir. tract. 9. cap. 6. *In hac* (inquit) *mania quoddam mirabile reperitur, quòd si collecta fuerit urina istius in quantitate multa in urinali vitreo, videbis quòd clarificabitur urina, & sine dubio videbis intrò formas catulorum natantes; & si ipsam colaveris per pannum subtilem, nullum vestigium illorum in petia poteris invenire; & si dictam urinam in urinali reponas, & ibi aliquantulum permanserit, veraciter iterùm videbis eos ut prius: & super hoc libenter causam ponerem, si meus intellectus esset sufficiens.* Tandem hoc fabulosum non esse nec impossibile, aliqui qui posteà secuti sunt non infimæ notæ medici confirmârunt: ita *Gentilis* super Avicennæ locum citatum, *Conciliator* diff. 179. *Latrant interdum ut canes, minguntq; pinguedinem, in qua res carnosæ mirabiles, ac si essent animalia, & quasi catuli apparentes.* Nicolus Florentinus *serm. 4. tract. 4. cap. 15.* propriâ experientiâ inter alios juvenem à cane rabido morsum vidisse ait, in cujus urina apparebant canum simulachra. Alii licèt hoc fidem excedere fateantur, tamen antiquorum dictis adstipulantur, ut Vega *com. in 6. de locis.* & ad *cap. 84. artis med.* Mathiolus *lib. 6. cap. 36. in Diosc.* qui cùm fabulosum hoc ab aliis judicari non dubitet, ipse tamen, quòd *Avicenna* & *Conciliator* illud asserant, credendum putat; ita Valeriola *ad cap. 20. de constit. artis med. Galeni*, Grevinus *lib. 1. de venen. cap. 35.* Cardanus *lib. 2. contrad. tract. 2. cap. 7.* Nec desunt etiam ex his qui nostrâ ætate scripserunt viri famâ & scriptis celebres, qui verum hoc esse contestentur, ut Zacutus *lib. 5. de princip. hist. 14.* Sennertus *2. institut. part. 3. sect. 2. cap. 4.* qui addit se à fide dignis pro certo & vero accepisse ex spuma canis rabidi vesti aut linteo inhærente animalcula quædam parvis catulis similia generata fuisse: exemplo & experientiâ in quadam honesta fœmina hoc observatum fuisse testatur Philippus Salmuthius *cent. 3. observ. 83.* cui rabiosus

3.

biosus canis obvius vestis fimbriam mordicus arripuit; at quarto post die, dum vestem requireret, vermes capite canino ex spuma in lacera veste genitos observavit: & quod magis est (ut horum opinio minimè vana judicari possit) illam confirmat insignis virtute & sapientiâ vir S. Petrus Damianus *lib.* 1. *epist. ad Pontifices epist.* 5. *fol.* 12. qui sic scribit: *Et hoc experimento cognoscitur, quia si rabidus canis hominem fortè momorderit, tanta vi rabies ejus in viscera protinus humana transfunditur, ut mox in ipso urinæ conceptaculo catuli generentur. Quod mirum hoc evidenti comprobatur indicio, quia si is qui canino morsu correptus est, cantinelas, quod muscarum genus est, in aqua ruitas ebiberit, mox cum urina simul, non sine magno doloris gemitu, catulos fundit: & certè non contemnenda res digna spectaculo, qualiter ex sicco dentium osse soboles gignitur, in quo videlicet humor seminis non habetur, & quod per genitale membrum facilè natura non poterat, per traducem dentium similem in diverso genere speciem format: & fortè non sine mysterio fit, ut per hoc animal, quod cantinela dicitur, virus, quod ex canina rabie conceptum est, egeratur.* Satis authoritatum in re perdifficili & pænè incredibili jam attulisse videmur, nam rationibus hoc comprobare (si verum est) nostro forsan intellectui res impar videbitur: illud tantum nobis hâc parte inculcant, qui miraculum hoc suadere nituntur, tantam, ac tam valentem esse veneni vim, corpusque ita alterare ac disponere immutareque, ut in sui similem dispositionem trahere ac transmutare valeat; ex quo tandem ea vis in humoribus resultet, ut in caninam figuram ex ipsis aliquid simile efformetur: quemadmodum enim rabidus homo se in canem degenerâsse corrupto mentis judicio apprehendit, unde mordet, latrat, & caninos per omnia mores imitari conatur; ita propria corporis dispositio ingenti veneni vi distracta, & eâdem corporis humores alterati, alienæ non solum speciei naturam induunt, sed illius quoque figuram quodammodò repræsentant. Quod ne quis existimet rabidi canis veneni tantummodò proprium esse hanc in corpore efficaciam præstare, ex aliorum quoque animalium malignissimis venenis similiter contingere auctores tradunt, & ipsi præsertim Arabes; qui præter illa signa, quæ de phalangii morsu *Paulus* & *Æsius* ex Græcorum penu scripserunt, hoc quoque addunt, in urina illorum, qui à phalangio commorsi fuerunt, vomitu etiam, & alvi dejectionibus apparere quædam araneis similia, ut de illorum vomitu refert *Constant. Africanus*; & quod in vomitu quidpiam simile appareat, in illis præcipuè visitur, qui ab araneo *Cyaneo* dicto morsum acceperunt, de quo *Aldrovandus* in insectis: *Vomitumq; edit è collo lubricum, ab araneis telis non multùm distantem.* Et sicuti à Cyaneo morsis per vomitum illud ejicere peculiare est, ita in urina illorum, qui ab alio araneo *Rhagio* dicto vulnerati fuerunt, eadem apparere naturales affirmant: pessimum sanè phalangii genus, quod Nicander *Rhos*, Ælianus *Rhas* appellârunt, quod uvæ acino persimilis sit, ut citatus credit *Aldrovandus*, & tradit Plinius *lib.* 29. *cap.* 4. qui de eo loquens: *urina*, inquit, *similis araneis textis.* Quod ex *Hierocle* probat *Aldrovandus* & accidere fatetur ob veneni vim, quâ corporis humores in sui naturam convertit; unde patet Arabum hoc non fuisse inventum, necùm ab antiquioribus multò antea hoc de aranearum veneno scriptum fuerit. Cui negotio fidem addit, quòd Græcorum quoque alii confirment; nam ipse Æsius *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 18. post alia signa ait: *Si verò minxerint, aquosæ ipsorum sunt urinæ, quæ aranearum textis similia in se habent*; & Mathiolus *lib.* 6. *cap.* 35. à quibusdam sui temporis audivisse refert, quòd in urina eorum, qui à phalangio commorsi sunt, conspiciantur substantiæ quædam innatantes araneorum telis persimiles. Ex quibus si non efficacibus rationibus, multorum tamen celebrium virorum auctoritatibus, & venenorum aliorum exemplo, & simili efficacia probari videtur, non omnino fabulosum esse, quod de urina rabidorum ajunt, conspici quidem in ea aliquando catulis aliquid simile cujus eventûs veram causam nullus rerum naturalium acerrimus licèt indagator afferre poterit, nisi ad abditam, & arcanam veneni vim, & peculiarem proprietatem recurrat, in quorum occultis qualitatibus multa latent, quorum causa non facilè nobis se pervia exhibet; aliter dicat mihi qui hujusmodi inaccessibilia penetrare nititur, unde virtus aranei, qui ostenditur illi, qui ab alio araneo commorsus fuit, in illum solo visu descendat, ut laborantem ad sanitatem reducat, & noxam ab altero acceptam penitùs evincat? & tamen hoc Naturales ut certum nobis inculcant, & hujus generis alia, quæ pro ictero sanando de galgulo, charadrio, seu rupicula ave tradunt præcipuè Plutarchus *lib.* 5. *sympos. cap.* 7. Heliodorus *lib.* 3. *hist. Æthiopica*, Ælianus, & recentiores alii; quemadmodum de rubeta, quæ aspicientes pallore tan-

tanquam ictericos afficiat, ut ait *Philes*. quæ vel fabulosa, vel omninò nobis incognita fateri necessum est.

6. Sed his non obstantibus is ego sum, qui licèt hujusmodi miracula non penitùs in naturæ majestate impossibilia judicem, cùm aliàs sciam credibilia non rarò esse quæ talia non videntur; tamen istis vel leviter fidem præstare doctis non convenire arbitror, potiusque hoc ipsius rabientis corruptis imaginationibus, quas canis perpetuò obvolvunt, tribuendum fore judico: quæ licèt hîc sicuti in gravidarum conceptibus aliquam immutandi vim habere posse non videantur, conceptam tamen canis speciem cum horrore & metu menti infixam in aquis & liquoribus, si non verè, erroneo tamen mentis excessu sibi ipsis repræsentari, ac aspicere imaginantur; quod ab aliis, qui integro fruuntur judicio, non conspici certum est, cùm nec in urina aut aliis liquidis aliquid hujusmodi realiter existat, nec mens canino veneno minimè delibuta ac depravata, canum figuram nullo modo existentem percipere valeat, cùm à falsis phantasmatibus haud possit deludi: quare ipsos solummodò laborantes in sua, vel etiam aliena urina, illa canum idola conspicere dicendum est, quemadmodum advertit Marcel. Donatus *lib. 6. cap. 1. de med. hist. mirab.* quod etiam sequitur Godoi *in apolog. de rabie*. Sic ille apud Alzaravium *tract. 3. sect. 2. cap.* 30. quem scribit à rabie sanatum interrogâsse, quid vidisset: & respondisse ait caninos catulos in urina sua vidisse. Nam quòd hoc rabiem patientibus accidat, sicuti in aliis liquoribus, non est adeò impossibile modo jam dicto, sicuti dicere ab aliis sanæ mentis in rabientium urina videri posse; est quippe hoc mendacium fabulis meritò æquiparandum, resque poëtis potius quàm medicis digna, ut *Salius* scribit, qui omni diligentiâ adhibitâ hoc falsum esse comperisse testatur: quare *Nicolo* præsertim, qui hos catulos in urina rabientium vidisse ait, nulla fides dari potest, vel dicendum apparuisse rabioso, & non aliis. Nec experimentum ab *Avenzoare* adductum aliquid veritatis continet, cùm falso nitatur fundamento; cæteri omnes, præterquam quòd hoc impossibile judicent, alius ex alio illud transtulerunt potius, quàm ullâ eventûs certitudine expertum & verum habuissent: nec aliter *S. Petro Damiano* accidisse crediderim, qui forsan ex aliorum auditu & relationibus magis, quàm ex propria observatione illud accepit; quia si hoc unquam vidisset, sine dubio se ocularem testem declarâsset, in re præcipuè adeò admiranda: ad quod cogitandum exinde moveor quia S. Pater anno abhinc 600. vivebat, quo tempore Sarracenorum secta in medicina maximè vigebat, & à qua hæc catulorum in rabidorum urina fabula primò dimanavit; quare facilè contingere potuit, ut à medicis sui temporis doctrinæ Arabum tam maximè addictis, quàm credulis, illud accepisset.

Tandem illa similitudo, quæ de aranei morsu & illius veneni vi affertur, tanti momenti apud me non est; nam licèt præter alios illud *Æsius* & *Plinius* attestentur, fieri potuit, ut imaginatio illorum, qui ad videndam urinam accesserunt, multùm adjuvaret, ut tale circà telam ibi apparentem judicium facerent; nam cùm ex urinarum sedimento non raro nebula fiat, quæ aranearum telas non multùm dissimiliter æmulatur, facilè evenire potuit, ut ad aranei morsum hoc primum retulerint, medicinæ præsertim ignari, & illius in urina nebulæ naturaliter evenientis nequaquam conscii, unde sic telæ aranei aliquid simile esse dicerent. Nam & apud medicos araneosæ urinæ etiam dicuntur, in quibus supernatans pinguedo araneorum telis aliquid simile efficit, ut *lib. de signif. urinarum* ex *Hippocrate* traditur, quisquis auctor fuerit, colliquefactionis alioquin signum pessimum; unde non malè de exitialissimi veneni vi corporis substantiam colliquantis, illud conjectare possumus, quòd pinguedinem sua deleteria malignitate colliquando, per urinas, ut accidit, illam effundat, quæ frigore condensata in telæ araneæ formam evadat, ac urinæ superficiem contegat, unde prædictæ fabulę occasio data fuerit, credentibus ex vi veneni aranei, obductam illam telam productam fuisse, cùm multò aliter res hæc eventum suum obtinuerit. Cætera verò, quæ de rabientium spuma vestibus adhærente, ex qua catuli generari visi sunt, & alia quæ de araneo, & galgulo, sive rupicula ajunt, pro fabulis accipimus: quod si quis prædicta omnia credere velit, liberum illi judicium esto, cum hæc omnia & similia ex auditu & relatione tantum afferantur, sed vera esse nulla experientia unquam ostendit.

7. A præcedentibus non multùm differt, quod secundo loco in quæstione quæritur: An rabientes in aqua aut aliis liquidis canes, aut aliquid simile illis aspiciant; ex quo

demum

demum terreantur, & aquam cæteraque potabilia & liquida tantoperè fugiant & aversentur? Cui dubitationi nos breviter respondendo pauca dicemus, nam multorum opiniones circa difficillimam hydrophobiæ causam modò adducere non intendimus; illas tamen, quæ veritati accedere magis videntur, defendique possunt, obiter tantum proponere permittendum. Igitur non omninò aspernendam *Salii* sententiam judicamus, quam paulò post etiam secutus est *Brabo Salmantinus*, & ut optimam inter reliquas probavit Sennertus *lib.* 3. qui omnes ajunt, tam peregrini istius symptomatis, nimirum aquæ timoris, causam ad nil aliud quàm ad antipathiam referri debere; id est, ad repugnantiam & naturalem quandam discordiam, quæ veneno rabientium cum aqua & omnibus aliis liquidis intercedit, cujus contrarietatis & inimicitiæ rationem, quidquid alii defatigentur, inveniri & assequi posse non speramus, cum ad proprietates occultas & indicibiles spectet. Dari verò similes antipathias in aliis quamplurimis rebus, idem *Brabus* multis exemplis comprobat; atque ita quòd in hoc veneno cum aqua, & liquidis inveniatur, ex eo deduci posse videtur, quòd non solùm aquam præsentem, sed illius sonitum, imbres, quin & lachrymas, & ipsum quoque aquæ nomen, omniaque liquida timeant, & obnixè abhorreant: addunt alii cum *Æsio*, inventos etiam, qui specula & lucentem aërem motu agitatum ferre non possent: hinc aiunt sanitatis spem esse, quousque se in speculo intueri valeant ut supra ex *Avicenna* retulimus. Denique tantam dicunt esse aquæ præsertim cum hoc veneno antipathiam, ut si vulnus à cane rabido inflictum aquâ lavetur, incurabile fiat, altius sese veneno insinuante, dum à contrarii contactu quàm celerrimè fugit, & se subtrahit: quin & ex solo aquæ conspectu certum est imminentem hydrophobiam promptius accersiri, subortam verò vehementius exasperari; tantoperè siquidem eam perhorrescunt, ut si afferatur, statim tremore, delirio, sudore, animique deliquio prehendantur, & mori potius eligant, quàm vel potu vel solâ ablutione aquam contingere, ut apud *Aurelianum* philosophus ille, qui ex contactu tantum lachrymarum vehementi terrore affectus ex loco ubi erat prosiliit, vestesque furibundus conscidit.

8.

Quòd si hæc sententia minus placuerit, ut apud Petrum Garciam *disp.* 14. *de locis* non levibus rationibus refelli videtur; altera sanè causa non contemnenda ab aliis adducitur, quam defendunt Fonseca *tom.* 1. *cons.* 25. Zacutus *de hist. princip. lib.* 5. & eandem habuisse *Ruffum* scribit Paulus *lib.* 5. *cap.* 3. veram scilicèt hydrophobiæ causam ad maniæ peculiarem proprietatem ex tali veneno inductam reduci debere: nam sicuti in melancholicis videmus, qui cum in cæteris benè se habeant, & judicio constare videantur, tamen non rarò circa aliquid particulare delirant, & illud timent, unde infinitæ maniacorum & melancholicorum subcrescunt differentiæ in delirii varietate; ita in rabientium hoc delirio, de quo loquimur, proprium forsan erit aquæ timorem, & non aliud delirium inducere: nam sicuti tarantulæ veneni proprium est, ut non aliter quàm musicis concentibus, choreis, & tripudiis curetur; huic etiam non alio delirii genere mentem depravare, quàm aquæ timore. Solent quippe delirantes, res, quas sibi adversas conceperunt & imaginati sunt, intento animo ita assiduè obvolvere & formidare, ut si vi contra susceptam opinionem adigantur, non solum ægrè ferant, maximeque lædantur, sed in mortem aliquando deveniant; ut de Vicentino quodam narrat Marcell. Donatus *lib.* 2. *cap.* 1. qui cùm ex melancholico delirio in magnam corporis molem, & illius proceritatem devenisse se falsò putâsset, vi per ostium intrusus, se confractum fuisse maximè conquerebatur, unde paulò post mortuus est. Itaque sicuti ipsum aquæ nomen auditum, aut illius decurrentis sonitus perceptus antipathiam illam refricat, causamque hujus timoris esse insinuat; ita etiam ad veneni peculiarem proprietatem reduci debere ex eo infertur, quòd idem symptoma in omnibus inveniatur, & quòd aliquando non ab externo canis morsu, aut illius salivâ, sed ab intrinseco naturaliter eveniens eadem pariat accidentia; unde videtur ad veneni determinatam naturam, & conditionem, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco eveniat, referri posse.

9.

Sed quæ hodiè junioribus probabilis magis videtur opinio, illorum est, qui affirmant, ideò sic affectos tantopere aquam exhorrescere, quia in ipsa & in aliis etiam liquidis canis figuram contemplentur & aspiciant: sic voluisse *Avicennam* ex illius scriptis patet *fen.* 6. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. dum ait: *Et quoties approximat eis aqua, imaginantur canem*: Idem anteà existimavit Æsius *tetrab.* 2. *serm.* 2. *c.* 24. illius sunt ver-

10.

ba: *Fieri enim potest ut, quemadmodum aliqui dicunt, etiam canis à quo morsi sunt, imaginem in aquis apparere imaginentur. Recordati autem formæ canis confertim ab immodico timore corripiuntur.* Ibidem quoque philosophi historiam refert, qui hydrophobus jam factus, cùm canem in balneo adesse imaginaretur, generosè resistens fertur dixisse, *quid cani & balneo?* Atque ita affectionem superans, ab ipsa sanatus est, cùm citra timorem bibisset: quod, ut obiter dicam, fabulosam hanc historiam reddit, nam præterquam quòd nullus illorum, qui aquam timuerunt, ad sanitatem iterum devenire possit, ut quæstione præcedenti dicebamus, nil etiam interest quòd aquam bibant, ut ex illius potu propterea evadere observatum fuerit, aut melius habuisse; aquam enim quam tantoperè abhorrent, veneni hujus antidotum non esse sæpius expertum est. Tandem in eandem sententiam videtur inclinare *Ægineta*, loco anteà adducto, & expressè illam tenet Halyabbas 8. *theor. cap.* 20. confirmatque exemplo cujusdam rustici, qui ita se canem videre affirmabat: testatur idem Rhasis 20. *cont. cap.* 2. & *lib.* 8. *ad Almans. cap.* 10. alteriusque historiam refert, qui canum viscera & sordes in aqua adesse dicebat, aliamque ab illis spurcitiis mundam sibi dari obnixè exposcebat; sed cum alia atque alia illi offerretur, in omnibus eadem contineri asseverabat. Ex recentioribus etiam quam plurimi eandem opinionem sequuntur, Alex. Benedictus *l.* 1. *cap.* 30. Petrus Garcia *disp.* 14. *de locis affect. cap.* 3. Joan. Alonso de Fontecha *lum.* 2. *fol. mihi* 304. qui hoc vidisse bonâ fide testatur in quodam homine, qui cùm 4. jam menses à morsu transiissent, & nequaquam de rabie mali quidpiam aut ipse aut consanguinei cogitarent, respiciens quâdam die brassicæ folium rore madidum, à commilitone ensem exposcebat, ut canem rabientem ibi commorantem interficeret: & de alio quoque refert, qui catenis alligatus erat, quia ad intrantes & amicos mordendos movebatur; hunc ait lapides ab adstantibus petiisse, aut fustem, ut canem percuteret, qui illum momorderat, dicebatque illum videre in panaria, quæ aquâ plena in atrio non longè distabat. Aliis exemplis idem confirmat Joan. de Godoi *in quæst. medica*, quâ quærit an possibile sit catulos in rabientium urinis generari: excellentis equidem doctrinæ vir, & totâ Hispaniâ notissimus. Ibi enim scribit ex septem hominibus, quos hydrophobiâ affectos ait vidisse, tres saltem canem in aqua aspicere dixisse: & præter citatos innumeri alii sunt, qui huic opinioni subscribunt, Vega 6. *de locis*, qui sic ait: *Illud verò est multò certius, apparere talibus in liquore, speculo, canum idola*; & Marcell. Donatus *lib.* 6. *de medic. hist. mirab. cap.* 1.

11\. Ut certum igitur tenendum est ob canis imaginem, quam in aqua adesse, & videre falsâ imaginatione ducti credunt, illam tantoperè exhorrescere, ut clarè notavit *Æsius*; nam cùm intellectûs operationes corruptas habeant, fit ut ex longa canis cogitatione imprimantur in eorum imaginatione formæ, & idola canum ita ut assiduè præ oculis canes habere sibi videantur; tuncque potissimum cum aquam tanquam speculum splendidum imaginem reddentem intuentur, imaginantur in ea canes inesse, unde eam abominantes retròfugiunt, rursus de morsu timentes, vel tanquam sordidam effectam à cane in ea falsò conspecto; quare licèt sitibundi aquam exoptent, nihilominus conspectam aversantur. Ex quo inferendum est hydrophobos maniæ quodam genere laborare (ut quæstione antecedenti dicebamus) cujus ratione delirant ferè omnes, præsertim circà aquæ metum; & licèt in aliis benè mente constare videantur, tamen sufficit, ut objectum illud aquæ, quam tantoperè appetunt, ut disconveniens judicent, cùm tale non sit, nec canis in ea existat; est quippe melancholicorum proprium in unico tantùm delirare, cùm in reliquis minimè desipere videantur: nam cùm intenta imaginatio, & assidua præsentatio falsi illius phantasmatis ipsi intellectui indesinenter involvatur, circà illud objectum, cujus falsa species

12\. continuo obversatur, & non circà aliud delirant; imò, ut doctiss. Petr. Garcia *disp.* 13. *de locis cap.* 7. optimè explicat, sunt in cerebro quædam temperamenta non solum secundùm naturam, sed & contra naturam, & morbi rationem habentia, quæ proportionem habent cum quibusdam speciebus, & non cum aliis: ex quo fundamento colligitur posse cerebrum ita affici, ut erret in cognitione & judicio unius objecti, & non alterius, quia cum illo proportionem habet, & non cum alio; quod cùm in melancholicis deliriis quotidie observetur, ita in hydrophobia magis conspicuè hoc visitur, in qua morbosa cerebri affectio cum canis lædentis objecto & specie maximè obversatur.

Itaque

Itaque tales rabie oppressos & aquam timentes delirium pati clarè insinuat *Avicen.* citatus, & cæteri omnes anteà adducti; unde putant canis qui ipsos momordit imaginem ipsis obversari, aliquando sordes & viscera illius in aqua contineri, ut illis accidit apud *Rhasim*: nam quamvis reverà concipiant liquida sine læsione, recipiunt tamen aliud objectum, quod non est in liquidis, propter speciem quam habent interius, quæ species licèt non sit in aliquo sensu externo, sufficit ut sit apprehensa in internis; qualiter eveniebat phrenetico illi, cujus historiam recitat Galenus 1. *de sympt. causis*, qui tibicines ab angulo domûs mittere jubebat, quòd capiti illorum sonitus offenderet, cum tamen nec oculis tibicines vidisset, nec auribus audivisset, sed sola quæ obversabatur species, à sensibus internis falsò imaginata, illos verè adesse & sonitum edere repræsentabat. Simile exemplum, & quo præsens doctrina melius adhuc confirmari videbitur, me observâsse contestor: erat phreneticus quidam, quem à morbi gravioris initio conscientiæ non levis scrupulus ob commissum peccatum anxiè torquebat; jam phreneticus factus circa idem peccatum maximè delirabat, ita ut adstantibus rem omnem aperiret; tandem quadam die, quâ in carpo ex capitis vena sanguis illi missus fuerat, cum vasculum in quo sanguis continebatur ad cubiculi ostium apponeretur, tanto mentis errore abalienatus deliravit, ut in pelvi, quam aqua & sanguine ferè repletam coram oculis habebat, sui peccati expressam figuram ibi repræsentari & cognosci cogitaret, atque altâ voce diceret: speciem namque & delicti sui iconem, quem ut accusatorem mente conceperat, in liquido illo humore expressè repræsentari falsò cogitabat, ad quod in sanguine conspiciendum omnes alios convocabat. Ex quo constat species, quæ in intellectu & imaginatione fortiter à delirantibus comprehenduntur, in externis quoque repræsentari; ut propterea in hydrophobis sic contingere dubitandum non sit, ut canes, quos perpetuò revolvunt, in liquidis & speculis ab ipsis videri dicant, & falsò imaginentur. Nec obstat quòd Aurelianus 3. *acut. cap.* 11. ex Sorani auctoritate asserat, infantem quendam hoc malo oppressum matris ubera expavisse, ut nullis illecebris illa sugere aut tangere voluerit; quod ex canis figura ibi repræsentata evenire non potuisse dixerit aliquis, cum lac intra ubera contineretur; nec quamvis lac vidisset, canis figuram, quem fortè nondum noverat, nec mordere viderat, aut speciem ullam exhibere potuerat, ut exinde falsò repræsentaretur: ad quod respondendo dicimus hujusmodi delirium non necessariò ex assuetudine actuum præcedentium dependere, nec etiam requiritur, ut in specie anteacti objecti diu immorentur, quia sola morbosa affectio illud peculiare habet, ut per se sufficiens sit ad hoc objectum & non aliud movendum. Quâ sanè solutione alia, quæ hîc objici possunt, facilè diluuntur; tam quippè hæc affectio & morbosa dispositio particulariter habet canis speciem inducere & repræsentare, ut non solum modo dicto illius formam ostentet, sed ipsi laborantes affectiones & actiones caninas ita æmulantur, ut se canes esse arbitrentur; latrant quippè sicut canis, ut inquit *Avicenna*, & pedibus manibusque gradientes tanquam canes in terra voluntantur, mordere enim & in homines impetum facere conantur, sicuti *Dios.* & alii scribunt: quemadmodum accidit juveni illi cujus historiam quæst. præcedenti ex Philostrato recitavimus; cui similis alia est, quam narrat Nicolus *serm.* 4. *tract.* 4. *cap.* 15. de alio homine, quem cognovit, qui à cane morsus nil de vulnere curans, post 35. diem cum surrexisset, ponebat se retrò uxorem suam stans in terra sicuti canis, & post eam latrabat; tamen ab ea reprehensus ridens surgebat: sed hujusmodi actum pluribus vicibus eodem die faciens, circa vesperam magis corruptâ ratione morbus deprehensus, & in tertia sequenti æger mortuus est.

Quarè verò non omnes, qui hydrophobiam patiuntur, canem in liquidis videre dicant, dubium est scitu dignum. Scribit siquidem *Fracastorius*, & alii nonnullos interrogâsse, numquid canem viderent? qui nil tale videre responderunt; rursus alii intestina, & canum sordes, alii venenum in aqua contineri significâsse visi sunt: undè arguitur aquæ timorem, qui tamen in omnibus adfuit, aliam causam præter canis idolum habere debuisse; cum aliqui canem videre negent, & tamen aquam timeant. Cui dubitationi respondetur, aliquos leviter à cane commorsos fuisse, quem nec rabire cogitârunt alios atrociter à cane rabiente demorsos: hinc fit ut illi nunquam circà canem vehementem habeant imaginationem, posteriores verò firmam tenacemque memoriam servent, ac nil nisi de rabioso cane cogitent; unde sicuti aliquando primi parum aut nil delirare videntur, sic secundi quòd pessimi veneni copiam & satis

satis infectam spumam cum sanguine permixtam imbiberint, citius in malum incurrunt, & maniaci facti se putant esse canes, latrant, mordent, ipsumque canem in aqua & reliquis liquidis videre falsò imaginantur: quæ omnia vi delirii vehementioris imaginationis fiunt; quòd si alii qui canem videre negant, etiam aquam abhorrent & fugiunt, ideò est quia negari non potest inimicitiam rabidi veneni cum aqua & liquidis omnibus aliquam occultam adesse, cujus causâ in æstimativa species non sensata excitatur, quæ objectum aquæ ut disconveniens cogit dejudicare; quemadmodum ovis viso lupo, etsi nunquam ab ipso læsa fuerit, per species tamen non sensatas cognoscit ejus inimicitiam, & fugit.

17.

QUÆSTIO SEXAGESIMA TERTIA.

An ex veneno possibile sit humanum corpus nutriri? Et an veneno necata animalia esui apta sint, & securè comedi possint?

QUando igitur venenorum exitialia senticeta pervagamur, videndum jam, an inter illorum nocentissimos fructus præstantius aliquid inveniatur, quod devorantibus innoxium sit, & in utilem corporis alimoniam transire possit? Nam hoc possibile esse, multis casibus & exemplis à quamplurimis traditum scimus. D. Hieronymus *in epist.* refert Ægyptiorum sacerdotes modicâ cicutæ sorbitione se castrare consuevisse: Galenus 3. *de simpl. cap.* 8. cicutam hominem nutrire ait. Exemplum anus illa Atheniensis dedit, cujus historiam idem *Galenus* refert; propterea celebris illius apud homines fuit memoria: etenim à minima cicutæ portione auspicata nullo detrimento ad magnam progressa est copiam, principio enim paucum ob exiguitatem devictum est, ac paulatim accrescendo consuetudo ut citrà læsionem in majori copia devorare posset, effecit, ac naturale reddidit. Quemadmodum aliî vetulæ accidit, ut Nicol. Fontanus *in responsionib. med.* narrat, quæ cùm à peste libera insomnis degeret, aliarum muliercularum consilio acetarium cicutâ inspersum singulis diebus assumere consuevit, & sine noxâ diu continuavit. Eodem modo *Sextus Empiricus* apud Mercurialem *cap.* 6. *de venenis*, & Marcell. Donatus *lib.* 6. *medic. hist. mirab. cap.* 3. anum quandam referunt 30. cicutæ drachmas absque noxa deglutire consuevisse; res sanè admiranda, cum perniciosissima illius frigiditas sit, ut botanicorum peritissimi proferunt, inter quos legendi *Tragus*, *Mathiolus*, *Scaliger*, & *Cordus* in ejusdem historia: quanta enim exitialis illius sit vis vel ex ipso tantùm Socrate patet, cujus desideratissimam vitam crudelissimi Athenienses illius succo finierunt, ut in *phædro* enarrat *Plato*, quem dialogum *Scaliger* ideò non sine lachrymis legisse scribit. Quæ licet ita sint, & notissimum venenum cicuta habeatur, tamen non solum homines modo dicto, sed & animalia alia nutrit; quemadmodum de sturnis docet Galenus *lib.* 6. *de sanitat. tuenda cap.* 3. 2. *de aliment. facult. cap.* 6. & 3. *ejusdem cap.* 6. & 18. in quibus duobus ultimis locis causam reddit cur, cùm hominem necet, sturnos citrà noxam alat.

1.

2.

Similiter & de aliis venenis eodem modo sine damno ingeri multoties observatum est: hoc modo scribit *Math.* agri Tridentini incolas placentis ex semine papaveris nigri ad satietatem affatim vesci, absq; eo quòd læsionem sentiant, aut in somnum incidant; Austrios quoque & Styriæ indigenas ait idem, oleum ex semine papaveris nigri expressum in cibis quotidie assumere, olei olivarum vice. Opii deinde assiduum usum apud Turcas quis non novit? hoc enim illorum esse Anfion, sive, ut alii appellant, Maslach, compertum satis est ac notum; quantum igitur istius noxii medicamenti citrà metum ullum aut læsionem quotidie devorent, Prosper Alpinus *l.* 4. *de med. Ægyptiorum*, Bellonius *lib.* 3. *memorab. obs. cap.* 14. tanquam testes oculares scribunt, præter quos Weckerus, Renodæus, Sennertus, Garcias ab Horto, Freitagius *tract. de opio*, & alii quàm plures narrant, cum absque ullo damno non solum drachmam, sed duas aut tres aliquando sumant, in prælium præsertim ituri, quod ad comparandam animositatem facere ajunt; de quo magis admirari licèt, cum frigidissimam rem

3.

ad

ad animi virtutem excitandam suscipiant, ex qua torporem potius & segnitiem quàm spirituum refectionem ullam, aut exhilarationem, animí ve alacritatem evenire posse apparet: & ne quis judicet Turcis hoc tantum peculiare, narrat scholiographus Hollerii *ad cap. 6. lib. 1. de morb inter.* à Guillielmo Rondoletio medico doctissimo accepisse, Hispanum quendam in summo æstu vidisse opii semiunciam sine noxa vorantem; imò decem & plures drachmas Corasonem illum à secretis Nizamoxæ deglutire in usu habuisse scribit Ab Horto *lib. 1. cap. 4.* Porrò Indos, qui idem factitabant, Hispali vidisse refert *Monardus*, & de aliis servis Neapoli Heurnius *lib. 3. methodi ad praxim cap. 20.* qualiter etiam similes historiæ apud Christophorum à Costa *lib. de medicinis Indiæ Orientalis cap. de opio* videri possunt.

Pergamus ad alia: ellebori inter venena non minimi Thraciam pharmacopolam, & plurimos in Græcia pastores integros manipulos absque noxa devorâsse *Theophrastus* tradit *9. de historia plantarum cap. 18.* & ob dictam ellebori assumendi consuetudinem Eudemum Chium nec vomitu, nec alvi dejectionibus unquam purgari potuisse ait. Apud Avicennam *lib. 4. fen. 6. tract. 1. cap. 2.* legitur historia de anu, quæ napello fuit nutrita sine ullo nocumento, à parva quantitate incipiens, quousque assuefacta ad magnam sine noxa pervenit. Puellam quoque aliam ex *Ruffo* narrat, quæ veneno nutrita fuit, puta napello, ut Reges, qui cum ea convenirent, interficerentur; ipsa verò tam venenosa evasit, ut illius saliva animalia enecaret, & gallinæ ad illius sputum non appropinquarent. Hac eadem vafricie Ægyptiorum Reges usos fuisse *lib. de viribus cordis* idem Avicenna retulit: nec hanc fallendi venenandique artem Mithridatem Ponti Regem ignorâsse testis est Rhodiginus *lib. 11. Antiquarum Lectionum cap. 13.* qui aliam hâc astutiâ & calliditate insigniter venenatam, aspectu verò pulcherrimam à Rege quodam Indorum Alexandro Magno doloso munere oblatam ex *Aristotele* refert *lib. de regimine*; cujus etiam in *proœmio lib. 3. physicor.* meminit *Averroës*: fuisse autem inquit meatibus adeò arctam & astrictam, ut vis veneni refringeretur antequam cor pertingeret; ac venenosam adeò evasisse, ut sputo appropinquantes interimeret, respiratione coëuntes: hanc, ajunt, cùm illius præceptor *Aristoteles* vidisset, scintillantesque & serpentum more nictantes oculos contemplatus esset, ad Alexandrum dixisse: *Cave ab hac, exitium tibi paratur.* nec judicio eventum defuisse, plerique enim proci virginis illius commercio intoxicati perierunt. Simili modo Cambaiæ Regis filium veneno educatum referunt Scaliger *exercit. 175.* Eusebius Nierembergius *lib. 2. curiosæ & occultæ philosophiæ cap. 12.* ac venenosum adeò evasisse, ut vel sputo solo accedentes interficeret, & halitu approximantes muscas facillimè, ac vestem tangentes enecaret: tandem ex illius uxoribus cum quibus rem habuit, nullam in proximum diem mortem effugere potuisse scribunt Oduardus Barbosa, & Ludovic. Barthema *Indicarum rerum lib. 1. cap. 2.* Hujusmodi quippe veneno infectos sive viros, sive fœminas, per coitum alios venenare & enecare posse, ex rustico illo homine probatur, qui, ut ex *Volaterrano* tradit Mizaldus *cent. 8. memorabilium 77.* suo tempore cùm per fœnisecia aperto ore in agris dormiret, serpentem per fauces hiantes intrà corpus admisit; sed cum alliis manducatis ceu præsenti amuleto sese curâsset, virus tamen uxori in coitu (res mira!) instillavit, & mortem comitem transfudit.

Nec etiam minoris admirationis fuit illud, quod scribit Cardanus *lib. 2. contradiction. tractat. 2. cap. 7.* videlicèt à Leone decimo hujus nominis Pontifice Maximo quendam capitis crimine liberatum, cùm nullo alexipharmaco munitus arsenici unciam devorâsset, nec ullo remedio usus sine noxa incolumis permansisset. Ulteriùs venenosis animalibus multos vesci consuevisse citrà damnum legimus apud Buterum *in relationibus*, qui tradit in Galalata Libyæ desertæ regione gentes bufonibus nutriri. Et Petrus Martyr *lib. 10. decad. 3.* scripsit Hispanos quosdam in Pedagua insula novi orbis urgente victûs penuriâ bufones coctos emisse; nam & Indos Occidentales bufones, aliasque immunditias devorare in *epistolis ad Nicolaum Monardum* legimus: quod etiam verum esse tradit Lerius *in histor. navigationis in Brasiliam*, Americanos scilicèt bufonibus vesci minimè

exenteratis, & tostis, licèt ob regionis illius temperiem has bestias veneno carere non citrà rationem opinetur. Et ut rem hanc concludamus, venenatorum quoque aliorum animalium esum ex consuetudine plurimis innoxium fuisse apparet: narrat Arnaldus *in speculo cap.* 77. puerum in tenera ætate ob stultitiam araneos edere consuevisse, qui tamen jam adolescens citrà noxam idem faciebat. Coloniæ Agrippinæ idem alii puellæ accidisse refert *Albertus Magnus*. Tandem de araneis narrat *Cardanus* se vidisse puellam trimam, quæ mirâ voluptate sine damno illas comedebat; & civem quendam suum novisse ait Sennertus *lib.* 6. *part.* 5. *cap.* 1. qui sanctè affirmabat, se puerum cum delectatione, & sine noxa araneas devorâsse: quæ omnia, inquit, qui pro fabulis habet, ipse se fabulam facit. Sic Hydaspis fluvii accolas scorpionibus victitare scribit Mercurialis *lib.* 1. *de venen. cap.* 6. in Cuba etiam insula serpentes, qui in aqua & terra vivunt, in lautioribus venire epulis refert Bembus *historiæ Venetæ lib.* 6. Mitto quæ de Marsis *Plinius* & *Gellius* præcipuè inculcant, & 2. *ad Glauc. cap.* 10. non omisit *Galenus*, qui serpentibus & aspidibus illos nutriri ait, Aspidotrophos & Theriotrophos ideò vocatos.

Patere igitur videtur ex adductis exemplis, venena non solùm qualitatis excessu, sed & verè talia, tam quæ ex plantis, quàm quæ ex animalibus venenatis exitialia habentur, non solùm aliquando non nocere, sed in corporis alimoniam cedere posse: quarè educatione veneficos evadere ingenuè fatetur Mizaldus *cent.* 1. *memorabilium* 59. Mercurialis 1. *de morbis venen. cap.* 9. Scaliger *exercitation.* 175. Clusius ad *cap.* 25. Garcias ab Horto *lib.* 1. *historiæ aromatum*; nam & Plinius *lib.* 28. *cap.* 3. illos, qui à venenosis serpentibus fuerunt demorsi, veneni aliquid, si evadant, semper retinere ait, ita ut illorum præsentia & aspectus omninò non sit innoxius: *Tantum*, inquit, *remanet virus excepto semel malo, ut venefici fiant venena passi: quo fit ut gallinarum incubitus, & pecorum fœtus abortu vitient*; & insensibilem hanc & abstrusam veneni vim crabrones, vespas, & apes præsentire tradit, quæ talium hominum corpora haud feriunt, sed ab illorum contactu abstinent: quo minus jam mirari deceat (ut obiter hoc dicamus) veneno interemptorum corpora nec à feris, nec ab avibus tentari, quod Plinius *lib.* 2. *cap.* 63. scripsit; cùm incredibilius illud sit quod idem auctor *lib.* 11. *cap.* 37. tradit, non cremari corda illorum, qui veneno perierunt, ut in Germano Cæsare experientia ostendit: quod verum fuisse comprobavit Suetonius *in Caligula*, dum de illius morte loqueretur; ait enim, cùm non sine veneni suspicione obiisset, signa in corpore apparuisse & livores, crematique cor inter ossa incorruptum & incombustum repertum: quo argumento adversùs Pisonem ejus sceleris reum, *Vitellius* veneno ab illo interemptum fuisse in oratione probavit. Ex quibus colligi potest à venenis in corporibus non solùm vires quasdam occultas derelinqui, sed eisdem, si à venenis non interficiantur, conservari homines posse, & venenosos evadere, imò & ab eisdem deleteriis venenis quodammodò nutriri: quippe si ipsa venena non vincunt, ut occidere possint, à fortiori debent vinci; quo fit ut licèt aliquo modo benigniora reddantur, vel saltem consuetudinis causâ non lædant, tamen perniciosæ malignitatis vim aliquam in eisdem corporibus derelinquant.

7\.

8\.

Sed pro hujus difficultatis enodatione advertendum est multiplicem esse venenorum differentiam, & deleteriam vim longè inter se diversam, imò & hominum insignem varietatem, cujus ratione aliquis ob peculiarem naturæ complexionem, corporisque structuram magis aut minus lædatur, aut resistere possit: & quoad venena videntur aliqua talia dici, non quòd verè deleteria & totâ substantiâ nobis adversa sint, sed impropriè tantùm venena appellari, quibus si debito modo & mensurâ utamur, aut nullam aut certè imperceptibilem noxam videbimus; nam cùm qualitatis tantùm excedentis ratione nobis damnum inferant, ex Galeno 2. *aphor.* 17. si quantitas major quàm par sit ingeratur, tunc & officere, & mortem afferre posse dicuntur: sic videtur voluisse Galenus 3. *simplicium cap.* 9. cùm ait: *Eorum, quæ frigore interimunt, medicamentum nullum genere lethale est, sed solâ qualitate; in exigua enim sumpta mortem non afferunt magis, quàm si copiosæ flammæ pauxillum aquæ instilles, aut lignum injicias viride aut humi-*

9\.

midum. In horum itaque classe *lib.* 5. *simpl. cap.* 14. mandragoram , papaver, & cicutam annumerat , de quibus ait : si quis modicè utatur, condensandi vim obtinent; sin liberalius , non modò condensandi , sed stupefaciendi ; si verò etiam plurimum, non tantum stupefaciendi , sed & necandi. Hâc ratione ex dictis medicamenta parantur , quæ nullo non die propinamus , & *Dioscorides* papaveris nigri semen tritum exhibet *lib.* 4. *cap.* 60. Galenus quoque 7. *secundum locos, cap.* 4. & aliis ejusdem operis locis medicamenta parat ex semine cicutæ, hyoschyami, & succo papaveris, quæ per os exhibet : talia quoque aliquando in magna quantitate sumpta nil damni attulisse, ex multis supra recitavimus. Quæ cùm ita sint , videtur non abs re dici posse , humanum corpus ex prædictis plantis non solum posse non lædi , præcipuè si paulatim illis assuefiat, sed & alimentum ab illis accipere, & eas vincere , in substantiamque sibi similem commutare , ut inter alios tenent Freitagius, & Zacutus 5. *de princip. histor.* citat. nam si ab initio in pauca quantitate devorentur , excedens illa qualitas propter pravitatem materiæ mitior est, & facilè superatur; quibus si accedat usus , paulatimque quantitas augeatur, non dubito citra noxam in majori quantitate assumi posse : quippe & opium propterea Turcas non multum offendere notat *Alpinus*, quia non solum eo uti consueverunt, sed à parentibus, qui eodem usi fuerunt, generati sunt. Nec propterea crediderim prædicta simplicia qualitatis tantum frigidæ excessu nocere , citrà deleteriam aliam qualitatem : nam licèt *Galenus* pluribus in locis cicutam ab omnibus frigidam judicari dicat 3. *simplicium* 6. & extremè frigidam 7. *simplicium*, & frigidissimam 3. *simplicium cap.* 13. hoc est , frigidam in quarto dicat , quare & 1. *simplicium cap.* 13. omnium refrigerantium valentissimum illius semen appellavit; tamen aliquid deleterii in eadem agnovisse ex eo colligi posse videtur, quòd 3. *simplicium* 18. cicutam inter medicamenta frigida deleteria annumerat , imò 2. *simplicium* 12. & 4. *cap.* 18. & 2. *acut. comment.* 12. de hyoschyamo, papavere, mandragora, & cicuta, ex illarum odore percipi ait , quòd cum homine repugnantiam habeant, viribusque & substantiâ corpus perire faciant, & ut adversa nos interimere possint. Et sanè aliquid malignitatis habere indè conjicitur, quòd multi, qui illius radices vel pro pastinaca , vel pro petroselino gustârunt, in gravissima pericula incurrerint; ut testantur *Hieron. Tragus.* 1. *simplicium cap.* 159. Cardanus 1. *de venen. cap.* 20. & Mathiolus *lib.* 6. *cap.* 11. *in Diosc.* Imò Scaligeræ *exercit.* 152. refert cicutæ folia, quæ loco petroselini in jusculum ab ancilla injecta hausit, necâsse Franciscum Trapolinum sui Pomponatii præceptorem: siquidem cicutam venenum esse exitiale probavit Socratis mors; quod ut credamus ulterius convincit, quòd nix, & aqua frigidissima, & longè frigidiora alia, nil tale præstant: unde non immeritò *Cardanus* proximè citatus calidam esse statuit, cum amara sit, & in furorem inducat; quin & Sennertus *lib.* 6. *cap. prop. de cicuta* apertè tenet totam illam actionem, quâ ut venenum agit, ab occulta proprietate esse.

Eodem modo de opio hodierni peritissimi juniores non levibus rationibus innixi etiam suspicantur, nec frigidum esse, nec venenosæ qualitatis prorsus expers, ut latius adversus *Freitagium* probat Sennertus *lib.* 6. *prax. cap. de opio*. Quare concludimus verum esse, quod ipse & alii affirmant , nempè ratione totius substantiæ etiam venenosas esse dictas plantas , nec solo frigiditatis excessu nobis detrimentum afferre; cum ipsarum caliditas, ex illarum efficacibus operationibus & rationibus conjectetur : quarè dicimus *Galenum* minimè audiendum , inquantum docet esse ex his, quæ solâ quantitate offendunt, si hoc dicat, quòd aliam venenosam qualitatem obtinere neget; aliter verum est, pleraque venenorum, & præcipuè plantarum non in quavis quantitate vitam adimere, imò nec noxam aliquando afferre; quia omnis actio à suo agente in debita proportione & mensura provenit , non enim sufficit quævis aquæ guttula ut ignem extinguat, nec magnes in parva quantitate ferrum attrahit. Deinde & subjecti dispositio, aut resistentia major , multum ad actionem juvat; visum enim est in pluribus opium in magna quantitate sumptum nil læsisse, alios minori multò necâsse : sed quod magis illius perniciem arguit illud est quòd exterius quoque applicitum in collyriis, in unctionibus, & clysteribus injectum necem quamplurimis attulerit, ut latius apud Schenckium *lib.* 7. ex multorum observationibus quivis videre poterit ; nec obstat quòd in parva

 quan-

13. quantitate non noceat, imò sæpius exiguam afferat commoditatem ut 2. *acut.* 12. dicebat *Galenus*: id enim non tollit quò minus venenosum dici debeat, ut ex superius dictis patet; etenim de ratione veneni non est, ut sub qualibet quantitate noxam magnam inferat, sed occulto modo læsionem inferre illorum proprium est, nocere verò secundum veneni differentiam, alia in minima quantitate, ut de nubiæ grano, cujus 10. partem intrà horæ quadrantem interficere scribit Scaliger *exercit.* 153. sic de cæteris pro majori, aut minori maligna vi, quam possident; ita ut si aliorum respectu parvus sit venenosæ qualitatis excessus, in parva quantitate sumpta plerumque parum aut nil noceant, in majori magis, in excedenti interficere poterunt: cum quo benè stare potest, ut in assuetis talibus, quæ non ita efficacia sunt, nec qualitatibus ita nobis adversis prævalent, aliquando ex consuetudine innoxiè suscipiantur, & in nutrimentum transeant; quia licèt venena sint, partes tamen aliquas obtinent, quæ nutrire possunt, ut cicuta, mandragora, opium, hyoschiamum, & similia.

Sed de aliis, quæ nobis impensè inimica esse cognoscuntur, & tanquam summè deleteria protinus, quantumvis in parva quantitate sumpta, multum damni afferunt, vitamque acerbo agone oppugnare conspiciuntur, major est dubitatio; jam enim suprà retulimus quod Avicenna *lib.* 4. *fen.* 6. *tract.* 1. *cap.* 2. ex
14. *Ruffo* scribit, puellam napello nutritam, hominemque alium sine noxa sublimati unc. j. devorâsse; Cambaiæ Regis filium usu venenorum ita se venenatum reddidisse, ut sputo animalia necaret, uxores coitu; quòd autem exitialissimum venenum sit napellus, & validissimum, nobisque totâ substantiâ adversum, utpote cum quibus nullam habet similitudinem, notissimum est; cum nullis antidotis perniciosa illius vis, nisi confestim adhibeantur, evinci possit, ut ex propria experientia firmat Mathiolus *lib.* 4. *in Dios. cap.* 73. est enim de illorum numero, de quibus *Galenus* 5. simpl. 18. *At sunt, quæ totâ substantiâ nobis contraria sunt; proindè si vel minimùm eorum assumptum fuerit, omninò lædat necesse est.* Quarè cum hoc citrà dubium verum sit, impossibile credimus hominem tam exitiali veneno non solum non nutriri, sed neque illi assuefieri unquam potuisse, ita ut non lædatur; quare historiam illam, quam ex *Ruffo* narrat *Avicenna*, non de napello accipi debere dicimus, sed ibi per napellum cicutam accipiendam esse judicamus, ut plurimi antè nos declarârunt; quippe napellum Arabum cicutam esse plurimis probat Leonicenus *lib. de Plinii & medicorum erroribus cap.* 38. quod absque dubio ex ipso Averroë *lib.* 5. *collig. cap.* 24. *in fine* verum esse deducitur, ubi sturnos napello vesci asseveravit; quo loco pro napello cicutam intellexit, hac enim & non napello sturnos vesci apud omnes in comperto est, ut 2. *de aliment. facult. cap.* 6. scribit Galenus, & 3. *simpl. cap.* 6. & 18. Quare cum ipse *Averroës* & Avicenna *lib.* 4. *fen.* 6. *tract.* 1. *cap.* 2. hoc de sturnis *Galenum* dixisse scribant, & præsertim *Avicenna* per hæc verba: *Et propter illud dixit Galenus quòd alfarfas, & existimo ipsum esse napellum, &c.* evidentissimum est cicutam, de qua *Galenus* illud scripsit, & non napellum accipiendum esse; nam de napello, quod sciam, *Galenus* nec verbum protulit; nisi dicamus sub aconiti nomine illud comprehendisse.

Deinde quòd de vero napello *Avicenna* ibidem non intelligatur, ex eodem patet, quia idem auctor hominem interficere ait, non sturnos, quod de cicuta *Galenus* dixerat; cap. tamen proprio *de napello*, illud dicit esse de deterioribus venenis plantarum, ex quo raro aliquis evadit, & aliis in locis in summo siccitatis & caliditatis napellum reponit, quod de cicuta nemo dixit. Unde patet apud Arabes napelli nomen & pro toxico illo summè venenato aliquando accipi, cujus succo sagittas imbutas statim quem percuterent interficere, *eodem cap. de napello* dicebat idem *Avicenna*, & procicuta etiam usurpari, de qua sturnos sine noxa edere *Galenus* & ex illo Arabes scripserunt: qui tamen, & præsertim *Avicenna*, non solùm herbarum appellationes, sed & avium nomina confuderunt; nam *Avi-*
15. *cenna* citatus *fen.* 6. *lib.* 4. pro sturnis scribit turdos, quod de illis dicere falsum est, ut in avium historia notavit *Aldrovandus*. Quarè in anûs illius historia, quam *Avicenna* refert napello fuisse nutritam, de cicuta & non de napello intelligendus est; est enim ipsamet historia anûs Atheniensis, quam Galenus 3. *simplic. cap.* 18. memorat: quoad aliam verò, quam de puella ex *Ruffo* affert napel-

lo nutritâ, sicuti & illam de altera, quam à Rege quodam Indorum Alexandro Magno missam anteà adduximus, meritò de illorum fide dubitant auctores; inter quos veniunt Mathiolus & Laguna *in præfat. lib. 6. super Dios.* qui hoc fabulosum potius judicant, sicuti Aldrovandus *in serpent. lib. 1. titul. de medela veneni serpentum in fine*, cum quibus consentit Castrensis *lib. 2. microcos. cap. 12.* & alii plures cum *Averroë*, qui rectè judicat impossibile esse ut homo veneno nutriatur, cùm naturæ humanæ contrarium sit; unde suo contrario, si ita foret, diceretur nutriri aliquid posse: quam opinionem etiam tenent Grevinus *lib. 1. cap. 1.* Henricus Smetius *lib. 2. Miscel. cap. 9.* Quare frustrà fatigatur *Zacutus* pro salvanda hujus historiæ veritate dicens veneno fuisse nutritam legendum, non cicutâ cum *Galeno*, aut cum Arabibus napello: quia si primum, impossibile erat tam venenosam acquisivisse naturam, ut solo sputo muscas interimeret; si secundum, magis impossibile videtur, cùm tali veneno, puta napello, aut alio perniciosissimo fieri non possit ut corpus nutriatur, cùm à forma specifica hominem corrumpant, & brevissimè interficiant, ut *libello de opio* latiùs probat *Freitagius*. Propterea optimâ ratione ducti de illarum

16\. historiarum certitudine viri docti dubitârunt, & quatenùs ad nutritionem ex talium venenorum consuetudine, res omninò à nostra natura, & à ratione aliena videtur, cùm venena à calore nativo superari nequeant; undè ut aliquo modo salvari possit, diversimodè alii atque alii explicare conati sunt. Quibusdam visum est, non de vera nutritione illud accipi debere, sed latiori nutritionis significato, non pro eo quod verè nutrit, & in aliti substantiam convertitur, sed pro eo quod licèt non verè nutriat, tamen non sicuti in cæteris assolet interficiat, aut noxam conspicuam inferat; vel ut *Castrensis* explicat, quòd venenum à principio in exigua quantitate sumptum possit à natura nostra superari & separari, atque in longinquam aliquam partem detrudi, ignobilem scilicèt, ubi nullam noxam inferendo permaneat; ut de veneno innato communiter docetur, & in ipsis venenosis animalibus venenum scimus non in omni corporis parte, sed in determinata aliqua asservari; quemadmodum in vipera sub quibusdam vesiculis, quæ dentibus subjacent, in cervi cauda, & sic in aliis. Quæ tamen opinio quadrare non videtur, quia venenum in puella non continebatur in parte determinata, sed in toto corpore, & in plurimis membris; siquidem tam in ipsa, quàm in filio Regis Cambaiæ, totum corpus venenatum erat: unde constat venenum non in parte aliqua detentum fuisse ac coërcitum, sed suam exitialem vim tam in toto corpore & ejus saliva, quàm in generationis partibus manifestâsse, ut ex historiis ipsis patet; quod contingere non posset, si in determinato aliquo & ignobili loco fuisset conclusum & coërcitum. Meliùs forsan Aldrovandus *in serp.* citatus hanc venenorum assuefactionem non de nutritione, sed de venenorum

17\. expulsione explicat, quam valida hominis natura statim moliri solet; siquidem post veneni assumptionem sese paulatim ad illud pellendum assuefacit, cùm longâ experientiâ usuvenerit ut natura modicam portionem veneni trudens, tandem majorem etiam quantitatem oblatam confestim propellat: propterea in Mithridate Rege sic accidisse existimat, ac ideò se veneno necare non potuisse, quòd quodcumque oblatum venenum extrà corpus illicò detruderet; quarè de illo Martialis:

> *Profecit poto Mithridates sæpè veneno,*
> *Toxica ne possent sæva nocere sibi.*

18\. Sed nec hic dicendi modus videtur satisfacere, quia licèt in Mithridate illud concedere posimus, in aliis qui ita venenati evaserunt, illud intelligi non posse videtur, cum pestilentes adeò evaserint, ut halitu & contactu interficerent; undè palam est venenum non expulisse, sed satis illius in corpore imbibisse. Itaque cùm nulla ratio suadeat hominem venenorum nutritione venenatum reddi posse, de impropria volunt auctores accipiendum hoc esse; scilicèt quòd ob consuetudinis vim, veneno quotidie assumpto non læderentur, atque ita ob educationis & veneni in cibis consuetudinem hominem venenatum reddi posse fatentur, ut præter jam dictos tenet Mercurialis *2. acut. textu 21.* Grevinus *lib. 1. de ven. cap. 1.* Sennertus *lib. 6. praxis*, & alii non pauci. Sed cùm adhuc hic explicandi modus non placeat, quia multis difficile

19\. videtur hominem ab assumptis venenis non lædi, cùm illi sint penitus inimica, & totâ substantiâ contraria, ut probant latiùs Averroës, & Forlivius *in quæst. super aphor.* ideò ut jam diximus, prædictæ historiæ, fabulæ aliquibus non immeritò visæ sunt: quare

forsan non sine ratione dicere possimus, individua illorum, quorum corpora venenata fuisse prædicant, non ex aliqua venenorum in cibo consuetudine, aut aliqua nutritione hoc aut illo modo explicata, talia evasisse; quis enim in humana specie talem sortiretur naturæ dispositionem, ut exitialissimum venenum in tanta copia intrà corpus durante vitâ sine jactura sustineret, ut halitu animalia, contactu homines interficeret? quid hoc esset aliud, quàm in Basilisci naturam hominem degenerâsse? Fateor consuetudinis, cujus potentiæ hoc tribuunt, ingentem esse vim; sed quæ toto genere adversum & nobis inimicissimum venenum, licèt in parva quantitate, faciat ut facilè, & citrà magnam læsionem ferri possit, nunquam concederem: hujusmodi quippe venena, quæ hominem in perniciosissimam illam naturam adducere potuerunt, non alia debebant esse, nisi quæ totâ substantiâ nobis contraria sunt; de

20. quibus idem *Galenus* 5. simpl. 18. *Si vel minimum eorum assumptum fuerit*, omninò (inquit) *lædat necesse est*. Ego hominem novi, cui uxor & socrus, ut illum paulatim interficerent, quotidie in cibis venenum in minima quantitate subtilissimè permiscebant; sed post mensem malè ita habere cœpit, ut lecto traditus intrà 9. dies perierit, nunquam non deficiente addendi sublimati tenuissimâ portione, quæ sextam grani partem non æquabat, ut posteà ambæ mulieres mihi fassæ sunt, cùm de veneno assumpto hominem laborare ipsis indicarem.

21. Igitur si prædictarum historiarum fides salvari aliquo modo potest ut pro veris habeantur, dicerem subjecta illa non ex nutritionis consuetudine, sed ex peculiari individuorum proprietate talem habuisse complexionis dispositionem, ut à venenis assumptis non læderentur; quemadmodum illi accidit, qui ex arsenici uncia j. illæsus permansit, ut suprà ex *Cardano* attulimus. Hujusmodi quippe homines ex propria natura proportionem quandam cum venenis sortiuntur; quo fit ut innoxiè illis victitare possint, & deleteriam malignamque vim ex illorum accessu adaugere, ut ex utraque simul, naturali scilicèt malignitate, & acquisitâ venenorum, tam perniciosam sortirentur necandi vim, ut halitu & sputo appropinquantia animalia coitu & contactu homines interficerent: naturaliter quippe aut ex morborum vi in hominum corporibus pestilentissimas qualitates aliquando exortas fuisse perspicuum est. Catoblepam, Basiliscum, & alias feras naturaliter tam exitiali veneno natura donavit, ut visu & tactu interficiant; ita & homines similiter producere posse impossibile non est, quia licèt hujusmodi qualitates naturæ humanæ perfectio non postulet, aliquis tamen oriri potest cum aliqua peculiari re, quæ illius naturæ non congruat; nam sicuti in monstrosis figuris evenit, sic etiam in qualitatibus monstrosi aliquid accidere posse cur negandum? cùm agentia naturalia nobis ignota ad illud impulerint. Sic antiquis & nostris tem-

22. poribus pestilentes quasdam hominum naturas repertas fuisse tradunt auctores: ita Isigonus, & ex eo Plinius *lib. 7. cap. 2.* referunt in Tribulis, & Illyricis (Esclavones appellamus) homines repertos qui visu non solùm fascinabant, sed occidebant; eosdem homines in Ponto fuisse ex *Philarco* narrat *Plutarchus*. Solinus quoque ex *Apolonidis* auctoritate refert fuisse in Tartaria mulieres, quæ visu, præsertim iratæ, interficerent eos, in quos attentè conspexissent: & in Hispania etiam quibusdam in locis familias esse scribit *Covarruvias*, quæ nocendi infamiâ maximè notentur. Mitto (si vera sunt) quæ de Marsis & Psyllis hoc opere sæpiùs retulimus: nam sicuti in illis virtus illa admiranda inveniri potuit, ut serpentes alii fugarent, alii innoxiè tractarent, alii occiderent; ita in eadem humana specie inveniri possunt aliqui qui à plantarum & aliarum rerum venenis non lædantur; quemadmodum in humana natura adversus exitiale serpentum venenum naturalis resistentia dari potuit, imò con-

23. trà illorum venenum aliud, quod ipsos internecaret, ut etiam præter adductos de quodam homine in Denasacia regione audiisse scribit Cardanus *lib. 2. contrad. tract. 2. contrad. 7.* quem serpentes non nisi coacti lædebant, & morsum inferentes statim moriebantur: ita etiam naturalem eandem impassibilitatem contrà aliorum venenorum vires reperiri posse cur negabimus? & sicuti illa serpentibus inimica naturalis vis illos necabat, ita hæc quæ propter similitudinem, aut specificam individui proprietatem venenorum aliorum insultum sustinebat, ab ipsis venenis non victa sed adjuta alios homines, quorum complexionibus multùm adversabatur, maximè offendere & corrumpere potens erat, atque perimere: quippe quod omnibus individuis humanæ speciei, ratione propriæ & latæ complexionis venenum est, aliquando alicui determina-

to

to individuo, propter propriam & specificam naturam tale esse non poterit, benè tamen aliis, à quorum naturali temperie & qualitatibus non aliter differt, quàm serpens veneno pessimo turgens ab homine distat. Dari verò tales homines, qui ob venenum intùs congenitum, vel ex morborum malitia acquisitum; malignam quandam & veneno similem perniciem contineant, cujus ratione tenella præsertim infantium corpora, & solidiora aliquando inficiant, sæpiùs observatum est; cùm & inanimata etiam illorum malignitatem sensisse visa sint. Narrat Fontecha *privileg.* 10. *fol. mihi* 180. vidisse hominem, qui in pulchram ac tenellam puellam inspiciens, gagatem, quem pendulum collo gestabat, in frusta confregit. Alium etiam ait agnovisse, qui eodem modo, quos attentè conspiceret, infectione pessimâ lædebat; propterea miserrimæ suæ conditionis rectè conscius delicatas fœminas, & infantes monebat, ut à se recederent, aut faciem in alterum latus vertebat: sic de alio Valentino equite scribit idem auctor, qui patellas, quas persolanas vocant, intuitu tantùm frangebat. *Vairus* de alio narrat, qui in domum cujusdam aurifabri ingressus, quo tempore pretiosissimam gemmam manibus continebat, dum in eam aspiceret, per medium fissa est: tam subtiles ac pestilentes horum hominum sunt vapores, ut & ipsa durissima corpora penetrent.

4.

Sunt itaque proprietates individuales in hominibus rarissimæ, & quæ vix fidem impetrent, nisi ab his qui naturæ majestatem, & admirabilia illius opera, non tanquam rudis plebecula contemplari & capere non possunt, sed philosophico studio rimantur & admirantur. Propterea *Thrasias* ille Mantinensis medicus, in plantis & illarum radicibus peritissimus, singulorum hominum naturas discernens dicere solebat; idem medicamentum, aliis non esse medicamentum. Quis crederet unquam quod de Demophonte quodam narratur, qui Alexandro mensæ structor fuit, qui cùm in sole stabat, aut in balneo erat, algebat; in umbra verò calescebat. Cornel. Gemma *lib.* 1. *cosmoc. cap.* 7. quendam ait vidisse, qui noctu legebat externo lumine non adhibito: quod de Tiberio Cæsare, nempè sine lumine noctu clarè conspexisse, tradit *Suetonius*; & ut multa similia transeam, quæ apud Marcell. Donatum *lib.* 6. *cap.* 4. videri possunt, inter hujusmodi prodigia quid majus inveniri potuit quàm illud, quod de Veneto quodam homine *lib.* 11. *cap.* 15. *antiq. lect.* scribit *Rhodiginus*? cujus inter mortales admiranda ita fuit natura, ut quò magis plagis cæderetur, tam longè à doloris sensu abesset; imò quò valentiùs flagello percuteretur, dulci voluptate ideò magis frui videbatur, orabatque ut fortiores ictus infligerent, vehementioribus quippè susceptis ardentiùs ferebatur in coitum & delicias: prodigium sanè admirandum! cui simile aliud, dum hæc scribimus, in alio homine tota Matritensis aula vidit & admirata est, ut à pluribus nunc audio. Sicuti ergò hæc & admiranda alia multa in humana specie inventa sunt, cur & qui cicutam potarent, qui elleborum ederent, qui arsenicum, qui araneas, aut bufones sine noxa sumpsissent, dari potuisse impossibile judicabimus? præsertim cùm horum animalium corpora non ex toto sint venenosa, sed partibus determinatis venenum contineant. Accedit etiam quòd ratione loci & regionis multùm varient, & minùs malignitatis habere possint, quod & in plantis evenit; unde pro loci temperie multùm viribus differunt, ut *quæst.* 43. latius scripsimus. Si igitur visi sunt, qui testas, lapides, vitrum, ligna, ferrum, animalia viva, nullo secuto damno devorarent; quarè & plantarum venena, venenumque ipsum qui citrà noxam ingererent, dari non potuerint? Narrat Fernelius 6. *patholog. cap.* 3. quandam calcis vivæ frustum ad pugni magnitudinem devorâsse nullo secuto damno. Sennertus *in paralip. ad lib.* 3. *cap.* 2. Claudii Lotharingii stupendam voracitatem refert rerum pænè incredibilium & admirandarum, & tam prodigiosi eventûs causam, non quam *Columbus* adinvenit, (defectum scilicèt nervorum in ore ventriculi) sed idiosyncrasiam peculiarem ventriculi esse affirmat, quæ oculis non investigari, sed ab effectu tantùm cognosci possit. Specificæ igitur proprietates in humana natura rarissimis affectionibus præditæ negandæ non sunt, ut & sympathiæ & antipathiæ non minus admirandæ: inventi sunt plurimi, qui rosæ odorem ferre non potuerint, qui arietis carnes, qui nullas gustare unquam potuerint; qui hanc aut illam plantam, rutam, allium, nec videre quidem sustinebant; qui feles nec aspicere, nec odorem illorum ferre; quorum exempla passim apud auctores occurrunt. Brabus *lib. de Psyllis fol.* 77. de quodam Salmantino homine narrat, qui à domo ubi dormiebat pulices omnes & cimices abigebat: cujus antipathiæ adhuc stupenda magis

5.

26.

vi-

videbitur alia, quam ex *Georgio Mylio* affert Euſ. Nierembergius *part. 2. curioſæ philoſ. lib. 1. cap.* 52. hominis cujuſdam, qui proprii filii aſpectum ab ipſa ortûs hora ſuſtinere unquam non potuit, imò nec illius præſentiam, quamvis illum nec videret, nec præſentem eſſe sciret; ſudabat quippe, affligebatur, & maximè anxius ſtare non poterat: nec minoris admirationis fuit peculiaris illa natura, & proprietas individualis admiranda, quam habuiſſe Joannem ſecundum Ducem Moſcoviæ ſcribit Henricus Kormanus *lib. de miraculis vivor.* qui ad conſpectum alicujus mulieris adeò conſternebatur, ut animo linqueretur ſtatim.

Animalia venenoſa an edi poſſint?

Sed jam ad quæſtionem redeundo, an animalia venenata, aut quæ aliis venenatis veſcuntur, vel tandem veneno interempta tutò menſæ apponi, & ſine periculo edi poſſint, non eſt parvi momenti ſcire: nec enim ſimpliciter affirmativè, aut negativè definiri poteſt; nam primùm quoad venenata maxima invenitur differentia; alia namque ſunt, quæ rectè præparata non ſolùm non nocent, ſed efficaciſſima adversùs inſuperabiles morbos ſunt remedia: ex horum genere ſunt angues, viperæ, & ſerpentum alia genera, quæ innoxiè variis in locis eſitari à multis proditum eſt; & præter illos, quos quæſtionis initio adduximus, tradit *Herodotus* Troglodytas & Æthiopes ſerpentibus aliiſque reptilibus veſci: Candæos ſerpentes comedere recitat Plinius *lib. 6. cap.* 29. indeque Ophiophagos dictos fuiſſe ait. *Solinus* Acabas carnibus anguinis ſumptuoſas cœnas parare; & in India quoque multas ſerpentum ſpecies eſculentas inveniri refert *Scaliger*, hocque præcipuè in provincia Juannos ſcribit *Petrus Martyr*. In Braſilia idem fieri hiſtoria navigationis in illum orbem narrat; quemadmodum in Cuba, ubi ſerpentum uſus ita ſuavis reputatur, ut ſoli Reges in ſtruenda epularum magnificentia illis utantur. Noſtrâ quoque ætate viſi ſunt homines, qui abſciſſis capite & caudâ, abjectiſque interaneis ſuaviſſimè iis veſcerentur; fuiſſe ſiquidem, qui exporrectâ fronte hoc facerent, Galenus 3. *ſimpl.* meminit: quapropter Athenæus *lib. 8. cap.* 13. ad cœnam ingenti apparatu inſtructam viperas more piſcium conditas pro obſonio deferebat. Quantùm verò pro theriaca conficienda expetantur, quantumque emolumenti in leproſis, & aliis cutaneis affectibus medendis afferant, notiſſimum eſt ex *Galeni* hiſtoria, & omnium medicorum ſententia confirmatum; ut noſtro etiam ævo ſi non ad lautitias pro epulis, ad vitæ tamen longitudinem comparandam, & pulchritudinem renovandam Italicæ præſertim mulieres comedere non recuſent, imò avidiùs expetant. Ex quibus ſanè patet multos ex ſerpentum genere edi poſſe, & de facto à multis in quamplurimis locis manducari, abſciſſis præcipuè capite, caudâ, & abjectis interaneis; quia cùm in his partibus plerumque venenum contineant, tanquam in loco determinato incluſum, innoxiè quidquid reliquum eſt devorari poſſe citrà periculum, ſæpiùs expertum eſt, cùm cæteras partes à veneni labe immunes conſervet natura, & noxii virûs nihil patiantur. De quo ne quis dubitet, conſideret aliquando intrà noſmetipſos venena generari, à quibus per totum illud tempus, quo in loco determinato & ignobili coërcentur, nil mali ſentitur, ſed ſuaviſsimè degunt homines; cùm tamen intrà ſe habeant tam peſtilentem aliquando humorem & adeò venenatum, ut ſtatim ac ſe prodit, & à loco natali movetur, vitam velociſſimè auferat, totumque corpus citiſsimè inficiat: ita etiam in prædictorum ſerpentum veneno evenit, quod natura in parte determinata incluſit; & hæc cauſa eſt, cur omnium ſerpentum carnes tutò edi non poſsint, ut *lib. de ther. ad Piſonem cap.* 8. docet *Galenus*, dum quærit, quarè aſpidum carnes theriacam non ingrediantur? nullamque aliam affert, quàm quòd univerſum aſpidum corpus venenoſum ſit; tales enim ſerpentes nullo pacto in eſum trahendi ſunt, ſed alii, in quibus corpus à veneni labe immune eſſe cognitum eſt & expertum, quales ex reptilium genere ſunt vipera, & plures anguium ſpecies. Hinc obiter deducimus erràſſe Zacutum *lib. 2. hiſt. principum dub.* 52. cùm ait viperarum carnes homini ſano multam perniciem ſi edantur afferre poſſe: hoc enim ſolùm verum eſt, ſi non rectè præparatis veſcantur, aliter citrà noxam edi ſuprà oſtendimus; & Galenus 3. *ſimpl.* ab Ægyptiis viperas & alios ſerpentes innoxiè comedi ſcribit. Cyrnios quoque Indorum populos, item Æthiopes, & qui Athon montem incolunt, viperinis carnibus ali teſtatur ex *Iſigono* Plinius *lib. 7. cap. 2.* ac propterea centum vivere annos: & priſcos viperis non modò recentibus, ſed aſsis, & ſale conditis piſcium inſtar victitare conſueviſſe tradit *Aldrovandus*; quamobrem, ait, tutò unuſquiſque his carnibus uti poteſt, dummodò optimâ diligentiâ præparentur, quia harum belluarum caro omninò prorſùs veneno caret,

27.

28.

29.

ret, ut idem auctor, & alii plures affirmant. De aliis verò nemini consulerem, quòd securè comedi possint; quippe & lacertas, quibus Amazonas victitare scripsit *Cælius*, veneno non carere ajunt, & Avenzoar *lib. 2. Theis. tract. 7. cap.* 10. historiam refert de aqua cujusdam putei, cujus potu qui utebantur, in maligna symptomata deveniebant; investigatâ causâ inventum est lacertas in puteum cecidisse, ex quarum veneno aqua corrupta fuit & infecta. Igitur ut de anguium & viperarum carnibus rectè apparatis edere securum, & aliquando utile fuerit; ita de omnibus aliis reptilibus, & cæteris venenatis, quæ morsu vel ictu interficere consueverunt, temerarium ac minimè innoxium judicamus.

...nalia vene- ...alis, ...lantis ...ntur, ...urè ...sint? 30.

De aliis verò, quæ quidem nullo modo quatenùs ex sua natura aliquid veneni continent, sed venenatis plantis & aliis animalibus satis venenosis nutriuntur, an innoxiè edi possint, non est omninò certum, nec adeò determinatum, ut omnibus liberè vesci securum sit, ac minimè damnosum: quæ verò animalia perniciosis plantis, aut animalibus aliis venenosis nutriuntur notissima sunt, coturnices quippe elleboro, sturnos cicutâ vesci constans & antiqua est opinio; anates etiam immundis & venenatis pro cibo uti notissimum est; araneis quippe, lacertis, rubetis, & bufonibus vesci docet Scaliger *in Theophras. lib.* 4. imò anates Ponticas veneno vivere scribit *Plinius*, & Gellius *lib.* 17. *cap.* 16. prætereà ciconiæ, quæ licèt hodiè ad mensam non veniant, tamen ante *Plinii* ætatem in usu fuisse ex *Petronio* & *Horatio* constat; ideoque homines jam ab antiquo ab illarum esu abstinuisse tradit *Aldrovandus*, quòd bufonibus & anguibus nutrirentur, lacertis etiam, & aliis pratorum pestibus; quod nemini non notum est: hinc multi ciconiam interficere piaculum judicârunt, cùm utilitatem in perniciosorum animalium venatu nobis afferant; quemadmodum in Thessalia tantam serpentum vim aliquando provenisse *Aristoteles*, aut mirabilium, quisquis fuerit, auctor tradit, ut nisi à ciconiis conficerentur incolas pellerent; unde illis nocere lege cautum est sub pœna capitali, eodem modo ac in homicidas ut *cap.* 23. *lib.* 10. etiam adnotavit *Plinius*. Deinde gallinæ, quæ nobis utilissimum alimentum præstant, araneis victitant; prætereà capreas veneno pinguescere scribit Plinius *cap.* 72. *lib.* 10. & prædicta quidem animalia nullum ex talium animalium aut plantarum veneno nocumentum aut damnum suscipere, inde conjectandum, quia ipsamet animalia talem victum quæritant, maximeque illo delectantur; & cùm illis ad individui conservationem, & noxia vitanda, ingentem cognoscendi vim, in his quæ ad appetitum sensitivum spectant, natura imposuerit, perspicuum est nullo modo illa gustare, quæ sibi nocua & contraria forent. Quarè autem ex prædictarum rerum esu non lædantur, alii hujusmodi animalia vim alexipharmacam habere credunt, quâ veneni qualitatem extinguant, ut de sue voluit Plinius *lib.* 29. *cap.* 4. quem salamandriam animal satis venenosum edere ait, illiusque perniciosam vim naturæ quadam desidentia evincere: eosdem quoque serpentes, qui aliis animalibus venenum sunt, in pabulum assumere dicit *lib.* 11. *cap.* 53. nec virulentos ictus sentire docuit Aristoteles 8. *de hist. cap.* 29. Alii tandem ad proprietates individuales confugiunt, qualiter, non intensi caloris vi, struthio camelus ferrum digerit, & durissimos lapillos perdix, aliæque aviculæ. Hac de causa *D. Ambrosius* & *Magnus Basilius* cicutam & elleborum à sturnis & coturnicibus innoxiè comedi & in optimum alimentum converti arbitrantur; quidquid aliter cicutam sturnos non interficere ob venarum meatuumque angustiam doceat Galenus 3. *simpl. cap.* 18. quo fit ut retenta, temporis intercapedine à corde tanquam à foco calefiant, & concoqui præparique valeant. Denique certum est, alimentum quodlibet dum à calore, & à concoquente animalis facultate vincitur, id ipsum in alimentum cedere, & alito venenum esse non posse; si enim venenum non vincit, necesse est ut vincatur; ingenitaque tum & consuetudine acquisitâ illud suscipiendi proprietate, corpus parvam aut nullam alterationem sustinet, undè rectè Lucretius *lib.* 4. *de nat. rerum.*

31.

32.

Prætereà nobis veratrum est acre venenum;
At capris adipes, & coturnicibus auget.

cùm hujusmodi venenatis plantis non solùm innoxiè vescantur, sed adeò rectè illas superent, ut ex illarũ victu pinguescant. Nec ideò negaverim ex tali cibo, præsertim si diutius illo utantur, assumpti qualitates in nutrito resultare posse; ut ideò dixerit Aristoteles 8. *de hist. animal. cap.* 29. viperas scorpionum pastu fieri venenosiores, quod *Plinius* etiam adnotavit, qui de vespis idem tradit, serpentibus nimirum avidè vesci, quo

Lib. 11. cap. 53.

quo alimento mortiferos, inquit, faciunt ictus. Sic etiam dracones insidias alicui tendentes, venenatas plantas, lethiferas radices, & similia alia comedere dicuntur: hinc Homerus illum antè latibulum nocuas herbas comedentem depingit. Nec hoc de viperis omisit *Galenus*, qui *cap.* 13. *ad Pisonem*, eas hujusmodi animalium victu magis efferari & maligniores reddi scripsit, ideoque buprestibus, cantharidibus, & pini erucis nutriri ait. Eodem modo in turdorum carne, qui baccis juniperi vescuntur, & gallinis, quæ absinthium devorant, illarum carnes baccarum saporem, & absinthii amaritudinem quodammodò referunt; imò & cum saporibus qualitates alias mutari *Hippocrates* & *Galenus* clarè insinuant 6. epid. comment. 5. text. 35. *Mulier aut capra elaterium comedens, pueris purgatio.*

33.

Igitur cùm pro utraque parte rationum momenta non desint, nec tamen ipsa experientia tantum nobis ex eorundem animalium victu periculum ostendat; non est cur penitùs cum Zacuto *lib.* 2. *de princip. hist. dub.* 52. doctissimum *Langium*, hujusmodi animalium esum *epist.* 59. *tom.* 1. non omninò damnantem, rejiciamus; nam idem *Galenus* qui sturnos cicutam edere affirmavit, tamen 6. *de sanitat. tuenda cap.* 16. inter salutares cibos pro curatione calculi renum illos annumerat. Nec etiam nos terrere debet quod de coturnicibus scribit idem 6. *epid. com.* 5. *textu* 45. in Doride Bæotica, & Thessalia omnibusque finitimis regionibus multos ex coturnicum esu musculorum distentionibus correptos fuisse, quia veratro vescebantur; quod quoque Athenis quibusdam ait accidisse, qui largiter nimis coturnicibus se impleverant, quâ de causa; & quòd comitialem morbum patiantur, à mensis proscriptas fuisse testatur Plinius *lib.* 10. *cap.* 23. Avicenna quoque ex coturnicum esu tetanum & spasmum timeri docuit, & Apponensis illarum carnem omnium volatilium pejorem ideò dixit. Propterea non defuêre, qui suspicentur Deum Israëlitico populo carnium esum impudenter expostulanti coturnicum agmina ideò immisisse, ut malâ morte perirent, insalubrium scilicèt avium esu. Quibus tamen non obstantibus, horum opinionem non esse admittendam qui omninò prædictas aviculas damnant, præter expertissimum ornithologum *Aldrovandum*, apud ipsum alii tenent; quam eandem sententiam nos quoque cum Ludovico Nonnio *in re cibaria* peritissimo nunc defendimus, moderatumque illarum avium usum periculo omni vacare, nec spasmum, comitialémve morbum, aut hujusmodi aliam ægritudinem timeri posse, ipsâ experientiâ confirmamus, quæ singulis annis infinitum hominum numerum, qui sæpius prædictis avibus vescuntur, id citrà damnum facere ostendit: unde cum Mathiolo *præfat. in* 6. *Diosc.* & aliis jam adductis, largum & immodicum illius usum tantùm damnamus, non quòd veneni aliquid habere conjectemus (quoniam omne illud, quod ex noxiis plantis venenosum resultat, cum excrementis evacuant, & partem utilem in alimoniam convertunt) sed quia humores generant crassos, pituitosos & viscidos, ad epilepsiam aptos. Et hac forsan de causa, non ex veneni, quo carent, nocumento malè habuisse illos, quos *Galenus* refert, ex ipsius verbis infertur, cùm dicat largiter coturnicibus se implevisse: quâ ratione etiam populo Israëlitico damnosæ fuerunt, nimis quippe se illis ingurgitaverant, quo factum est, ut tam multi perirent, Domino ita disponente, ut in peccati pœnam, quam morte luebant, diversis morbis corriperentur; nec enim credibile est tam immensam coturnicum copiam elleborum, ut possint edere, tam obvium habuisse, ut proinde noxiæ fierent: quare ex sua natura, sine alimenti quo fruerentur vitio damnosæ fuerunt; in copia enim, & si frequenter esitentur, eas damnamus, ut sentit etiam Paræus *lib.* 2. *cap.* 4. licèt ille venenatæ qualitatis non omninò expertes faciat, mortesque aliquando repentinas non aliunde provenire quàm ex pravis alimentis dicat, ex quibus maligni paulatim congeruntur humores. Quare idem auctor hujusmodi animalia, ut securius edantur, tamdiu asservari debere, & optimo alimento nutriri consulit, quousque prava illa qualitas, quæ à venenoso fuit acquisita, consumatur & omninò deficiat; quod ego tantùm requirerem si frequenter desiderentur, & in mensam veniant, aliter citrà hanc diligentiam edi posse non dubito. Tandem ut hac parte concludamus, multò deterioris succi alimentis aliis sæpius utimur, à quibus nec abstinemus, nec tantum terrorem medici nobis incutiunt, ut sunt fugaces fructus, melones, cucumeres, qui qualis sint naturæ, & quàm pravum alimentum suppeditent, *Galenus* ipse declarat, cùm ab eisdem succum lethali veneno parum absimilem in corporibus procreari dicat. Hæc igitur omnia etsi per varias coctiones in varias formas

34. 35. 36.

mu-

mutata, homini in alimentum veniunt, & aliis mixta sæpiùs non nocent, solumque si sæpius edantur & copiosius, pravos generant humores, qui tamdiu noxam non inferunt, quamdiu aliis mixti conservantur; quòd si separari & segregari incipiant, solique extiterint, in venenatam naturam evadunt, hominique nocere incipiunt.

Tandem de animalibus veneno enectis, an citrà periculum & tutò edi possint, non absque necessitate inquiritur; aliqui enim hanc dubitationem cum superiori confundentes, confusè sine ullo delectu aut distinctione tam animalia illa, quæ venenosis plantis nutriuntur, quàm veneno interempta tanquam esui minimè apta damnant, cum tamen dispar omninò judicium meritò sit faciendum, ut jam videbimus. Animalia multipliciter veneno enecari certum est, alia quippe à venenatis aliis icta aut commorsa emoriuntur, alia externis venenis de industria conficiuntur ut capiantur, clam appositis venenis, aut rebus aliis commixtis ut fallantur, vel tandem à venenatis sagittis feriuntur, à quorum ictu non rectè adacto si fortè evadere possint, veneni tamen vi pereant: & ut multas venenosorum animalium inter se inimicitias omittamus, inter quæ tanta intercedit antipathia, ut mutuis ictibus sese interimant, ad frequentissimum ac notissimum canis morsum dum rabie laborat deveniamus, qui non solùm suæ speciei alios, sed quæcumque obvia animalia impetit & mordet; unde promptissimè in rabiem agitata pereunt, sed cujuscumque generis sint, non sine ingenti periculo posteà edi pluries observatum est. Scribit Surius *in com. suis rerum in orbe gestarum*, in Ducatu Buitembergensi accidisse, ut caupo quidam hospitibus carnem porci rabidi, canis morsu anteà infestati, parum certè hospitaliter edendam apposuerit; quam cum ignari comedissent, mox in rabiem versi mutuis se morsibus lacerârunt. Eodem modo quibusdam venatoribus accidisse tradit Fernelius *lib. 2. de abd. cap.* 14. qui cum sæviorem lupum ab ipsis captum, & discerptum in varia obsonia appararent, & comederent, omnibus non multò post rabie correptis, alii extincti sunt, alii aliorum periculo cauti sibi prospexerunt. Similiter & aliis contigisse, quibus sceleratus hospes Suis à rabido cane demorsi carnes apposuit, ex *Lycosthene* refert *Bauhinus*; qui etiam tradit rabientem suem à rustico occisum, & sub terrâ sepultum, sed cum non satis profundè, cadaver erutum vulpes devorâsse, unde in rabiem devenerunt, & multa alia animalia ab ipsis demorsa, pecudes, equi, atque homines; quotquot enim demorsi sunt, omnes rabidi evaserunt. Quæ si vera sunt, ut ex prædictis auctoribus collegit Sennertus *lib. 2. instit. p. 3. sect.* 1. *cap.* 4. Galeni, & multorum remedia aliqua, quæ adversus commorsos à cane rabido afferunt, probare non possum; ejusmodi sunt, hepar ipsius canis rabidi assum si edat patiens, ut 11. *simpl.* consulit; qualiter etiam sanguinem ejusdem rabidi canis à patiente ebibitum consulunt *Dioscorides*, *Avicenna*, *Rhasis*, *Menabenus*, *Serapius* & alii: valdè enim suspecta, imò damnosa hæc remedia judico, non minùs quàm illud, quod *Plinius* laudat, de carnibus canis rabidi salîtis, & demorso in cibo datis; quidquid Ficinus *de vita longa cap.* 11. in indaganda ratione multùm temporis consumpsisse dicat, ego namque nullâ persuasus nemini hujusmodi remedia dari consulerem. Siquidem talium rabientium caro licèt igne torreatur aut concoquatur, manet adhuc in ipsa lethifera ac maligna illa vis à tota substantia perniciosa, quæ ignis potentiâ omninò devinci non potuit, ut rectè docet Salius *cap.* 19. *de affect. part.* quæ cum devoratâ carne spiritus viscerumque firmitudinem inquinare potest, ac fœdâ venenosaque qualitate conspurcare.

Igitur à rabiosa venenosâve qualibet fera occisa animalia, esui omninò inepta judicamus; periculosum enim est, cùm venenum in cadaveribus non ita facilè extinguatur, sed in illorum partibus, inquibus inhærebat, adhuc permaneat, & totum animalis corpus citissimè permeet, inficiat, ac labe dirâ corrumpat. Unde *Plinium* non possum non mirari, qui *lib.* 29. *cap.* 4. de aspidum veneno scribens, ex omnibus serpentibus illius morsum minimè sanabilem esse dicit; ac mox addit, quâlibet copiâ sumptum non nocere, quòd tabifica vis illi deficiat, ac propterea occisa ab ipso animalia minimè cibis noxia esse: quam tamen experientiam ego facere non auderem, nec *Plinium* aliquam hujus certitudinis habuisse judico; nam quantumvis aspidum venenum (quod aliàs frigidum existimavit *Galenus*) tenuissimum ac subtilissimum esse credatur; non propterea illius tabifica vis facilè exhalatur, quia qualitates malignæ, & quæ à tota substantia operantur, cum contrarium non habeant,

beant, non facilè extinguuntur; imò ex sua natura hoc habent, ut pertinaciter adhæreant, & difficulter superentur & vincantur. Quare hâc parte *Plinii* auctoritatem parvi facerem, licèt Cornel. Celsus *lib.* 5. *cap.* 27. de omnium serpentum veneno hoc doceat: quod tamen non adeò rigorose accipiendum est, ut omninò hujusmodi animalium venenum intùs sumptum nil lædere dicamus, sed quòd minùs lædant, quàm extrà admota, & à feris ictu aut morsu impacta; sic enim videtur voluisse *Galenus* cùm 3. *de temp.* 3. agens de medicamentis, quæ foris aut intus nocent, & econtrà, nullum inquit aut viperæ venenum, aut rabidi canis spumam, aut aspidis virus, parem vim habere, vel cuti applicata, vel intrò assumpta: quare hujusmodi serpentum venenum per os assumptum satis nocere posse dubium non est, ut tenent Cardanus 1. *de venen. cap.* 18. cum quo convenit Sennertus *lib.* 6. *pract. p.* 5. *cap.* 2. Ponzettus *eodem lib.* 1. *de venen. cap.* 5. Grevinus *lib.* 1. *cap.* 1. hoc enim citrà controversiam verum esse colligitur ex illo casu, quem narrat *Aurel.* de sartore, qui dilaceratum à cane rabido pallium consuens filum dentibus abscidit, & statim rabie correptus est ac mortuus; quemadmodum aliis evenit, qui cùm dolentem manum, in qua ictum à vipera acceperant, imprudenter ori admovissent ut suctu levarent, extemplò mortui sunt, ut narrant Mathiol. *lib.* 6. *in Diosc.* & Amatus *cent.* 3. *curat.* 14. deinde si talia serpentum venena minimè noxia forent per os assumpta, necessarium non foret ut pro illis quibus anguium aut viperarum carnes propinare studemus, capita & caudæ abscinderentur, aliæque præparationes fierent; si enim illarum venenum ore assumptum nil damni affert, superflua videtur illa cautio & diligentia.

Verùm tam à veritate alienum hoc judicandum est, ut potiùs tanquam certissimum habendum sit, omne venenum quod per os assumptum interimit, posse extrà adhibitum non nocere; sed contrà omne venenum, quod foris applicitum occidit, multò faciliùs occidere per os assumptum, ut expressè tenet Cardanus *lib.* 1. *de venen. cap.* 18. *& lib.* 2. *contr. med. tract.* 5. *contr.* 10. cum quo consentit Zacchias *lib.* 2. *quæst. medico-legal. tit.* 2. *quæst.* 10. Ex quibus inferimus non solùm animalia illa à venenosis serpentibus ictu aut morsu enecta, sed illa etiam, quæ quomodocumque venenum aliquod devorârunt, à mensis omninò abjicienda, illorumque carnes ablegandas. Narrat *Amatus* filium Arabæ tabefactum, ac veneno emortuum fuisse, quòd gallinæ arsenico enectæ carnem comedisset *cent.* 2. *curat. lib.* 5. Novi ego virginem, quæ aquam noctu frigido aëri expositam ebibit, de qua arsenico intoxicatus mus gustaverat, à potu statim veneni symptomata habuisse; à quibus curari oportuit, & non sine labore restituta est. Itaque à cadaveribus veneno occisis aves abstinere *Plinius* & multi alii scribunt: homines potiori ratione id facere debere extrà dubium fuerit. Solum ergò si animalia non venenis interficiantur, sed rebus aliis, quibus stupida & infatuata redduntur, ita capiantur, ut pisces, qui elephantico cocco aliis rebus admixto, aut tithymalo inebriantur, citrà aliquod damnum comedi possunt; quia cum baccæ illæ venenosæ non sint, periculum nullum imminet, ut Mathiolus *lib.* 3. *epist. Thadæo Nemico* latius scribit. Deindè aliqua sunt animalia, quæ hanc aut illam plantam sibi venenosas experiuntur, à quibus tamen homini nullum subest damnum; quarè si ex prædictarum esu moriantur, securè edi poterunt.

42. 43.

De animalibus venenato telo enectis. 44.

Tandem de illis, quæ venenoso telo occiduntur, in dubium vertitur; licèt hoc venandi studium minus jam, quàm antiquitus in usu habeatur. Constat siquidem apud varias nationes tela infici consuevisse, ut percussum animal statim concideret, aut saltem mortem vitare non posset, quò sic illis melius potirentur. Scythæ, ait Plinius *lib.* 11. *cap.* 53. sagittas tingunt viperinâ sanie & humano sanguine: irremediabile id scelus mortem illicò affert levi tactu. Qualiter verò id venenum pararetur monstrat Rhodiginus *cap.* 10. *lib.* 23. sed ut interim omittam Arabas, de quibus *Pollux*, constat etiam ex Galeno *ad Pis. cap.* 10. Dacos & Dalmatas telorum cuspides helenio fricare consuevisse, ut promptius cervos conficerent. Gallos etiam Celtas dictos, tam præsentis veneni pharmacum habuisse scribit Aristoteles *lib. de mirabilium auscult.* ut quamprimum animal eo læderetur, statim concideret; quod verum esse confirmat Gellius *lib.* 16. *noct. Atticar. cap.* 15. & Plinius *lib.* 25. *cap.* 5. *&* 27. *cap.* 11. sed & Armenos sagittas pardali veneno inficere citatus asseverat *Aristoteles*, & probat Langius *lib.* 1. *epist.* 68. Hanc eandem industriam hodiè ab Hispanis observari refert *Laguna*. Qualia autem fue-

fuerint hujusmodi venena si quæras, non unius sortis, sed varia fuisse ex dictis apparet. *Gellius* & *Plinius* elleborum fuisse tradunt; *Galenus* apud Dacos & Dalmatas helenium fuisse ait; *Plinius* apud Gallos limeum hoc venenum dictum fuisse scribit *c.* 11. *lib.* 27. Sed licèt varia sint nomina, ego apud omnes elleborum fuisse suspicor; nam læmeum, seu limeum (quam & belenium vocârunt Galli, ninon & nicon Barbari, ut ad Pisonem tradit *Galenus*) & helenium, quo Dalmatæ utebantur, eandem esse plantam affirmât Dalechampius *in annot. super Plinius cap.* 11. *lib.* 27. Fuisse autem helenium inter ellebori species præstantissimam scribit *Dioscorides*, sic dictum quòd in Helicone, Parnasso, & Helia nasceretur; unde ut præstantissimum indigitarent, helenii, aut heliconei nomine donabant: quod in limeum apud Gallos degeneravit; licèt alii *Plinii* limeum cum *Aristotelis* xenico confundant, incerto toxici genere.

15.

Quomodocumque fuerit, consueverant venatores confestim ad vulneratum animal accurrere, & ad spithami latitudinem circà vulnus inscindebant, antequam veneni vis penitus dispergeretur: licèt & citrà hanc diligentiam, innoxiam fuisse talem sagittarum tincturam, & ab iis sic infectis vulnerata animalia tutò comedi posse moneat Celsus *lib.* 5. *cap.* 27. quò loco ait talia venena non gustu, sed vulnere nocere: quemadmodum de tora, seu ptora Waldensium scribit *Gesnerus*, quæ aconiti species est: imò venatores illo medicamento propterea uti, quòd ex elleboro carnes teneriores evadant, nil inde damni timentes, cùm ut *Celsus* ait, vulnere non gustu noceat: & elleborum hoc habere peculiare advertit *Laguna*; quippe recenti sanguine in vulnere permixtus interitum affert, cùm tamen innoxiè devoretur, quod venatoribus fortassis notum fuit; hinc hujus præsertim plantæ succo ad inficiendas telorum cuspides usi sunt, & hac etiam de causa in Regno Navarræ & Portugalliæ eodem uti scribit Marcell. Donatus *lib.* 6. *cap.* 1. quam ait appellare podigrambam, verdegambram. Quarè autem elleborus nec per os sumptus, nec extrà admotus, nisi cum sanguine misceatur, interficiat, pauci tradiderunt. *Zacchias* citatus putat ideò hoc esse, vel quòd cum sanguine mixtus promptiùs spiritus inficiat, vel quòd à sanguine actuetur: sed cùm per os assumptus & actuari etiam & spiritus inficere posit, illius opinioni non assentior. Idem *Zacchias* prædictis non acquiescens, aliunde accidere inquit, quòd fortassis natura tentans noxium illud venenum expellere, nolens dat illi motum & vim nocendi: quod etiam ad libitum dicitur, cùm nullo modo natura hoc facere posse videatur, nisi actuatione; expellere autem nociva semper natura intendit, non solùm exteriùs admota, sed intùs sumpta, majorique conatu sese ab illis defendere nititur. Quarè cùm multæ sint in rerum natura occultæ vires & rerum indicibiles proprietates, putaverim ego talis conditionis esse ellebori tabificam vim, ut quemadmodum plurima medicamenta à calore actuata vires suas exerunt, ita perniciosa illa in elleboro existens non nisi à sanguine excitetur, & illius contactu repullulet; quod tamen si intùs assumatur non accidit, quia elleborus sanguinem non tangit, sed à corpore expellitur. Quomodocumque igitur sit, hujusmodi occisorum animalium carnibus venatores innoxiè frui firmat Galenus *ad Pis.* citat. & præter Celsum Mathiolus *cap. de elleboro*, Marcell. Donatus *lib.* 6. *cap.* 1. *de hist. mirab.* unde immeritò *Zacutus* tantoperè illorum esum formidandum esse prædicat; hoc quippe non de elleboro per vulnus enectis dicendum est, sed de illis, quæ perniciosis aliis venenis, & quæ homini noxia esse notum fuerit, interfecta sunt, intelligendum, ut inter alios rectè advertit Sennertus *lib.* 6. *part.* 8. *cap.* 1.

46.

47.

QUÆSTIO SEXAGESIMAQUARTA.

An possibile sit in vivo aut mortuo corpore veneni dativi, aut nativi signa distinguere; & an medico hoc declarare apud judicem liceat?

INfame venenorum myropolium jam ingressos, haud mirabitur quispiam infectionis aliquid nos contraxisse, & dum inter malignam & perniciosam illorum materiem versamur, veneni aliquid jam imbibisse: ut tanto igitur damno succurramus expedit prius ad signa divertere, non solùm quæ communia venenorum symptomata declarant, sed peculiari indagandi studio, an aliqua sint, quibus internum ab externo, dativum à nativo, distinguere ac internoscere valeamus, sedulò inquirendum; hoc enim medicis non solùm utile ac delectabile videbitur, sed necessarium prorsùs, utpotè à quibus multoties à Magistratibus & Prætoribus judicium exquiritur, sine quo ad causam judicandam non raro hæsitant, cùm periculum immineat, ne insontem aliquem damnent, aut gravissimâ punitione dignum impunitum dimittant. Prô dolor! quot hominum myriades oblatis forinsecùs venenis singulis annis pereunt, occiduntur, intoxicantur, infatuantur! cicutâ, hyoschyamo, mandragorâ, helleboro, tithismalo, napello, aconito, arsenico, auri pigmento, mercurio, sublimato, antimonio, calce vivâ, gypso, philtris, zenith, & adhuc sexcentis aliis venenorum generibus extinguuntur, & efferuntur. Antiquos auctores, (quos vitæ humanæ potiùs osores diceret) refert Petrus Bovestiau *in suo mundi minoris theatro*, 500. venenorum sortes docuisse in generibus componendi, occultandique modo; hos autem auctores fuisse *Orpheum*, *Orum*, *Medesium*, *Heliodorum*, & *Aratum*, aliosque, tradit Galenus *lib. 2. de antid. cap. 7.* jureque illos damnat, quòd in hominum perniciem venenorum compositiones docuerint; adversus quos rectè cum Plinio *lib. 28. cap. 1.* diceremus: *Quis ista invenit ostenta? tecum res agitur eversor generis humani, monstrorumq; artifex, qui primus ea condidisti, credo ne vita tui oblivisceretur.* Marmoraceum venenum auctore *Ptolomæo* adeò ingentis & perniciosæ fuit efficaciæ, ut solo tritici grani pondere momento hominem necaret, cujus tamen uncia j. non minùs quàm centum scutis vendebatur. Quid mirum? tam ingentis perniciei & malignitatis toxicum invida & ambitiosa mortalium industria temperare noverit, quando ipsa parens natura adhuc efficaciorem necandi præstiterit materiem, si vera sunt, quæ de grano nubii auctores non contemnendi scribunt; siquidem vel in decem partes divisum granum, decem homines intrà horæ quadrantem tollere scribit Scaliger *exercitat.* 153. *num.* 11. sed licèt hujuscemodi plurima creaverit natura, non sine ingentibus causis produxit illa rerum omnium parens, dicebat Plinius *lib.* 29. *cap.* 4. nam quantumvis venenosa, ad perfectionem universi fabricavit, quibus etiam & vires nobis utiles indidit, sed tamen à fragilitate intellectûs humani ignoratas. Rectè igitur, idem *cap. 1. lib.* 18. conquerebatur: *Ad nocendum præparant se animalia; quod tamen eorum tela sua excepto homine venenis tingit? nos & sagittas tingimus, & ferro ipsi nocentius aliquid addimus; nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa: ipsum quoque quo utimur aërem in perniciem vertimus, nec ab ullo præter hominem veneno pugnatur alieno.* Hæc homini ab homine parantur insidiæ, & de facto experti sunt, præter communis sortis infinitos homines, quamplurimi Reges Imp. & magni nominis celeberrimi heroës. Alexander Magnus veneno, non sine *Arist.* infamia extinctus est. Constant. Heraclii filius insidiis & dolo novercæ veneno hausto periit. Henricus Luxemburg. sacrilego ac horrendo audaciç genere, veneno in sacra Eucharistia commixto intoxicatus fuit. Car. VIII. Galliarum rex veneno etiam suffocatus, & innumeri alii novis & inauditis venenandi subtilitatibus sublati sunt, non devoratis tantùm venenis, sed per visum, tactum, odoratum, ut ex auctorum relationibus infrà videbimus; ut omittamus interim scorpionum serpentumq; ictus, canis, lupi, & rabientium aliarum bestiarum virulentos morsus, & quidquid toxicæ perniciei in reconditis terræ visceribus occlusum natura produxit: ut novercam propterea illam aliqui appellare ausi fuerint, quæ tot morborum chiliadibus non contenta, homini, quem terrestris hujus machinæ dominum creaverat, & cu-

1. 2. 3.

& cujus obsequio pulchram hanc Universi fabricam subjecerat, in plantis, lapidibus, animalibus, tot pericula, tot reliquerit insidias, ut servus & captivus potius videretur, dum abjectissimi animalculi, infamissimæ herbulæ noxiâ vi facillimè enecatur ac perditur, ut Janochius de Manectis *lib. 2. de dignit. & excellent. hominus* latius prosequitur, quandoquidem maligno ac invido homini adversus hominem, tam luxuriose tot creaverit nocentia, tot mortis reticula apposuerit, & copiosam venenandi materiem procreaverit. Sed horum querelis, præter *Plinium* jam adductum, D. Ambrosius *hexam. lib. 3.* & *Magnus Basilius* occurrunt; dum sic: *Nullam quippe venenatarum rerum existimare oportet otiosam, aut frustrà creatam esse; aut enim aliis animalibus sunt pabulum, aut nobis ipsis ex his ad aliquos morbos ab arte medendi comperta remedia parantur; sunt enim hæc ipsa nonnunquam opportuno tempore etiam nobis utilia.* Sic elleborus insaniam curat, scorpionis morsum aconitum sanat, ferinam scabiem & morbum gallicum, multaque cutanea alia arsenicum, & Mercurius domant; denique & venenum veneno pellitur, si Ausonio & aliis credimus. Sunt & aliæ non contemnendæ utilitates; inserviunt quippe ex venenorum genere multa artibus multis, pictoriæ, tinctoriæ, argentariorumque opifices non paucis utuntur: adeò nil sine ingentibus causis genuit illa rerum omnium parens. *Nil enim*, dicebat ipse *Plinius* lib. 27. cap. 3. *tam malum esse in rerum natura, cui non boni quidpiam sit admixtum.* Rectius quidem hoc dictum & admittendum potius, quàm quod idem auctor *lib. 1. cap. 63.* naturam nostri scilicet misertam venena instituisse, ne tædio vitæ diræ famis mors terræ meritis alienissima, lentâ nos consumeret tabe; quarè illud genuit, cujus facillimo haustu, illibato corpore, & cum toto sanguine extingueremur, nullum laborem sentientes. Impio certè & infideli homine digna! quibus fortè nec ipse sibi plaudens, intulit statim parùm infrà: *Et ut verum fateamur, terra nobis malorum remedium genuit, nos illud vitæ fecimus venenum. Nos enim & ferro, quo carere non possumus, simili modo utimur; nec tamen quereremur meritò, etiamsi maleficii causâ tulisset. Adversùs unam quippe naturæ partem ingrati sumus: quasi non ad delitias quasque, non ad contumelias serviat homini.* Sic est profectò. Sed superbissimi istius animalis, & arrogantis superbiæ invidum animum, qui talia audet, dum gloriæ aut vindictæ cupidine flagrat, describendum aliis relinquamus: sat nobis est scire, cætera animantia inter alia suæ speciei mutuâ pace secura vivere; ab homine tantùm adversùs hominem fraudes excogitantur, tenduntur doli, & in amicum, propinquum, quin & in ipsos fratres struuntur insidiæ, & quæ malignitas in propatulo committere non audet, occultè & sub amoris palliolo infidè perpetrantur. Hoc brutis omnibus in sua specie natura denegavit, ut *lib. de ira* advertit *Seneca*, ad quod etiam attendens Plinius *in proœmio lib. 7.* sic exclamat: *Cætera animantia in suo genere probè degunt; congregari videmus, & stare contrà dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes; nec maris quidem belluæ, ac pisces, nisi in diversa genera sæviunt: homo tantùm adversus hominem insidiator existit. At herclè homini plurima ex homine sunt mala.* Hinc meritò *Cicero* lib. de oratore: *Portentum atque monstrum certissimum est, aliquem humanâ specie & figurâ reperiri, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut eos vitâ privet, cum quibus hanc suavissimam lucem aspexerit.* Sed tanta est inter sese hominum invidia, ut vel odio, vel avaritiâ, aut dominandi denique ambitione abalienati horrendas aliis parent insidias; nulla verò frequentior magis, quàm in venenorum fallacissima industria, dum poculis, cibis, aut quoquo modo aliter, incautos intoxicando ad necem usque deducunt.

Igitur ut ad pensum redeamus, dubitationi, quæ in hac quæstione proponitur, occasionem dedit communis illa medicorum opinio, asserentium in nostris corporibus generari posse venenum, aut humorem venenosum tantâ pernicie & malignitate naturaliter donatum, ut eademmet symptomata & accidentia causet, quæ à quovis etiam lethalissimo epoto veneno suboriri conspicimus. Quòd verò in corpore simile generetur venenum, potissima medicorum pars pro comperto asserit: Androinus *lib. 1. de venen. cap. 4.* Gardanus *lib. 1. ejusd. operis cap. 6.* Valesius *3. epid. sect. 3. ægrot. 4. text. 16.* Valerianus *lib. 3. locor. com. cap. 18.* Saxonia *de phægni. lib. 2. cap. 20.* Codronchus *in meth. testif. cap. 6.* Castrensis *lib. 2. de meteoris cap. 12.* & innumeri alii. Nec obstat quòd aliqui dicant, hoc de vero ac proprio veneno accipiendum non esse, sed humore veneno simili, ac impropriè venenum dici debere, quando humores ita corrumpuntur, ut veneno similes efficiantur, & illorum vires æmulentur; quod

quod ex *Galeno* probant 3. *de locis* 7. *&* 6. *ejusdem cap.* 5. ubi humores similiter, ut ab epoto veneno, corrumpi dixit; in quo sensu loquitur etiam Averroës 3. *collig. cap.* 29. cùm ait: *Non est impossibile ut generetur in malis corporibus, & eorum substantia, unus humor similis veneno*: subscribit Mercurialis 1. *de venen. cap.* 14. Grevinus *lib. & cap.* 1. Rudius *de morb. occultis lib.* 2. *cap.* 1. Nicolus *sum.* 4. *serm.* 4. *cap.* 4. *probl.* 3. qui omnes absolutè in nostro corpore venenum propriè dictum generari non posse tradunt, sed tales corruptos & venenatos humores impropriè venenum esse & dici debere tuentur. Cur autem ita statuant rationem non afferunt, & forsan ea est, quòd in corpore non ex naturæ præscripto fiant, cùm externa tantùm venena à natura videantur intenta: sed ratio nil valet, plurima enim plerumque ex accidenti fiunt, & hoc non tollit quò minùs propriè aut impropriè venena dicantur, solùm quippe ab effectu petenda ratio est: nam si canis rabidi venenum propriissimum venenum est & ferocissimum, & tamen in corpore fit, cur aliud eodem modo genitum tale dicendum non erit? Est ergò priorum opinio verior; quod in homine probatur, qui etiam aliquando ex interna causa in rabiem devenit, ut quæstione præcedenti cum multis dicebamus. Quin imò non modò possibile est venenum in nostro corpore generari, quod aliorum externorum vires imitetur, sed fieri etiam potest, ut generetur animal venenosum, veneni naturam obtinens, ut ex *Mesue* testatur *Androinus* citatus; & quod omnem admirationem superat illud est, quod citat etiam *Nicolus* ait *cap.* 4. *probl.* 1. hominem scilicèt posse totum venenosum reddi, ita ut aliis hominibus venenum sit, ut quæstione præteritâ jam vidimus. Deinde affectus non minùs maligni & truculenti ab innato, quàm ab epoto accidunt, cùm venena innata non aliter quàm epota cordi sint inimica, & humanam naturam corrumpant: prætereà eadem plerumque vinci non possunt, corpus autem vincunt ac corrumpunt; tandem alimento opposita sunt, & occultâ etiam ratione agunt. Ex quibus propriissima esse venena colligitur, quod negari non potest, cùm omnia veneni attributa illis conveniant, & operationibus eandem vim ostendant: si enim à prima morborum invasione consideremus syncopem, cordis tremorem, nauseam, virulentum vomitum, inductam statim maciem, & dicto citiùs omnem naturæ œconomiam momento turbari, vires prosterni, corpus non nutriri, & illicò faciem cadaverosam reddi; occultam omninò venenosi humoris agendi vim, quâ spiritus resolvit & dissipat, fateri cogemur, cùm sæpiùs non minùs velociter quàm potentissimum quodvis assumptum venenum, hominem è vita tollat, & venenositatis vestigia quamplurima post se relinquat, quæ in extincto cadavere conspiciuntur; quod planè fatetur *Galenus* cùm 6. *de locis* 5. inquit: *Qui maximè videntur super hanc ambiguitatem disputâsse, eosdem fieri affectus concedunt & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortum habet, &c.* Plurimis etiam aliis in locis idem scribit, ut 5. *de locis* 7. & 3. *in* 3. *epid. text.* 75. *lib. de cibis boni & mali succi cap.* 1. *lib. de ther. ad Pamph. lib.* 7. *simpl. &* 6. *de morb. vulg. comment.* 6. *text.* 5. quo loco ex victu pravè corrupto symptomata oriri fatetur similia iis, quæ videntur in corporibus veneno affectis; quod apud medicos ut certum adeò statuitur, ut rationibus hoc probare superfluum sit, cùm citrà dubium certissimum ab omnibus accipiatur: corruptionem namque in nostro corpore aliquam gigni posse, quæ non solùm veneni vires æquet, sed quæ tota venenum sit, latè docuit Fernelius 2. *de abdit. cap.* 15. & plures alii.

8.

9.

10. De signis ergò jam videndum est, an ita inter se communia sint, similia, & tam internis quàm externis venenis promiscuè propria & confusa, ut nullâ ratione distingui valeant; an verò aliquo modo diversa aliquando appareant, ut signorum symptomatumque varietas aliquam nobis distinctionem afferre valeat, quâ epotum ab innato internoscere possimus? quod quàm difficile & operosum sit, præter medicos quos statim adducemus, tenent ex jurisperitis Bossius *in pract. crim. tit. de l. nu.* 5. Caballus *de omni gen. homicidii num.* 621. Guazzinus *in tract. ad defens. reorum def.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. & alii. Et inprimis fuêre aliqui, qui veneni assumpti nulla signa in corpore, præsertim mortuo, derelinqui ausi sint affirmare, quòd experientiâ sic aliquando observatum fuerit; cujus veritatis exemplum dedit Martina insignis venefica, de qua Tacitus *lib.* 3. *annal.* hæc habet: *Vulgatum erat missam à Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam, subitâ morte Brundusii extinctam, venenumq́, nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta.* Idem Alexandro & Cleopatræ accidisse referunt, qui veneno extincti sunt, tamen in illorum corporibus nullum ve-

veneni vestigium extitisse ajunt; sic enim de *Alexandro* scribit *Q. Curtius* lib. 10. de ejus gestis: *Nulla tabe, ne minimo quidem livore corruptum apparuisse, septima jam die ab obitu transacta.* Sed licèt hoc ita fuerit, de quo maximè dubitari potest, tamen nulla propterea dari veneni signa ridiculum est asserere, cùm multa ac varia ipsa experientiâ quotidie ostendat, quæ in medicorum scriptis leguntur, & in veneno infectis sæpissimè observantur: quòd si in illis non apparuerunt, forsan veneni natura, & corporum optima eucrasia in causa fuit, ut signa assumpti veneni deficerent, quod in aliis minimè accidit. Sunt quippe plerumque tanta, & tam varia ac multa signa, quæ in venenatis se produnt, ut si omnia semper ac eodem modo apparuissent, certissima & evidentissima forent indicia; sed quia ferè semper aliis circumstantiis miscentur, nec eodem modo & numero plerumque accidunt, nec eisdem symptomatis & conditionibus associantur, inde fit ut minus facilis & certa cognitio evadat, notitiaque maximè conjecturalis & dubia maneat.

Ut tamen in ancipiti hac indagatione, quoad fieri possit, distinctius aliqua proferamus, in plures classes signa dividenda sunt, ut (si possibile fuerit) huic summè necessariæ cognitioni claritas aliqua à multis expetita, quæ lucem afferat, nobis illucescat. Multipliciter igitur veneni assumpti signa dividuntur: quædam enim antè mortem, aut infirmi sanationem considerantur; quædam post mortem, aut salutem acquisitam. Rursus priora tripliciter distinguuntur, quædam enim ante veneni assumptionem observantur, quædam in ipso assumptionis actu aut ægrotationis initio, tandem quædam post assumptum venenum, ubi jam affectio progreditur.

1. Igitur prima, ad quæ advertere oportet, sunt illa, quæ in salutis statu ante veneni exhibitionem considerantur: talia verò non aliunde desumi possunt quàm ex habitudine & statu, quem homo qui potionatus præsumitur, ante veneni assumptionem habebat; quod tanti fecit *Galenus*, ut ex hoc solum 6 *de locis* 5. (licèt ex aliorum mente) scribat, facilè discerni posse eos, qui venenum sumpserunt ab his, qui aliunde affecti sunt. Sic enim post hæc ait: *Qui homo suapte natura probis humoribus abundans & sanorum more educatus, derepentè moritur, ut lethali assumpto veneno fieri solet; deinde corpus, aut livens, aut nigricans, aut varium est, aut diffluens, aut putredinem molestam olet; hunc venenum sumpsisse ajunt.*

Sed derelictis signis, quæ in mortuo corpore perquiruntur (de quibus mox agemus) duo illa in ægroto veneni suspicione laborante maximè ad notitiam facere videntur, quæ ante assumptionem veneni possunt considerari: An scilicèt humorum laudabilium copiâ frui antea videretur, & an victu optimo & sanorum more probè uteretur antequam ægrotare incepisset? hoc enim secundum primum illud, nempe succorum optimorum abundantiam generat, & utrumque verosimile facit, quòd repentè in malignum morbum incidere potuisse pronum non fuerit, nec facile: & sanè duæ hæ conditiones adjunctæ conjecturam adjuvant; quoniam si nec ipso die ægrotationis, nec anteactis, difficilis concoctionis, aut facilè putrescentibus cibis, aut in venenosam naturam abire paratis usus est, de assumpto veneno non erit omninò vana præsumptio, præsertim si non multò post ab optimis cibis assumptis ægrotare cœpit.

3. His igitur in laborante consideratis, si medico ante morbum notus fuerat æger, statim ad illa signa veniendum est, quæ in ipsa veneni assumptione non rarò se promunt: quædam enim ex odoribus, quæ in cibis & potu percipiuntur, saporibus etiam & aliis concomitantibus accidentibus, colore, tactu, effectu advertere oportet & inquirere: nam venena omnia ferè ingrato sapore & odore sese ostendunt; odore quippe in primis sunt tetro, & sapore horribili, ut testatur Rabbi Moyses *tract. 2. de venen. cap.* 1. quod puto naturæ summâ providentiâ factum, ut facilius homines illorum pericula vitare possent.

4. Nec obstat in aliquibus dulcedinis saporem inveniri, si verum est quod de Colchico ephemero refert Dioscorides *lib. 4. cap.* 89. quòd saporis suavitate imperitos alliciat; & de aconito inquit Æsius *lib. 7. cap.* 59. Cardanus *lib. 2. de venen. cap.* 1. gustum dulcem obtinere: de veneno etiam, quod in vesicula dentium viperæ reperitur, idem scribit Amatus *cent. 7. curat.* 85. *in schol.* quod de aliorum serpentum venenis etiam affirmat Celsus *lib. 5. cap.* 27. sunt enim hæc rara, & à nullo, quod sciam, experta, ideò incerta valde, cùm venenum serpentum insipidum esse cum quadam ponticitate, verius alii asserant; quare si inju-

jucundum, acrem, & omninò abominabilem saporem percepisse fateatur patiens; dum cibum aut potum sumpsit, tetrumque odorem, majus jam suspicionis indicium accrescit. De colore non habeo quod dicam, quia venena aliis rebus mixta plerumque propinantur; quo fit ut non facilè illorum color oculis pateat. Cæterum in hunc usum veteres ex electro pocula habuisse scribit Langius *epist.* 29. *tom.* 1. quæ, ut ipse ait, stridore, & maculoso in superficie interna arcu, quo nitor ejus obsolescit, virus infusum prodebant; talia verò electri pocula, ex auro & quinta argenti parte constare ait: confirmat Felic. Betera *lib. de igne pestil. fol. mihi.* 440. qui ait, siquis in electri poculum veneni cyathum infuderit, discurrent arcus cælestibus similes cum igneo stridore; quod verum esse etiam testatur Montuus *in chirurg. auxil. cap.* 16. & multò anteà Plinius *lib.* 33. *cap.* 4. unde *Serenus:*

15.

Produnt electri variantia pocula virus.

Nativum hoc facere tradit *Plinius*, sed factitium idem præstare affirmat *Montuus*, apud quem de aurichalci virgula alia videri possunt, quæ etiam mutatione coloris venenum detegit, & ad illorum præservationem mirè conducit, de quo modò non agimus. Hæc igitur si quis habuisset, propter mutationem coloris, quæ in illis ex veneni præsentia & tactu conspicitur, aliquid ad notitiam contulissent; sicuti etiam lapis seu gemma prasius, quæ smaragdi species est, & splendorem amittere scribit *Boetius*, si circà illum venenum aliquod apponatur: quibus deficientibus ad effectus & symptomata, quæ tam multa statim sequuntur, deveniendum est; hæc enim sunt, quæ nos in certitudinem deducere possunt, & majoris momenti quàm prædicta habenda sunt, summoque ideò studio indaganda & advertenda.

16.

Hujusmodi igitur signa proponit Æsius *tetrab.* 4. *serm.* 4. *cap.* 47. qui post bonam habitudinem, justam optimorum ciborum concoctionem, & placidam compositamque mentem, de quibus jam diximus, sequentia addit: *Si statim ac derepentè variæ accessiones irruant, præsertim ab accepto statim cibo aut potu, velut si accedat tussis, aut fætida per os sanguinis rejectio, aut molesta & ægra lotii excretio, aut dolor in alto nitens, aut ardor juvenilis & vehemens, aut sensus erosionis, aut stuporis perculsio, punctura, item tremor, singultus, contractio, eruptio bullarum, livor, tumor, coarctatio, quarundam partium putrefactio, vomitus fætidus & plenus; manifesta est qualitatis venenosæ apparitio, & demonstratio. Ex his omnibus*, inquit, *si quid repentè ab accepto cibo sano homini accidat, veneno infectum esse hunc ipsum existimandum est.* Sed licèt multa attulerit, alia quæ hîc deficere videntur ex *Villanovano* addenda, qui ob venenorum varietatem difficile esse ait omnia signa reperire, quibus cognosci valeant: affert tamen methodum, quo corpora illa quæ venenum sumpserunt dignosci possint. *Magna*, inquit, *fit in corpore commotio, præcipuè si venenum calidæ fuerit naturæ; doloribus enim validis atque acutis in stomacho, & intestinis torsionibus languens cruciabitur, præcordiorum sentiet angustiam, fatigabitur vomitu & fluxu ventris, sudor suscitabitur in fronte cum vultu frigido, color ægri erit pallidus, pulsus debilis, inæqualis, & inordinatus, animi deliquiis affligetur. Hæc si omnia, vel in majori parte succedunt, celerrimè vomitum provocare, ut assumptum venenum rejiciatur.* Sed præter ista sciendum quoque est ex Cardano *lib.* 2. *de venen. cap.* 1. omne ferè venenum, cùm devoratur, guttur lædere, & gulam juxtà fauces adstringere, pruritumque, æstum, & inflammationem in partibus oris excitare. Deindè difficultatem deglutiendi parit, & inter deglutiendum nauseam ac vomendi voluntatem movet; ac in summa dum recipitur, masticationis quædam displicentia & abominatio sentitur, naturâ ipsâ vel inscio homine à suo corruptivo abhorrente; quæ omnia attentè inquirenda & contemplanda sunt: nam sicuti signa ex hominis statu ante veneni exhibitionem non omninò firma & certa censeri debent, nisi certioribus aliis adjungantur; ita illorum, quæ in ipso assumptionis actu accidunt, minùs fallacia sunt, ac non parùm ad veritatis cognitionem adjuvant; nam si prædicta habuisse in cœna vel prandio æger conqueratur, evidentiora proculdubio erunt propinati veneni signa, & tantò magis, quantò si quæ statim advenire solent, mox aut paulò post eveniant ab assumpto cibo, ut sunt antedicta; quæ & plura alia studiosus quisque apud auctores, qui de hoc negotio luculenter tractârunt, videre poterit; quemadmodum ex medicis apud Dioscoridem *in præfat. lib.* 6. & Mathiolum *ibid.* Nicolum *sum.* 4. *serm.* 4. *cap.* 8. Androinum *de venen. lib.* 1.

17.

Lib… nen…

cap.

cap. 3. Ponzettum Cardinalem *lib.* 2. *de venen. cap.* 7. Vidium *de curat. generat. lib.* 1. *cap.* 12. Mercurialem, Rudium, Paræum, Baccium, Cæsalpinum *lib.* 3. *cap.* 4. Fortun. Fidelem *de relat. med. lib.* 4. *cap.* 3. Codronchum *in meth. testificandi cap.* 6. præter *Cardanum*, qui accuratiùs quàm omnes de iis egit: & ex jurisperitis apud Gibertum *quæst. jurid. cap.* 16. *nu.* 54. Caballum *de omni gen. homicidii nu.* 626. Farinacium *quæst.* 122. *p.* 4. *à nu.* 53. *titul. de homicid.* Guazzinum *in tract. de defens. reor. defens.* 4. *cap.* 5. *lib.* 1. *à nu.* 12. & alios ab ipsis adductos, & notos.

Advertendum tamen omnibus venenis communia esse signa, quæ universaliter ab ipsis numerantur; nam uniuscujusque particularia in propriis capitibus auctores describunt, ad quos recurrere oportet, præsertim *Androinus* & *Sennertus*, qui vix ullum veneni signum prætermittunt. Porrò universalia illa, quæ ab assumpto veneno statim, aut non longâ interpositâ noxâ irruunt, sunt plerumque perturbatio ingens, nausea, quam simul dolor ventriculi vehemens concomitatur, cordis tremor, palpitatio, syncope, præcipuè si ex lethalissimo veneno aliquid ingestum sit; deinde ructus olidi tetriq; odoris & saporis ingratissimi ac pravi, fœtor interdum oris, vomitus quoque, vel ipsius veneni (quod ægrotantis bono omine fiet) vel materiæ cujusdam pravæ & corruptæ, aliquando sanguinis: his succedit singultus, ventris fluxus, inquies, anxietas, præceps virium lapsus, pulsûs inæqualitas, parvitas, defectio, ut & asphygia aliquando accidat omninò deficiente pulsu, cordis morsus, hinc frigidus sudor, quibus extremorum quoque frigiditas subsequitur, unguium livor, pallor corporis, ejusdemque tumor, & coloris mutatio de pallido in rubrum, algor, flatulentia, maligni dolores ac vagantes, qui cùm videantur remitti, subitò exacerbantur, labiorum & linguæ nigredo & inflatio, sitis inexhausta, vocis cum murmure editio, facies livida, interdum etiam œdematosa, vertigo, convulsiones, oculorum contorsio, & ecpiesmos, seu eorundem prolapsus, ut quasi extrà suam cavitatem prominere videantur, visûs obscuratio, in aliis ad somnum proclivitas, aliquando etiam lethargus & inexpugnabilis dormiendi necessitas, stupor, urinæ impedimentum, ejusdemque mordicatio, carnis laxitas, totius corporis fœtor, & ejusdem gravitas cum sensu oneris; aliquando venter, imò & totum corpus intumescit & inflatur, maculæ rubræ seu lividæ, mentis inconstantia & alienatio; quæ omnibus venenis fermè communis est, teste Cardano 2. *contrad. tract.* 5. *contr.* 10. qui idem auctor. 4. *aph.* 62. icteritiam his adjungit, quod verum esse testatur Galenus 5. *de locis* 6. ubi historiam adducit servi illius imperialis, qui viperarum venationi deputatus erat, & ab una commorsus, corporis color adeò illi mutatus fuit, ut porri colorem referret: ex veneno etiam assumpto icteritiam merè citrinam in filio Azir, qui erat Regis Conestabilis, ex epoto veneno vidisse & curâsse memorat Abenzoar *lib.* 1. *tract.* 13. *cap.* 6. quin ex solo arsenici vapore in corporis maciem & icterum quandam fœminam devenisse tradit Zacutus *lib.* 3. *praxis mirandæ obs.* 76. Præter ista ex aliorum mente scribit Avicenna *fen.* 2. *lib.* 1. *doct.* 3. *cap.* 2. quòd urina, quæ iridis colorem habet, significat venenum in potu fuisse haustum, quod tamen tam ridiculum judico, sicuti illa, quæ de prægnantium urinis ex aliorum quoque judiciis refert.

20. Cæterùm prædicta omnia signa variabunt pro particulari hominum & venenorum natura; atque ita magis huic alia, alteri alia convenient, & in ipsis apparebunt, prout magis hæc calidioribus, illa frigidioribus, aut erodentibus, aut stupefacientibus, aut putrefacientibus venenis competunt; quibus & hominis temperies & natura, corporisque status multùm adjuvabunt, ut hæc aut illa signa emergant & conspiciantur. Igitur ab his horrendis & periculosissimis symptomatibus quid nisi funestus exitus exspectari potest, ut frequentissimè etiam adhibitis frustrà remediis experimur? non enim nisi morte lethalissima illa accidentia plerumque quiescunt, quo tempore perniciosa veneni vis necdum cessans aliis non contemnendis signis se prodit, justo forsitan Dei judicio, ut quæ in occulto iniquitas perpetrare cogitavit, omnium oculis conspicua appareant.

21. Defuncto itaque jam homine alia signa in cadavere contemplanda se offerunt, quæ attentè etiam inquirenda sunt, quia multoties non priùs quàm mortuo jam ægro, à judicibus præsertim, ad illum invisendum medici compellantur, ut sententiam suam exponant circà assumpti veneni suspicionem; quare illa etiam nunc adducenda. *Galenus* loco suprà citato assignat corpus livens, aut nigrans, aut varium, aut diffluens, aut putredinem molestam olens; quæ signa ab aliis repetuntur, de qui-

bus exactissimè Cardanus *lib.* 3. *cap.* 13. ubi inter alia affert ungues post interitum nigros esse, & qui facilè avellantur; capillos quoque sponte defluentes, adeò ut in aliquibus nullo labore aut nixu integri manipuli avellantur; nam & illis, qui à veneno evaserunt, *Nicolus* & *Ponzettus* citati ajunt depilationem esse familiarem, ita ut aliquando vel raro, vel nunquam illis restituantur. Rudius *lib.* 2. *de pest. cap.* 5. in maxima consideratione habet colorem cadaveris, quem primùm citrinum apparere dicit, aut sublividum, post unius verò aut alterius horæ spatium nigrum evadere, aut lividum. Præter livores alia etiam signa tam medici, quàm jurisperiti adducunt, ab historicis procul dubio desumpta, ut à Suetonio *in Caligula cap.* 1. sunt verò, spuma in ore, & cor igne non cremabile; quod exemplo Germanici Cæsaris confirmat Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. cujus cor cremari non potuit, quòd veneno fuisset extinctus, licèt hoc signum fallax habeatur, & experientiæ non respondeat. Addit & idem Plinius *lib.* 2. *cap.* 63. cadavera veneno enectorum nec à feris, nec ab avibus degustari: nec illud prætermittendum, si cadavere aperto in ventriculo vel intestinis vermes reperiantur, hominem intoxicatum non fuisse exinde cognosci, quia in corporibus venenatis vermes non generari tradit Seneca *lib.* 2. *natur. quæst.* 31.

22. Tandem ut de signis omnia percurramus, addunt alii eos, qui veneno potionati fuerunt, si statim symptomatum sævitiâ non auferantur, sed diutius degant & evadant, dolores quosdam vagos concomitari; alios in diuturnos morbos ac difficiles, & qui vix de se aliquam significationem præbeant, incidere, ex eo quòd venena si non occidant, insignem noxam inferant, transeantque in diuturnos morbos, ut tabem, stoliditatem, epilepsiam, ut inter cæteros advertit Cæsalpinus *lib.* 3. *cap.* 7. *suæ practicæ*. Ultimò præter vermes signa alia, quæ in apertis cadaveribus reperiuntur, non omittenda; observatum quippe sæpiùs est, in ipsis inventas fuisse exulcerationes in fundo ventriculi, in gula, & intestinis, in eisdemque partibus contaminatio, sphacelatio, corruptio, livor, & nigredo non rarò conspecta sunt; ex quibus hominem veneno sublatum fuisse aliqui indubitanter pronunciârunt, ut de *Paræo*, & *Pigræo* doctissimis Galliæ Regum chirurgis miratur Zachias *lib.* 2. *quæst.* 7 *titul.* 2. qui iis solùm signis tantam fidem tribuerunt, ut etiam adversus aliorum medicorum opiniones ex ipsis tantum, veneno potionatum hominem fuisse declaraverint. Tandem frigidis etiam venenis assumptis, sanguis circà cor congelatus invenitur; quod probatum fuit in pharmacopola illo, de quo Conciliator *lib. de venen. cap.* 2. narrat, qui cùm maximâ febre laborâsset, & immodicâ siti noctu cruciaretur, surgens vasculum argento vivo plenum (aquam esse existimans) ebibit, ex quo manè mortuus inventus est, & sanguis totius ferè corporis circà cor congelatus repertus est.

23. Sed cùm prædicta omnia signa non solùm omnium venenorum, sed externorum & internorum quoque communia habeantur; ideò qui accuratius distinctionem inter externa & interna invenire satagunt, adhuc quasdam particularitates circà signa & symptomata, modum, tempus, & ordinem advertendas proponunt, ex quibus in cognitionem & certiorem notitiam deveniri posse contendunt: atque ita externum ab interno sequentibus animadversionibus non difficilè discerni arbitrantur. Primum illud est, quod ex veterum sententia monet *Galenus*, nimirum si is, cui talia accidentia contingunt, corpore sano & bonis humoribus nutritus sit, & eisdem abundare videatur; credibile enim non est, hominem tali corporis constitutione præditum tam subitò in tam sævum morbum, tantis ac tam diris comitatum symptomatibus, incidere potuisse. Secundò, quòd interna venena antequam extremum periculum inferant, aliquibus signis prius se prodant, cum pravas quasdam dispositiones imprimant, quæ latere non possunt, sed ante morbum præviæ antecedunt; quod in venenis externis non accidit, in quibus homo aliàs sanus in summa pericula statim conjicitur. Tertiò ex invadendi modo etiam aliquid conjectant, nam in veneno intus genito paulatim symptomata superveniunt, nec simul omnia, sed unum post aliud; in externo omnia simul irruunt, naturâ velut externo ac repentino hoste impetitâ: quo fit ut undique stimulata & lacessita, summo conatu insurgens, omnem corporis œconomiam quatiat, & ad defensionem promoveat, ac expultricem tanquam potissimam agonis ducem excitet; hæc igitur turbulentas vomitiones statim promovet, secessum irritat, tandem omnia sus deque inordinato motu feruntur, ipsâ naturâ omnibus viribus adversùs tam horrendum, subitum ac improvisum hostem nitente, ut à se & à finibus suis illum expellat & vincat. Quare

re si repentè ab assumpto cibo aut potu sanus homo in ea incidat symptomata, quæ venenis adscribuntur, potionatum fuisse certiùs credendum ajunt; in quo signo maximè fidunt ex medicis Galenus 6. *de locis cap.* 5. Æsius *sermone* 13. *cap.* 47. Codronchus *in meth. testificandi cap.* 6. ex Jurisp. Bossius supra citat. Caballus *de omni gen. homicidii num.* 621. *&* 623. Guazzinus *ad defens. reorum* 61. *def.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. Quartò non solùm varietate & multitudine symptomatum externa venena ab internis variant, sed aliquando taliter differunt, ut ab internis venenis provenire non posse videantur: sic opii signa sunt mentis stupor, & in toto corpore pruritus, color illius citrinus, & opii ipsius odor; quæ in veneno intùs genito dari non possunt, saltem simul adjuncta. Ita in aliis quoque venenis accidit, in quibus si propria uniuscujusque signa cum aliorum signis conferantur, prout communiter à medicis assignantur, non difficilè discerni posse videntur, cùm multa symptomata in externis assumptis conjungantur, quæ intus genitis nunquam copulantur, v. g. si statim vomitus à primo morbi insultu, & alvi fluxus accidat, simulque labia, fauces, & totum corpus intumescant, si difficultas spirandi, sitis ardentissima, sudor frigidus, strangulationis metus cum torminibus & doloribus ventris mox ab initio adsint, ex his externum fuisse putandum est; cùm illa ab intus genito statim ab initio accidere non posse videantur. Quintò ex parte etiam veneni interni alia advertuntur, quia hoc plerumque cum febre se prodit; nam in corpore diu latens humores paulatim corrumpit, unde excitatâ putredine febris accenditur; in veneno verò externo, quantumvis gravia accidant symptomata, frequentissimè nulla supervenit febris; quippe ad illius generationem prævia dispositio requiritur in corpore, quæ in homine sano, & benè degente non invenitur: & licèt hanc dispositionem venenum totam corporis κρᾶσιν & œconomiam turbando inducere possit, tempus tamen requirit; quare quamvis alia sæva symptomata ingruant, febris non apparet: econtrà verò in interno, ubi communiter febris prius invadit, cætera accidentia postea comitantur; quo tempore nulla de assumpto veneno suspicio est, sed potius de interno corporis apparatu, ex quo morbum ortum fuisse credendum est. Sextò, eodem modo judicandum si observetur contagium in dicto morbo, aut in domo vel in familia aliqui ex simili morbo moriantur, unus post alterum; id enim veneni propinati suspicionem aufert, quia externa venena contagiosa non sunt (si canis rabidi salivam, & dryini serpentis venenum excipias) quòd autem à venenis externis tam animalium, quàm aliarum rerum, si aliquem inficiant, tamen ad alios contagium non accedat, ideò est, quia licèt nobis adversa, nobiscum tamen nullam analogiam habent, nec inter illa & hominem symbolica aliqua communio intercedit, ut facilè ad distans, aut per contactum transitus fiat, aut per fomitem: nec enim omnia in omnibus agunt, sed solùm quæ & agentis, & materiæ, & applicationis rationem certam habent, quæ ob id analoga dicuntur. Sic videmus in opthalmia contagium non aliam partem, quàm oculos lædere, in pthisi non aliud membrum quàm pulmonem. Itaque summâ providentiâ hoc providit sagax natura, cùm alioquin omnia maximè periclitarentur, si ex tam multis, quæ venenata reperiuntur, noxia vis, quæ assiduè transpirat, contagiosa fuisset, & facilè in alia subjecta transiret: addo pleraque ex materia sicca constare, quæ nullos, aut paucos ex se vapores transmittit. Septimò & illud quoque observandum ajunt, si morbus per periodos & repetentias certas exacerbetur, & quasdam intermissiones & remissiones ostendat, hoc interni veneni indicium esse, & non externi, cùm hoc continuò affligat, donec vel à natura, vel à remediis vincatur, expellaturque, vel ipsam vincat & hominem jugulet: internum verò, quòd in humore aliquo subjectetur, ad illius motum venenum quoque movetur, quod non solùm in febribus malignis, sed in epilepsia per consensum, in hystericis, & in multis aliis morbis observatur. Octavò, cognoscitur etiam exhibitum fuisse venenum, si id quod vomitu rejicitur, cibo mixtum cani offeratur devorandum; si enim canis lædatur, aut moriatur, certum inde assumpti veneni indicium deduci volunt. Tandem & ultimò illud addunt, si patiens in aliquod symptoma mirabile incidat, cujus causa nulla appareat, nec in ullo alio morbo evenire, aut illi convenire videatur: v. g. si quis poma, pisces, aut potum abhorreat, si sine causa rideat, aut aliquid aliud simile operetur, hoc externi veneni assumpti signum esse conjectant.

24. 25. 26.

na... na... & ...rum ...mex... ...arum ...non ...conta... ...

Ex his igitur animadversionibus, & signis anteà adductis, expiscari posse credunt, hominem aliquem in quo prædicta omnia, vel potiora saltem inveniantur, veneno

fuisse infectum. Propterea in medicorum quorundam libris eadem signa adducuntur veneni assumpti, & sine ulla distinctione proferuntur, ac si certa externi veneni omninò essent, prout *Pigræus, Paræus, Perdulcis*, Galli omnes, & alii exhibuerunt; cùm tamen apud plerosque in confesso sit hujusmodi signa omnium venenorum promiscua esse, & internorum etiam, ut mox declarabimus: quare ex illis velle pronunciare hominem potionatum fuisse, non minùs scrupulosum erit quàm incertum & temerarium, cùm multæ passim ægritudines accidant eisdem symptomatibus stipatæ, & eisdem signis, in quibus mors non minùs celeriter advenit, quàm in verè potionatis, imò aliquando breviori tempore hominem conficiunt; quæ tamen non aliundè quàm ab interno & innato veneno originem & causam habent, quarum ocyssimam necandi vim, & symptomatum sævitiem si quis perpendat, nil minus quàm ex perniciosissimo veneno aliquo externo accidisse putabit.

27.

Diximus suprà in nostro corpore venenum generari posse ejusdem efficaciæ & virium, quas in externo veneno exhibito observamus; quod apud omnes medicos ita receptum est, ut nullus dubitare videatur, quod latiùs apud Petrum Garciam *de locis affectis*, Valer. Forestum, Donatum, Fernelium, Saxoniam, Augenium, Sylvaticum, Mercurialem 1. *de venen. cap.* 14. & sexcentos alios videri potest; sed ut numerosam neotericorum farraginem prætermittamus, & multa Galenica jam ab initio quæst. adducta, fatetur idem 6. *de locis* 5. hoc à medicis enodatum jam ac discussum esse, & eosdem affectus nos infestare, qui ex nobismet ipsis accepto suæ originis impetu similes sunt iis, qui pernicioso epoto veneno existunt. Hujusmodi affectiones, pessimasque ægritudines, malignissimis accidentibus, & quàm celerrimè interficientibus quotidie experimur; qualiter etiam apud *Hippocratem* enarrantur 1. *epid. sect.* 3. ægroto 9. in hist. Critonis, *cui in Thaso erectè ambulanti pedis dolor cœpit, decubuit eâdem die horrescens, fastidiosus, parum subcalescens; in nocte deliravit: secunda die tumor per totum pedem subrubens, & pustulæ nigræ, febris acuta, à ventre merè biliosa copiose effluxerunt: mortuus est à principio secundæ diei.* Quodnam igitur venenum (de exitialissimis loquor) citiùs hominem conficeret? Si ad signa attendamus, non alia quàm assumpti veneni apparuerunt: nam delirium, pustulæ nigræ, effluxus biliosus, quid nisi venenum attestantur? Propterea optimè Valesius *in comment.* inquit: *Hic certè homo à multis putatus sit venenum accepisse; tamen scimus solere multos venenum intrà sese ex pravo victu generare, & repentè mori, non aliter ac qui acceperit.* Consimilis est alia historia quam idem *Hipp.* scribit 3. *epid. sect.* 3. *ægroto* 4. de phrenetico, cui à *prima decubitûs die vomitus multus, tenuis, æruginosus, sudor circà caput, collum, gravitas cum dolore, ab alvo confertim stercora exibant, nil dormiebat, multa delirabat. Secundâ die sine voce, sudabat, palpitationes per totum corpus circà noctem, deinde convulsiones. Tertiâ mortuus est.* En alia signa, quæ de veneno assumpto referuntur, huic sanè cui non assumptum sed innatum erat, inciderunt: fatetur hoc idem in *comment.* Valesius, & posse in nostro corpore venenum gigni, exhorrendis casibus patere ait, quod paulatim genitum aliquando noxam repentinam inferat, aut subitum impetum capiens in partes principes ruat; aut venenatam qualitatem repentinâ alteratione contrahere, ad quam anteà longo tempore disponebatur. Nec solùm in lethalissimis his febribus & pestilentibus, hujusmodi casus cum exitialibus signis, qualia in venenis assumptis videmus, sed in hystericis etiam passionibus, in ferinis epilepsiis, venenum subesse innumeri attestantur, & ipsa symptomatum sævities, accidentium varietas, & horrendæ mortes demonstrant. Quod de veneno interno majus indicium esse potest, quàm in subitis gangrænis, quas aliquando sine frigoris vehementis aliqua occasione, sine inflammatione, sine tumore infestare videmus, ac derepentè emergere, non aliter quàm venenosissimo humore in partem subitò irruente, qui velocissimè illius mortificationem inducit? Hoc sæpiùs vidisse recordor, sed aliquando in juvene, qui Augusti mense vigente canicula vulnus leve in ventre acceperat; à quo intrà quatuor aut quinque dies curatus, pedis, dextri digitus major sine tumore, dolore, inflammatione, aut externa alia occasione, horâ primâ matutinâ circà unguem nigrescere cœpit, vesperi jam ad talum gangræna deveniebat, à propè noctem suram occupabat, adeò velociter serpebat ignis, ut tandem manè suprà genu jam ascenderet, paulò post mortuus est. Huic per totum diem syncope eveniebat cum pulsûs inæqualitate, & debilitate maxima, tremores & convulsiones fiebant, & alia quæ tam insolens ac vehementissima humoris malignitas causare poterat.

28.

29.

Sunt

Sunt prætereà aliæ ægritudines, in quibus ventriculus non aliter laborare conspicitur, quàm si verè venenum hausisset: hoc frequentissimè in cholera morbo experimur, in qua ægritudine pulsus perquàm pusillus & inæqualis apparet & celerrimus, spiratio & quævis motio offenduntur, caligant oculi ac concavi redduntur, extremorum frigiditas adest, animi deliquium, convulsiones, sitis cruciat, fœtet anhelitus, singultus cum maxima anorexia assiduè vexant, & vomitus enormis, qui ad morbi aut vitæ finem nunquam cessat. Quare verò hæc tanta ac tam dira symptomata hanc ægritudinem concomitentur, nil aliud quàm oris stomachi sensus eximius, ventriculi dignitas, & humorum asperrima conditio, qui ad illum confluentes acriter mordendo pungunt ac lancinant, in causa est; ut non immeritò Fernelius 6. *de partium morb. & sympt.* dicat cholerâ percusos adeò lancinari & laborare, ut toxicum sumpsisse putent. Hæc igitur nobis ad oculos in notissimis affectibus patent, præter quos credendum etiam est perniciosissimos alios ex intus genito veneno non raro oriri, qui tam celeriter hominem conficiunt, ut venenosi morbi & mortis una sit origo; dum enim in principem aliquam partem malignitatis vis incubuit, priusquam morbus omni symptomatum satallitio stipatus se prodat, quasi astutus hostis ex insidiis invadens eodem fermè tempore & vitam eripit, & adesse sentitur: & sicuti in captâ dolo urbe non prius inimici signa videntur, quàm strages, quæ unà cum hoste irruit; ita post mortem, quod in occulto latebat venenum, quasi victor & arcis dominus, undequaque se exhibet, & ex infelici nece velut triumphans sese ostentat; quod venenorum internorum & externorum tam proprium est, ut nullum signum huic magis, quàm illi competat; imò nullum alterius proprium dari posse celebrium ac multorum auctoritas jam dudum confirmavit, sed communia omnia, confusa, ex quibus distinctè aliquid colligere aut proferre non licet, ut omnium ferè neotericorum, tam jurisperitorum quàm medicorum recepta fert opinio: quod ut adhuc magis pateat, & omnibus manifestum fiat, iterùm signa illa anteà adducta percurrenda, videndumque an externo tantùm veneno ita competant, ut ex omnibus aut aliquibus propinatum fuisse certò affirmare possimus; an verò tanquam communia cum aliis aliarum ægritudinum, & potissimùm cum innati veneni signis confundantur, & utrique conveniant.

Ad Æsii igitur signa iterùm revertamur; sic ille incipit hæc numerare: *Si accessiones variæ derepentè irruant, præsertim ab assumpto cibo, aut potu.* Quis est, qui hoc incertum non judicet? An aliæ ægritudines, quæ ab internis causis oriuntur, inter pocula non accidunt? imò frequentissimè repentini casus tunc eveniunt, dum ciborum onere oppressa natura, ut illud deponat, omnia movet, agitat; quod adeò frequentissimum est, ut inde brevis illa parœmia, sed verissima, originem habuisse videatur: *Multa contingunt inter os, & offam*; quæ licèt varios vitæ casus, & infortunia comprehendat, tamen morborum ratione congruentius profertur; sunt quippe propemodum infiniti, qui ad mensam sani accumbentes, priusquam surgerent, in eadem occubuerunt, ab ipsa ad funus elati. Addit Æsius: *Si accidat tussis, aut fœtida sanguinis rejectio.* Utrumque tam abest à veneni significatione, ut potiùs nil minùs indicare possint; nam *tussis* infinitorum morborum accidens est, cum quibus adjungitur: *Sanguinis rejectio* à qualibet sanguinis plenitudine, acrimonia, aut vasorum præternaturali dispositione accidit. *Lotii excretio molesta.* Hoc signum in venenatis infrequens est, & non omnibus venenis, sed paucissimis commune, præterquam quòd ex quavis renum & viarum urinæ debilitate, erosione, aut aliis ex causis oriri potest, & frequentissimè ex morbosis aliis dispositionibus contingit, ut urina sanguinolenta appareat; quo fit ut signum veneni maximè incertum sit ac infidum. *Dolor in alto nitens, aut ardor juvenilis*, effervescentis humoris cholerici & calidissimi signa sunt, quæ in biliosis ægritudinibus quotidie observantur, ut in cardialgiis, cholericis passionibus, & febrium biliosarum initiis sæpiùs experimur; nec non & *erosionis consensus*, qui acutum illum humorem, & erodentem insequitur assiduè, quemadmodum in tertianarum exquisitarum accessionibus, ob subitum bilis fluxum ad os ventriculi, excitato vehementi dolore, & anxietate maximâ, repentè aliquos periisse vidimus, non vi febris, sed cardiaci doloris: quin & citra ullam febrilem accessionem ob ventriculi tantum dolorem, ex eodem humore non pauci sublati sunt. *Stuporis percussio.* Ad veneni certam notitiam nil hoc signum facit, est enim nervorum quædam affectio, quæ sicuti absque ullo veneno, ita repentè accidere potest; quippè & paralysis,

lysis, quam ut prævia dispositio plerumque præcedit, subitò ac repentè advenit. Eodem modo de *puncturis & tremore* dicendum, quæ symptomata varias sortiuntur causas, venenisque aliquibus licèt aliquando adjungantur, non tanquam perpetuò concomitantia signa veneficii ab externo illati certum indicium exhibent, cùm non solùm ab intus genito, sed absque ullo frequenter contingant: de *contractione* idem sentiendum; de *bullarum eruptione* & de *singultu* multò magis, utpote quòd in quovis morbo venenoso à causa intrinseca genito non rarò accidant, & quævis etiam hepatis inflammatio, impurus biliosusque humor in ventriculi tunicis impactus illa excitare valeant *Tumor* nil cum venenis commune habet tanquam proprium. *Livor*, aut *partis alicujus putrefactio* vel ante vel post mortem cum subita νέκρωσι celerrimè aliquando incidit, & in internis quoque venenis non rarò visitur, ut ex propria experientia anteà adduximus. *Maculas nigras* in puncticulari febre, in malignis variolis, & aliis hujus generis morbis sæpius conspeximus; quid ni? etiam citrà febrem ex eodem innato veneno provenire posse non est dubium. Tandem quod de *vomitu* ait, æquivocum omninò signum est, cùm in variis morbis, & ex variis causis minimè etiam venenosis accidat: nec interest quòd statim à cibo moveatur, aut diu duret; primum enim absque ullo veneno ex subito humore eodem tempore, vel alio in stomachum irruente fit; quòd verò perseveret, in causa est assidua fluxio ejusdem humoris à venis, aut ab hepate ad ventriculum confluens, ut in cholerica passione frequentissimè videmus: quare sicuti de cæteris, de vomitu nil indubitatum, sed fallax & incertum signum desumi posse non est dubium.

Ex eodem capite convincuntur, & nullius firmitudinis aut certitudinis esse apparent ea quæ ex Villanovano afferuntur: magna siquidem *commotio*, *stomachi dolor*, *ingens anxietas*, *intestinorum torsiones*, *præcordiorum angustia*, *vomitus*, *ventris fluxus*, *sudor frontis*, *palliditas faciei*, *pulsûs debilitas & inæqualitas*, *animi deliquium*, quam quæso aliam ægritudinem, quàm jam dictam cholericam passionem describunt? In qua prædicta omnia, & adhuc plura sæviora conspicimus, ut convulsiones, contractiones, extremorum frigiditates, oculorum retractionem, maculas ad lividum tendentes, violaceas, & ferrugineas fieri videmus; ut non immeritò dixerit *Fernelius* jam adductus, quòd hanc ægritudinem patientes venenum bibisse putent, & circumstantes hoc etiam facilè credant, & laborantibus imponant, ut plusquam semel ab ipsis audivi: nec hoc mirum, cùm ex veneno hausto similia sint symptomata illis, quæ in cholera morbo accidunt *ut* 5. *epid.* narrat Hippocrates: *Athenis* (inquit) *virum cholera corripuit; vomebat, deorsumq́; egerebat, & dolebat, & nec vomitus, nec per alvum secessus sisti poterat, & ex lecto moveri non poterat, oculi caliginosi & cavi erant, & convulsiones tenebant, quæ ab intestinis profectæ ad ventriculum tendebant, aderat singultus.* Quid ergò similius inveniri poterit aliis symptomatibus, quæ de veneno intoxicatis describuntur? Siquidem ea in cholera morbo ferè omnia observari 5. *epid. tex.* 19. clarè ex famulæ Onesidemi historia colligitur, quæ ex hac ægritudine tertia die mortua est horrendis adeò symptomatibus, ut non aliter quàm veneno sublatam fuisse rectè quispiam judicâsset; quapropter *in comment.* Valesius: *Est* (inquit) *hoc magnum quoddam exemplum venenorum, quæ in nostris corporibus gigni solent.*

Tandem illud, quod *Cardanus*, & multi alii attentè advertendum præcipiunt, nimirùm *si dum veneni suspectus cibus aut potus assumptus est, alicujus læsionis sensus in partibus oris & gutturis perceptus fuerit: quia in his partibus venenum adstrictionem quandam parit, pruritumq́;, inflammationem, deglutionis difficultatem & horribilem quendam sensum excitat; ex quibus cibi non solùm abominatio, sed nausea & vomitus confestim sentiuntur.* Hæc, inquam, omnia, licèt magis quàm cætera ad notitiam adjuvare videantur, tamen adhuc talia non sunt, ut ex illis securè certi aliquid pronunciare possimus; quia eodem tempore, cibationis inquam, aliqua fluxio humoris æruginosi, porrasii, vel aliqua prava & aliena qualitate infecti, ad illas partes ex ventriculo excitari potuit, quæ alimentis imponat; possunt & ipsa alimenta ex aliqua putrefactione & coinquinatione aliquid ingrati saporis obtinere: ac tandem ut ista ex variis causis contingere possunt, ita (quod frequentius accidit) absque eo quòd aliquid percipiatur devorantur venena, dum maximâ curâ & industriâ aliis rebus miscentur, ut dum assumuntur nihil sentiatur; unde sicuti illis accidentibus deficientibus aliquis venenatus esse potest, ita illis perceptis pro comperto & certo judicari non debet potionatum fuisse. Quarè optimè *Petrus Garcia* infrà citat. nullam fidem facere

cere ait, quæ ex gustu, tactu, olfactu, aut visu dicuntur; quia illa sensibilia, quæ à talibus sensibus percipiuntur ex venenis, possunt etiam in aliis pluribus rebus reperiri. Ulteriùs, *unguium, labiorum, & linguæ nigredo,* in magnis & repentinis evacuationibus adesse solent, & caloris naturalis insignem læsionem, quæ ad extinctionem tendit, insequuntur; quo fit ut in innatis venenis, à quibus idem calor maximè lacessitur, plerumque non desint: *sitis inexhausta* hepatis intemperiem magis, quàm venenum arguit, & ad magnas quoque evacuationes sequitur. Itaque quemadmodum de istis dictum est, ita de aliis signis, quæ afferuntur, sentiendum, nullum scilicèt verum esse, ac proprium externi exhibiti veneni; nec etiam quod de spuma dicunt ex ore fluente, nil enim ex hoc probari potest, cum epilepsiæ potiùs competat, quæ ægritudo veneni interni expers non est, præsertim illa quæ per consensum fit: ut rectè quidem Paulus *lib.* 3. *cap.* 13. cùm alia signa morbi comitialis referat, quæ venenis exhibitis etiam adscribuntur, ut turbatio, erosio, tremor, oris stomachi convulsio, anxietas, hæc dicat communia aliis esse, oris spumam epilepticorum magis propriam; quod *Celsus*, & *Trallianus* confirmant, & in vivis non solùm, sed in mortuis spumam in ore ex interna causa originem habere medici sciunt, quibus notum est quod de apoplexicis, & suffocatis testatum reliquit Hippocrates 2. *aph.* 48. non revocari ad vitam, quibus spuma in ore apparet. Velle autem cum *Avicenna* ex urina aliquid circà veneni exhibiti cognitionem expiscari, Arabum commentum est; quandoquidem si in internis venenis, quæ in venis & intrà corpus generantur, & diutiùs permanent, nil illam mutari videmus, quare ad externi accessum tam subitò mutabitur? ridiculum hoc est, cùm potius econtrà asserat *Fernelius*, nullum veneni genus ex urinis deprehendi posse, nec apud auctores veneni signum aliquod ex urinis describitur, imò urina optima in malignissimis febribus frequentissimè conspicitur; atque ità *Avicennam* ex aliorum, non ex propria auctoritate illud dixisse rectè existimare possumus.

Præterea nil etiam convincunt signa illa, quæ post mortem in cadavere à *Galeno* & aliis proponuntur, ut *corpus lividum, varium, nigricans, diffluens, aut putredinem molestam olens*; ex quibus tantum abest, ut certi aliquid desumi possit, ut imò *Horatius Augenius* emortuum puerum, cui prædicta inerant signa, veneno minimè interemptum fuisse declarare non dubitaverit *tom.* 2. *epist.* 2. *ad senatum Pedemont.* Et certè hæc omnia aliquando antè mortem observamus in febribus malignis & venenosis, in quibus ob ingentem caloris nativi corruptionem à sævitie innati veneni productam, corporis substantia jam suo calore à quo conservabatur omninò privata, in omnimodam putredinem desinit, & pessimam corruptionem subit; quod in subitis aliis venenis internis, quantumvis febris absit, accidere posse negandum non est, cùm corpori eandem vim inferant, sicuti ab externis patitur, ut latiùs docet Salius *lib. de feb. pest. fol mihi.* 121. ubi ait maculas illas, quæ in hominibus veneno extinctis apparent, easdem habere causas cum eis, quæ ex febribus pestilentibus causantur, in eoque tantùm differre, quòd in aliis ichores pravi à veneno assumpto generentur, in aliis ratione causarum internarum, ut in peste extinctis sæpius apparet. Quòd verò pili & ungues facilè avellantur, nil mirum; defluente enim ob ingentem putredinem corporis substantiâ partes omnes laxantur, & nil retentricis facultatis superest, imò cum omnia putredinem sentiant, statim laxatâ compage diffluunt, & cohærere non possunt; quàm facilè enim pili in multis ægritudinibus, & morborum convalescentiis decidant notissimum est. Ungues verò ratione vaporum cordis illud pati *Alzaravius* infrà citat. monet; cor autem tam ab interno, quàm ab externo veneno eodem modo affici sæpius jam diximus.

Illud etiam, quod *Suetonius* & *Plinius* ajunt, cor illorum qui veneno intoxicati sunt non cremari, ab omnibus signum fallax meritò judicatur, cum experientiæ nunquam correspondere expertum sit; & quemadmodum hoc fabulosum, ita verius aliquantulum, quod de feris & avibus dicunt, non attingere illorum cadavera, qui veneno sublati sunt, sed ab illis recedere, & intacta relinquere. Quod licèt concedamus, tamen non solum de veneno externo emortuis, sed etiam de aliis veneno interno extinctis hoc accidere posse dubitandum non est, ut tenet *Salius* citat. cum ex talium cadaveribus vapores non minus maligni excitentur, quàm ex aliis, imò deteriorem putredinem ex istis, quàm ex aliis, & fœtidiorem emanare tenet Zacchias *lib.* 2. *quæst.* 7.

quod expressè testatur Lucretius *lib. 6. de rerum nat. in fine*, dum sic loquitur de cadaveribus illorum, qui peste interierunt:

> *Multaq; humi cùm inhumata jacerent corpora suprà*
> *Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum*
> *Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem;*
> *Aut ubi gustârat, languebat morte propinqua.*

Et in peste illa, quæ Athenis grassata est, quam describit *Thucydides*, corpora inhumata à feris fuisse intacta ipse *Thucydides* refert, & ex eo Alex. Benedictus *lib. de pest. cap. 12*. Econtrà verò venenis externis occisorum cadavera difficulter corrumpi adnotatum est, ut de Marciæ, Cleopatræ, & Alexandri Magni corporibus suprà diximus, in quibus nullum nec corruptionis, nec veneni signum apparuit. Tandem quod de vermibus ajunt, incertum omninò est, & venenis etiam internis commune: sic in malignis febribus quotidiè expelli videmus, ut *cap. 3. lib. 4. de febrib.* scribit *Sennertus*. Quare potius dicendum, si aperto cadavere plures vivi reperiantur, veneni suspicionem tolli; si verò mortui, inde nil inferendum quod pro externo veneno faciat, cùm ab interni quoque sævitie extingui & enecari possint. Nec etiam certi aliquid inferre licet, si in aperto cadavere *ventriculi exustiones, ulcera, livores, & nigredo* appareant, quia prædicta omnia sine ulla veneni externi occasione adesse visa sunt. Marcellus Donatus *lib. 4. cap. 3.* in cadavere Camilli Facini pyloron, tunicam ventriculi internam, exesam adinvenisse refert, cum anteà magnis doloribus stomachi, & vomitionibus assiduis laborâsset. *Ioan. Ant. de Campos* medicus Antiquacharensis, in *apolog. de signis exhibiti veneni* scribit in xenodochio Virginis Mariæ charitatis Malacensis in homine, qui paucis anteà diebus à levibus acceptis vulneribus jam erat curatus, primâ die, quâ à lecto surrexerat, bilis vitilinæ ab accepto cibo ingentem vomitum supervenisse cum maximo ventriculi dolore, ardore, & corrosionibus, quibus non cessantibus intrà 15. horas obiisse inquit: aperto statim cadavere ventriculus manifestè niger apparuit, & satis putridus. Similes casus apud plures leguntur, quemadmodum apud *Fabricium Hildanum* & alios videri possunt, qui varias hujusmodi internas offensiones, nigredines, putrefactionesque, sine ulla veneni externi suspicione invenerunt: quemadmodum etiam apud Alzaravium à Cruce *de quæsitis per epist. cent. 4. cap. 28.* ubi tradit Nobilis cujusdam historiam, qui ex medicamento purgante emortuus est, in cujus adaperto corpore ait ventriculum cum œsophago excoriata fuisse inventa, duodenum intestinum perforatum, & alia crassiora sphacelo corrupta; ut propterea ex his signis nil concludi posse videatur, ut *Zacchias* citat. etiam fatetur; qui apertè tenet exulcerationes fundi ventriculi, gulæ, intestinorum, earundemque partium sphacelationem, contaminationem, corruptionem, nigredines, livores ex ingenito quoque veneno provenire: quarè hac parte *Paraum* culpat, quòd ex illis tantùm signis de propinato veneno fidem fecerit; cujus erroris etiam notari debet Joan. Talentonius *lib. 4. sui thesauri cap. 3.* dum de interitu cujusdam virginis Parmensis judicium suum exponit, & hanc ex assumpto veneno periisse declarat, quòd illius ventriculus erosus inventus fuerit, & anterior tunica cum œsophago livida fuerint reperta. Quæ tamen signa non adeò certa sunt, ut venenum externum propinatum fuisse absque dubio confirment, cùm humores in nostro corpore ita acres gigni possint (quidquid ipse neget) ut ventriculum erodant: quapropter malè statuit, solam erosionem ventriculi cum præpropera morte certum veneni existere signum; quod tamen quàm fallax sit & à veritate alienum, non solùm modò adducti auctores, sed casus ab ipsis enarrati verissimè declarant.

Nec etiam illas cautiones & animadversiones, quibus pro exacta & majori distinctione utuntur, sufficere posse credendum est: quippe quantumvis homo rectè sanus, & bonis eduliis nutritus (in quo *Galenus* ex aliorum sententia potiorem cognitionis vim stabilire videtur) minorem ad venenum interni acquirendum dispositionem arguat, minimè tamen impossibile est, ut ex variis incidentibus causis, nobis omninò ignotis, pervertatur illius optima temperies, & vel derepentè vel paucis diebus humorem malignissimum procreet, qui motus brevissimè interficiat: sic videmus homines sanguinei & optimi temperamenti, eosdemque robustissimos, sine ullo victûs errore in febres puncticulares & pestilentes incidere, à quarum vene-

no celerrimè cum horrendis symptomatibus enecantur; imò ad tales febres sanguineos & eusarcos paratissimos esse plures medici docent, quod non aliundè accidit, quàm quòd ob calidam & humidam temperiem, quâ fruuntur, ad putredinem sint paratiores, & quò laudabiliores continent humores, tantò deteriùs putresiant & corrumpantur; ut facile inde sit intelligere, optimam licèt temperaturam in pessimam ægritudinem devenire posse: quod forsan respiciens *Mesue* verba quædam scripsit, quæ ex medicorum mente nunquam excidere deberent, quorum in fine quæstionis mentionem faciemus. Quarè in dicta *Galeni* animadversione nil certi aut veri continetur, nisi quædam conjectura, quæ sicuti aliquandò veritati accedere potest, ita non raro nos fallere & in errorem detrudere: quarè *Galenus* non tantùm fidei & certitudinis in hac speculatione invenit, ut ex propria sententia illud doceret, aut ut verum statueret, sed ex aliorum authoritate; quod non fecisset, si ex illo tantùm capite sufficiens signum esse intelligeret, præsertim cum *lib. de bonit. & vitio succorum. cap.* 1. hanc dubitationem, & venenorum internorum & externorum cognitionem distinctionemque neutiquam haberi posse, ex aliorum quoque sententia apertè fateatur; & cum nec illorum opinionem approbet, nec istorum judicium redarguat, est sanè evidens, hoc ut difficillimum habuisse, & medicis cognitu ferè impossibile, nisi majora alia indicia adsint, quæ in re dubia ad clariorem notitiam deducant.

Quod verò secundo loco afferunt de venenis internis, quòd aliquibus accidentibus aliquo prius tempore se prodant, cum externa statim ac intra corpus absorpta sunt, vires suas exerant; hoc, inquam, plerumque verum esse fatemur, sed quòd aliter evenire non possit, negamus; nam licèt venenum in corpore genitum sit, tamen diu latere potest, ut nullis accidentibus aut signis manifestetur, aut tandem tantæ efficaciæ generari, ut natura illud ferre non potens statim moveat, quo tempore ob ingentes illius vires facilè succumbat, & velocissimè mors obrepat: tale quippe venenum in nobis generari posse, quod subitam mortem inferat, absque dubio existimat doctissimus Petrus Garcia *disp.* 66. *de locis cap.* 6. quod memini vidisse in juvene sano, & optimæ ut videbatur temperiei, qui in foro sedens, atque ea quæ à publico notario dictabantur scribens, sine ulla antea ægritudine, aut mala aliqua dispositione, de qua quæritur, in eadem sede mortuus extemplo mansit, dum à regio scriba verba proferente rationes expectaret, ut scribendo prosequeretur. Nec quòd breviter aut paulatim symptomata adveniant, aliquid inde certi inferri potest, quia licèt in externis verum sit quòd ita accidat, ut celeriter moveantur, tamen de internis omninò non negandum; hoc quippe ad veneni vim spectat, & intrà corpus ejusdem efficaciæ procreari posse ac externa sunt, medici ferè omnes concedunt. Adde quòd locus in quo venenum genitum fuit, subjecti resistentia, & varia veneni natura, multùm hoc variabunt, ut celerius aut tardius venenum moveatur & jugulet; unde ex hac conjectura signum petere, non tantum insufficiens, sed fallacissimum erit, cum non raro etiam venena ad tempus dentur, & aliis sensim ac furtim instillentur, ita ut ob exiguam quantitatem irritare, ac naturam lacessere statim non valeant, sed paulatim & occulto modo perdant & interficiant. Nec illud quod de venenis, ut de opio distinguunt, certum omninò est, nisi ipse odor declaret, aut materia vomitu rejecta, quæ veneni cogniti substantiam demonstret; aliàs ex somno tantum aut delirio integra opii aut alterius frigidi veneni notitia haberi non poterit, quia videmus hominem repentè incidere in catalepsim, in carum, & alios similes morbos, non aliundè quàm à causa interna; ergò ratione peculiaris naturæ interni veneni eadem symptomata excitari poterunt, quæ frigida venenorum stupefacientium, & hypnoticorum symptomata æmulentur: potest sanè in corpore venenum generari, quod putrefacientium naturam æquet; ergò & venena, quæ aliorum qualitates sortiuntur; quod extrà dubium est, quidquid Saxonia *lib.* 2. *de phleg. cap.* 10. omnia venena, quæ in nostro corpore generantur, calida & sicca esse existimet; quod ego non negaverim, sed ab eisdem ob occultas qualitates, putrefactiones, sapores, & alias similes operationes, affectionesque provenire posse tam certum est; ut ipsa experientia millies hoc confirmet, in malignis febribus præsertim, in quibus cataphoras & comata subcrescere non raro videmus; de quo interim legendus Sennertus *cap. de lethargo*, & quæ ibi ex Platero, & *lib.* 4. *cap.* 18. *de febrib. titul. de somno profundo.*

Ad alia quæ ulteriùs afferunt, jam ex dictis patet solutio; nil enim pro firma veneni cognitione & certa notitia faciunt; quemadmodum neque quòd febris absit, 34. quia hæc venenorum internorum non est perpetua comes, nec in externis perpetuò abest, cùm ad hoc corporis status tam in uno, quàm in alio veneno maximè disponat, ut si dispositio sit, facilè in utroque febris adsit; si eadem deficiat, difficulter aut neutiquam subcrescat. Nec est quòd aliquis dicat, venenum internum sine putrefactione oriri non posse, unde & febris accendi debet; quia præterquam quòd ad febrem non quælibet putrefactio sufficit, adhuc sine ulla putrefactione venenum intus generari posse scribit Saxonia *lib.* 10. *de plica. cap.* 34. *&* 35. aut saltem cum levissima, cui alii non pauci consentiunt. Cætera quæ proponunt de contagio, de exacerbationibus, quòd ista signa veneni interni sint, non externi, fatemur: sed hæc sunt signa negativa veneni externi, nos verò positiva quærimus; præterquam quòd etiam venenari potest aliquis, qui ex apparatu morboso statim in alium morbum simul incidat, veneni præsertim sævitiâ & perturbatione commoto humore, qui jam paratus erat ad morbum excitandum, quo tempore exacerbationes habere poterit, & venenum sumpsisse; unde non benè inferri potest: habet accessiones, ergò venenum non sumpsit. Ad illud verò quod de vomitu ajunt, à cujus contactu canes abstineant, jam ex superius dictis patet responsio, cùm de feris & avibus, quæ cadavera 35. veneno enectorum nolunt attingere, & intacta relinquunt sermonem habuimus. Quarè *Cardano*, & aliis qui hujus rei summam in istis signis & animadversionibus relinquunt, & ex illis assequi posse sperant, fides nulla habenda est, licèt *Sennertus* easdem afferat distinctiones, & per eas ad veneni externi cognitionem deducat; quia quantùm hoc difficile sit, quamque cautè de hac re pronunciandum, idem auctor *lib.* 6. *de venen. part.* 1. *cap.* 8. abundè fatetur & monet, etiam in illis, qui integrâ sanitate frui videbantur, nulliusque cacochymiæ aut pravæ dispositionis signa ostendebant, in quibus si repentina mors accidat, suspicionem tantum, non certitudinem ullam esse declarat. Ratio ab illo adducta hæc est, quia postquam venenum totam corporis œconomiam turbavit, multa excitantur symptomata, quæ aliis morbis communia sunt; eadem verò symptomata sæpè à latente in corpore cacochymia subitò mota induci ait, & planè similia illis, qui hausto veneno excitantur: quod cum omninò verum sit, tantum superest, hoc multorum doctissimorum auctorum opinionibus, declarationibus, & scriptis confirmare. Hoc enim cum omnibus, qui signorum hanc distinctionem & veneni externi ab interno dignotionem difficillimam, aut fermè impossibilem judicant, pro conclusione defendimus.

Quæstionis Conclusio.

Et inprimis apertè eandem tenet Dioscorides *lib.* 6. *in præfatione*, ubi propinati veneni cognitionem haud haberi posse clarissimè scribit, non solùm quia pleraque ve-36. nena eadem excitant symptomata, sed quoniam pariter venenis quibuscumque & multis morbis eadem communiter accidunt: quapropter de inveniendo hujusmodi signo *Dioscorides* desperâsse videtur, & quod nec ille suo tempore, nos in hunc usque diem certum ac proprium veneni externi signum etiam adhuc non invenisse fatemur; imò nec dari, dicere cogimur. Rectè siquidem docuit idem *Dioscorides*, in hominibus vehementia etiam interdum enata symptomata non potiùs veneno, quàm alicui morbificæ causæ internæ attribuenda esse. Huic opinioni subscribunt neoterici ferè omnes, & eandem defendit doctissimus Petrus Garcia *disp.* 66. *de locis cap.* 6. ubi ait nullum esse signum, quo medicus venenum exhibitum fuisse deprehendere possit, quia signa omnia, quæ venena assumpta sequuntur, etiam pendêre possunt ex venenoso humore intrà corpus genito; nullumque alium dari posse cognoscendi modum, nisi per symptomata propria, quæ si quis percurrat, inveniet aliis morbis esse communia; quod mirum videri non debet, cùm ars conjecturalis sit, & hoc præcipuè circà signa habeat, ut docet Galenus *lib. de comp. med. per loca*: concludit medicos petere signa, quibus assumpti veneni morbus agnoscatur, esse verò illa quæ ab ipsis adducuntur incerta, cum ex aliis causis possit ægritudo provenire. Confirmat Sylvaticus *contr.* 77. eisdem rationibus suffultus, quia signa, quæ aliis morbis communia sunt, nullo modo propria esse possunt: quod verò communia sint facilè patet, si illa considerentur, quæ à *Dioscoride, Galeno, Æsio, Paulo, Oribasio, Avicenna, Arnaldo, Conciliatore*, & ab aliis adducuntur; atque ideò nullo modo medico licere certam proferre sententiam, cùm certâ demonstratione omninò careat. Et planè incertum esse tale de venenis exhibitis judicium ex eo colligitur, quòd medici & ipsi quoque ægroti

ple-

plerumque non anteà in similibus ægritudinibus de veneno epoto suspicari incipiunt, quàm aliundè, & non ab arte, præsumptionis initium capessant. Caveat igitur (inquit idem) sibi quisque quantum poterit, & prudenter agat, ne in miserandam calamitatem incidat, à qua ut servetur vix evenire poterit: aliunde verò quàm à medicina jus dicendum, & tanti facinoris cognitio inquirenda; non enim ut prodesse potest assumpti veneni suspicio ad vitam defendendam, adhibitis auxiliis quæ venenis adversantur, ita ad capitis pœnam infligendam eadem sufficere putanda est.

Medici ergò qui rationales & prudentes haberi volunt, cautè in his proferendis judiciis procedere debent. Hujusmodi consiliis instructus Horat. Augenius *epist.* 2. *tom.* 2. hominem ex veneni exhibiti suspicione in carceribus detentum defendit, & excusat: & eâdem viâ incedens Alzaravius à Cruce *centur.* 3. *de quæsitus per epist.* mercatoris filium veneni parenti exhibiti suspectum, eisdem rationibus munitus liberare nititur; quo loco pulchra circà hanc rem advertit, monetque extrinseci veneni & clandestini exhibiti symptomata non esse oscitanter pronuntianda, nisi medicus, qui aliter facit, rem prout se habuerit, aliunde quàm ex medicis fundamentis dignoverit: *Non enim* (inquit) *prudentis est* (*aut ego toto cælo aberro*) *in re tanti momenti divinatione uti; nec ad medicum, à quo pro veneni auctore inveniendo consilium expetitur, ulla ratione spectat indicia quædam insida tanquam certa probare, cùm à veritate aliena & semota aliquando esse possint, sed ad judices tantùm, qui aliunde quàm à corpore ea inquirunt.* Concludit *in fine*, clam propinati veneni nullam certam dari cognitionem, aut signum extare: & sanè hoc consilium medicis observandum antè præceperat Androinus Pisaurensis *lib.* 1. *de venen. cap.* 4. qui postquam diligentissimè in perscrutandis & distinguendis utriusque veneni signis se exercuit, multis licèt adductis distinctionibus tandem monet, ne in controversia de veneno exhibito medicus festinanter ac temerè suam mentem aperiat, siquidem in corpore generari humores, qui ex putrilagine & corruptione insigni ad veneni naturam convertuntur, à quibus accidentia penitus iis similia oriuntur, quæ ab assumpto veneno inducuntur. Prædictis adjungendus est *Angel. Victorius* doctissimus medicus Romanus *suarum consult.* 2. *&* 32. qui & Julii Alexandrini *lib.* 24. *salubrium cap.* 7. opinionem in suæ favorem affert, qui eodem modo existimavit, ac nullo prorsùs sumpto veneno sumpti tamen apparere in corpore signa optimè tradidit, ut veneni cujusdam vim ac naturam penitus induant cum eisdem notis, quod non aliundè provenit, quàm ex humorum copia & malitia; cujus sententiæ idem *Victorius* accedit, qui ait plures vidisse homines emortuos, virides in facie, nigros & tumentes, qui tamen à veneno assumpto non obierant. Prædictis subscribit *Paulus Zacchias* medicus etiam Romanus *lib.* 2. *quæst. med. legal. titul.* 2. *quæst.* 6. *nu.* 17. ubi pro conclusione statuit, generaliter loquendo nullam certitudinem haberi posse ex solis signis, an quis ex propinato, an ex ingenito veneno interierit; quamquam *numero sequenti* ex certis conditionibus & conjecturis hoc possibile esse scribat; qualiter etiam Sanctor Sanctorius *lib.* 8. *meth. vitand. errorum cap.* 12. qui in hoc potius vitandus, licèt omnium signorum syndromem adesse videamus, quam ex sex fontibus ipse proponit; quia licèt omnia illa ad majorem certitudinem notitiam præstent, tamen ad judicium proferendum nullo dubio certum & minimè fallax (prout in hoc casu requiritur) haud sufficere possunt.

Cùm igitur tot ac tam celebres viri de medica facultate benè meriti, id jam persuasum habeant, & hoc assequi difficillimum ac pænè impossibile arbitrentur, quemadmodum jurisperiti suprà citati etiam concedunt; quid aliud nobis dicendum restat, nisi doctissimorum tam antiquorum quàm juniorum judiciis stare, aureæ illius sententiæ *Celsi* probè memores, quâ docuit *nil in medicina adeò certum esse, quàm nihil certum*? quam sicuti in plurimis casibus veram esse experimur, ita in hoc potissimum de veneni exhibiti signis & symptomatibus agnoscendis plerumque probari existimamus; cùm fallax admodum sit hujusmodi eventûs notitia, & certitudo nulla, ob confusam accidentium connexionem, quam cum plurimis ægritudinibus habent, potissimùm venenatis, & ab interno principio genitis; qualiter aliquando in nobis generantur, quæ miris modis actiones vitiant, & pro vario ad varia membra motu, lethali suâ vi non rarò momento ferè temporis homines è medio tollunt: & quantumvis signa omnia tam antè quàm post mortem ab auctoribus adducta, sint

 cer-

certa veneni signa, assumpti tamen neutiquam certa sunt. Popularis etenim opinio è trivio ad forum delata, quæ omnium animis firmiter insedit, hoc persuasum habuit, ut medicis exploranda cadavera committantur ad mortis causam internoscendam, cùm non solùm ægritudinis tempore, sed post interitum etiam venenorum indicia corpori impressa relinquantur: tamen longè aliter se res habet, maximaque venenorum pars etiam in arte medica versatissimis occulta est, non solùm dum consopita parùm aut nihil agunt, sed etiam quando naturæ, quæ jam ulteriùs illa ferre non valet, subitam vim inferunt, ac multò magis postquàm expugnatâ jam vitâ omnis veneni & naturæ actio perit. Itaque prudentis medici est advertere non quamlibet conjecturam, quæ ad curationem & alexipharmaca adhibenda sufficit, eandem mox ad proferendum coràm magistratibus judicium etiam sufficere, cùm facilè evenire possit, ut quantâ licèt diligentiâ in signis dijudicandis adhibitâ etiam expertissimus medicus hallucinetur, unde innocens aliquis damnetur; cùm econtrà sanctius sit nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare, *L. Absent. ff. de pœnis* alioquin medicus in conscientia tutus esse non poterit, qui partem affirmativam secutus absque indiciis aliunde petitis, & inventis, & probatis, de veneno exhibito fidem faciat; potius namque ista judici relinquenda, qui suo munere utens illa quæ ad rem spectant indagabit, à quibus medico supersedendum.

39.

Quapropter, ut de tam serio negotio finem faciamus, medicis præcipimus, ut in similibus casibus, siquando eveniant, ob oculos habeant, nunquamque è mente excidere permittant quædam aurea verba, quæ apud Joannem Mesue in *supplemento Petri Apponensis ad lib. 2. cap. 2. cujus titul. est, sermo de unctionibus*, leguntur: *Aliquando enim (ut vidistis) quòd robusti, & sine languore videntur, accidit casus virtutum, & subitò moriuntur, & ignoratis causam; & fuit hoc soli Deo notum, & naturæ propriæ, quoniam nulla apparuit causa cognita medico: his autem subvenire non est medici, nec medicinarum posse, sed gloriosissimi & excelsi est omnium languorum sanare passiones.* Quippe in similibus declarationibus, & multis aliis medici operibus & curationibus, alia ejusdem *Mesue* verba antè oculos semper gestanda, quæ in *præfatione lib. 20.* sic scripsit: *Considera ne te amor aut odium circumveniat, ut declines à recto; est enim excelsus & gloriosus qui judicat, sunt & cæli qui arguunt, elementa quæ sæviunt, & si non aliud, superest inposterùm cruciatus gehennæ.* Nam hujusmodi mortes accidere, illarumque occultas causas esse, & divino judicio, cujus arbitrio dispensantur, tantùm notas, Apollinis etiam oraculum declaravit, ut refert Plutarchus *in oration. consolat. ad Apollonium*, ubi de quodam parente narrat, qui de immatura Euthimii filii & subita morte Delphis oraculum consulturus (quòd inimicorum invidiâ & insidiis sublatum putaret) adiit, à quo hoc tulit responsum: *Perscrutaberis stulte Euthimii mortem; Euthimius jacet fatali letho, nec enim parentibus oportebat ut viveret.* Sic multis derepentè fatalis accidit hora, causa autem admirabilior est & occultior, quàm ut mortalibus oculis assequi eam valeamus; eveniunt quippe non raro citrà ullum assumptum aut etiam innatum venenum casus sanè admirandi, in subitaneis improvisisque mortibus, ut magni Ducis Florentiæ legato accidit in aula Regis Galliarum; de quo vide Andream Laurentium *lib. 9. quæst. 18.*

42.

QVÆ-

QUÆSTIO SEXAGESIMAQUINTA.

De venenatis subterraneis. An basiliscus ibi stabuletur: & quænam sit causa mortis illorum, qui profundos specus vel altos puteos intrantes subitò corruerunt? & an basiliscus in speculum intuens sese interimere possit?

QUemadmodum basilisci venenum omnium animalium exitialissimum ab omnibus prædicatur, ita quodnam animal sit, non benè inter auctores convenit, cùm in illius differentiis assignandis admodum varii existant: ego hîc multorum de basilisci ortu & forma opiniones non congeram, cùm abundè hoc describant *Gesnerus*, & *Aldrovandus*, licèt non desint plurimi, qui omnia quæ de hoc animali scribuntur, aniles & ineptas fabulas esse arbitrentur. Illud verò *Barthol. Ambrosino* improperare non omittam, quòd apud eundem *Aldrovandum* basiliscum & catoblepam eandem esse feram scripserit, licèt multos alios eruditos viros hoc affirmâsse dicat; non enim *Plinius*, nec ex antiquioribus aliquis hoc nobis tradiderunt, nam ille *cap.* 21. *lib.* 8. ubi de utroque agit, eandem utriusque animalis veneni vim esse tantummodò ait, sed unum & idem esse animal non dixit, nec somniavit: diversa quippe esse constat ex Pomp. Mela *lib.* 3. *cap.* 10. & Solino *cap.* 43. *Polyhist.* ubi catoblepam caput magnum & prægrande sustinere ajunt, quod de basilisco nullus dixit: ita sentit Ælianus *lib.* 3. qui tauro similem bestiam esse prodidit, truculentam, & horribili aspectu, oculis sanguine suffusis terram spectare; mortiferas depascitur herbas, ac simul ut taurino aspectu conspexit, horret, jubamque erigit, elataque & apertis labris horrendum quiddam mittit de gutture, ut aërem inficiat, qui ab aliis haustus vocis auferat usum, & lethales convulsiones inducat: talis in Libyæ desertis conspicitur. Rem ita esse per Marii milites cognitum, nam cùm feram ovem esse putarent, strictis in eam gladiis, repetitis vicibus incurrêre; sed non nisi plurimis necatis naturam belluæ cognoverunt occisa tamen; postea per Nomades equites ad Marium deducta est. Tauri itaque formâ, corpore tamen multò minor catoblepa describitur, atque ita communiter depicta antiquis & modernis tabulis ostenditur, quod illius figuræ magnum est argumentum; quare cum basilisco eandem esse minimè putandum, licèt veneni pernicie illi æqualis aut parum inferior habeatur, cùm intuitu, sibilo, halitu, tactuque non solùm homines, sed cæteros etiam animantes perimat, prout de basilisco *lib. de ther. ad Pison. cap.* 8. scribit *Galenus*, quantumvis *lib.* 10. *simpl. cap.* 1. de tanta hac veneni vi & de tota basilisci historia dubitare videatur. Moribus itaque & malignitate cum basilisco convenire videtur, specie tamen & formâ alienissima existit. Sic juniorum plurimi tenent, ut Jonstonus *in Thaumatog. classe* 7. *cap.* 12. Eus. Nierembergius *tom.* 2. *occultæ phil. lib.* 1. *cap.* 28.

Quidquid igitur variæ de basilisco opiniones doceant, ego duplicem speciem istius serpentis distinguendam puto; quod etiam *in illius cap.* Sennerto visum est & plurimis aliis, præter fictitios illos ac parvos ex raja exsiccata confectos basiliscos, quos impostores effingere & efformare, additâ icone tradit Aldrovandus, cujusmodi plurimos Antverpiæ in foro piscatorio suspensos vidi, & in Hispania unum apud pharmacopolam, quem magno pretio à circumforaneo emisse dicebat, & in pyxide servabat tanquam rem rarissimam, cui totum impostorum in hac vafricie componenda artificium detexi.

Fictitiis itaque his derelictis, duplex basilisci constituitur species, altera proprii & exquisiti basilisci, cujus figuram aliorum serpentum & reptilium formâ optimè depingit Grevinus *lib.* 1. *de venen. cap.* 18. aitque longitudinem trium palmorum æquare (licèt *Paræus* duodecim non amplius digitorum faciat) corpore flavo, capite acuto, in quo tres habet eminentias maculis subalbidis insignitas in diadematis formam, ob quam etiam causam Rex serpentum dictus est. Hæc igitur venenosissima est

est fera, de cujus exitialissimo veneno tam multa prædicantur, à paucis tamen aut visa, aut experta; nam præter illa, quæ de hoc serpente *Galenus* affert, Æsius *tetrab.* 4 *serm.* 1. *cap.* 29. & 30. scribit quòd omnes serpentes illius aspectum fugiant, nec illo præsente ad pabula vel ad aquas ire audeant; addit Avicenna *fen.* 6. *lib.* 3. si lanceâ eum aliquis tangat, illum qui tetigerit perimere, & si animal juxtà illum transierit, stupescere & mori, plantas etiam in circuitu illius perire, & aves suprà illius foveam volantes concidere: propterea à Pergamenis magno olim emptum illius cadaver narrat *Solinus*, ut supremâ Apollinis templi parte suspenderent, ne vel aves, vel aranei eo auderent appropinquare, atque ita immundorum genus omne animalium in cultum tam sacri loci averterent; qua etiam ratione in templo Dianæ basilisci corium suspensum fuisse referunt. De hujus pestifera & lethalissima veneni vi sic *Lucanus*:

4.

> *Sibilaq; effundens cunctas terrentia pestes,*
> *Ante venena nocens, latè sibi submovet omne*
> *Vulgus; & in vacua regnat Basiliscus arena.*

qui etiam probat illud quòd *Avicenna* de illo docet:

> *Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Mauri*
> *Transactus? velox currit per tela venenum*
> *Invaditq; manum:*

5. Nec est quòd Mathiolus *lib.* 6. *in Diosc. cap. ult.* & Hermol. Barbarus *lib.* 2. *corollar. cap.* 219. *in Diosc.* fabulosum judicent, & pro nugis habeant omnia, quæ de basilisco narrantur; & potissimùm Cardanus *lib.* 1. *de venen. cap.* 16. eo ductus fundamento, quòd verisimile non videatur naturam genus animalis procreâsse omnibus exitiale, ut ab eo reliqua omnia deleri possent: stat quippe adversùs illum antiquorum auctoritas, qui minimè fabulosum putantes de illo multa scripserunt, *Galeni* nempe, *Æsii, Avicennæ, Plinii, Æliani*, & aliorum multorum. Apertè siquidem fatetur idem Galenus *lib. de inæquali intemp. cap.* 6. dari animalia, quæ suis vaporibus alia interficiant, quin læsionem aliquam ipsa à suo proprio veneno patiantur; quod tantò magis credi potest, quantò magis admiratione dignum est, dari homines, & fœminas præsertim, quæ eisdem venenatis vaporibus tenellos pueros & infantes maximè lædant, & aliquando interficiant: quod si hoc in humana natura invenitur, quantò potius feris ex propria natura admodum venenosis inesse credendum erit? De Cambaiæ Regis filio jam in superioribus diximus, & latiùs narrat Ludov. Barthema *lib.* 1. *rerum Ind. cap.* 2. qui ex nutritione & venenorum consuetudine adeò pestilens evasit, ut aspectu & tactu quoscunque vellet interficeret. Pharnacum quoque ex Damone prodit Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. genus hominum in Æthiopia, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat. Ibidem apud Triballos, & Illyricos homines reperiri ait duplicem pupillam habentes, qui fixis in hominem oculis eum è medio tollant, haud secùs quàm basiliscus; de quibus etiam alii addunt vicissim propriorum spirituum vi in speculo reflexione se ipsos interimere. Nec *Cardani* fundamentum aliquid probat; idem namque de omnibus venenis dici poterat, quæ cunctis ferè animantibus adversa sunt, & tamen illa suâ utilitate natura non privavit; ex illis enim plura animalia extinguuntur, quàm ex basilisci veneno pereant: cùm præsertim natura, quæ illum tam exitialem creavit, rarum esse voluerit, & in Libyæ desertis habitare jusserit, & in Cyrenaica provincia, ubi generari ait *Plinius*, rarissimumque est alio in loco videri. Nec etiam, quod idem urget, neminem videlicèt qui viderit aut illum audierit extare posse, si videndo aut audiendo illius vocem omnes moriuntur, aliquid convincit; siquidem hoc non ita indubitatum est, ut certissimè accidere debeat: potest namque aliquis tempore curatus evadere, potest minùs lædi, & ex illius invento cadavere, & perniciosa illius vi, quantò adhuc perniciosior esset dum vitâ fruebatur, colligi potuit. Præterquam quòd in libro qui *Vitæ Patrum* dicitur, de quodam viro Dei narratur, qui in deserto basiliscum videns, in hæc verba prorupisse dicitur: *O summe Deus! aut mihi, aut huic mori licet; quid ergò agendum?* basiliscum verò illicò (ea est justorum Dei cura) medio crepuisse corpore, viro Dei incolumi ac superstite.

6.

7. Tandem illud quod de illius pestifera malignitate plurimi fatentur, qua lanceâ vel solùm tactus, hominem & equum cui insidet, veneno per telum communicato interimat, certissimum haberi debet, cùm suprà serpentes & dracones omnes acutissimam

simam veneni vim, & lethalissimam habeat; nam si ad distans solo visu transmissis malignis spiritibus interficit, quare tactu eosdem velocissimè non emittet? cùm multæ aliæ sint feræ, quarum venena multò minus exitialia perhibentur, & tamen eodem modo ad distans, & per lanceam, & quidvis aliud, venenum contorquere observatum est. Mirum est quod ex Æliano *lib.* 8. *cap.* 7. narrat Majolus *colloq.* 8. Aristoxemum quodam loco scripsisse, virum serpentem interfecisse cujus nomen adhuc incognitum, nulloque morsu ab eo affectum ex solo tactu vitam amisisse; illiusque vestem, quam eo tempore, quo serpentem interimebat, gestârat, non ita multò pòst computruisse. Et idem *Ælianus* ex *Pausania* refert, hominem vidisse ab impetu insequentis viperæ fugientem, & arborem conscendisse, ad quam vipera accedens pestilentem adeò halitum in arborem efflavit, ut hominem illicò peremptum dejecerit. De alio serpente narrat Avicenna *lib.* 4. *fen.* 6. *tract.* 3. *cap.* 22. apud Turcas, & Nubios, qui lanceâ à milite confossus, trajecto per eandem veneno militem & equum interfecit. Similem historiam narrat Mathiolus *in præfat. ad lib.* 6. *Diosc.* quam in agro Tridentino accidisse ait: & consimilem aliam à fortissimo equite Antonio Lazaco audiisse scribit Scaliger *exercitat.* 200. de Pallavicino quodam, qui in venatione Hispanica lanceâ serpentem interfecit, ipso tamen & equo morte deletis. Similem Amatus *cent.* 1. *curat.* 62. refert: quid enim obstat eandem vim, quam natura marinæ torpedini dedit, terrestribus quoque aliis venenatis addidisse, ut basilisco illorum Regi, & exitialium maximo? Nec solùm hominem & equum interimere, sed multos, & integram etiam regionem pestilenti afflatu serpentes aliquando infecisse legimus: narrat Valerius Maximus *lib.* 1 *cap.* 8. serpentem apud Bragadam fluvium à Romanis militibus inventum, qui omni exercitui non solùm aquæ usum interdicebat, sed interfectus totam regionem corruptissimo halitu ac venenoso vapore contabefecerit, ut castra protinus removere coëgerit, quod alios serpentes ac dracones factitâsse tradunt: Albertus Magnus *lib.* 2. *de proprietat. element.* scribit quòd tempore Philippi Macedoniæ Regis fuit via inter duos montes Armeniæ, quæ diu à multis fuerat salubriter frequentata, subitò tamen factum est, ut omnes transire volentes ibidem statim morerentur; scrutatâ causâ, & ab illis philosophis non repertâ, Socrates jussit fieri turrim altissimam de voluntate Regis propè illum locum, speculúmque fieri curavit chalybis, non convexum, nec concavum, benè mundum, ut plani ad illud planum speculum ab omni parte montium fieret reflexio; viditque hoc modo duos magnos dracones, qui anhelitu & venenosis vaporibus ab ore exeuntibus aërem inficiebant vicinum, & reperto modo illos interficiendi securus fuit accessus. Hanc eandem historiam refert etiam Bairos *lib. de peste*, & *Savanarola*, qui non *Albertum Magnum*, sed *Aristotelem* citat. *lib. de proprietatibus element.* qui liber non extat.

Dari igitur hujusmodi pestilentissima animalia certum est, quorum venena adeò sint perniciosa ut ad mille passus conspectu tantùm hominem interficiant, ut de catoblepa affirmat Fracastorius *lib.* 1. *antipath. cap.* 1. & tamen à basilisci malignitate superari, & ipsum in rerum natura extare ex plurimis locis Sacræ Paginæ constat. *Psal.* 90. *proverb.* 2. *Isa.* 14. & 59. & præter citatos suprà auctores tenent Albertus Magnus *lib. de animal.* Rhodiginus *lib.* 33. *cap.* 41. Leonicenus, Gesnerus, Aldrovandus, & innumeri alii, Cæsalpinus de *venen. cap.* 40. Scaliger *exercitat.* 246. Mercurialis *lib.* 1. *de morb. venenosis cap.* 21. qui gloriatur se cadaver basilisci vidisse in thesauris Maximil. Imperatoris: quare ut rem minimè fabulosam illum credunt Valesius *cap.* 48. *de sacra philos.* Claudius Salmasius *in Solinum fol.* 370. Sennertus *lib.* 6. Lacuna, Marcellus, Virgilius, Fernelius, Riolanus *ad lib.* 2. *de abditis*, & ex medicis sexcenti alii, qui cum *Dioscoride* remedia præscribunt ad illius ictum. Hæc sufficerent, ut animal fabulosum non esse constaret: sed præterire non possum, quin illud afferam: quod *Porta* sacri Palatii collega refert, tempore Alexandri Magni, cùm Rex civitatem quandam obsideret in Asia, accidisse, ut in exercitu milites plurimi, aliquando 200. aliquando plures repentè morerentur; sed cùm pestis nulla grassaretur, investigatâ causâ tandem inventum ex certa adversa murorum parte basiliscum contrà exercitum inspicere, qui visu milites internecabat: quæ omnia de basilisco sylvestri, qui in desertis Libycis, aut Cyrenaica provincia frequentius habitare traditur, intelligenda sunt; ibi enim, & aliis remotissimis locis ab hominum consortio deviis, cum aliis exquisitissimis & exitialissimis aliorum serpentum modo reptans vagatur: occultioribus quippe & remotissimis

terræ spatiis ob lethalissimam ejus perniciem natura illum velut incarceravit, atque ob eandem causam rarum esse voluit. Sicuti enim alia ob pulchritudinem, vel excellentiam, rarasque virtutes, peregrina & rara esse videmus, ut inter animalia phœnix & unicornis, ita ob insignem veneni vehementemque & exitialem vim, ne humano generi aliisque animantibus sæpius cum præsentissimo damno occurreret, penitioribus ac secretioribus Africæ desertis ac recessibus illum reclusit, ubi cum aliis similibus feris & belluis mutuas amicitias, aut bella æqualiter conferret: nec enim *Lævino Lemnio* assentiri possum, qui in Germaniæ sylvis divagari credit *lib.* 4. *de occult. nat. miracul. cap.* 12. nec etiam aliis, qui in Saxoniæ montibus inveniri ajunt; non enim regiones illæ, aut cæli illarum temperies huic serpenti apta videntur, qui non nisi calidissimis gaudet, & in illis invenitur.

11. Aldrovandus *in serpentis hist. ex volumine de ostentis*, basilisci alterius in solitudinibus Africæ stabulantis iconem exhibet, capite coronâ regali insignito, rostro avium more, pedibus octo, corpore squamoso & crasso in longam caudam desinente; de cujus veritate sicuti non constat, ita fabulosum esse meritò suspicari possumus, nisi dicamus (si tale animal umquam visum) ex novitatibus, quas Africa assiduè portat, non minimam hanc extitisse.

Ad secundam hujus animalis speciem devenio, quam notham seu spuriam libet appellare, cùm malignitate non naturâ cum basilisco conveniat, licèt basilisci quoque nomen obtinuerit, cùm tamen cum illo nec specie neque formâ consentiat: hujusmodi ajunt esse pestilentissimum animal, quod depinxit Paræus *lib.* 20. *cap.* 19. cujus effigies medium quid inter draconem & gallum ostendit, quòd ex ovo galli decrepiti generetur, ut tradit Mizaldus *cent.* 9. *memorab.* 53. Video hanc istius basilisci generationem à multis irrideri, & commentitiam judicari, inter quos est Ma-

12. thiolus *lib.* 6. *in Diosc. cap. ult.* quod etiam tenent *Gesnerus*, *Aldrovandus*, *Grevinus*, & peritissimi alii naturæ animalium indagatores maximi, cum tamen non desint celeberrimi auctores alii, qui minimè fabulosum judicent, & possibilem statuant: confirmat *Encelius* vir undequaque doctus *lib.* 3. *cap.* 54. *de re metallica*, ubi basilisci duas species constituit, alteram sylvestrem, de qua jam diximus, alteram domesticam, ex galli gallinacei veteris ovo productam; in quod etiam inclinat Lemnius *lib.* 4. *de occultis cap.* 12. Georg. Agricola *lib. de animal. subterran.* estque vulgi communis persuasio, quæ quantum ponderis in naturalibus habeat, jam aliàs diximus. Attamen in generationis modo ab *Encelio* meritò omnes differunt: falsò enim ille prodit gallos gallinarum sylvestrium rostrum in fœmellæ os immittere, ac viperarum more sperma ibidem infundere; utrumque enim fabulosum est, sed certius aliquantulum quod aliqui tradunt, gallum senectute confectum ritu fœmellæ ovum solum procreare, quod fortè inventum incubant & excludunt bufones; quod officium rubetas etiam aliquando præstare ajunt, unde basiliscus domesticus ita dictus oriatur, quandoquidem aliis quoque venenosis animalibus similiter accidere referant: sic namque aspidum ova, lurida, viscosa, fœtida, & venenosa, à rubeta aliisque exitialibus bestiis foveri scribit Barthol. Anglicus *lib. de rerum proprietatib.* unde vermem procreari dicunt, qui visu halituque incubantem primum, mox cæteras etiam bestias extinguat. Ova ibidum ab Ægyptiis passim frangi dicuntur, & apud citat. *Agricolam* Cassianus Theologus affirmat; quoniam apud illos (referente *Pierio*) opinio invaluit, basiliscum ex illorum ovis emergere, quòd hæc avis venenatorum omne genus abliguriat: propterea existimavit *Albertus* ex ovo galli veteris in lutamine sepulto tandem basiliscum prosilire posse, qui gallo prorsus figurâ similis eundem æmuletur. *Aldrovandus* duo depingit ova galli, quæ quia perfecta & suo putamine integra, galli fuisse non credit, cum talia non nisi in matrice generari posse existimet, quâ galli carent: cæterum non negat in gallo decrepito, ac in ultimo senio, quando non amplius venere utitur, quidpiam ovo simile ex seminis putredine intus conglobata & humorum colluvie conflari posse & edi (ut etiam tenet *Lemnius* adductus) quod putaminis loco pelle tegatur; hocque evenire ait septimo, nono, aut ad summum circà 10. aut 14. annum, pro majori aut minori virium imbecillitate, æstivis præsertim mensibus, & exoriente caniculâ, formæ orbicularis, columbini instar coloris, flavi, lividi, aut versicoloris, qualiter à plebeis hominibus sibi allatum testatur idem *Aldrovandus* galli esse affirmantibus, quo fracto nil nisi albumen cum pauca materia flavescente vise-

visebatur; cujusmodi aliud Neapoli in musæo Terantis Imperati pharmacopolæ asservari & videri ait. *Cardanus* quoque 1. *de venen. cap.* 16. in Savensi oppido hujuscemodi aliud galli ovum anno 1524. discissum fuisse narrat. Quæ omnia cùm ipsi fateantur, quid obstet quo minus aliquod animal ex similibus ovis confotis emergere posit (ut ipse negat) non video: quippe ovi imperfectio, & putaminis defectus non sufficit, cum illius usum durissima pellicula supplere posit; solum enim obesse videretur quòd contrà naturæ ordinem à mari, non à fœmina excludatur, unde subventaneum & nullius animantis generationi aptum debebat esse: sed tamen hoc ad communem generationem desideratur, hæc verò monstrosa est, & veluti naturæ prodigium; unde posibile esse credendum est, cum aliquando ab ipsis quoque gallis prædicta ova incubari observatum sit, qualiter in duobus annosis gallis in civitate Ziriczæa observatum fuisse tradit *Lemnius*, qui fustibus percusi ab incubatu abigi non poterant; unde cives timore perculsi, quòd communi persuasione basiliscus indè nasceretur, gallos strangulârunt, & ova confregerunt. Accedit ad hoc quòd gallus ætate plerumque tam venenosus evadat, ut virulentos ac malignos morsus incutiat, à quibus aliquando rabiem provenisse non solùm ex antiqua *Aureliani* historia patet, *cap. de rabie*, sed ex recenti alia, quam Andreas Baccius *in suis prolegom. & antidot.* refert, quam eandem *cent.* 1. *obs.* 86. transtulit *Hildanus*: ibi enim ait *quendam olitorem improviso insultu à veteri gallo gallinaceo rostro atroci, rubris pennis, in sinistra manu læsum; ac à prima etiam die hominem ringente ore inventum, nec ferro, nec igne, ullisve præsidiis juvantibus, cum adstantium ac totius viciniæ admiratione & horrore, pugnacis galli instar oculis decumbentem, tertio die interemptum vidisse.* Addit mox: *unde cùm fabulosa multa veris involverit antiquitas, non alium crediderim basiliscum.* Tam enim hæc de senescentis galli venenositate opinio altè vulgi mentibus infixa est, ut non solùm de ovo illius basiliscum excludi credat, atque verissimum putet, sed ipsum quoque gallum senio confectum in basilisci exitialem naturam evadere sibi persuadeat; quo fit, ut gallos omnes tertium aut quartum annum superantes hac de causa, & ob prædictum timorem, conficiant & interimant.

3.

Cùm igitur tanta hoc attestari videantur, ego si non penitùs affirmare, certè negare non ausim, præsertim cùm videam præter adductos auctores, alios quoque undequaque doctissimos viros calculum suum affirmantibus addere: de quorum numero est Euseb. Nierembergius *lib.* 6. *hist. nat. cap.* 20. maximus sanè inter juniores naturalium indagator, & huic opinioni de basilisci generatione ex ovo galli favere ait verba *Isaiæ* cap. 59. *Ova aspidum ruperunt, & telas texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur; & quod confotum est, erumpet in regulum.* Quem locum jam anteà *Lemnius* adnotaverat; & licèt *Aquila* hîc vertat viperam, *Symmachus* aspidem, tamen de reguli generatione verâ aliqui locum intelligunt, ut videre est apud Bustamantinum *de reptilibus S. S. lib.* 3. *cap.* 6. *nu.* 87. qui tenet basiliscum non solùm verâ propagatione, ut serpentes reliqui, sed ultrà ex putredine oriri, hacque duplici, vel corruptis rebus putridis tetri odoris, obscœnæ & fœtidæ naturæ; quo fit, ut in sentinis, cloacis, subterraneis putridisque locis gignatur, vel ex ovis præcipuè corruptis, urinis, & schistis omnis generis animantium terrestrium, & præcipuè alitum serpentiumque aliorum, ut aspidis, draconis, & inter aves ibis, gallique gallinacei, cum hac differentia, ut si ex serpentum ovis degenerantibus à natura propria, sine alis; si ex avibus, alatus eveniat: quod probat ex ipso *Isaia* cap. 30. *vipera & regulus volans.* Siquidem ex corruptis ovis, fœtidoque humore ac graveolentiâ plenis varia animalcula gigni tradunt Galenus 11. *simpl. & 3. de temp. cap.* 22. Plinius *lib.* 10 *cap.* 53. Ælianus *lib.* 10. putrido veneno sata, vitiato potissimo generationis principio sobolis oviparæ: etenim inter generationis principia activissima sunt ova, & energiâ agendi prædita grandi; ideò semel putrida in vitiosas, extraneas, simulque venenosas qualitates abeunt, eò magis, quò animalis sunt ferocioris conditione & naturâ, præsertim in venenatis activitatis eximiæ, summæque actionis si corrumpantur: propterea ex omnibus ovis semiconfotis, & putridis venenosa prodeunt animantia; præcipuè ex his, quæ gallus progenuit, viscerum vitio & luxuriâ æstuanti, ac sine concubitu igneis æstibus, & ætate squalida excubavit, ut (mirabile dictu!) basiliscus seu regulus aliquando erumpat ex putri materia eâ lege suppositâ, quâ expetit serpens ille, dum uligine venit putredine satus. Hinc Ægyptii, ut anteà dicebamus, quibus ob Nili inundationes, & Libyæ affinitatem serpentes sunt communissimi, eorundemque ortus & natura notissima,

4.

5.

 basi-

basiliscum super ovum depingebant, quòd ex ovis maximè nasceretur, ut videre est modò in Bembea tabula insculptus, ut refert *Philon Hebræus*, & *Epies* rabbinus antiquissimus; avemque ibim summo cultu venerabantur, quòd serpentes omnes glutiret & exterminaret, cujus etiam venenosa ova quassabant & dirumpebant, quod ex eis corruptis basiliscus suboriretur communi experientiâ, ut ibi auctores narrant.

Si igitur verum est, quòd in rerum natura hujusmodi animal ex ovo Galli generetur, non aliud esse semper existimavi, quàm basiliscum, qui aliquoties in subterraneis cavernis, & profundis terræ meatibus, aliisque cavitatibus horrendis & obscuris versari observatus est ex repentinis mortibus, quæ ibidem intrantibus subitò contigerunt. Hujusmodi quippe animal statim ac ab ovo excluditur, latebras quærit, quod proprium est cujuscumque monstrosi animalis, naturâ hoc dictante, ut tam horrendum & nocuum ab hominum consortio subtrahat; ideoque prædictus basiliscus rectè ab aliquibus domesticus appellatus est, cùm non in sylvis, ut malè *Encenius*, sed in civitatibus frequentiùs inveniatur, ad differentiam alterius proprii & genuini, qui non nisi in desertis & montium recessibus inhabitat. Et forsan talis fuit ille de quo suprà ex *Porta* mentionem fecimus, qui ex murorum quadam parte milites urbem obsidentes tam atrociter visu internecabat; & ille etiam cujus Scaliger, Carolus Sigonius, & Contarenus *lib. antiq. Rom.* meminerunt, qui in quodam concamerato loco stabulabatur in templo, quod Honorius I. Pontifex D. Luciæ consecraverat, cujus halitus Romam magnâ lue jam infecerat, & tandem Leonis IV. precibus eodem in templo Deo omnipotenti allegatis, veneficam bestiam suprà naturæ vim extinxisse ferunt. Sic alium à Joanne Abbate in pago Tornodorensi monasterium ædificante, in profundo puteo inventum fuisse narrat *Surius*. Viennæ quoque in Austria quoddam tale monstrum visum, ejusdemque imaginem in pariete cujusdam domûs adhuc in memoriam extare scribit *Georg. Agricola* eodem *lib. de subterraneis*, ut & Basileæ & Zuviccaviæ similes alias videri idem refert auctor; qualiter etiam Cardanus 1. *de venen. cap.* 16. lapideam imaginem talis basilisci Mediolani in porta templi B. Mariæ ad portam videri scribit: & ut verum hoc & non fictitium credamus, recens quædam historia inducit, quam ex Ioanne Pinciero *lib.* 3. *ænigmatum* 23. affert Zacutus *lib.* 5. *de princip. hist. quæst.* 6. *in fine*, & latiùs eandem ad verbum narrat Sennertus *lib.* 7. *epitomes natural. scientiæ cap. ult.* quam, quia longissima est, hîc ad unguem non transcribam, illius tamen summa hæc est. Varsoviæ in Polonia anno 1587. accidit ut puellus & puella quinquennes inter ludendum latebras cujusdam domûs à 30. annis incendio dirutæ intrarent, ne ab aliis æqualibus colludentibus invenirentur, ac per quasdam semiputridas & tempore exesas scalas descendentes, in imis gradibus concidendo expirârunt. Parentes, quòd circà noctem deficerent, de filiis inquirere cœperunt; sed nullam notitiam invenientes, ancillam Machæropei uxor (quæ alterius mater erat) emisit; tandem diu quæsitos in cellæ gradibus, quam intraverant, jacentes conspicit, ac propriis nominibus compellans, cùm ad voces, quas jam altiùs insonuerat, nil respondere animadverteret, de somno meritò suspicari cœpit; & cum vel magnis vocibus, quas iterum ac vehementius ingeminaverat, illos nil moveri conspiceret, operamque ludere satis cognitum judicaret, ipsa in cellam descendit, ut vellicando somnum excuteret: quid fit? protinus & ipsa juxta infantes concidit & extinguitur. Hera, quæ ancillam expectans ingredientem fuerat conspicata, cum diutius morari videret,

Nec revocare gradum, superasq́; evadere in auras,

attonita ad cellam currit, ancillam cum infantibus humi prostratam cernit, modò illam modò infantes magno clamore compellat, sed cum nec jacentium quisquam aut responsum daret, aut se moveret, exanimatos collegit. Extemplò fit rumor; accurrunt cives, quid facto opus sit dubitant, ad consules & senatum tristis casus per nuntium defertur. Mox hi jubent ut uncis cadavera extrahantur, quæ tympani instar turgebant, labia & linguam tumor obsederat, color fuscus visebatur, oculi prominentes; medicos accersiri jubent, Palatinum nempe, & Benedictum regium Archiatrum: conjecturâ factâ in deserta illa cella serpentem venenosum forsan stabulari exponunt, cujus pernicioso halitu aër inquinetur inclusus, quem in firma hominis natura ferre non potens succumbat: quin & de basilisco ex ovo galli à bufone excluso dubitari posse addunt, an intus in latibulis jaceat. Initur consilium, ut tota domus ex-

plo-

ploretur, aliquem mittendum ducunt; sed enim nullus, qui ultrò aut vi coactus hoc aggredi voluisset, inveniri poterat. Fuerant per id tempus in carcere duo intrà triduum capitis supplicio afficiendi; iis igitur conditio offertur, si in cellam descendant, serpentemque venentur, à supplicio immunes remittendos. Pactum libenter acceptat Joannes Jaurerus (ita ex duobus alter vocabatur) natione Silesius: corio igitur primùm toto corpore indutus, perspicilla oculis obligata, quæ visum minimè impedirent, cunctas etiam corporis partes antè & retrò speculis annexis contegunt, ut in simili casu fieri consuevisse tradit Maiolus *colloq.* 19. manus una ferreo rutabulo, altera ardenti face instruitur; sic munitus & adornatus cellam ingreditur, spectantibus (ut ait) plusquàm duobus hominum millibus; per horæ spatium omnes rimas omnesque angulos inquirens, nilque animantis quod perquirebat inveniens, novam exposcit facem, quæ illi statim immittitur; dum verò cellulam aliam ruderibus interclusam recludere & adire tentat, juxtà se in sinistrum latus oculos convertens, diu quæsitam bestiam gallinæ figurâ in quodam muri foramine jam exanimatam jacere ex inopinato conspicit; clamoribus statim hoc significat, foras ut illam ferreo rutabulo deducat, & in apertam lucem exportet, à medicis admonetur; protinùs antè ingentem hominum congregationem omnium oculis exponitur. Visum animal protinus basiliscus esse à medicis & ab omnibus judicatur: magnitudo erat mediocris gallinæ, capite ad galli Indici figuram accedebat, crista coronæ æmula partim flavo partim cæruleo colore conspersa, dorsum multis maculis eminentibus oculosque bufonum adsimilantibus. Cætera apud citatos vide, qui ulteriùs bestiam describunt. Similem fermè historiam refert Cardanus *in appendice ad libros de rerum variet. titul. ad finem noni cap.* de cloaca quam Philippus Cernucus aperiri jussit, sub terraque effodi & concamerari, in quam cum post. 20. dies homines descenderent, ut ligneos arcus extraherent, quinque seriatim intrantes extincti sunt; unde concludit, cùm nulla causa certa apparuerit, multos basiliscum inesse putâsse, nec sine ratione; siquidem in aperta fovea, & aëri exposita, nullus aër putridus, aut aliquid aliud aliunde dari poterat; & cùm ante 20. dies homines in eadem fovea laborantes diu sine ulla noxa commorati fuissent, unde postea tam exitialis halitus advenire potuisset, nulla conjectura invenitur; quare non malè de basilisco ibi stabulante suspicio haberi potuit, qui vel aliunde intravit, vel ex aliquo terræ hiatu propinquior factus est.

120. Quæ si vera sunt, magna fides vulgi persuasionibus adhiberi debet, quod adversùs acerrimos naturalium indagatores opinionem suam tuetur ac sustinet, & ab ovo galli à bufonibus & rubetis confoto basiliscum hunc nothum & domesticum produci & oriri firmiter asseverat, quod prædictæ historiæ satis confirmant: ultrà quod etiam ex enarratis infertur, ridiculum non esse nec fabulosum, quod de basilisco non pauci tradunt; nimirum quòd si in speculum respiciat moriatur, cùm proprium venenum, quod ab illo exhalatur & egreditur, per reflexum in ipsum retorqueatur, ut docet Gordonius *lib. de feb. particul.* 1. *cap.* 14. Majolus *colloq.* 19. & Lud. Vives *in schol. ad D. August. de civit. Dei lib.* 8. *cap.* 13. quamvis Delrius *lib.* 1. *disq. magicar. quæst.* 4. se hoc non credere liberè pronuntiet, & multi alii quoque negent, hoc potissimum fundamento innixi, quòd spiritus illi venenati ab illius oculis exeuntes vel illi naturales sint, vel ipsi basilisco inimici & perniciosi: si amici & naturales, licèt in oculos iterùm refluant, nil damni afferre poterunt; si inimici & adversi, jam intrà oculos offendere potius debuerant, quod nullus dixit, cùm illis basiliscus in suo naturali statu conservetur: quare oportet causam aliquam inquirere, quare ab oculis exeuntes & in illos rursus reflexi eundem lædant, & quid illis de novo adjiciatur, ut proprium individuum, cui naturales erant, interficere valeant. Idem *Gordonius* huic objectioni facilè respondet dicendo, spiritus illos reflexos alterius jam esse naturæ, quemadmodum sanguis cùm è venis semel extractus est: ratio sanè non contemnenda, quia si sanguis, qui respectu spirituum corpus habet crassum & densum tam facilè alteratur, extraneatur, & corrumpitur, celeriùs & promptius hoc in tenuissimis spiritibus contingere posse verosimile est.

121. Quòd si solutio hæc non satisfacit, dicamus cum Fontecha *privileg.* 10. & cum Joan. Freitagio *lib. de opio cap.* 4. venenum ipsas bestias venenosas non alere nec lædere, quòd in particulis quibusdam determinatis contineatur innoxiè; quo fit ut si ad alias accedat, maximam noxam efficiat. Nec enim interest, quòd ejusdem animalis sint partes, nam in determinatis

diversas temperies constituit natura, ita ut aliquæ à pravis & intemperatis humoribus non lædantur, sed in ipsis veluti à propria intemperie & malignitate coërciti maneant; alias verò si ad illas accedant maximè offendant, & ab illis patiantur, cùm talium humorum commercium illis naturale minimè sit, aliter verò aliis in quarum consortio quiescunt, & pravam naturam, exitialesque proprietates, quas in se continent, aliis partibus non communicant. Exemplum sit felis vesicula, in qua citrà ullam noxam bilis ardentissima continetur; quæ si inde egrediatur & ad alias accedat partes, multùm nocumenti infert. Similiter in secundinis idem accidit, quæ toto gravidationis tempore fœtidissimam sanguinis copiam asservant, sine eo quòd ab ipso lædantur, imò illius noxam cohibent, ne ipse aut illius vapores alias lædant partes, ob proprium temperamentum, quod natura illis duabus partibus indidit, ut ab illis excrementis minimè lædi aut alterari possent, imò illa coërcerent, ne aliis dum ibi detinentur nocerent: videmus enim si extrà gravidationem, aut post partum, menses aut lochia supprimantur, potenter mulieres afficere, ac innumerabiles morbos ac venenosos parere. Ulterius si vipera, aut lacerta, morsibus aut veneno ejusdem ac propriæ speciei feras interficere possunt, licèt sint ejusdem naturæ, etiam ejusdem serpentis venenum extrà proprium locum eductum, & aliis partibus communicatum eundemmet serpentem interficere poterit: quod verò altera ex his feris alteram interficiat, modò adducti auctores affirmant; sæpiùs namque visa est lacerta irâ percita alteram morsibus dimicando interemisse, vipera viperam, scorpio scorpionem; quod historiis & multis experimentis hominum, qui hoc ruri observârunt probat Fontecha citatus. Nec est quòd aliquis hoc *Galeno* adversari dicat, cùm ille *lib. de inæquali intemp. cap.* 6. contrarium docere videatur, ubi scribit, quòd nec homo hominem, nec vipera viperam, nec aspis aspidem morsu interimere poterunt; hoc, inquam, minimè admittendum, quia ex multorum experimentis econtrà accidere aliquando compertum est, & *Galenus* prædicto loco de homine sano intelligendus est, non de illo, qui pravos humores continet, aut jejunus est: deinde contrà *Galenum* stat ratio, nam si ille *lib. de ther. ad Pison. cap.* 9. viperæ carnem salutarem esse statuit, veneno minimè imbutam esse fatendum est; ergò si ad illas partes, quæ venenum non participant, ejusdem aut alterius viperæ venenum accedat, ipsas venenare, & mortem inducere posse credibile est; atque ita, aut modo, quo *Gordonius* sentit, in basilisco evenire impossibile non videtur.

22.

23.

Sed ut ad illum redeamus, scio quamplurimos esse, qui ut importunum hunc ex ovo galli basiliscum submoveant, prædictarum mortium causas illorum, qui altos puteos, profundas foveas, aut dirutarum ædium & murorum cavernas intrantes subitò perierunt, minimè ex venenati basilisci halitu, aspectúve ibi commorantis provenisse constanter asserunt, cùm omnia, quæ de illo dicuntur, fabulosa & fictitia existiment, minimeque in rerum natura extare credant; sed omnibus illis, qui sic periisse visi sunt, non aliunde quàm ex corrupto aëre mortem in eisdem foveis & speluncis contento advenisse: ibi enim conclusus ac detentus cùm probè difflari non possit, cœnosis etiam exhalationibus, & aliis ex terræ spurcissimis hiatibus putridis vaporibus commixtus, tam pestifer evadit ac pestilens, ut subitò ac repentè illum haurientes exanimet; quippe crasso ac venenoso halitu corporis nostri spiritibus tam infensus redditur, ut illicò illos corrumpat, inficiat, ac suffocatos extinguat; quod certissimum esse millies observatum est, ut tam ex veterum, quàm juniorum scriptis abunde constat. *Seneca* 6. natur. quæst. cap. 28. *In plurimis* (ait) *Italiæ locis per quadam foramina pestilens exhalatur vapor, quem non hominem ducere, non feram tutum est; aves quoque si in illum incidunt, antequàm cælo meliori leniantur, in ipso volatu cadunt.* Repetit lib. 3. ejusdem cap. 20. *In quosdam specus qui despexerint moriuntur; tam velox est malum, ut transvolantes aves dejiciat.* Hujus tam subitò internecantis vaporis causam tradit Plinius *lib.* 31. *cap.* 3. putatque à sulphurea aut aluminosa materia exhalari, ac venenatæ ita esse naturæ, ut anhelitum claudat, & spiritus vitales corrumpat; quamobrem putearios aliquando necare ait, & suprà volantes aves à simili vapore suffocatas cadere; quin & domesticos animantes, item lacertas ac serpentes, qui ad talia loca fortuitò accesserint, illicò lethali vapore affectos extinguit. Hujus aut pestilentioris alterius emanationis hiatus fuit ille, qui Romæ medio in foro apparuit, ex cujus evaporatione sævissima lues populum Romanum infecit, respondente oraculo, non aliter pestem cessaturam, nisi res quædam pretiosissima intus in-

24.

25.

injiceretur; unde M. Curtius nil homine ipso pretiosius rectè judicans, phalerato insidens equo pro salute publicâ sese in hiatum præcipitavit, cessante statim dirâ clade. Auctores sunt Livius *lib.* 7. *decad.* 1. D. Augustinus 5. *de civit. Dei cap.* 18. Osorius *lib.* 3. *cap.* 5. præter *Plutarchum* & alios. Ita etiam in Trajani vita scribit *Dion*, ad Hierapolim Syriæ (quam nonnulli Alepum rentur) esse tetri adeò ac lethalis odoris specum, ut quodcumque hujusmodi halitum haurit animal, statim deficiat; solos eunuchos illius maleficii ac noxæ expertes esse, ut refert Scaliger *exercit.* 277. *num.* 4. Similis perniciei multos specus & antra, quæ in Babylonia, Campania, & aliis in locis adhuc hodiè visuntur, collegit Jonstonus *in Thaumatog. classe* 3. *cap.* 1. forsan etiam talis extitit inferni ille meatus, de quo Virgilius 6. *æneid.* sic loquitur:

Quam super haud ullæ poterant impunè volucres
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.

Nec aliter terræmotus ingentes pestem non rarò antecedunt & annunciant, ut notârunt *Ammianus*, & *Procopius*, quorum non pauca exempla refert Majolus *lib. de admirandis naturæ, colloq.* 1. 10. 11. nam cùm terræmotus fiant ab exhalatione intrà terram detenta, quæ exitum quærendo terram impellit ac concutit, inde tumor & tremor contingit, ut docuit Seneca *lib.* 6. *natur. quæst. c.* 12. & latius explicat *August. Galesius*, celeberrimus Bononiensis philosophus *lib. de terræmotu.* Magna igitur hæc exhalatio, quæ ut exeat immensam terræ molem concutit, diuturnâ incarceratione, & terræ lentis vaporibus mixta, tandem putrefacta & corrupta prorumpit, aëremque sic inficit, ut promptissimè pestem inducat, tabeque animantia & homines consumat. Prolixum esset si omnia, quæ de hujusmodi mortibus illorum, qui cavernas, foveas, puteos, horrea, & alios hiatus intrantes subitò corruerunt, à junioribus visa & observata traduntur, percurrere velimus: multos namque hujusmodi specus propè Romam vidisse tradit Mercurialis *lib.* 1. *de venen. cap.* 13. in quos si vel homo, vel animal ingrederetur, subitò interiret; & in oppidulo Puteoli dicto duo aut tria milliaria trans Neapolim Siciliam versus, antrum esse parvo lacui vicinum tradit Quercetanus *in diæt. Polyhist. sect.* 2. *cap.* 1. ex quo usque adeò perniciosus vapor exhalatur, ut si vel ad limen tantùm aliquod animal accedat, statim suffocetur & pereat, nî quàm brevissimè in proximum lacum immergatur: mira sanè malignitatis vis! nec minor naturæ benignitas, quæ remedium, quod citissimum requirebatur, tam propè adjunxit! Similes & adhuc pestilentiores hiatus in Hyberniæ partibus septentrionalibus inveniri narrat Joannes Cajus Anglus *lib.* 4. *ephem. Britan.* Similes apud Cumas, & in Etruriæ montibus contineri scribit Vidius *part.* 2. *sect.* 2. *lib.* 1. *cap.* 11. qui etiam de alio scribit in quem Florentiæ suo tempore intrantes perierunt, gladium qui fortè inciderat extrahere conantes; quod eodem modo cani statim immisso accidit. Sic in apertis horreis non rarò repentinas hujusmodi mortes contigisse visum est, ut de duobus hominibus refert Ant. Cartagena *lib. de feb. pestil. fol.* 4. qui in tritici horreum diu clausum intraverunt. Eodem modo Paduæ ex puteo aperto multos peste correptos interiisse narrat Valeriola *lib.* 2. *locor. commun. cap.* 2. *in fine*, & Gainerius *lib. de peste cap.* 1. qui aperto alio puteo adstantium quamplurimos extemplò periisse ait: quin & in reclusis & diu apertis similia infortunia accidisse sæpiùs visum est, ut Vandaliæ (vulgò Andalusiam dicimus) in oppido Lora anno 1641. puero & duobus hominibus evenit: nam cùm pueri galerus in puteum decidisset, primùm puer descendit, mox pater, item tertius, qui tandem omnes mortui extracti sunt, & ultimò canis, quem experiundi causâ immiserunt; puteo deindè in publicam utilitatem optimè obturato: aër enim & quodcumque aliud, quod non probè difflatur & novo aëre ventilatur, pessimè corrumpuntur, ut in præsentissima venena totâ substantiâ nobis inimica evadant. De arca Seleuci in Babylonia, quam M. Antonii milites auri spe aperuerunt, notissima est historia quam Jul. Cap. *in Vero*, & ex illo plurimi ex medicis adnotârunt: ex ea enim tam putris aura exhalabatur, ut inde pestis ad Parthos usque grassata non regionem tantum infecerit, sed ventis in Græciam & Romam fuerit delata. Sic Cardanus *in appendice* loco suprà citato de duobus aliis arcis memorat, quas bellorum metu anus à 30. jam annis absconditas & clausas servaverat; ipsâ mortuâ tandem adapertæ pannis & linteis plenæ inventæ sunt: cæterùm quotquot interfuêre, aut quæ arcis recondita erant, seu tunc seu posteà tractaverunt, intrà

intrà triduum expirâsse ait. Eodem modo in Syria vulgatum esse tradit Fallopius *tract. de lue pest.* ex taberna aromatibus plena, & diu clausa nec respirata, cùm aperta fuisset, repentè regionem sævâ peste correptam: & similium casuum innumeri alii narrantur, ut verissimum sit intelligere quàm lethaliter aër conclusus corrumpatur ac pestifer evadat, ut propterea mortis prædictorum causam domesticum basiliscum minimè fuisse putandum sit.

30. Sed tamen ex utroque accidere posse, nec ideò illum dari negari debere, jam ex suprà adductis historiis abundè patere arbitror: haudquaquam enim negari potest pestifera quædam animalia hiatibus inclusa venenosissimo halitu accedentes subitò interficere posse, multò celeriùs, quàm si corrupti aëris vapores inspirâssent, quia animalium venena cum actuata existant promptissimè malignitate suâ operantur, & valenter inficiunt; quod benè noverat famosus quidam circumforaneus, & vaferrimus agyrta, qui cum alio ejusdem farinæ antagonista suo in quadam Italiæ urbe, ut *Delrius* refert *lib. 3. disquis. magicar. part. 1. quæst. 3. sect. 2.* de theriacæ efficacia contendens, cum alter illi liquidum venenum, quod putabat exitialissimum, propinâsset, infuso mox antidoto evasit incolumis; ipse econtrà alius jussit, ut hians os cuidam pyxidulæ admoveret, in qua bufo vivus inclusus erat: tunc semiclausâ, & sæpiùs semiapertâ pyxide virulentum halitum illi ingessit, & brevi momento hominem suffocavit. Horum impostorum fraudes & dolos circà theriacæ efficaciam, quam ex sua compositione prædicant, legat qui voluerit apud Mathiolum *super Diosc. in præfatione lib. 6.* Quare si tam pestilens est bufonis halitus, cur basilisci venenatorum omnium efficacissimi & malignissimi hoc facere dicendum non sit? præsertim cùm diligentissimi auctores, & historiarum fides comprobent: quod sicuti plurimis minimè impossibile aut fabulosum visum est, ita certissimum & experientiâ sæpiùs adnotatum quòd à pessimis & corruptis vaporibus, à puteis, foveis, cavernis, & cloacis subitò exhalatis repentinæ illæ mortes accidant; quemadmodum anno præ-

31. terito 1655. Matriti accidisse quidam testis oculatus mihi enarravit, in cœnobio quarundam monialium, dum sepulchrum ad cadaver humandum aperiretur, quod vespillo importans subitò corruit; mox alius qui ut illum compellaret intravit, ac tertiò medicus quidam, qui præsens erat, qui etiam curiositate ductus intrare voluit. Sic de duobus aliis hominibus scribit Vega 3. *de arte medendi sect.* 5. *cap.* 8. qui cœnosum puteum intraverunt, ut ipsum mundarent, ubi statim strangulati, spumamque jam ab ore mittentes, à sociis, qui illis ministrabant, quàm citissimè extracti sunt, pænè jam suffocati & extincti; quos tamen idem auctor restituisse ait, aceto & piperis pulvere uni exhibito, alteri aceto cum sicci pulegii pulvere, bonisque odoribus naribus admotis. Talem verò hujusmodi affectum optimè scribit Vega non alium esse, quàm apoplexiam factam ex spirituum animalium corruptione, impletisque cerebri ventriculis fœtido illo ac crasso vapore spiritum corrumpente. De quibus vide Sennertum *lib. 2. praxis part. 3. cap. 2.*

QUÆSTIO SEXAGESIMASEXTA.

Pestis an fœtidis & tetris odoribus corrigi possit? An illius tempore ea odorari utile sit: & cur vespillones innoxiè cum peste mortuis plerumque tractent?

Sed quoniam in venenorum dumeta hinc inde decerpentes penitiùs jam sumus ingressi, placet & de pestis senticetis paucula legere spicula atque lustrare, quæ

1. avidum sciendi animum altius infixa pungant ac excitent. In brevi igitur hac venenorum periocha scitu dignam hanc dubitatiunculam parergi loco addere non, arbitror, fuerit injucundum; quandoquidem discors hac parte medicorum sententia pro utraque suos fautores habere videatur. Alexand. Benedictus *lib. de peste cap.* 6. ex cujusdam mercatoris historia hoc verum ac possibile esse affirmat. Illius hæc sunt verba: *Exemplum unum non prætermittam ætate nostrâ memorandum, quod ratione physica confirmatur. Quidam mercator Cretensis nobilis nobis narravit, cùm in Taurica regione*

ne-

negotiaretur, & sævissima pestis aëris vitio orta esset, quâ finis moriendi non erat, in ea summa hominum strage à se medicum visum loci ejus incolam (nam Sarmatæ ea loca tenent) qui canes omnes interemptos passim per vias perq; vicos omnes abjici jussit, qui distenti & putridi tetro odore cælum impleverunt; quo remedio statim civitas sanitati restituta est: & Sarmatas id remedium factitare solitos; putrescentes enim canes aëris naturam immutârunt, quæ hominibus dumtaxàt exitialis erat; ita enim dissimilitudo facit, & rerum discordia, nam venenum veneno interdum debellatur. Quod etiam *Zoar* quidam, inter posteriores physicos non infimus affirmat, fimo columbino in aëris & aquæ pestiferis corrigendis utens. In eandem sententiam inclinat Paræus *lib.* 21. *de peste cap.* 6. ratione etiam additâ quare hoc prosit; nam sparsis canum & felium cadaveribus per urbis vicos, novi putridi vaporis, tanquam recentis advenæ vi, vetus hospes pestiferis aëris sedibus dejicitur, & sic pestilentia quiescit; venenorum enim non modò cum alexiteriis, sed etiam cum venenis antipathia est. Dodonæus *etiam in annot. ad exempla ejusdem Alex. Bened.* aliam rationem affert non contemnendam, quare fœtida & graveolentia in peste prodesse possint, magis quàm suaveolentia; quoniam bonis odoribus spiritus alliciuntur, organaque odoratûs patentiora redduntur, & ad infectum aërem recipiendum promptiora; econtrà verò à fœtidis & graveolentibus spiritus repelluntur, & in se uniuntur, horridam illam exhalationem aversantes, quam ipsamet natura abhorrens admittere respuit. Porrò historiæ ab *Alex. Benedicto* narratæ similis est alia, quam refert *Georgius Pictorius* dialogo 2. de bona valet. *Ast ego*, ait, *ex Utopia nuper affirmantem vidi, eo tempore, quo epidemica lues incrudescit, nil aliud salubrius, vel præstantius esse ad tabem ablegandam, quàm si quis ter in die latrinas olfaciat, aut ovile stabulum.* Quod ex *Iacobo Sylvio* confirmari videtur, qui *in comment. ad lib. 2. Gal. de dif. feb. cap.* 7. scribit Parisiis in carcueto ad cloacam D. Nicolai habitantes nunquam pestem sentire, non alia de causa, nisi propter consuetudinem fœtidi odoris: eandem opinionem confirmat *Libavius* apud Gregor. Horstium *lib.* 2. *epist. sect.* 10. ubi sic: *A malis odoribus non rarò præsidium est naturæ, non quidem quia mali sunt, sed quia efficaces, spirituosasq; occupant partes & potestates, quibus oppugnare spirituale pestis venenum queant, aut instigare naturam ad expellendum excutiendumq; periculum, antequam vires & incrementum capiat, aut quasi ἀπαθῆν reddere, ut advenientis impressionem respuat. Itaque alii nares suas indies olfactu cloacarum benè saturant, alii bituminibus se suaq; expiant & defendunt. At, inquies, putredinis expiratio putredinem invehere potest similem: finge, inquam, istud, sed dispositione differente viribusq; potioribus etiam unam alteram pellere, & tanquam veneno venenum jugulare posse, &c.* Hac forsan ratione motus Averroës 6. *collect. cap. ult* pestis remedium esse scripsit hircorum urinam odorari; quod etiam consulit *Abenzoar*, ut ex eo refert Mercurialis *lib. de peste cap.* 22. propterea notat *Paræus* citat. multos hircum domi alere pestis tempore, adversus illam maximum præsidium putantes, quòd ædium vastitas viroso vapore, quem hircus expirat, repleta auram venenatam ab aditu repellat, cùm malus odor malo alio vapore, tanquam cuneus cuneo fugetur, ut ex eodem etiam *in bisulcis* probat *Aldrovandus*; & de facto in hunc finem in domo Reverend. Hungariæ Cancellarii magnum hircũ asservari vidisse scribit idem *Mercurialis*, cùm fortè apud illum pranderet, cùm pro valetudine Maximil. Cæsaris Viennam ivisset; quod idem auctor non improbat, licèt optimos odores magis laudet.

4\. Cæterùm quantumvis hoc aliqui auctores probent, & citatis experimentis insuper confirment, à plerisque tamen consilium hoc imitandum minimè esse optimè suadetur, cum facilè fieri possit, ut pestis inquinamenta ab hujusmodi fœtoribus, & cadaverum corruptis exhalationibus augeantur, & aëris vitium ab ipsis foveatur; hoc enim consentaneum & verosimile magis est, quàm quòd econtrà pestilentialis illa ac deleteria qualitas, quæ in aëre versatur, à putridis vaporibus corrigatur aut expellatur, cum illi contrarii non sint, imò similitudine quadam conjuncti, ut facilè ob symbolicam naturam alter in alterum transeat, ejusque inquinamenta suscipiat: videmus enim pestis tempore sub dio derelictas carnes facillimè corrumpi & putrescere, quòd ab infecto aëre tangantur; ergò sicuti à pestilenti veneno carnes contactæ inquinantur, eodem modo ab eisdem jam putridis & corruptis infectus aër adjumentum suscipiet: quarè jure optimo medici omnes hujusmodi cadavera, & omnia fœtida, putrida, tanquam admodum periculosa à plateis summâ curâ arceri jubent, munditiemq; & puritatem commendant. Quapropter hoc consilium tanquam damnosum, quatenus ad fœtentia animalium corpora, & latrinatum olfactum, meritò docti omnes

 able-

ablegandum censent; & experientia illa. quam *Alex. Benedictus* affert, cum suo auctore ad barbara illa loca, à quibus deducta est, iterum releganda, ut benè docent Sennertus & Quercetanus *lib.* 1. *de peste cap.* 6. fœdi namque vapores & odores, qui ex cadaveribus locisque cœnosis ac stagnantibus emanant, aërem promptissimè inficiunt, putridosque & malignos morbos pariunt, humidi calidique ratione.

Nec rationes illæ, & modus quem afferunt, quo illud beneficium tetri vapores præstare valeant, aliquid ponderis habent; nam venenum veneno resistere licèt fieri posse credamus, hoc ex oppositis rerum qualitatibus nobis plerumque ignotum est, & casu tantummodò expertum, cognitu verò tam difficile, quàm periculosum hujusmodi experientiam tentare: nam cum venenorum multiplex sit differentia, multò major accidentalis illa, quæ in hac, aut illa pestifera lue reperiri potest; quo fit ut hoc ex sordidis ac fœtidis remedium, quod fortè tunc contrarium fuit & salutare, omnibus ferè aliis exitiosum existat. Sic videmus pestem, quæ hoc animalium genus tantum invadit; aliam quæ aliud, aut varia animantia, non homines; aliam, quæ solum homines corripiat; imò pestem Basileæ aliquando grassatam, quæ Helvetios homines, non Hispanos, Italos, aut Gallos affligeret, refert Cardanus 8. *de rerum variet. cap.* 40. & de consimili alia Forestus *lib.* 6. *cap.* 9. *in scholio.* quem per otium vide, & citat. ibi *Fernelium*. Non enim aliter hoc accidit, quàm ex determinata putrefactione, & aëris inquinamento, huic animalium speciei, huic hominum generationi, non illi, adverso & deleterio, cum in eadem peste hujus, & non illius regionis homines magis infestet; temperamento quippe & locorum diversitate non levem differentiam sortiuntur. Quare non immeritò dicere possumus, singularem illam Tauricæ regionis, & Basileæ pestem fuisse à singulari aëris vitio ortam, cum in hac occultæ putredinis major cum Helvetiis analogia, in illa cum canum corruptione major antipathia ex peculiari cœli vitio invenirentur, ut hanc mutuò expelleret.

5. Pestis aliquando datur particularis animalium hujus aut illius speciei, hominum hujus non alterius regionis.

Cæterum cùm tanta sit varietas in pestiferis qualitatibus, illud quod semel casu innotuit, ratione indagari non potest, neque cognosci; quapropter ab hujusmodi remedio supersedendum, ut latè monent Sennertus *lib.* 4. *de peste cap.* 5. Ioubertus *lib. de peste cap.* 18. Aliæ etiam rationes parvi pendendæ sunt, sicuti illa quam alii afferunt, scilicèt à cadaveribus putridis magnam excitari corruptionem, quæ aëris minorem deleat & extinguat, quemadmodum major flamma minorem depascitur & obscurat: omnia quippe ista ad libitum excogitantur, non enim hoc in nostro casu commune esse potest, cùm ex rerum communi ordine non dependeat, imò alieno, & accidentario modo accidisse fatendum sit; quare nullo pacto imitandum, cùm præsertim sciamus putridarum exhalationum, & corruptorum vaporum naturalem vim vitæ nostræ penitus inimicam esse, partibusque principibus summè adversam, utpote ex quorum consortio & olfactu non solùm vires resolvantur, sed lypothomia non raró accidat, morbique putridi & venenosi plerumque oriantur: propterea servitia & mancipia peste magis corripi videmus, quippe in corporis & domorum excrementis, & aliis spurcitiis mundandis plerumque occupantur, & ea assiduè tractant, à quorum olfactu abstinere non possunt. Quare *Pictorius* citat. illud remedium de olfaciendis latrinis pestis tempore meritò damnat, tanquam minimè tutum; qua etiam de causa *Averrois* consilium de urinis hircorum olfaciendis ipsis Mauritanis relinquendum est, & illa hirci domi alendi cura non multi facienda, cùm utilitatis parum præstare posse videatur, quidquid alii utantur; siquidem non deficiunt doctissimi viri, qui expressè pestis tempore animalia omnia malè olentia avertenda esse consulant, inter quę hircum & vulpem sedulò memorant, ut advertit Ant. Cartagena *lib.* 1. *de peste. tract.* 2. *cap.* 4. *rub.* 6. ubi etiam *Rasim* adducit 30. *contin. tract.* 17. *cap.* 6. qui Æthiopum fœtorem pestem adaugere dixit, nec tutò cum illis conversari, aut domi contineri; quin etiam commune illud, quod fieri solet de pecudibus, oves nempe & arietes per civitatem ducere, illicque pernoctare suspectum judicat, cum animalia sint humida, & quæ aërem nil mundare possint, nec de hoc auxilio apud antiquos auctores aliquid extet.

6. Servitia & mancipia pesti magis obnoxia, & quare.

7. Æthiopum conversatio pestis tempore suspecta & quare.

Explosis igitur hujusmodi fœditatibus, quæ ex putridis cadaveribus dimanant, & cloacarum fœtoribus, quos pestem adaugere magis, quàm præcavere posse aut abigere nemo non videt, de aliis tetris & insuavibus odoribus aliter sentiendum est, & adversus pestem aliosque morbos optimè valere advertit *Dodonæus*, & latius probat Lævinus Lemnius *lib.* 2. *de occult. nat. miracul. cap.* 10. Multa quippe sunt, quæ teterrimum odorem habent, corpori tamen nullam noxam inferunt, nec ullam

Ex graviter olentibus, quibus pro peste abigenda securè uti posimus.

lam putredinem inducunt, imò affectionibus quibusdam obsistunt, aëremque & vitiosam auram ac turbidam discutiunt, ut castoreum, galbanum, sagapenum, assa fœtida, sulphur, pulvis bombardicus, corii cornuumque suffimen. Ista igitur & si quæ sunt similia, quamvis horridi gravisque odoris sint, nil contagii afferre possunt; quin pestilentes auras retorquent & reprimunt, & ex utero strangulatis animi defectum excutiunt: quemadmodum enim fœtidæ illæ cadaverum exhalationes calidi & humidi ratione similem noxam iis, quibus ob summam putredinem participant, inducere natæ sunt; ita quæ ab aliis jam enumeratis exeunt, econtrà jam factas infectiones emendare possunt, cum in siccam temperiem maximè inclinent, quo fit ut humiditates absumant, aërem extergant, nitidumque ac purum ab inquinamentis reddant. Sic apud suos inquit *Lemnius*, cornu coriique præsegmina in luis tempore, ossaque in ignem conjicere vulgare esse atque visitatum, eoque nidore teguria ac domos suffumigare, quò morborum contagia depellant, ac tutam habitationem præstent; unde dimanavit proverbium *cornua inibi aduri*, quo designant evitanda esse loca contagiosâ lue infecta. Eodem modo pulveris tormentarii ex bellicis instrumentis exclusi vapor, & caliginosæ igneæque illius nubes pestilentem auram optimè corrigunt, aërisque impetu longè propellunt: quod apud Nervios, quos Tornacenses modo vocant, in gravi pestilentia maximo cum fructu aliquando factitatum scribit idem *Lemnius*; quod remedium non minus præsentaneum adversus luem esse tradit, quàm ingentes pyræ, quas ex congestis odoriferis lignis *Hippocratem* excitâsse legimus, cùm in discutiendis nebulis, aërisque contagiis dissipandis non minus præstet.

8.

9. *veris ...enta... ...umus peste ...enda ...mus.*

Quantùm verò ad illud, quod secundo loco quærimus, dubium est ab ipsa experientia desumptum; observatum quippè sæpiùs in maximis pestium vastationibus vespillones à luis contagio plerumque immunes evasisse; quod ideò magis mirum est, quod peste enectorum cadavera tractent, & humeris ad sepeliendum bajulent, quæ non minùs quàm viventium corpora contagiosa esse celeberrimi artis doctores affirmant, Joubertus *lib. de peste. cap.* 3. Lemnius *lib.* 2. *de occultis nat. miracul. cap.* 3. Zacutus 2. *de princip. hist. quæst.* 49. *& lib.* 4. *quæst.* 42. aliique plures: quidquid econtrà *Rondoletius*, *Fracastorius*, & *Thomas Iordanus* suadere conentur, de qua dubitatione legendus Sennertus *lib.* 4. *de feb. cap.* 3. quippe non solùm ingens contagium à cadaveribus defluit, sed diu asservant, ut in aliis rebus non viventibus per multos annos durâsse aliquando visum sit. Notatu dignum est exemplum quod sæpiùs à fide dignis audivi, de tribus adolescentibus, qui inter se colludentes sarcophagum intrârunt, ubi à triginta transactis jam annis pestis tempore plurima cadavera conjecta fuerant, & super ossa ambulantes plurima commoverunt; sed quanto periculo ipsi postmodum experti sunt, quippe omnibus malignissimo morbo correptis unus tantum evasit, forsan quia pauciora ossa à sua sede dimovit, aut quia ad contagium suscipiendum minorem dispositionem obtinuit, aut tandem quia veneno magis resistere potuit. Ergò cùm tanta sit veneni istius vis, ut diu etiam in ossibus illorum, qui peste extincti sunt, sopita reservetur; quanto potiùs in illis, qui à paucis horis expirârunt, & in quibus putridi & infecti humores, & virulentæ aliæ humiditates adhuc calentem & pestiferum vaporem à se emittunt, promptius contagium exire putandum est? Eapropter peste emortuos quàm citissimè humandos esse optimè consulunt practicantes; quippe, ut *Lemnius* inquit, corporibus recens extinctis evenit quod ellychniis & funalibus, quæ accensa nullam graveolentiam à se diffundunt, quâ nares offendant, sed extincta sopitaque flamma tetro undique fumanti odore cœnaculum complent: facillimè igitur illa corpora tractantes infici posse, & in maximo periculo versari certissimum est; à quo cùm vespillones plerumque evadant, meritò quid causæ sit, quæ illos à luis contagio immunes servet, perquirendi ansam medici habuerunt.

10. *...davera ...e ...ne... ...um ad... ...dum es... ...onta... ...à.*

11.

Scitum sanè illud est, pestis analogias multiplices quidem esse, maximasque & admirandas; quædam enim pestis arboribus est & satis, quæ animalium nulli obest; alia econtrà animalia tangit, satis & arboribus parcit: porrò inter animalia, hæc homines carpit illa boves; illa equos, aut alia, sed & in eadem specie alia pueros & juvenes contagio inficit, senem nullum lædit; aliquando contrariè accidit: est & quæ mares magis, aliquando fœminas attingit; promiscuè verò alii certas pestes sensêre, alii non. Tandem alii inter pestilentes illæsi versantur, ut doctissimè *Fracastorius* scribit *lib.* 1. *de contag. cap.* 8. de quorum numero præcipuè sunt vespillones, de quibus hoc quærimus.

12. *...is ali... ...ando ...ticula... ...satis, ...mali... ...homi... ...us.*

Massarias *lib. de peste* aut suspectam ait hanc veritatem habendam, cum illi an certum

tum sit non constet, aut si hoc aliquoties observatum est, ideò evenire posse credit, quia istorum vespillonum plerique antea jam peste laboraverunt; pestilentiæ verò morbum neminem bis invadere. Sed illius solutio falsior est, quàm illud, quod in quæstione supponitur, cum inprimis dubium sit, an illi, qui prædicta officia exercent, peste laboraverint: deinde experientiâ sæpius compertum est aliquos non bis tantum, sed ter peste laborâsse. Nec etiam est quarè ad secreta remedia cum aliis confugiamus, quandoquidem pestis nullum certum esse alexiterium expertissimi medici fateantur: præterea à secreta remedia unde rudes homines, quales plerumque vespillones sunt, habere poterunt; aut quis ipsis communicabit, qui aliis non tradat? ridiculum hoc est, imò impossibile, si consideretur pestis natura, quæ adeo multiplex est, ut nunquam non variare videatur; quæ causa est, quòd certum remedium haberi non posit.

Sennertus probabilius judicat illud, quod aliqui statuunt, in quibusdam scilicet individuis dari peculiares corporis atque cordis dispositiones, occultamque energiam, quibus pestilenti veneno resistere possint. Et ad probandum supponit ut certum, dari particulares naturas, quæ veneno resistendi naturalem vim habeant, sicuti peculiares alii sortiuntur, quarum ratione à fortibus purgantibus non commoventur, nec alvus illis solvitur; quemadmodum Musa *lib. de simpl. examine* vidisse ait quendam, qui scamonii drachm. ij. sine noxa comedit, & Fallopius *lib. de simpl. remed. purgantib. cap.* 48. de Germano quodam scholastico narrat, qui ab uncia j. scamonii non solvebatur. Ita etiam veneno pestilenti resistendi vim in quibusdam esse posse.

14.

Sed solutio hæc mihi non placet, nam inprimis ad omnes spectat, & omnibus communis esse potest, & non vespillonibus tantùm; cùm tamen verius sit omnes illos, quos pestis non attingit, ob dispositionis defectum, non ob peculiarem naturam hoc habere. Deinde credibile non est frequenter accidere debere, ut qui talem obtinent resistendi vim, quasi hoc facilè notum sit, ad illud munus eligantur. Fatemur sanè particulares hominum inveniri naturas, & quæ venenis resistant dari etiam posse; tamen hoc rarissimum est, sicuti de Marsis & Psyllis antiquitas docuit, quod forsan superstitiosum fuit, ut aliqui tenent, cum hodie similes naturæ proprietates nullibi in hominibus inveniantur: quin & illæ, ob quas à fortibus medicamentis nil solvuntur (licèt minus admirandæ) etiam admodum rarò observantur; quod vespillonum respectu in exemplum trahi non debet, quos non rarò inter pestilentem ignem innoxiè versari conspicimus; aliorum verò inter rarissima exempla unum aut aliud auctores proferunt.

Aliæ igitur rationes hujus eventûs quærendæ sunt, quæ magis satisfacere videantur; quare sequentibus potius assentiendum judico, ideò vespillones citrà noxam peste extinctorum cadavera plerumque tractare, quia ab assuetis non fit passio: hac ratione plurimi ad pestis præservationem arsenicum ad cordis regionem tanquam unicum remedium gestari præcipiunt; quod auxilium, quidquid alii cum *Augenio* reprobent *tom. 1. epist. lib. 9. epist. 1.* efficacissimum esse, & maximæ utilitatis tenet Lacuna *in Diosc. in præfat. lib. 6.* & tanquam unicum, & à se experientiâ confirmatum maximè laudat, quod à magistro Ioanne Lusitano insigni medico pro secreto accepisse refert eâdem die, quâ ipse Romæ moriebatur; illo enim in maximis pestilentiis semper tutum evasisse dicebat. *Monardus* quoque *lib. de lapide Bezoar*, alium ait cognovisse, qui in hospitali diu versatus fuerat, in quo plurimi peste affecti curabantur, à qua tamen ipse immunis semper extitit, cum sublimati frustum juxtà cor gestâsset: Adrianum quoque VI. Pontif. Maxim. in ingenti illa peste, quæ Romæ anno 1522. sævit, arsenici sacculum sub axillis gestâsse ferunt, à quo multum beneficii obtinuisse fatebatur, cum à pestilentia optimè servatus & incolumis semper extitisset; quod non aliter præstat nisi quandam assuefactionem ad venena cordi imprimens, ut à similibus non lædatur: nam si venena intus sumpta ob assuetudinem hoc præstare posse multi affirmant, ut *quæst.* 63. antea dicebamus, quare de externis hoc negari debeat non video, cùm sensim & cum minori periculo cor ad consuetudinem illam resistendi, aut potius patiendi citrà noxam assuefacere possint. Quæ si vera sunt, ut certè apparet, & consuetudinis vim admirandam in plurimis magna præstare videamus, quæ illi, qui assueti non sunt, nec facere nec pati sustinent; quid obstat quòd vespillones illius causâ à peste non lædantur? cum perpetuò inter illam degant, vaporesque & miasmata illa pe-

15.

stifera

stifera absorbeant citrà noxam ullam; ex qua quidem consuetudine nil patiuntur, sed illæsi permanent. Accedit huic alia causa, quæ illos multùm adjuvat, animum quippe lætum, præsentem, & imperterritum habent, nullumque periculum extremiscunt: nam sicuti meticulosi, & de contagii morbo assiduò cogitantes, promptiùs in morbum incidunt ob naturalem quandam debilitatem, quam ex continuo metu & frequenti circà contagium imaginatione resolutis spiritibus acquirunt; ita econtrà eos qui fortiter contemnunt, nec facilè quovis metu dejiciuntur, magis resistere ipsa experientia docet. Hoc pacto dicebat Celsus *lib.* 5. *cap.* 27. Psyllos non ob aliquam scientiam, sed ob audaciam ipso usu confirmatam à venenis non lædi. Quapropter, ut optimè *Rondoletius* inquit *cap. de feb. pestil.* chirurgi, & vespillones multò minùs læduntur; nam visis multis ægrotis & mortuis lucri cupiditate alacriter vivunt & lætantur, terroremque omnem à se expellunt: tam enim absque ullo timore degunt, ut omnem audaciam superantia facinora aliquando innocuè perpetrent; quemadmodum de quodam vespillone narrat Jordanus *lib. de pestil. phæn. tract.* 1. *cap.* 18. qui formosæ virginis à pestiferæ luis morbo extinctæ, & à propinquis vixdum egressâ animâ metu perculsis derelictæ, cadaver adhuc nullâ formæ illatâ injuriâ rubens solitudinis occasione captatâ inivit; de quo inquit auctor indemnem evasisse, etsi veneni miasmata & malignæ exhalationes adhuc ex calido corpore exhalarentur. Sed sicuti hunc turpissima & procacissima luxuria compulit, ut cum mortuis non solùm luctari, sed commisceri non exhorruerit; ita duos alios audacissimos vespillones avaritia adegit, ut cujusdam nobilis fœminæ sepulchrum nocte adirent, in quo paulò anteà eamdem locaverant, eo fine ut aureum annulum auferrent, quem ob amorem à digito extrahi maritus minimè permiserat; sed quo eventu audi: aperto namque sepulchro mulier, quæ pro mortua, ut credebatur, humata fuerat, vivere inventa est, & ad illorum ingressum animo & viribus resumptis sese erigere cœpit: tunc ipsi maximè exterriti, facem turbatione relinquentes quà data porta dicto citius quàm velociter effugiunt, illa ardenti funali accepto eosdem secuta domum petiit, foresque pulsat, voces profert, quæ cognitæ tanquam ex altera vita delatæ, primùm cum pavore totam domum exterrent, sed placatis animis, ex tactu, voce, & annulo recognita recipitur, lecto imponitur, & in tanta hac tragœdia, non solùm à peste sed à sepulchro etiam evasit: totam historiam latius exponit Guill. Fabric. Hildanus *cent.* 2. *obs.* 95. *exemplo* 2. & illius enarrationem Coloniæ, ubi accidit, ad ingressum templi Divorum Apostolorum in monumento lapideo & elevato Germanicè inscriptam esse refert, ut aliàs etiam hoc opere meminimus; verissimè namque sic accidit, ut ex Petri Merssæi relatione etiam tradit Henric. Kormanus *part.* 2. *de miraculis mortuorum cap.* 16. qui ait tres posteà liberos peperisse. Memini in quodam poëta Italo similem casum legisse, additis aliis antiqui amasii circumstantiis, qui mulierem à sepulchro venientem ultrò recepit, cùm maritus hoc facere recusâsset, quòd alterius vitæ spectrum esse cogitaret, & ideò illius consortium renuisset; sed hoc videtur à poëta fabulose inventum.

Ex prædicta itaque historia monemur, illos qui peste occubuerunt, non illicò sepulturæ tradendos, sicuti etiam illos, qui ex syncope, apoplexia, uteri strangulatu, & ex aliis repentinis morbis moriuntur, cùm multoties accidat; ut qui nondum extincti sunt, pro mortuis habeantur efferanturque de quibus multa exempla collegit idem *Fabricius* citat. & *Schenckius* in prædictorum morborum observationibus ex *Lycosthene*, & *Alex. Benedicto*, qualiter Anconitano Romæ accidisse, & vidisse narrat Augenius *lib.* 8. *epist.* 1. cujus corpus adaperto post mensem sepulchro sedens inventum est, manum sub capite habens. Plurimis etiam aliis hæc calamitas accidit, quorum historias aliàs adduximus; ut jam appareat non immeritò dixisse *Democritum* apud Celsum *lib.* 2. *cap.* 5. finitæ vitæ nullas satis certas notas esse: multos quippe in ipsis funeribus revixisse idem prodit *Celsus*, quorum exempla Plinius *lib.* 7. *cap.* 52. & Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 8. latius prosequuntur. Sed miseriæ nostræ adhuc certiora magis sunt signa, cùm adeò infelix sit aliquorum sors, ut adhuc viventes cum mortuis non solùm numerentur, sed cogantur adjungi. Sed quemadmodum istorum miserabilis & deploranda, ita aliquorum (nequissimorum licèt) fortunatissima, qui suspensi, & pro mortuis & suffocatis cùm fuissent derelicti, paulò post inventi sunt vivi, & à patibulo ab aliquibus prætereuntibus extracti, ad vitam, & aliquando ad pristinos mores & fraudes redire conspecti sunt: quemadmodum de illo nar-

ratur, qui apud Hispalenses in campo, qui dicitur Tablada, suspensus, paulò post à mercatore prætereunte reste discissâ detractus, ac comes in via factus eundem interfecit, ut crumenâ, quam benè nummatam viderat, potiretur. Similis alterius historia ex *Osualdo Cabelchovero* apud *Schenckium* legitur; quibus alia quoque adjungi debet, quam *Cæsariensis* affert *lib. 6. illust. miracul. cap.* 24. ut inde quanta naturalium propensionum & morum sit vis innotescat; quod adagium circumfert, & istis latronibus optimè quadrat,

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.

Tandem circà hanc vespillonum ἀπάθειαν præter dicta aliam causam ac potissimam non immeritò adjiciendam putaverim, admirabilem scilicèt Dei providentiam, qui ad tale ministerium prædictos vespillones reservare vult, ne ad tam necessarium munus deficiant; cùm alioquin si in mortem promptè incidere conspicerentur, timentes cæteri omnes ab hoc munere & officio abstinerent, deficeretque in tanto cadaverum numero multis sepultura, aut saltem retardaretur cum ingenti viventium damno.

QUÆSTIO SEXAGESIMASEPTIMA.

De Monocerotis cornu, & illius alexiteria vi: fabulosúmne sit animal, an verè extet? item quid sentiendum de celebratissima illius vi adversus venena? Et de Bezoartico lapide idem quæritur.

HAud scio quem horrorem venenorum sola mentio animis incutiat, & stomachi etiam nauseam excitet, ut illorum jam tædio & opis necessitate ad alexipharmaca, & bezoartica recurrere pronum videatur & utile; ac de monocerote primùm, inter cætera antidota famigeratissimo, jam agendum duximus. *Cardanum* meritò miratur *Aldrovandus* & reprehendit *Scaliger*, quòd rhinocerotem animal idem cum monocerote fecerit, in quem errorem præter alios nuperrimè etiam videtur incidisse Sanctor. Sanctorius *lib. 13. vitandor. errorum cap. 4.* quippe si hoc ita esset, de unicornis essentia, & an in rerum natura existeret, nullum inter antiquos & juniores jam extaret dubium, cùm rhinocerotem Europa plusquam semel viderit; nam Romæ aliquoties visum anno urbis 666. & à Magno Pompeio ludis exhibitum tradit Rhodiginus *lib. 16. antiq. lect. cap. 15.* ex Plinio & Solino *Polyhist. cap. 43.* Avorum quoque nostrorum memoriâ rhinocerotem tota Lusitania vidit anno 1515. Emanueli Regi ab Indis dono allatum: quod animal in spectaculis pluries exhibuit, ut in illius anni historia adnotavit *Surius*, & fusiùs Amatus *in Diosc. lib. 2. enarrat.* 52. Prætereà rhinoceros bicorne est & non unicorne animal, specie, formâ, magnitudine à monocerote prorsùs differens; quod adeò certum est, & visu cognitum, ut de hoc dubitare plusquam puerile sit: de illo enim an detur nemo nisi amens dubitare poterit, de monocerote verò tam incerta & inconstans est veritas, ut affirmantibus à multis aliis auctoribus fides denegetur. Illorum rationes ego non adducam, sed auctores citabo, ut in quanto dubio adhuc unicornis notitia versetur, quivis videre possit.

1.

Et inprimis D. Amb. *in exam* (ut à tam gravi auctore incipiamus) negat illum in terris esse. *Apollonius* philosophus vanam & futilem esse historiam, quæ de unicorni narratur, jam dudum protulit; de quo etiam illud fertur, sciscitanti Damidi, num crederet mirandis virtutibus, quæ vasculis & illius cornu adscribuntur? festivè respondisse: *Credam ubi rescivero ditionis illius reges immortales esse.* Eandem opinionem habuit Andr. Marinus *libell. de monocerote italicè scripto*: fabulas enim monocerotem judicavit ab Arabum schola introductas, ex qua auri & gemmarum quoque usus in medicinam dimanavit, aliaque peregrina & exotica, quarum occultis virtutibus omne morborum genus sanari pollicentur; quæ tamen nullius ad hanc rem utilitatis esse ipse existimat, & ab ægritudinum curationibus ad crumenas eliminanda, in quibus tota illorum alexiteria

2.

xiteria vis probatur, meliùs quàm intrà corpus assumpta: itaque plurimis ostendere conatus est totam de monocerote historiam inanem esse & fictitiam. Ex junioribus idem propriis scriptis confirmat Paræus *l. 20. c. 39.* Sanctorius citatus, & nuperrimè Guido Patinus medicus Parisiensis in *annot. ad lib. de peste Nicolai Elloim*, quæ anno 1649. cum Philippi Guiberti *medico officioso*, & aliis tractatibus in lucem prodierunt; ubi etiam in suam sententiam *DD. Capellanum*, *Duretum*, *Petræum*, *Altinum*, *Mercurialem*, *Baccium*, *Sylvaticum* Italos, & Germanum *Thomam Erastum*, compluresque alios citat, quibus etiam *Fontecha* adjungi potest, qui *privilegio 10. fol. mihi* 223. constanter asserit hodie tale animal in mundo non extare, imò nunquam extitisse paulò infrà ait. Quæ opinio tantùm apud aliquos prævaluit, etiam qui de animalibus scripserunt, ut unicornis historiam tanquam fictitiam omiserint, quemadmodum *Guill. vanden Bosch*, & alii fecerunt. Itaque hi omnes, & quicumque alii, qui hanc opinionem sustinent, sententiam suam magis stabiliunt, quòd nec *Hippocrates*, nec *Galenus*, nec veterum scriptorum medicorum auctor aliquis de virtute, quæ de istius animalis cornu tantoperè prædicatur, aliquid scripserit, nec de illo meminerit. Sunt præthereà alii, qui licèt hoc animal à Deo cum cæteris creatum existiment, tamen illius speciem periisse dicant, & à natura defecisse, ossaque aut cornua, quæ ostenduntur si genuina sunt, à terra erui, ubi aquarum diluvio submersa & abscondita fabulantur.

Sed istorum omnium judicio in majori numero tam ex antiquis, quàm junioribus plures alii sese opponunt, qui licèt in monocerote describendo aliquantulùm variare videantur, omnes tamen in hoc conveniunt, ut minimè fabulosum judicent, sed reverà tale animal dari, & in natura extare defendunt; & ex sacris literis inprimis testimonia adducunt, quæ hoc verum esse convincunt, ut *Num. cap.* 23. & 24. *Iob* 39. *Isaiæ* 34. *psal.* 21. 28. & 91. & aliis, in quibus hujus feræ non solùm mentio fit, sed illius fortitudinis maxima vis extollitur. Sed præter S. Scripturæ testimonia, quæ satis esse debebant, in monocerotis essentia conveniunt Philostratus, Ælianus *lib. 4. animal. cap. 52. de asinis Indicis unicornib. & lib. 16. cap. 65.* Isidorus *lib. 12. ethymolog. cap. 2.* inter recentiores M. Paul. Venetus *lib. 3. cap. 15.* qui in regno Lambri inveniri tradit; Aloysius Cadamust, *cap. 50. sua navigat*, quo loco alterius regionis meminit, ubi vivi capiantur; *Ludov. Bartema*, aliter *Romanus* dictus, *lib. 1. navigat. cap. 19.* qui expressè testatur se duos in Arabia vidisse, quos Mechæ Sultano Æthiopum rex, tanquam rem rarissimam & pretiosissimam dono miserat, cujus auctoritati, tanquam famatissimi & verissimi viri, nullus fidem negare ausus est; huic assentiuntur etiam Sebast. Munsterus *Cosmograph. lib. 25. cap. de Mecha felicis Arabiæ urbe*, qui Bartemani verba affert & approbat, sicuti etiam Scaliger *exercit.* 208. Confirmat Andreas Thevetus *tom. 1. cosmog. lib. & cap.* 5. ubi de alio unicorni meminit viso à nobili quodam Turca Sangueaco. Ex medicis eandem opinionem tenent Garcias ab Horto 1. *de aromat. hist. cap. 14.* And. Duthirius *epist. 18. ad Petr. Monavium apud Cratonem lib. 6. epist.* Langius *epist. 29. tom. 1.* & ut multos alios prætercam, And. Baccius, And. Bellunensis, Castrensis Lusitanus *lib. & cap. 4. de meteor. microcos.* Amatus, Lemnius, Gesnerus, & Aldrovandus *in animal. hist.* perscrutatores maximi, & acerrimi naturalium indagatores; ac tandem omnium postremus *Eusebius Nierembergius*, qui *in sua hist. naturali* illum describit, & in India nasci ait. Infinitum esset si omnes compilare vellem, & longum nimis si feræ hujus descriptiones, quas prædicti afferunt, transcriberem; de quibus tantùm illud dicam, tam variè ac differenter istius animalis magnitudinem, formam, similitudines, & totam denique illius structuram ab illis depingi, ut potissima hæc occasio extiterit, quòd adversæ partis auctores fabulosum esse prorsùs crediderint, ac istius animalis essentia apud multos periclitaretur: in multis quippe discrepant, in aliis conveniunt. Siquidem in magnitudine justi equi concordant *Ælianus*, *Bartemanus*, *Munsterus*; in capite cervino *Plinius Solinus*, *Bartemanus*; in juba flavo pilo prædita idem, & *Ælianus*. In pedibus elephantinis *Plinius*, *Solinus*, *Ælianus*; in cruribus gracilibus hinnuli modo *Bartemanus*; cornu mediâ fronte coloris nigri *Ælianus*, *Plinius*; splendore mirifico *Solinus*, in versuris *Ælianus*, longitudine duorum cubitorum *Plinius*, pedum quatuor *Solinus*, cubitorum trium *Bartemanus*. Sic in his, sic in aliis multum discrepare videntur: quæ tamen tanti æstimari non debent, ut propterea imaginarium esse dicamus; nam cùm tam exotica sit hæc bestia, & peregrina, ut vix unus aut alter se ocularem testem exhibeat,

hibeat, mirum non est alios ex antiquis picturis, alios ex traductionibus ad libitum addidisse & mutâsse, ut monstrum potiùs depingere, quàm verum animal describere videantur; præterea ætas, regio, sicuti in plantis, ita in animalibus multùm variat: accedit ad hoc, quòd cùm multa sint animalia uno cornu prædita, quæ in hoc cum monocerote conveniunt, facilè fuit unum cum altero confundere.

6. Mercurialis *tom.* 1. *consult.* 94. quatuor dicit esse, quæ unicum cornu in fronte gerunt, monocerotem, rhinocerotem, asinum Indicum, & orygem; sed præter ista, tria alia addit *Ælianus*, bovem Indicum *cap.* 21. *lib.* 8. cujus etiam *lib.* 6. *de bello Gallico* mentionem fecit *Cæsar*, equum Indicum *cap.* 12. *lib.* 4. bisontem *cap.* 44. *lib.* 4. Præter quæ etiam in insula Zeilan vaccas uno cornu tantùm insignitas narrat Bartemanus *cap.* 2. *lib.* 2. *navigat. suæ.* Præter quæ etiam maritima animalia, quæ unicum cornu gerant, inveniri dicunt, & ex Groenlandia capita duo in litore reperta, singula cum cornu in fronte maximo, allata vidisse refert Primerosius *lib.* 4. *de erroribus vulgi cap.* 38. & ex eisdem animalibus quamplurima cornua esse, quæ in Angliæ ecclesiis ostendebantur, affirmat *Aldrovandus.* Quæ cùm ita sint, mirum non est, quòd

7. auctores rei tam incognitæ descriptionem confundant, & in partium similitudinibus differant, cùm præsertim animal sit monoceros, si non fictitium, nondum satis cognitum, & inter exotica phœnice, basilisco, gryphis, & hujus sortis aliis non minùs peregrinum: temerarium quippe est omne illud, quod ætas nostra non vidit, in rerum natura non esse statim affirmare, cùm aliquando in ipsis rebus naturalibus veritas tam altis sæpenumerò immersa sit tenebris, ut eam humanus intellectus non nisi cum summa difficultate assequi queat, præsertim in illis, quæ natura non in propatulo, & pervia omnibus esse voluit; in quibus investigandis sæpè hæsitamus, ac non raro labimur, & de eorum essentiis & accidentibus judicantes fallimur, incertique & inconstantes judices sumus: unde accidit ut de una eademque re non diversi dumtaxat auctores, sed privati etiam nonnulli diversas, quin & contrarias sibi opiniones imbibant; quo fit, ut nihil hucusque vel dictum, vel scriptum sit, de quo dubitari jure nequeat: quòd si hoc in illis, quæ oculis assiduè subjacent, contingere cernimus, quid mirum circà rem adeò ignotam, & ab hominum conspectu deviam, plures dubitâsse? Quæ certè sufficere videbantur, ut monocerotem imaginarium fuisse, aut nunquam extitisse, dici crediqùe posset, aut deberet: *Quàm enim multa* (inquit Plinius *lib.* 7. *cap.* 1.) *fieri non posse, priusquam sint facta, judicantur?* Sic alia non pauca, quòd non videantur, impossibilia esse non statim credendum; naturæ enim vis & majestas in omnibus momentis fide caret, dicebat idem. Nam præter phœnicem, basiliscum, sphingem, gryphosque jam dictos, satyros diu etiam fabulosos habitos fuisse legimus; quos tamen ætas nostra vidit, & minimè fictitios esse cognovit Aldrovand. in *bisulcis*, de integra illorum insula mentionem facit, & in subsolanis

8. Indiæ montibus reperiri jam notum est, quemadmodum in aliarum etiam regionum fragosis recessibus. Unum ex Angola Frederico Henrico Arausionensium Principi allatum depinxit Tulpius *obs.* 56. *lib.* 3. ut jam de hoc lascivissimo animali nemo dubitet.

Nec solum in terrestribus, sed in volatilibus similia naturæ prodigia, quæ ob raritatem fabulosa credebantur, jam fidem obtinuerunt; nam ut interim omittamus sphingem, chimæram, & harpyas, quæ aut poëtarum fictiones, aut gentilium & dæmonum commenta fuerunt: de Ruc ave incredibilia sunt, & pænè omnem fidem superantia, quæ à plurimis narrantur, de qua Majolus *colloq.* 6. *propè finem*, Aldrovandus *lib.* 10. *ornitholog. cap.* 1. Eusebius Nierembergius *lib.* 10. *hist. nat. cap.* 87. M. Paul. Venetus *lib.* 3. *cap.* 40. qui de hac ave multa refert, suprà omnem admirationem magna: nam sola sine aliquo adminiculo elephantem rapit, & in sublime raptum labi sinit, ut illius carnibus saturari possit: roboris inquit, & magnitudinis esse immensæ, ita ut alarum pennæ passuum duodecim longitudinem habeant, crassitudine eadem mensuræ convenienti. Et magno Cham exploratores in insulam Madaisgascar missi (quæ hodiè S. Laurentii appellatur, ubi prædictum avium monstrum plerumque habitare creditur) pennam attulisse ferunt, palmos 40. longam, & ad ulnas duas crassam. Quis huic rei fidem adhibeat? meritò addit *Majolus*, potiori multò ratione hoc dicturus, si ea legisset quæ *Petrarcha* de eadem ave scripsit *in præfat. ad lib.* 2. *de remed. utriusq. fort.* ubi non ruc, sed rochum appellari ait, atque in mari Indico inveniri immensæ adeò vastitatis & virium, ut non bruta ingentia, non

Ruc avium maxima, & roboris inauditi.

9.

non homines ſolum, ſed tota inſuper prehenſa navigia ſecum tollat in nubila, & pendentes in aëre miſeros navigantes advolatu ipſo horribiliter interficiat: apage tam dirum mendacium, quod omnem fidem ita tranſcendere videtur, ut etiam cætera, quæ de Ruc ave narrantur, licèt multò minora, ſuſpecta faciat. Sed ea eſt humanę ambitionis miſera conditio, ut illa quæ deprimi conſpiciuntur, ad inferos uſque detrudantur; ea verò, quæ exaggerari cernuntur, alius ſuprà alium addendo ad impoſſibilitatem uſque extollere non vereatur. Cæterum nugis derelictis illud certum eſt, vitulum, bovem, & grandiora inſuper animalia invadere, occidere, rapere, ut Drexelius *in Noë* etiam narravit *cap.* 16. quo loco Luſitanos eas habere tradit, quas avium maximas *Condores* vocant, multaque alia affert ibi legenda. Quæ ne quis fabulas putet, Æthiopum Regem per literas ad ſumm. Pontif. hebraicè ſcriptas hoc retuliſſe tradit *Aldrov.* aves in ſua Æthiopia tantæ magnitudinis reperiri, ut pedibus bovem, vel equum integrum abreptum cibandis pullis deferant: circà quas etiam rem admiratione dignam, & hominum ſtupendam induſtriam narrat idem Aldrovandus *in biſulcis lib.* 1. *cap.* 1. *propè finem* ex Benjamino Trudelenſi *in ſuo itinerario*, quod ex Hebręo latinum reddidit *Benedictus Arias Montanus*; quam per otium legere ne pigeat. An verò prædictæ aves magnis aquilis, an gryphis annumerandæ ſint, ornithologis relinquimus.

Igitur ſi hæc in naturæ majeſtate recondita inveniuntur, quorum nec majorem notitiam habemus, nec impoſſibilitas minor videtur, quare ab illius gazophylaciis unicornis tanquam ſuppoſititius excludi debeat, non video, præſertim cum in hominum conſpectum jam veniſſe teſtes habeamus non utique aſpernendos. Unum ſcribit *Paul. Venetus* à ſe viſum in Tartaria: alterum in ea novi orbis parte, quæ Indiæ contigua eſt, obſervatum tradit *Cadamuſtus*: duos à ſemetipſo viſos in Mecha reſtatur *Barthema* Hiſpanus. Quid plura? an illa, quæ ſummâ raritate commendari voluit natura, quia omnibus non oſtendit, in illius gremio ſervari negabimus ſtatim? multa tegit illa ſacro involucro, quæ paucisſimis communia eſſe voluit, multa reſervavit, quæ rarisſimis obtulit, & multa adhuc in illius ſinu continentur, quæ nullus unquam aut videbit, aut adipiſcetur: grandia enim, & quæ magnitudinis ſtupendum aliquid gerebant, intimis ſacrariis, & in ſuis adytis ſcientisſimè recondidit, tam ut aliquorum perniciosisſimam noxam vitaremus, quàm ut ea quæ inſignibus & inæſtimabilibus virtutibus donavit, à paucisſimis haberentur: quemadmodum enim Principes theſauros ſuos occultare, pretioſamque gazam ſeptis clauſtriſque abdere videmus, aliiſque locis ſecretioribus; ita & ipſa natura argentum, aurum, pretioſoſq; lapides terræ altisſimis viſceribus, margaritas in imo mari abſcondidit; ita & monocerotem in locis dedit deſertis, adituq; aſperrimis: ſi enim fabuloſum fuiſſet animal, non toties divinus Pſaltes illud nominâſſet, nec ſacræ Literæ tot in locis illius & ferociæ ejuſdem meminiſſent. Nec ſufficit quòd multi reſpondent *Sacram Pagin.* hominum opinionibus aut judiciis ſe aliquando accommodare, ut illa quæ nos docere intendit, faciliùs aſſequamur; ac proindè monocerotem, phœnicem, & hujuſmodi alia animalia ſymbolica eſſe ajunt, ad figuras, proprietatum ſimilitudines, & ad comparationes tantùm adducta & nominata, non quòd in rerum natura verè exiſtant, nec hoc ad illud, quod Sacræ Literæ, & alii auctores docent, neceſſarium eſſe; ſufficere enim volunt communem opinionem, quæ inter homines vulgò de illis habetur: quod tamen non ita concedendum, ut proptereà fabuloſa eſſe credamus, cùm ea quibus aſsimilantur, in notisſimorum aliorum animalium proprietatibus invenire difficile non videretur, ut neceſſarium non foret fictitia quærere. Vbi enim de veritate tam ſolidisſimè agebatur, nil nec nomine tenus fabuloſum admittere oportuit. Nec etiam ſatisfacere arbitror illud quod Iacob. Primeroſius *lib* 4. *cap.* 38. *de error. vulgi* ex *Morino Blæſenſi* Oratorii præſbytero, ac doctisſimo viro affert: Judæos ſcilicet fateri ſe ignorare nomina plurimarum avium quarum meminit *Moyſes* in *Levitico*; ac pariter fieri potuiſſe, ut nomen iſtud *Remena*, ut eſt in Chaldæo, *Recen* in Hebraico, & apud Pſalmiſtam *Remim*, quod monocerotem vertunt, ipſis ignotum fuerit; & forſan aut aſinum Indum, aut rhinocerotem, aut in genere quamlibet unicornem beſtiam ſignificarent: hæc, inquam, mihi non probantur, quia inprimis de rhinocerote dici non poſſunt, cum animal ſit bicorne, non unicorne; de aliis idem dicendum puto, nam cum ſint animalia ſuis nominibus nota, non oportebat illa tam æquivocè nominare, ut inde de quo loqueretur difficile foret intelligere. Sed hæc Theologis relinquimus, quorum rectis judiciis ſtare profitemur.

Tandem multò abſurdior ſemper mihi viſa eſt illorum opinio, qui monocerotem extitiſ-

titisse, & à Deo cum cæteris animalibus creatum fuisse fatentur, sed hujus animalis speciem periisse jam, & à mundo recessisse ajunt; minimè advertentes, quàm à ratione hoc dicere alienum sit, tanquam si à priscis temporibus hæc bestia non sicuti nostro ævo æquè rara & peregrina semper extitisset: nulla quippe species animalium, plantarum, & aliarum rerum, quas summus Artifex ab initio condidit, aut periit, aut perire potuit, cùm omnibus angelos suos custodes ipsa Dei benignitas præposuerit, qui omnia sibi commendata tueantur, atque in finem duratura conservent & custodiant.

12. Præterea cùm mundus à divino suo opifice perfectus, & in quo nil desiderari poterat creatus esset, omniaque ad illius perfectionem tanquam necessaria condidisset, nefas profectò erit dicere, aliquid ab ipso mundo sublatum, cujus defectu à prima perfectione defecerit; nulla enim est causa, cur si universus perfectus ullo in tempore fuit, nunc imperfectus dici debeat, nisi impiè quis optimum & præpotentem rectorem moderatoremque Deum ab illius procuratione removeat. Itaque rectè ingeniorum & philosophorum princeps, qui naturali philosophiæ lumine multa pervidit, naturam asseruit in speciebus non deficere: quotquot olim creatæ sunt à protoplaste, totidem ad finem sæculi duraturas persuasissimum esse debet, licèt individua numero majora aut pauciora comperiantur; quæ tamen minimè funditùs intereant. Hæc pro monocerotis defensione nunc sufficiant, cujus animalis speciem ab aliis quæ uno cornu insigniuntur distinctam dari cum infinitis fatemur; cujus veritatis communis vulgi & totius orbis vox magnum argumentum existit, ut vigilantissimi propterea naturalium perscrutatores illud negare ausi non fuerint.

13. Dato igitur quòd minimè commentitium sit hoc animal, sed, rarissimum licèt & à paucissimis visum, tamen reverà in rerum natura extet; alia statim non minùs contentiosa difficultas inter medicinæ peritos insurgit, in qua componenda multùm inter se digladiantes necdum convenire videntur: An scilicèt admiranda vis illa alexiteria, quæ venena omnia irrita facit, quam in illius cornu contineri ajunt, in ipso inveniatur? quippe qui hanc bestiam fictitiam dicunt, & in nulla orbis plaga inveniri tradunt, cornu etiam & virtutem, quam de illo extollunt, pro fabulis jactant: illa verò cornua, quæ communiter monocerotis esse circumferunt, non genuina, aut prædicti animalis esse contendunt, sed balænarum ossa pro illis plerumque supponi, ajuntque ipsas balænas, aut cetaceos alios magnos pisces salo arenas propellente sæpiùs obrui, ac post multa demùm sæcula teredine exosa rursus ex imis terræ visceribus ossa cornu falsa simulachra referentia erui, quibus spectatoribus facilè credulis monocerotis cornua esse non difficilè persuadeant, ac nulla viribus derogata facultate in medicum usum tanquam efficacissima trahi debere.

14. Alii etiam sunt, qui prædictum animal, quamvis modò nullibi sit, tamen ante diluvium extitisse fabulantur, ibique cum cæteris animantibus periisse, nunc ejusdem ossa exhumari dicunt: sed quàm stultè loquantur haud vident; oportebat enim causam assignare, cur cùm cætera animantia Deus arcæ incluserit & servaverit, monocerotem perire & deficere voluerit? Scio hîc aliquid responderi posse, quòd forsan ob hominum peccata, ut tam benefici auxilii usu carerent, sicuti ob lapsum primi parentis plurimorum aliorum noxas, à quibus securi degebamus, permisit: tamen hæc nugæ videntur, jam enim suprà probavimus nullam speciem periisse. Nec ex eo quòd à profundis terræ cavernis ossa eruerentur, monocerotis existentia tollitur; illud tantùm impostorum invenit avaritia, qui ut peregrinam & inæstimabilis pretii supellectilem habere fingant, quò carius vendant, & ignaros circumveniant, prædicto modo obtinuisse magno commento inculcant; cùm præsertim non desint historiæ prodigiosarum aliarum rerum, quæ ab intimis terræ visceribus magnâ admiratione erutæ

15. illorum vafriciem adjuvare, & fucum addere possint: ut de elephantis ingentissimo dente narratur, qui juxtà Mexicum sub editissimi collis meditullitio extractus est, cùm tamen Occidentales Indiæ illam bestiam modò non ferant. Juxta Callaum portum Limæ in Peru, cùm evisceraret avaritia terram, navigium inventum est sub ipso monte, creditumque ab Universi diluvio ibi humatum fuisse, ut *lib.* 5. *hist. nat. cap.* 2. refert Nierembergius ex *Petro Sim. notitia* 1. *cap.* 10. cui inusitatæ raritati similis illa fuit, quam ex *Fulgosio* tradit P. Mexia *lib.* 2. *sylva variæ lect. cap.* 12. in quibusdam mineralibus montibus Suicæ longè à mari in quodam minerali centum stadiis profundo anno 1460. inventam navim terræ visceribus inclusam, consumptam jam, sed adhuc ferreas in ipsa anchoras, capitaque

taque

taque & ossa 40. hominum inventa; quod non nisi ex diluvio universali accidere potuisse credit, terrâ navem tunc coöperiente: sin minus, à mari absorptam, & per terræ vastos hiatus illuc detrusam. Itaque ossa ab impostoribus fortè reperta aut eruta, polita & adaptata pro vero monocerotis cornu supponuntur, ac incautis venduntur: prægrandem feræ cujusdam maxillam ad viginti circiter ulnas longam è terra erutam, ubi fortè per centenos aliquot annos sepulta jacuerat, vidisse testatur *Aldrovandus*, quam postmodum pro unicornu usurpatam fuisse ait. Quæ licèt credamus, tamen de monocerote sic diluvio sublato, & de illorum cornibus dicto modo erutis & extractis quæ dicuntur, mera esse commenta certo certius affirmamus.

Nec prædicto modo tantum monocerotis cornua mentiuntur, sed (quod frequentius est) eboris fragmenta & aliorum etiam ustorum ossium, pro vero ac legitimo cornu magnâ sagacitate adulterata vendunt impostores; imò ingentis lucri spe audaces facti, non solum frusta & aliorum animantium cornua & ossa perpolitè adaptata afferunt vendenda, sed lapidem quendam ab hujusmodi agyrtis & circumforaneis pro unicornu venumdari advertit Brassavolus *in simpl. examine*, & tales lapides variis in locis erui scribit *Aldrovandus*, præsertim verò in Calabria, indeque à circumforaneis deportari, & pro unicornu obtrudi, emptoresque facilè decipi, quoniam lapis ipse ossibus ustis est undequaque simillimus, squammatim compactus, siccus, ac qui in aquam immissus bullas excitet; quod signum unicornu esse vulgus imprudenter existimat. Itaque præter ista alii ex calce alii rebus admixtis in formam cornu reducunt, & mille aliis deceptionibus utuntur; quod in electione probè *Amatus* cavere præcipit. Hinc factum est, ut ob summam raritatem animalis & cornu illius, celeberrimi auctores, & in arte medica judicii non contemnendi hoc de monocerote alexiterium parvi pendant, in tanta potissimum impostorum fertilitate; quemadmodum tenent *Iordanus* cum præceptore Rondoletio, Fallopius *cap. 51. de comp. med.* qui nulla cornua credit monocerotis inveniri, Joubertus *cap. 18. de peste*, qui cervinum viribus æquale existimat, Ant. Lud. Ulyssip. *lib. de empiricis, & miscell.* qui quòd ab antiquis illius cornu virtutis adversus venena nulla mentio facta sit, sub dubio relinquit. Idem sentit *Ioan. Goropius* Reginæ Hungariæ Archiater, & cornu quod suo tempore venale Antverpiæ magno pretio habebatur, piscis alicujus esse credidit, neutiquam verum & monocerotis genuinum. Eodem modo Joannes Æmilianus Ferrar. *in naturali de ruminantib. hist.* qui quòd cornua magnitudine, colore, figurâ, & in multis aliis differant, ideò omnia, quæ tanquam legitima in Principum scriniis servantur & magni fiunt, vera minimè esse scribit, sed multorum aliorum animalium, ac proinde de illorum alexiteria vi parùm aut nil sperandum censet. Sic existimârunt alii quæstionis initio adducti, inter quos *Mercurialis* venit etiam numerandus *tom. 1. cons. 94.* qui cornu asini Indici, & non monocerotis, venenis adversari nescio unde collegit, quod falsum esse probat *Aldrovandus*: sic *Sanctorius* ab initio citatus levi quâdam ratione suffultus, credidit non esse in mundo tale animal, quia, inquit, si inveniretur, integrum apud Regem Hispaniarum vel Turcarum fuisset visum; ergò, ait, non est credendum quòd alibi inveniatur. Sed iste auctor in multis cæcutivit, & non parum in hoc negotio; nam in primis monocerotem cum rhinocerote malè confundit, ut suprà jam diximus. Secundò videtur auctores non attentè legisse, nec in horum animalium historia satis versatus fuisse: nam si de rhinocerote loquitur, multoties Romam allatus in spectaculis publicis quondam visus est; & Ulyssippone etiam temporibus Emanuelis regis, qui hanc eandem exoticam feram ab India allatam Romam misit, sed naufragio propè Massiliam amissâ navi in mari fera periit, ut tradit Amatus *in Diosc. lib. 2. enarrat. 52.* cujus corium ad Franciscum Galliarum regem incolas attulisse refert, & depictam vidisse scribit Scaliger *exercit. 205.* cujus cadaver in Tyrrhenum littus à mari ejectum fuerat: si de vero unicorni, *Barema* & *Cadamustus* illud vidisse testantur, quorum testimonia ipse nunquam audivisse videtur: quòd si fidem iis negat, certè de rhinocerote in Europa viso negare non poterit; de aliis auctoribus si ea, quæ referunt non credit, ego *Aldrovando* & *Gesnero* potius adhærere volo, qui prædictis *Bart.* & *Cadamusto* assentiuntur. Itaque in tanta opinionum confusione cùm nil certi persuasum habeant, usum unicornu abusum esse, manifestumque dolum inferunt.

Cæterùm hac sententiarum varietate non obstante fatemur primò in hac re

20\. sicuti in aliis, quæ exotica & peregrina sunt, commentitia multa & fictitia circumferri, quæ tamen veritati nil detrahunt. Secundo fatemur rarissimum esse tale cornu genuinum inveniri, & apud paucissimos asservari: quæ causa fuit, ut cum tot cornua arte & vafricie confecta, aut aliorum animalium, vel ossa pro vero monocerotis vendantur, supponanturque; hinc tot ac tanti auctores monocerotem fabulosum crediderint, alii illius occultam adversus venena potentiam negârint, ac tandem fictitia & nugacitatis plena omnia, quæ circà illius facultatem & vires traduntur, scribere ausi sint; qui propterea aliquo modo excusari debent, cùm illud quod à rarissimis visum & expertum est, difficillimè quandoque credatur; præsertim cum pro animi voto nullam utilitatem hujusmodi remedia adduxisse sæpius observaverint.

Quibus tamen non obstantibus unicornem inveniri dicimus, & ingentem vim adversus venena in ipsius cornu inesse cum multis aliis affirmamus. Fatemur rarissimum esse, verum & legitimum reperiri, quòd in thesauris & pretiosis Principum gazis inter rara & exquisitissima alia solum plerumque inveniatur & asservetur. Tale esse produnt, quod ad D. Dionysii fanum propè Lutetiam eximię proceritatis existit; cujusmodi duo alia solemnibus Venetorum feriis in S. Martiani delubro publicè spectanda proponuntur. Romę in Pontificum gazis aliud ostendi ajunt purpureâ crumenâ obductum: aliud in Regis Matthiæ thesauris asservari tradunt; cui simile aliud Mesis, & Argentinæ, & apud Polonorum Regem insignis crassitudinis. Emman. Meteranus *in hist. Belgica lib.* 3. *pag.* 238. scribit anno 586. duodecim cornua monocerotis Philippo II. Hispaniarum Regi à Turcarum Imperatore inter alia honoraria dono missa, quorum singula septendecim palmorum longitudinem superabant. Non minoris æstimationis alterum narrat Henricus Smetius *lib.* 8. *Miscel.* Electoris Palatini ad Rhenum, quod inter Principis exotica & pretiosa reservatur; quod tanquam genuinum multi medici, quorum nomina adducit, facto examine approbârunt. Sunt & apud alios frusta magni pretii, & potentissimè adversus venena valere cognita & probata; quorum multa Lusitani, qui Indię intima penetrârunt, inde afferentes heroibus & magnatibus pro ingenti munere obtulerunt; quale ajunt fuisse poculum illud Reverendiss. Cardinali Alexand. à Lusitanorum Rege donatum, sicuti aliud quod magno Etruriæ Duci Cosmus Alvarus Mendoça Lusitanus obtulit; aliud etiam frustum in Vaticano asservari tradunt, & aliud apud Illustriss. Cardinalem Triderinum; aliud in ditissimo Serenissimi Mantuæ Ducis scrinio.

21\.

Quæ cùm ita sint, & à potentissimis Regibus & heroibus tanquam pretiosissima & rarissima hæc solùm habeantur & custodiantur, non est cur omnia fictitia & nullius virtutis esse dicamus, maximè cùm experimento alexiteria multorum vis innotuerit, ut in illo, quod venale quidam Judæus Venetiis portabat, ut narrat *Aldrovandus*, cujus experimentum præbebat; nam in mensa circulum cornu delineavit, & scorpium prius, deinde araneum injecit, qui nunquam transire potuerunt ambitum cornu circumscriptum; deinde hinc inde reptantes vi emanante intrà quadrantis horæ spatium bestiæ illæ enecatæ sunt. Similem historiam & probationem à se in alio cornu visam refert Steph. Rod. Castrensis *lib.* 4. *de meteoris Microcos. cap.* 4. hoc secum portabat nobilis Lusitanus, qui Româ in Lusitaniam revertebatur; cum quo Florentiæ conveniens, ingentis magnitudinis cornu sibi ait ostendisse, quod ajebat fuisse Proregis cognati sui; & ut verum ac legitimum esse ostenderet, araneam cornu applicabat, à quo se subitò auferre nitebatur, sed per vim detenta ex sola antidoti propinquitate moriebatur: tandem ait illud immersisse in scutellam, in qua sublimatum infusum erat, ex cujus immersione aqua in magnas bullas extollebatur velut igne supposito, quod in alia aqua simplici non faciebat. Quare concludit idem auctor adversus *Sylvaticum*, qui proprio tractatu fabulosa multa congessit, quæ de hoc cornu à variis auctoribus traduntur, inter tot fabulas aliqua vera esse, quæ negari non debent ab his, qui illa nondum experientiâ cognoverunt, aliisque, qui eandem probârunt, suam sortem non auferendam: proindè in Lusitania multa venena unicornis osse superata vidisse contestatur, ad quam paucos proceres sine hoc pretioso dono ex India redire asserit. Aliam experientiam Hispali à se visam testatur Monardus *tract. de lapide Bezoar*, in frusto magno, quod quidam Venetus non minoris quàm 500. scutis æstimans secum portabat: hic filo napelli seu aconiti succo intincto pullorum duorum cristas trajecit, interim illorum uni cornu rimamentum aquâ di-

22\.

dilutum dedit, alteri nihil; iste intrà horæ quadrantem expiravit, qui unicornu sumpsit, ad duos dies duravit victu nullo uti volens, in quorum fine mortuus est, corpore tanquam ligno quodam siccissimo manente: quare scribit idem auctor nil tam efficax adversùs venena reperiri, dummodò legitimum & verum cornu sit; plerumque tamen falsum fictitiumque esse confirmat *Amatus*, qui Venetiis in duobus pullis columbinis expertus est cornu, quod apud mercatorem non minùs quàm 20. ducatis venale prostabat, quorum unus intrà horam ab arsenico sumpto mortuus est, cùm alexipharmacum non sumpsisset; alius verò qui ebiberat, quinque supervixit horas. Quare cum doctissimo Ficino *lib. de vita cœlitùs comparanda*, vires huic cornu abditas & cælestes (dummodò verum & legitimum sit) adscribimus, ut quoque firmant *Brassavolus, Mundela, Mathiolus, Baccius* cum Saxonia *lib.* 10. *de plica cap.* 59. & ferè omnes, qui de febribus pestilentibus & malignis scripserunt; qui omnes tandem fatentur rem inventu esse rarissimam, inter Principum pretiosissima supellectilia asservatam.

De lapide Bezoar.

A Monocerotis cornu ad non minoris famæ antidotum aliud veniamus, lapidem scilicèt bezoarticum; de cujus efficacissima vi adversùs venena Arabes præsertim, 13. veteres etiam & juniores medici tam multa retulerunt admiranda. Et ne quis, quòd veteres hujus medicamenti meminisse dixerimus, supercilium extollat, infrà *Scribonii Largi* locum monstrabo, ex quo expressè constabit, si non lapides, quibus hodie utimur, cervorum saltem lachrymam agnovisse, quod præcipuum & legitimum bezoar à multis censetur: Græcos verò de lapide bezoar aliquid locutos fuisse nondum legi. Sed quemadmodum quæ magna & probatissima sunt, calumniam haud facilè effugiunt, ita bezoartico lapidi inter ingentes acclamationes infamiæ nævus à plurimis illatus est: non enim pauci sunt, qui illum à suo alexiteriorum angulo, in quo firmiter hærere videbatur, dejicere tentârint, & quasi in lapidem offensionis impingerent, hunc fabulosum, chimæricum, infandum dixerint, & illorum technis inventum, qui præstigiis continuò scatent, agyrtarum vafriciem, commentum mulierum fabulis suffultum & innixum; his & aliis insectando, pretiosum hoc alexiterium, & venenorum dominum nil officii ad medicos usus præstare posse, & à medicinæ ædi- 24. ficiis meritò extrudi debere contendunt, quòd lucrionum dolis illius abusus tantùm introductus sit, à quo nullum experimentum utile sit observatum. Itaque nullam cardiacam vim in illo agnoscunt, sive adulteratus, sive nativus sit; proinde non aliter quàm communis quivis alius lapis, aut gypsum, aut si quid vilius sit, æstimandum: & ne gratis hæc dici videantur, optimos in remedia judices in medium afferunt, qui hunc lapidem & illius usum reprobant, respuunt, contemnunt, & à medicinæ finibus longè ablegari cupiunt. Ita tenent *Nicolus Bocangelinus* Imp. Carol. V. medicus eruditus *tract. de feb. malig. cap.* 17. qui illos turpiter errare ait, qui lapidibus bezoarticis, unionibus, corallis, terrâ sigillatâ, & similibus utuntur, cùm nil aliud faciant, quàm obstructiones adaugere, mesaraicas venas obstruere, prohibere ne tetri vapores ab his partibus exhalentur; *Hieron. Rubeus* Clementis VIII. medicus nominatissimus *comment. in cap.* 7. *lib.* 3. *Cornel. Celsi*, qui fatetur se multoties in maligna febre magnatibus multis virisque illustribus ad 8. 10. 16. grana præbuisse, sed laudabile invenisse nihil, nec sudorem, nec vomitum, aut alvi fluorem, ullúmve subsidium aut emolumentum vidisse ait, etsi splendidissimis lapidibus uteretur, ab opulentis & eminentibus comparatis, & pro nativis habitis: quarè concludit omnes esse factitios, fictitios, adulterinos; quod in Clementis Pontificis morbo expertum fuisse testatur, in quo inter plurimos, qui allati fuerunt, ne granum quidem legitimum deprehensum fuisse scribit. Idem tenet Martianus *comment. in Hippocratem* qui nil præter nomen & opinionem ex lapide bezoar nobis extare ait. Ita *Fonseca* professor Patavinus celeberrimus, qui nullos hodie genuinos reperiri tradit. Eodem modo Joan. Coll. *in lib. cosmitor Medicæus* illos sugillat, qui citrà rationem illius usum prædicant, & lucri causâ in omnibus morbis illo utuntur. Acriùs multò Theodorus Angelutius *lib.* 3. *de curat. feb. malignarum*, promiscuè enim omnibus medicis consulit ne hujusmodi lapidibus credant, nec in usum illos advocent, cùm nullus nisi adulteratum extet, à quibus nullum fructum subsecutum unquam viderit. Eisdem adstipulatur *Thomas Minadous* medicus etiam Italus clarissimus *lib. de feb. malig. cap.*

cap. 15. ubi ait in bezoar lapide nullam vim occultam deprehendisse, quâ febri malignæ opitulari possit; quare concludit commentum esse & fabulam quidquid ab Arabibus de hoc lapide scriptum est, & à recentioribus adductum, cùm semper frustraneo eventu illum præscripserit. Cum quibus omnibus, quos citat & affert, convenit *Nicolaus Elloim* medicus Parisiensis *tract. de peste*, qui anno præterito 1649. cum *medico officioso Philippi Guiberti* in lucem prodiit; aitque medicos non solùm exoticos, Italos, Hispanos, verùm & Gallos huic veritati suffragari, lapidemque bezoarticum, qualiscumque sit, puram putamque esse fabulam, sive ex Occidente sive ab Oriente allatus sit, optimumque nullius esse momenti: *Paræum* testem advocat & assertorem, qui *lib.* 20. *cap.* 36. historiam refert de latrone, cui lapis ab Hispania adductus, & in magno pretio à quodam nobili habitus, experiundi gratiâ post arsenicum sumptum ex Regis arbitrio exhibitus est, qui tamen remedio nil proficiente intrà 7 horas expiravit: quarè concludit idem *Nicolaus*, quòd nisi meliora quàm abhinc 30. anteactis annis comperiantur, aut mercatores qui in India negotiantur, vivum spiransque animal, ex quo lapides extrahi dicunt, nobis obtrudant, his nebulonum figmentis & fallaciis fidem nullam adhibiturum; cùm certum sit hujus lapidis propolas planos esse ac vafros impostores, speciosaque illa acroamata, quæ de illius virtutibus palàm jactantur, meras esse nugas, ad sordes & quæstum, vulgique nimis utique creduli dispendium concinnatas.

Præter adductos eandem opinionem sequitur Sanctorius *in meth. vitand. errorum lib.* 13. *cap.* 4. quo loco ait manifestissimam esse pharmacopolarum imposturam, quia iis citius quàm aliis ditescunt; probumque medicum sæpiùs cogi hunc lapidem exhibere, quoniam dum æger in deterius labitur, si bezoartica non antea adhibuerit, putant illi malorum omnium causam imputandam: quarè fabulosum esse arbitratur totum illud, quod tradit *Serapio* de lachryma cervi; & bezoar quod ad nos affertur falsum judicat, quia nullum sudorem excitet, ut de illo promittunt; nec quod de animalibus prædictos lapides generantibus tam multi scribunt, ullatenùs credit, cùm si ita esset, deberent mercatores, qui Venetias tot pretiosos lapillos afferunt, semel cervum afferre. Similiter etiam existimat Saxonia *lib.* 10. *de plica cap.* 59. qui totum bezoar parvi pendit, cùm multis lapillis ab India Orientali allatis, ac maximo Principi senatus Veneti dono datis multoties usus fuerit, nec ullum fructum aut sudorem viderit, cùm tamen qui lapides offerebant, se propriis manibus ab animalis ventre illos extraxisse affirmaverint: quare impostorum versutiam esse inquit, & arte fabrefactos lapides, nullius fructûs; & quod magis est de Malacensi ex porco *spino* dicto idem sentit; quemadmodum Horat. Augenius *lib.* 9. *epist.* 1. *tom.* 1. Lupeus *lib. de morbo pustulato fol. mihi* 17. ubi non solum tædiosam hanc istius lapidis imposturam esse profert, sed multa alia, quæ cordialia esse à medicis judicantur, tanquam meras nugas contemnit, & damnat; quod multis aliis junioribus adeo certum visum est, ut lapidem bezoar artis & artificis scandalum appellare non dubitaverit Joan. Beverovicius *in epist. quæst. ultima.* Placuit tot auctores adducere, ut hinc mirentur omnes quanto in dubio medici, quamque in arte abditissima difficillimaque versentur, mille hallucinationibus, dubiisque perplexitatibus obnoxia; quandoquidem in re tam communiter usitata, tamque ab omnibus expetita nil certi adhuc & veri determinatum ac fixum sit: quod non solùm in hoc, sed in infinitis aliis evenit, ut nil frequentius sit magis, quàm quòd eandem rem hic approbet, ille neget, & unusquisque pro sorte & fortuna jam hoc remedium extollat, jam omninò abjiciat; ut non immeritò in medicina stabile nil ac firmum inveniri posse *Celsus* dixisse videatur, *Nil enim in ea adeò certum est, quàm nil certum*; ut modò in lapide isto bezoartico experimur, quem 25. tot juniores ac periti medici non solùm nullam efficaciam adversus venena habere contendunt, sed merum esse figmentum & agyrtarum commentum planè proferre non verentur, à sincera medicorum fide penitus eliminandum; cùm tamen cæterorum omnium medicorum constans sit opinio, primum & præcipuum esse adversus omnia venena alexiterium, nulli postponendum, quod Arabum præcipuè auctores tanquam primi firmiter asserunt; quorum si libros consulamus, inveniemus profectò omnium ferè antidotorum esse maximum, ac nulli secundum.

Apud Græcos insignis hujus lapidis notitiam aliquam extitisse licèt incertum sit, cùm ex illorum scriptis, quibus hodiè fruimur, nil appareat, ex quo illud deducere possimus; tamen illum agnovisse, & pro venenis profligandis inter præcipua ha-

habuisse, evidenter ex *Rabbi Moyse* infertur *tract.* 1. *de venenis cap.* 3. ubi tradit *Galenum* de illo mentionem fecisse; quod facere potuit in aliquo ex plurimis libris, qui temporum edacitate & hominum incuriâ deperditi ad manus nostras non pervenerunt, & forsan de illo locutus est *libro de proprietatibus occultis*, quem 6. *epid. comment.* 6. *textu* 5. 6. *simpl.* & 11. *simpl. titul. de flavia* scribere pollicetur, de quo queritur Sennertus *Hypon.* 2. *cap.* 3. & *in instit. lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 2. & Trallianum hunc librum vidisse notat Riolanus pater *in com. de abditis*, Fernelius *lib.* 2. *cap.* 16. & certè ex *Scribonio Largo* aliquid hujuscemodi colligitur, cùm *cap.* 163. *de compos. medicamentorum* adversus serpentum morsus & ictus multùm laudet sordes, quæ in angulis oculorum cervi inveniuntur; vocat verò sordes, quia oculorum excrementa esse putavit, quæ in lapideam duritiem evaderent & concrescerent. Has igitur lachrymas Siciliæ venatores diligenter colligere, & in cinctu habere scribit, ut citissimè venenis succurrerent; unde patet insignis bezoartici (quod lachryma cervi putatur, & multò valentius, quàm lapis qui ex cervis aut capris Indicis extrahitur) Græcos notitiam habuisse: fuit certè *Largus* Galeno annis ferè 200. antiquior, siquidem scribit à Tiberii Cæsaris legato medicamentum accepisse; & illius multoties meminit *Galenus*, ejusque compositiones affert & laudat: quarè fieri non potuit, ut prædictum bezoar ex lachrymis cervorum apud ipsum non legerit. Sed demus illos de hac re parùm solicitos fuisse, aut quia non tantum illis tribuerint, aut quia pretiosis istis lapidibus caruerint (quod certius judico;) tamen Arabes ob contrarias rationes illorum vim & excellentem virtutem contrà omnia venena extulerunt, ac ut verissimum adversus eadem multùm præstare experti sunt: nam cùm suo tempore Africæ reges cum Persis Indiæ Orientalis commercium habuissent, facilè fieri potuit, ut celebri hoc medicamine potirentur, & illo sæpiùs utentes utilissimum esse experiundo, scriptis suis abundè nobis commendarent; quod apud illos tam commune fuit, ut ferè omnes bezoartici lapidis meminerint, prout fecit Serapio *c.* 306. *hist. med.* qui maximis encomiis hunc lapidem adversus omnia venena, qualiacumque sint, multùm valere docet ita ut non solùm sumptum, sed juxtà carnem gestatum ab illis præservare dicat (quod etiam confirmat *Mathiolus* infrà citat.) & alia multa, quæ ibi videri possunt: Rhasis *in libris contin.* & *ad Almansorem* idem testatur, efficacissimumque adversùs napellum esse ait, cùm tamen hoc sit venenorum fortissimum, illiusque effectus ita esse admirabiles in omni veneno; ut in nullo alio medicamento tam simplici quàm composito unquam similes viderit; venenisque à tota substantia operantibus nil resistere, nisi lapis bezoar propinetur, quem vidisse ait ipsum napelli venenum omnium perniciosissimum vicisse & superâsse. *Hamech Benreriphus*, qui de lapidibus scripsit sub signis & planetis sculptis, & de illis qui medicinæ inserviunt, idem testatur. Abenzoar, & Abdala Nararach duabus historiis, quas infra adducemus eodem modo confirmant; quemadmodum *Averroës*, *Haly abbas*, *Rabbi Moyses* jam citat. ac tandem Avicenna *lib.* 4. *fen.* 5. & 6. sæpiùs admirandi hujus lapidis in diversorum venenorum curationibus mentionem facit. Hos qui posteriores secuti sunt medici inter præstantissima antidota, & primum omnium hunc lapidem bezoar annumerant, quòd omne pestilens inquinamentum contrarietatis ratione fuget, ut tradit Ficinus *in epid. antidot. cap.* 24. lethalem enim illius vim coërcet ac frænat, ex Nicolo *serm.* 4. *tract.* 4. *cap.* 9. Conciliator *tract. de venenis cap.* 81. Amatu *lib.* 2. *in Dios. cap.* 39. & *cent.* 3. *curat.* 74. Fragosus *tract. de reb. Indicis*, Thomas Jordanus *tract. de peste* Claud. Ricardus *in appendice ad illum*: firmat Mathiolu *lib.* 5. *in Dios. cap.* 72. Mercatus multis in locis, & sexcenti alii; specialiter *Anselmus Boetius*, qui ex professo de lapidibus & gemmis scripsit, de hoc lapide tam magnificè sentit, ut panaceæ instar ad omnes etiam diuturnos & importunos morbos præferendum existimet, & ad quævis venena nil præstantius inveniri posse, non solùm ad corpus ab illis præservandum, sed oppressum jam & infectum liberandum; quod infiniti alii, qui tam de morbis quàm de venenis scripserunt, sine controversia fatentur, ut Castrensis *lib.* 4. *de Meteoris Microcos. cap.* 4. Zacutus *lib.* 1. *de princip. hist. quæst.* 25. Quòd si consulamus etiam auctores illos, qui de rebus Indicis scripserunt, & qui apud Orientales diu versati sunt, ipsi mille experimentis eximiam hujus lapidis virtutem approbant, & cervicapram, seu quomodocumque appellare libeat illud animal ex quo extrahitur, sæpius vidisse testantur; prout scribunt Garcias ab Horto *lib* 1. *cap.* 45 qui deploratos & à medicis derelictos, hujus lapidis usu restitutos fuisse ait; quin & pulve-

verem illius venenosorum animalium ictibus inspersum, & in pestiferis apertis carbunculis impositum homines liberare, quòd venenum omne imbibat atque exugat: confirmat idem *Christoph. Acosta* celebris scriptor medicinarum, quæ ex Orientali India apportantur *cap.* 2. sæpiusque illo terrâ & mari felicissimo cum successu usum fuisse gloriatur: nec ab illis dissentit *Carol. Clusius*, & *Bontius* Indorum Archiater *in notis ad eundem ab Horto cap.* 45.

Sed adhuc præter medicos Petrus Texera *lib.* 1. *Regum Persiæ cap.* 33. de hoc lapide & illius historia multa profert scitu digna & admiranda; ubi quantum ab ipsis regibus Indiæ expetatur, quantoque in pretio illum habeant ad plurimos morbos præcavendos & curandos, abundè tractat. Qui omnes cùm diu in illis regionibus fuerint commorati, sæpiusque illius virtutes fuerint experti, non est cur fides illis habenda non sit; quemadmodum *Nicolao Monardo*, qui proprio de hoc lapide tractatu maxima illius encomia profert, & ex multis habitis observationibus verissimam & efficacissimam ejus vim adversus venena approbat & commendat. Mitto Valescum de Taranta, Lacunam, Androinum, Joannem Agricolam *lib.* 2. *simpl. med.* Montuum *tract. de remed. chirurg.* ac postremò *Sennertum*, qui omnes cum infinitis aliis hujus lapidis insignem virtutem non temnunt; imò Torræus *de feb. punctic.* non solùm inter bezoartica primum constituit, sed proceres Indiæque Reges non aliunde ad 150. & 200. annos aliquando vivere credit, nisi quòd singulis diebus lapidis istius pulverem cibis immisceant; quod & alii scriptores qui mundum illum pervagati sunt attestantur, quorum veritati adstipulantur celeberrimi alii naturalium auctores, ut videre est apud Aldrovandum *in bisulcu cap.* 22. ubi ex omnium scriptis & experimentis admirandas hujus lapidis vires approbat non adversùs venena malignosque morbos tantùm, sed in syncope, vertigine, epilepsia, calculo, lumbricis, & in melancholicis etiam affectibus & animi anxietatibus efficacissimum esse, multorum sententiis confirmat. Ex quibus omnibus perspicuum est, non juniores tantùm & nostri temporis medicos, sed antiquiores, Arabes præsertim, abhinc 500. & 600. retrò annis, & forsan etiam Græcos, de hoc mirifico lapide notitiam habuisse, & illius virtutem adversùs venena rectè agnovisse & æstimâsse. Quarè meritò culpandus *Nicol. Elloim* suprà citatus, qui non solùm omnem lapidem bezoar contemnit & damnat, sed ab antiquis auctoribus nil de eo scriptum ait, solumque abhinc 50. annis impostorum vafricie in medicinam introductum; quæ tamen cùm minimè vera sint, ad libitum dicuntur.

Sed licèt tanta sit inter auctores antinomia, hanc tamen litem componere non admodum difficile est; nec quòd tam differenter celeberrimi auctores de hoc lapide sentiant, ullam nobis confusionem causare debet, ut à veritatis scopo aberremus: utrique enim verissima statuunt, hi quippe de vero, legitimo, & nullo fuco aut arte parato; illi de merè adulterato, factitio, & minimè genuino intelligendi sunt, in hoc solùm culpandi, quòd sicuti postremi, qui tot laudes de legitimo bezoar prædicant, falsum & dolo paratum omninò tanquam supposititium submovent, & nullius utilitatis esse advertunt; ita primi illi proprii & genuini virtutem & utilitatem fateri deberrent, nec tam rigorosè omnem lapidem promiscuè abjicere, ac insignes legitimorum vires ab antiquis & junioribus expertas pro nugis & fabulis habere, quòd illorum votis nunquam corresponderit; cujus rei causa modò inquirenda est.

Lapis Bezoar legitimus rarissimè invenitur. 28.

Igitur sicuti inæstimabilem hanc virtutem prædicto lapidi bezoar inesse minimè negandum, ita fatendum est rarissimum esse hunc lapidem invenire, qui sit non solùm legitimus, & nullo mangonizantium artificio compositus, sed prædictis viribus donatus & præditus, cùm adhuc lapides illi, qui ab animalibus extrahuntur, non omnes virtutem illam habeant, sed aliqui tantùm, qui rarissimè ad manus nostras, imò vix in Europam deveniunt, cùm plerumque qui ad nos afferuntur, & qui pro orientalibus libratim jam venduntur, adulterati sint omnes, falsi, & nullius utilitatis: quippe in hac pretiosa merce falsa pro veris substituere, & dolosâ arte hominum salutem & vitam deludere ipsa nunquam avaritia exhorruit, execrandâ profectò fraude, quam ingeniosissimam in omni vitæ parte appellabat Plinius *lib.* 33. *cap.* 8. Quare hac de causa, & ob ingens pretium, exotica omnia medicamenta, & quæ à longissimis regionibus nobis convehuntur, duriùs insectatur & acerbè taxat idem *Plinius* lib. 22. cap. 24. *Nos* (inquit) *nec Indicarum, Arabicarumq; mercium, aut externi orbis attingimus medici-*

dicinas: non placent remedia tam longè nascèntia; non nobis gignuntur, imò nec illis quidem, alioquin non venderent. Addit statim, salutem sine his posse constare. Cæterum hanc hominum vafriciem in horum lapidum adulterio idem *Serapio* non ignorâsse videtur, cum dicat in aliquibus vim illam adversus venena non reperiri; quam & Avicenna agnovisse visus est, ut evidenter ex illius verbis infertur, quæ *Monardes* affert *tract. de lapid. bezaar* suprà citatus (licèt talia verba apud ipsum *Avicennam* non inveniam) inquit enim *Monardes*, quòd Avicenna *lib. 4. fen 6. cap. de fellis viperæ curatione*, postquam bezoar pro illius curatione laudavit, statim addat: *si possibile est illum invenire.* Vnde colligitur quàm difficile judicaverit talem lapidem reperiri genuinum & verum: nam si *Avicenna*, qui ut *Sorsanus* ejus discipulus in illius vita narrat, Indus fuit ex civitate Bocora, de hoc lapide legitimo habendo tantum dubitâsse videtur, cùm tamen apud Indos tanquam in nativo solo & patria optimum bezoar inveniatur; quantò potiori jure de optimo, & sine ullo fuco genuino obtinendo, nos dubitare possumus? siquidem sinceros & legitimos paucissimos ad nos afferri testatur cum plurimis *Aldrovandus*; quod inde inferri posse ait, quòd tanta apud indigenas eorum sit æstimatio, ut vulgò dicere soleant, quòd licèt Deus omnia in hominum utilitatem creaverit, hos tamen lapides in Principum dumtaxàt & nobili stemmate genitorum usum produxerit. Fatentur idem reliqui ferè omnes, qui probatissimum & genuinum inveniri concedunt; & illos in quibus illa insignis adversus venena vis non invenitur, adulterinos omnes esse asserunt, & à lapidis istius vera prole meritò ablegandos: nam cum Indi illi tantoperè à mercatoribus perrequiri, & in varias orbis plagas convehi animadvertissent, fraudem & adulterandi modum cœperunt excogitare. *Monardes* verò ideò tot optimos expertus est, quia suo tempore asportari cœperunt, & non tam copiosè sicuti hodiè afferuntur; unde accidit, ut paucissimi adducerentur, sed optimi, quia nondum hominum fraus artem illam ditandi animadverterat, ut idem auctor tradit ex relatione Guidonis de Lavazanis, qui orbem in circuitu peragravit: scribit enim ipsosmet Indos arte falsos conficere, quâdam compositione eisdem notâ; nunquam tamen laminas illas efformare potuisse, aut pulverem intus recondere, ut in legitimis invenitur. *Clusius* quoque ait apud Ulyssiponem, ubi venales plurimi habentur, nunquam venditores admittere, ut prius facto examine experiatur emptor, an veri sint, an falsi; quod de illorum adulterio signum est indubitabile, cum alioquin si ut legitimi probarentur, pretium inæstimabile evaderet. Quare cùm omnes ferè falsi sint, & dolosâ arte confecti, rarissimumque sit legitimum, & qui virtutibus de illo tantoperè prædicatis, votisque nostris correspondeat, invenire (ut etiam notavit Valesius *lib. 4. meth. cap. 2.*) meritò in genuinis à falsis & adulterinis disjudicandis curiosè à plurimis animadversum est, pericula multa facientibus, ut si possibile fieri possit, hanc impostorum technam & fallaciam fugiamus, ne loco saluberrimæ medicinæ calcem aut deterius aliquid miseris ægrotantibus propinemus: etenim ab illarum regionum incolis Orientalibus tanto artificio lapidem hunc adulterari scribit Castrensis 4. *de meteoris cap.* 4. ut difficillimè ad veros à falsis discernendos via inveniatur. Et inprimis illud quod ex Guidone de Lavasanis affert *Monardes*, quod & multi alii ex illo decepti scripserunt, falsos scilicèt non habere laminas nec pulverem intus, sicuti legitimi habent; hoc, inquam, signum est nullius momenti; nullus quippe hodie reperitur, qui laminis illis, ac seorsim ex tegumentis ordine dispositis non constet, & tamen quàm rarissimum sit genuinum inveniri, ipsa experientia ostendit: de pulvere etiam facillimum est illum includere, ut etiam hoc signum nil certi habeat.

Garcias ab Horto scribit Mauritanos an veri sint observare, manbus primum lapidem calefacientes, deinde spiritum exuflantes; ac si aër permeat, adulterinum inde cognoscere: sed si hîc aliud non subest, etiam hoc signum nil ponderis habere judico; quid enim obstat tunicas illas ita compactas & compositas adhærere posse, ut spiritum non admittant? Addit prætereà aliud, nempè legitimos in centro pro basi habere aliquid paleæ, aut sicci folii: *Castrensis* ait in uno, quem rupit, nucleum mirabolani invenisse; *Petrus Texera* citatus in alio lapide è simio extracto ferream sagittæ cuspidem pro fundamento inventam vidisse ait: omnes enim aliquid in centro habere, suprà quod formari incipiant, idem testatur auctor, ut paleam, herbam, lapillum tenuem, palum, quin & dactyli nucleum aliquando inveniri. Sed

ex hoc tantum abest ut veri lapides cognosci possint, & à falsis distingui, ut imò ex his signis *Monardes* contrarium judicet, & in uno à se aperto granum aut alicujus rei semen ait invenisse, suprà quod Indus impostor lapidem formaverat. Itaque sicuti falsos ex hoc cognoscere non est possibile, ita nec legitimos, cum hi frequentissime tale quidpiam habeant; quod minimè ignorantes illi, qui falsos confingunt, eodem artificio utuntur, ut naturales æmulentur: quo fit, ut an arte, an naturâ factus sit difficilè ex illo signo quis assequi possit; nil enim ex his est, quod adulteratores facillimo negotio non consequantur. Nec etiam de coloribus (ut aliqui putant) aliquid dari potest, quod veris tantùm competat; cùm illi ab impostoribus non difficilè pingantur, veri lapidis pulverem in crustarum superficie addendo, aut aliter re aliquâ, quæ expetitum colorem exhibeat. Quæ cum ita sint, alia signa, quæ exactiorem notitiam præbeant, describunt *Texera* & *Bontius* citati; ajunt enim verum deprehendi lapidem, si accuratè prius ponderatus in aquam injiciatur, & per duas aut tres horas ibi derelictus de pondere aut nil amittat aut gravior fiat. Secundò jubent ut calce aquâ lævigatâ contegatur lapis, & parum sic relinquatur, aut ut prædictâ calce lapis fricetur; si integer & inconsumptus maneat lapis, calx verò punicei coloris reddatur, optimus & legitimus judicatur; falsus verò, si vel rimam fecerit, aut aquâ exemptus de pondere amisisse inveniatur.

31. *Lapidis bezoartici vera probatio undè petenda.*

Sed licèt hæ probationes superius adductis probabiliores videantur, tamen prædicta signa non adeò certa sunt, ut illis integra fides debeatur, & omnino hanc ambiguitatem tollere possint, cum lapidis substantia aliquando durior, aliquando mollior esse possit, ut calce obductus, aut aquæ injectus aliquid dissolvi possit, & à calce exedi. Quare sicuti de cornu monocerotis antè dicebamus, ita modò de lapide bezoar nullum certius, aut indubitatius signum inveniri posse dicimus, quàm ipsam experientiam ex effectu cognitam & probatam, ut rectè monet *Castrensis*; atque hanc cognoscendi unicam ac solam esse viam, si nempe animali venenum exhibeatur, ac deinde debita pulveris quantitas ex lapide, cujus probatio inquiritur, eidem statim propinetur: quippe si verus fuerit, cum veneno protinus colluctabitur, ac tandem sudorem movendo illius deleteriam vim superabit, venenatumque animal à mortis periculo liberabit, aut vitam saltem diutius protrahet. Itaque rectè Anselmus Boetius *lib. 2. de lap. & gemmis cap.* 194. nullum certius probitatis indicium statuit, quàm si venenum homini aut cani detur, & oblato pulvere evadat; quis enim adulterinum à legitimo, quem Indi exactè imitantur, distinguere melius poterit, quàm ab effectu, qui à tota lapidis essentia dimanat? ita statuit Carolus Clusius *in schol. ad Garc. ab Horto*, qui hoc periculum fieri posse tradit, si filum in aqua toxico napello infecta immergatur, deinde per canis aut alterius animalis pedem cum acu transmittatur, filumque in vulnere relinquatur; statim enim symptomata emergunt, quæ comitantur illos, qui toxicum biberunt, ac cum canis concidit, & ferè desperatus est, tunc pulvis à lapide abrasus illi in os injicitur: si auxilium sentit, legitimi probatio est; sin minus, adulterinus censetur. Igitur lapis, qui præter notas illas præcipuas, quæ de vero lapide traduntur, hoc etiam habet, ut venenis omnibus resistat, is profectò tantummodò genuinus & syncerus haberi debet.

32.

Sed sicuti rarissimum est hoc invenire, ita inæstimabile possidere: nam hujusmodi virtutem bezoartico lapidi legitimo & vero denegare, omnesque lapides indiscriminatim tam Orientales, quàm Occidentales, tanquam meram imposturam rejicere, ut multi ex his quos à principio adduximus facere non dubitârunt, judicium est, imò delirium, à doctis & in arte versatis minimè confirmandum: constat siquidem ex his quamplurimis auctorum observationibus, & illorum factis experimentis hunc lapidem insignem adversus omnia venena virtutem possidere, ut non pauci tam ex antiquis, quàm nostri ævi medicis attestantur. Narrat inprimis Abenzoar *lib.* 1. 1. *theis. tru.* 13. *cap.* 6. Acir filium Haly ex pessimo veneno in icteritiam incidisse, à qua & à veneno hujus lapidis beneficio evasit assumptis illius tribus tantum granis. Secundò, *Abdala Nararach* Hispanus, & in medicina vir doctus in lapide bezoar admirandam vim adversus venena concedit, quod celebri exemplo confirmat: scribit enim Miramamolino Cordubæ Regi perniciosissimum venenum propinatum, sed ab assumpto lapide celeriter liberatum fuisse, quem lapidem ipse Rex ab illo comparavit, qui bezoarticum exhibuit, non minori pretio, quàm domum regiam

giam venditori tribuens, palatium vulgò dicimus; quâ tam ingenti donatione & lapidis æstimationem, & susceptum beneficium grato animo solvit. Illius verba refert Jonstonus *in thaumatog. classe 4. cap. 25. art. 2.* & Paræus *lib. 20. cap. 36.* Tertiò, Conciliator *cap. 81. de venenis* asserit Eduardum Angliæ regem lapidis istius virtute liberatum fuisse à lethali & venenoso vulnere, quod Sultanus Persico gladio, acinace dicto, toxico illito illi inflixerat in acie apud Aaronem civitatem transmarinam, in sua adversus Mahometanos expeditione; nam cùm morti jam vicinus esset, à Templariorum summo præfecto lapis illi propinatus fuit, quo statim à veneno & à morte evasit. Quartò, Musa Brassavolus *in prologom. super antidota Mesue* refert Ferrariæ in quadam domo multos simul venenatos fuisse, qui omnes cùm post vomitum lapidem sumpsissent, hoc tantùm auxilio liberati sunt. Hujusmodi casus plurimorum hominum, qui à venenis, & malignis aliisque ægritudinibus istius lapidis beneficio evaserunt, admirandas historias narrat *Monardes*, quæ apud ipsum videri possunt in proprio de lapide bezoar tractatu; quemadmodum Bauhinus, & Fab. Hildanus *libello de dysent.* ubi hanc ægritudinem ex venenosis fungis causatam frequenti hujus lapidis usu curatam fuisse testatur.

Prætereà insignes alii viri de celebri hoc medicamento adversùs venena perfectam notitiam desiderantes, propriis experimentis in hominibus capitis supplicio damnatis periculum sępius fieri curârunt, ut exactiùs istius lapidis virtus cognosceretur; nullo enim certiori signo hoc verius adipisci posse suprà dicebamus: quod probè noscens Mathiolus *lib. 4. sup. Diosc. cap. 73.* in latrone ad furcam damnato probare voluit, cui napelli drachmam obtulit; ac mox acerbissimis accidentibus exurgentibus, lapidis grana 7. in vino exhibuit, à quorum sumptione post multa, quæ in patiente ex mutua veneni & antidoti pugna hinc inde emergebant symptomata, tandem septimâ post horâ, extincta ab antidoto veneni vi, omnia evanuêre, brevique ad statum naturalem integris viribus rediit, magno conflictu ac certamine tandem periculo superato. Similem experientiam Pragæ in alio mortis jam reo visam & observatam narrat Bauhinus *cap. 36. de lapide bezoar*, ex *Claudio Richardo*: huic enim sicuti prædicto, napelli pulveris drachma exhibita est, & toxici symptomatibus jam emergentibus quinque tantum grana pulveris à lapide derasi oblata sunt, à quibus post horribilem accidentium syndromem ad octavam horam quievit, cœnavit, placideque dormivit; manè sanissimum se præbens, sine ulla subsecuta membrorum læsione, & à S. Cæsarea Majestate liberaliter etiam donatus, liber dimissus fuit. Alios non minus admirandos casus & experimenta in venenatis aliisque morbis idem *Claud. Richardus* à se visa testatur *in epist. ad Reverendiss. & Illustriss. Strigoniensem Archiepiscopum*, quę lib. suo *de peste* Thom. Jordan. adjungit. An omnes isti in facultate medica eximii momenti auctores nobis prædicta omnia tanquam fabulas aut nugas enarrârunt, commentis & imposturis nos decipere volentes? Ad quid *Mathiolus & Monardes* tot historias excogitârunt, & cæteri alii? an ut lapidem quem venalem non habebant, extollerent, & tot fabulis nos deciperent? absit ut excellentem talium virorum auctoritatem tam facilè sugillemus. An quia *Paræus* similem effectum non vidit, nec antedicti auctores, aut nos experti sumus, de omnibus lapidibus, in nullo talem vim inveniri posse dicendum? pessimi sanè argumenti genus: multoties exhibui, sed incassum, nil utilitatis observavi; ergò omnis bezoar chimæra est, & impostorum vafricies; imò nullum est commentum, quod in aliquo fundamento non innitatur. Viderunt isti admirandam lapidis hujus virtutem, pretiumque æstimationis adnotârunt; hinc avaritia malitiam compulit, ut adulteratoriâ arte ingens illud naturæ miraculum, & venenorum dominum callidissimè æmularetur: non utique unquam hoc factum fuisset, nisi rei veritas pro fundamento deceptioni inserviret. Quid enim obstat, quòd genuinus aliquando lapis nil utilitatis contulerit? ubinam medicamentum est, quod semper & eodem modo conferat? quod jam olim medicis advertit Hippocrates *in præceptionibus* per hæc verba: *Nec enim asserere oportet, quòd unum aliquando exhibitum medicamentum profuturum sit.* Quid dico proficere? officere aliquando docuit *Celsus* lib. 2. cap. 6. *Quæq; medendi causâ reperta sunt, nonnunquam in pejus aliquid convertunt*, dicebat idem: sed de his latiùs in nostra reprehensione medica. Et quæ major virtutis istius lapidis ratio inveniri potest, quàm quòd inter alia pretiosa quæ Cochim Indiæq; Rex potentissimo Lusitaniæ Regi misit, præcipuum xenii munus lapis bezaar extiterit, ab ipsis Lusitanis in Europam adductus? An Reges ex his quæ commu-

munitiſſima ſunt, munera aliis offerre ſolent? Natura ipſa abundanter & ubique ea profert: *Mediocria & in turbam naſcentia ſæpius natura producit, eximia ipſâ raritate commendat*, dicebat Seneca *epiſt.* 42. Sic itaque Rex ille lapidem nuce avellanâ paulò majorem Luſitano miſit: an ipſi Indiæ Reges, qui tanto ſtudio illos quærunt, & illis utuntur, adhuc in dolo ſunt & nondum reſipiſcunt? profectò hæc non facerent, niſi experientia tantam iſtius lapidis virtutem ſæpius illos docuiſſet. Ita priſcis illis temporibus *Rhaſis, Abenzoaris, Serapionis*, quando rariſſimum erat hunc lapidem invenire, illius vis raro fallebat; ſicuti *Monardis* adhuc tempore, quando primùm apud Hiſpanos innoteſcere cœpit: poſtea hominum fraus, quæ omnia ſupplantat, & pretioſa quæque corrumpit, peſſimâ adulteratione non ſolùm morborum ſaluti illuſit, ſed celeberrimo huic alexipharmaco turpiſsimum nævum inuſsit, ut jam communiter malè audiat; quod quamvis de genuinis dolendum, ferri tamen hæc hodie injuria debet, quia cùm infinitus lapidum ſit numerus, omnes plerumque tanquam adulterini ſuis viribus non correſpondent, niſi rariſsimè aliquis è Regis aut magni alicujus Principis ſcrinio erutus lapis emergat, in quo virtutem illam experiamur, quam in aliis, qui communiter circumferuntur, deficere animadvertimus.

Lapides bezoartici plurimi, ab animalibus eruti, quarè ſæpius nullius efficaciæ ſint?

33.

Nec factitios ſolùm eſſe credendum eſt illos, in quibus nullam vim obſervamus, quamvis major pars illorum, qui ab Orientalibus nobis adducuntur, tales ſint, ſed multi etiam ab animalibus illis extracti inefficaces prorſùs ac inutiles ſunt, ut experientia oſtendit: quod ex eo provenit, quia ex animalibus illis ea quæ in planis degunt, nullius præſtantiæ lapides generant, ſed illa tantùm, quæ in montanis locis paſcuntur, ut rectè advertit *Monardes*, quia ſalutaribus illis plantis nutriuntur, ut ſunt *contra hierva* dicta & illius radices, à quarum ſucco rumitanione concreto lapides generantur: quare cùm pabulum illud, quod tam ſalutifero lapidi rudimentum & materiam præſtat, non in omnibus locis inveniatur, ſed in paucis; præcipuè in Perſiæ regione Stabonon dicta juxtà Laram civitatem, celebre in Perſia promontorium, ubi herba quædam alia naſcitur croco ſimilis, quam capræ illæ paſcentes in perfectiſſimum bezoar coagulant, eandemque inter Ceylam & continentem Chormandel abundanter naſci teſtatur *Texera*, præſertim in loco à Luſitanis *Ilha de vacas* dicto. Sed dictam inſulam anno 1585.

34.

cùm maxima inundatio invaſiſſet, ita ut tota ſubmerſa fuerit, prædicta herba ibidem creſcere deſiit, ut idem auctor ſcribit, quouſque inſula illa à ſalſugine maris liberata rurſus producere cœpit. Itaque multis aliis in locis non germinat, & tamen lapides, licèt animalia illa aliis plantis veſcantur, ubicumque generant, ſed planè inutiles, quæ mercimoniæ & quæſtûs cauſa undique confluunt, partim factitii, partim ob dictam cauſam inefficaces; unde mirum non eſt optimos rariſsimè ad nos pervenire, cùm animalium ratione, regionis, pabuli, & adulterationis cauſâ inſigni illâ virtute careant: quo non obſtante in genuinis & legitimis eandem inveniri non eſt negandum. Nec talia animalia commentitia eſſe dicendum, ut ineptè *Sanctorius* citatus putavit, qui ait, ſi illud inveniretùr, à mercatoribus aliquando Venetiis adduci debere; aut ut increduli alii Galliæ doctores, qui quoad vivum & ſpirans animal coram ipſis mercatores non ſiſtant, nullam fidem iis præſtituros promittunt: ſiquidem *Garcias ab Horto* illud Goæ vidiſſe teſtantur, *Bontius* in arce ſua Batavia apud Indos hujuſmodi hircos duos quotidie vidiſſe refert: *Monardes*

35.

Capra bezoartica, quæ lapidem gignit.

quoque alium à ſe Hiſpali viſum deſcribit, ac tandem illius iconem *in biſulcis* depingit *Aldrovandus* ſub capræ bezoarticæ nomine, cornibus tantum à cervo multum differentis, minimè facturus, ſi commentitium fuiſſet animal ac fabuloſum; nam licèt illi tam ſiniſtrè in hujus lapidis uſu nullum probum effectum agnoverint, tamen alii ingentem utilitatem & eximia beneficia in ipſo obſervârunt, ut præter adductos firmat *Caſtrenſis*, qui ait mirabiles effectus ex illo multoties habuiſſe; quare grati animi ſignum exhibens, hoc antidotum maximè commendat.

Lapidis bezoartici differentiæ.

36.

Sed quamvis fortaſſis multa jam de lapide bezoartico; multis tamen aliis omiſſis circà illius differentias pauca adnotare libet, quæ ut puto non ingrata legentibus videbuntur. Igitur bezoar multiplex quidem invenitur; nam præter communes differentias Orientalium & Occidentalium lapidum, legitimorum & adulterinorum, paſcui etiam ratione in tantum differunt, ut unus optimus, alius prorſùs inutilis com-

comperiatur. Præterea ratione animalis non levis est diversitas; quippe qui frequentiores & communiores sunt, in ventriculis animalium quorundam Indorum generantur, quæ capræ magnitudinem superant, & ad cervorum figuram proximè accedunt, unde *cervi-capræ* communiter appellantur, & à Persis Pazan vocantur, ut inquit *Acosta*, & ipsum lapidem dicunt *Pazaar*, quod antidotum sonat, aut veneni remedium; nos verò mutato P. in B. *Bezaar*, quod Arabicè idem est, ac dominus seu Rex venenorum: *Bel* enim Arabicâ & Persicâ linguâ idem est ac dominus, *Zaar* verò venenum significat. Sunt tamen alii lapides rarissimi, & virtutis adversùs venena excellentioris, nam in simiarum ventriculis aliquando lapides inveniri testatur *Petrus Texera*, & *Bontius*, quos ait præstantissimos omnium haberi; quin & ex vulnerum sanguine in sagittâ percussis simiis lapides generari scribit Eusebius Nierembergius *in hist. natur. lib. 9. cap. 61.* quos pro Bezaar venatores vendere ait. Ex cervis etiam alii extrahuntur, & ex histrice animali, vulgò *puerco spin* Hispanis dicto, eximiæ & præstantissimæ virtutis lapis alius extrahitur, qui in illius felle plerumque generatur, adversùs malignas febres & venenatos morbos admirandæ utilitatis: dicitur communiter hic lapis *porcinus*, aliis *Malacensis*, quod circà Malacam urbem in histricibus ibi pascentibus inveniatur, de quo & illius viribus sat multa Jacob. Bontius *lib. de med. Indor. cap. 46.* Clusius, Ansel. Boetius *de lap. & gemmis cap. 172.* Panciro-lus, Roder. Castrensis, & Garcias ab Horto, qui circà illius usum hoc advertit, ne prægnantibus concedatur, cùm aborsum facilè moveat, quod ab Indis fœminis accepisse scribit: in magnis etiam & intensissimis febribus illius usum interdicit Zacutus *lib. 1. de princip. hist. obs. 35.* cùm impensè calefaciat, & sitim provocet, ut amarore facilè colligitur, ex quo calidum esse, & ab effectibus agnoscitur: cæteris omnibus datur illius infusio in aqua buglossæ, cardui benedict. scort. oxalidis, & similibus; circà quod illud advertendum, diutius intrà aquam minimè relinquendum esse lapidem, quia facilè totus resolvitur, liquescit, & consumitur.

Tandem ut quæ præcipua circà bezoarticos lapides adducere placuit, jam absolvamus, de cervi lachryma, seu lapide in illius oculi cantho concreto (exquisitissimo ac, ut aliqui volunt, verissimo solùm bezoare) aliqua afferre expedit. De hujus lapidis ortu multo aliter, quàm de caprarum bezoarticis, auctores sentiunt: nam in his virtus illa alexiteria à plantis ad animalia & lapides, qui in ipsis generantur, transfertur: in lachryma verò cervi nullum peculiarem pastum alicujus salutiferæ plantæ assignant (licèt elaphobosci pabulo cervos serpentibus resistere dicat *Plinius*) sed multò aliter accidere non uno modo docent. Plinius *lib. 28. cap. 9. & lib. 8. cap. 32.* cervos ait serpentes à cavernis extractos mandere, spiratione enim illos extrahere, & eisdem adversari tradit, ut multi alii quoque scribunt; sed quâ vi serpentes attrahat, & à cavernis narium exufflatu abducat, libenter prætermittimus, de quo Gesnerus, & Aldrovandus *in cervi histor.* multorum adductis opinionibus pulchrè agunt. Quarè verò, & ad quid serpentes sic impetat & devoret, relictis aliorum opinionibus, quæ ibidem videri possunt, probabilior illa est, quæ docet ad vermes in ventre necandos, quibus non rarò scatent, serpentes quærere & devorare, aut quia infirmitatem aliam illorum pabulo reparari agnoscunt; nam oculorum caligini serpentum esu cervos mederi *Vincent Belluacensis* scribit. Quomodocumque sit, lachrymæ, seu lapidis istius generationis modum multipliciter assignant: *Ioan. Agricola*, qui hunc lapidem divinum antidotum appellat, sic evenire ait; cervum nempè postquam cum serpentibus congressus illos devoravit, siti correptum, in regionibus præsertim Orientem versùs, stagnum mox aut flumen aliquod quærere, in quod se immergens, velut Tantalus in mediis sitiens fluctibus (naturâ ita docente) nil bibit; concideret quippe mortuus, si aliquid aquæ gustaret: erumpere tunc ait lachrymas, quæ paulatim crassescunt, & congelantur in castaneæ magnitudinem; postquam ab aquis evasit, deciduum homines quærunt: tantæ enim æstimationis est prædictum bezoar apud eos, qui possident, ut pro quovis veneno domando vel medium unguem ostendant. Eandem sententiam ex auctoritate *Theonesti* veteraneorum scriptoris antiqui & gravis refert *Aldrovandus*, quam etiam ex *Zoara* medico Arabe ibidem probat *Angelus Abbatius*, & *Andreas Bellunensis* qui propriissimum bezoar hunc lapidem vocavit, haustum enim venenum per oculos desudando illachrymare dicebat *Abbatius*; & non aliter quàm ob serpentum esum hujusmodi lapidem fieri, præter Arabes exi-

ſtimavit etiam Sylvaticus *tract. de lapide bezaar*, Sanctorius, & alii; unde *Agricola* & idem *Sylvaticus* lapidem bezaar, qui in caprarum ventriculis aut aliundè concreſcit, eodem modo in ipſis oriri tradiderunt, ſerpentibus aut aliis venenis ſe prius ſaturare dicentes, mox ſalutiferas plantas quærere, ut illarum paſtu veneno ſuccurrant: quod tamen merum eſt figmentum, ut rectè adverſùs *Sylvaticum* ſcribit *Caſtrenſis*; malè enim hi auctores utriuſque lapidis generationem confundunt. *Ferdin. Ponzettus* Cardinalis, nullâ de ſerpentum eſu mentione habitâ, cervos ait ætate infirmos flumen quoddam in Oriente ingredi, tamdiuq; immerſos ſtare donec lachrymam illam emittant, quæ aëre frigore coagulata in lapidem evadat, avellanæ magnitudine, colore citri ſplendentem, odore vini, ad omnia venena pollentem: & in *gloſſa ordinaria ad pſal.* 41. legitur cervos hoc facere, ut ſenium, pilos, & cornua deponant. Confirmat Scaliger *exercit.* 112. qui non antè 100. annos provenire ait, poſteà naturaliter accreſcere ad oculi canthum ipſis oſſibus, atque in os protuberantem, eâ duritie, quâ cornu ſuperet; quâ parte prominet rotundam, inſigni nitore, coloris fulvi, non ſine atriorum venularum veſtigiis, tantâ lævitate, ut pænè tactum effugiat; ita enim ſe ſubtrahit, ut ſe ipſam propemodùm movere videatur: hæc *Scaliger.*

Prædicti igitur auctores, & multi alii in generationis modo iſtius lapidis conveniunt, quamvis in cauſa cur cervus in flumina deſcendat, non idem ſit omnium judicium, ſed aut ingeſti veneni ſerpentum cauſâ, aut morbi, ſeniive reparandi; aquam & flumina quærere nemo dubitat; unde explicant aliqui illud *pſalm.* 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita anima mea ad te Deus.* Quem locum *D. Ambroſius* de Chriſto explicat, qui cervo ſimilis in terram veniens, ſerpentem, nempe diabolum ſine ulla ſui offenſione protrivit, nec ejus venena ſenſit. Ut ut ſit, veriſſimum & efficaciſſimum hoc eſſe bezaar experientiâ cognitum eſſe teſtatur *Ponzettus*, & multò antea ſcripſit Scribon. Largus *cap.* 163. confirmant Langus *epiſt.* 24. *tom.* 2. Sanctorius *fol.* 515. Amatus *lib.* 2. *in Dioſ. enarrat* 39. *& cent.* 3. *curat.* 74. Aldrovandus *cap. de cervo*, cum multis aliis ibi adductis; de quo pluribus luculenter agit Henricus Abra *lib.* 1. *de venen. cap.* 2. Primeroſius *lib. de errorib. vulgi cap.* 36. Qui quidem lapis ut admirandæ virtutis, & inæſtimabilis pretii, ita rariſſimus eſt, & à pauciſſimis viſus & habitus; ut non immeritò dicat Alexand. Veron. *lib.* 10. *cap.* 10. *in fine* de eo loquens, illius apud recentiores medicos ſolam mentionem extare; quo loco impropriè oſſiculum, & non lapidem aut lachrymam appellat: ſed tamen licèt adeò rariſſimus ſit, *Amatus* eum præ oculis, dum de ipſo ſcriberet habuiſſe jactatur, coloris mellei, in pyramidem tendentem; quo loco & propinandi modum docuit ad tria grana in aqua naphæ, nenupharis, acetoſæ. *Scaliger* etiam ſe unum in theſauris ſuis chariſsimum habuiſſe ſcribit, quem Solimanus olim Samblancardo Trierarcho dono dederat, & poſtea à Bernardo Orveſano ejus filio munificentiſsimè eundem accepiſſe refert. Alium quoque vidiſſe affirmat Zacutus *lib.* 5. *de princip. hiſt. quæſt.* 42. *in fine*, à P. Joanne Correa ex India allatum, cujus ſtupendam virtutem in maleficentiſsima febre, ex qua Societatis JESU reverendiſsimus Pater Emanuel Alvares pænè deſperatus erat, ad miraculum uſque obſervâſſe commemorat: hunc à Micorondano Japonenſium Principe maximo dono accepiſſe idem Pater Correa dicebat, cùm ab ipſis Indiæ Regibus in ſimiles uſus maximè æſtimetur, tanquam pretioſiſſimum antidotum Regum theſauris anteponendum.

41. *Lachrymæ cervi propinandæ modus, & doſis.*

42. *Lapides bezoart. in multis aliis anim. inveniri, & in homine.*

Ultimò circà differentias lapidis bezoar non illud prætermittendum eſt, dictos lapides non in animalibus ſuprà numeratis tantùm reperiri; nam in India Occidentali ab animali dicto Bicuña frequenter extrahuntur, & à quodam ſimio eximiæ efficaciæ unum extractum vidiſſe ſcribit *Texera* citatus: porrò in equis, aſinis, porcis, aliiſq; animalibus lapides, qui legitimum bezoar æmulantur, repertos fuiſſe ſcribit Fabri. Hild. *cent.* 4. *obſ.* 24. imò & in homine; quod quoque teſtatur Math. Tulpius *lib.* 3. *obſ.* 4. tam vero bezoartico lapidi ſimiles, ut expertiſſimos aromatarios & medicos fallerent; unde apparet quàm dubia ac fallax ſit veri & genuini lapidis ab aliis factitiis & adulterinis dignotio. Aliquos etiam dari lapides, qui non ab animalium interaneis, aut aliter ab ipſis avellantur, ſed minerales bezoarticos quoque lapides inveniri ex *Tipthaſi* Arabis authoritate, in quodam libro, quem de lapidibus ſcripſit, affert *Andr. Bellunenſis*: ait enim ſicuti rubinus, adamas, ſmaragdus, agathes, & hujuſ-

Lapis bezoar mineralis reperitur.

hujusmodi aliæ gemmæ è mineris extrahuntur, ita bezoarticum lapidem eodem modo educi. Confirmat *Serapio*, qui ait apud Indos Orientalemque plagam in terra Syriæ ex quodam minerali extrahi, & in Ægypto similiter in minerali reperiri tradit *Monardes*; qui tandem ait se hos Bezoarticos lapides minerales expertum fuisse sine ullo fructu, quare nullius utilitatis esse, nec ad ullum medicinæ usum inservire testatur.

Igitur cùm tanta adulterinorum lapidum sit copia, & inutilium nulliusque præstantiæ non minor, sive falsificati, sive ab animalibus extracti sint; proborum verò, & alexipharmacæ conspicuæ virtutis tam arduum ac difficillimum sit aliquos per universam Europam reperire, nisi in Principum aut magnorum heroum gazis, secretisque & arcanis exoticorum thesauris absconditos, quos tanquam rem in orbe rarissimam inter singularia & pretiosæ æstimationis reservant; quid nunc dicendum? Illisne adhuc uti debemus? An tanquam fictitium quid, & fraudis magis, quàm commodi aut utilitatis aliquid continens, omninò abjiciendi; istorumque lapidum usus præscribendus, à medicorumque receptis ablegandus? Sanè cum doctissimo Valesio 4. *meth. cap.* 2. respondeo, quòd licet omnes, quos possidemus, adulterationis sint suspecti, & nullus non fictitius, ut idem rectè suspicatur; tamen cùm multos ex hujus lapidis usu juvamentum suscepisse communiter dicatur, opinioque de hac re ita invaluerit, imò ex opinione potiùs, quàm alicujus occultæ virtutis causâ profuisse credatur, & cùm medicus illis medicamentis, quæ ex opinione juvant, uti etiam debeat, illius usum admitti posse & debere libenter asserimus cum prædicto *Valesio* & *Castrensi*, qui optimè hoc fundamento ductus cujusdam empirici & balatronis hujus lapidis contemptoris maximi verba non minùs contemnebat: dicenti proindè se æstimare lapidem bezoar, ac laterem tritum & in pollinem redactum; planè ignoras, inquit, quantùm ad remediorum operationem ipsa spes, confidentia, & opinio juvare possint, cùm non ægroti tantùm, sed propinqui & cognati qui illis assistunt, infirmo in deterius labente, si medicos anteà bezoartica non adhibuisse cognoscant, putent ipsis medicis malorum omne acceptum referendum. Quare medicus bezoare, quamvis manifesta sit impostura, uti non solùm cogitur, ut rectè monet *Sanctorius*, sed necessariò debet; quantumvis ex opinione tantùm proficere posse speremus, ut doctè consulit *Valesius* citatus. Quod si verum & genuinum lapidem inveniamus, dubium non est, nos non solùm uti debere, sed præstantissimum obtinere medicamentum tanquam rem pretiosissimam æstimandum: parvi enim facienda sunt illa, quæ adversus hunc lapidem aliqui objiciunt. Nil enim inprimis obest illud, quòd ex ipsa experientia allegant, nullum ex illius exhibitione juvamentum vidisse; hoc, inquam, nil valet, quia cùm forsan adulterinis & neutiquam veris plerumque usi fuerint, mirum non est, si nullum bonum effectum aut utilitatem observaverint: deinde quantumvis optimos & legitimos lapides aliquando propinaverint (quod ob raritatem dubium est) tamen non propterea statim remedium damnandum & ablegandum erit, quod ægritudinem non vicerit, & veneni vim omnem non sustulerit; hâc enim ratione optima quæque remedia damnanda quotidie essent, & nullum jam antidotum haberemus, quod proscribi non deberet, cùm millies nil proficere videamus: potest quippe veneni vis maxima esse, cui remedium sit impar; potest natura jam à morbo victa remedii efficaciam non sentire, nec illud adjuvare; potest auxilii quantitas non rectè commensurari, ut adversùs contrarium æquis viribus pugnet; veneni deindè varia sors etiam in causa esse potest ut ab hoc alexiterio non vincatur, & multa alia, quæ à medicis cognosci non possunt: nec desunt doctissimi, & in istius lapidis usu exercitatissimi, qui ratione aliqualis differentiæ in morbis aliquando multum præstare, aliquando nil conferre autumant, ut doctè advertit August. Thonerus *lib.* 1. *obs.* 2. nam si infectio & corruptio in serosis & ichorosis humoribus consistat, dubium nullum esse ait quòd multùm adjuvare debeat, cùm similes humores utpote in sudorem paratissimos facilè evincat, tenuet, & expellat. Verum si magna illa putredo in crassis, pituitosis, aut biliosis consistat, rationi consonum arbitratur tunc parum aut nihil conducere, aliquando verò plus obesse, quàm prodesse posse, cum talis ægritudo per sudorem nil effatu dignum expellat; quippe nisi copiosus sudor moveatur, aut virulenta materia aliter discutiatur, parum opis sperandum.

Secundò ajunt huuc lapidem obstruere, quo fit ut plura damna, commodum nullum

lum afferat; deinde nullum sanguinem, nullum spiritum in corpore generare, unde nullam corroborationem corpori tribuere posse contendunt. Sed licèt de omnibus aliis lapidibus, quòd frigidi sint ac terrestres, illud colligatur; in bezoartico tantùm abest ut obstruere possit, ut econtra oppilationes reserare & aperire testetur Mercatus *lib. 2. de morb. mulier. cap.* 6. & 2. *de morbis puerorum cap.* 7. A Castro *lib. etiam* 2. *de morb. mul. cap.* 5. qui ad febrem albam, & virginum cachegiam curandam illius usum consulunt tanquam optimum; & rectè quidem, cùm in probabiliori sententia bezaar lapis non sit frigidus, sicuti alii lapides, sed modicè calidus, ut ex *Serapione*, & *Nicolo* probat Zacutus 1. *de princip. hist. quæst.* 25. *obs.* 35. quam opinionem videtur habere Lacuna *lib.* 5. *in Dios. cap.* 72. ubi ad renum calculum illum commendat, quod renes expurget & lapidem comminuat; in quem usum pro lithiasi curanda feliciter illo utitur Zacutus *lib.* 2. *praxis mirandæ cap.* 59. quod non facerent si frigidus esset, & adstringendo obstrueret. Quod verò ajunt ad vires & corporis confortationem nihil conferre posse, cùm nullum sanguinem aut spiritum producere valeat; fateor hoc non præstare, quia nec sanguinem ex quo corpus nutriri valeat, gignit, nec spirituum generationi directè inservit, tamen quatenùs venenosæ qualitati potenter obsistit, illorum resolutionem & consumptionem efficaciter impedit; quo fit ut ex accidenti, quatenùs venenum sicurat & domat, naturam roboret: quippe excellentiori alio modo, quàm per sanguinis aut spirituum additionem, beneficium præstat, quatenùs venenis eximiè adversatur, & contrarietatis specificæ ratione & occulta qualitate venena destruit, pestilensque inquinamentum validissimè corrigit atque abigit, ut doctè insinuat Ficinus *in sua epid. antidot. cap.* 24 siquidem non manifesta aliqua actione, sed planè inexplicabili & indicibili vim suam adversus omne venenum confert; quas sanè occultas qualitates in medicamentis plurimis negare planè est absurdum, nam velimus nolimus, illas fateri cogimur, cùm infinitæ propemodum sint operationes, quarum nullam rationem invenire possimus: & ut multa prætercam, quæ passim apud auctores legimus, siquis multarum & exoticarum rerum, quæ nobis nondum notæ sunt, nec in hunc orbem adductæ, insignes & occultas vires videre cupit, legat Petr. Texeram *lib.* 1. *regum Persiæ cap.* 33. ubi circà hanc rem multa inveniet scitu digna, præcipuè cujusdam radicis in lapide frangendo admirabilis efficaciæ, & alterius herbæ ad partum & menses movendos stupendæ ac incredibilis virtutis, quarum plantarum historias ob prolixitatis tædium modò omittimus.

45. *Lapidis bezoar temperies in activis.*

QUÆSTIO SEXAGESIMAOCTAVA.

Quænam febres sub his nominibus elodes, typhodes, Crymodes, tritæophiæ, querseræ, phricodeis, assodes, almyrodes, pemphingodes, tarachodeis, erythrois, & aliis veniant intelligendæ?

1. A Periculosa venenorum scylla elapsi in apertum febrium pelagum descendamus, cyathum saltem unum aut alterum tam profundi maris prægustaturi, si non dulcedine gratum, & à salis ingrato sapore exutum, medicæ scientiæ studiosis non injucundum, qui hæc febrium nomina non raro apud *Hippocratem* aliosque facultatis auctores legentes sicco pede transeunt. *Galenus* acerrimè illos medicos taxat, qui de nominibus curant, & quantùm ipse hujusmodi studium neglexerit, atq; sic faciendum aliis præceperit, ex multis ejusdem locis constat; nil enim hoc ad artem facere 1. *de diff. pul.* scribit; quare hujusmodi doctrinam perditissimam appellabat *lib.* 2. *de alim. facult. cap.* 44. imò de nominibus loqui præstigia vocat 3. *de pul. diff.* cùm enim plurimarum rerum investigatio proponitur, de nominibus nullam habendam esse curam ex *Platone* tradit 2. *de diff. feb. cap.* 7. quarè hoc munus ad dialecticum, rethorem, & grammaticum spectare 1. *de dieb. decret.* docuit; cùm scientia non à nomine, sed ab arte comparetur, ideoque nomina negligentes sapientiores esse dicebat. Quibus tamen noni obstantibus, nominum verborumque copiam indecoram plerumque non esse idem fatetur; non enim ut sophistæ neglectis rebus de nominibus

bus tantùm contendere volumus, quandoquidem laborem hunc necessarium modò judicamus, ut plurima nomina, quæ ob antiquis scriptoribus tam Græcis, quàm latinis indita sunt (quòd eadem passim occurrant, & eisdem nunc uti videamus) intelligere, & comprehendere possimus, ne quod ipse *Galenus* sui temporis philosophis & medicis vitio vertit, nobis etiam obtingat, de quibus 1. *meth.* ait, quòd nomina ignorabant, & distinguere nesciebant. Sanè rerum vocabula pravè intellecta plurimis, & in medicina præsertim, dubitandi ansam præstiterunt; idcircò nominum inquisitio medico etiam summoperè necessaria est, ut prudenter notat Monardes 2. *epist.* 1. Itaque quemadmodum morbi nomina sua, vel à causa & humore ex quo fiunt, vel à parte affecta cui inhærent, plerumque suscipiunt; ita non pauci ex accidentibus, quæ secum important, & lædendi modo, hanc aut illam appellationem sortiuntur: quo fit, ut præter innumeras differentias, quæ in febribus à calore, ab humore, ab invadendi tempore, ab accessionibus, à modo inhæsionis, à duratione, à motu, & à plurimis aliis desumuntur, nec parva nec contemnenda sit illa, quæ sympthomatum ratione conspicitur, cùm horum ratione veteres quàm plurima nomina imposuerint, quibus etiam hodie utimur; quorum aliqua, præsertim circà febres, obscura tamen, & quæ à multis ignorantur, in tyronum gratiam nunc explicare decrevimus.

2. ...orum ...na ...desu...ur.

Igitur *Elodes* febris, (non *helodes*, ut malè aliqui scribunt) de qua 7. *aph.* 52. Galenus egit, nil aliud est, quàm febris quædam humida, in qua ægri perpetuo sudore madent, ἕλος enim apud Græcos *paludem* significat, seu stagnum; ideoque febris hæc, quòd quasi in palude seu lacuna quâdam immersos, & continuò madentes contineat laborantes, *elodes* dicta est; quod nil aliud est, quàm sudorifera. De hac febre puto locutum fuisse Hippocratem 4. *apho.* 37. cùm ait: *Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori, morbi longitudinem significant*; Et Galenus *in comment.* tantam esse inquit humorum frigidorum copiam, ut neque à calore naturali, neque à febrili possit calefieri. Vix tamen adduci possum ut credam Elodem febrem de lactica quoque, & quæ virginum obstructiones, & hydropicorum leucophlegmatias subsequitur, dici posse, ut Langius *epist.* 41. *tom.* 2. & Joan. Baptista Montanus *cons.* 78. scribunt. Quippe illæ febres licèt ex frigidorum humorum abundantia causentur, sudorem tamen aut paucum, aut nullum habent, nec ægrotantes madorem sentiunt; qualiter in hujusmodi febre *Galenus* statim ab initio adesse ait *lib. adversus Lycum cap.* 2. ubi febris differentiam facit in siccam & humidam: *Ipsarum* (inquit) *quædam exactè siccæ habentur, sicuti exquisiti ardores; quædam verò summè humidæ, quod genus illæ sunt, quas Græci Thyphodes vel Elodes appellant: quòd si alicui vocabula hæc non placent, huic ego clarum oratione faciam, quales esse humidas febres dicam, cùm à prima statim die ægrotantes sudant, sudoreq́; ipso aut parùm aut nil levantur.* Ex quibus verbis & ex illis quæ de siccis febribus statim affert, intelligere est per has febres Elodes, non communes febres pituitosas accepisse, sed acutas potiùs & malignas, in quibus ex evacuationibus illis sympthomaticis evidens est periculum, ut docet Valesius 1. *meth. cap.* 13. nimius quippe sudor vires exsolvit: ad quod febrium genus pessimam illam *sudorem Britannicum* dictam referendam rectiùs idem *Langius* putat *tom.* 1. *epist.* 19. inter quas & nos sudorem diaphoreticum, & febres diaphoreticas, hoc est in quibus sudor copiosus vires exsolvit, non absque ratione reponere poterimus, de quo Mercatus *lib. Cons. cons.* 25. quæ cum syncopali minuta non raro coincidit. An verò *Typhodes* febris eadem sit cum febre *Elode*, ut Galenus *adversus Lycum* scribit, non omninò constat; etenim hoc ita esse non præter rationem putaverit aliquis, cùm verbum *typhos* non solùm pro palude, sed pro mari etiam interpretetur, ut notat Rhodiginus *lib.* 5. *lect. antiq. cap.* 12. hinc etiam Typham communiter dictam plantam sic appellatam cogito; quòd aquis & lacunis perpetuò innascatur: sed tamen si qua est inter hujusmodi febres differentia, in hoc inveniri judico, quòd in typhode, præterquam quòd etiam immodicus sudor adsit, hepatis quoque erysipelas, & inflammatio adest; ut docuit Æsius *lib.* 2. *serm.* 1. *cap.* 88. ubi ex internarum partium inflammatione varias febrium appellationes distinguit, taliter ut sicuti ex ventriculi inflammatione lypiriam, ex hepatis erysipelate typhodem, sic ex pulmonis inflammatione *Crymodem* appellari dicat. Hinc Bartholomæus Castellus *in lexico* Typhodem succendentem interpretatur, ex hepate inflammato; quam explicationem sequitur Stephanus Castrensis *lib.* 3. *de meteoris microcosmi cap.* 10. & Sennertus

lib. 2. *de feb. cap.* 16. *de feb. symptom*; quas sanè febres inter ardentes, perniciosas, & malignas *Galenus* annumerat 2. *de cris. cap.* 7. quæ hepatis, ventriculi, aut pulmonis erysipelatibus advenire solent, ut latiùs insequitur Brabus 1. *de feb. in com. cap.* 9. & Rhodiginus *lib.* 22. *cap.* 8.

Cæterùm aliis magis placet typhodes dictas, quasi fumosas, quòd simul cum sudore ex toto corpore manante halitus seu fumus elevetur, à τύφω, quod est fumus, aut à verbo τυφόω fumum excito: aut à Typhonibus ventis sic dictæ, qui secum omnia in gyrum vertunt pluviarum non immunes; quâ ratione Lucanus *lib.* 7. eosdem vocat avidos Typhones aquarum, & Ovidius 1. *fast.*

Quas quoties perflat, spirare Typhoëa credas.

Densâ enim nube inclusi præcipites in terram eliduntur, ac soli pulverem secum verrunt, arbores evellunt, & obvia quæque pessundant, quorum exhalationes nubem rumpentes fulgore micant ac nubes in largum imbrem resolvunt: & cùm similes motus in nostris corporibus fiant, accidit ut delirii non sint expertes, quòd fumosos illos vapores excitent, quibus caput concutiatur & incalescat; undè si non delirium, saltem mentis elatio etiam typhus appellatur, ut ex Arnobio *lib.* 1. *advers. gentes* notat Mercurialis *variar. lect. lib.* 5. *cap.* 2. ubi quoque *Hippocratem* citat *lib. de morbis*, qui stuporis attoniti quædam genera sub typhi nomine affert. Tandem vel à Typhœo gigante, ut tradit Langius *tom.* 1. *epist.* 19. quem à Jovis fulmine ictum, & sub ardenti Æthna sepultum, cum ventorum turbine sulphureas eructare flammas commenta est antiquitas, & saxa evellere: vel à turbine, quem sequitur pluvia; ob horum quippe admixtionem typhomaniam dixit *Hippocrates* affectum ex phrenesi & lethargo mixtum. Tandem *lib. de intern. affect.* sub hoc nomine varios alios morbos annumerat *Hippocrates*, per quos quid intelligat non est facilè distinguere: pro quibus vide doctissimum Sinibaldum *lib.* 5. *geneanthrop. tract.* 2. *cap.* 8.

Assodes febris. 6.

Asodes verò, sive *assodes*, febres illas vocat *Hippocrates* in quibus ægri graviter afficiuntur, implacidè molesteque habent, nec jacentes sese uno loco continere possunt, sed admodum se jactando in nullo situ aut loco quiescunt; *assodes* quippe idem est ac inquietudo, anxietas, molestia, implaciditas: porrò & harum nomine malignas febres intelligi, quæ ex materia acri & maligna excitantur, non est dubium, quas etiam plerumque alicujus visceris inflammatio concomitatur. Eam 4. *acut.* 47. describit *Hippocrates*, & *Galenus* 7. *aph.* 56. Ægri cubitum non ferunt, sed jacendi figuram evariant: hanc Chartadim passum fuisse 7. *epid. nu* 9 scribit *Hippocrates*, cui jactatio multa, anxietas, & ad dextera & ad sinistra transmovens se ipsum.

Pemphigodes febris. 7.

Pemphigodes. Quid significet verbum hoc apud Græcos, & quam febrem nomine pemphigodes *Hippocrates* intelligat, disceptant juniores, nec adhuc de lite inter ipsos convenit. Hippocrates 6. *epid. sect.* 1. *com.* 29. dum varias febrium differentias ex caloris modo & ex aliis accidentibus prosequitur, *pemphigodes* ait *aspectu terribiles*; quam dictionem alii conjunctim legunt, alii separatim, ut facit *Galenus*: & inprimis alii per has febres, diarias intelligi debere volunt, ut scribunt Vega *com.* 1. *ad cap.* 1. *de diff. feb.* & Brabus *com.* ad eundem locum; sic enim explicant *Pemphigodes*, id est in spiritu inflatas, seu tumidas, & propterea aspectu graves, ut inquit *Brabus*. Vega verò, qui sejunctim legit, aspectu graves hecticas interpretatur, quòd tales appareant hectici ob nimiam consumptionem. Horum tamen sententiæ accedere non possum, quia licèt verbum illud *Pemphigodes*, spirituum affluentiam, seu spiritibus affluentes *Galenus* interpretetur, malè hoc ad spiritus in diariis accensos referre possunt; quæ enim exindè aspectûs horribilitas, cùm spiritus in diaria accensi præter calorem illum mitem, quem respectu putridarum excitant, nil adjiciant, quod horrorem possit causare? & illud *spiritibus affluentes* potius *Galelenus* refert ad halitus è corpore exeuntes, qui sub manu percipiuntur, quàm ad spiritus, qui in diaria sunt febris subjectum; ac propterea cum *pemphix* verbum multa significare dicat, hîc ad febrem flatulentam interpretatur, ut quoque vertit *Foësius*; quod non de vero flatu intelligo, sed de halitibus, ut Galenus *in eodem comment.* addit, qui veluti scintillarum exilientium, manuique nostræ occursantium imaginem reddunt, & tangenti pruriginem excitant. Quas quidem febres ex duabus simplicibus compositas fuisse statuit, flatuosis & igneis: unde meliùs judicâsse visi sunt illi, qui per has febres non diarias exquisitè tales, sed syno-

synochum non putrem intelligi posse dixerunt, quam inflativam vulgus quoque medicorum vocat, quod in ipsa sanguis caloris ferventis copiâ venas omnes inflet, sanguineque flatuoso & ebulliente velut repletæ appareant; sic enim *Galenum* accipiendum puto cum citato loco *de morbis vulgar.* pemphigodem febrem de diaria explicat: nam synochum non putrem inter diarias cognominari medicis notissimum est.

Sed quantum assequi possum, apparet optimum judicium illos secutos fuisse, qui per febres *pemphigodes* ampullosas bullosasque accipiunt; quod etiam *Galenus* concedit, & major neotericorum pars sequitur cum auctore libri *definit. med.* qui de febre explicat, quæ præ nimio calore pustulas in ore excitat, quam versionem ut optimam attulit *Adrianus Iunius* in lexico, πέμφιξ enim dicitur bulla; & non tantum in ore, sed in toto corpore easdem efflorescentias & tubercula excitat ex crasso sanguine, putrido calidissimorum spirituum fervore attenuato, & ad cutem transmisso. Hæ igitur sunt aspectu horribiles, ut *Hippocrates* dicebat, notatque Valesius *in com.* & ampullosas vocat, nec alias esse posse ait, quàm quas ampullæ quædam per corpus obortæ comitantur; cujusmodi in cutis combustione dispersæ fieri solent, & in febribus malignam putrescentiam & succorum exustionem indicant: hujusmodi pustulas admittit *Galenus* in hac febre, qui ex *Thucydidis* authoritate in pestilentia suo ævo grassante fuisse narrat corpus subrubrum, lividum, tuberculis exiguis, & ulceribus exhorrescens, cui consonat *Lucretius*:

> *Et simul ulceribus inustis omne rubere*
> *Corpus.*

Probat Betera *lib.* 7. *de igne pestilenti cap.* 14. ubi sic: *Significatur*, inquit, *quædam horrida effusio ignei & tetri spiritûs, deinde oculorum facieiq. ingens turbatio, posteà guttarum instar concreti humores, quos ustos quasi globulos febris tormentum ad muros excutit, quæ veluti ex facie delineant pestilentem ignem.* Approbat Rodericus Castrensis *lib.* 3. *quæ ex quibus cap.* 2. *&* 3. *microcos. cap.* 10. quo loco harum febrium nomine de variolis *Hippocratem* mentionem fecisse suspicari posse scribit, quod aliis conjectandum relinquimus.

Almyrodes; de quibus Hippocrates *eodem loco 6. epid.* salsuginosæ sunt febres à verbo *almyros*, quod salsuginem significat. Malè enim *Vega* citatus putridas simplices intelligit, quod calor in humore talem significat manui alterationem, qualem sal linguæ: ad libitum quippe hoc dici videtur, nam hîc *Hippocrates* febres notat per symptomata particularia, non per communia, & licèt Galenus *in comment.* ita loquatur, non de omnibus putridis loquitur, sed de illis tantùm in quibus talis humorum est acrimonia, ut tangentibus tactus morsui similis appareat, ut à muria & reliquis salsis excitari solet; quod de ardentibus, & præcipuè nothis quæ ab humoribus serosis, salsis, & adustis fiunt, accipi debet, in quibus prædictus sensus magis quàm in aliis putridis percipitur.

Tritæophiæ. Harum meminit Hippocrates *in coacis text.* 27. sunt verò intermissionis expertes, quæ tertio quoque die ingravescunt sine rigore, aut horrore periodico, nullum quippe statutum ordinem servant; propterea exacerbationes illarum medio febris cursu incertas dixit *Hippocrates*: tamen utcumque sit, ex malignarum genere esse testatur *Duretus*; imò sunt, qui ideò tritæophias dictas fuisse putent, quasi serpentini alicujus veneni symptomata causent, ut latiùs explicat Joan. Bapt. Cortesius *tom.* 3. *prax.* ubi istius febris seorsim meminit; *Ophis* enim idem est ac serpens.

Querquera. Sic apud antiquos vocatam fuisse febrem quartanam latè docet Mercurialis 5. *variar.* 2. quam etiam zerzeram nominâsse *cap. de quartana* idem tradit auctor: quod cum frigore & tremore invaderet, ut scribit *Festus*; ita etiam appellavit *Lucilius*;

> *Iactans me, ut febris querquera.* & alibi:
> *Querquera consequitur febris.*

Eodem modo Plautus *in ficularia* referente Prisciano: *Is erat mihi bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera.* Arnobius *lib.* 1. *adversus gentes*, querqueras febres atque intercutes morbos Christum curâsse ait: sic Minutius Felix *in Octavio*, querqueram morbum appellavit rigorem febres urentes antecedentem; & hujusmodi febres *Hippocrates* videtur significâsse 1. *epid. com.* 1. *text.* 22. dum *phricodeis* nomine eas vocat; in quibus frigus ad magnam paroxysmi partem perdurat, ut ibidem *in com.* docet Galenus, & 2. *de diff. feb.* 8. Apulejus quoque, & Gellius *lib. ult. cap.* 1. querqueram dixerunt.

Quare autem hujusmodi nomen quartanæ imposuerint, opinatur *Mercurialis* à sonitus imitatione ductum, quem in febre trementes & horrentes edunt; licèt alii de febre magna & forti dictum putent: itaque quomodocumque sit quartanam sic appellare consueverunt, quam etiam filiam Saturni vocârunt Pythagorici & veteres alii, ut *Priscanus* medicus advertit *lib. 4. ad Eusebium*, ob tarditatem fortassis & malignam contumaciam, ut voluit Dalechampius *ad Plin. lib. 7. cap. 50.* hinc est, quod *Plinius* medicinam in quartana nil pollere, *Democritus* solùm pollutionibus curari scripserint; aut tandem Saturni filia dicta est, quia intelligentiâ quâdam non errante dirigatur, ut 3. *aph. 22.* notat idem *Mercurialis*: propterea sapientem morbum quartanam dici debere contendit doctissimus *Ioan. Pineda* in quadam apologia ad *Plinii* locum *eodem cap.* 50. *lib.* 7. dum obscura illa verba interpretatur: *Et est morbus aliquis per sapientiam mori.* Quæ opinio inter plurimas, quæ allatæ sunt, non displicet, cum illis namque, quæ de quartana ibidem *Plinius* scribit, quadrare videtur; licèt aliter prædictum *Plinii* locum intelligi ac interpretari debere aliàs ostenderim *in Heraclidis antro*, ut doctissimus quoque explicuit Mercurialis 6. *variar. cap.* 20. de quo latiùs cap. ultimo hujus operis agendum erit.

12. *Statæ febres quæ.*

Statæ. Sic nominavit Plinius *lib. 28. cap. 8.* febres omnes, quæ certis diebus affligunt, periodicas scilicèt, quòd vagis & erraticis opponantur, quæ nullam firmam habent diem, quâ invadant. *Tarachodeis.* Sic dicuntur febres turbulentæ in quibus delirium adest & desipientia; hoc enim præcipuè significat illud verbum, ut 1. *in Prorrh. text.* 4. explicat Galenus. Itaque ex symptomatum differentiis nomina plurima indita sunt, ut *Erythrois* rubris seu purpureis febribus, de quibus Hippocrates *eod. 6. epid. sect. 1. text. 29.* quas & synochas non immeritò dixeris cum Galeno *eodem loco*: ibi enim *Hippocrates* valde rubras appellavit, quem *Galenus* de synochis intelligit; quod ex eo magis fit manifestum, quia largâ sanguinis evacuatione curantur, ut *Zacutus* advertit 3. *de praxi miranda obs.* 9. & qui de febre rubra particularem tractatum scripsit *Ioan. Coyttarus.* *Amphemerina* quæ singulis diebus accenditur & finitur, quotidiana dicta; sicuti *Cathemerina*, quæ intermissione caret. Alias plures tanquam magis notas prætermitto, ut *Epyalam*, *lypiriam*, *syncopticas*, *comatosas*, *colliquativas*, quas & *syntethicas* dixerunt: ut & plures alias, quæ ex concomitantibus accidentibus varia sortita sunt nomina, ut & *Schetica*, quæ facilè discutitur hecticæ opposita, quæ difficilè.

Tarachodeis febris. *Erythrois febris.* *Amphemerina.* *Cathemerina.* *Syntethica febris.* *Schetica febris.*

QUÆSTIO SEXAGESIMANONA.

Hectica febris an contagiosa, ut communiter vulgus profert?

DE contagio & morbis contagiosis eruditi viri in medicina eleganter scripserunt *Fracastorius*, *Palmarius*, & *Greg. Horstius*, qui ad umbilicum usque hanc tractationem deduxerunt; nullus tamen (quod sciam) inter affectus contagiosos hecticam febrem annumeravit: quapropter cùm viderem apud vulgus tam frequenter hanc febrem de contagio malè audire, statim circà hanc rem animadvertere cœpi, an inter vulgi errores & confusas illius opiniones hæc quoque statuenda foret? Scripsit de erroribus popularibus doctissimus *Ioubertus*, & de vulgi erroribus novissimè *Iacob. Primerosius*, uterque multa jucunda, & lectu digna, circà illa in quibus vulgus maximè hallucinatur, quod in plurimis, quæ non rarò profert, à veritatis aberrat scopo, (cùm aliàs verissima judicet) sed quanto in errore versetur non agnoscit, nec consilium mutare vult: quæ enim à longo tempore altius infixa sunt, verique persuasionem ingentem obtinent, non facilè amoventur, à rudi præsertim plebecula, & auscultationum exorte. Verùm præter illos, quos ipsi attulerunt, hunc etiam errorem adnotare, &, si possibile est, abolere non inutiliter conabimur: quid enim apud vulgus frequentius auditur, cùm de hecticis sermo incidit, nisi maximè contagiosam esse hujusmodi febrem, & ab illâ laborantibus fugiendum? sub gravi periculo sedulò hoc admonent, quin & vestes, pocula, & alia utensilia maximâ curâ

1. *Febris hectica apud vulgus habetur contagiosa.*

curâ separari jubent, ne incautè degentibus contagium facilè adveniat: hoc apud populares tam commune est, ut nil magis nec frequentius audiatur. Quare ego multoties medicos scriptores miratus sum, qui *cap. de hectica* circà hanc rem ne verbum quidem protulerunt, hoc forsan ut notissimum prætereuntes, quod minimè contagiosam citrà dubium judicarent; quapropter illi qui ex professo de contagiosis morbis scripserunt, de hecticæ contagio ne meminerunt quidem, ut apud *Fracastorium* videre est, qui exactiùs quàm cæteri, & plenissimè egit; quo fit ut credam febrem hecticam haudquaquam contagiosam judicâsse omnes.

Sed & inter alios medicinæ auctores vix apud unum aut alterum circà hanc rem aliquid definitum invenies, præter unum *Fontecham* medicum sanè doctum, & in Complutensi academia præceptorem non contemnendum; quem sæpiùs miratus sum *privileg.* 10. *fol. mihi* 184. hecticam contagiosam esse apertè dicentem, citrà ullam distinctionem, quod tanquam certum supponit. Inquit enim, si cum hectico sanus accumbat, febre statim corripi, non aliunde quàm à vaporibus ab hectici corpore exeuntibus; & idem ait evenire, si è vasculo, quo hecticus potare solet, sanus bibat: unde patet quòd tam per contactum, quàm per fomitem hecticam contagiosam esse statuerit; quæ opinio apud vulgares adeò est communis, ut nulla nec certior habeatur magis, nec verior.

[...]icam [...]m esse [...]agio- [...]error [...]ulgi [...].

Cæterùm hoc esse unum ex vulgi judiciis à veritate longè alienum, si non ex auctorum scriptis deduci potest, qui de hac re haud multùm soliciti pauca nobis tradiderunt, certè ex ipsa febris natura facilè patebit. Si enim ad febrem respiciamus, nil in ipsa videtur contineri, quod contagium afferre valeat: nam cùm istius febris essentia in calore partium solidarum habituali consistat, ipse verò calor habitualis à nulla saltem præternaturali causa dependeat, puta humore, aut partium solidarum putredine; unde aut ex qua putrida materia elevari possunt vapores putridi & infecti, qui alteri adhærentes similem morbum causare valeant? *Secundò*: dato quòd ex aliquo humore elevarentur, vel erit putridus, vel naturalis, & minimè corruptus aut infectus: si ab hoc, nullum damnum secum deportabunt; si à putrido, jam non ratione hecticæ, sed ratione alterius febris humoralis contagium accideret. *Tertiò*: ex ratione contagii est ut materia putrefacta, & vapores qui ex eadem elevantur, lentorem quendam habeant, ut adhærere possint: sed in febre hectica, quò auctior est & magis radicata, tantùm abest ut major humiditas & lentor in corpore detur, quin imò major siccitas, ariditas, & consumptio omnium humiditatum & humorum inveniatur; ergò ab ipsa dicti vapores elevari non poterunt, nec per consequens contagium provenire. Probatur hoc ex Aristotele 7. *probl.* 7. dum quærit, quare cùm tabes, lippitudo, & scabies appropinquantes inficiant, & contagiosa sint, alii verò morbi minimè, scilicet aqua intercus, febris, epilepsia, &c? inter alia, quæ respondet, inquit; aut quia sicci sunt, & non evaporant unde evidenter colligitur, ipsum causam contagii in expiratione & transpiratione fœtidæ, putridæ & infectæ alicujus substantiæ posuisse, quæ ex corporibus illorum, qui prædictos contagiosos morbos patiuntur, dimanet ac effluat. *Quartò*: quod in febre hectica exhalatur, est humidum partium substantificum, & radicale & minimè aliquid putrilaginosum; ergò contagiosum non erit: patet, quia tale humidum mulcebre est & suave, ita ut ex ipsius defectu corpus aridum fiat & squalidum. *Quintò*: licèt calor quatenùs qualitas est communicari possit, tamen quatenus hecticus est, non communicabitur; quia hic habitualis est, qui verò communicatur fiens & mera qualitas. *Sextò*: hecticus calor non producitur nisi à perverso quodam modo substantiæ, qui de novo in partibus solidis fit, & minimè à calore solùm, aut cum siccitate adjuncta; ergò si alteri communicetur, non poterit permanere: patet, quia etiamsi calor sit qualitas permanens, facilè à contrario evincitur; & si non sit, cùm non pendeat à conservante, statim evanescet. *Septimò*: vapores ut sint contagiosi debent esse tenaces ut adhæreant & permaneant; sed qui ab hecticis elevantur, tales esse non possunt, quia ratione siccitatis lentore & tenacitate carebunt, præsertim cùm à materia putrida non eleventur; alioquin si aliter accidat, hectica pestilens dicenda erit, in qua cordis humiditas putrescit, de qua modò non loquimur, sed de hectica tantùm, quæ per se febris est habitualis, & independens à causa, nec alium morbum habet adjunctum, cujus ratione contagium accidat: quare nullum in prædicta febre ipsius ratione dari posse optimè probat Mercatus *lib. quæst. quæst.* 176. *nu.* 21.

Quæ cùm ita sint, unde vulgi illa opinio dimanaverit restat ut videamus; non enim hoc aperire difficile erit: constat quippe Antiquos febrem hecticam, tabem, & phthisim, & omnem corporis consumptionem & atrophiam, sub tabis nomine aut phthiseos comprehendisse, ut 6. *variarum* 22. docet Mercurialis, & his nominibus ipsa pulmonis ulcera, ad quæ macies ingens sequebatur, *Hippocratem* (qui de febre hectica nil locutus est) appellare consuevisse. Tandem cùm harum affectionum nomina apud ipsos medicos indistinctè proferantur, & communiter apud vulgus sub hecticæ, & phthisis nomine confusè & sine distinctione sæpiùs nominentur, ex eo quòd omnis phthisicus sit hecticus, licèt non ècontrà; & quemadmodum ipsa per se solùm hectica febris minimè contagiosa est, ita phthisis, & pulmonis ulcus, cui ipsa necessariò adjungitur, inevitabili tabe maximè contagiosa sit affectio, ut nemo non novit; inde evenit, ut vulgus hecticam cum phthisi confundens, nec distinguens quando per se sola, aut quando cum phthisi adjuncta inveniatur, utrumque affectum simpliciter hecticam nominans, maximè contagiosam esse dicat: quod ut de hectica cum phthisi, & ulcere pulmonis conjuncta verum est, ita de hectica simpliciter dicta absque pulmonis ulcere nullum contagium habere certissimum est; sic enim intelligendus est Galenus *lib.* 1. *de feb. diff. c.* 2. cùm ait: *Et eorum, qui tabe correpti sunt, consuetudo nequaquam secura, neque omninò eorum, qui putridum expirant; adeò ut domus, quas habitant, fœtidum exhalent odorem.* Quantum verò contagiosa sit phthisis, & putredo ex pulmonum ulcere spirans, omnes practici advertunt, ut de hoc nemo dubitet; aliter de tabe, quæ sine ulcere est, & consumptio tantùm, in qua nullum adesse contagium videtur etiam scribere Castrensis *lib* 3. *de meteoris microcos. c.* 5. *propè finem.* Quòd si Complutensis *Fontecha* aliter de febre hectica existimavit, forsan vulgi opinionem sine ullo examine secutus cum eodem hallucinatus est, non verò quòd apud alium auctorem legerit.

3. *Hectica febris unde apud vulgus contagiosa putetur.*

4.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA.

De singularibus remediis pro nothis tertianis per multum tempus durantibus, & cum tædio longæ curationis perseverantibus: nec non de particularibus circà illarum urinas. Obiter quæritur, quare in pestiferis febribus & malignis optimæ appareant? Adducitur causa à paucis cognita aut tradita, quare optimæ sint in prædictis febribus & laudabiles.

SI non mortis periculo, durationis pertinaciâ tædiosa febris est, quam tertianam notham communiter appellamus, & intermittentem; quæ miseros patientes ita non raró anxiè torquet, ut illius contumaciam ferre non valentes, ingentem laborem sustineant, & longâ accessionum assiduitate confecti gravem molestiam subire cogantur: annos tres, quinque, septem, & plures durantem sunt qui viderint. Ronsæus *epist.* 13. dequadam matrona narrat in aula illust. Principis Erici, quæ tertianam per annos 30. passa est; hominem alium, qui per alios 30. eâdem febre laboravit, refert Zacut. 3. *prax. mirandæ cap.* 19. Mirum sanè est, omnia morborum prodigia, quæ hinc inde, ut rarissima, variis in mundi plagis aliquibus videre contigit, hunc auctorem vidisse: sed fides apud eundem maneat, credat unusquisque quidquid voluerit de homine, qui ut sibi multa arroget, sæpiùs incredibilia loqui, & enarrare non veretur; quæ enim & quanta fides illi adhibenda sit satis ostendit Fortunatus Plempius *lib.* 4. *suæ ophtalmog. probl.* 47. nec etiam illi multum fidit Vander Linden *in suis selectis sect.* 8. §. 97. quemadmodum de *Amato* idem existimat *Salius.* Tantæ igitur durationis causam ad rebelles, & admodum irradicatas obstructiones medici referunt: acutissimus Gentilis *in extravag. quæst.* 14. dubium proponit, quarè longior hæc febris sit, quàm quotidiana, cùm hæc ex pituita tantùm oriatur, illa ex eadem cum bile mixta,

1.

2.

quæ

quæ illius lentorem secat, crassitiem tenuat, torporemque & frigiditatem discutit, & calefacit? & præter alias causas hanc potissimam reddit, quia bilis vitellina secum pituitam ducit, & in meatibus porisque partium profundius imbibit, unde difficilius educitur; quod ipsa pituita sola ob crassitiem facere non potest. Quomodocumque sit, hanc febrem ad menses sex durantem 1. *ad Glau. cap* 8. vidit *Galenus* verissimus auctor quem terminum æquare & excedere alii non pauci observârunt.

In difficili & rebelli illius curatione multi multa proponunt auxilia, quæ tamen omnia illius febris contumax natura deludit; sed felicem plerumque eventum assequuntur illi, qui statim ab initio, & antequam sanguinem extrahant, primam corporis regionem optimè evacuant: consilium sanè nunquam spernendum, cùm talis evacuatio in exquisitis sæpissimè omninò febrem auferat, & in nothis multùm ad illarum citissimam curationem & abbreviationem conducat; præsertim si accesionis initio vomitus à natura provocetur, aut de nausea conquerantur ægroti, tunc enim practici omnes (paucissimis demptis) hoc tanquam utilissimum consulunt. Qui à sanguinis missione incipiunt, cum gravi ægrotantium damno id faciunt, ut Hispalenses in more habent; quorum curandi modum hac parte nunquam imitari auderem, cùm in aliis omnibus doctissime se habeant: sed hunc illorum morem ego semper damnavi, trahuntur quippe ad venas à sanguinis missione inanitas cruditates omnes & humores qui in prima regione redundant, & in hac febre natura ad illam detrudit; quo fit ut non solùm febris magis irradicetur, & longior evadat, sed ex simplici non rarò duplex, & ex hac continua subcrescat, ut optime advertunt *Mercatus*, *Sennertus*, *Zacutus*, & multi alii, inter quos Lazarus de Soto *in animadvers.* non semel tantùm, sed bis, aut ter, si opus fuerit, lenitivum propinari debere consulit: non enim sufficit, ut illi ajunt, clysteribus huic evacuationi satisfacere, quia cùm hi fæces tantummodò plerumque extrahant, quæ in ventriculo & primis intestinis meseraicisque venis continentur, excrementa & humores relinquuntur, qui ad venas recurrendo illas magis ac magis implent, infarciunt, obstruunt; unde contumacior redditur febris, & non rarò ex intermittente fit continua.

His igitur obiter dictis adversùs rebellem hanc febrem, quæ dirissimè & diutissimè ægrotantes non rarò conficit, selecta aliqua remedia afferam; quæ ex auctorum lectione decerpta nunc medicis ostendam, ut posthac auxilia in promptu habeant, quibus renitentem istius febris contumaciam evincere valeant, ne miseros ægrotantes longo labore afflictos, desperantes, & remediorum impotes derelinquant. Horum aliqua maximâ utilitate expertus sum, sed plurimorum auctores nominabo, ut ad illos recurrere facilè unusquisque possit; illud prius admonendo prædicta auxilia non applicanda nisi postquam debita curatio optimè disposita & ordinata jam fuerit, & ægrotantes, prout decet, evacuationes & reliqua auxilia fuerint experti; & in illis in quibus febris ad 50. & plures dies se invicta ostenderit, solet quippe in talibus urina bra satis apparere, quod ex caloris imbecillitate, & renum evenit; quo tempore nullo rumodo evacuantibus, aut sanguinis missione uti licet sine ingenti damno, sed medicamentis, quæ calorem naturalem à diuturno morbo victum & flaccidum restituant, reparent, ac restaurent, tota curatio perficienda est, obstructionum curâ non omissâ. Plurima igitur ab auctoribus satis laudata jam proponentur.

Joan. Freitagius *in aurora medicorum* non pauca adducit, quorum potissima hæc sunt: *lib.* 2. *cap.* 7. *de centau. minore*, florum illius & foliorum decoctum utilissimum pro hac febre esse ait, quòd obstructiones reseret, bilem per alvum expurget; & de illius succo idem tradit cum hydromelle propinato: quamobrem scribit ipse, specificum esse tum hujus febris remedium, tum cæterarum obstructionum, tam hepatis quàm lienis; quapropter herba hæc inter alias febrifuga meritò dicta est: utilius remedium erit, si cum decocto addatur oxymel, sic enim magis abstergit & inscindit. *Secundum* affert idem auctor *cap* 8. *sequenti*, nimirùm chamædrys decoctum per aliquot dies propinatum, quo tertianas profligari ait, ideoque hanc plantam, herbam febrium, & febrifugam etiam dictam ait: firmat *proprio de illo cap.* Lacuna, qui propter hanc insignem illius utilitatem apud Italos in magno pretio haberi scribit; quin & apud Ægyptios propter eandem causam pro maximo secreto ad tertianas nothas haberi refert Prosper Alpinus *lib.* 4. *de med. Ægypt. cap.* 15 antè accesionem enim pulveris chamædryos drachm j in jure pulli, aut in decocto ex eadem herba parato cum saccharo per multos dies propinare ait. Aliàs etiam eodem decocto, aut absinthii

cum

cum drachm. j. agarici eosdem uti consuevisse tradit, multaque alia affert, quæ ibi videri possunt: quibus etiam decoctis adnumerari potest Eupacorii decoctum quod non solum ad tertianas, quartanas, sed & ad quintanam mirè prodesse scribunt Zacutus *lib. 4. de princip. hist.* 37. & Sylvaticus *contro.* 57. *Tertium* ex eodem auctore & libro *cap.* 21. est decoctum asari in vino paratum cum melle, addito pulvere macis & cinamomi per aliquot dies sumptum; quod probat *Mathiolus* auctor gravis, & in herbarum viribus expertissimus. *Quartum* scribit idem *Freitagius* eodem *lib. 2. cap.* 38. ad febres contumaces, & diuturnas, paulò ante insultum paroxysmi, unc. j. succi radicis sambuci (in vino vel in jusculo præberi potest) de quo ait si bis aut ter assumatur, febrem non reverti; & sane hoc remedium pro quartanæ feritate domandâ alii medici laudant, aquosos enim humores vomitu & secessu potenter evacuat:

6. quare ad rebelles febres eradicandas illud consulit Soto *in animad. cap.* 10. ex quodam medico Lusitano; sic autem propinandum docet, vini, mellis, & succi sambuci ana unc. ij quo remedio quartanas febres sæpiùs curâsse gloriabatur auctor: apud alios *cap. de hydrope* plura dicuntur. *Quintum*: Lacuna aquam gentianæ destillatam maximè laudat. *Sextum*: Fonseca *tom. 2. cons.* 51. oxymel, vel syrup. acetosum in quo coma absinthii maduerit, optimum ait esse remedium & à *Galeno* usitatum. Sed præter *Lacunam*, eandem aquam gentianæ destillatam in balneo Mariæ febres tertianas expellere, si trium aut quatuor unc. mensurâ parùm antè frigoris accessum ægroto propinetur, firmat Mathiolus *lib. 3. in Dios. cap* 3. paucissimis enim diebus febres tertianas, & quartanas curare ait. Eandem aquam, ut optimam in hoc casu commendat Weckerus *lib. 2. syntax. c. de tert. noth.* quam aliter sic componit ℞ radicum gentianæ unc. ij cardui sancti, pentaphylli ana M. ij. omnia in sero lactis macerata duplici balneo distillentur. Tandem alii ex succo gentianæ condensato unc. j. accipiunt, quam cum pul. diarrch. abbatis, & aromat. ros. ana scrup. dimid. in brodio avis optimo cum successu propinant. *Septimum*: idem *Fonseca* sic aliud remedium parat, ℞. syrup. cap. ven. drach. j. aquæ vitæ unc dimid olei sulphur gut. iij. quam potionem ait sudorem & urinam movere, febremque solvere. *Octavum* ex eodem *Fonseca*, aqua infusionis absinthii ad consumptionem medietatis ebullita, cujus unc. iiij. per duas horas antè accessionem si sumantur, sudores movet, febrem solvit. *Nonum* ut optimum ex Quercetano & à se expertum affert idem: aquam camemali ex illius floribus destillatam, ad longas & pertinaces febres, magnum esse remedium, si per quatuor dies jejunè ad unc. j. bibatur. Trochiscos etiam eorundem florum parat, & ad drach. j. exhibet in jure pulli; decoctum etiam camemali ibidem tanquam efficacissimum affert, quod remedium maximè, & multò antea laudavit Manardes *lib.* 19. *epist.* 4. quod sic componit ℞. florum camemali pug ij comarum absinth. pug. j. coquantur in unc. xij. aquæ cichoriæ ad tertiæ partis consumptionem, factâ colaturâ addatur sachari quantum pro dulcedine satis esse videatur cujus sumat unc. iiij. calidè, tam pro tertiana, quàm pro quartana, in illarum declinatione horâ unâ antequam paroxysmus invadat jejuno ventre, & in die quietis 4. horas antè cibum. Utrumque enim remedium efficacissimum est & à me expertum, certissimè enim has febres curat; humores quippe resolvit, discutit, crassos attenuat & inscindit, calorem enervatum excitat, adauget, naturam à morbo superatam corroborat, ventriculi, jecorisque & venarum concoctiones adjuvat, naturalemque calorem à præternaturali dejectum ac resolutum mirè reficit, & illius deperditam vim restaurat. Ideo inter illa, quæ febrifuga appellantur, camemalum primum locum obtinere non est dubium: hanc siquidem prærogativam de quatuor herbis maximè decantari invenio, sunt verò hæ, chamædrys, camemalum, centaurum minus, & pempinella.

7. *Febris fuga de quibus plantis dicatur.*

Tandem ex eisdem camemalo & absinth. decoctis paratur *oxymel*, aut in oxymelle eædem herbæ concoquuntur & infunduntur, quod dictis febribus erit utilissimum; præsertim si in hoc oxymelle, aut in alio simplici agaricus & rhabarbarum infundantur. Denique alii absinthii decoctum tantummodò tribuunt cum uncia j. oxymellis, alii syrupum absinthii cum eodem oxymelle, & desuper decoctum cinamomi, fœniculi, passularum, rad. end. ad unc. ij. propinant, quod mirificè prodest.

Ioan. Crato vir doctissimus singularia etiam remedia pro his febribus attulit, pro quibus purgationem sic inprimis parat *lib. 7. cons.* 47. ℞. aloës succo endiviæ aliquoties imbuti drachm. ij. rhabarb. elect. aquâ cinamomi respersi drachm. dimid.

agari-

agarici trochiscati drach. j. & dimid. cum syrup. absinth. formentur pilulæ: de quibus drach. j. porrigit. Postquam verò bis aut ter hac purgatione utitur, aquam cuscutæ destillatam laudat, in qua prius agrimonia & absinthium per noctem infundantur, quam per sex dies propinare jubet; aut drach. j. trochiscor. de absinth. in eadem aqua. Deinde hypochondria (quod multum interest) sequenti unctione inungere præcipit: ℞. olei amygd. dulc. unc. j. vini optimi unc. j. herbæ absinth. m. j. rof. rub. camemali ana p. j. coquantur ad vini consumptionem, & usui detur. Idem *Crato* haustum vini in quo rhabarbari nodulus cum cinnamomo infundatur, tanquam optimum commendat; die verò accesionis, in quo à dicto remedio abstinet, poculum ex decocto radicis chinæ propinare jubet cum pulvere Zedoariæ, & aliis. Vinum etiam absinthidis in hoc casu multum valere notissimum est.

Sunt præterea alii, qui tanquam probatissimum extollunt, unc. j. succi plantaginis in vino ter quatérve assumere. Alex. Benedictus *lib.* 30. ubi multas compositiones & remedia ad varios morbos collegit, pro febribus tertianis sic habet: ℞. succi polygonati, radicum plantag. ana unc. j. & dimid. cuscutæ, seminis sinapis albi ana drach. j. fervefacto & percolato succo adde sacchari quantum vis: antè paroxysmum datur duarum horarum intervallo, tertiaque potione plurimos convaluisse ait. Mizaldus *cap.* 1. *camp.* 8. *sui alexirepi*, omnibus remediis præfert aquam ex nucibus viridibus destillatam, antequam maturescant, cujus tres aut quatuor uncias paroxysmi initio exhibet. Hoc remedium maximè extollit Hieron. Sorianus *in suis experimentis*, & certissimum esse prædicat, multisque experimentis testatur, non solùm rebelles tertianas, sed quartanas etiam hoc auxilio extirpâsse. Sunt tandem qui balsamum, si optimum inveniatur, mirificum esse pro debellandis tertianis laudent; si illo antè accessionem spina illinatur, & ejusdem guttulæ sex in decocto convenienti exhibeantur, puta cinnamomi, cardui benedicti, flor. borrag, aut similium. Sunt etiam alii, qui usum terebinthinæ commendant; optimè enim deobstruit, abstergit, & evacuat. Quòd si febris intensior videatur, ut calidiora remedia suspecta sint, & commodè usurpari non posse videantur, decoctum radicum diureticarum cum rad. end. vel in jusculo, vel melius in sero lactis exhiberi poterit, aut rhabarbarum in eodem sero, aut aqua end. decoctum; de omnibus enim medicus pro indigentia morbi, & hominis temperie, eligere poterit, ut *in praxi miranda* optimè consulit *Zacutus*.

Hæc medicamenta empirico modo adducta quivis hic in catalogo habere poterit, ut cùm se offeret occasio pro ægrotantis & morbi natura, quod conveniens magis videatur, eligere possit; sed nullo tempore, nisi cùm post longam curationem febrem in declinationem tendere jam satis est manifestum, omnesque evacuationes & cætera auxilia, diuretica etiam juscula sine utilitate exhibita fuerint; quibus omnibus peractis cùm adhuc febris non cedit, ad specifica & febrifuga tunc accedendum, qualia proposita à nobis sunt; quibus si necdum febris obediat, nec ad exitum tendere videatur, particularia alia tria remedia adhuc restant, & quidem optima, quibus rebellis hæc febris & ingentes illius obstructiones, quę illam fovent, expugnari & evinci poterunt, partiumque internarum & caloris debilitas adjuvari, & in naturalem optimumque statum reduci. Si itaque talis ac tanta fuerit illius contumacia, ut prędicta omnia deludat, & incassùm adhibeantur; duo præcipua sunt, quæ pro ultimis medicinæ conatibus adhiberi possunt, quibus ad rebelles obstructiones, humores crassos & lentos attenuandos & expellendos in simili febrium contumacia uti possumus. Primum, quod in hoc casu usurpari solet, sunt sudores, quos temerè in tertiana notha admodum diuturna medici timent; quippe non solùm in quotidiana, ut multi consulunt, sed in prædictis tertianis admodùm prolongatis, & remediis aliis non obedientibus promoveri possunt, ut latè probant P. Pœna, & Mathiol. Lobel. *in plant. hist. cap. de ebeno.* Weckerus *cap. de china.* Sennertus *lib. de morbo gall. titul. de ead. rad.* Angel. Victorius *consult.* 8. Laz. Riverius *cap. de quart.* Zacutus *lib.* 3. *prax. mir. cap.* 30. *& lib.* 10. *prax. hist. cap. de semitert.* & alii juniores peritissimi. Quare non est quòd aliquis efficacissimum hoc auxilium reprobet, cùm multorum votis & felici experimento probatissimum & utilissimum habeatur: igitur pro illius usu, & sudore movendo, non solùm sarsaparilla, ebenus, chinæ radix, sassafras, sed cætera omnia sudorifera usurpari possunt; & pro febris intensione, & ægrotantis temperie hæc aut illa recipi, eligi, addi, mutari.

9. Alterum ad quod tanquam ad sacram anchoram confugiunt, est chalybis usus, ut consulit Julius Cæsar Claudinus *in append. de ingressu ad infirm.* qui tam ex tertia-

Pro feb. tertiana notha rebelli chalybis usus optimus.

nariis, quàm ex quartanariis, multos hoc auxilio curatos fuisse scribit; & meritò quidem, cùm nullum aliud sit quod antiquissimas & altiùs infixas obstructiones, febresque virginum amatorias, venarum infartu, crudorum crassorumque humorum saburrâ diu perseverantes aperiat, attenuet, extergat, calorem nativum excrementorum pituitosorum congerie pænè obrutum & suffocatum suscitet, ac pallidum emortuumque faciei colorem vivificet, & nitido rubicundoque splendore pristinam salutem ac pulchritudinem restituat. Vltimum tandem, quod pro hac debellanda febre adducere placuit, est oxysaccharum vomitivum; quo sanè remedio apud Antverpienses obstinatissimas has febres mirificè curari vidi. Illius compositio ex Angeli Salæ descriptione *in anatomia antimo. sect. 2. cap. 4.* talis est: ℞. vitri antimonii pulverisati unc. dimid. aceti vini albi odoriferi unc. viij. infundantur in balneo lento per horas 15 colat. adde sacchari albiss. unc. iiij. & in patina reduc ad consistentiam oxysacchari liquidi instar julepii: dosis est ab unc. dimid. ad unc. j. quod felicissimo cum successu sæpiùs adhiberi vidi, horâ unâ antè accessionem; vomitum enim & alvum potenter movet, ita ut incredibili copiâ crassos ac viscosos humores promptissimè educat & per utramque viam expellat, taliter ut non rarò semel tantùm adhibito remedio, febrem omninò defecisse viderim.

Oxysacchari vomitorii compositio & utendi modus.

10. Sed in hac operosa harum febrium curatione præter omnia jamdicta nequaquam illud omittendum, quod doctissimi medici consulunt, ægros scilicèt alternis diebus tantum cibandos, si vires ferant; sin minus, nullâ cœnâ reficiendos, aut saltem paucissima, ut levissimo aliquo jusculo, quandoquidem si absque ullo alimento noctem transigere possint, multò facilius ac citius febrem omninò superari observatum est: nam qui aliter carne aut ovis & aliis optimè nutrientibus cibis in cœna utuntur, morbi causam non tantum fovent, sed debilem & languidum calorem obruunt; quo fit ut febris magis protrahatur, ut Cardanus *lib. de malo medentium usu*, Mena. Trincavellus & peritissimi alii monent, de qua re expertissimi medici *Ioan. de Luna* Hispalensis doctissimi extat apologia, in qua ex antiquorum & recentiorum sententia hoc ita fieri debere multumque expedire cumulatissimè ostenditur.

11. Quoniam igitur particularia hujus febris insequimur, nec illud prætereundum, quod præ oculis habere convenit, & millies videre accidit, circà hujus febris urinas maximè advertendum, quas multoties in protractæ & antiquæ istius febris duratione admodum crassas & rubras apparere conspicimus: in quo casu medici non admodum experti hepatis calorem, aut internæ alicujus partis phlogosim accusant; quo fit, ut aliqui cum maximo ægrotantium damno sanguinem extrahant, penitus ignorantes hujusmodi urinas in morbis frigidis ex multis aliis causis provenire, & in colica à frigida causa proveniente, hydrope, febribus longis melancholicis & pituitosis, ut sunt tertianæ, de quibus hîc agimus, in quibus sæpissimè apparent. Nam in quotidianis sic evenire expressè adnotavit Galenus 1. *ad Glauc.* 7. & latiùs docuit Avicenna *fen 2. lib. 1. doct. 3 cap. 2. & fen 1. lib. 4. cap.* 47. ubi in febribus pituitosis periodicis in processu morbi cum urinis rubris à sanguinis missione abstinet, quod etiam rectè monet Haly abbas 1. *theoricæ cap.* 3. quo loco positis distinctionibus ait medicum fallacissimè juvare existimantem pro curatione ad sanguinis missionē accedere. Causam prædicti rubri coloris urinarum in nothis & productis tertianis febribusque aliis longis ac frigidis morbis, hydrope, & colicâ, similibus, prędictis in locis assignat *Avicenna*: nos cæteris ægritudinibus derelictis quomodo in hac febre accidant tantùm exponemus. *Avicenna* locis citat. colorem phlegmaticis mutari dixit propter aliquam putrefactionem, quæ ei accidit, *fen.* 1. 4. propter corruptionem fieri scripsit. *Martinus à Kakia* super dictū locum *ad Glauc.* aliam causam & optimam reddere mihi videtur, ob jecoris imbecillitatem, venarum & renum; quare, inquit, serum, & rubra sanies ab urina non sequestratur, sed cum ipsa emittitur. Hac ratione Actuarius *lib. 1. de provid. urinar. cap.* 4. urinam rubram in senibus morbi longitudinem aut mortem pronunciare dixit; quia cùm in illis copia sanguinis ob ætatem non reperiatur superest ut ob facultatis retentricis imbecillitatem sanguinem non continentis proveniat. Trincavellus *in 1. de diff. feb. cap. de quotidiana* hanc causam non semper approbat; quare cum *Stephano* Atheniensi, qui doctissimis commentariis *Galeni* librum *ad Glauc.* illustravit, tenet hujusmodi rubram urinam potius oriri ex pituita per putredinem assata, præsertim si ab initio morbi appareat. Langius *epist.* 41. *tom.* 2. ob sanguinis crudi copiam: probat ex Galeno 2. *prog.* 27. ubi ait: *Quoties sanguinis serum pariter cum urina excernitur, urina*

Urina in febribus longis unde rubescat.

urina rubra apparet, indicat bilis sanguinisq; copiam non exquisitâ ratione confecti: quod etiam 1. *de cris. cap.* 12. *in fine* idem Galenus repetit: ob prædictam enim sanguinis cruditatem & debilitatem, quæ ex urina & sedimento rubris indicatur, morbi longitudinem prædicit Hippocrates 2. *prog.* 27. Ex multis igitur causis in febribus pituitosis & frigidis urina in ruborem excedentem mutatur, ut prædicti auctores fatentur; quemadmodum etiam in aliis morbis frigidis, colica, hydrope; ut *cap.* de eadem notat Lupeus *in arte curat.* Fonseca *tom.* 1. *consf.* 29. Rainer. Solenander *sect.* 3. *cons.* 15. Valesius 7. *epid. com.* 59. & latiùs prosequitur Sennertus *lib.* 3. *praxis part.* 8. *sect.* 2. *cap.* 7. *de urina rubra.* Zacutus *lib.* 3. *de princip. hist. com. ad hist.* 5. *lib.* 5. *ejusdem quæst.* 29. & *lib.* 2. *praxis mirandæ cap.* 56. quare à sanguinis missione in his casibus esse fugiendum appositè exemplis & historiis firmat Dodonius *obs.* 31. & 32. ubi rubedinis urinæ in morbis, qui à calore non oriuntur, plures causas affert. Idem docet Forestus *lib.* 3. *de urinis cap.* 3. quod longissimâ cujusdam sacerdotis historiâ ostendit; & innumeri alii, quos longum foret adducere. Quare cum similes urinas in diuturnis tertianis & febribus longis, aliisque morbis frigidis videris, de hepate & ventriculo roborandis potius cogitandum, quàm aliqua sanguinis extractio imperanda, quæ in dictorum morborum statu cane pejus & angue fugienda. Ventriculo igitur, præter externa, providendum tabel. expul. diarrh. abbatis & eboris confectis, vel cum conf. ros. iidem pulveres propinandi, optimi desuper vini haustu ebibito; extrà verò renes unguento comitissæ & ros. addito oleo citoner, aut myrthino inungendi: sic enim paucis diebus urinas ad optimum & naturalem colorem rediisse sæpius vidi, præsertim si nativo calori roborando camemali aquâ & cinamomi debitè prospiciatur.

2.

Tandem, ut de tertianis nothis concludamus, circa illarum urinas duæ dubitationes à paucissimis propositæ restant dissolvendæ minimè vulgares. Prima cur aliquando ab initio urina nullam mutationem ostendat, nec putredinis notam aliquam exhibeat, cum in colore, substantia, & sedimento, nil ab optima & naturali differat? Secunda: quare aliquando declinato & evicto jam morbo & omninò deficiente febre, econtra cruda & incocta non rarò appareat, ita ut nullum beneficium à natura recepisse videatur? Ad primam respondet Trincavellus 1. *de feb. cap.* 7. febres in quibus hoc evenit fuisse ab initio diarias plurium dierum, quod ibidem *Galenus* insinuat, & 3. *de præsag. expul. cap* 4. Approbat Zacutus 4. *de princip. hist. quæst.* 48. Sed hoc non satisfacit, quia dum febris diaria est, nulla dubitandi datur occasio; sed cum jam in putridam mutata est; & per accessiones recurrit, quare putredinis nullum signum ostendat dubium est quod quæritur, cujus solutionem aliter indagare expedit: quare dicendum judico, in simili casu morbum aliquando incipere ab humoribus nondum putridis, sed mole & quantitate naturâ gravantibus ac prementibus cum aliquali putredine, aut aliena qualitate, quæ sufficiens sit ad naturam irritandam, ut illos extrà vasa propellat; unde mirum non est, si toto illo tempore, quo ad illum putredinis gradum non devenerunt, ut urinam immutare valeant, illorum putredinis, quæ nulla aut parva tunc existit, nullum signum urina ostendat. Dic secundò, humores in tertiana notabiliter intrà venas aliquando non putrescere, sed leviter tantum, licèt sufficienter ad hoc ut naturam ad illorum expulsionem irritent, quo tempore extrà ad focum missi deterius putrescunt, à bonorum consortio jam separati; urina verò venosi generis notam præbet, aliorum non item: nec enim opus est, ut causa antecedens, quæ in venis existit, notabile vitium contrahat, ut urinam vitiare possit. Quòd si jam cruditatis signa præferat, venarum quoque humores putrefactos esse dicendum. Ad secundam dubitationem dicimus hoc ex accidenti accidere, vel ex nimio potu, vel ob immodicam vigiliam, assiduásve cogitationes, aut alias animi passiones, à quibus calor naturalis à morbo debilitatus debitam coctionem perficere non valet, & facile in suo opere deficit; quo impedimento sublato ad consuetam actionem iterum redit, maximè si aliqua portio materiæ morbificæ non restat, à qua iterum lacessitus coctionem de novo aggrediatur.

3. *...atio- ...a ...ri- ...b. ...ua-*

4. *...in ...is ...sti- ...da- ...q. ...m ...o- ...e-*

Ad illud verò, quod ultimò in quæstione proposuimus, de pestiferorum urinis, quæ plerumq; inculpatæ apparere solent jam accedendū. In hujus eventûs reddenda causa tam multa quæ ab auctoribus adducuntur, & varias illorum opiniones non vacat modò referre, cum passim apud plures inveniantur, de qua re prolixè dubium agitant Zacutus *lib.* 1. *de princip. hist. quæst.* 52. Sennertus *cap. de feb. maligna*, & inter cæteros luculenter Horstius 2. *epist. sect.* 2. quos per otium vide Quàm autem periculo plenæ sint hæ febres satis inculcat Galenus 3. *de præsag. expulf. cap.* 3. & 4. Avicenna

fen 1. 4. *cap.* 1. Rhasis *lib.* 10. *ad Almanʃ. cap.* 2. Averroës 4. *collig. cap.* 14. Sed circa causam bonitatis urinarum & pulsuum in his febribus, quod idem *Averroës* ad naturam superatam, & malignitatis vi exterritam refert, cùm non audeat pugnam cum morbo aggredi; illius opinionem, ut tanto philosopho indignam, quamplurimi meritò reprehendunt: & certè mirandum celeberrimos viros huic sententiæ adhæsisse, cujusmodi fuerunt Conciliator *diff.* 94. Gordonius 1. *de feb. cap.* 10. Jacob. de Part. Thadæus Florent. Hugo Senensis *Avicennam* explanantes.

2. Opinio. Cæterùm ut aliorum opiniones relinquamus, omnium neotericorum consensu verissimum est, ideò in pestilentibus & malignis inculpatam & sanis simillimam videri urinam, quia maligna qualitas præcipua morbi causa existit, non verò humorum aliqua putredo, quæ vel nulla vel exigua in talibus invenitur; & certè verissimum hoc apparet ex sanguine per venæ sectionem extracto, qui plerumque nullâ labe infectus apparet, imò cum ingenti periculo extrahitur, ut notat Fonseca *in suis consil.* Sennertus, Frambesarius, & Riverius practicantium summus coryphæus, innumerique alii: quod multò aliter evenit, ubi putredo major quàm maligna qualitas viget, in quo casu ingentes sanguinis missiones, ut humorum corruptio foras extrahatur, facere expedit; de istis enim malignis ab ingenti putredine ortis intelligendus *Valesius*, cùm 7. *epid. text.* 78. magnas sanguinis evacuationes facere consulit in prædictis febribus, ut latiùs docet Ant. Gendre *lib. de feb. epid. cap.* 19. cæteri omnes de illis in quibus maligna qualitas putredini prævalet, quod ex sanguinis bonitate & laudabili urina ostenditur; quantum enim hujusmodi urinæ periculosæ sint, scribit Avicenna *lib.* 4. *fen.* 2. *tract.* 1. *cap.* 80.

Ton[…] conf. Fram[…] 2. de Rive[…] de feb[…] fol. 1[…] 172.

3. Opinio. Sed licèt hæc opinio circà causam optimarum urinarum ut probabilior & verior ab omnibus accipiatur, tamen contemnendæ non sunt aliorum sententiæ, qui statuunt hujusmodi urinas laudabiles ideò apparere, quia putrida lues circà cor & superiores thoracis partes sedem obtinet, hepate interim minùs affecto, ut tenet Montuus *in Halosi febrium lib.* 7. *c.* 1. quæ etiam *Riolani* & *Rulandi* fuit opinio *lib. de lue Hungarica c.* 3. Et certè non defuerunt qui totum harum febrium periculum & malignitatem in hoc consistere judicaverint, quòd humores in venis cordi proximis putrescerent, unde tanquam ab inimico viciniori major noxa sequeretur, ac curatio difficilior:

4. Opinio. ita putavit *Ant. Cartag.* in suo doctissimo libro *de feb. pestil.* Nec etiam rejiciendi sunt

5. Opinio. alii, qui hoc ad naturam vi morbi oppressam referunt; tunc enim, ajunt, non agit natura actione, quâ separet aliquid ex materia. Alii tandem non præter rationem putârunt has febres licèt malignas ad diarias pertinere, ac propterea in

15. illis urinam nullam mutationem subire. Verùm an diaria febris possit dari maligna, inter medicos dubium est, nondum omninò determinatum: nam licèt hanc febrem diariam malignam concedant Fracastorius & Fernelius *lib.* 2. *de abditis cap.* 12. Langius *epist.* 19. Joubertus *de peste cap.* 6. Augenius *lib.* 6. *de feb. cap.* 12. Prosper Alpinus *de medicina method. lib.* 5. *cap.* 9. Andreas Gallus Tridentinus *in* 4. *fasciculo de peste*, Montanus, Saxonia, & alii, quos sequitur Castrensis *lib.* 3. *de meteor. microcoʃ. cap.* 11. tamen eandem dari posse negat Valesius *lib.* 5. *contr. cap.* 21. Conciliator *diff.* 94. Salius *lib. de peste*. Vega *lib.* 1. *de diff. feb.* quibus adhærent *Hector Gibaltus*, *Argent.* & tandem *Massarias*, qui febrem diariam pestilentem tam longe abest ut concedat, ut imò appellet figmentum & somnium; cum hoc tamen affirmantium opinio verior est, quàm etiam tenent Vega *lib.* 1. *de diff. feb. cap.* 15. & Joan. Brabus *de feb. diff. cap.* 7. ut latiùs probant *Castrensis* citat. & doctissimus magister meus *Gaspar Hernandes* meritiss. primar. Salmantinus *in com. sup. fen* 1. *lib.* 4. *Avic.* quare in ea urinas sanorum similes apparere debere etiam non est dubium.

Sed cùm dicta diaria maligna, licèt eam concedamus, rarissima sit febris, urina inculpata tamen frequentissimè appareat, ad putridas continuas meritò communiter ab omnibus maligna febris reducitur; quo stante de optimæ ipsius urinæ causis supradictas rationes à quampluribus excogitatas jam adduximus, quæ tamen licèt sufficientes & congruæ videantur, aliam à nemine traditam adjungere non gravabor.

6. & nostra opinio. Credendum quippe in malignis febribus ideò urinam aliquando laudabilem & co-

16. ctam apparere, quia putrescens humor, qui febrem causat, non in vena cava, sed in ramis venæ portæ subsistit, ibique sedem obtinet; unde sæpè accidit, ut in hac febre maligna ægrotantes de ventris dolore conquerantur, ingentique nau-

nauseâ vexentur, alimentumque omne aversentur, imò nec admittant, & vel in parva quantitate sumptum ingenti ventriculi irritatione rejiciant, ac vomere cogantur, quod à malignis vaporibus ventriculum inficientibus evenit: à ramis enim portæ ad intestina & ventriculum venæ impertiuntur, juxtà quas & ad ostium hepatis in ejusdem portæ truncis humorem contineri arbitror; quæ quidem venæ cùm ad cavam jecoris pertineant, & non ad gibbam, hinc accidit ut urina non admodum immutetur, cùm cava jecoris per ventrem, gibba per urinam superfluitates suas exonerent: hinc videmus syntethicam, & colliquativam diarrhœam in talibus non rarò accidere à maligna putredine ibidem stabulante. Itaque in hujusmodi febre, & in intermittentibus quandoque ex hac causa urinam inculpatam esse, & de morbo nil ostendere non immeritò suspicari possumus: de quo legendus Sanctor Sanctorius *lib.* 5. *vitand. error. cap.* 6. ubi non sine optima ratione concludit, urinam cruditatem præcipuè ostendere, vel coctionem humorum, qui in cava putrescunt, non verò in aliis partibus. Ex quo pensitandum est, quàm fallax judicium aliquandò ab urinis desumatur ac incertum, præcipuè in febre maligna, in qua licèt optima signa undequaque sese ostendant, minimè tamen huic perversissimæ febri fidendum est, cùm sæpè sæpiùs in maximo symptomatum conticinio, & quando jam omninò desiisse videtur, subitò velut securum medicum ac benè sperantem deludat, & ægrum jugulet, ut latè advertunt Lemosius *lib. de prædicendi ratione cap.* 12. Matthias Cornarius *lib.* 2. *ench. cap.* 1. & Zacutus *lib.* 3. *praxis mirandæ cap.* 48. De quibus tandem optimis pestilentium urinis puto intelligendum esse Hippocratem 2. *prorrhit. text.* 24. ubi ait: *Vrina cocta mala*, quod *in coacis* iterùm repetit. Quod non omisit Avicenna *fen* 2.4. *tract.* 1. *cap.* 80. *&* 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 2. pro quibus locis & doctrina vide Beteram *lib.* 1. *de igne pest. cap.* 29. *fol. mihi* 58. Amb. Nuñes 2. *aph.* 27. Lemosium *de optima prædicendi rat. lib.* 2. *cap.* 2.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA PRIMA.

An verum sit quartanam bis eundem hominem non invadere, ut Hippocrates *docuit: & cur ita plerumque eveniat? Agitur etiam de quartanæ aliis singularibus.*

A Tertianis ad quartanas transeamus, quandoquidem tardissimæ hujus febris non minora sint particularia & admiranda, quæ ab auctoribus narrantur; in quibus recensendis paulò nunc immorari decrevimus. Illud itaque inprimis non sine admiratione referendum, quòd inter morborum tormenta aliqui sint, qui suis laudibus & utilitatibus non careant. Hoc pacto de podagræ encomiis libellum scripsit *Cardanus*, & eodem modo de quartanæ laudibus aliqua tradidit Gellius *lib.* 17. *cap.* 12. quem imitans Guillielm. Insulanus ejusdem febris encomium scribere non dubitavit, ut emolumenti aliquid in ipsis quoque morbis inesse videatur; inter quas utilitates corporis magnitudo & proceritas numerari debet. Observatione dignum est, quod *Marcellus Donatus* affirmat, omnibus scilicèt quartanariis in conspicuam proceritatem corpus excrescere, tantæque aliquando molis evadere, ut ex eadem causa virginem giganteam, & ingentis suprà communem altitudinis factam vidisse scribat Wierus *in suis observat.* Sed nec illud inter illius rarissima minus mirandum, quod durationis contumaciâ adeò pertinax aliquando fuerit, ut nullis remediis cedens longissimè protrahatur: stupenda sanè sunt exempla illorum, qui non solùm per plures annos, sed per totam vitam hanc febrem passi sunt, & veluti vitæ suæ comitem habuerunt; nam licèt Hippocrates 6. *epid. sect.* 6. *text.* 22. quartanam dixerit ultra annum non produci, tamen variis incidentibus causis ulterius ac multò longiùs processisse visum est. *Mena* per annos 7. durantem vidit in Catharina de Cavallos, sororis Philippi Regis famula, ut ipse narrat *in meth. cap.* 3. Fernelius 4. *Patholog. cap.* 14. ad annos 9. eandem extendi vidisse refert: ad eosdem similiter 8. & 9. Forestus *lib.* 3. *obs.* 22. quæ tandem hominem sustulit; qualiter alteri post 6 annum accidit, ut narrat Wierus. Avicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. 12. annum durâsse memorat. Sed pauca

sunt hæc: idem *Wierus* D. de Role, Cæsaris Maximiliani œconomum narrat 18. annos hac febre laborâsse, à qua tandem liber ultrà annum non vixit. Tam enim naturalis jam morbus erat, ut ipso deficiente, cujus calore & motu corporis excrementa expurgabantur, succumbere fuerit coactus. Rhodiginus *lib. 22. cap. 8. antiq. lect.* scribit Vidum Grammaticum Thrasymenum annis 24. quartanâ infestatum fuisse. Tandem annis 33. Henricum Hassem agricolam, & Comitem à Mauval eâdem laborâsse citatus *Wierus* tradit; ut annalis illa ab *Hippocrate* assignata constitutio longissimis intervallis superari & transcendi videatur, de cujus stupendæ durationis causa pulchrè *in com.* Valesius. Tam enim aliquando molesta, & præter omnem spem longa est hujus febris prolixitas, ut M. Porcium Latronem duplicis quartanæ tædio in desperationem actum manum sibi injecisse *Rhodiginus* affirmet *lib. 11. antiquar. cap. 13.* atque ita fato functum: quare *Octavius Horatinus* medicus vetustate commendabilis, Saturni filiam esse dicebat quartanam, non ut Pythagorici, qui eam sic appellabant, quòd videlicèt ille humor ab intelligentia quadam non errante dirigi videatur, ut 3. *aph. 22.* notat *Mercurialis*; sed ob tarditatem & malignam contumaciam, ut tradit Dalechamphius ad *Plinii lib. 7. cap. 50.*

4.

Sed præter hujus febris contumaciam notatu dignum est, in tantam circuitûs differentiam, & dierum varietatem hujusmodi febres non rarò devenire, ut statuto ordine non quintanam modò, sextanam, & quæ sequuntur aliorum dierum intervalla efficiat, sed mensem aliquando interponat. Longum esset, si quæ de hac re tradita sunt exempla percurrere voluissem, quorum multa apud *Schenckium* facilè legi possunt, ubi hebdomarias, octomanas invenies, imò & mensales; quas etiam vidisse narrat Lemosius 9. *meth. disp.* 4. auctor sanè veridicus & minimè fallax, qui & ad 14. dies repetentem observâsse memorat. Quid si jam periodos illas annales spectemus, quas ut rarissimas & admirationis ingentis maximi naturæ contemplatores nobis enarrarunt? Plinius *lib. 7. cap. 51.* Valerius Maximus *cap. ult. lib. 1.* de Antipatro scilicèt poëta, cui omnibus annis eodem quo natus fuerat die febris adveniebat, quæ tamen illum senectute confectum sustulit: quod ne raritate plusquam dicere par est incredibile videatur, similiter & alii observârunt; & inprimis Rhasis *tract. 16. cont.* semel in anno perpetuò invadentem vidisse scribit; & alterius plurimis annis una die & horâ advenientis & periodicantis testis est Gentilis *super Avic. citatum* in Mag. Jacobo Vero de firmo: & ipsomet naturali die singulis annis repetentem in Joan. Architecto notavit Benevenius *cap. 84. de abditis*, quæ tandem sicuti Antipatrum senescentem hominem jugulavit; ac tandem hujusmodi aliam vidisse scribit Thom. à Vega *com. ad lib. 2. de diff. feb.* & aliam Amatus *centu. 7. curat. 75. in scholio.* Sed iste, cùm nunquam credere voluerit quod non vidit, nos de illo omnia, quæ vidisse narrat, credere non debemus.

5.

Paululùm ab his portentosis circuitibus descendendo contemplemur jam mirabiles quartanæ exitus quæ cùm sæpiùs nullis optimè adhibitis auxiliis evinci potuisset, subitis tamen aliquibus casibus, & animi repentinis affectionibus, aliquandò & pessimarum rerum esu finitur; ita ut quæ ad ingentes machinas immota permansit, levioribus ictibus ac vix vento impulsa non rarò dejiciatur. *Democritus*, ut refert Adrian. Junius *c. 1. l. 3.* flagitium aliquod insigne necessariò committendum fore putavit, ut maligna istius febris contumacia debellari posset: nimirum hominem sauciare, jugulare, sanguinem bibere, menstruum adlinire, sacras aves & animalia religione prohibita edere, aut hujusmodi alia; quippe pro morbis & affectionibus contumacissimis, quæ medica auxilia & humanam opem frustrari consueverunt, detestandum aliquid & flagitiosum committi debere magica induxit fraus & diaboli astus invenit. Sic Faustinæ Antonii philosophi & Imp. conjugi, cui gladiatoris amor indelebilem flammam in præcordiis excitaverat, ut ab erotica affectione liberaretur, quâ animus exardescebat, gladiatoris ipsius sanguinis haustum tanquam optimum remedium consultum fuisse auctor est Capitolinus *in vita Anton.* sic eodem dæmonis commento pertinaci ac nec Herculis quidem clavâ domando morbo, quem comitialem dicimus, idem remedium usurpandum ominosa antiquitas non erubuit dicere; cujus testimonio confidens *Celsus* epilepticos aliquos tali auxilio liberatos scripsit *lib. 3. cap. 23.* quod posteà aliqui inculcârunt, ut Septimius Florens Tertullianus *in Apolog.* & ex antiquis medicis Aurelianus *lib. 1. tardar. pass.* in ejusdem morbi capite, præstantisimum addens remedium esse calentem adhuc sanguinem ex plaga manan-

6.

7.

cap. 9.

manantem sorbere, ut latius prosequitur doctissimus Lipsius *cap. 22. Satur. lib. 2.* quod tamen nefandum remedium, & vel ipso tantum nomine humanæ naturæ horribile, satis detestatur Plinius *lib. 28. cap. 1.* ubi perbellè: *Quasi verò* (inquit) *sanitas videri poßit feram ex homine fieri, morboq; dignum in ipsa medicina, egregiá hercle frustratione si non prosit. Aspici humana exta nefas habetur, quid mandi? quis ista invenit ostenta? Tecum enim res agitur eversor generis humani, monstrorumq; artifex, qui primus ea condidisti.* Imò idem *Tertullianus* ex sanguine humano apparata pharmaca exitialia, & à cacodæmone tanquam ad hominum perniciem inventa repellit & damnat. Etsi enim in morbo Regum aliquot Ægyptiorum leprâ laborantium factitatum scribat Plinius *lib. 26. cap. 1.* acerbè tamen remedium damnavit: fuit enim Ægyptiorum error jam pridem sepultus, quem factiosus sycophanta *Paracelsus* ab illis mutuatus in lucem eruit, adversus quem optimè sic Duretus: *Superstitio est*, inquit, *vel ostentatio celebrare ejusmodi remedia ebriosi illius fanaticiq; athei Paracelsi, quorum jam pridem explosa commendatio è schola Hippocratis, exulatq; apud hypocritas medicos & veteratores, quorum vanitas ambagibus tantùm solertißima esse solet.* Sed de hujus remedii crudelitate & superstitione jam satis *quæst. 23.* egimus, quod etiam præter innumeros optimè damnat Alex. Benedictus *lib. de peste cap. 9.* & plures alii.

Sed sicuti hoc *Democriti* consilium pro quartana, & ex sanguine humano pro epilepsiæ curatione petita remedia, ex Satanæ gymnasio absque dubio profecta, fabulosaque sunt, & execranda semper habebuntur; ita rariora alia, quæ veriora esse & sæpiùs profuisse animadversa sunt, non omittenda. Auctor est Plinius *lib. 7. c. 50.* Q. Fabium Maxim. Cons. apud flumen Isaram prælio commisso adversus Allobrogum Arvenorumque gentes febre quartana in ipsa acie liberatum: idem capitaneo ex S. Albano in prælio cum Hispanis commisso accidisse refert Paræus *lib. 1. cap. 23.* ubi de nobili alio Gallo narrat, qui ut quartanarii insultûs molestias falleret cum amicis ad fluminis ripam deambulans, ab alio per jocum in profluentem detrusus (aut, ut cogito, ex industria) tantum pavorem repentè concepit, ut à quartana prorsùs liber nunquam deinceps illam senserit. Hoc verò non aliter contingit, nisi ob ingentem animi affectum, cujus motionis vi lentissimi ac tardissimi humores à suo loco moventur & ad alias partes mittuntur; aut quòd subitâ animi perculsione intus recurrente calore attenuentur, & qualitatem illam quæ anteà naturam ad expulsionem irritabat, celeriter amittant, dum aliis & sanguine miscentur; aut, ut Mercatus *de rect. præs. usu lib. & cap. 1.* ait, quia vehemens illa animi commotio expultricem à suo opere perturbat, siquidem movetur tunc alius succorum impetus vehementior, quàm paroxysmi motus, ut *Vallesius* adnotavit *lib. 2. epid. sect. 4. text. 4.* quare natura consueti motûs obliviscitur, & nonnunquam ingenti illâ perturbatione alvus solvitur, excrementaque, quæ in liene congesta servabantur, unà cum fæcibus expelluntur. Quidquid sit, novi etiam ego nobilissimam fœminam, quæ nuptias longiùs quàm par erat remorantes ægrè ferebat; quam tandem cùm pater elocare & nuptui tradere decrevisset, eidemque quartanâ laboranti desideratum hoc nuntium attulisset, eâdem die quâ febris invasionem expectabat, tantâ subitò correpta & commota est animi alacritate, ut febrem à se expelleret, nec deinceps viderit.

Aliter etiam pertinax hujus febris insultus finiri consuevit, ut sæpiùs experientiâ ipsâ innotuit, & plures medici observârunt; siquidem quartanarii aliqui diuturno febris & inappetentiæ tædio molestati ac fastiditi, ulterius in diætæ regulis se continere nequientes, vel tandem aut necessitate, appetentiæve causâ, aut ab aliis edocti, pessimis cibis & potibus utentes ad satietatem usque sese ingurgitârunt; quo sanè consilio rectum ab errore aliquando accidisse non raro compertum est, licet temerarius hic ausus pessimum aliis attulerit exitum, quo non quartanam sed vitam deposuerunt. Quare remedii istius utilitas & causa, & cur aliquando profuerit, jam sedulò inquirenda est, & pericula etiam, ne temerè experientes sanitatis loco ingens damnum aut mortem reportent. Erastus *quæst. 2. de purgat. med. facult.* amicum suum narrat per multos menses à quartana vexatum, limpidissimi fontis frigidissimam aquam anxiè desiderâsse, quâ fruendi cùm nulla daretur copia, tandem nemine observante eâdem ad satietatem usque non solum se implevit, sed infarsit, à quo secuto statim vomitu sanus factus est: quid mirabilius quàm aquæ potum quartanis nocentissimum, & omnis rectæ medicinæ regulis vetitum & prohibitum, salutarem tamen aliquando fieri, & in optimum auxilium evadere? Adeò nil remedii est, quod

malè

malè usurpatum venenum esse non possit; & econtrà nil tam nostræ naturæ contrarium, quod aliquando in commodum non cedat, præsertim si prudenter & suo tempore adhibeatur. Sic *Wierus* citatus alium ait novisse, qui haleces semitostas 21. ante quartanæ insultum comedit, & superveniente inde gravissimo febris paroxysmo liberatus est. Hæc tamen temeritas, & exosæ vitæ despectus sicuti aliis eventum dedit felicem, ita aliis aut summum periculum, aut vitæ exitum attulit; quod evidentibus observationibus apud *Benevenium*, & *Amatum* legimus: hic *cent. 2. curat. 42.* de duobus juvenibus quartanâ laborantibus refert, qui inter se mutuò invitati edulium ex magna melongenarum copia & alliis confectum esitârunt, vinumque satis abundanter superbibentes discesserunt: quo facto impar omninò sors secuta est, nam post vehementissimam febrem, quæ utrumque invasit, alter à quartana, à vita alter pariter exempti sunt. Similiter Benevenius *cap. 59.* de villico suo narrat, qui longiori quartanâ affectus ex cujusdam consilio ferculum ex phaseolis cum omphacio paratis in magna quantitate devoravit, vigintique meri calices insuper infudit; unde inflatus adeò remansit, ut à foco ubi erat vix amoveri potens ibidem pernoctans circà matutinum copioso primum sudore suffusus sit, deinde vomitu quæ comederat non tantum, sed plurima alia excrementa rejecit; quo factum est ut à quartana, quæ totum jam annum duraverat, liber evaserit. Sed hæc salutaris felicitas, & remedii comprobata opinio adeò illi fallax extitit, ut 4. pòst anno in eandem febrem quartanam incidens, eodemque auxilio morbum evincere tentans, atque eisdem pænè rebus quibus antea inconsultè abutens, antè solis ortum eodem quo decubuerat loco mortuus inventus sit. Quæris unde tam discors ejusdem remedii operatio contigerit? Illius non est, sed morbi; nam illis quibus in similibus pravorum eduliorum ingurgitationibus benè cessit, morbo jam inclinante, & crudis crassisque humoribus coctis & ad expulsionem paratis, salutis causa vomitus fuit, à quo unà cum assumptis, quæ morbum fovebant excrementa & humores exierunt, excitatâ nempe & irritatâ virtute expultrice, ut ciborum illud gravamen à corpore deponeret, & saburram illam exoneraret: nam cùm natura longâ duratione morbi quasi connaturalis facti torpescat ac langueat, ab illa ignavia & languore per prædictarum rerum esum & aggravationem excitatur; quo fit ut post vomitum alvum plerumque aut sudorem moveat, sicque humorem illum, qui quartanam causabat, evacuet. Aliis verò, quorum funestus fuit successus, non aliunde sic accidit, nisi quia humore existente crudo illud facere tentârunt; unde gravissimè læsi cùm calorem nativum à morbo diuturno debilitatum ingenti crudorum & pessimorum ciborum quantitate & illorum superfluitatibus repentè obruerint, subitò suffocati & extincti sunt: sic docent præter jam citatos Smetius *lib. 3. miscel. quæst. 2.* licèt de cibis, qui maximâ aviditate expetuntur aliter rationem afferat *Mercatus* loco antea adducto, quem videre non pigeat, & Sennertus *cap. de quartana*, qui omnes rationes ob quas prædicta talium ciborum repletio prodesse possit, breviter & doctè proponit. Sed tamen hoc remedio minimè utendum, & tanquam periculosum à medicis semper vitandum, nec unquam alicui consuli debere prudenter monet; etenim quamvis aliquando prodesse visum sit, hoc per accidens fuit, cùm multis aliis noxium potiùs extiterit, ut *Dodonius* inquit: quamvis enim Celsus *lib. 2. cap. 6.* de omnibus remediis hoc ferè scribat: *Et quæ medendi causâ reperta sunt, nonnunquam in pejus vergunt, &c.* hoc varietati hominum assignat; nos autem periculosum remedium nunquam usurpari debere, rectè consulendum censemus, licèt aliquando utilitatem attulisse compertum sit; sin minùs, non sine docti medici consilio, qui saltem in hoc casu ea alimenta permittat, quæ pro morbi ratione concedi possint, & assumendi quoque tempus indicabit; tantum enim hoc interest, ut quibus victo humore & concocto saluberrimum extitit, aliis crudo existente, & per morbi initia idem remedium exitiale fuerit. Adeò vera est *Herophili* notissima sententia, Medicamenta esse Deorum manus, si rectè & suo tempore adhibeantur; diaboli, si nullâ optimâ ratione applicentur. Celebri historiâ hoc nobis comprobat D. Augustinus *quæst. 4. ad Marcellinum*, quæ Vindiciano accidit, sui temporis medico doctissimo; quippe à quopiam de morbo consultus, patientis doloribus adhiberi jussit ea, quæ pro tempore videbantur convenire. ex quibus æger benè habuit, & optatam sanitatem acquisivit: sed cùm post annos aliquot eodem, ut videbatur, aut simili morbo de novo corriperetur, idemque remedium adhibendum putâsset, vertit in pejus; miratus homo ad medicum confugit, factum & remedium, illius-

[Margin: 12.]

[Margin: 13. *Hist. ex D. August. circa remediorum applicationem.*]

illiusque adversam vicem indicat; cui ille, prout erat ingenio acerrimus, *Ideò* (inquit) *malè acceptum est, quia ego non jussi*; tanquam qui audivissent, nec hominem nossent, illum non medicinali arti fidere, sed innatæ aut insitæ nescio cui potentiæ intelligerent: quare ab aliis interrogatus, qui ad illius dictum obstupuerant, quod non assequebantur, aperuit, se illâ ætate & morbi tempore jam illud remedium non fuisse jussurum. Hanc historiam à paucis adnotatam libuit afferre, propter vulgarium nostri temporis summam imperitiam, & illorum etiam, apud quos usitatissimum est medicum non ante consulere, quàm vetularum, nebulonum, & empiricorum remedia prius experiantur: sed horum ineptum judicium nec Apollo cum Musis sanare unquam poterit, cum nullus horum prius resipiscat, nisi suo damno ex istorum petitis remediis acerbiores experiatur dolores, ac ignorantiæ debitam multam tulerit.

14. *Quartana bis in eundem hominem non cadere dicitur.*

Superest ut præcipuam dubitationis partem absolvamus: An scilicèt verum sit illud, quod nobis *Hippocrates* inculcat, quartanam bis eundem hominem non invadere; & quænam sit hujus rei causa & ratio, si aliqua inveniri potest? Locus ubi *Hippocrates* illud docuerit, apud ipsum non extat: hoc tamen in libro *de septenario*, vel *de septimanis* scripsisse constat *ex Æsio*, cui fidem præstare debemus, licèt ob temporum edacitatem ad nos non pervenerit prædictus *Hippocratis* liber *de septimanis*; nam & illum scripsisse testatur Galenus 6. *epid. com. & text.* 5. & 2. *epid. comment.* 1. *text.* 1. licèt 2. *aph.* 34. Diocli tribuere videatur; sed *Hippocratis* fuisse affirmat Æsius *tetrab.* 2 *serm.* 1. *cap.* 83. approbat Joan. Steve *in præfat. ad lib.* 2. *epid.* & Joan. Talentonius *lib.* 4. *sui thesauri cap.* 2. & plures alii. In prædicto itaque libro, prout *Æsius* transtulit, sic legitur: *Primùm quidem quartanâ febre idem homo bis neque capitur, nec unquam captus est, nec de cætero capietur, si semel sanus fiat.* Sententiam *Hippocratis* ut veram videtur recipere Fernelius 2. *de abditis cap.* 13. quo loco petit ut hujus eventûs causa ab aliis afferatur, interim ipse nullam adducit, unicumque tantùm bis quartanâ correptum vidisse memorat. Alii facilè ab hac difficultate se expediunt, dictum *Hippocratis* ut verum minimè recipientes, cùm experientia contrarium doceat. Hujus opinionis fuerunt plurimi, & Ferdin. Mena *in meth. curand. feb. cap.* 30. qui non minùs credi hoc debere ait, quàm quod de variolis vulgus profert bis eundem hominem non invadere, cùm tamen non rarò aliter accidere videamus; quare de quartana idem sentiendum vult. *Sennertus* etiam ad eandem experientiam confugiens *Hippocratis* authoritatem hac parte non admittit, cum multi bis & ter quartanam passi fuerint. Wierus *in obs. propriis* idem sentit, contrariumque observâsse ait, præsertim in nobili viro Franc. Aloe, qui cum quartanâ febre in juventute laborâsset, iterùm circà annum 50. eandem passus est; fatetur tamen difficile esse quartanam secundò repetere, quia humor, qui illius est causa, longâ indiget & tardâ productione ob ipsius substantiam viscidam & terrestrem; sed tamen minimè impossibile hoc esse ait, nam quartanam qui bis & ter passi fuerint multos observâsse non est dubium, ut de villico suo refert *Benevenius*. Et quendam Priorem ord. D. Dominici ego novi, qui se jam tertiò quartanâ affectum fuisse bonâ fide mihi retulit; tam enim certum hoc est, quàm à plurimis visum & expertum.

15.

16.

Sed licèt hoc ita sit, non omninò videtur rejicienda *Hippocratis* sententia; nulla enim in medicina invenitur doctrina, quæ perpetuò vera sit, & suas exceptiones non patiatur, quod non tollit quo minus tanquam veræ recipiantur: quare sic hanc, quam de quartanæ repetitione *Hippocrates* docuit, admittendam esse ipsa veritas proclamat, & in illo quod frequenter accidit ipsa experientia ostendit, cum utplurimum sic evenire conspiciamus; contrà quod rari eventus obstare non debent, cum hominum diversa natura & multiplex complexionum differentia qualemcumque scientiæ regulam aliquando falsificent: nihil enim (ut ex *Celso* dicitur) in medicina adeò certum est, quàm nihil certum. Quare causam potius indagare expedit, quàm lotis manibus dubii difficultatem evadere, præsertim *Hippocrate* asserente, quem nec fallere nec falli scivisse nobis inculcavit *Macrobius*.

Gomezius Pereira *cap.* 54. *de feb.* Galenistis, ut ipse loquitur, & *Galeni* doctrinam de febribus sequentibus hanc difficultatem omninò insolubilem judicat; quare juxtà opinionem suam de febris generatione (quam fieri ait prorritatâ facultate expultrice à vitiatis succis sanguinem cordis inficientibus, unde cor ipsum in

magnas diastoles & systoles attollitur ac deprimitur) solvi posse statuit. Illius autem solutio talis est: quartanam ideò à principio hominem vexare, & habitum quendam in corde gignere, ut promptiùs à minori causa in prædictam febrem labatur; unde accidit ut ad primæ quartanæ productionem non nisi magna melancholiæ quantitas sufficiat, quia cor illum habitum patiendi non habet, quem postea ex febris assiduitate acquirit: sed postquam hujusmodi humoris expurgatio facta est, & quartana penitus sublata, rursus ad secundæ productionem multò minorem melancholiæ quantitatem sufficere ait ob cordis habitum ex prima contractum, ut facilè proindè à causa debiliori in illas systoles & diastoles exsurgat; quia tamen minor est melancholici humoris quantitas, ideò febrem hanc secundò invadentem durare non posse inquit, nisi per 7. accessiones, aut rarissimè ultrà undecim, unde cùm non pro febris illius consuetudine durent, hinc dici quòd bis non invadant.

Sed hæc sententia sicuti falso nititur fundamento, ita & ipsa nullam veritatem habet: falsum etiam est quartanam secundò advenientem non ultrà 7. aut 11. accessiones perdurare; imò fundamentum quod assumit de cordis aptitudine, & habituali ad patiendum dispositione, ad quartanæ productionem & illius durationem potius facere deberet, atque ita non solum febris ista multoties recurreret, sed ex parva causa longius produceretur; quod est omninò contrarium illi quod de quartana quæritur, & in illius repetitione sæpius contingere visitur.

Rejicitur.

2. Opinio.

Joubertus *lib. de quartana cap. ult.* alias hujus rei rationes affert. Prima est, quia in quartana copiosiores fiunt evacuationes, quàm per alias febres: quare universâ materiâ singulis accessionibus benè consumptâ nullæ remanent fumosæ & semiustæ reliquiæ; quin potius id, quod accenditur, vacuari ait. Secundò existimat per hujus febris longam durationem sensim ac sensim corporis naturam ac temperamentum immutari; quo fit ut deinceps humor melancholicus in quantitate sufficienti non gignatur. Argumentum hujus veritatis esse ait, mores multò antea differentes, ita ut qui semel quartanâ correpti sunt, multò meliorem naturam & corporis habitum comparâsse videantur: probat ex *Phavorino* apud Gellium *lib. 17. cap. 12.* qui ex Platonis mente adducit, dicentis, qui quartanam passus convaluerit, viresque integras recuperaverit, fidelius constantiusque posteà valiturum; de quo latiùs *quæst. 2.* post medium egimus.

Rejicitur.

Sed hujus auctoris prima ratio mihi non placet, quia licèt in quartanæ accessionibus conspicuæ & aliquando magnæ fiant evacuationes, præcipuè per sudorem; tamen cùm materia, ex qua hujusmodi febris causatur, admodum crassa sit & terrestris, non potest tota per sudorem expelli, sed necessariò terrestrior pars relinquitur indiscussa, quæ illic conservata pro aliis accessionibus irritat, & ad durationem totius morbi mediocriter adjuvat; sicuti de nothis tertianis *Mercurialis* & alii advertunt. Rursùs hæc evacuatio, quamvis talis esset, ad secundam quartanam, postquam homo à primis fuisset liberatus, nil facere videretur; solùm quippe ad præsentem morbum præstare ac conducere poterat, quia illius causam tollit; verum ut sequentibus annis de novo non gignatur, non video quòd præstare valeat: nam si in tertianis, quarum humor minus crassus est, nec adeò frigidus, semper cinericii aliquid remanet; quare in quartana non relinquetur? Et sicuti nullæ in tertiana evacuationes sufficiunt, ut posteà sæpius idem morbus non revertatur; quare in quartana illud dicendum erit? cum potius ubi major fuerit humoris excretio, major illius quantitas, & naturæ aptitudo ad illum gignendum argui possit. Quare sicuti primam hanc *Iouberti* rationem futilem judico, sic secundam admitti posse non diffiteor; quia humoris melancholici difficilem generationem arguit, à quo semel natura exonerata pronum non est ut in copia sufficienti pro quartana de novo causanda illum aggregare facilè possit, ut statim dicemus; nisi vel melancholicorum ciborum nimius victus, aut talis hominis complexio accedat, quæ ad illum de novo gignendum multum adjuvet; sic enim illis evenisse cogito, quos secundò aut tertiò quartanam passos fuisse visum est.

3. Opinio.

Lazarus de Soto *in animadvers. med. cap. 10. num. 7.* aliter causam reddere conatus est; aitque rarissimum aut vix ullum reperiri, qui cum à prolixiori quartana evadat, lienem durum & malè affectum non reportet, turgentem, tumentemque; nullum quippe esse vult ab hac febre liberum, qui lienem mollem & benè dispositum habeat, ob congregatum ibi excrementum melancholicum. Cum enim lien publica

publica quædam corporis sentina sit, in eam universa melancholiæ colluvies confluit: quâ ratione cum præcedentis febris ratione lien magis debilitatus remaneat, facilius & prædictum excrementum ad illum naturæ jure depellitur, & ab ipso recipitur; quo fit, ut minus in venis abundet, ut quartanam efficere deinceps valeat, cum jecoris venæ ab hujusmodi succo mundæ puræque existant: hinc procul dubio vult, quòd quartana rursus non excitetur, & rarissimè idem homo secundò eâdem capiatur, quia nec humorem illum in liene stabulantem ad talem febrem iterum producendam dispositum esse arbitratur, cum adeò siccus, terreus, & cinericius sit, ut putrefactioni ineptus prorsus existat.

...itur. Sed licèt hujus auctoris opinio in aliquibus locum habere posse videatur, in illis præsertim in quibus post diuturnam febrem quartanam lienis scyrrhus, aut conspicua illius durities remansit, ob partis ipsius debilitatem, aut propter errores in tædioso & longo morbo commissos; tamen in omnibus assignanda non est, quia multi sunt, qui vel quòd in victu non peccaverint & prudenter se gesserint, vel quòd lien non ita in ipsis debilitatur, aut facilius excrementa illa digerit & expellit, aut quomodocumque sit, hujusmodi lienis vitia non contrahunt, & tamen à quartanæ morbo in cæterum immunes esse videmus. Nec quantumvis in omnibus illud verum foret, sufficiens esset ratio; imò contrarium accidere debere consonum erat: nam cùm lien humorem melancholicum perpetuò expurget, & ad se alliciat, dum malè habet officio suo probè fungi non potest; unde necessariò in venis prædictus humor redundare deberet, ex quo febris iterum progigni posset: sicuti enim hujusmodi lienis affectiones quartanam jam factam producunt ac fovent, ita ad illam generandam multùm adjuvare poterunt; quare alia ratio jam investiganda est.

...inio ...& ... 8. Nobis igitur nulla congruentior esse videtur, quàm si dicamus ideò quartanam secundò hominem plerumque non invadere, quia ipsius causa materialis, humor nempe melancholicus, in corpore deficit; nam cùm iste humor in parva quantitate aliorum respectu generetur, & à diuturna febre quartana antecedenti perpessa consumptus fuerit, sufficiens illius quantitas nec facilè generatur, nec in corpore invenitur, ut secundò febrem excitet: ad quod accedit, quòd cùm ex sui natura difficillimè putrescat, licèt aliqualis quantitas generetur dum non putrescit, febrem nullam accendit, ideoque exquisita quartana rarissimè bis invadit. Quòd difficulter putrescat, ex propria natura & temperie habet, cùm frigidus sit & siccus: quòd verò non detur illius sufficiens quantitas pauca illius generatio ostendit, cùm respectu aliorum in multò minori quantitate generetur, cùm sit quædam veluti sanguinis fæx, & naturæ inimicissimus humor. Et licet Fernelius 6. *path. cap.* 8. majorem dicat generari quantitatem melancholiæ in corpore quàm bilis, quod probat ex eo, quòd natura majus receptaculum illi assignaverit quàm bili, & quia plures partes succo melancholico quàm bilioso nutriantur; audiendus tamen non est, cùm in primis contrarium statuat Galenus 5. *de usu part.* 6. nec rationes illius aliquid convincunt, quia receptaculum melancholiæ majus à natura fabricatum est propter illius humoris crassitiem; bilis verò licèt minus sit, ideò ita factum, quia bilis in multò majori quantitate quotidie evacuatur, ut excrementa alvi & urinæ ostendunt; ideò cùm illud quod aggregatur citiùs exeat, capaciori receptaculo non indiguit. Nec etiam quòd plures partes ab ipsa quàm à bile nutriantur, propterea dicendum est in majori quantitate gigni; nam licèt ita sit, quòd ossa, nervi, & cæteræ omnes frigidæ & siccæ partes illius nutritione indigeant, tamen cùm talis sit naturæ, ut ob crassitiem diu ipsius alimentum duret, & ob hanc causam & partium illarum naturalem frigiditatem difficilè resolvatur, ideò ut magna illius quantitas generaretur necessarium non fuit. Ergò cum non solum in minori quantitate generetur, sed quæ antea dabatur consumpta fuerit, non potest nisi rarissimè ad illam quantitatem pervenire, quâ dictam febrem causare valeat, si putrescat. Quippe quemadmodum ab *Hippocrate* dictum est 1. *epid. sect.* 3. *text.* 42. à magnis morbis liberare quartanam, & 6. *epid. sect.* 6. *text.* 7. à quartana capti magno morbo non capiuntur; ita rectè dicendum quòd sicuti à magnis aliis morbis liberat, sic potiori jure à semetipsa, ne iterum revertatur, hominem securum reddat: nam si ab aliis magnis morbis ideò liberat, quia causam, quæ illos producebat, aut producere idonea erat, longiori febris assiduitate tenuat, fundit, & absumit; melius illam, quæ quartanam causare deinceps poterat, ad nihilum redu-

reducet, cùm majorem proportionem cum illa obtineat, corpusque à melancholico humore exutum omninò relinquat. Propterea unus ex morbis, qui non contemnendam utilitatem afferunt, quartana censetur; qua de causa *Phavorinus* apud *Gellium* supra citat. fortunatam appellabat hanc biduo mediam intervallatam febrem. Nec obstat, quòd aliqui cum Galeno *Hippocratem* prædicto loco 6. *epid.* de epilepsia interpretentur, quæ magnus morbus dicitur; nam licèt illius sententiæ veritas in epilepsia abigenda multùm verificetur, negandum tamen non est ab aliis morbis etiam liberare, ut Valesius *in comment.* advertit, & confirmat *Celsus*, præsertim cum 1. *epid.* non in singulari à magno morbo, sed plurali numero ab aliis magnis morbis liberare dicat *Hippocrates*; quod ex 5. *aph.* 70. expressè comprobatur, cùm ibi doceat *Hippocrates* à quartana captos non admodum à convulsionibus capi: imò in aliquibus codicibus adjiciatur, *ab aliquo magno morbo non capiuntur*; ut idem *Valesius* testatur, & Mercurialis *in comment. dicti aph.*

19.

Quæ cùm sine dubio vera sint, si aliquando hominem viderimus bis quartanâ laborantem, vel hoc ex particulari natura admodùm melancholica habebit, cujus ratione talem humorem in magna copia generet (quod veritatem sententiæ *Hippocraticæ* non tollit, cùm ferè semper semel tantùm adveniat) vel tandem dicendum est talem quartanam non exquisitam esse, nec ab humore melancholico naturali oriri, sed spuriam, & ab aliorum morborum & humorum adustis reliquiis fieri; ex quibus cinericii humoris pars in melancholiam adustam transit, ex qua quartana causatur, quæ multò minori tempore finitur, ut tenet Mercurialis *lib.* 5. *pract. cap.* 11. & Sotus supra citat. quibus nos etiam assentimur.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMASECUNDA.

Humor melancholicus an rectè, & cur ab Hippocrate *appelletur aqua?*

HUmoris melancholici mentio nos in aliam quæstiunculam deducit, medicinæ studiosis, & *Hippocratis* doctrinam rimantibus non injucundam. Ille igitur 4. *de morbis* statim ab initio corporis nostri humores enumerans, quatuor esse statuit, quorum nomina sic declarat: Pituita nempe, sanguis, bilis, & aqua. Quo sanè loco aquæ nomine melancholicum humorem videtur accepisse; qua de causa Foësius *in annotat. ad prædictum locum*, vel ex hac solùm istius humoris denominatione, ab *Hippocrate* (ut ait) non usitatâ, librum *Polybii* non *Hippocratis* esse credit: sed ut puto sine ratione, cum *Galenus* horum librorum tanquam *Hippocratis* genuinorum meminerit *com.* 2. *&* 3. *in lib. de rat. victûs*, ubi scribit commentationes in hos libros facere decrevisse, quòd multa præclara contineant; quorum iterum *comment. in primum epid.* meminit. *Celsum* quoque & *Cælium Aurelianum* multa hinc decerpsisse sunt qui tradant: nec etiam quòd hîc humorem melancholicum aquam vocet, sufficere videtur, ut tanquam spurii habeantur, cum gravissimi auctores non sine ingenti ratione hoc ab *Hippocrate* factum fuisse declarent; quare quid in hac re doctissimi alii viri adnotaverint quærendum est, & hujus difficultatis nodus solvendus.

1.
1. Opinio.

Petrus Salius Diverſ. *in com. ad eosdem lib.* vult in prædicto loco *Hippocratem* minimè per aquam humorem melancholicum intellexisse, qui sit totus terreus, & elemento terræ in corpore humano proportione respondens; sed per aquam, partem ichorosam & serosam significare voluisse, quæ in corpore naturaliter non tantum humoribus diluendis & temperandis, verum etiam plurimis aliis usibus inserviat, velut ad subungenda ossa, articulos humectandos, partes siccas leniendas, ad faciliorem humorum per corporis anfractus permeationem. Quæ *Salii* opinio ex eo probari posse videtur, quòd si catalogum ciborum qui melancholiam suppeditant, percurramus, quem Galenus 3. *de locis affect.* proponit, omnes illi crassum, terreum & fæculentum succum exhibere videantur, nullo modo aqueum; unde videtur, quòd dictus humor nullo modo aquæ nomine accipi debeat.

Alii hanc eandem sententiam confirmantes, aquam seu serum hîc intelligi debere sta-

statuunt, ut aliis in locis *Hippocrates* facit, dum humores enumerat, quemadmodum *lib. de med. expurg. text.* 4. ubi sic dixit: *Oportet biliosis dare quod bilem purget, pituitosis quod pituitam, atrabiliariis quod atram bilem, hydropicis quod aquam*: ubi cum melancholiæ meminerit, aquæ etiam meminit, & quintum humorem addidisse videtur, ut fecit etiam *lib. de affectionib.* Dari namque medicamenta quæ serum purgant notissimum est, ut *Galenus* concedit *lib. de præcogn. ad Posth. cap.* 8. *& ad Pison. cap.* 3. *& lib. de dynamid. rubrica de hydragog. med.* quod non solum apud *Galenum* & *Hippocratem* innumeris in locis, sed apud plerosque auctores docetur, qui serum inter causas morbificas annumerant, ut in multis morbis patet, de quibus luculenter *Carol. Piso* singulares observationes edidit; unde videtur quintum humorem, nempe serum hîc attulisse, & illum aquæ nomine, quod ipsi propriissimum est, non humorem melancholicum intelligere voluisse: nec enim necessarium fuit melancholiam hîc nominare, quia nomine bilis ibi adducto utrumque humorem intelligit *Hippocrates*, quod in illius doctrina commune est.

Cæterùm horum doctrinam probari non debere, ex eo tantùm deduci potest quia licèt verum sit quintum illum humorem dari, & ab *Hippocrate*, *Galeno*, & aliis concedi, tamen cùm prædicto loco 4. *de morbis* humores ex professo *Hippocrates* enumeret, communissimos illos quatuor ab ipso primum nominatos solùm affert; unde cùm ibi melancholicum humorem non adjiciat, sequeretur, si per aquam humorem serosum dicto modo intelligeremus, mancam & nullatenus completam illius divisionem esse, cum reliquos tres annumeret, & de melancholico nil addat, qui non minus communis quàm alii habetur. Et quòd ita sit patet, quòd ipse Hippocrates *lib. de genit.* qui ex illius officina germanus esse cognoscitur, iterum humores enumerans, clarè dicat: *Quatuor humorum sunt species, Sanguis, bilis, aqua, & phlegma.* Ergò cum quatuor hîc humores esse dixerit, videtur quòd per aquam melancholiam acceperit, & per bilem, flavam tantum, cum si utramque intelligeret, quinque & non quatuor dixisset: patet hoc ulterius, quia eodem *lib.* 4. manifestius pro melancholia aquam videtur reputare, cum sic loquitur: *In superficie bilis consistit, secundo loco sanguis, tertio pituita, gravissimus autem humor est aqua.* Præthereà 6. *epid. sect.* 4. *text.* 17. brevis quædam sententia legitur, in qua *Hippocratem* per aquam melancholicum humorem indicare non obscurè colligitur; sic enim inquit: *Aqua edax, vigilia edax.* Et licèt de aqua prout est elementum ibi loqui videatur, ut ferè omnes explicant, & ex antecedentibus & subsequentibus inferri videtur, tamen ego de humore melancholico accipi posse judico: nam cum hic humor à liene ad ventriculum pro appetentia excitanda assiduè & naturaliter confluat, ut 3. *de nat. facult.* docet *Galenus*, & cum multis aliis fatetur Laurentius *lib.* 6. *quæst.* 26. quidquid Sennertus *lib.* 1. *instit. cap.* 9. contradicere nitatur cum *Valesio*; de illo etiam humore in citat. loco *epid.* locutum fuisse non est extrà rem intelligere, cum talis humor tanquam acetum in frigidando & corrugando multò magis, quàm aqua appetentiam excitet, & edaces faciat. Quare nomine aquæ prædictum humorem accepisse absque dubio credendum est, ut tenent Mercurialis *cap. de quartana*, Laurentius *lib.* 6. *suæ anat. q.* 27. Petrus Garcia *super Avicen. dis.* 19. *cap.* 2. Soto *in lib. Hipp. de med. expurg. text.* 4. Langius *tom.* 2. *epist.* 60. Foësius *in Hipp. œconom.* præterquam quòd ita esse palam ex ipso *Hippocrate* colligitur eodem *libro* 4. qui aquam omnium humorum gravissimum esse ibidem scripsit, ut jam diximus: unde citrà controversiam succum melancholicum intellìgi debere extra dubium est, quia veluti fæx in fundo aliorum resider: & quod magis est, sæpenumerò aquam cum melancholia confundit, & pro eodem humore reputat, eodemque in loco generari ait eodem *lib.* 4. *de morbis fol. mihi* 180. & 187. quare potius causa indaganda est, ut adducti auctores faciunt, quàm aliter interpretandus.

Doctissimus *Petr. Garcia* loco antea citato humorem melancholicum ait aquæ nomine ab *Hippocrate* fuisse vocatum, quia is succus lienem obstruat, unde hydropem excitare solet; proinde dicit nomine affectûs causam accepisse, quod probat ex *Hippocratis* verbis ibi adductis: *Habet autem vir & mulier quatuor humores ex quibus morbi fiunt*, &c. Hæc tamen explicatio licet verum doceat, quatenus lienem ab humore melancholico obstrui dicit, & inde hydropem provenire (quod in illis qui quartanam passi sunt non raro conspicitur, ut quæst. præcedenti dicebamus) tamen recipi non debet, quia *Hippocrates* non solum illo in loco, sed aliis, & præcipuè *lib. de genitura*, eodem modo aquam pro humore melancholico accepit, ubi nullius morbi mentionem

nem facit, sed humores tantum corporis enumerat; & cum de aliis humoribus nullum morbi exemplum afferat, dubium non est, quòd in dictis locis humorum tantum quadripartitam divisionem faciat, & aquam melancholiæ loco substituat sine ullo respectu ad morbos, qui ex illis fiunt: nec ex illis verbis aliquid deduci potest, nisi quòd communiter morbos ex illis humoribus fieri dicat, ut verum est, absque eo quod alicui humori morbum assignet.

3. Opinio.

Andreas Laurentius *lib. 6. anat. q. 27.* aliter & breviter respondet, aquam ab *Hippocrate* dictum fuisse humorem melancholicum, quod is humor multùm seri habeat, frigidus enim est; itaque illius præsentiâ lienis, ventriculi hepatis, & vicinarum partium nativus calor exsolvitur, undè cruditatum & aquarum maximus proventus. Sed nec *Laurentii* ratio mihi satisfacit; nam si ratione frigiditatis hoc assignari debuisset, potius de pituita, quæ frigidior est, hoc dicendum foret, quàm de melancholia. Deinde si suâ adstrictione coctiones adjuvat, humores firmat, potius illis prodesse quàm modicâ frigiditate obesse aut nocumentum afferre poterit: solùm ergò extrà naturalem statum, & cùm in immodica quantitate fuerit, *Laurentii* ratio locum habere poterit, ut in longis ægritudinibus à melancholia genitis evenit. De quo legatur Valesius 4. *epid. text.* 17. Quarè alia ratio quærenda est quæ convenientior sit, ut sequens mihi videtur.

Non satisfacit.

Humores singuli in massa sanguin. quid præstent.

2.

Humorum ex quibus nostrum corpus constat necessaria fuit generatio: & ut præter nutritionem & alimentum, quod homini tribuunt, plures alias utilitates omittam, cum sanguine, qui potissimus illorum est, necessaria fuit aliorum commixtio, pituitæ quidem ne sanguis concresceret, bilis ut calesceret melancholiæ tandem, ut firmitudinem & tenorem quendam obtineret; ultra quos etiam congenitus alius humor accessit, videlicet serosus, qui etiam in prima generatione cum reliquis generatur ob necessarium illius usum: est enim alimenti vehiculum; nisi enim ille interveniret, procul dubio massa sanguinaria immota permaneret, nec per venas commodè permeare posset Itaque si istorum aliquo animal destituitur, perire necesse est: hæc tamen differentia interest, ut cùm reliqui nutritioni inserviant, serosus humor nullum alimentum corpori præstet, sed alios qui corporis partibus alendis convenientes sunt, ad ipsas particulas perducat, ipsorumque sit veluti vehiculum, ex Hippocrate *lib. de alimento*, & Galeno 4. *de usu part.* 5. Sed cum ex prædictis humoribus nulli inter se magis differre videantur, quàm melancholicus humor & serum, cum ille crassus sit, siccus, terreus, niger, opacus, & acerbus; serum verò tenuis quidam succus humidior, diaphanus, & salsus: haud dubiè putaverit aliquis præter rationem istius nomine illum intelligi posse, cum substantiâ, colore, sapore, tenuitate, gravitate, & cæteris qualitatibus distare videantur: cum etiam non sine magna providentia natura, tum ut prædicta omnia temperaret, tum ut tardum illius motum adjuvaret, plurimum aquosi & serosi humoris ad lienem melancholiæ sedem deferri providerit, ne ibi ponderositate & crassitie sua stabulata ad reliquas partes & corporis usum inservire non posset; quare ne id contingeret summo artificio curavit, ut serosi humoris magna pars ad lienem accederet, ad illum enim à ventriculo tendere, & illinc infrà in omentum & pedes, eodem *lib.* 4. *de morb.* scribit *Hippocrates*; imò eodem ipso libro aquæ fontem lienem appellat, cum inquit: *Sanguinis quidem fons cor, pituitæ caput, aqua lien, bilis in jecore.* Et lib. 7 de morbis: *Melior*, inquit, *potûs pars vesicam penetrat, reliquum verò lien ex ventre ad se attrahit & recipit.* Quæ cum ita sint, non præter rationem putaverit aliquis ob magnam aquæ copiam, quæ cum melancholia in liene miscetur, aquæ nomine illam *Hippocratem* nominare voluisse, quâ ut dilueretur & permeare posset maximè indiguit. Sed quamvis hæc non displiceant, & secundum rationem videantur, tamen ex alio capite hujus homonomiæ ratio petenda est, quæ majorem lucem huic difficultati afferat, optimoque judicio *Hippocratem* hoc fecisse comprobet.

4. Opinio verior. & quæstionis resolutio.

3.

Pro quo dicimus homorem melancholicum (qui fæx sanguinis, & naturalis quoque melancholia appellatur) potissimam esse causam seri gignendi, quod nulli alteri humori, aut agenti tribui debet, nisi soli melancholiæ: habet quippe hic humor à sui prima generatione, ut ex crassiori alimenti parte, quæ terræ proportione respondet, generetur; quâ ratione fit, ut frigidus, crassus, niger, opacus, & sapore acerbus evadat; omnia verò quæ hujusmodi sunt, cogere, conglobare, inspissare (ut verbis *Hippocratis* utar) substantiam cui immersa fuerunt, sunt apta & opportuna; ex qua quidem actione serum resultat, nimirum concretâ conglobata-

bataque massâ sanguinariâ, & in se ipsa cohærente (hoc enim nomine concretionem hoc loco intelligi volumus) quæ actio frigidæ & crassæ substantiæ melancholici humoris præcipuè tribui debet, deinde acerbo illius sapori accommodanda est; hoc enim mediante omnis substantia fluida & liquida cogitur, & serosior ejus pars exprimitur, id quod in lacte calente, & illius caseatione videmus, in quod si tantillum aceti injicias, statim coagulatur, ac postmodum refrigeratur: quam similitudinem eodem 4. *de morbis* affert *Hippocrates*, dum sic loquitur: *Habet autem hoc similitudinem ad lac; si quis enim succum in lac immittat, frigiditas in ipso oborta lac inspissat & conglobat, ac circum spissatum serum est: sic etiam in homine humor, &c.* Terrea enim alimenti pars, ex qua melancholia generatur, tum ratione substantiæ, tum acerbi saporis vi, se ipsam reliquosque humores cogit, atque ita serosus humor pullulat atque emergit. Deinde sicuti se habet fermentum in massa tritacea coalescens, uniens, & firmans massam; ita eodem modo melancholia fermenti rationem habet in massa sanguinaria, quam si possibile esset ab ipsa auferre, alimentumque sine terrestri parte relinqueremus, nutritioni minus aptum redderetur; tota enim massa sibi cohærere non posset, non secus ac tritacea fermento deficiente, quæ uniri & coadunari difficulter posset.

Itaque in humorum generatione in hepate propter frigidam & crassam melancholiæ substantiam, & ob ipsius saporem acerbum cogitur in sese massa sanguinaria, & sibi cohærescens exprimit à se aquosam substantiam, quę serum dicitur, utilem pro vehiculo & sanguinis distributione in diversas corporis partes, ut antea dicebamus. Quia ergò præcipua causa generandi seri naturalis est melancholia ob sui frigiditatem, acerbitatem, acorem, & aciditatem, quibus aceto similis existit, & coagulandi vim obtinet; ideò mirum non fuit *Hippocratem* serum pro melancholia accepisse, & melancholiam pro sero, tanquam causam pro effectu, aut effectum pro causa, non alicujus morbi, ut dicebat *Garcias*, sed humoris unius ad alium: nam præterquam quòd ipsa melancholia sic serosi succi causa est, dum ab aliis humoribus illum exprimit, nullus etiam humor quàm ipsa serosior existit; quemadmodum enim alios condensando aqueum humorem ab illis educit, sic dum in se cogitur aqueum humorem à se exprimit, non verò adstrictione detinet, ut malè Sanctorius *lib. 6. vitand. errorum cap. 9.* explicavit; sic enim sua adstrictione detineret, ac exire non permitteret, quod econtrà accidere videmus, & *Hippocrates* multis in locis docet melancholicos plurimùm sudare, plurimam urinam reddere, & salivosos esse dixit; id quod aliqui ad hujus succi incoctionem referunt, quæ causa etsi taxanda non est, potius jam adducta amplexanda & probanda, tanquam magis ex natura rei elicita ac congruentior.

Ratum igitur ac firmum sit ob adductam causam humorem melancholicum aquam *Hippocratem* appellâsse, & quòd ob eandem rationem multum aquæ in se contineat, quam perpetuò à se exprimit; quâ ratione Galenus *lib. de plenit. cap.* 11. melancholicos salivâ abundare docuit, & à potu abstinere, cujus 6. *epid.* rationem dabat, quia illorum sanguis serosus est, unde à potu abstinent, & salivâ abundant: hinc à multa expuitione melancholicos levatos vidisse testatur Valesius 6. *epid. sect. 5. text. 4. & sect. 2. ejusdem lib. text. 32. 33. & lib. 4. text. 17.* plurimisque aliis in locis. Imò Galenus 3. *de locis* ex Diocle inter signa hypochondriæ frequentem spuitionem annumerat: eodem modo Aristoteles *in problem.* de melancholia loquens, humorem melancholicum ait delectari serositate, & 2. *de part. animal.* 4. timidiora esse corpora dixit, quæ sanguinem habent dilutum, quare & melancholica, quia timor præter rationem hujusmodi succum semper arguit; hinc, ut jam diximus, quartanarii, & omnes qui melancholiâ calefactâ vel adustâ sunt referti, tam copiosis sudoribus inter dormiendum madefiunt, ut ter quaterque in nocte sudore circumfundantur, ac si in balneo immergerentur, ob quam etiam rationem copiosissimum lotium emittunt. Novi ego fœminam, quæ satis longam tertianam passa est per annos circiter tres, nec aliter ab illa liberari potuit, nisi copiosissimis sudoribus, quos per integros duos annos sustinuit, quousque melancholicus succus, qui in magna copia morbum fovebat, per hujusmodi copiosissimos & assiduos sudores singulis noctibus manantes evacuatus est.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTVAGESIMA TERTIA.

Hypochondriæ morbus quare dicatur Heroica affectio? Illius curatio exactissima proponitur, qualiter apud nullum sic invenies.

VT in melancholiæ tractatione paululùm adhuc immoremur, hypochondriæ affectio nos advocat, cujus essentiam, causas, & signa hîc prætermittemus, de quibus apud practicantes abundè agitur. Varias verò melancholicorum depravatas imaginationes tanquam notissimas & à plurimis enarratas paucis expediam: nulla quippe admiratio est, quòd alius se Deum esse cogitaverit, Athlantem alius, alius dæmonium, alius vitrum, alius dolium; alius se sine capite vivere, alius in magnam corporis vastitatem evasisse, alius se mejere nolle ne totam urbem inundaret, alius se mortuum esse; alius nares ad ingentem magnitudinem sibi excrevisse, multi alii se ranas, passeres, columbos in capite, aut in ventre habuisse; vel quemadmodum ego vidi in pictoris uxore, quæ nil edere aut tangere volebat, quia omnia veneficio fascinata esse dicebat. Alius se veneno potionatum, & infectum; denique alius se felem esse cogitabat, unde sub lectis mures observabat. Altera Venerem se esse ajebat, atque ideò, quoties custodes fallendi dabatur locus, vestes omnes exuebat, nudaque incedens se pulchritudinem Veneream omnibus ostentare velle dicebat: & plurima alia, quæ ad longum referunt ex pluribus auctoribus collecta Marcell. Donatus *lib. 2. cap. 1.* Schenckius, Zacutus *in prax. miranda.* Sennertus, & alii. Rarum sanè fuit exemplum illius, qui ut narrat Dovinetus *Apolog. lib. 3. cap. 2.* tribus dæmonibus agitari, & in corpore latitare dicebat: sed ridiculum alterius, qui se granum milii esse cogitabat, & à gallinis vorari metuens, illas quantum poterat fugiebat & vitabat, ut *Paschasius Iustus* narrat *lib. de alea.* Ridicula sanè omnia, & quæ in nullam admirationem nos rapere debent, cùm nulla sit rerum species ac actionis, quæ imaginationem subeat, in quam erroneam ipse melancholicus incidere non possit; cujus varietatis causa inde provenit, ob vaporum melancholicorum dispositionem, qui spiritibus animalibus commiscentur; pro eorum namque diversitate varia etiam ac diversa phantasmata absurda & horrenda oriuntur: quibus etiam corporis & naturæ varietas adjuvat, nam pro corporis constitutione, & temperamenti diversitate, vitæque studio, pænè infinita ac varia falsarum imaginationum producuntur deliria ac stultæ cogitationes, innumeræque impressiones, quibus cerebrum perturbatur. Quemadmodum enim vinum naturæ moribusque potantium se accommodat, & pro illorum ratione diversos parit effectus, ita ut spiritibus à vinosis exhalationibus perturbatis varia in ebriis symptomata progignantur juxta singulorum temperamentum & statum; unde hic gestiens in gesticulationes prorumpit, ille garrulus & facetus evadit, alii rident, alii lugent, alii saltant, alii stupidi & cogitabundi manent, alii econtra furunt & in rixas prorumpunt: sic melancholici fumi spiritus inficientes deliriorum varios producunt effectus, ac si flatus in ventre oberret, bestias se fovere, aut alias in alia corporis parte latitare sibi imaginantur; quæ omnia somniantium deliriis ferè similia judicantur, nam quod dormientibus somniando contingit ut non cohærentia inter se componant, hoc ipsum melancholicis vigilantibus accidere videtur. Sicuti enim in somniantibus pro varia corporis & humorum affectione diversa ac mirabilia spectra excitantur, sic melancholicis infinita portenta & horrenda simulachra objiciuntur: quæ tamen ab illis somniantium in hoc differunt, quia illa facilè rursùs evanescunt & præterlabuntur ob fluxilem levemque de qua concepta sunt essentiam; hæc verò melancholicorum pertinacius hærent ac penitus imprimuntur, & ob spirituum crassitiem & siccitatem firmius subsistunt. Cujus eventûs accommodatissima videtur similitudo, quam affert *Aristoteles* 1. de insom. cap. 3. *Quemadmodum*, ait, *in aqua commota aut nulla effigies redditur quæ appareat, aut redditur quidem sed obscura & tortuosa; quiescente autem & stagnante aquâ rei nativa imago apparet: ita & dormientibus, & delirantibus idem*

1. Melancholicorum varia ac depravatæ imaginationes.

2. Melancholicorum admirandæ ac variæ imaginationes unde proveniant.

idem evenit. Dum enim vapores in cerebro errabundâ motione circumaguntur, imagines aut penitus obrutæ delitescunt, aut non nisi turbulenta quædam & prodigiosa visa exhibent.

Sed quando huc pervenimus, non fuerit injucundum scire cur melancholici ita mordicùs apprehensiones suas teneant, & quæ conceperunt phantasmata retineant, nec à falsis & illusoriis imaginationibus phanaticisque impressionibus abstrahi se patiantur; imò quamvis solerti & doctâ persuasione interdum liberati videantur, ad eandem mox redeant, & multò firmius concipiant? Quod non aliunde provenire arbitror, quàm ob spirituum frigiditatem, siccitatemque, crassitiem, & densitatem, in quibus semel impressa rerum simulachra imaginativâ facultate jam corruptâ firmissimè hærent, nec obliterantur; aut quia intenta imaginatio & assidua præsentatio illius falsi phantasmatis ipsi intellectui indesinenter objicitur. Cur verò circà unum delirare plerumque soleant, nec in omnibus errent, sicuti in phreneticis contingit, variæ causæ assignari possunt: ratio modò adducta non incongrua mihi videtur, ipsa enim falsi species, conceptique erronei objecti simulachrum assiduè rationem urgens, & perpetuò illi insistens, rationem continuò agitat & perturbat, ut quamvis ad alia judicanda accedat, ad conceptam tamen & firmiùs impressam erroneam speciem statim recurrat, & veluti ab ipsa seducta in eandem impingat. Fieri etiam potest, ut non licèt phantasia corrupta sit, tamen memoria imagines non falsas retineat, easque rationi offerat, circà quas dum occupatur non aberret: aut tandem fieri potest, ut solùm in statu naturali, sed etiam in morboso cerebri temperamentum taliter sit dispositum, ut cum quibusdam speciebus majorem proportionem habeat, quàm cum aliis; unde accidere potest, ut ita affectum cerebrum sit, ut in cognitione & judicio unius objecti erret, & non in aliis, quia cum illis majorem connexionem habet, quàm cum illo in quo delirat: quid autem illud sit, fatemur ingenuè cum doctissimo Pet. Garcia *disp.* 3. *de locis cap.* 7. cognosci à nobis non posse.

Et ad variarum & absurdarum melancholicorum imaginationum causas iterum divertendo; quî fiat, ut in alio hæc subeat imaginatio, alia in alio, videamus. Ipsum vitæ genus, studiorum, negotiorumque diversitas magnoperè adjuvat, ut pro istorum varietate hanc aut illam impressionem sibi accersant, & pro actionibus, studiis, ac consuetis contemplationibus magis affinia illisq; similia excitentur phantasmata, ut qualia animus anteà tractaverat, eadem nunc memoriæ impressa, indeque deprompta, confusa tamen & depravata exeant: sic Religiosi circà cultum divinum & preces falsas imagines fovent, hic à Deo se derelictum, ille preces suas à Deo non auscultari dicit; alius de animæ salute, & æterna felicitate desperat; multi gehennam se sentire & in inferno cruciari, dæmones videre, & ab eisdem vexari falsò imaginantur, ut non raro pro obsessis à vulgo habeantur, cùm tamen nil ultrà melancholiam patiantur; literati qui sese dederunt profundis contemplationibus, corruptâ phantasiâ easdem absurdas & depravatas referunt; poëtæ in versibus scribendis obnixè & pertinaciter contendunt; qui conquirendis opibus inhiant, de thesauris, argento, auro multa garriunt, & stupenda proferunt; avari paupertatem fingunt, & circà comparatas jam opes mentiuntur, cavent, metuunt; forenses jurgia & lites movent; ac tandem opifices de opificiis suis miros habent discursus. In summa quibus sani dum erant studiis aut operibus intenti & addicti fuerant eadem acrius depravatâ jam mente insectantur, & animis suis versant ac volvunt, gestibus exprimunt, aut sermone & oratione declarant; quæ aliquando tam monstrosa & portentosa existunt, ut eorum causæ nec corporis dispositioni, nec morbi efficaciæ, aut vitæ conditioni rectè adscribi posse videantur sed abstrusa penitusque recondita, & mysterio quodam involuta judicentur; præsertim cùm res insolentes & stupendas præstant, futura tanquam numine quodam afflati vaticinantur, aut incognitis & alienis linguis loquuntur; adeoque innumeris deliriorum generibus & stupendis melancholici laborant.

De melancholicorum morboso statu hæc pauca sufficiant, de eisdem nunc, quatenus intrà sanitatis limites, expedit aliqua dicere (licèt *quæst.* 27. de hac re jam sermonem habuerimus) ut laudabilem eorum temperiem, & inde dimanantem à quamplurimis expetitam prudentiam investigemus; cujus temeraria præsumptio non sanè paucos Procerum & magnorum virorum in affectatam hujus humoris & morbi passionem impulit: quare unde ingeniorum varietas oriatur, & melancholico-

licorum præ aliis excellens vis, quæ optima facit, & homines reddit prudentes, stabiles, firmos, ac constantes, inquirendum jam est.

Cerebri partium, substantiæ, temperamenti, facultatum, & usûs enarratio.

6. De summo artificio, quo in cerebro compingendo & construendo natura usa est, licet multa diceremus, nec omnia afferre, nec intelligere satis poterimus; plus enim admirationis restabit semper, quàm exacta alicujus notitia declarare poterit: quippe cerebrum non cordis refrigerandi gratiâ, ut *Aristoteles* somniavit, sed ad nobiliores & diviniores usque usus, nempe ad interiorum sensuum, & principum facultatum functiones edendas, & animalium spirituum generationem à solertissima natura constructum esse, ipsius operum maximus perscrutator *Galenus* nos docuit. Inprimis mirabilem illius structuram elaboravit quatuor cavitatibus divisam, corpusque quasi cameratum fabrefecit, flexusque in eo venularum, & arteriarum labyrinthos, mamillares processus, septum lucidum, corpus callosum, conarium, gloutia, torcular, fornicem, pelvim, ut interim tubulos omittam, nervorum paria, membranas, meninges, & stupendum illud rete mirabile, aliasque ejus partes pulcherrimo artificio concinnatas & constructas, omnia potissimum ad divinos animæ usus inservientia: post hæc talem firmam substantiam & temperiem illi addidit, ut & tales, quales ad mirabiles has functiones edendas requirebantur, spiritus generare & per eosdem eas ipsas exercere posset. Ultrà etiam homini amplior quàm cæteris animalibus

7. data est cerebri moles, ita ut duorum grandissimorum boum magnitudinem superet: tantâ siquidem indigere videbatur ob principum facultatum varietatem, & aliarum functionum perpetuam assiduitatem & perfectionem, ad quam maxima spirituum copia requirebatur, qui nec à pusillo corpore creari, nec in eodem concludi potuissent. Præterea mollis fuit ipsius substantia ex purissima seminis & spirituum portione fabricata, ut facilior idolorum fieret impressio; alba, ut limpidissimi forent animales spiritus, non obscuri & tenebrosi: ac tandem temperiem frigidam & humidam obtinere necessarium fuit, ne videlicet membrum perpetuæ cogitationi dicatum & menti facilè excandesceret & accenderetur, néve animales spiritus omnium tenuissimi citius quàm par est evanescerent; insuper ut animalium sensuum rationes motionesque pacatæ forent ac sedatæ, non temerariæ & furibundæ, quales eorum sunt, quibus præter naturam cerebrum incalescit, spiritus inflammantur, quemadmodum in phreneticis & ebriis conspicimus: tandem ut placido somno, qui animalis & facultatum quies est, cerebrum facilius sopiri posset, cùm aliàs excedenti caliditate (cujus hoc proprium est) non solùm vigilare cogatur, sed etiam perturbetur.

8. *Animalium actionum præcipuum instrumentum spiritus sunt animales.*

Cæterùm quamvis prædicta omnia tanquam necessaria & convenientia in cerebro disposuerit, & ad officia sua, quæ varia ac multa sunt, natura dicaverit, præcipuum tamen instrumentum animalium actionum contenti in cerebro sunt spiritus, propterea animales etiam dicti, quorum ministerio ac ope anima utitur ad principes suas functiones edendas; nec enim imaginatio, cogitatio, recordatio, & si quæ sunt aliæ hujusmodi, ab immobili organo, quale cerebrum est, tanquam à primo & proprio instrumento exerceri poterant: cùm enim velocissimæ sint, atque adeò subitæ, ut inter eas temporis momentum vix animo comprehendi queat, & omnem linguæ volubilitatem longè antevertant, instrumento etiam in omnes partes mobilissimo indiguerunt; nec hujusmodi aliud convenientius fieri potuit aut expeditius, quàm ipsi spiritus animales sunt, adeoque ad actiones has obeundas promptissimi & aptissimi, tanquam ex subtilissima arteriosi sanguinis parte, & ex ipsis spiritibus vitalibus à corde in cerebrum transmisis generati, & inspirato aëre nutriti & conservati. Quia verò tanta illorum est indigentia, ut absq; illis divinum illud & exquisitissimum opus principum functionum cerebri anima perficere non posit (quippe ad illas illorum operâ ceu proximo suo organo utitur) eosdem ideò exquisitè elaborari, & ad suum opus habiles fieri oportuit; in quem finem solertissima natura tot mirabilia in cerebri corpore construxit, sinibus excavavit, flexibus divisit, in quibus excoquerentur, attenuarentur, præpararentur, ut fierent subtiles, tenues, limpidi, puri, lucidi, mobiles, agiles, & tantum non ætherei, adeoque ad divina hæc opera exercenda idonei.

9. *Ingeniorum varietas unde.*

Hac igitur cerebri admirabili structurâ præcognitâ, & animalium internarum actionum, quo anima utitur, potissimo instrumento declarato, ad causam ob quam tanta ingeniorum varietas in humana specie resultet declarandam accedere jam opportunum est; quæ non aliundè provenit, nisi ex varia quoque temperatura, quam cum reliquo etiam corpore cerebrum sortitum est, ita ut vel frigidius sit, vel cali-

calidius, humidius vel siccius ex natura sua, pro quo etiam ejusdem craseos, nempe naturæ suæ congruentes spiritus generat ac producit, in aliis calidiores, in aliis frigidiores, in his humidiores, in illis sicciores; unde tota temperamentorum cerebri, & ab his dependentium ingeniorum & morum diversitas & similitudo oritur ac resultat: quibus enim calidius à natura datum est cerebrum, alacriores habent & exquisitiores sensus; quibus frigidius, torpidiores sunt, & segnius animæ opera exercent: utriusque autem temperamentum intenditur, aut acuitur, humiditate, & siccitate accedente. Sic quibus calidum & humidum est cerebrum, ingenii promptitudine quidem, & sensibus integrioribus, sed nequaquam profundioribus & acutioribus præditos esse cernimus; quia spirituum humiditas exuperans illorum agilitatem quodammodo hebetat, & tenuitatem infringit, sicque ad cogitationes profundas transitum intercludit: qui verò calidi & sicci sunt cerebri sicuti qui cholericorum & biliosorum naturam obtinent, hi quidem spiritus generant tenuissimos & subtilissimos, unde subtili & acuto etiam ingenio præditi sunt, ac judicio valent ad omnium rerum actiones expeditissimo, & promptissimo: verùm cùm ob nimiam suam tenuitatem spiritus hi facilè dissipentur & ob insignem etiam, quam obtinent agilitatem & mobilitatem rerum species firmiter non retineant, & objectorum varietate facilè ac citius commoveantur, parumque etiam profundis contemplationibus & cogitationibus ideò immorentur, imò vago varioque sensuum impetu velociter ad diversa rapiantur; acuti quidem, sed parum constantis ac profundi ingenii sunt, & cogitationes suas non satis firmiter & altè in res dēfixas quiescere permittunt, sed statim aliarum specierum appulsu commotis spiritibus, & ob tenuitatem dissipatis à contemplationis serie retrahuntur. Econtrà qui frigidum habent humidumq; cerebrum, quale illorum est, qui phlegmaticam habent corporis constitutionem, hi spiritus progignunt crassos, & ad ingenii laborem ineptos; unde tardi sunt, segnes, stupidi, atque hebetes, judicio nullo valentes, & ad graviores animi occupationes inhabiles.

Cæterùm cùm ex prædictis cerebri complexionibus (licèt aliquæ suas utilitates habere videantur) nulla talis sit, quæ supremum illum prudentiæ & optimi discursûs gradum perficiat, ad frigidam & siccam temperiem qualis melancholicorum est, jam accedamus, demonstremusque quo pacto ea, quæ ad virtutum excellentiam comparandam unà cum ingenii claritate & acumine ex necessitate requiruntur, à bile atra mediocriter calida proveniant. Dum enim in melancholicis prævalente siccitate nullo pacto excedit frigiditas, & modicus calor mediocritatis quendam gradum constituit, aliquantulùm crassi, sed limpidi ac clari spiritus producuntur, qui nec ob caliditatem excedentem inconstantes nimiùm moventur, neque objectorum impetu ita promptè agitantur, aut hinc inde trahuntur, nec ob nimiam humiditatem torpent, nec ob nimiam subtilitatem & tenuitatem citius absumuntur & dissipantur, sed firmi sunt ac stabiles, atque ideò profundis, acutis & continuatis ingenii laboribus subeundis peridonei existunt: hinc tales ingeniosi maximè sunt, acuti, sagaces, prudentes, & ad gravissimas res, & omnis generis scientias capessendas habiles; etenim cùm ob spirituum optimam illam dispositionem, quam ob siccitatem & modicum calorem obtinuerunt, non solum facilè percipiant, sed concepta rerum simulachra & species diutius & firmius inhæreant nec tam citò aliorum occursu atque impetu diffluant & obliterentur; quas melancholici animo semel concipiunt opiniones & cogitationes, easdem diutius retinent, ac subindè eas prosequendo cogitabundi fiunt atque constantes, animæque vim in concepta idola intendentes difficilia omnia, occulta, & abscondita perpendunt, rimantur, ac promptiùs superant, eaq; quæ cognoscenda, percipienda, cogitanda, atque disjudicanda sunt, validiùs exercent, & firmius in ea incumbunt, adeoque profundius insistere possunt, atque ob eorundem spirituum puritatem & stabilitatem, qui nullius perturbantis caloris vi agitantur, nec frigoris excessu hebetantur, subtiliores, acutiores, & profundiores contemplationes efformare valent. Non loquor de illis melancholicis, qui cùm hujusmodi sint, propter aliorum humorum commixtionem, & aliarum qualitatum excessum ab illo perfectionis gradu ad prudentiam definito multùm deflectunt; unde alii morosi, tristes, solitarii, invidi, avari, & aliquando iracundi fiunt: sed illos tantùm intelligo, qui multam bilem atram mediocriter calidam in se continent calore non admodùm prævalente; quandoquidem qui prævalentem habent, ad temeritatem pronos esse jam determinavit *Gal.* præ nimia enim caliditate hi aduruntur undè præcipites in inflammatos furores, insaniasq; deveniunt horribiles, tragici illius Orestis, aut Athamantis similes, vel Empedoclis qui furens in Æthnæ vora-

lib. artis med. c. 33.

voragines insiliit; vel Marium imitantes, qui delirans expeditiones præliaque fingens, pugnantis gestu clangore & strepitu omnia complevit: quæ enim à moderatione naturali longè recedit melancholia, omnium maximè depravatos animorum motus excitat, adeoque propellit, ut tanquam ex tormentorum pulvere vehementissimo impetu agitari videantur. Quòd si ex adverso ad frigidum multum deflexerint, timidi manifestè conspiciuntur, mœsti præterea, & obscuri ac tenebricosi, nullisque ad heroicas virtutes stimulis aut motibus excitantur; quin imò sæpè molestias, anxietatesque sponte sine ulla causa subeunt, quæ adeò subinde augentur, ut juvenes adhuc ipsi sibi mortem consciscant, senesque ante tempus fiunt, ut ferè vel Heraclito Ephesio obscuro & confuso scriptori, ut *Theophrastus* ait, vel Timoni Atheniensi Misanthropo, vel Homerico illi Thersitæ, aut Bellerophonti similes evadant. Quare nos hîc illam mediocritatem optamus, à qua cum temeritas absit, timiditatis quid piam, præcautionis aut sagacitatis potius dicam, ex necessitate includit, tantamque promptitudinem facit, quantam ad virtutum excellentiam existimare quis possit: nam cum nullo caloris excessu illorum cor & cerebrum intemperanter se habeat, egregiè quoque laborum patientes, & fortuitorum casuum moderatores existunt, ac inquantum possibile est, auscultatione & diuturna imaginatione prævident, nec ulla sensuum perturbatione agitati in iram facilè deveniunt, quemadmodum illi, qui calidâ & siccâ cordis intemperantiâ exuperantes sunt; quos *Galenus* proximè citat. impatientes & ad iram pronos esse dicebat, sicuti frigidos hebetes.

Solùm itaque illi, qui cum excedenti siccitate caloris mediocritatem sortiuntur, in supremo illo prudentiæ fastigio collocari debent: siquidem siccitatem ad ingenii claritatem & excellentiam requiri manifestum est, ut regionum exemplo testatum relinquit Hippocrates *lib. de aëre, aquis, & locis text.* 12. unde summi philosophi *Heraclidis* gravis illa sententia dimanavit: *Aridus animus sapientissimus, seu splendor aridus animus sapientissimus*; quam *Galenus* confirmans *lib. quod anim. mores cap.* 4. extremam siccitatem extremam sagacitatem parere affirmavit; quod de extrema illa siccitate, quæ intrà limites sanitatis contineri potest, intelligi debet, non de illa, quæ morbosa jam ad delirium proximè accedit, aut mentem commovet. In quo igitur hæc cum moderata caliditate optimum nacta est habitum, eundem pari modo summâ bonitate præstantiaque conspicuum reddit: quibus enim in rebus nimium & parum reperitur, in eis etiam relinquitur mediocritati locus; atque illa est melancholia, quam excellentibus ingeniis, omnique præstantia præclaris viris *Aristoteles* tribuit 30. *probl.* 1. Hæc ille ἐνθουσιασμὸς ac poëtarum inflammatio & furor est: hanc habuisse & melancholicos extitisse Socratem, Lysandrum, & inter heroas Herculem tradit idem; quin & Platonem, Empedoclem, pluresque alios insignes viros hunc corporis habitum habuisse refert; & licèt horum aliqui in atri istius humoris vitium & morbosam affectionem declinaverint, ut de Hercule, Ajace, Bellerophonte, Alcmæone mox addit, facilè variis incidentibus casibus, victu & vitæ studiis, aliisque laboribus contingere potuit: fatetur tamen apertè insignes homines, qui ingenio claruerunt, aut in philosophiæ studiis, vel repub. administranda, carmine pangendo, vel in artibus aliis exercendis, omnes melancholicos fuisse & extitisse; quod etiam de *Galeno* nostro sunt qui tradant cum Rabbi Moyse *aph.* 25. quo factum est, ut meritò hæc melancholica dispositio, & ipse quoque hypochondriæ morbus proximè ab illa resultans, *Heroica affectio* dicta fuerit, cùm tanti ac tam celebres viri tali habitu præditi fuerint & morbo laboraverint; primus enim, qui sic hanc ægritudinem appellavit, *Phavorinus Academicus* fuit apud Gellium *lib.* 18. *cap.* 7. ut postea adnotavit Rhodiginus *lib.* 17. *antiq. lect. cap.* 5. & Pet. Crinitus 3. *de honesta disciplina cap.* 6.

13.

14.

15. *Heroës, & magni proceres quare melancholici videri & esse affectent.*

Ex dictis satis patere arbitror causam ob quam Proceres magniq; Principes, & alii viri, qui vel regendi alicujus regni, aut reipub. clavo assident, vel armis imperant, aut literis incumbunt, Regum aut Principum legationes obeunt, vel tandem aliqua magna negotia tractant, aut de his acquirendis solicitè curam gerunt, in summa heroës omnes & literarum peritiâ gubernandique prudentiâ elati, qui animi pondus ostentare præsumunt, & ingenii acutiem commendatam haberi volunt, se melancholicos esse & haberi gaudent; inter quos ad magnitudinis, solertiæ, prudentiæ, sapientiæque, & ingenii incrementa ostentanda hoc ut maximè conducens jam dudum affectatum est, ac, si ita dicere fas est, morbum jactant aut simulant, ut si illum

lum non patiantur, illorum saltem, qui illum sustinent, naturam, mores, & insignem naturæ complexionem, quâ omnia moderari possint, possidere credantur: nam esse ægritudines quasdam, quæ servitia vexant, alias quæ Procerum ordinem, aliisque per gradus hominibus adveniunt, atque velut optione facta in ipsos irruunt, *Plinius* adnotavit *lib. 7. cap. 5.* quo nomine idem auctor *cap. 1. lib. 26.* scribit *aliqua gigni vitia terrarum in parte certa, membrisq; hominum certis, vel ætatibus, aut fortunis, tanquam malo eligente; hæc in pueris grassari, illa in adultis; hæc proceres sentire, illa pauperes.* Quemadmodum de mentagra ibidem profert, quam inquit non fœminas, nec servitia, plebémve humilem invasisse, sed proceres.

Sed quamvis instituti nostri stylus circà praxim nil expostulare videatur, de hypochondriæ morbi curatione hîc aliqua inserere minimè inconveniens judicabitur, præsertim cùm nullus practicantium exactè & prout decet hoc opus utiliter absolverit, cùm quæ ab illis proponuntur auxilia & curationes, ægrotantes ac medicos plerumque deludant, ac cum nulla aut pauca utilitate adhibeantur.

Hujus ægritudinis naturam, causas, signa & propria accidentia prolixius hîc describere prætermittimus, cùm præsertim doctissimorum industria ingenia solertissimè hactenus hoc munus susceperint, & optimè adimpleverint. Igitur dirus hic naturæ hostis & qui hodie plurimos torquet, variè homines aggredi solet, maximoque semper symptomatum satellitio stipatus, atque ita miseros conficit, ut omne vitæ oblectamentum auferat, susque deque totam hominis œconomiam perturbet; quippe qui in hypochondriis ceu arce sua habitans in omnes ferè corporis partes virus suum evomit, & ubique negotium facessit, nunc latera lancinat, nunc in hepate igneas faces accendit, nunc tormentorum vim adhibens multiplici rumore ima corporis concutit, & murmurationum ac ventorum sonitu & turbine adimplet: nunc noxios ac tetros fumos hinc inde in mentis præcipuè arcem submittit, qui ipsam perturbando confundunt, & pavorem timoremque incutiendo terribilia spectra inducunt, ac excitant: alios etiam suæ ferociæ iniquos socios adsciscit, variasque tandem affectiones & horribilem symptomatum sobolem fovet; & præter alia multa contrariæ illæ ventriculi & jecoris intemperantiæ, quibus ad pertinacem suæ durationis contumaciam tanquam invincibili asylo utitur, præcipua sunt obstacula, quæ medicis obsistunt ac reluctantur, & omne negotium in curatione exhibent. Ideò illis, qui in pervicaci hoc morbo debellando, & tam rebelli affectione vincenda incumbunt, illud inprimis obnixè præcipio, ut attentâ judicii acie statim ab initio hujusmodi ventriculi & hepatis contrarias intemperies inter se conferant, & quæ illarum potissima existat sedulò circumspiciant, ut in illam remediorum vim intendant: ubi enim hepatis caliditas, quàm ventriculi frigiditas superior ac intensior est, immodica sitis ardentius urget, & facies rubore quodam violaceo & ferrugineo ad atrum declinante suffunditur, ventris fæces magis exsiccantur & aduruntur, ac pigrior alvus est, corporis atrophia non ita magna, nec viscerum obstructio; sed tamen ciborum appetentia minor.

In horum igitur curatione, qui hepatis calore magis, quàm ventriculi frigiditate laborant, expediet alvum humectare, humores evacuare, obstructiones aperire, jecoris calorem temperare, stomacho etiam providere, vapores discutere; ac tandē ne hi & humores à quibus elevantur, amplius generentur, in quantum fieri possit, providendū.

Ad remedia jam deveniendo, alvus in primis lubricanda erit, hoc aut simili clystere: ℞. decoct. parietariæ, malvarum, mercurialis, sem. lini, lupulor. fumariæ, cuscutæ unc. iiij. olei amygd. dul. seminis lini viol. unc. ij. M^e. aut ex malvis, violis, furfure in jusculo decoctum parari poterit: quòd si in processu majori attemperatione opus sit, in sero lactis potest fieri decoctum prædictarum herbarum; quibus etiam, si purgativos reddere volueris, addere poteris fol. senæ. & epyth. ana drach. j. & dimid. aut drachm. j. corticum rad. ellebori nigri in sero cum dictis herbis incoquenda. Quòd si ingens fuerit alvi adstrictio, ut fieri solet, in curationis progressu singulis ferè diebus post cœnam ex oleo amygd. dulc. recenter extracto ad unc. iij. vel iiij. injiciendi; aut cum viol. aut communi partibus æqualibus. Hi enim optimi sunt, sic quippe non irritant, sed diutius detenti magis humectant, & per totam noctem humectando fæces induratas emolliunt & educunt: ac tandem, si ingens vigilia ægrum infestet, ex decoct. parietariæ, viol. camemali fiat decoctio, cujus unc. iiij. adde olei amygd. dulc. unc. j. & dimid. philonii Romani drachm. j. & dimid. M^e. Ex jusculo avis & oleo amgyd. dulc. etiam communissimi sunt.

Sed quia in primis viis maxima adustorum excrementorum saburra inveniri solet, præmissis clysteribus purgatiunculam sic exhibere soleo: R. decocti senæ epith. rad. end. scortion. herbæ agrimoniæ, florum borrag. viol. ana quantum satis, in aqua chicoriæ, aut borrag. parati unc. iij. & dimid. dissolve, mannæ optimæ unc. ij. M^e. vel sic: R. seri lactis uncias vj senæ, epith. ana drachmas ij. seminis citri drachmam j. bulliant, colat. & express. recipe uncias iij. adde syrup. polyp. rosf. solutiv. ana unciam j. si prædicto decocto drachma j. aut scrup. iiij. rhab. infundantur, optimum erit medicamentum: vel si mavis prædicta in sero coquantur, cui adde mannæ unc. ij. M^e.

Primarum viarum expurgatio.

His peractis jam ad sanguinis missionem deveniendum; & in casu proposito, ubi hepatis caliditas excedens satis cognoscitur, si ætas & vires consentiant, audaciùs incipiente præsertim morbo sanguis extrahendus est, primùm à talo, tam in viris quàm in fœminis. Hanc enim sanguinis missionem in melancholicis morbis admodum esse proficuam expressè docuit Avicenna *lib.* 1. *fen* 4. *doct.* 5. *cap.* 20. approbant juniores ferè omnes Amatus *cent.* 6. *curat.* 44. Sennertus *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 11. & 12. revellit enim à capite, & sanguinem fæculentum & crassiorem ad inferiora naturaliter tendentem facilè evacuat, ut ex multis *Hippocratis* locis probat *Amatus* præsertim ex 6. *aph.* 21. ubi sic: *Insanientibus si varices aut hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio.* in cujus *comment.* Mercurialis non solùm hanc doctrinam ut admodum utilem laudat & amplexatur, sed tanquam *Galeno* usitatam consulit, ut ex eodem colligitur *lib. de curand. rat. per sanguin. miss.* ubi in melancholicis, vertiginosis, & epilepticis curandis, ex partibus infernis sanguinem detrahit, jam hæmorrhoides aperiendo, vel crura scarificando, vel malleoli venas tundendo; quòd si mensium aut hæmorrhoidum suppressio antecesserit, potiori jure hoc exercendum est, & consueta evacuatio revocanda. Sanguine igitur ex inferioribus partibus misso, mox ex brachiis extrahendus pro virium & plenitudinis ratione, quantum multitudo & hepatis intemperies expostulare videntur; ob quam etiam reliquis evacuationibus peractis salvatelam aperire, & aliquantulum ex illa evacuare utile erit, ut jecoris caliditas attemperetur & refrigeretur: sicuti etiam hæmorrhoidibus sanguisugæ adhibendæ, ut fæculentus & niger sanguis à liene ad illas confluens aliquantulum deponatur, & hypochondria ab infartu liberentur. Sed si affectus diuturnior fuerit, vires non admodum robustæ, jecoris intemperies minor, ventriculi verò frigiditas & debilitas major, ac tandem frigidæ & siccæ melancholiæ prædominatio conspicua; tunc sanguis in minori quantitate exhauriendus, primò ex talo, mox ab hæmorrhoidibus, quarum evacuationem si opus fuerit iterare poteris, præsertim si patiens hæmorrhoidas patiatur, aut illarum fluxui anteà fuerit assuetus, quem diu suppressum habuerit, quod etiam in fœminis circà menses advertendum est.

Sang. miss. 19. Primum à talo.

Ex brachiis. Ex salvatela. Hæmorrh. apertio.

Dum tamen hæc fiunt, humorum præparationi incumbendum erit, quam in prædictis hoc ordine instituere consuevi: R. decocti radicum chicoriæ, graminis liquirit. herbæ agrimoniæ, passular. flor cord. unc. iij. syrup. end. borrag. aut de pomis ana unc. dimid. M^e. utatur per dies quinque vel sex, in quorum fine iterum purgatio instituenda, aliquo ex medicamentis supra adductis; quâ peractâ, aut omissâ si æger renuerit, jam ad apozemata alterantia, & deobstruentia transeundum erit, & aliquando simul evacuantia, ut paulatim & per epicrasim intemperies corrigatur, & humor vitiosus evacuetur: in nostro casu hoc mihi optimum videtur; R. rad. graminis, chicoriæ, liquirit. scort. ana drachmas ij. & dimid. herbar. cap. ven. acetosæ, end. fol borrag fumariæ, lupulorum ana p. j. absinth. p. dimid. passularum minorum pug. j. & dimid. prunor. Damasc. num. v. coquantur in sero lactis caprini, cujus colaturæ drachmas iij. aut iv. porrigere poteris. Quòd si simul evacuare volueris, R. dicti decocti unc. iij. & dimid. infunde rhab. drachm. j. fol. senæ drachmas iij. epith. p. j. M^e. quod per aliquos dies iterare poteris: *Fernelii* apozema in hoc morbo omnes intentiones complet, & ab omnibus celebratissimum medicamentum habetur. Illius descriptio talis ab ipso authore proponitur *cons.* 43. pro domino de Maligny melanch. hypochond. laborante: R. buglos. oxalidis, chicoriæ, borrag. ana unc. dimid. agrimoniæ, cuscutæ, ceterach ana M. j. fol. senæ mundator. unc. j. & dimid. fiat decoct. ad lib. j. addendo sub finem trium florum cord. ana pug. j. in colatura infunde rhabarb. electi drachmas iij. cinnamomi

Humorum præparatio.

2. Purgatio

Apozematum usus.

mi ſcrup. iiij. in expreſſ. diſſolve ſyrup. viol. unc. ij. paretur apozema clarificatum in tres doſes. Alii confect. hamech. ſcrup. iiij. aut drach. j. & dimid. propinant in ſero lactis, aut infuſum ſenæ in eodem ſero. Pro delicatis optimum erit in ſero lactis, aut in juſculo avis porrigere unc. j. aut unc. j. & dimid. ſyrup. end. cum dupl. rhab. aut mannæ unc. ij. in ſero diſſolvere, aut etiam ſyrup. de chalybe aut de ſcoria ferri, ſi deobſtruere magis velis; cujus deſcriptionem invenies apud Mercatum *lib. 2. de morb. intern. curat. cap.* 11. & aliam minus operoſam apud Fontecham *luminari 2. fol. mihi* 492. Sed ſi attemperationis major fuerit neceſſitas, ad ſerum depuratum te conferes, cujus unc. iiij. vj. viiij. & x. propinare poteris pro intemperiei calidæ indigentia, virium & ventriculi robore; quod medicamentum tempore præſertim calido omnium optimum habetur, cùm omnes indicationes in hoc morbo compleat; refrigerat enim, deobſtruit, evacuat, cui ſi placet unc. j. ſucci end. admiſcere poteris cum pauco ſaccharo, vel cremoris tartari drach. j. quam etiam in juſculis injicere poteris, ob amicam enim aciditatem delectat, & appetentiam excitat: aut aliter rad. end. agrimoniam, & paſſulas in ipſo incoquere, quam etiam intentionem in admodum delicatis & debilibus complere ſoleo cum unc. iiij. juris gallinæ, in quo radices endiviæ prius incoquantur: vel tandem ipſum rhabarbarum in aqua end. coctum propinare ſoleo.

Poſtquam igitur attemperantibus & deobſtruentibus dicto modo præparatis, & modicè evacuantibus per aliquot dies uſus fuerit æger; ad ſpecifica quædam quæ ventriculum & hepar corroborant accedendum erit. Zacutus *in praxi miranda* tabulas ex pulvere eboris cum ſaccharo confectas multùm extollit; quas ego ſic paro: ℞. pulv. diarrh. abbatis, eboris ana drach. j. & dimid. lapidis bezoar g. viij. cum ſaccharo fiant tabulæ, de quibus unam ſingulis diebus capiat æger, nil ſuperbibendo. Inter illa verò quæ in difficili hoc morbo maximè conducere animadverti, ſunt certè fotus & inunctiones hypochondriorum, & partium illarum, in quibus inter ventriculum & umbilicum pulſatio invenitur; in his igitur locis fiat fotus ex decocto chicoriæ, abſinth. camemali, menthæ ana m. j. baccarum juniperi contuſar. drach. ij. coquantur in aqua chalybeata, addendo in fine vini lb j. & dimid. & cum ſpongia foveantur hypochondria: poſt fotum fiat inunctio ſequens. ℞. olei camemali, nardini ana unc. dimid. M. vel hoc ung. ℞. olei amygd. dul. unc. j. vini malvatici unc. j. ſummitatum abſinth. drach. j. ſchenathi, ligni aloës, galangæ ana drach. j. roſar. p. j. coquantur ad vini conſumpt. expreſſis adde medullæ crurum bovis unc. ij. pul. garyoph. nucis muſc. ana ſcrup. j M^e. *Solenander* ſic componit pro ventriculo & hypochondriis ungendis: ℞. olei amygd. dulc. in quo folia roſ. coquantur unc. ij. medullæ crurum bovis unc. dimid. maſthicis pul. ſcrup. ij. olei garyophyl. nucis muſc. ana gutt. vj. *Manardus* ſic pro ventriculo: ℞. maſthicis drach. j. maceris drach. dimid. garyophyllor. ſcrup. j. macerentur in vino optimo per diem, à vino extracta in vitreo vaſe deſtillentur, & liquore exeunte, præſertim poſtremo, ventriculus inungatur; huic oleo deſtillato pulveris radicum capparorum, & aliquid aceti ſquilitici addit, quod ad lienem mirè prodeſſe ait. *Fonſeca* acetum acerrimum in oleo capparorum incoquit, quo lienem inungit: poſſunt etiam hypochondria foveri ſucco end. agrimoniæ cum oleo abſinth. mixtis, quod in cauſa calidiori optimum erit. Apud Cratonem *lib. 6. epiſt. fol. mihi* 727. ſic unguentum paratur. ℞. olei amygd. dul. unc. ij. vini odori unc. j. & dimid. garyoph. ligni aloës ana drach. j. maſthicis drach. j roſ. rubrar. ſummitatum abſinth. camemali ana p. j. bulliant ad vini conſumpt. exprimantur. R. dictæ expreſſ. uncias iiij. adde medullæ crurum bovis unciam j. & dimid. olei nucis muſc. drachmam j.

Porrò in æſtuanti admodum hepate idem *Crato* manus & pedes abluit decocto foliorum vitis, lactucæ, cap. papaveris anethi, hyoſchyami; quo etiam in caſu propinat cremoris hordei ſatis cocti unc. iiij. amygdalati in aqua roſ. facti unc. ij. ſeminis papaveris contuſi drach. j. conſ. roſ. borrag. ana drach. ij. commiſceantur lento igne, & exprimantur. Idem pultes ex farina hordei cum oleo viol. & omphacino & ſucco end. paratas ventriculo æſtuanti applicat in forma cataplaſmatis, & ſi doleat apponit laterem calidum aceto irroratum panno obvolutum. Reliquum curationis perficitur, ſi alternis ſaltim diebus clyſteres ex oleo amygd. dul. poſt cœnam injiciantur. Capiti quoque quod tetros & calidos fumos aſſiduè ſuſcipit providendum, & ſincipite prius deraſo linteum oleo omphacino madefactum imponendum, in quo

ace-

aceti quarta pars addatur: sic enim illius partis doloribus, vigiliis, & delirio quod semper timetur, succurritur, pro quibus etiam balnea parantur ex lacte cum aqua tepida mixto. Hepar etiam refrigerandum ung. rof. & santalino, cui succus end. & acetum rof. addenda sunt; quo tempore etiam ad majorem refrigerationem, si nimius fuerit ardor, propinari potest decoctum sequens: R. aquæ fontis lib. iiij. ferveat unica ebullitione cum rhab drach. dimid. absinth. drach. j. coletur, & aromatisetur pauco cinnamomo. Quòd si his ægrum ad salutarem statum deducere non possis, fontanelas aperire optimum erit consilium, alteram in crure dextro, alteram in brachio sinistro; ut hepar & lien, qui non parùm in hac ægritudine compatiuntur, exonerari valeant, & excrementa pravosque humores, quibus abundant, sensim ac paulatim evacuare possint. Tandem si in nimiam maciem corpus deveniat propter atrophiam, quæ ex magnis obstructionibus mesaraicarum, & vicinarum aliarum partium resultat, ad balnea aquæ dulcis ægrum deducere expediet: fieri enim non potest, ut his rectè administratis adjumenti aliquid non conferas; non paucos enim aliter curantes incassum laborâsse sæpius observatum est.

Unct. frigida & roborans pro hepate. Item potio. Fontanelæ. Balneorum usus.

Sed si ventriculi debilitas & frigiditas intensior esse videatur, quàm jecoris caliditas, servatâ semper medicamentorum regulâ, quæ modicè ac benignè cum natura agant, nec qualitatibus excedentibus nimium alterent, aliquid tantùm in prædictis addendum aut mutandum est, ut contraria qualitas, quæ prævaluit, melius contemperari atque evinci possit. Igitur in his exigua est sitis, os magis humidum, appetentia major, concoctio nulla, aut debilis & vitiata; ab humidis & frigidis maximè offenduntur, ventriculus ab illorum accessu languet, dolet, & in magnos ructus devenit; hinc obstructiones majores & magis impactæ, quæ ob materiæ frigiditatem & crassitiem difficilius abradi possunt: proptereà difficilius quoque purgantur, quia ventriculi calore admodum debilitato medicamenta ad actum non reducuntur, alimenta etiam incocta & depravata relinquuntur, & in excrementa degenerant, quæ obstructiones adaugent, & morbum protendunt; inde atrophia, & corporis macies sequuntur, ita ut ad consumptionem & tabidorum habitum proximè accedere videantur: calamitosam itaque vitam degunt.

Si affectio econtra accidat cum excedenti ventriculi frig. qualiter curanda.

Igitur in his nulla sanguinis detractio facienda, præsertim si affectio longæva fuerit & diuturnior, virium debilitas & macies multa, nisi per epicrasim hirundinibus ex hæmorrh. detrahere volueris: quòd si non ita inveteratus fuerit morbus, ex basilica sinistri lateris aliquantisper sanguis hauriri poterit, aut ex talo, ob rationes jam supra adductas; quæ evacuatio in hoc affectu utilior & præstantior semper habita est. Igitur in hoc casu clysteribus etiam uteris, præsertim ex oleis supradictis, quibus aliquid camemalini addere poteris, aut ex primo decocto etiam parabis, in quo semina anisi & fœniculi etiam cum cæteris incoquantur. Sanguine igitur hoc modo parcè detracto, statim humores in primis viis stabulantes educendi sunt, quos prius sic præparabis: R. decocti chicoriæ, graminis passular. liquirit. flor. borrag. comar. absinth. eupatarii, seminis fœniculi, cinnamomi in aqua borrag. parati unc. iij. syrup. cap. ven. end. pomorum ana unc. dimid. M^e. vel ex eodem decocto, melle & sacharo addito mulsa parari poterit, de qua loco syrup. ad quinque vel sex dies æger assumat trium aut quatuor unciarum quantitate. Deinde levis purgatio quàm citissimè instituenda hoc modo: R. decocti rad. end. fœniculi, scort. graminis, herbæ agrimoniæ, cuscutæ, comar. absinth. flor. cord. seminis anisi, passularum, senæ, epithymi unc. iij. infunde fol. senæ unc. dimid. rhab. drach. j. colat. adde mannæ electæ unc. j. syrup. end. cum duplicato rhab. unc. j. M^e. quod bis aut ter iterare poteris, & diversis modis variare. Syrup. sequens pro præparat. melanchol. optimus erit: R. succi pomorum redolentium lb. j. coque lento igne ad mediet. imponatur vasi vitreo ad residentiam, coletur, adde succi borrag. unc. iij. syrup. decoct. citri unc. ij. sacchari quantum satis, fiat syrupus; cujus unc. ij. singulis diebus assumi possunt. Idem syrupus purgativus fiet, si in eisdem succis de pomis & borrag. coquantur fol. senæ drach. x. epith. unc. dimid. ad mediet. aromatisetur syrup. decoct. citri. Aliter etiam in sero parari poterit: R. seri depurati unc. v. in quo prius fumaria, absinth. cinnamomum, & semen fœniculi incocta sint; infunde per noctem fol. senæ unc. dimid. cinnamomi parùm, M^e. Si pillulæ magis arrideant, hoc modo parabis: R. aloës succo end. & rof. infusi drachm. j. & dimid. rhab. pulv. aquâ cinnamomi inspersi drach. dimid. agarici trochiscati drach. j. pulv. garyoph. masth. cinnamomi, salis gemmæ

Sanguinis extractio. Clysteres. Humorum præparatio. Purgationes. Pillulæ.

mæ ana g. vj. cum syrup. polip. & absinth. formentur pillulæ, quarum drach. j. assumere poterit. *Fonseca* pomum purgativum hoc modo parat: R. pomum excavatum, imple scrup. ij. fol. senæ pulverisatæ, coöperiatur, assetur sub cineribus, & edendū præbeatur. Fortius purgabit, si sic paraveris: R. pomum apianum excavatum, reple pul. thuris drach. dimid. sacch. candi. scrup. ij. pul. rad. eleb. nigri scrup. j. cinnamomi scrup. dimid. coöperiatur suo operculo, & in charta madida obvolutum sub ignitis cineribus coquatur, & in aurora comedendum propinetur. Alii pomum drac. j. rad. ejusd. elleb. nigri infixum assant, & demptis radicibus exhibent: alii etiam pillularum de fumaria drac. dim. cum scrup. j. rad. pulv. ellebori nigri commiscent, & sic purgationem instituunt.

Corpore jam sufficienter evacuato, & primis communibusq; viis ab excrementorum superfluitatibus mundis, de illis remediis cogitandum, quæ extenuatum & præ frigiditate languentem ventriculum confortare, calefacere, & in meliorem dispositionem trahere possint, ita ut corroborando simul deobstruant; in quem usum sequens potio utilissima erit: R. radicum end. scort. borag. graminis, petroselini, fœniculi ana drach. iij. herbar. cap. ven. aspleni, fumariæ, cuscutæ, lupulorum ana manip. dimid. summitatum absinth. menthæ ana drach. j. & dimid. passular. p. j. fiat decoctio in brodio avis, in cujus unc. iij. & dimid. infundatur nodulus ex drach. dimid. rhabarb. expressioni addatur pul. cinnamomi parum; multis diebus continuetur. In eundē finem cum ingenti ægrotantium commodo uti soleo passulis in hunc modum præparatis: R. passularum num. 2. ab acinis mundæ repleantur pulvere rhab. & anisi, sic præparatæ infundantur per noctem in vino optimo cum summitatibus absinthii, manè effuso vino passulas sumat æger; est sanè remedium singulare, quod semper maximè prodesse observavi. Quòd si adhuc, ut non rarò vidi, talis fuerit ventriculi debilitas, & naturalis caloris dejectio, ut nec à prædictis & aliis externis relevari videatur, in simili casu remedium aliquod euporiston habere oportet, quod præsentaneum afferat auxilium; sed ego nullum majoris efficaciæ novi, quàm decoctum camemali, & comar. absinth. parare, in cujus fine addatur nodulus cinnamomi, & masthicis; deinde saccharo addito fit syrup. cujus unc. j. mane & vespere sumpta stomachum roborat, calorem auget, & vires restaurat. Alii ex succo centauri majoris, aut ex decocto radicum illius simile decoctum & syrupum parant, ut facit *Solenander*: alii aquam cuscutæ destillatam laudant, in qua macerare jubent agrimoniæ, absinth. ana p. j. & ad unc. ij. exhibent. Mirabilis etiam est efficaciæ in hoc casu quinque aut sex grana piperis integra devorare singulis diebus: nec displicet quod Lautembachius *in cons.* tradit, scilicet usus decocti radicis chinæ cum floribus borag. ad exsiccandum ventriculum; quod efficacius erit si absinth. addas. *Crato* laudat rad. centauri in vino maceratas, quousque vinum rubescat; & horâ unâ ante cœnam unc. iiij. hujus vini porrigit. Mitissimum, & utilissimum erit decoctum rad. end. fœniculi in jusculo avis, cui infundatur nodulus ex drach. dimid. rhab. cum pul. cinnamomi & diarrh. abbatis, cujus unc. v. per multos dies exhibere conveniens erit.

Sed pro obstinatissimi hujus morbi curatione, illius obstructionibus & partium internarum imbecillitate & intemperie debellandis nullum efficacius auxilium juniores invenerunt, quam chalybis usum, ut hypochondriæ alexipharmacum propterea Claudinus *resp.* 29. appellare non dubitaverit, circà cujus usum aliqua advertere prius constitui. Primum, quòd sicuti in affect. hypoch. in qua major est hepatis caliditas quàm ventriculi frigiditas, specificum remedium est serum lactis; ita ubi magis prævalet ventriculi frigiditas & debilitas, chalybis usus magis convenire videtur.

Secundò, advertendum est ridiculum esse illud, quod aliqui auctores introducere conati sunt, nimirùm loco chalybis, auri, argenti, & pretiosorum metallorum pulveres, & limaturas ad deobstruendum utiles esse, & substitui posse; quam opinionem & illius usum primus proposuit Leonard. Jachinus *cap.* 54. *de lien. scyrrho*, ubi potiones ex auro in eandem intentionem, quâ chalybis, satisfacere posse scribit; approbat Lupeus Curelanus *in animad. fol. mihi* 101. & eandem sequitur Iulius Cæsar Claudinus *resp.* 29. *& in tract. de chalybe.* Sed cùm hoc experientiæ non correspondeat, illorum opinio meritò explodenda, ut optimè taxat Sennertus *lib.* 3. *praxis p.* 5. *sect.* 1. *cap.* 6. siquidem chalybs obstructiones non aperit & deobstruit pondere, sed propriâ vi quam possidet; quæ in argento & auro minimè invenitur: igitur chalybe uti convenit, non auro, ut malè Hispalenses quidam medici annis præteritis exhibere consueverant, novitate magis quàm utilitate famam & lucrum aucupantes; nemo

enim, ut judico, auratis his medicamentis ad ostentationem inventis probè curatus fuit, imò eos qui levamen suscepisse videbantur, citissimè in eundem morbum recurrere animadversum est.

22. *Chalybs etiam citrà ambulationis exercitium domi & in lecto propinari potest. Medici non admodum periti ab artis regulis nunquam se explicare norunt.*

Tertiò, aliud maximè necessarium advertere expedit, ut siquando chalybis necessitas ingens videatur, & tamen ægrotantis vires & debilitas in eo statu esse appareat, ut exercitium pro chalybe consuetum non perficere, nec domo exire posse videatur; minimè propterea ab optimo hoc remedio abstinendum, ut rigidi aliqui medici facere consueverunt, ex istis, qui artis regulas nunquam pro tempore mutare, supplere, aut ab ipsis se explicare norunt. Igitur si necessitas urget, medicamentum ex chalybe administrandum erit, quamvis æger domi maneat, & leviter in ipsa se exerceat, & adhuc etiamsi lecto exurgere non possit; ibi enim plures sanatos fuisse notat *Sennertus* citatus, & sic fieri debere & posse tenent Fonseca *tom.* 1. *cons.* 2. & 6. Claudinus *tract. de usu chalybis & in append. de ingressu ad infirmos*, Zacutus 3. *de princip. hist. quæst.* 8. quod etiam consulit doctissimus *Soria* primar. Salmant. Professor *tract. suo de usu chalybis*: quare dubium non est, nec exinde damni aliquid timeri debet, quandoquidem exercitii loco frictiones mediocriter asperæ toto corpore linteis fieri possunt, quas vicem exercitii supplere docet Galenus *lib. de puer. epilep. cap.* 4. aut, quemadmodum utitur Fonseca *cons.* 6. antè chalybis assumptionem aquæ calidæ cum melle despumato ad vias aperiendas haustus porrigi poterit.

23. *Chalybis præparationes selectæ ad hypochondriam.*

Sed ad chalybis præparationes deveniendo; selectissimas tibi proponam: communiter sic conficere solent, R. chalybis præparati unc j. pul. diarrh. abbatis drach. j. sacchari unc. j. dosis drach. j. in syrup. cap. ven. aut de duab. rad. aut decoct. citri. *Crato* cum cons. bortag. propinat. Mihi pro hoc morbo in usu sequens est: ℞. chalybis præparati drach. x. diarrh. abbatis drach. j. margarit. præparat. drach. dimid. pul. eboris scrup. iv. diamusci dulcis drach. j. trochis. de rhab. de capparib. ana drach. j. fol. senæ epith. ana drach. j & dimid. fiat omnium commixtio & cum dictis conservis exhibeatur drach. j. & dimid. aut scrup. iv. vel cum syrup. cap. ven. formentur pillulæ, de quibus dosis erit scrup. iv. & quomodocumque sumatur suprà bibat æger unc. iv. decocti calidi scort. aspleni, rad. chinæ, cinnamomi. *Riverius* sic alias pillulas parat. ℞. chalybis præp. unc. j. senæ, rhab. agarici trochis. ana drach. j. pul. diarrh. abbatis drach. dimid. cum syrup. absinth. fiat massa, de qua drach. j. exhibet. Fonseca *tom.* 1. *cons.* 23. pul. chachecticum ex officina *Quercetani* laudat, ex quo pillulas parat: ℞. limaturæ chalybis præp. drach. j. fæculæ rad. aronis drach. j. & dimid. ambræ gris. scrup. j. & dimid. succini præparati, cinnamomi ana scrup. iij. corallor. margar. præp. ana drach. j. & dimid. cum saccharo fiat pulvis, ex quo pillulas format, quarum scrup. ij. exhibet. Si volueris uti vino chalybeato, aut tinctura, aut extracto chalybis, aut syrup. de scoria chalybis, omnium compositionem invenies apud Freitagium *in aurora fol.* 67. 68. 69. De syrupo jam supra diximus; extractum, seu chalybis essentia Antverpiensibus usitata quomodò parari debeat candidè tibi communicabo:

24. *Chalybis extractum seu essentia quomodo paretur.*

℞. limaturæ chalybis lb. dimid. affunde vini optimi unc. xviij. pone ad ignem lentum, moderateque interdum agita vas; tandem ebulliat donec emergat spuma crassa & pinguis, quam collige, & novo vino affuso ter quaterque repete; collectam cum vino spumam iterum coque ad consistentiam mellaginis, ex qua cum melle & speciebus diacurcumæ, diarrhodon, electuarium confice, de quo drach. j. exhibe in jusculo, in decocto, vel si placet mellaginem illam ad consistentiam pulveris coquendo exsicca; de quo drach. dimid. eodem modo porriges.

Potiones deobstruentes ex rad.

Porrò si aliquis ab usu chalybis abhorreat illi sequens apozema propinari poterit: ℞. passular. sine acinis unc. j. rad. chicoriæ unc. j & dim. rubiæ tinctor. unc. j. & dim. radicum rumicis acutæ, graminis, corticum capparorum ana unc. j. dauci, rad. apii, petroselini ana unc. dimid. lupulor. m. j. agrim. cuscutæ, aspleni ana m. j. fiat omnium infusio, & coctio pro lb. ij. facta express. & colat. adde senæ unc. j. & dim. epith. unc. j. iterum bulliant ad lb. j. cui adde dialaccæ drach. iij. cum sufficienti sacch. fiat syrup. de quo unc. ij. & dimid. exhiberi possunt cum decocti senæ cap. ven. agrimoniæ, anisi, cinnam. rad. end. unc. iij. Mc. Aliter & facilius sic: ℞. rad. petrosel. end. asparagi, fœniculi capparorum ana unc. dim. lupulor. aspleni, graminis ana m. j. rad. scort. flor. cord. cicerum nigr. anisi, cinnam. ana quantum satis, fiat dec. in jure avis, de quo capiat unc. iv. tepidè.

De alvo humectanda & evacuanda nunquam oblivisci oportet, quod quo modo & quibus clysteribus faciendum sit, jam ab initio proposuimus; adest quippe in hoc morbo

bo maxima ventris ſiccitas, & durities propter humorum craſſitiem & obſtructiones, ad quod jecoris caliditas illos adurendo multùm adjuvat: quapropter continuò alvus humectanda lubricantibus; hi enim quamvis parùm educant, cavitates internas irrigant, humectant, temperant, ingentemque utilitatem præſtant. Capiti, hepati, & lieni qualiter providendum jam ſuprà diximus, ſed in caſu propoſito de ventriculo maxima cura habenda eſt, non ſolùm remediis ſuprà ſcriptis, ſed fomentis ex decocto abſinth. menthæ, roſarum, camomillæ; deinde unctionibus ſupradictis fovendus, aut imponatur emplaſtrum à *Cratone* & *Sennerto* laudatum, quod ſic conficitur: ℞. laudani part. unam, ceræ partes duas, M^e. vel ſic, ut *Ioan. Bapt. Montanus*, ℞. myrrhæ, aloës, maſthicis, laudani ana partes æquales, moſchi. g. iij. cum cera & pauca terebinthina formetur emplaſtrum pro ventriculo. Illud verò in horum emplaſtrorum uſu maximè advertendum, quod juniores medici ſummoperè commendant, non eſſe aſſiduè geſtanda; alioquin nil proſunt, quia ab aſſuetis non fit paſſio, quæ enim familiaria ſunt, nil afficiunt, & nullum juvamentum præſtant. Hanc doctrinam præter *Cratonem* confirmat Montanus *conſ.* 88. Sanct. Sanctor. *l.* 4. *vitandor. errorum c.* 5. *&* 13. ubi hunc tanquam trivialium medicorum errorem maximè damnat.

Tandem pro humoris melancholici feritate domanda cordialia non omittenda; in quem uſum parantur tabulæ ex pul. manûs Chriſti cum margaritis, vel emulſio margaritarum, quam vide apud Sennertum. *Solenander* ſic parat: ℞. margaritarum ſcrup. iv. chryſoliti præparati ſcrup. ij. aquæ borag. unc. iij. ſyrup. bōrag. unc. j. decoct. citri unc. dim. M^e. drach. j. pul. ſapphiri in juſculo ſpecificum eſt adverſus melancholiam: optimum etiam eſt, conſ. borag. cum pul. diamuſci; nec omittendæ ſunt tabulæ à *Zacuto* ſuprà adductæ, multùm quippe contuliſſe ſæpiùs expertus ſum.

Quia tamen hic affectus adeò rebellis eſt & contumax, ut omnibus etiam adhibitis machinis non cedat, imò omnia præſidia non rarò deludat, ideò poſt tot jam adducta, ſi æger in integram ſanitatem non deveniat, paliativâ quadam curatione uti conveniens erit, & præter diætam (quæ rigoroſa in hoc affectu eſt, & ad unguem obſervari debet, vitando omnia calida, viſcida, lenta, craſſa, aëria, quæ viſcerum intemperiem augere, & meatus obſtruere poſſunt) maximè commendat. *Ioan. Crato*, ut tertio quoque die ſumat æger ſcrup. j. pillular. de aloë roſ. aut ſingulis diebus quando it cubitum pillulam unam aut alteram; cùm enim in hoc morbo perpetua nigri ac craſſi humoris illuvies in primis viis reſtagnet ob cruditatem alimenti, quod propter ventriculi imbecillitatem non concoquitur, & ab hepatis immodica caliditate aduritur, hinc aſſiduè morbus fovetur. Hæc igitur excrementa evacuare continuò expedit, in quem uſum dicta pillularum conſuetudo optima eſt, de quibus ſi vel una tantùm ſingulis diebus aſſumatur, tantæ utilitatis eſſe ajunt, ut vel hoc ſolùm remedio quamplurimos optimè degiſſe, & morbi vigorem declinâſſe ſæpiùs viſum ſit; quare illis frequentiſsimè utor, addendo aliquid pul. diarrh. ut ſimul ventriculum roborent: Optimæ enim ſunt hujuſmodi pillulæ & præſtantis adeò efficaciæ, ut propterea ab *Arnaldo* pillulæ juventutis dicantur. Si verò febris aliqua adſit, quæ hujus remedii uſum prohibeat, illius loco poteſt exhiberi drach. j. cremoris tartari in juſculo; modicè enim evacuat, deobſtruit, & ob gratam aciditatem appetentiam adjuvat. Paſſulæ etiam ſupradictæ per multos dies aſſumendæ, ventriculo emplaſtrum ſupraſcriptum admovendum, ita ut non adhæreat nec aſſiduè geſtetur; & ſi ingens fuerit ventriculi debilitas & frigiditas, quinque aut ſex grana piperis integra manè quotidie devoranda; ſic enim nil jecori nocent, & ventriculo maximè proſunt. Præter hæc etiam ſingulis annis peractâ levi evacuatione ad ſeri uſum redire expediet, maximè ſi jecur calidius videatur, in quo caſu largior erit illius potus, minor ſi ventriculi frigiditas & debilitas magna fuerit; quo tempore in minori quantitate exhibendus, tepidè ſumendus, & ne ventriculus damnum recipiat ex ſeri frigiditate, ante illius aſſumptionem piperis grana aliquot aſſumere expedit, & ſacculis ex calentibus herbis confectis extrà corroborari poterit: ſic enim & aliquid ſacchari vel mellis addendo, illius frigiditas & humiditas corrigetur. Eſt quippe remedium in hoc morbo ſingulare, quod nulli ſecundum habetur; quare à nullo medicorum poſtponitur, niſi à bardis iſtis, qui cùm ab artis regulis & morborum recta curatione longius divagentur, totamque ſcientiæ ſuæ opinionem ex vulgi ruditate magis, quàm ex literis aſſequantur, quæ utilia & proficua ſunt minimè noverunt; ut aliquando mihi cum ſene moroſo contigit, qui in virgine annorum 20. hypochondriacâ paſſione laborante cum febre & menſium ſuppreſſione ſeri uſum damnabat, quem nunquam ſuadere potui, ut illum concedere

voluissent. Hæc est operosa melancholiæ hypochondriacæ curatio, quam quia multi ignorant, & ægri rarò sustinent, mirum non est quòd pauci in sanitatem integram deveniant.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMAQUARTA.

Basilica vena an in gravidis aliquando aperienda? An ex pedibus in iisdem aliquando sanguis mitti debeat ac possit? An puerperis fluentibus adhuc lochiis medicamentum purgans expostulante morbo dari possit? Obiter an in die purgationis frigidam aquam, & nive refrigeratam aliquo in casu propinare conveniens & utile esse possit?

NOn est cur miretur aliquis, nos in hoc jucundarum quæstionum viridario aliqua etiam quæ ad praxim spectant involvere: non enim quæ communia & trita ubique apud practicantes leguntur afferimus, sed exquisita quædam & non omnibus pervia, quæ aliquandò satis necessarium usum & utilitatem præbebunt, & in quibus jucundi proficuique non parùm lector inveniet; cùm sæpè sæpiùs hujusmodi talia in praxi occurrant, quæ non contemnendam dubitandi ansam medicis ingerunt, in quibus componendis medici non facilè convenire videntur. Igitur sanguinem in gravidis mitti posse, non acuti & urgentis tantum morbi occasione, sed ad aborsûs periculum sæpius vitandum, medicorum nullus jam dubitat; cujus doctrinæ jam etiam firmiter stabilitæ necessarium non est rationes & experientias adducere: sat multas collegerunt Schenckius, Sennertus, & Zacutus 1. *de princip. hist. quæst.* 22. & novissimè *Lazarus Riverius*; ut propterea unicus *Ab Altomari*, qui hoc contradicere veritus non est, non immeritò ab omnibus sugilletur. Nec etiam aliquid obstat quòd Hippocrates 5. *aph.* 31. hoc remedium illis denegare videatur, in cujus *comment.* legendus *Mercurialis*, & præsertim Moxius *lib.* 2. *cap.* 7.

1. Cùm igitur de vena in gravidis secanda nullus dubitet (uno excepto *Altomari*) de loco & vena ex qua sanguis mitti debeat sua lis est, cùm basilicam nunquam in gravidis tundi debere multi advertant; quorum opinionem videtur comprobare Galenus 2. *acut* 10. & 4. *acut.* 24. ubi internæ & basilicæ sectionem velocissimè & plurimùm ex partibus principibus evacuare testatur: ob quam rationem *Hippocrates* illius sectionem in morbis acutis commendat, nam cum vasis maximis maximum habere consensum idem docuit Galenus *lib. de sang. miss. cap.* 16. & 4. *de sanit. tuend. cap.* 4. confirmat Avicenna *lib.* 1. *fen.* 2. *tract.* 2. *cap.* 12. dum enim de aborsûs causis loquitur, *Ex motibus* (inquit) *est phlebotomia, & præcipuè ex saphena post basilicam*: quoniam sectâ hâc venâ promptè suo alimento fraudatur fœtus, cùm à partibus internis, truncoque corporis humorem abundanter non solum educat, sed multam etiam spirituum copiam exhauriat; quod non contingit si mediana aut externa secetur, hæ enim minus debilitant, & velut furtim & insensibiliter sanguinem emittunt, ut monet Æsius *tetrab.* 3. *serm.* 2. *cap.* 45. Quod peritissimi medici advertentes in gravidarum morbis acutis, qui sanguinis missionem expostulant, mediam aut externam tundere jubent, periculum esse putantes ne basilicâ vulneratâ facilius sequatur aborsus, ob maximum consensum quem cum partibus internis habet, & ob multam subitamque factam evacuationem, quæ cum notabili spirituum emissione celeriter sectâ hâc venâ accidit. Sic consulit Mercatus *lib.* 3. *de morb. mul. cap.* 22. ubi ita scribit: *Verùm in omnibus sanguinis detractionibus quæ gravidis profuturæ sunt, eam venam eligere convenit, quæ maximè ab uteri venis dissideat, ita ut quàm minimam cum eis communionem habeat, qualis est humeraria, vel urgente morbo communis; à reliquis verò abstinendum, quippe quæ facilè alimentum adimunt.* Approbat Augenius *lib.* 6. *de sang. miss. cap.* 3. qui in acutis prægnantium morbis suspectam semper ait habuisse internæ venæ sectionem, neque unquam talem venam in ipsis tundere jussisse, quòd maxima sit illius cum utero societas; atque ideò externam frequentissimè, quia minorem cum utero consensum

ſum ſortitur; aut tandem urgente malo communem, quia medio modo reſpectu duarum aliarum ſe habeat. Eandem ſententiam ſequitur A Caſtro 3. *de morb. mul. cap.* 21. qui baſilicam feriendam penitus negat: communiter practicantes hoc in praxi conſulere & exercere, nemini credo ignotum; ut etiam tradit Sennertus *lib.* 4. *p.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 3. *q.* 2. Nicol. Fontanus *lib.* 3. *de morb. mul. cap.* 11. & plures alii, quos ſequitur Cyprian. Maroja *lib.* 3. *obſ.*

Sed tamen licèt hoc ita ſit, non deſunt magni nominis viri qui in gravidis morbo acuto laborantibus baſilicam venam internam dictam aperire jubeant; inter quos eſt Amatus *cent.* 1. *curat.* 57. qui prægnanti cauſone correptæ poſt cephalicæ ſectionem baſilicam aperiri juſſit, & *cent.* 7. *curat.* 70. in alia ex pleurit. decumbente eandem venam ſecuit: *Foreſtus* etiam, qui *Amati* veſtigia ubique imitari ſtuduit *lib.* 16. *obſ.* 16. & 38. in prægnantibus pleuritide affectis internam tundere fecit. Fonſeca *tom.* 1. *conſ.* 93. in altera, quæ teneſmum cum feb. patiebatur, jecorariam ſecuit: imò Hieronymus Accoromb. *tract. de nat. & uſu lactis p.* 1. circà finem adductus à Schenckio *lib.* 4. *titul. de gravidis*, ad aborſum tantummodò præcavendum eandem venam aperuit citrà ullam acuti morbi urgentiam, nec propterea matri aut fœtui periculi aliquid contigit, ſed cum maximo levamine aborſum vitavit, & ad debitum tempus fœturam perduxit. Nicol. etiam Fontanus *lib. reſp. & curat. med.* in pruritu & inflammatione uteri utramque baſilicam ſecat in gravida, quod & alii facere non recuſant.

Cùm igitur in dubio hoc negotio, quod ſæpiſſimè nobis occurrit, doctiſſimos facultatis viros minimè inter ſe convenire videamus, quid circà hanc rem ſentiendum ſit jam dicam: quod ut melius intelligatur, ſciendum eſt quamplurimos fuiſſe medicos qui venarum partitionem à *Galeno* deſcriptam ſequentes, illarum delectum maximè commendârunt, & mediam, cephalicamque, & baſilicam peculiares eſſe venas putârunt, quarum unam vel alteram inſcindere pro morborum curatione multùm expediret; quo factum eſt ut vulgus, quoties de ſanguine mittendo deliberatur, quænam vena aperienda ſit ſtatim à medicis prærequirat: quem uſum antiquiores medici invexerunt, quia claram & exquiſitam anatomes cognitionem nondum fuerant aſſecuti; unde factum eſt, ut cephalicam externam dictam affectibus ſuprà collum tantum dicaverint, baſilicam jecori & venoſo generi, mediam ancipitem fecerint, in quo etiam errore adhuc verſantur ferè omnes: quem tamen abuſum quamplurimi ac peritiſſimi anatomici à medicinæ finibus & optima illius praxi divellere ſatagunt, cùm brachii venæ omnes ab uno eodemque ramo prodeant; quare ab eiſdem partibus evacuare ajunt, & quæ cephalica dicta eſt, non minus à capite & à jecore humorem extrahere, quàm quæ baſilica dicitur aut media, licèt cephalica, quòd ramulum à capite accipiat, illius affectibus magis prodeſſe videatur: tamen utramque internorum viſcerum morbis æquè opitulari, & à venà cava ſanguinem extrahere inter anatomiæ peritiſſimos ut certum ſtatuitur, & in praxis optimum uſum commendatur, qui & nomina illa *baſilica*, *cephalica*, licèt græca, veteribus *Galeno* & *Hippocrati* ignota, à recentioribus tantùm inventa fuiſſe ajunt, qui turpiter hanc de venarum delectu opinionem induxerunt; de illis quippe venarum nominibus tantummodò *in lib. de anat. vivorum* mentionem fecit *Galenus*, qui liber tanquam ſpurius à genuinis & propriis meritò excluditur: & ne in diſtributione harum venarum longior ſim, quod anatomicis peritis relinquo, illorum notiſſimos & famigeratiſſimos adducam, nec non inſignes alios medicinæ coryphæos, qui venarum hunc delectum penitùs rejiciunt, tanquam merum abuſum, & ad praxis uſum nil utilitatis conferentem.

Inprimis ſic placuit *Veſalio* Anatomiæ principi *lib.* 3. *cap.* 3. *de hum. corp. fabr.* Bauhino *in theatro anat. lib* 4. *c.* 23. ubi expreſſè ait inutilem eſſe hunc venarum delectum ac curioſum, cùm utriuſque venæ idem ſit ortus. Fallopius *in inſtit. Anatom. pag.* 504. & *in obſervat.* 447. Gaſpar Bartholinus *problem.* 6. *lib.* 1. & *lib. de venis cap.* 2. & omnium mihi inſtar *Riolanus* anatomicorum poſtremus, & doctrinæ peritiâ primus, hanc medicorum noſtri temporis venarum electionem objurgant, taxant, damnant; quorum ſententiam probat Adrian. Spigelius *lib.* 5. *de hum. corp. fab. cap.* 7. ubi ſic inquit: *Quamobrem nec in eligendis locis pro venæ ſectione ſcrupuloſos nos eſſe decet, ut ſolent quidam imperiti, ſed eam eligere, quæ tutiſſimè ſecari poſſit, & oculis optimè ſe offerat; quare rectè ille egerit, qui prudens hoc potius conſilium, quàm ſcrupuloſam imperitorum opinio-*

nionem sequitur. Quos ferè omnes citat & affert Jacob. Primerosius *lib. 4. de vulgi errorib. cap.* 24. ubi inter stabilitos errores hunc è medicorum & vulgi mentibus conatur evellere; ut paulo ante ipsum fecit Sanctor Sanctorius *lib. 3. meth. vitandor. errorum. cap.* 15. qui *Columbum* aliosque diligentissimos anatomicos hujus veritatis testes affert, ut latius videre est apud Valverde *lib. 6. anat. cap.* 8. estque hæc opinio jam ab omnibus recepta, ut nullus ferè recentiorum sit, qui talem venarum delectum hodie non irrideat, ut etiam insinuat Solenander *sect. 1. cons.* 6. Ant. Maria Venustus *in cons. per Lauthemb collectis cons.* 16. Greg. Horstius *in appendice ad lib. 2. sect. 2. de scorbuto*, ubi sic scribit: *Porrò in eligendis utriusque brachii venis eâdem cæcitate laborant illi, qui splenicam vel basilicam, aut post hanc mediam secandam esse statuunt, minimè verò cephalicæ sectionem concedunt, adducti majorum opinione falsa; ex ignorantia rerum anatomicarum proveniente, quâ statuerunt alium esse exortum cephalicæ, alium basilicæ, alium quoque medianæ; quæ tamen in humano corpore unius propagationis, uniusq; parentis soboles sunt, quemadmodùm post αὐτοψίαν testantur anatomicorum celeberrimi* Vesalius, Fallopius, Bauhinus, *& alii.* Quare idem *Sanctorius* adductus *cap. 12. ejusdem lib.* in omni hepatis affectu cephalicam, si oculis magis pateat, aperiendam esse consulit, aut saltem medianam potius quàm basilicam, cùm illæ venæ ob subjacentis nervi defectum magis commodè, minus periculosè, & æquali semper utilitate feriantur: caret enim cephalica tam arteriâ, quàm nervo; media sicuti arteriam habet comitem, nervum nullum sub se continet, cûm tamen utrumque in basilica inveniatur; quare semper cum timore & periculo tunditur. Quæ doctrina adeò vera est, ut nemine refragante jam ab omnibus ut verissima recipiatur, ut præter dictos tenet etiam Dilectus Lusit. *lib. de venæ sect. cap. 13. articul.* 3. constat siquidem, ex quacumque harum venarum sanguis educatur, ex omni corpore similiter evacuari, quod adhuc ex aliis venis citius aut tardius evenit, cùm unus corporis sit confluxus, conspiratio una, omnia omnibus consentiant, ut testatur Hippocrates *lib. de alimento*, Galenus 3. *de nat. facult.* Trallianus *lib. 1. cap.* 17.

5.

6. Sed quatenùs ad gravidas attinet adduximus jam optimos medicinæ viros, qui pro morbi necessitate ex basilica vena sanguinem demere minimè dubitârunt, sicuti ex cephalica, & salvatela, nullo propterea secuto damno; quod multoties fecisse, & alios sic factitantes vidisse testatur Nic. Rocheus *de morb. mul. c.* 23. nec ideò ullum fœtum periisse. *Moxius* etiam *lib. 2. c.* 19. unà cum Valentinis & Catalanis medicis internam cubiti secari jussit tam in acutis, quàm in chronicis gravidarum morbis, & sub diversis fœtationis temporibus, cum maxima semper prægnantium & fœtuum utilitate; quare concludit, *trepidare hîc alios ubi non est timor*: quandoquidem basilica, & cephalica ab unica concavitate venæ jugularis exterioris prodeant, ut omnes anatomici confirmant, qui unicum esse illarum exortum & unicum centrum nobis docent; unde in affectibus capitis, vel hepatis hæc an illa secetur, nil referre ajunt, vanumque & nullius necessitatis esse talem venarum delectum, cùm idem ex utraq; sit fructus & utilitas.

Conclusio. Quibus tamen non obstantibus pro conclusione dicimus, verum esse unam eandemque esse prædictarum venarum originem, ac proinde in illarum usu eandem ex una, ac ex altera utilitatem consequi; sed quia ramus ille, qui basilicam constituit, capacior est ac amplior, majorem sanguinis copiam & spirituum intrà se continet, ideò dum secatur celeriùs ac majori in quantitate effunditur, unde major virium resolutio sequitur: quare licèt delectum illum venarum cum prædictis anatomicis & medicis damnemus, quatenus ad varias partes magis respicere hæc aut illa putabatur, tamen habito respectu ad venam latam & quæ impetuosè sanguinem emittit, securiùs in gravidis cephalica aut mediana secatur, quàm basilica, ut idem Dilectus *cap. 11. art.* 3. fatetur, qui & salvatelam in gravidis tundere maximè periculosum esse ait, quia est ramus basilicæ. Cum hoc tamen dicimus in gravidis admodum pletoricis & robustis, gravi morbo, pleuritide scilicèt aut vehementi febre correptis, optimè secari posse & debere, ut prædictos auctores fecisse credibile est, *Amatum, Forestum, Moxium*, & alios ut ipse fatetur Zacutus *lib. 1. de princ. hist obs.* 30. Unde colligimus non rectè sensisse *Miroja* supra citat. qui basilicam in gravidis periculosè tundi existimavit, quia sub se arteriam contineat, unde apertâ magna fiat spirituum exhalatio; si enim propterea scindi non deberet in gravidis, eodem modo nec medianam aperire conveniens esset cùm hæc vena etiam sub se arteriam contineat, ut docet Sanctorius *lib. 3. vitandorum error. cap.* 12. aut saltem nervum, ut fatentur omnes.

7.

Ex

Ex dictis deducitur errorem hunc tamdiu medicorum mentibus infixum, non aliunde quàm à veteribus ortum fuisse, qui optimæ anatomię & corporum sectionis perfectam cognitionem ignorantes, sine ullo fundamento aliqua scripserunt, quæ posteà juniores, & dies diei magistra, multò aliter esse docuerunt; & *Galenum* nostrum in secandis humanis cadaveribus parùm fuisse exercitatum, ex ipsius scriptis aliqui colligunt, cùm in simiarum frequenter, rarò in humanis corporibus se exercuerit; unde mirum non est, quòd in illis quæ ad anatomiam spectant aliquando lapsus fuerit. Deducitur secundò, culpandos esse *Mercatum*, *Augenium*, & omnes alios, qui basilicam in gravidis nullâ morbi occasione secare permittunt, quòd dicant apertâ basilicâ majorem fieri spirituum evacuationem, ac exinde majorem sequi debilitatem; quod tamen non adeò certum est, cùm non desint medici doctissimi qui hoc ex medianæ sectione magis timeant quàm ex basilicæ, ut expressè scribit Vales. de Tharanta *lib.* 3. *cap.* 12. Tertiò, taxandos illos, qui pro morbi indigentia, nempe ardenti febre aut inflammat. interna, cum maxima plenitudine basilicam secare non audent, dum fœmina gravida est. Quartò infertur, errare illos, qui in quibuscumque morbis majorem utilitatem ex basilicæ sectione, quàm ex aliis sperant, ut optimè reprehendit Moxius *lib.* 2. *cap.* 19. Zacutus 1. *de princip. med. hist. observ.* 30. quo loco *Mercatum* in sui subsidium affert, cùm tamen ille nunquam hoc scripserit, imò à basilica in gravidis semper abstinendum consuluerit, tantumque malo urgente mediam aperire permittit: corruit quippe illorum fundamentum dum ajunt ex interna, licèt in minori quantitate extrahatur, tamen utilitatem majorem sequi, quàm si ex aliis abundanter evacuetur, ob maximum quem cum magnis vasis habet consensum; quod tamen à ratione alienum est, ut jam diximus, & multorum auctoritate confirmavimus.

Tandem obiter taxanda est inanis quædam vulgi persuasio, quâ credunt venæ sectionem ex cephalica visui nocere; & multos hoc credidisse scribit Alexand. Benedictus *cap.* 28. *lib.* 2. Alii & phrenitidem ex eadem sectione provenire posse timent, *Hippocratis* fortassis verbis decepti 7. *epid. in hist. Alicarnisi*, ut ibidem adnotavit Vallesius *text.* 102. quòd ex hac secta vena caput illi læsum & debilitatum est, ac desipiens factus: sed tamen horum accidentium sanguinis missionem causam non fuisse ibidem *Vallesius* declarat, sed peculiarem ægrotantis dispositionem & cerebri forsitan siccitatem; cùm potiùs prædicta evacuatio ob succorum in capite redundantiam commodissimè fiat, phrenitidique & desipientiæ promptissimè succurrat. Quòd si aliquando simile damnum attulit, non peculiari sui ratione id fecit sed ob nimiam evacuationem, quâ non solum sanguis, sed maxima spirituum copia etiam educta fuerit, unde evenit ut cerebrum, quòd sit pars frigida & exanguis, ob spirituum defectum maximè lædatur, & ob frigidam dispositionem in animalium spirituum generatione aliquatenus deficiat; quorum cùm potissima pars ad oculos perveniat tanquam visui necessaria, hinc evenit ut illorum defectum oculi præsentissimè sentiant & caligent; quod tamen non magis ratione cephalicæ, quàm aliarum venarum timendum est, cùm omnium sit par ratio, ut docent Dilectus Lusitanus *cap.* 13. *de venæ sect. articul.* 4. Angel. Victorius *cons.* 23. Non enim phlebotomia, sed multitudo phlebotomiæ nocet oculis, ut docuit Avicenna *lib.* 3. *fen.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. debilitat enim venæ sectio omnes nostri corporis facultates; cerebrum verò cùm sit pars mollis, exanguis, friabilis, extracti sanguinis penuriam promptissimè sentit; quâ etiam ratione *Vallesius* frequentem cucurbitularum usum cum scarificatione visum debilitare scripsit, de quo argumento videndus Joannes Bacchanel. *lib.* 1. *de consensu medicor. tract. de evacuat. per sang. miss. in respons. ad* 5. & Leonard. Botalus *de curand. rat. per venæ sect. cap.* 19.

Sed quoniam de gravidarum venæ sectione rariora prosequimur, sedulò & hoc inquirendum, an in illis ex talo sanguis aliquando expostulante morbo mittit posit ac expediat? Dubium sanè pulchrum & ad praxis usum non contemnendum, cùm sæpè sæpius truculentas quasdam affectiones gravidæ patiantur, quæ ex utero proveniunt, quibus non nisi ipso è directo evacuato succurri posse videtur; quod juniores medici advertentes difficilem hanc quæstionem agitârunt, ut *lib.* 1. *de princip. hist. quæst.* 21. *& lib.* 3. *ejusdem hist.* 13. *quæst.* 22. fecit *Zacutus*, & antea dubitavit Moxius *lib.* 2. *de morb. acut. mulier. per venæ sect. curand. cap.* 20.

Rationes ergò quas pro parte contraria afferunt ad longum hîc transcribere non

non vacat cùm apud ipsos auctores satis dilucidè proponantur, præcipuè apud Zacutum *lib.* 3 citat. quo loco doctiss. Plempius Lovaniensis multa in illum retorquet, quæ sanguinis missionem ex part. internis in gravidis convellere, & nos à tali remedio deterrere posse videntur; cùm prædicta evacuatio aborsum facillimè promoveat, periculosissimaque in fœtis videatur; quæ ex levi non rarò appetitu aut animi motione in fœtûs immaturam exclusionem deveniunt; quantò potiùs ex confertim facta evacuatione ex talo, quæ vires prosternit, sanguinemque cum maxima spirituum copia exhaurit, & fœtui alimentum subtrahit? Hinc Hippocrates 5. *aph.* 31. universale illud pronuntiatum scripsit: *Mulierem sanguine misso abortire*, quod *in comment.* Galenus approbat & suscipit; quare eodem *lib. aph.* 55. docebat idem *Galenus* non posse medicos validum aliquod auxilium gravidis adhibere: quibus tandem & multis aliis *Zacutus* facilè respondet, & *Moxius* adductus, quorum doctrinam ut breviter nos ab hac dubitatione expediamus, in aliquibus casibus amplectendam esse, posse, & debere meritò judicamus, quidquid econtrà etiam conetur statuere Nicol. Fontanus *in suo florileg. quæst.* 53. si enim vehemens ab utero epilepsia frequentibus convulsionibus, & cum evidenti periculo ne in apoplexiam transeat, gravidam infestet; si pestilens bubo in inguinibus appareat dubium non est, quòd in his casibus aliquando sanguis ex talo mitti debeat: cùm enim revulsio & ex adverso partis mandantis, & longè à corde fieri debeat, nullo modo aliunde, quàm à pede sanguinis missionem convenire evidens doctrina est. Deinde si uteri inflammatio, aut erysipelas, synocháve febris excitetur, quæ in uteri venis focum habeat, unde, quæso, & quâ evacuatione ex optima curandi methodo deducta promptius ac celerius sævissimis iis morbis succurretur, quàm misso ex pedibus sanguine? Hæc enim evacuatio à parte affecta derivat, revellit, & evacuat, brevissimeque periculosis his morbis ex voto succurrit, cùm alioquin maximum periculum sit in mora; in tali quippe morborum urgentia alia evacuandi via non apparet, à qua utilitas cum brevitate consequatur: quare ad saphenæ sectionem deveniendum esse consulunt prædicti auctores, & meritò quidem; nam licèt fœtum contemplando hoc auxilium respui debere videatur, tamen affectûs urgentia, quæ gravidæ & fœtui breviter interitum minatur, quàm citissimè ad illud veniendum nos accingit: in re quippe velut desperata & periculis undique plena fidenter audendum aliquid, cùm anceps remedium experiri melius sit, quàm nullo adhibito certò perire; nec enim in similibus casibus oportet inquirere an tutum sit remedium, quod est unicum.

10\. — 11\. — *Sanguinis miss. expede in quibus casibus in gravidis exerceri possit.*

12\. Fatemur sanè infernas sectiones, ut sæpiùs docuit *Galenus*, passim mensium præstare concitationes, ab utero directè & proximè revellere, evacuare, & certò quasi partum abigere, & in aborsûs discrimen semper inducere, unde navis unà cum mercibus naufragium impendet; sed tamen si nulla alia invenitur via, hæc licèt cum periculo tentanda, ut *Celsus* monet *cap.* 10. *lib.* 2. siquidem alia non datur, ut tunc temporis oppressam naturam sublevemus, ac morbus exolvatur: nam cùm in prædictis ægritudinibus superflua & pravi humoris redundantia in utero restagnet, ac ad ipsum tanquam ad partem affectam, dolentem, & inflammatam natura sanguinem & spiritum mittat ac repleat, ut 5. *aph.* 53. adnotavit *Galenus*, hinc colligitur hujus auxilii maximum debere esse juvamentum, & licèt cum aborsûs periculo tentandum; qui tamen ex tali evacuatione non illicò tanquam certus timendus est, quin imò sperandum ut minimè accidat: siquidem demptâ tantummodò humoris superflui redundantiâ uterus exoneratur ab illa superflua copia, quâ premebatur; nec etiam illius ablatio fœtui necessarium alimentum subtrahit, imò ab utero sarcinâ illâ superfluâ & putridâ levato sanguis magis ventilatur, purior redditur, ita ut meliùs fœtus nutriri possit, & firmius adhærere. Videmus enim plures fœminas naturaliter singulis mensibus dum gravidæ sunt periodicè evacuari, quæ tamen citrà aborsûs discrimen fœtum ad maturitatem perducunt: hujus rei non paucas historias collegit *Schenckius* ex *Sylvio*, *Brassavolo*, *Iouberto*, *Columbo*, *Cardano*, *Augenio*, *Solenandro*, & aliis, similesque frequenter medici observant. Sic etiam per hæmorrhoides in aliquibus gravidis eodem modo naturam sese utiliter exonerâsse *cap. de hæmorrh.* adnotavit *Rondoletius.* Nec obstat quòd Hippocrates 5. *aph.* 60. dicat: *Si menstruæ purgationes pragnanti eant, impossibile est fœtum esse sanum*: solùm quippe accipienda est hæc sententia de illis, in quibus ob fœtûs imbecillitatem hæc evacuatio contingit; nullo modo de illis, in quibus ob immodicam abundantiam natura se exonerat: nam in istis post

fœ-

fœtûs alimoniam in multa copia superest; in illis nulla, sed tantùm ratione fœtûs imbecillis.

Quis etiam est, qui in junioribus fœminis, eusarcis, & sanguine plenis, dum utero gerunt, sæpissimè bis, ter, quater, & pluries ad aborsûs præcautionem sanguinem non miserit? *Riverius* singulis mensibus extraxisse ait *lib. 9. cap. 16.* quod mihi etiam accidit à tertio usque ad nonum, aliquando enim hoc evidentissimæ utilitatis remedio neglecto naturam hoc tentâsse non rarò visum. Ex *Savanarola* narrat Augenius 5. *epist. 1. cap. 6.* mulierem, quæ intrà 12. dies, plusquam 16. lib. sanguinis per nares ejecit, & fœtum nihilominùs suo tempore sanum edidit: hoc idem in uxore cujusdam prætoris videre mihi contigit, quæ circà nonum mensem in majori quantitate similem per nares evacuationem sustinuit, nec ipsâ, nec fœtu aliquid mali patientibus, sed maximum levamen à gravitate, quâ anteà premebatur; quare feliciter paucos dies enixa est infantem robustum satis, cui forsan de suffocatione periculum foret, nisi natura onus deponeret, & superfluum sanguinem evacuaret. Ergo si natura hoc molitur, & tam supernè, quàm infernè redundantem copiam expellit, ut matrem exoneret, libereque aërem trahere possit, quo meliùs fœtum suum conservet, ne in tanta venarum plenitudine, illo defficiente aut suffocetur, aut illius copiâ obruatur; si hoc, inquam, adhuc in statu salutis contingit, quare ubi ægritudo jam urget, & illa humorum abundantia non solùm in utero cognoscitur, sed prava etiam qualitas, & putredo adjuncta ex accidentium pravitate notatur; naturam rectè operantem non imitabimur, & per viam, quæ commodior videatur, ferocem hostem districto ense mortem celerrimè minantem, debellare non tentabimus, cùm præsertim remedii utilitas haud dubia sit, aborsûs verò periculum non utique certum? Quoties à medicis, & apud vulgus sæpissimè visum est, salacissimas quasdam & innuptas fœminas, cùm pudicitiâ omni postpositâ amissaque cum pudore virginitate jam se in utero gerere sentiunt, remedia quamplurima ad aborsum consequendum adhibere (nam abyssus abyssum invocat) & frequentissimè sanguinem mittere ex talo? Nihilominùs fœtus intra sua claustra detentus nec alimenti defectum sentit, nec commotione conturbatur, deficit, aut excluditur: sic plurimas conceptum simulantes ab aliquibus morbis liberatas fuisse apertis pedum venis scribit Augenius 6. *de sanguinis miss. cap. 4.* Memorabile in primis est *Zacuti* exemplum 2. *prax. mirandæ cap. 139.* quod etiam *lib. 1. hist. princip. quæst. 21. obs. 25.* refert de muliere, quæ absente marito gravida facta ter & decies sanguinem ex talo misit, ut fœtum immaturum excluderet; quod tamen vehementibus aliis remediis adhibitis consequi non potuit, frustraque unguentis, pessariis, & aliis fœtum corrumpentibus usa est, ac incassum adhibuit; siquidem debito tempore geminos infantes ovantes ac robustos emisit. Haud multùm ab similem huic aliam narrat historiam eodem *lib. 2. prax. mirand. observ. 139.* scimus enim & vidimus multas in eodem periculo versantes sibi violentissima adhibuisse, sed tamen irrito conatu, & sine fructu: quin doctissimi medici à fœminis decepti multoties similia peragunt, vel aliter difficilia conceptûs signa non agnoscentes, venas secant in brachiis, in talo, purgantia fortia propinant, & alia vehementissima moliuntur, secuto aliquando aborsu, aliquando minimè, ut in propria uxore sibi contigisse narrat Avenzoar 2. *theizir. tract. 3. cap. 1.* Rhasis 9. *ad Almans. cap. 29.* Saxoniæ matri dum ipse in utero esset, è saphenis sanguis missus, & in octavo mense usque ad animi deliquium, & tamen (ut ipse ait *cap. de pleuritide*) nunc lego; quin & hydropicam prægnantem octies elaterio purgâsse citrà aborsum ibidem refert idem.

Ex dictis liquet abundè infernarum venarum sectiones contingenter se habere, & citrà aborsum easdem aliquando exerceri; quare licebit in deploratis casibus morborum, in quibus ob illorum gravitatem mors imminet, licebit, inquam, christiano medico aliquid experiri potiùs, quàm infelicem ægrotantem fortunæ & inexorabili Atropo temerè committere; satius enim est ut doctissimus inquit Manardus 6. *epist. 2.* naufrago amico tabulam porrigere, si manum non valemus, dummodò in portum deveniat. Hoc igitur pacto prægnanti diris & acutissimis illis uteri morbis oppressæ, haud dubiè per venæ sectionem ex talo succurrendum ipsorum affectuum urgentia monet, cùm aliter ut mitescere possint non detur spes, nisi directâ evacuatione ab utero revellatur & evacuetur humorum multitudo & pravitas, quæ

ibi stabulata aliunde quàm per infernas evacuationes educi non potest; sed mortem velocissimè minatur prædictorum affectuum rigida truculentia & feritas, ut de bubone inguinum pestilenti, de uteri epilepsia sæva, de acerbissima illius inflammatione, aut erysipelate, gravíve synocha, quæ aliis auxiliis mitescere sperandum non est: & licèt citatus *Zacutus* prædictis affectionibus bubonem gallicum etiam addat, tamen in hoc casu illi non assentior, quia cùm periculosa non ita sit affectio, longioresque præstet inducias, ideò à gravi hoc remedio abstinendum in dicto casu consulerem: præsertim cùm affectus sit qui sanguinis missionem celeriter non expostulet, nec periculi urgentia instet.

Si igitur fluctuanti, & in acerbissimi morbi voragine colluctanti gravidæ subveniendum est, tantò hoc securius fuerit quò legitimum pariendi tempus jam propinquius accedat: scimus enim eo ipso jam appropinquante, & gravidâ difficulter laborioseque in enixu se gerente, ipsum Hippocratem 1. *de morb.* venarum inferiorum sectionem commendare, si mulier parere non possit; quem librum licèt Mercurialis *cap.* 22. *lib.* 4. *de morb. mul.* & Montanus *lib. de inter. affectionibus* tanquam nothum & spurium rejiciendum putent, tamen ut partum *Hippocrate* dignum illum illustravit *Mauricius Cordus*, & novissimè *Septalius*, qui tamquam germanum ac nativum illum amplexatur, & doctrinam Hippocraticam haud dubiè redolentem: nec aliter *Galenus* sentire videtur, qui multis in locis hujus libri doctrinam suscipit, & laudat; imò in omnes de morbis libros commentaria scribere paraverat, ut latius in suis annotationibus docuit *Foësius*. Nil enim illa venæ sectio *Hippocratis* authoritati derogat, sed magnum illius ingenium, & in morbis curandis singulare judicium ostendit, qui in junioribus fœminis & sanguine plenis, quæ in partûs agone constitutæ sunt, saphenæ sectionem commendat, minimè in aliis in quibus vires ad partûs laborem desiderantur; nam cùm in illis maxima venarum arteriarumque sit repletio, aërem respirando commodè trahere non possunt, quo fit ut abdominis musculos vehementer constringere non valeant, ut fœtûs conatum adjuvent; quare inanitis vasis liberiùs inspirant, thoracem, & ventrem facilius movent, aërem in copia suscipiunt, ut diutius & fortius cohibitam respirationem sustineant, & in ipso impellendi conatu permaneant; quod quantum ad optimum & felicem partum conducat notissimum est. Itaque cùm in juvenibus & sanguine repletis fœminis hujusmodi utilitates sanguinis missio præstet, ideò in partûs discrimine eandem *Hippocrates* jubet administrare, non ex brachio, sed ex talo, ut simul & prædicta beneficia prœstet, & motum naturæ in partes inferiores adjuvet, & impellat; quod peritissimi alii medici juniores animadvertentes, hanc venæ sectionem in parturientibus maximè commendârunt, ut fecit Mercatus 4. *de morb. mul. cap.* 3. Lazarus Riverius *cap. de part. difficili*, Moxius *lib.* 3. *cap.* 52. qui in curandis mulierum morbis per venæ sectionem palmam præripuit, Citesius *lib. de usu phlebot. fol.* 27. pluresque alii, nos etiam hujus remedii præstantiam cum maximo puerperarum commodo sæpiùs jam experti fuimus.

16. Ita igitur in suprà dictis truculentis gravidarum affectionibus faciendum esse docet ipsa morborum urgentia, quæ mortem præ foribus minitantem & jam jam adventantem ostendit; quare ut in tanto periculo constitutæ miseræ prægnanti succurramus, periclitari etiam oportet, & hoc licèt timorosum auxilium adhibere; tantò audacius, quò ad exactum pariendi tempus gravida propinquior fuerit, puta 7. 8. aut 9. mense. Hanc doctrinam licèt ut timorosam, & periculo plenam multi accipere recusent, eam tamen defendunt & approbant *Moxius* & *Zacutus* suprà citat. Tamayus Hispanus *de epilepsia gravidarum*, Æthæus *lib. de obs. propriis* ab Schenckio *cap. de epileps.* adductus, qui author multis experimentis hujus remedii utilitatem probavit: & in casu magnæ necessitatis assentitur Magninus *lib.* 2. *de reg. prægnantium*, quibus novissimè subscribunt Dilectus Lusitanus *cap.* 11. *de venæ sect. art.* 3. Maroja *lib.* 3. *obs.* cum aliis ibi citatis. Gradus etiam *cons.* 77. pro uteri pruritu in tempore circà partum sanguinem ex saphena mittere non dubitat: quâ eâdem intentione in prægnantium epilepsia cucurbitulas inguinibus applicat Rondoletius *cap. de epilepsia gravidarum*; & Forestus *lib.* 19. *obs.* 21. in ictericis prægnantibus non timet propinare diuretica, si circà partûs tempus laborent. Quare cùm tot tantique sint viri celeberrimi, qui difficile hoc remedium in casu maximæ urgentiæ & necessitatis comprobent, non est cur timidi alii juniores ab illo deterrere nos conentur, aut as-

assentientibus subscribere vereantur, ut timidè facit Riverius *lib. 9. praxis cap.* 16. qui prudentioribus hoc disjudicandum committit; cùm præsertim nullum aliud auxilium appareat, perituraque sit laborans, nisi temerariâ quoque ratione fuerit adjuta, ut *Celsi* verbis utar.

17 Nec etiam *Hippocratis* sententia 5. *aph.* 31. magni facienda est, cùm non semper vera existat, nec perpetuæ sit veritatis; sed ob magnas sanguinis detractiones ejus forsan tempore magis timorosa erat sanguinis missio in gravidis, & frequentius abortus contingebat, quod nostris temporibus multò aliter experimur, & prægnantes quotidie nullo secuto abortu per sanguinis missionem tutò evacuamus *Celsi* consilio; quod quàm salubre sit & utilitatis eximiæ medici frequenter observant, & gravidæ tam in suis morbis, quàm in salutis statu experiuntur; usus enim ostendit, nec omninò verum, nec perpetuum illud esse quod *Hippocrates* docuit 5. *aph.* 61. Et quòd etiam *Galeni* tempore jam in usu fuerit gravidis sanguinem detrahere, ipse manifestè fatetur 3. *epid. sect.* 2. *com.* 8. *&. jam etiam propter sanguinis missionem aliquæ abortierunt.* Verbum enim *quædam*, aliquas inter plurimas significat, quarum major pars sanguinis missionem sine abortûs periculo sustinuit. Quapropter inter alias explicationes, quæ ad prædictum *Hippocratis* aphorismum adducuntur, mihi optimè probatur *Heurnius*, qui *Hippocratem* explicat de intempestiva venæ sectione in talo facta; quod probat Mercurialis *in com. ad hist.* 13. *epid.* vel dic *Hippocratis* sententiam veram esse si fiat sanguinis missio in fœminis quæ citrà ullam plethoram levi aliquo morbo, aut nullo laborant (de nullo enim morbo ibi loquebatur *Hippocrates*) in istis enim cùm sanguinis copia vel non suppetat, vel adhuc non sit sufficiens pro alendo fœtu, mirum non est si in abortum incidant; quod in plurimis aliis non videmus, quæ sanguine

18. etiam nunc sæpius extracto conceptum retinent; imò tantùm abest ut *Hippocrates* illud ut verissimum existimaverit, ut non desint doctissimi aliqui viri, qui asserant ipsum in gravidis sanguinem misisse, quod colligunt ex 2. *epid. sect.* 2. *tex.* 23. in Lyciæ historia quæ prægnans lienis morbo cum febre laborabat. In illa enim sic inquit Hippocrates, *vena quæ in cubito est secabatur.* Inde Vallesius in *com. illius loci* ait, *Hippocratem* huic prægnanti aliquoties venam in cubito secuisse. Quam lectionem etiam probat Zacutus *lib.* 1. *de princip. hist. quæst.* 22. & ex hoc solummodò *Hippocratis* loco contendit quòd ipse *Hippocrates* omnium primus sanguinem in prægnantibus miserit: sed hoc valdè incertum est, nec ex prædicto loco aliquid conjicitur, quod illius opinioni faveat; nam licèt *Vallesius* legat *in cubito secabatur*, tamen *Galenus* aliter vertit, non *secabantur*, sed *distendebantur*; quam versionem sequitur *Foësius*, qui plures codices quàm *Vallesius* vidit, contulit, & examinavit; nec Galenus *in com.* verbum aliquod de sanguinis missione protulit, quod facit ut *Vallesii*, *Zacutiq;* opinio dubia maneat in hoc quòd velint *Hippocratem* in gravidis sanguinem misisse, licèt ex aliis locis ipsius *Hippocratis* ab ipsis non adductis hoc inferri possit: libro enim *de natura fœtûs* scribit, quòd à sanguine multo fœtura aliquando suffocatur, quod 4. *epid* exemplo videtur ostendere in uxore Acheloi, quam dicit abortiisse, quia sanguinea esset. Ex quibus infertur quòd si sanguinem in gravidis non misit, saltem à sanguine superabundanti fœtum suffocari cognoverit.

rio ... rè ... is ... ibus ... ad... rari Longiùs quàm decreveramus in secunda quæstionis parte versati fuimus, quarè tempestivum jam est, ut tertiam absolvamus; quando enim abstrusiora quædam de venæ sectione circà prægnantes adnotavimus, paucula etiam de purgatione in puerperis addere placuit, quæ non minorem difficultatem non rarò practicantibus ingerunt: graves quippe morbos & periculosos enixis advenire sæpius contingit, lochiis enim suppressis, parcè, aut etiam immodicè fluentibus, pessimas ægritudines pullulare conspicimus, ut febres continuas, ardentes, deliria, epilepsiam, convulsiones, pleuritides, & viscerum alias inflammationes aliosque morbos; in quibus curandis circà sanguinis detractionem quamvis nullum sit dubium, tamen circà locum ex quo

19 extrahi debet, in vehementissimis & acutissimis puerperarum partium superiorum affectibus, puta phrenetidem, suffocantem anginam, sævam pleuritidem, gravem epilepsiam, lethalem apoplexiam, & periculosam peripneumoniam, in quibus lochiis fluentibus, unde commodius ac utilius sanguis mitti debeat sedulò medici inquirunt; quam litem modò componere non intendimus, nec tantorum authorum inter se discordes sententias referre ac conferre; quare ad ipsos lectorem relegamus, præcipuè Mercurialem *in com. hist.* 21. *epid.* Mercatum *lib* 4. *de nutricum & puerp. affect. cap.* 11. *lib. quæst.*

 quæst.

quæst. ultima, & *lib.* 2. *de morbis internis cap.* 2. Vegam *lib.* 3. *artis med. sect.* 5. *cap.* 8. Salium *de affect. particularib. cap. ult.* Roder. A Castro 4. *de morbis mul. cap.* 16. Moxium *lib.* 1. *cap.* 36. Zacutum *lib.* 1. *de princip. med. hist. quæst.* 46. Sennertum *lib.* 5. *instit. p.* 2. *sect.* 1. *cap.* 17. Lazarum Riverium *lib.* 9. *praxis cap. ult.* Varandæum *lib.* 2. *de morbis mul. cap. ult.* Ant. Ponce Sancta Crux *lib.* 2. *de imped. magnor. auxil. cap.* 7. In hoc quippe consentiunt omnes, & plures alii, si affectus superior incipiens fuerit, partesque habeat fientes, è talo ad revellendum sanguinem mittendum esse; si verò jam factus fuerit, & à parte mandante in fieri minus dependeat, tunc rectè è brachio detrahendum, & ex propinquioribus etiam locis, si pro affectûs urgentia conducere videatur. Hoc pacto Valeriola 5. *obs.* 10. in pleuritide post partum sæva, post tertium diem sanguinem ex brachio misit: sic Fernelius 2. *meth. cap.* 8. ob febris ardorem post partum ex gibbero detrahit, quod etiam facit Amatus *cent.* 1. *curat.* 34. Mitto alias distinctiones quas alii afferunt, de menstruis vel lochiis immodicè aut parcè fluentibus, aut omninò cessantibus: sunt quippe hæc etiam consideranda, & multò magis affectûs urgentia præsertim illorum, qui materiam habent in particulari loco conclusam, ut sunt omnes antedicti, in quibus si à talo semper extrahas, morbo jam supernas partes occupante, nil proficies; quia potest contingere, ut menstruis rectè procedentibus nihilominus morbus celeriter fiat, & cum maximo periculo urgeat; quo tempore ad extrema remedia properare statim conducit, ut cum Hippocrate 1. *aph.* 6. explicant authores, & præcipuè *Capivaccus*; quæ enim celeritatem desiderant, celeriter sunt peragenda, extremis namque morbis extremè exquisita remedia optima esse proclamat *Hippocrates*, de quo consule *A Castro* citat. qui paucis, sed doctè hoc dubium resolvit. Igitur si morbus dat inducias, à talo quàm celeriter evacuandum, dum affectus superior adhuc in fieri est, & plures partes habet fientes quàm factas: verùm si urgentia adeò magna est, ut citissimè remedium expostulet, sive lochia debitè aut diminutè fluant, vel eodem die inferiores & superiores venas tundes, vel si vehementer necessitas urgeat, statim ex brachiis sanguis mittendus; extremis enim morbis extremè exquisita remedia optima sunt, ut *Hippocrates* monet, quo tempore cucurbitulis, frictionibus & ligaturis vel in ipso mittendi sanguinis actu revellere tentabis, & balneis etiam calidis uteris: est enim horum affectuum summa celeritas, in quibus mora nulla intercedere debet, omnis siquidem procrastinatio in medicina damnosa est, ut in *epist.* monet *Hippocrates*; quare illud Mesues *in præfat. ad lib.* 2. ante oculos habendum est: *ô tu, qui corporis curam geris, auxiliari ne differas, quia semel pereunti nulla suffragia prosunt.*

Sed cùm etiam fieri possit ut aliter in puerperis morbus quàm à plenitudine contingat, ex morboso nempè cacochymiæ apparatu intus latente & à partu commoto, aut ex victûs erroribus, qui frequentissimè toto gestationis tempore committuntur; effrœnatè enim & turgenter plurima tunc exoptant fœminæ, utcumque mala, imò & detestanda, quæ si denegentur excandescunt amplius, & ardentius concupiscunt; depravato quippe appetitu avidè commotæ importunè lapillis, testis, gypso, carbonibus, cerâ, coriis, immaturis fructibus, aliisque pessimis vescuntur, & in usum insolenter trahunt, à quorum frequenti consuetudine universum corpus pravis implent humoribus, vasa obstruunt, inde ventriculi facultas languet, & tandem calore depopulato hæmatosis fit depravata, vivificumque nectar nutritioni omninò ineptum resultat; hinc corpus depravatè etiam nutritur, unde cachexia provenit, & aliquando hydrops. In quibus autem non ita calor obruitur & depopulatur, sed aliter præternaturali calida intemperie afficitur, pessimi ac corrupti generantur humores, qui vel in parte determinata contenti aut phlogosim exitant & inflammant, aut pravâ etiam qualitate infecti, vaporibusque à foco exurgentibus admixti, in principem aliquam partem irruunt, & tormentorum vi adhibitâ eandem labefactant, lancinant, torquent: hoc pacto in gravidis & enixis funestæ epilepsiæ, lethales apoplexiæ, convulsiones, & horrenda alia contingunt, quæ omni remediorum vi delusâ miseras citissimè conficiunt. Tandem si prædicti humores venosum genus occupant, aut uteri vasa replent, febres accidunt ardentes, graves, periculosæ, quæ ab illa humorum pravitate potius, quàm à plenitudine foventur: quo fit ut fluentibus aut parcè prodeuntibus lochiis, sanguine etiam jam misso, in omni prædictorum morborum sorte de alio remedio cogitandum sit, quod humorum cacochymiam eluat & abstergat; hoc autem nullum aliud quàm purgationem esse ipsa humorum inquinatio docet,

quod sanè auxilium quia in enixis maximè sit periculosum, toto præsertim tempore, quod ad purgationis lochiorumque fluxum desideratur, ideò non nisi maximâ consideratione de illo deliberandum est: quapropter jure optimo inter medicos controvertitur, an commodè intrà puerperii limites, & fluentibus lochiis administrari debeat, si à morbo expostuletur? ut inter alios neotericos rectè dubitârunt Joan. Bapt. Sylvaticus *contro.* 86. Moxius *lib.* 3. *cap.* 45. & 47.

11. Massarias *cap. de puerperio in fine*, enixas toto lochiorum tempore minimè purgandas adversus *Valeriolam* & *Mercatum* rigorosè defendit, quod remedium alii tanquam noxium aut vitant, aut non nisi cum maxima necessitate & præmeditatione concedunt: sunt quippe enixarum affectiones plerumque acutæ, ut ipse ait, de quibus præcepit *Hippocrates* rarò aut non nisi per initia purgandum esse; quod in puerperis adhuc magis observari volunt, quàm in aliis, cùm non solum à partu debiles sint, parumque viribus constent, sed & purgantia facilè lochiorum fluxum impedire possint, unde non leve damnum subsequi timendum est, cùm nulla ferè evacuatio, præter illam quæ ex utero fit, puerperis utilis sit. Quare non nisi exacto puerperii tempore ad hoc remedium, quamvis à morbo expostuletur, securè accedendum cum *Massaria* sunt qui existiment; quod inde colligunt, quia nec *Hippocrates* nec *Galenus* aut principum medicorum alius aliter fecerint & docuerint: probant ex *Hippocrate* qui 1. *epid. sect.* 3. *ægroto* 4. & 5. duabus enixis malè ægrotantibus solo balano opem tulit, nec in talibus de purgatione unquam meminit; alias etiam rationes afferunt, quæ apud *Sylvaticum* videri possunt, à quibus nunc supersedimus. Alii 21. die transacto, alii post 24. ut tenet Fontecha *privilegio* 8. *prægnantium fol.* 148. A Castro *lib.* 4. *de morbis mul. cap.* 12. Salius *lib. de affect. part. cap. ult.* qui nunquam in primis diebus, sed in ultimo puerperii tempore tutò administrari posse scribit; quod tamen intelligit dummodò uteri purgamenta rectè procedant, & naturalia rubraque fluxerint, ut quoque advertit *A Castro*; nam aliter, si non naturalia, sed albida, pallida, aut alterius coloris, remediaque alia incassum tentata fuerint, materia morbi cocta, expressè pharmaciam administrari posse non denegat, transactis potissimum diebus, quos *Lazarus Riverius* practicantium novissimus ad 8. 10. vel 12. assignat *lib.* 9. *cap.* 24. Mercurial. *in hist.* 21. *epid.* ad 14. Itaque ex puerperio naturaliter, sufficienter, aut parcè fluente, & ex diebus ad illius expurgationem necessariis hanc litem determinant.

12.

13. Verùm multò aliter difficultas generosi istius auxilii applicandi metienda est, ex affectûs scilicèt urgentia & indicatione; nam si morbus ex illis est, qui cacochymiam satis conspicuam comitem habeat, urgeatq; nisi celeriter eadem auferatur, dubium non est, quòd nullo servato dierum numero ad illam deponendam veniendum sit: abundant siquidem enixarum plurimæ crassis ac lentis, frigidisque humoribus, à quibus venæ obstruuntur; unde uteri evacuatio non solum impeditur, & parcè fluit, sed cum aliis quoque excrementis in corpore redundantibus calor naturalis suffocatur, hepar refrigeratur & cachexia citò adest, quæ non rarò hydropem accersit. Quid si eisdem humoribus in caput ruentibus convulsio, aut epilepsia contingant, ut quater jam vidi in aliquibus puerperis, quæ intrà quartum diem omnes perierunt? quis ergò dubitaverit in istis, etiam in primis partûs diebus si morbus vehementer urgeat, nullâ expectatâ coctione statim ad cathartica deveniendum, adhibendaque interim si occasio permittat alia, quæ seriò *Galenus* consulit 1. *aph.* 24. ut melicratum, in quo hyssopum, origanum, tragoriganum, pulegium, & alia hujusmodi id genus humorum tenuantia incoxerint? Nam cùm tales fœminæ pravâ victus ratione plerumque utantur ob malaciam, quam toto gestationis tempore sæpiùs sustinent, mirum non est si ex tot pravis ingestis succorum crudorum copiam congerant, quibus tandem in partu commotis in difficiles hos morbos incidant, quorum gravitate natura obruta, sui muneris eo tempore oblita, per uterum nihil excernat; crassis etiam illis humoribus ad exitum minimè dispositis: quis ergò in simili casu illorum tenuationem expectabit, & paulatinam per uterum expulsionem, cùm interim affectus citissimè ægrotantem ad summum periculum deducat? quin potius pro urgentiæ ratione ad illud, quod à morbo & illius causa indicatur, protinùs se accingat, etiamsi ab utero adhuc aliquid stillet, cùm plerumque non paucæ mori conspiciantur, cùm timidiores facti medici enixas purgare renuunt.

Quòd si affectus alterius sit fortis, puta febrem, quam frequentissimè in enixis acci-

cidere videmus, tunc certè aliqua sanè advertenda; nam si fluxio uteri naturalis & boni coloris fuerit, recteque procedat, nullo modo febris periculosa erit, cùm à copia solùm oriri videatur paucâ putredine adjunctâ, & venis communicatâ; sed si lochia in colore jam mutata conspiciantur, cacochymiæque adjunctæ indicia præstent, aliis jam peractis, nempe sectis pedum saphenis, ex febre adhuc urgente conjectandum est humorum labem venis jam fuisse communicatam, etiamsi lochia rectè fluant; quo tempore cocto jam humore purgatio etiam statuenda erit, tantò securiùs, quò longiùs à partu distiterit: nec si in primo septenario hujusmodi necessitas urgeat, remedium negligendum, etiamsi evacuatio per uterum rectè procedat; quin imò tunc melius conducit, cùm illa lochiorum fluxio in quantitate debita exiens nullum adjumentum febri conferat; unde signum est, aliter in qualitate & cacochymia humores jam peccare, qui venis communicati causam in ipsis obtinent, quæ peculiarem providentiam pro illorum conditione exoptat, siquidem & à natura & ab arte deposita plenitudine nil adjumenti conspicitur. Verùm & idem auxilium multò securiùs adhibebitur, si lochia non solùm cacochymica fuerint, sed etiam parca; minus siquidem tunc periculosum est ne natura ab evacuatione distrahatur, imò cathartici commotione sæpius vidi menses & lochia melius fluxisse, præsertim in corporibus impuris, & in quibus aliqui crassiores & pravi humores vias velut obstruunt, & impedimento sunt ne evacuatio debitè procedat. Itaque ut summatim dicam, si cætera nil juverint, si humorum corruptela adesse notetur, cùm causæ istius magnitudo remedium indicet magnum, adæquatum verò nullum sit præter purgationem, necessariò de illa deliberandum est, quod non solùm in morbo actu præsenter, verùm in acuto & celeri imminente seriò consulit *Moxius*; ubi enim morbus præsens vel imminens urget purgationem expostulans, dummodò in proposita hypothesi ab utero non dependeat, in quolibet puerperii tempore alvum emollire conducit, imò hoc facere convincimur, eâ solùm muniti ratione quia urgentia dignitate omnes alias indicationes superat, & cunctis aliis præstat. Hanc doctrinam licèt in exemplis *epid.* ab ipso *Hippocrate* in artis usum revocatam, & confirmatam non habeamus, tamen ab ipso neglectam fuisse inde non rectè infertur, quia omnia quæ apud ægrotos peracta sunt remedia non semper enarravit; & celebre hoc auxilium purgationis quanti in enixis fecerit, constat ex eodem *lib. de nat. pueri.* ubi scribit enixas maximè incurrere in vitæ periculum, nisi breviter succurrantur, aut secando venas, aut alvum emolliendo; & 1. *de morb. mulier.* in quo clarissimè ac sæpiùs hujusmodi præsidium commendat, & alvi fluxum aliquibus enixis 5. aut 7. die utiliter advenire dixit; unde colligitur, quòd si aliquando à natura cum ægrotantis commodo hæc evacuatio tentatur, à medico etiam aliquando perfici possit, cùm illam rectè operantem imitari teneatur & debeat.

24. 25.

Sed adhuc apertius paulò infrà *eodem libro* de puerperis loquens, in quibus restagnantibus lochiis febris & rigor adsunt, intumescit venter, ac pulsus debiles fiunt, & aliquando deficientes, sic inquit: *Quibus ita habentibus cibos leves exhibeto, & siquidem turgeat, medicamentum per inferiora purgans propinato, si biliosa quod bilem, si pituitosa fuerit, quod pituitam purget.* Repetit iterum post pauca: *Quòd si uteri inflammatione tentatæ non fuerint, suapte sponte malum exit grave-olens, & lividum, aut nigrum & gummosum existit, & mulier à puerperii purgamentis expurgatur; quòd si non exierint, verum id exitium mulieri portendit, nisi quis celeriter venam incidat, aut alvum emolliat.* Quid clarius dici possit non video, paucis quippe maximam doctrinam comprehendit, & ex indicatis remedia præscribit celeriter conducentia; quin & repugnantem indicationem excepit, docet enim ex puerperii coloribus cacochymiam venari, quæ non alio remedio, quàm purgatione tollitur; eandem mox adhibendam consulit, nisi uteri adsit inflammatio, in qua sicuti in internis aliis à purgatione abstinet, ut 4. *acut.* 22. universaliter docuerat. Ex quibus omnibus constat licere quidem intrà puerperii carceres, imò & jus, optima inductis methodo, per alvum enixas evacuare, nullo servato dierum numero, ut imprudenter multi regulantur; quia ex lochiorum fluxu aut suppressione, illorum etiam naturali aut præternaturali colore, ac potissimum ex urgentia morbi, indicatione, & necessitate, res omnis metienda, nullo servato dierum numero, ut faciunt medici doctissimi; inter quos est Valeriola 5. *obs.* 10. qui post 7. à partu diem pleuriticam purgavit, Fonseca *tom.* 1. *cons.* 45. qui 3. die à feb. 7. à partu advenïente purgans exhibuit, Senn. *l.* 4. *pr. p.* 2. *sect.* 7. *c.* 9.

26.

qui

qui in alvi obstructione puerperarum, si clysteribus non solvantur, mannam aut casiam popinandam consulit; quam doctrinam adversus timidos & amethodicos latius docent *Moxius*, & *Sylvaticus* adducti, & eandem tenent Mercatus 4. *de morb. mul. cap.* 11. Sanctorellus *lib.* 10. *antepraxis cap.* 9. Thomas Campanella *lib.* 6. *de medendis morbis cap.* 22. *art.* 1. Jacob. Primerosius *lib.* 4. *de errorib. popul. cap.* 28. & alii plures, qui tandem in hoc conveniunt, ut non nisi levibus & clementibus medicamentis hoc peragatur, ne magna commotio fiat, & purgantium vi natura ab evacuatione puerperii turbetur & distrahatur, fluentiaque lochia sursum & ad alia loca retrahantur.

Aliquoties in præcedentibus jam admonuimus, nos toto hoc opere non vulgaria & communia prosequi, quæ ubique omnibus prostant, sed illa tantùm, quæ raritate jucunda sint gratiosique lenocinii aliquid contineant, quo legentes demulceant, animumque delectent, ut tandem fastidiens appetitus alacrior redditus ad amœniora capessenda de novo excitetur. Mirabitur igitur nemo, quando de purgatione paucula hîc attigimus, nos in calce hujus quæstionis circà eandem dubitatiunculam hanc de gelidæ potu in die purgationis vix ab uno vel alio scriptore tactam, superpondii loco annexuisse, siquidem aliquibus non infructuosam fore judicamus, Magnatibus præsertim calidas regiones habitantibus, apud quos nivis usus ita increbruit, ut citrà ipsam ingratus velut habeatur omnis ciborum apparatus; imò splendidarum regaliumque mensarum non solum appetitûs cos & eximium embamma æstimetur, æstuantisque ventriculi solatium, ut *epist.* 95. dicebat *Seneca*, sed magnificentiæ quoque necessarium additamentum hodie habeatur, cùm epulis ac conviviis nævus notetur pessimus si deficiat, projectoque appetitu cætera ingerantur.

Illam igitur hîc afferre placuit, quòd annis præteritis inter Cordubenses medicos non contemnenda orta fuerit lis circà frigidæ potum in die purgationis propinandum; ex eo quòd quidam ex præcipuis illius urbis medicis *Aloysius de Burgos* nobili viro ægrotanti in die purgationis bibendam obtulerit, quem propterea antagonista alius, qui curationi primus interfuerat, publicis scriptis reprehendere ausus est; quod tamen non citrà jacturam fecit, ab eodem competitore satis retaliatus, qui adversus illum nervosam ac solidam apologiam construxit, expertissimorum medicorum totius ferè Hispaniæ, ac doctissimorum plusquam 30. vota adjungens, qui omnes in ejusdem *Burgos* opinionem jurârunt; quorum omnium scripta cùm legissem, certè miratus sum, nullam ab ipsis adductam authoritatem antiquorum, aut juniorum, quæ aquam nive refrigeratam in die purgationis ullo in casu propinandam consuleret: omnes tamen optimâ ratione innixi hoc non solùm licitum sed & aliquando necessarium esse confirmârunt. Quarè ne amplius medici aliqui scrupulosè hîc hæsitent, & de hoc utilissimo auxilio (si debitè & prout decet administretur) posthac dubitent, paucula hæc scribere libuit, illud primum advertentes nullum ferè remedium in medicina extare, quod in omni tempore & regione, ac denique omni morbo conveniat; hoc enim nil aliud foret, quàm omnes eodem callopodio metiri; nisi enim medicus prudenter morbum & hominis naturam agnoscat, ac singulorum consuetudinem, habitum, atque temperiem advertat, occasiones, & symptomatum urgentiam solerti indagine prævideat, atque hæc omnia inter se conferat, non aliter quàm cæcus errabit, & in morborum reticulas infeliciter incidet.

Procedit igitur dubitatio in homine juveni, cholerici aut sanguinei temperamenti, in regione & tempore calidis, nivis usui assueto, quique citrà ventriculi aut alterius principalis visceris frigida intemperie, debilitate, vel obstructione, urentem febrem & æstuantem patiatur; nam aliter si ex prædictis indicantibus aliquid deficiat, aut notabilis aliqua repugnantia inveniatur, in hoc casu dubium non est, quòd ab hoc generoso remedio abstinendum sit, præsertim si debilis existat; hîc enim timendum foret, quòd ab ingenti aquæ frigiditate languidus calor extingueretur, omnis enim immodica intemperies dejicit actum virtutis, ut 1. *de sympt. causis*, & multis aliis in locis docuit *Galenus*.

In prædicto itaque casu proponitur dubitatio, de qua licèt in paucissimis medicorum libris rara fiat mentio, non est tamen nova, cùm apud aliquos juniores de illa meminisse inveniatur, ac circà eandem inter famigeratissimos duos Italiæ medicos in curatione cujusdam magni herois Hispani & Siciliæ Proregis contentiosa admodum orta fuerit lis, *Ioan. Baptistam Sylvaticum*, & *Philippum Ingrassiam*, negante illo, & adver-

versus *Ingrassiam* scribente, prout *controv.* 72. *in fine* idem *Sylvaticus* insinuat; hoc verò, scilicèt *Ingrassiâ*, asserente, qui maxima cum utilitate, & non minori lucro in prædicto Prorege Joan. de Vega expertus fuerat, ut statim latius afferemus: quin & apud Græcos, & Arabes præcipuè, qui aliquibus retrò sæculis scripserunt, aliqua loca inveniuntur, ex quibus constat illos in præsenti casu hujusmodi remedium citrà ullum timorem adhibuisse, quorum vestigia insequentes eodem nos uti debere, si necessitas ad id compellat, palam est ac manifestum, ut ex sequentibus constabit.

Apud primos medicinæ parentes, *Hippocratem* inquam & *Galenum*, nil certè invenimus, quòd expressè de potu aquæ in die purgationis aliquid consuluerint, benè tamen loca plurima, ex quibus hoc illos si non jussisse, saltem minimè negâsse colligitur, quæ abundè citatus *Burgos* in sui defensionem attulit, & exposuit: sed qui parùm post illos secuti sunt medici aliqui, clarissimè hoc nobis tradiderunt, ut omnium primus fecit Æsius *tetrab.* 1. *serm.* 3. *cap.* 133. ubi sic: *Si facilè purgentur postquam biberint medicamentum, dabimus ipsi aquam frigidam absorbendam, aut colluendam.* Nec obstat quòd dicat *si facilè purgentur*, multò etenim meliùs aqua frigida conveniens erit si difficilè evacuatio proveniat & gravibus symptomatibus patiens corripiatur, ut expressè ex *Rufo* scribit Mesue *theor.* 3. ubi agens de causis quare medicamentum non evacuat, sic ait: *Si verò facultas expultrix est imbecilla, aut medicamenti actio debilis, aut remissa, datâ aquâ modicè frigidâ, medicamentum potenter ad inferiora detruditur.* Et parùm infrà eodem cap. *Si medicamentum non vacuaverit, & molesta in corpore excitet symptomata, præter dicta auxilia, pharmacorum malignitatem obtundit, & acrimoniam frangit, Rufo authore, potus aquæ vehementer frigidæ.*

Hac igitur authoritate & doctrinâ instructus citatus *D. Burgos* Cordubensi illi nobili in die purgationis circà meridiem nihil evacuanti, aquam nive refrigeratam porrexit; à cujus potu vehementes ventriculi & alvi dolores statim sedati sunt, & immodicus ardor, qui in homine & morbo bilioso, tempore & regione etiam calidis, à medicamenti vel mordacitate vel commotione excitatus fuerat, protinùs quievit. Hoc pacto absque dubio *Philippo Ingrassiæ* celebri Italiæ medico cum Siciliæ Prorege Joan. de Vega accidit, ut *tract. de frigida potu post medicamentum purgans* idem *Ingrassias* refert; quem casum & remedium, quia admodum celebre fuit, & ægrotanti maximum attulit levamen, qui sumpto medicamento purgante, eisdem symptomatibus, nullâ secutâ catharsi opprimebatur, à pluribus aliis adnotatum & literis scriptum est, ne unquam à posteriorum memoria deficiat: historiam præter

28. dictum *Ingrassiam* recitant Sanctor. Sanctorius *com. in artem Galeni*, Jacob. Primerosius *lib.* 4. *de vulgi errorib. cap.* 15. & Author arcanor. naturæ (quisquis ille fuerit) *lib.* 1. *fol. mihi* 16. apud quos omnes sic enarratur: *Ægrotabat Siciliæ Prorex Ioan. de Vega: sumpto pharmaco segniter purgabatur, medicus familiaris, ut alvum irritaret, jusculum pulli sine sale Proregi offerebat, accedens Doctissimus Ingrassias, atque ægrotum nauseantem, & tale brodium abhorrentem conspicatus, juris vice, frigidæ aquæ libram cum sacchard propinavit; erat enim frigidæ potioni assuetus, atque jecore percalidus; cessârunt statim nausea, motus ventriculi, ac purgationem feliciter perfecit; tunc gratias magnas Ingrassiæ retulit, argenteumq; illud vas, in quo reposita frigida fuerat, pretii aureorum quinquaginta gratissimo animo medico donavit.*

En duo casus in quibus, ipsâ attestante experientiâ, aqua frigida in die purgationis largiter sumpta non solùm nihil læsit, sed etiam insigniter contulit, & symptomata omnia, dolores & morsus, quibus ex febris & medicamenti calore infestabantur ægrotantes, absque ullo alio præsidio profligavit, abstulit, felicemque purgationem promovit; quæ experientia adeò vera est, ut in calidis ac biliosis hominibus, & frigidæ potui assuetis, nullum remedium utilius ac salubrius inveniri possit; quibus si etiam

29. regio calida, & ætas idonea adjungatur, jam à multis indicantibus remedium expetitur, quod Mauritani omnes tanti fecerunt, ut eorum plurimi hanc praxim scribere, & exercere non dubitaverint. Apud Averroëm 7. *collig. cap.* 11. sic legitur: *Et quantitas, quam dare debes ex rhabarb. est à duobus drachmis usque ad tres, miscendo ei syrupum julep, & Squiazibim ana drach. j. cum quinque partibus aquæ frigidæ*: hunc locum affert Alpinus *lib.* 4. *de medic. Ægypt. cap.* 7. ubi ait, apud nonnullos Ægyptios in usu esse ab assumpto medicamento purgante frigidam multam propinare, quod aliis damnosum, aliis summè utile fuisse dicit: utebantur namque illo Ægyptii citrà rectam

ctam methodum, & indicationes supradictas; unde necessarium erat, ut in aliquibus, in quibus nec ratione morbi, propriæ temperiei, aut consuetudinis convenienter propinabatur, multùm noceret; aliter verò in aliis prodesset, ubi contrariæ indicationes inveniebantur: quare concludit idem *Alpinus*, quòd fortasse apud *Avicennam, Haly & Rhasim* hoc scriptum invenietur. De duobus postremis nil habeo quod dicam; de primo, *Avicenna* nempe, videtur ex illo hoc inferri posse, cùm *fen* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. agens de potu aquæ frigidæ in febribus, ipsum ait naturam ad expellendum adjuvare per vomitum, per sudorem, per urinam, per alvum. Sed hæc locutio universalis est; multò enim evidentius eodem *cap.* parùm suprà expressè de purgatione hoc *Avicennam* docuisse ex obscuris quibusdam verbis colligi potest, cùm sic scribit: *Et scias quòd quando phlebotomia necessaria est, & uteris viâ malâ, tunc non purgabitur.* Hunc locum vidit Anton. Cartagena *lib.* 1. *de feb. pestil. tract.* 9. *fol.* 60. qui sic *Avicennam* explicat: *non purgabitur, si non des aquam frigidam*; fortè enim per verba illa *uteris viâ malâ* intelligit purgationem, de qua ait quòd non purgabit, nisi aquam frigidam assumat æger; addit namque statim: *humoris cholerici digestio est, ut conversus à sua subtilitate fiat spissus.* Quasi voluerit dicere, quòd cùm digestio & præparatio humoris ad purgationem necessaria sit, & hæc in humore bilioso ac tenui non alia, quàm in crassitio, si absque illa purgans medicamentum datum fuit (quod est viâ malâ uti) tunc aqua frigida epota bilem incrassans, purgationem adjuvat. Et licèt aliqui in prædictis humoribus tenuibus talem digestionem & incrassationem haud convenire arbitrentur; præterquàm quòd de illis, qui in prima regione continentur, hoc intelligendum, non de illis quæ in secunda existunt; etiam ubi tenues admodum fuerint, quodammodò aliquatenus inspissari expostulant; aliter enim expultrici impellenti refluunt, & commodè ab ipsa cogi non possunt, ut rectè expellantur.

10. Alia *Hippocratis, Galeni*, & ejusdem *Avicennæ* loca, multorumque aliorum qui huic doctrinæ favent, abundè colligit citat. *D. Burgos*, apud quem latissimè videri possunt; quarè ab illis hîc supersedimus, omnes quippe in calidis affectibus aquam frigidam primum ac præcipuum remedium esse fatentur. *Galenus* in febribus continuis præter sanguinis missionem hoc tanquam potissimum laudavit. Averroës 3. *collig. cap.* 12. in maximis & exurentibus, adhuc absq; coctionis signis (quidquid econtra reluctetur Massarias *lib.* 5. *de feb. cap.* 13.) potum frigidum ad satietatem usque propinare non veretur, quod *Mercuriali*, & junioribus aliis placuit, & adhuc ipse *Galenus* hanc praxim in usu habuisse ex *lib.* 10. *meth. cap.* 6. & 10. non obscurè colligitur. Nil enim interest quòd in die purgationis hoc particulariter non docuerint, quandoquidem nec quòd aliquandò negaverint apud ullũ legimus; omnia enim, quæ in morbis contingunt, aut contingere poterant, nec scripta sunt, nec scribi possunt; propterea dicebat Synesius: *Multa rerum utilium tempus invenit, aut correxit, non omnia ad exempla fiunt, sed singula quæ facta sunt initium habuerunt.* Ideo Seneca: *Multa nobis reliquerunt veteres, multa venturis tradenda restant, nec ulli præcluditur dicendi licentia. Antiqui nobis vixerunt, vivamus nos futuris.* Aquam hordei & ptisanam post purgationem statim sorbendam dabat Hipp. 2. *acut.* cur igitur nos cùm sitis ardor, & ventriculi morsus atq; dolores cum

11. exurenti calore ægrum extorquent, & omnia à calidis & pravis humoribus, & à medicamenti intemperie, & malignitate commota sunt, cur, inquam, magno aliquo refrigerante non subveniemus, quod calorem illum æstuantem temperet, humorum acutiem frangat, tenuitatem incrasset, motum reprimat, acrimoniam retundat, sitim extinguat, spirituum resolutioni obstet, ventriculum præ ardore & dolore exsolutum, ac æstuantem roboret & soletur, ac tandem pravorum humorum sarcinam ad inferiora detrudat? siquidem prædicta omnia bona aquam frigidam in hoc casu afferre non est dubium, in assuetis præcipuè in quibus nulla noxa timeri debet. Deum testor & Numina cæli, me quando de hac dubitatione nil quidquam audieram, aut legeram, aliquibus ægrotis æstatis tempore, non nive refrigeratam, sed satis frigidam sub dio expositã, solo rationis lumine ductum, & indicationem à tempore, febre, & medicamenti calore sumentem in die purgationis aliquoties cum felici successu in copia exhibuisse; quippe cùm ad aliquos accessissem, quintâ aut sextâ jam horâ à pharmaci assumptione transactâ, eosque anxiosos, sitibundos, ac ex nimio calore resolutos invenissem, cùm nondum secessum aliquem habuissent, pro arbitrio & ad satietatem ferè non rarò bibere permisi; omnes tamen quibus sic propinavi, citrà ullum laborem, aut noxam, optimè purgâsse, cibum cum appetentia sumpsisse, & in cæteris omnibus rectè se habuisse comperi. Igitur si pauci medici hoc docuerunt, nil obstat quò minus ab

 omni-

omnibus suscipi debeat & imitari, si juxtà conditiones suprà dictas remedium applicetur: sufficiat nobis in re veritati & rationi adeò consentaneâ, licèt à plurimis prætermissâ, quòd *Boccangelus* author sanè non postremæ notæ, præstantissimum hoc auxilium laudet *lib. de feb. pest. & malig. cap.* 23. cujus opinionem doctiorum nullus reprobavit, nec apud alium ex antiquis & junioribus aliquid legatur, quod prædicti remedii usum tanquam nocuum, aut periculosum damnet: imò *Primerosius* suprà citatus nullum piaculum esse in die purgationis frigidos potus assumere apertè fatetur, & scribere non dubitavit.

32.

QUÆSTIO SEPTVAGESIMAQVINTA.

Vtrùm ad sanguinem mittendum, vel purgandum, Astrorum motus, & lunæ configurationes, quadraturasq; observare medicus teneatur?

Sed quoniam in præterita quæstione de sanguinis missione & purgatione facta est mentio, alia dubitatio sese offert examinanda, populari sanè rumore pervulgata, & multorum opinione stabilita, qui tanquam rem in medendi usu maximè necessariam, ac minimè contemnendam judicant, ut sanguinis missio, & purgatio nullo pacto exerceantur, dum planetæ magnas suas mutationes subeunt, ac lunæ præsertim quadraturas attentè observari debere sedulò inculcant, tanquam grande medicorum piaculum sit, & ægris noxium, toto illo tempore magna præsidia administrare; quorum opinionem, quatenus vera sit, examinare jam proposuimus; ut medici ab hac importuna vulgi & ægrorum contentione sese protegant, & inertes quosdam sciolos ex communi aliorum ignorantia hæc & alia proferentes, & in tanto errore versantes, edoceant, & quousque hoc attendendum sit utrique agnoscant.

1.

Endymionem omnium hominum primum lunæ cursum & mutationes invenisse & observâsse tradit Apollinaris *lib.* 4. *argonaut.* unde fabulæ data est origo Endymionem à luna adamatum, ut 1. *tuscul.* tetigit *Cicero*, & Plinius *lib.* 2. *cap.* 9. qui de hoc planeta sic: *Omnium admirationem vincit novissimum sidus, terrisq; familiarissimum, & in tenebrarum remedium unà repertum. Multiformi hæc ambage torsit ingenia contemplantium, & proximum ignorari sidus maximè indignantium, crescens semper, aut senescens, & modò curvata in cornua, modò æquâ portione divisa, modò sinuata in orbem, maculosa, eademq; subitò pernitens, immensa orbe pleno, ac repentè nulla, aliàs pernox, aliàs sera, & parte diei solis lucem adjuvans, deficiens, & in defectu tamen conspicua, quæ mensis exitu latet, cùm laborare non creditur, jam verò humilis, & excelsa, & ne quidem uno modo, sed aliàs admota cælo, aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros dejecta, quæ singula in ea deprehendit hominum primus Endymion, & ob id amore ejus capta fama creditur.* Hæc *Plinius*, qui lunæ mutationes, multiformem ambagem, inconstantiam, & eximiam varietatem eleganter depinxit. Itaque à luna ob jam dictas varietates varios quoque in hæc inferiora effectus plurimos accidere innumeri authores tradunt, sicuti à sole reliquisque sideribus & astris; nam ipsa in hæc inferiora operari apertè fatetur D. Thom. *lib.* 2. *sent. distinct.* 15. *quæst.* 1. *art.* 1. dum enim sol omnium veluti Rex lucem suam vario modo communicatam cæteris impertitur, multiplices effectus in hæc inferiora producere non est dubium: quapropter non solùm universales, sed particulares horum inferiorum species ad corpora cælestia esse referendas, eodem loco scribit; quia, ut idem ait, præter principia communia activa in tota natura exiguntur determinatæ virtutes ad determinatas species &c. hujusmodi verò virtutes determinatas in stellis præcipuè consistere tradit, quas secundùm diversos affectus & conjunctiones imprimunt, ad determinatas species producendas, ut latius probat & explicat Ferrar. 3. *contra gentes cap.* 83.

2.

Sed & lunæ vires in hæc inferiora, & illius in agendo potentiam prosequitur idem Angelicus Doctor *p.* 1. *quæst.* 7. *art.* 1. *in resp. ad* 5. *argu.* ubi clarè docet, illud *Genes.* cap. 1. *fecit Deus duo luminaria magna*, intelligendum esse non tam de quantitate & magnitudine, quàm de efficacia & virtute. Et quatenùs ad lunam spectat, addit quòd etiamsi aliæ stellæ sint majores quàm luna, attamen effectus lunæ magis in his inferioribus sentiri; qui quidem effectus cùm admodum varii existant, ideò lunæ tam varia nomina imposuerunt prisci, Lucinam eam appellantes, Dianam, Junonem, & alia ut fusiùs inter alios exponit *Rhodig.* Confirmat hanc doctrinam Galenus 3. *de dieb.*

Lib. 2[illegible] cap. 6[illegible] aliis in l[illegible] cis.

3.

dieb. decret. cap. 2. quo loco, quare lunæ effectus efficaciores sint, causam scribit: *Etenim sol veluti Rex quispiam maximus est, luna verò velut non parvæ dignitatis Princeps, & vicerex, inter illum & nos medius constitutus terrestrium regionem meritò gubernat, non potentiâ cæteros planetas, sed vicinitate superans.* Præterea magnam similitudinem cum sole lunam habere dicebat in actionibus suis, quod in mense faciat illud quod sol in anno complet; quare Aristoteles 4. *de gen. animal. cap. ult.* parvum solem lunam appellabat, quia propter solis societatem, & lucis receptum, quasi alter minor sol evadit; ut dicebat idem philosophus, quamobrem ad omnes generationes perfectionesque conducere testatur.

Sed longum nimis esset, si quæ de lunæ viribus, & potestate quam ipsa in hæc inferiora possidet, à plurimis tradita repetere velimus; quare satius erit, si aliqua loca afferamus. Et in primis Plinius *lib.* 2. *cap.* 77. longâ oratione ostendit, illi referendam esse causam fluxûs & refluxûs maris. Fusiùs multò *cap.* 99. sequenti; *Haud frustra*, inquit, *spiritus sidus lunæ existimari, hoc esse quod terras saturet, accedensq; corpora impleat, abscedens inaniat; ideoq; cum incremento ejus augeri conchylia, & maximè spiritum sentire, quibus sanguis non sit, sed & sanguine hominem etiam cum lumine ejus augeri, aut minui, frondes quoque ac pabula sentire, in omnia eâdem penetrare vi.* Galenus etiam 3. *de cris. à cap.* 2. *cum seq.* in lunæ viribus enarrandis multus est, in his præsertim, quæ in homine, & illius morbis operatur: *Iis, quæ è terra oriuntur, dat incrementum, animantia saginat, menstrua statuto tempore mulieribus conservat, morbo comitiali laborantium circuitus insidiatur, pro ratione scilicèt progressûs ad solem, vel recessûs ejus, demortua quin etiam corpora putrefacit, somnoq; sopitos sub ejus radiis, vel etiam aliter diutius immoratos decolores, & capite gravatos reddit*, ut *quæst.* 53. dicebamus: & quatenùs ad illius detrimenta, haud dubiè rectè ea noverat Samius ille naturæ contemplator Pythagoras, cujus exactissima scientia tantos apud homines plausus meruit, ut illius placitis & dictis nullus refragari auderet; siquidem quæ ille assereret, tanquam à veritatis oraculo prodirent, sic infallibilia habebantur, ut nullo facto examine certissima ac verissima acciperetur, communiterque de illo ἀυτὸς ἔφει diceretur, *ipse dixit*: velut si in homine illo non error, non hallucinatio fuisset; tantùm illius præindicata poterat opinio, ut sine ratione valeret authoritas: Hic igitur aliquando interrogatus, quonam pacto tamdiu vitam produxisset? hoc dedisse fertur reponsum: *Nunquam satur à mensa discessi: luna me nunquam vidit: cum vetula non coivi.*

Itaque lunæ vires brevi oratione comprobat Cicero *lib.* 2. *de natura Deorum* sic inquiens: *multaq; ab ea manant, & profluunt, quibus animantes aluntur, augescunt, pubescunt, maturitatemq; assequuntur, quæ oriuntur à terra.* Siquidem in omnia penetrare tam latè patet, ut ipsâ crescente oleum, quod in vasis continetur, ita aliquando augeri observatam sit, ut effundatur (si verum est, quod narrat) sed extrà dubium, quòd eodem tempore ossa medullâ repleantur, & cerebrum in calvaria protuberet; qua ratione Vigo *tr. de cap. vul.* præcepit in plenilunio non esse perforandum cranium, ne ex lumine increscentis lunæ auctum extuberet: certum etiam est fructus horarios increscente lunâ augeri & maturari, recondita quoque in horreis frumenta augescentis illius vim sentire; unde non parùm refert conderéne quis velit, an vendere. Sunt & alia plura de ostrearum, conchyliorum, & concharum corporibus, quæ cum ipsa augescunt, & minuuntur: quin & animalium plurima tantam illius subordinationem experiuntur & sentiunt, ut de minutissimo adhuc animalculo, formicâ nempe, ab opere in interlunio cessare constanter *Plinius* asserat *lib.* 2. *cap.* 41. pluraque alia quæ idem auctor annotavit *lib.* 2. *cap.* 49. *& lib.* 18. *cap.* 30. plurimisque aliis in locis, quod innumeri alii quoque affirmant, ut Trismegistus *in Asclepio*, Plato *in Theeocteto*, Aristoteles 2. *de gener. animal. &* 4. *ejusdam*, Philo *de opifi.* D. Thomas 3. *contra gentes*, Alb. Magnus *lib. de coævis.* Basilius *homil.* 6. August. *lib.* 13. *de Trinit.* Ptolomæus *lib.* 2. Almagestum *cap.* 12. *& in centil. propos.* 20. 51. 56. 86. Varro *lib.* 1. *de re rust.* Jul. Firmicus Maternus *lib.* 8. *cap.* 9. Rhodiginus *lib.* 1. *cap.* 18. *&* 2. *cap.* 13. Strabo, Albumazar, Macrobius *in somnio Scip.* & infiniti alii, tam ex Astrologis, & Theologis, quàm ex naturalium historicis, poëtis, & ex medicis, ut longâ oratione prosequitur Lævi. Lemnius *lib.* 2. *cap.* 41. *de ocultis nat. miracul.* Otto Heurnius *in libello Barbaricæ philosophiæ cap.* 15. pluresque alii; & meritò sanè, cùm illius potentiam agnoscant astrologi, nautæ, agricolæ, quæ illius tempora attentè docent observare: ideò lege cautum & observatum esse tradit Plin. *lib.* 18. *cap.* 32. ut quæ cæduntur,

 car-

carpuntur, innocentiùs decreſcente, quàm increſcente lunâ fieri: unde Virgilius 1. *Georg.*

Ipſa dies alios alio dedit ordine luna.

Cæterùm quatenus ad morbos, efficaciſſimè etiam in illis operari, ingenteſque mutationes in eis à luna per ſeptimanas accidere *Galenus* oſtendit 3. *de dieb. decret. cap.* 5. & 6. Ægyptiorum & aliorum philoſophorum adductis obſervationibus; quippe ut multa alia prætercam, in ſuis cum ſole conjunctionibus vi quâdam ſibi inſitâ inſignes mutationes in his inferioribus omnibus operatur: ob cujus mirificam hanc vim in ſubjecta corpora, Ægyptii lunam matrem mundi vocabant, à ſole gravidam factam, unde perennia generationis principia demitteret; quæ quidem vis cujuſmodi ſit, aut quænam hæc qualitas, quæ ab illius influxu dimanat, necdum conſequi aut verbis explicari poteſt, ut inter doctiſſimos fatetur ingenuè *Fracaſtorius*: quandoquidem aſtra omnia per certos inter ſe aſpectus & conjunctiones nobis incognitas miranda opera cum inſigni ſublunarium omnium mutatione, non aliter quàm ex præſcripto & Creatoris ſui præcepto cauſare Ariſtoteles 4. *de gen. animal. cap. ult.* inſinuare videtur, cùm inquit: *Converſionis verò eorum ſiderum alia fortaſſè principia ſunt. Natura igitur ita ſibi vult, ut eorum numeris generationes & obitus numeraret.* Significans (ut nos quoque colligimus) naturam, nempe Deum ipſum ſummum ſiderum & cunctarum rerum Authorem & Creatorem ita voluiſſe, ut certis ſiderum circuitibus cuncta numerarentur, & inſignes mutationes in certis illorum circuituum ſtationibus & quadraturis fierent, & non in aliis: quod non ſolùm lumine & motu, ſed etiam peculiari quadam influentia, ac occultis viribus agunt, ut evidenter in multis apparet, quæ in profundiſſimis terræ cavernis non ſine cæleſtium corporum vi generantur, quò nec motus, nec lumen aſtrorum pertingit, ut adnotavit Aſclepio *lib.* 1. *ad Ammonem*: non enim ſi ſolo lumine & motu hæc inferiora afficerent, tanto ſtellarum numero opus fuiſſet, magnitudine, ſitu, ac motu differentium, ac tam mirifico ordine progredientium, ut præter aſtrologos etiam alii adnotârunt.

7.

8.

Quantùm verò humana corpora in ſanitate & morbis aſtrorum mutationibus obnoxia ſint, & à variis illorum motionibus influentiiſque & aſpectibus immutentur, maximus medicorum Hippocrates *lib. de aëre, aquis, & locis*, & alibi ſæpiùs inculcat, cum ſic ait: *Qui enim temporum mutationes aſtrorumq; ortus, & obitus, ut horum quæque eveniant tenuerit, is utique futurum anni ſtatum prævidere poterit: hâc ratione inveſtigando qui temporum occaſiones præſenſerit, is maximè cujuſque naturam cognoverit, & plerumque ſanitatem aſſequetur, minimumq; in arte à recta via aberraverit, non minimâ artis ſuæ gloriâ; quòd ſi cui hæc ſublimiora videantur, is ſi ab hac ſententia diſcedat, facilè intelliget ad artem medicam aſtronomiam ipſam non parum ſed plurimum potius conferre, cùm unà cum temporibus hominum ventriculi mutationem accipiant*, &c. Inſuper eodem *lib.* ſic: *Cæterùm de annis hoc modo conſideratione factâ quis cognoſcere poſſit qualiſnam ſit annus futurus, ſalubriſne an morboſus? ſi enim ſecundùm rationem fiant ſigna in aſtris occidentibus ac orientibus* &c. Prætereà: *Magnas*, inquit, *temporum mutationes maximè obſervare oportet, ut nec medicamenta in illis exhibeamus libenter; nec uramus quæ circà ventrem, nec ſecemus priuſquam prætereant dies decem, aut plures, non pauciores. Periculoſiſſima ſunt etiam æquinoctia utraque, magis verò autumnale: oportet enim & aſtrorum exortum conſiderare, præcipuè canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum; morbi enim in his diebus maximè judicantur, aliiq; perimunt, alii verò deſinunt, aut in aliam ſpeciem aliumq; ſtatum tranſmutantur*, &c. *Lib.* etiam 1. *de diæta* aſtrorum ortus & occaſus agnoſcere convenire ait, quod etiam *lib. de carnibus*, & *in prognoſticis*, aliiſque in locis advertit: hoc enim ita expedire, facilè ex prædictis *Hippocratis* verbis infertur, ſiquidem ventriculos ad hominum ſalutem admodum neceſſarios ſiderum mutationibus immutari ait; quæ ſi ita ſunt, perſpicuum eſt ſidera in nos agere, & contentioſos, qui aſtrologiam medico minimè neceſſariam judicant, vel his tantum *Hippocratis* rationibus & argumentis convinci; quam idem *Hippocrates* tanti fecit, & ad medicinæ opera accommodare novit, ut vel propter hanc ſolùm honores Herculi dicatos à Græcis meruerit, ut in *præfat. ad lib. de peſte* ſcribit *Veronenſis*, & ex eo Foreſtus *lib.* 6. *obſ.* 9. *in ſchol.* Hac enim ſcientiâ quaſi furtim è cælo ablatâ inſtructus *Hippocrates* venientem peſtilentiam illis prædixerat, & dicipulos ad curandum miſerat: *Galenus* quoque doctrinæ Hippocraticæ affectator maximus, præter illa, quæ jam diximus 1. *epid. comm.* 1. *text.* 1. hanc aſtrologiæ cognitionem medico neceſſariam aſſerit, cùm

9.

ſic

sic ait: *Est ad omnem propositam dubitationem in primis necessarium unaquaque in regione, ubi obite medico artem instituimus, cujusque perspexisse sideris emersus & occasus, quia tempora ab his anni circuitum scribunt.* Quare in eodem *com.* concludit sic: *qui Astronomiæ imperitus est, hunc celatum nolim, ipsum haudquaquam obsequi Hippocrati ad illam ob prædictorum usum cohortanti.* Ideoque *Galenus* huic scientiæ non parum deditum se fuisse passim ostentat, ut *lib.* 3. *aph.* 14. & præsertim in *lib. de crisibus*, ubi omnium, quæ in sublunari fiunt, inter præcipua primordia statuit cælestium orbium ordine procedentium ornatum. Omnia namque in hoc orbe ab illis decus ornamentumque capessere ait, quare & decretoriorum dierum ordinem à cælo astrisque provenire manifestè affirmat, ut 3. ejusdem operis *libro* longè lateque prosequitur, Solis, lunæque præcipuè, & aliorum siderum vim, & efficaciam in hæc inferiora multis adductis effectibus fusius contemplatur, & *cap.* 6. lunæ vim in salute & morbis causandis & Ægyptiorum astronomicorum certissimis inventis approbat, cùm inquit: *Porrò illud denuò repetendum est, quod nos quoque observantes verissimum esse comperimus, ab Ægyptiis astronomicis inventum, lunam non modò ægris, sed etiam sanis dies quales tandem futuri sunt posse pronuntiare; si enim ad Planetas salutares steterit, bonos & faustos producere; si ad intemperatos, graves atque molestos:* quid clarius? ne quis dubitare audeat *Galenum* hac in parte astrologiam & suscipere & amplecti. *Æsium* quoque astrorum aspectibus multa tribuisse ex eodem liquet, quòd *tetrab.* 1. *serm.* 3. *cap.* 164. sic ait: 25. *Septembris æquinoctium fit autumnale, quod triduum maxima aëris præcedit intempestas; quare cavendum ne venam secemus, aut purgemus, nec aliàs corpus vehementi motu moveamus à* 15. *Septembris, usque ad* 24. *ejusdem mensis.* Sed ne nummos Spartanos condere videar, lubens multa *Platonis* loca prætereo in *Timæo* 7. *de rep.* in *sympos.* in *Gorgia*, in *Epinomida*: aliaque ex Aristotele 12. *meth.* 2. *de cælo* & 2. *etiam physicæ Auscultat.* cùm præsertim 1. *Meteoror. cap.* 2. dixerit: *Oportet mundum hunc inferiorem superioribus lationibus contiguum esse, ut omnis virtus inferior inde gubernetur.* Quod idem videtur scripsisse Manilius *astronom.* 4.

Fata regunt orbem, certâ stant omnia lege
Longaq; per certos signantur tempora cursus:
Nascentes morimur, finisq; ab origine distat.

2. Spiritus igitur superiores nostris influere spiritibus, eo maximè argumento probari posse videtur, quòd superiorum corporum potestate nostra subinde evidenter agitentur; quare cùm morbi morborumque tempora, eorumque causæ, & symptomata inferiora sint, & in nostris corporibus accidant, efficitur necessariò, ut ad astra & cælum recurrere debeamus, velut ad proprias & genuinas causas, non solùm ut morborum ortus, motiones, alterationesque rectè assequamur, sed ut remedia suo tempore & ordine applicentur, adhibeanturque, ab astris illorumque aspectibus ratione & occasione petitâ; scilicèt purgatio, venæ sectio, scarificatio ustioque, ac membri alicujus abscissio: hac ratione signiferum in duodecim partes dividunt, & in tot corpus humanum ideò distribuunt, quarum unamquamque suo (ut volunt) signo correspondere faciunt: inde statuunt (quam benè ipsi viderint) perspicuum utique esse, nec uri debere, nec scindi lunâ in signo parti correspondente locatâ,

3. Tandem sic colligunt: Temporum mutationes ab astris fieri manifestum est, hoc est calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem pluvias insuper & serenitates, unde constitutiones salubres & insalubres, nec non & morbificæ pestilentesq; dimanant; ergò necessariò astrologica observatio medico usui interserenda, quippe cùm ars sit salubrium, insalubrium & neutrorum; hæc autem tripliciter dicantur, scilicet ut subjectum, ut signum, & ut causa; astra verò præcipuæ non rarò causæ sint, & morborum illorum, quorum proventum paritura sunt, signa etiam proferant, necesse est ut medicus eorum influxus & stationes consideret, ut medicinæ congruentibus præceptis judicia, quæ à planetis dimanant, etiam ingerat; siquidem hoc pacto perpendendo non solùm meliùs curabit, sed præsagiendo etiam futuros morbos meliùs prævidebit, & providebit: sic enim ipse *Hippocrates* Atheniensibus futuram pestem præsagivit, & Thales Milesius ex eadem observatione futuram olei annonam, & caritatem præcognovit, quo tam prosperè ditatum fuisse scribit Aristoteles *cap.* 7. *lib.* 1. *polit.* propterea potissima medicorum pars astrologicam scientiam obnixè insequitur, & commendat, ut non solùm ex *Hippocrate* & *Galeno* jam vidimus, sed Arabes præser-

tim, & qui illos postea secuti sunt, præter quos innumeri ferè alii, præcipuè *Cardanus, Arnaldus*, & potissimùm *Conciliator*, qui huic negotio adeò fuit adstrictus, ut parùm ab fuerit, quin insaniret; multa quippe circà hanc rem protulit ridicula & futilia, dum enim astrologiam medicis insinuare intendit, plurima contra christianam religionem blaterare videtur, penitus expungenda, & obliteranda, ut optimè confutavit *Symphorianus Campegius* proprio libro ad hoc dicato, in quo *Apponensis* errata colligit, & castigat.

His itaque & aliis adducti medici, non solùm perfecto modo Matheseos peritiam medico tanquam summè utilem perpendendam esse consulunt & commendant, sed peculiariter etiam circà lunæ quadras, conjunctiones, & oppositiones maximè attentum esse debere autumant, in sanguine præsertim mittendo, & in pharmacis propinandis, ne sinistri aliquid contingat, si non debito tempore magna ista auxilia adhibita fuerint, quod in ægrotantium perniciem fiat, & humorum præposterum motum causet, à quo in morbo deterius aliquid adveniat, quemadmodum illustri cuidam medico accidisse apud Segoviam celebrem Hispaniæ urbem narrat Dilectus Lusitanus *cap. 7. de venæ sect. 2. art. 2.* qui indiscretè medicamentum die conjunctionis cuidam ægrotanti propinavit, quo eodem die è vita discessit, cum tanta medici infamia, ut clanculùm & furtim illinc discedere coactus fuerit: quare si necessitas non urgeat, unum diem naturalem antea, & alium postea evitandum esse monent, aut 7. horas antea, & totidem postea à remediis potissimum magnis abstinendum, ut *lib. de evacuandi rat. cap. 21.* scribit *Peramatus*, quem hac parte sequitur Dilectus *art. 2. cap. 7. de venæ sect.* Sic namq; faciendum pro sanguine mittendo & purgante medicamento exhibendo, omnis fermè medicorum schola cum astrologiæ peritis affirmat & prêter *Dilectum*, & *Peramatum* jam citatos, monent ac tenent idem Zacutus *l. 7. prax. hist. in introitu ad praxim, præcepto* 48. Cornar. *l. 3. enchirid. cap. 20.* Freitag. *in aurora cap. 28.* ubi ait, nisi summa necessitas urgeat, his temporum tempestatumque articulis differendas, aut comperendinandas esse purgationes, cùm magnas mutationes operetur Phœbi soror (sic lunam cum *Virg.* appellat.) Prædictos sequuntur Brabus 2. *de curandi rat. c. 5.* Vall. *l. 7. contr. c. 18.* Horat. Augen. *l. 8. de sang. miss. c. 19.* Primeros. *l. 4. de errorib. vulgi c. 9. & 10.* & innumeri alii, non solùm ab astrologis edocti, sed clarissimis medicinæ antesignanis idem asserentibus, ut manifestè docet Gal. 3. *de dieb. decr. c. 3.* ubi sic: *Luna verò particulares cujusq; mensis dies disponit, parvæ mutationis facultatem habens eamq; non simpliciter ex se, verùm ex solis aspectu consequitur. Vehementiores itaque mutationes eveniunt, ubi ipsa cum sole coit, insuper in apparitionibus plenilunii, minores his contingunt, dum medio orbe apparet, obscuræ dum curvata in cornua ac falcata videtur.* Hac ratione Avicenna *fen 4. 1. c. 21.* præcepit ut ventosæ in principio mensis non apponantur, quia humores nondum commoti sunt, & excitati, nec etiam in fine, cùm jam sunt minuti, sed in medio mensis, quia tunc sunt commoti, & in suo augmento, luminis in corpore lunæ augmentum sequentes; quemadmodum tunc augmentatur cerebrum in craniis, aqua in fluminibus accessum & recessum habentibus: qua etiam de causa tunc humidiorum morborum sævities insolescere solet, exasperariq; & in pejus ruere, ut paralysis, apoplexia, lethargus, stupor, hydrops, catharrus, & alii frigidi affectus, præsertim verò epilepsia, unde communiter lunatica affectio dicta est, quòd ad lunæ motum frequentissimè moveatur.

15.

16.

17. Sed præter hæc multas alias lunæ stationes astronomi cavere jubent, primò ob signa, secundò ob domus, tertiò ob decubitum cum aliquo planeta, aut stella fixa, quartò propter aspectum. Ratione signorum dicunt signa benevola ad sanguinis missionem esse aëria, qualia sunt Gemini, Libra, & Aquarius præcipuè, minus præcipuè ignea, ut Aries, Leo, & Sagittarius; horum contraria, terrea nempe & aquea, ut Taurus, Cancer, Virgo, Scorpion, Capricornus, & Aquarius malevola esse definiunt, & sanguini mittendo inimica: multasque alias circumferunt ineptias, quas impossibile esset recensere, si omnia quæ circà hanc rem effutiunt enarrare velimus, à quibus modò supersedeo; timeo quippe ne dum in vanos ac deliros astrologorum nexus impingam, malum aliquem aspectum inveniam, qui me à scribendo inturbet, & calamum suis forsan combustionibus comburat. Itaque omnes ferè juniores saltem in hoc conveniunt, ut urgente necessitate nulla ad lunæ aspectus, aut oppositiones ratio habeatur, sed statim prout morbus requirit remedia applicentur, ut scitè pleuritidis exemplo monet Areth. 1. *acut. c. 10.* ubi ait; *Nulla moræ datur occasio, quin*

18.

pro-

protinus valenti remedio succurramus. Cui optimè consentit Mesue *in præf. ad l. 2.* ut q. præcedenti dicebamus, & multò antea *Hipp.* consuluit 4. *aph.* 10. & aliis in locis; quæ enim celerritatem desiderant, celeriter sunt peragenda; *tardare* enim *in acutis malum*, dicebat idem. Cæterùm si morbus dat inducias, & ex illis fuerit, qui prorsus salutares & sine periculo judicantur; vel etiam si evacuationes ad morbum antevertendum, & præcautionis gratiâ fiant, tunc necessarium esse ajunt, hanc indicationem observare, & sanguinis missionem & purgationem differre quousque aspectus & cōjunctio transeant, alioquin si in oppositione fiant, periculosum esse admonent. Hanc itaque subterfugii rationem invenerunt astrologi, & qui eorum nugis fidem præstare non erubuerunt; quibus astrologorum ineptiis non rectè perpensis doctissimi licèt alii medici etiam assensi sunt, minimè advertentes, quàm in re parvi momenti & evanida prorsus hallucinati cæcutiverint, cùm huic commento vanissimè fidem adhibuerint: siquidem qui attentiùs hoc considerârunt, frequentissimâ experientiâ lucem huic veritati etiam afferente, totum hoc astrorum studium (quatenus ad morborum curationes attinet) inane esse agnoverunt, ac nullo pacto necessarium.

Nec ulla magis evidens ratio ad hanc veritatem comprobandam perrequiri, aut inveniri potest, quàm assidua experientia, quâ in omnibus mensibus, diebus, horis, lunâ hac aut illa figura existente, sive incipiat, accrescat, aut plenior videatur, huic aut illi signo adjuncta sit, vel quomodocumque aliam subeat mutationem, frequentissimè & sanguis mittitur & purgatio exhibetur absque eo quòd proptereà damnum aliquod contingat, quod in posterum nos solicitos reddat: hæc quippe astrorum circà morbos consideratio, & quæ præsertim circà lunæ configurationes & oppositiones nobis inculcant, supervacaneus quidam timor est, cujus causâ debita remediorum occasio non rarò deperdita, impensè observantes in lunaris aspectûs transitu occupatos, & miseros potissimùm patientes, in magna pericula sæpiùs conjecit, quàm damni aliquid unquam attulit, ut appositissimâ historiâ narrat Lang. *epist.* 36. *t.* 1. qui quidem author *epist.* antecedenti adversùs astrologos, & vanas illorum divinationes multa profert ex *Ptolomæo, Avicenna, Averrhoë*, qui fatentur Astronomiæ artem debilem esse, & plurimum, quod in ea continetur, falsum existere. Siquidem, ut rectè putavit *Philostratus*, humanæ naturæ metas excedunt, quæ de divinatrice astrologiæ parte plerumque dicuntur, cujus præcipuè futurorum scientiam cum judiciariis omnibus ætas omnis tanquam falsissima damnavit: de quibus *Tacitus* lib. 17. *Genus hominum petentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur*, ut latius prosequitur Vallesius *in Sacra Philosoph. cap.* 31. Rhodiginus *lib.* 14. *cap.* 11. *lect. antiq.* & infiniti alii, ut non immeritò D. Augustinus *lib.* 2. *sup. Genes.* & *lib.* 5. *de civit. Dei*, dicat eos tantùm veritatem aliquando assequi occultâ dæmonum afflatione, quâ nescientes afficiuntur; quod quoque Ptolomæus 1. *centil. libro* affirmare non dubitavit, cùm dixit solos numine afflatos particularia prædicere posse. Unde *Phavorinus* hujusmodi homines præstigiarum offuciarumque genus vocabat, qui cibum & quæstum ex mendaciis captarent: quandoquidem astrologiæ regulas non solùm incertas sed incomprehensibiles optimè judicabat *Chæremon*, unde quæ ab ipsis astrologis traduntur, non minùs fabulosa quàm ridicula pleraque censenda. Et quonam risu excipienda illa, quæ circà fastos dies, & mathematicas ephemerides quotannis edunt? in quibus eò dementiæ ventum est, ut pro induenda nova veste, pecunia numeranda, pro emendo, vendendo, peregrè proficiscendo, puerum ablactando, imò & unguium præsegmina abscindendo, caput & barbam radendo, faustos felicesque ex lunæ cùm reliquis astrorum aspectibus dies præscribant, tam inconstanti certè rerum eventu, quàm certâ superstitionis vanitate suspecti & irretiti; quod D. Paulus *ad Galat. cap.* 4. jamdudum damnavit: *Dies observatis, & tempora, menses, & annos: timeo vos ne frustrà laboraverim in vobis.* Nam licèt dies ex solis paralelo, & lunæ mutatione, quoad res naturales diversificentur, quoad humanam tamen gubernationem attendi non debent, cùm omnes dies Deus æquali bonitate creaverit.

Sed quantumvis in prædictis citrà damnum nugari possint, in seriis tamen, & quæ circà morbos & hominis vitam ex istis periclitantem inculcant, potiori jure omninò contemnendi sunt; impietas enim maxima est, & flagris dignum piaculum, cùm cucurbitularum appositionem, sectionem, ustionem, sanguinis detractionem, pharmaci exhibitionem, ex astrorum motibus præscribunt, quemadmodum *Hermes*, qui pur-

purgatorium dare vetat cùm luna subit Zodiaci signa: nec minùs ridiculum, quod Ptolomæus *in centil.* ait pharmaca hebetari, dum fuerit Jovi conjuncta, & eadem periculosa, si maleficis, puta Saturni, aut Martis, aspectibus fuerit configurata; quo tempore & similibus generosa præsidia vetat, donec suis infortuniis luna fuerit exuta, quæ tamen periculosissimè sæpius, & non sine gravi damno fiunt, ac occasio præterlabi sinitur, in qua nisi obstiteris ægrum perdes, & nimis serò forsan medicinam parabis, cùm in morborum principiis obstandum sit, quo tempore de morbi magnitudine futura non raro sumus ignari; unde corruit illa ratio, quam pro asylo sumunt de morbo salutari, aut periculoso, & acuto, in quo urget aut non urget remedii necessitas, & adhibendi celeritas; nullâ enim quàm hâc astronomi & planetarii medici impliciti, Icarias suæ vanitatis pœnas effugere, atque extricare sciunt. Exemplum habemus apud Galenum 4. *de locis c.* 8. ubi de quodam scribit quem à morbi initio absque periculo ægrotare judicavit, sed parùm posteà pessimè habere agnovit. Igitur cùm tale periculum frequentissimè ab initio non appareat, & subitò sæpiùs se ingerat, accidit non raro, ut acuti & occulti alicujus morbi initio absque remediis necessariis transacto, cùm jam sævit morbus, ipsa quæ postposita sunt remedia, serò adhibita nil proficiant, unde vana illa observatio nil aliud nisi ingentem perniciem ægrotis afferat; atque ideò prædicta ratio, quam tanti faciunt, doctissimis viris omninò futilis judicatur: quippe si in acutis morbis, & qui cum periculo transeunt, & in quibus levius erratum grande damnum affert, nil in ipso aspectûs & influxûs tempore remedia applicare inconvenit, & exinde secuturum damnum postponitur; quare in salutaribus illud observandum, & magis pertremiscendum, cùm sint morbi in quibus nec remediorum procrastinatio, nec levia certè errata obsunt? quarè ergò in his morbis salutaribus, & qui segniter & sine periculo vel ex ipsa natura ad sanitatem tendunt, talis cautio adhibenda erit? sunt certè meræ nugæ; nulla enim ratio est, quæ nos ad id credendum inducere possit; quippe si in quo magis inhærere debet non inest, quarè in quo minùs?

22.

23. Nec valet dicere semper periculosum esse sub ipsa conjunctione evacuationem moliri, attamen cùm major noxa minori postponenda sit, & hæc in urgenti morbo ex magnorum remediorum dilatatione magis impendeat, timeaturque major, quàm si coitûs tempore sanguinis missio aut purgatio adhibeatur; ex necessitate enim coactis ad majus damnum vitandum postponitur minus, quod non solùm in hoc casu, sed in omnibus medicinæ operationibus ita fieri solet, & debet; est siquidem inviolabilis regula, ut ad illud quod magis urget curantis consilium dirigatur, altero omninò non neglecto, inquantum fieri possit: hoc, inquam, nil valet; nam licèt illud, quod assumunt, verum sit in omni remediorum exhibitione, tamen in respectu ad lunæ oppositiones nullus debet esse timor, nec periculum in morbis ex remediorum rectâ applicatione imminet, sed ex præpostera, aut omissa, nullo modo ex stellarum aspectibus communibus, quandoquidem hoc nemo observavit, aut rationibus probare poterit; præsertim cùm indicatio quæ ex astris sumitur, omnium quæ in medicina sunt longè non solùm remotissima sit, sed etiam minima, quam ipsi medicinæ proceres *Hippocrates* & *Galenus* tanti fecerunt, ut nec semel quidem de illa meminerint; quod prudentiores medici imitantes eodem modo ista parùm curanda censent: longè enim melius corpora hostili morborum vi oppressa pharmacis, aut venæ sectione evacuare ex morbi statu & virium ratione docent, cæterasque operationes ex naturalium robore, & calore, qualiter promovendæ sint consulunt, ut præter citat. *Langium* scribit optimè Manardus 2. *epist.* 1. ubi astrologiam medico minimè necessariam judicat, solumque decori illi inservire posse; *rectè enim* (ait ipse) *sibi & ægris consulent medici, si quoties vacuandum videtur, lotium magis quàm astrum inspiciant, & venarum pulsationem potius, quàm stellarum observent configurationem.* Imò tantum abest ut planetarum peritiam in medico requirat, ut melius contingere dicat illis qui astrologiam vel ignorant vel negligunt, quàm illis qui illam vel sciunt vel sequuntur: proptereà de *Francisco Bentio* præceptore suo refert nil cæleste unquam observâsse, sed pro occasionis urgentia in ipsis solis & lunæ congressibus purgationem, & sanguinis missionem imperâsse, nihili faciendo astrologorum minas, quibus aliquando Hieronymus Manfredo famosissimus sui temporis astrologus illi obsistere conabatur, in cujusdam præstantis viri curatione, quem in ipso coitûs momento purgavit, astrologo reclamante, & mortem ægroto minitante, à qua & ex morbo optimè peractâ evacua-

23.

cuatione hominem liberavit: quare rectè concludit, quòd si aliquando sinistri aliquid in tali remediorum administratione accidat, dum coitûs tempore adhibentur (ut ab ineptis illis lunarium observatoribus non rarò imputatur) ad astrorum vim minimè referendum esse, cùm multæ & perspicuæ aliæ sint occasiones, & causæ à quibus provenire possit, nimirùm imperitia medici, artificis error, tempus non satis ratione morbi conveniens, & hujusmodi alia, à quibus pronum est & propinquius damnum evenire, quàm remotissimam & nullius momenti causam objurgare, à cæloque & sideribus suspendere, quod alioquin ex certiori & frequentiori causalitate pendet. Tandem *lib. 4. epist.* 5. iterùm hæc astronomorum figmenta tanquam meras nugas rejicit, à sciendi desiderio tantùm nata, quarum nulla ratio assignari unquam à quoquam potuit, atque ideò minimè credi debere.

Ejusdem sententiæ fuit Leonard. Botalus *lib. de med. & ægri munere*, qui author omnes unà medicos, qui talem observationem commendant, & à purgatione, sanguinis missione, scalpelatione, aut aliis agendis abstinere consulunt diebus ab astrologis prohibitis, tanquam faciles & temerarios damnat, cùm nullam iis fidem adhibere conveniat, sed simptomatibus potius, quæ omni diligentiâ ad talia præsidia applicanda expendenda sunt. Subscribit Augenius 8 *de sang. miss. cap.* 19 qui hujusmodi observationes nil conferre sæpiùs expertum se fuisse constanter asserit, cùm causa universalis, qualis cælum est, non agat, nisi particulares primùm rectè fuerint dispositæ; quare omnia hujusmodi judicia, ut admodum incerta, varia, ambiguaque æstimanda ait, quæ suos opifices ob proximarum causarum diversitatem plurimùm deludant: idcircò (inquit idem) temerè ea in ægrotantibus admittuntur & in sanis, qui præcautionis gratiâ evacuari student; & quemadmodum nil inde emolumenti subsequitur si observentur, ita si contemnantur, nullus error committitur, aut notâ dignus medicus judicabitur, cùm nil necessarium omiserit. Unde patet quàm nullius considerationis aut utilitatis sit hæc siderum observatio, quam Amatus *cent.* 3. *curat.* 81. tantùm deridet, ut miseros reputet illos medicos, qui ad lunæ conjunctiones, & oppositiones, ægris malè habentibus, advertunt; & licèt hoc in jam ægrotantibus maximè damnet, in sanis aut neutris aliter faciendum minimè dixit, cùm si hoc necessarium judicâsset, haud dubiè non præteriret, de quo nec verbum quidem addidit.

24.

Hieronymus Cardanus *in methodo* ubi recentiorum centum errores collegit *cap.* 24. hunc potissimùm damnat, quòd lunæ positiones observent, ut non dent medicinas: imò præposterum hoc judicium rationi adeò adversum judicat, ut dum luna cum sole coit, vel radiationem iniit, tunc medicamentum exhibere, & corpus purgare optimum fore censeat; quod ex eo probat, quia cùm occasione conjunctionis manifestè tempora mutentur, elementa quoque & humores agitantur, unde agitati meliùs ac facilius à medicamento adjuti expelluntur, & evacuatio perficitur: sic enim 4. *aph.* 14. dicebat Hippocrates: *Cùm volueris ducere elleborum, move corpus.* Cùm igitur (inquit idem *Cardanus*) rectè operari volueris, illud horâ aspectuum facies maxima cum utilitate, cavendo tamen ne in die judiciaria, aut ægro admodum debili fiat, aliter in ipsa radiationis hora tantum abest ut periculosum existimet, quin potius maximè approbet; quod etiam ex ipso *Galeno* inferre conatur 3. *de dieb. decret. cap.* 3. ubi vehementes illas mutationes tunc temporis evenire docet; & *Galeno* placuisse ait, ut tunc sanguis mittatur, & purgatio instituatur. Hæc fuit opinio hominis non solùm astrologiæ admodum periti, sed & illius vanitatibus maximè impliciti. Quid si ad alios peritissimos neotericos accedamus? mirum est quanto risu hujusmodi observationes excipiant, imò explodant, & tanquam humanæ saluti infestissimas penitus rejiciant.

25.

Claudius Deodatus *in suo panth. Hygiastico lib.* 3. *cap.* 6. turpissimam hanc consuetudinem, nullis rationibus firmatam, nec veterum, aut recentiorum medicorum authoritatibus munitam, nullos alios fautores unquam habuisse ait, quàm Aniculas Zingalos, ineptos Empyricos, astrologos, & ephemeridum calculatores; nam si illorum rationes contemplemur quibus hoc suadere nituntur, videtur profectò unus Cancrum, alius Virginem, hic Scorpium, ille Sagittarium spectare, & cæteris zodiaci signis præferre: rursus hic Leonem extollit, alius Pisces, Taurum, Geminos suspectos reddit. Cùr verò, lunâ vel in ariete, leone, aut virgine existente, non æquè liceat ac in aliis signis venam aperire, si ab ipsis quæramus, chymerica sunt, & non minus quàm insomnium falsa, ea quæ mox afferunt: propterea à præstantissimis tum Galliæ, tum Hispaniæ & Italiæ medicis nusquam scrupulosè observata; & rectè quidem, cùm illæ

26.

planetarum conjunctiones, oppositiones, quadraturæ, & cætera illorum mendaciorum tabulis affixa, venæ sectionis, aut purgationis haudquaquam sint vera indicantia; quarè nullatenùs observanda, sed multis nominibus irridenda expungendaque sunt: ex illorum siquidem dicendi varietate, diversitate, & discrepantia maximum elici debet argumentum, vana esse & futilia omnia, quæ circà hanc rem nobis inculcant, cùm ad prædicta remedia & cætera omnia exequenda, morborum tempora, necessitas, & materiæ morbificæ dispositio, patientisque vires clavum omnem satis gubernare valeant: iis namque, & non aliis prospiciendum sæpius *Galenus* edocuit; siderum verò contemplationem ad generosi remedii executionem adeò nihili fecisse videtur, ut etiam 11. *meth.* magnoperè laudet medicum, qui quinquagenarius in cephallagia sibi venam mediâ nocte incidi fecit. Eandem sententiam habuit Anton. Maria Venustus *in consiliis à Lautembachio collectis cons.* 20. quo loco turpissimos vocat medicos illos, qui lunæ cursum, novilunium, plenilunium, & quas vocant quartas, seu aspectus quadrangulares observant, ut venæ sectionem aut pharmacum exhibeant, quod tanquam erroneum à posterorum animis multis adductis rationibus expungit; quemadmodum Jul. Cæsar Claudinus *suarum resp.* 2. qui hujusmodi astrorum indicationes tanquam inutiles, nulliusque momenti rejicit, cùm omnibus aliis quantumvis exiguis cedant, & postponi debeant; sicuti etiam docuit Valesius 7. *contro. cap. ult.* temerarium quippe judicat aliâ quâcumque indicatione existente, ad hanc attendere, sed si nulla alia adfuerit, nullus (ait) committitur error si hoc fiat; & rectè quidem, ubi enim nulla datur necessitas, quò magis hodie, quàm cras evacuatio fiat, nullus etiam erit error, si cras, & non hodie, aut econtrà remedium adhibeatur: qua de causa hujusmodi figmentis levissima fides meritò aut nulla præstanda, cùm à nullo gravi authore scripta sint, nec medicorum experimentis confirmata, sed ab hominibus plerumque indiscretè relata, unde à garrulis forsan, & impostoribus orta ad nos propter levissimam credulitatem deducta sunt: & licèt solstitia, æquinoctia, Plejades, Arcturum, caniculam, & lunæ coitiones aliquatenus excipiat idem *Valesius*, tamen minima hæc esse putat, ut non tantùm omni alii indicanti postponi debeant, sed vel ipso deficiente errorem non committi si observentur, licèt meræ nugæ videantur; iis namque quando in hominum mentibus tam altas radices injecerunt aliquid condonandum, ubi in istis etiam illorum judiciis gratificari nihil convenit, aut ut *Peramatus* ait *lib. de evacuand. rat. cap.* 21. famæ, & nostræ opinionis gratiâ, ne mors, quæ sæpè hominibus multis aliis de causis contingere solet, nobis & huic, licèt absque ratione, imputetur.

27. Hanc choream claudat doctissimus Joan. Heurnius *lib.* 3. *meth. ad prax. cap.* 9. cujus hæc sunt verba: *Inexpugnabilis, & reipublicæ calamitosa quædam imprudentia, nomine ac umbrâ præclaræ scientiæ, hujus ævi medicos ac chirurgos ferè invasit: ut ignavus Accesius nauta, quem cùm navigationis tæderet, lunam infaustam causari solitum ferunt; sic medici quidam ut abdicent morbos, inauspicatos dies lunæ criminantur, dum conclamatum sit de ægri vita. Quin dum ex lunæ variis concursibus, ac syzygiis cum Sole aliisq; erronibus stellis tempus venæ secandæ captant, toto, quod ajunt, cælo aberrant, ac funestam calamitatem sæpissimè hominibus inferunt, cùm neglectâ curandi occasione (quæ acuta & inflexibilis est) tempus actioni opportunum perit, hincq; ex malo curabili insanabile efficiunt, &c.* Plurimi alii afferri poterant, qui similiter astrologicas has ineptias nil pendendas in ægrorum curationibus apertissimè inculcant, & licèt prædictorum aliqui, ubi necessitas nulla urget, aliquid lunæ quadris & conjunctionibus condonandum esse scribant, hoc potius permittunt, quàm rigorosè aut necessariò observari velint, ut vulgo in his, quæ parvi momenti sunt, complaceatur, quando apud ipsum innumeri sunt, qui hoc tanti faciunt. Minimè verò illis assentior, qui rigorosè ita aspectus lunæ, & illius oppositiones cavere præcipiunt, ut inter alios Zacutus *in introitu ad praxim. lib.* 7. & quidam *Dilectus Venetus* supra citat. consulunt, & Fontecha *privileg.* 2. *in fine*: ubi cum astrologis illorum deliria amplectuntur; ut & plurimi alii fecerunt tumultuariam vulgi, & astronomicorum opinionem, & illorum deceptiones sequentes: prudenter enim cæteri ferè omnes loquuntur, dum aiunt: *Malum non erit; Attendi potest; non erit erratum,* & hujusmodi alia, quibus quàm parva & nullius momenti hæc indicatio sit, quæ ex sideribus petitur, & quàm parùm remediis aliis necessariis adhibendis obstare possit, satis ostendunt: & benè quidem cum nec *Hippocrates* aut *Galenus* istius indicationis meminerint; atque ideò illa quæ ab *Hippocrate* affe-

afferuntur *lib. de aëre aquis & locis*, & *de dieta*, multò aliter sunt accipienda: non enim vult astra, Arcturum, Pleiadúmve ortum & occasum ideo attendenda, propter aliquam vim, quam morbis, illorumque causis inferant, aut quòd in eis directè aliquid immutare valeant (nullibi enim ægritudinum causas ad ista astrologorum figmenta retulit) sed illud tantùm voluit ob magnas mutationes, quæ tum temporis in aëre fiunt: quapropter ut medicus caloris aut frigoris, quæ in aëre tunc accidunt, alterationes agnosceret, prævideretque qualisnam annus futurus esset, ac ex temporibus divinare posset, non verò ex nuda siderum apparitione occultationéve illorum ortum & occasum attendi oportere medicis commendavit: etenim temporum partitiones commendârunt, quatenùs ex aëris inæqualitatibus his temporibus mutationes eveniunt, ut 1. *epid. comm.* 1. abundè *Galenus* declarat: nec aliam fuisse *Hippocratis* mentem *lib. de aëre aquis & locis* ex ipso facilè infertur, cùm statim ibidem dicat: *cùm unà cum temporibus ventriculi in hominibus immutentur.* Unde totam illius astrologiam in tempestatum mutationibus à siderum ortu constituisse satis declaravit, non in astrorum aspectibus & configurationibus, ut communiter omnes medici juniores testantur. Hancque & non aliam esse astrologiam, quam *Galenus* & *Hippocrates* in medico commendant, dum Pleiadum, Arcturi, nec non cùm canis, insuper solstitii, & æquinoctii ortum & occasum advertere jubent, nullamque aliam medicis necessariam esse, juniorum medicorum ac doctissimorum potissima pars docet, ut latius apud *Lemosium* videri poterit 5. *method. disp.* 8 Imò non desunt multi nominis medici, qui ipsum *Galenum* sugillant, astrologiæ haudquaquam fuisse peritum, ut ipse *Conciliator* dicere ausus est, quòd malè affirmaverit lunam cum sole in coitu tres dies remorari; quod falsum esse ab ipsa experientia confirmat *Alphraganus*. Rursus & in supputatione dierum mensis medicinalis etiam errâsse ait, lunæ item motum haudquaquam rectè explanatum habuisse volunt, quandoquidem si haberet, ad lunæ motum dies criticos nequaquam retulisset, cum dies critici stabiles sint, atque constantes, lunæ verò motus instabiles & inconstantes, ac modò citius, modò tardius moveantur; sicut signa quæ septimanam constituunt quandoque sex diebus, aliquando septem, aliquando octava die spatium id peragunt.

Ulterius, quòd Ægyptiorum astrologiam susceperit ut verissimam, quam Ptolomæus *lib. apotelesmaton* rejicit, taxat, ac convellit: quod tamen *Galeno* non magnum fuit inconveniens, ut consummatissimus medicus foret. Tamen in illo, & *Hippocrate* hoc minimè culpandum est, cum veram computationem & cælorum motum nullus ante *Ptolomæum* tradiderit, quem *Hippocrates* multis annis antevixit; ille namque Esdræ, & Artaserxis temporibus vixit, *Ptolomæus* verò Antonii temporibus scripsit; & licèt *Galenus* illius coætaneus fuerit, illius forsan scripta nondum viderat, quod adeò certum est, ut *Ptolomæi* nunquam meminerit. Unde patet prædictos insignes medicinæ viros astronomicam scientiam nec rectè calluisse, nec eam tanti fecisse; imò nec astrorum influxus aut oppositiones ad magna præsidia exequenda multum curâsse, cum nobis nusquam hujusmodi indicationes commendaverint, utpote à quibus nil immediatè in terris fiat; nulla enim in terris res est, quæ præter cælum, particularem causam non sortiatur à qua dependeat, potius quàm à causa universali; communes quippe causæ inferiora tantùm conservant, ne à contrariis dissolvantur, quarè indirectè tantùm particularibus agentibus ad agendum suppetias ferunt, & cum particularibus immediatè concurrere nequaquam possunt; undè infertur, quòd cùm influunt, in solam unam corporis partem influere nequeant, quin simul in alias influant, ut docet Delrius *lib.* 1. *disq. magicar. quæst.* 1. Quare maris æstus, & mensium periodicatio, crisesque quæ in morbis contingunt ab aliis causis pendent, non à lunæ motu, in quo tam multi sæpiùs hallucinati sunt; quo fit, ut illorum rationes corruant, qui tantum istis tribuunt, ut latius & solidis argumentis adversùs astrologos, & medicos, qui illorum nugis fidentes, ariolis & sciolis adulantur, prosequitur *Ioan. Carmona* medicus expertissimus, proprio libro *an astrolog. sit med. necessaria*: sæpiùs enim ait, & sanguinem misisse, & purgâsse, lunâ quovis signo cum sole coëunte, vel aspectu opposito, trino, quadrato, aut sextili solem aspiciente; semper tamen cum ægrorum maximo commodo, ut *Langius*, *Mœnardus*, *Cardanus*, *Valeriola*, *Amatus*, *Heurnius*, *Deodatus*, & alii fecisse scribunt, nec exinde ullum emersisse periculum: Omnes quippe non astra sed urinam, non stellarum motus sed pulsum inspicienda esse rectè admonent; remota enim sunt illa operosa nimis & infructuosa, & quæ nil conducunt; quare te-

merarius non solum sed impius judicandus erit medicus, qui iis vel levissimam fidem adhibeat, & imaginarios angulos, aspectus, & conformationes fingens, de morbis, quo pacto curandi, judicandi, terminandique sint, judicium proferat; quæ omnia ut mera delirantium somnia refellit Conrardus Vuipinus *lib.* 3. *de superst. cap.* 8. *&* 9. Astrorum enim tanta vis non est, ut naturalem cursum impediant, vel materiam in dispositionem adaptent.

Valeant igitur (ut cum *Langio* loquar *tom.* 2. *epist.* 60.) astrologi cum suis lunæ quadraturis, & reliquis ad astra applicationibus, in quibus ad venæ sectionem, & pharmacorum usum dies æquè faustos præscribunt, quos ex lunæ cum reliquis astrorum configurationibus, magno mortalium exitio seligunt, cùm ex morbi temporibus, digestione, & viribus metiri potius deberent, & ex ipsa humoris in corpore, aut abundantis, aut sævientis proprietate. *Conciliatori* interim hæc relinquamus, qui hæc non solum, sed ingenti vesaniâ percitus, ex Astrorum positionibus & certis viribus à Deo, & ab hominibus quod petitur adipisci posse, turpiter scripsit: tantis enim astrologicis scatuit erroribus, & illius vanitatibus credidit, ut meritò illius opera eliminanda forent; quo factum est, ut *Campegii* doctissimi Galliæ Medici censura in ipsum adverteret, & castigationes à Medicis omnibus legendas adjungeret, quo unusquisque sibi caveat, ne tam horrendis superstitionibus aures præstet, quemadmodum cæteris mathematizantium fabulis facere debemus: de quibus jam audiendus *D. Basilius* in hex. *Ridiculum esse*, ait, *Astrologis contradicere, cùm illorum dicta sint omnia ignorantiæ, & impietatis plena*, & D. Bonaventura p. 1. cenal. *Ea quæ per astra procurantur, dæmonum illusiones atque deceptionem esse.* Propterea Mindererus *in Threnod. med. cap.* 17. non citrà lachrymas hanc medicorum inscitiam lamentatur, Medicinæ personam agens, quæ justè & meritò luget, se liberam & immunem quibusdam astrologicis mathematicisque nexibus insontem detineri; ubi per otium circà hanc rem adversus circulatores, & nugivendulos multa quis videre poterit. Hæc arbitror medicis sufficient, ut illi qui ante hac in tanto errore versati sunt, jam resipiscant, quod facere minimè illis erubescendum, quandoquidem *Marcil. Ficinus*, qui integro libro *de vita cælitus comparanda*, multa hujusmodi ex astrologiæ methodo ad curandos morbos edocuit, agnitâ tandem veritate pallinodiam *Angelo Politiano*, & *Pico Mirandulano* canens, ingenuè fatetur, illas astrologorum observationes se congessisse, non ut eas approbaret, sed potius ut cum *Plotino* gravissimo Platonis interprete derideret; atque ambobus gratulatur, quòd superstitionum, vanitatumque astrologica portenta tam argutè sancteque confutaverint, & quòd contra astrologos, qui Jovi cælum eripere frustra gigantum more conarentur, hic ut Palladis alumnus, ille verò ut alter Hercules, egregiè decertaverint. Finiamus igitur cum Peramato *cap.* 21. *de evacuandi rat.* qui rectè nos admonet, quòd præsentibus sanguinis mittendi scopis, universo etiam cælo reclamante, contrà astrologorum placita sanguis sit detrahendus, & expurgandi medicamento utendum.

33.

Problemata aliquot dissolvuntur, curiosa & jucunda.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA.

Ex doctis, & prudentibus viris orti filii unde accidat quòd minus sapere videantur, sæpiusque à parentibus judicio & sapientiâ valdè distent; imò fatuitatis, & ignorantiæ non raro notentur?

1. PRo studiosis, & penitiora naturæ altiùs perscrutantibus libet problema discutere non sanè injucundum, quod à multis licèt inquisitum jam, à nullo tamen, quod sciam, longiori discursu, & acutiori vomere penitùs exaratum. Omnium primus illud insinuavit Aristoteles *lib. Rhetor.* ubi ait interdum generosa ingenia degenerare, &

& ex sapientibus filios oriri furiosos. Aphurd. 4. *probl.* 27. & 1. *probl.* 28. ex professo causam quærit, quarè ex prudentibus filii nascantur indocti: à quo deinde medici alii acceperunt, & passim apud aliquos (licèt obiter) istius eventûs causa inquiritur. Quòd autem hoc verum sit, in aliquibus saltem, experientia non rarò ostendit, & non paucos, qui à claris & sapientibus viris geniti sunt, ab ipsis & à paterna indole multùm degenerasse compertum est; adeò ut rectè illud adagium quadrare videatur, *herous filii noxæ.* Quod multis experientiis ita innotuit, ut *Ælius Spartianus* usu edoctus confirmaverit, neminem propè magnorum virorum optimum, & utilem reliquisse filium; aut enim sine liberis plurimi magni viri interierunt, aut tales habuerunt, ut meliùs fuerit sine posteritate decessisse: quod infortunium haud evadens. Augustus in Agrippa nepote, & utraque Julia filia satis expertus est, quam sortem ingemiscens proclamare aliquando solebat: *O utinam, aut cælebs mansissem, aut prole carerem!* nec aliter eos appellare solitus erat, quàm tres vomicas, aut tria carcinomata sua. Econtrà verò, ab stolidis, & rudioribus hominibus ingeniosos & prudentes evasisse non rarò observatum; pro ipsis ratum fuit exemplum in *Seneca*, cujus pater philosophiam odio habuit, ut idem narrat *epist.* 108. Pericles ex scelesta prodiit domo tantus Atheniensium Imperator, ac eloquentiæ magnitudine Jovi, Diisque cognomento æquatus. Hinc *Homerum* ita canentem legimus:

Sæpè ex malo patre nasci filium virtutum claritate præstantem.

2. *[...] pravis [...]rentibus [...] indoctis [...]mi filii [...]*

De primis multi adduci poterant, qui à celeberrimis parentibus orti, ingenio & moribus satis dissimiles adnotati sunt. Aristophanes *in Pluto* Hippocratis filios introducit, quorum fatuitas jam in paræmiam abierat:

3.

Hippocratis filios exhibes, teq; vocant fatuum.

& iterùm *in Nubibus*:

Hippocratis Prolibus locum dabis.

Hinc Suidas: *Hippocratis filiis similis eris, teq; vocant blitomanniam*; deridebantur quippe, (ut ipse ait) tanquam Suilli, indocti, & Capitones; quod etiam adnotavit Rhodiginus *lib.* 25. *cap.* 26 & Galenus *lib. quòd animi mores cap.* 4. quarè Eupolis *in Demis*, eos appellabat subditos, & balantes filios, minimeque moribus commodis; longè enim à paterna virtute & judicio abfuisse videbantur, quod in plurimis aliis adnotatum est. Sic in Ciceronis, Marii, Catonis, aliorumque magnorum virorum filiis contigisse authores tradunt, quod & in Commodo M. Aurelii Ant. philosophi filio satis innotuit, qui optimi ac sapientissimi parentis filius, à paterna doctrina & virtute planè degeneravit. De Alcibiade quoque aliquid simile traditur: & Socratem turpes non minus, ac stupidos habuisse filios legimus apud Rhodiginum *lib.* 28. *cap.* 21. quorum sortem mitiùs ac prudenter ferebat. Fallit profectò, fallit frequenter adoptio, fallit nativitas. Sensit illud Augustus in Tiberio, in Nerone Claudius. De hoc verò multa in Sacris Literis exempla: luxit in Caino Adam, Noëmus in Chamo, Isaac in Esau, Samuel in Joële, David in Absalone, Salamon in Roboam, Ezechias in Manasse; & ne profana requiras, prævidit in Parelo Pericles, Aristides in Lysimacho, Phocion in Phoca, Aristharcus in Aristagora, Chabrias in Ctesippo, Charus in Carino; ne denique recentiora expectes, expertus est Casimirus in Boleslao: Carolus VII. in Ludovico. Quintus Fab. Max. Quinti Fabii Allobrogici Imp. clarissimi filius perditissimæ luxuriæ extitit vir, adeò ut tanquam à patre degenerem ab illius hæreditate publicâ secluserit severitas, cujus ipse se virtutibus exhæredârat. Germanicum, non Romanus tantùm populus, sed Barbari quoque ceu communem parentem à morte prosecuti sunt; ac Caligulam ob scelera ne publicâ quidem sepulturâ dignatus est quispiam. Quid de tribus Constantini Magni filiis dicam, nisi tantum à paterna indole in omni genere laudis, atque officii recessisse, quantum ille superiores Principes omnes animi magnitudine superârat? Quid de Joanne Galeatio, Franc. Sfortiæ ducis Mediol. filio? fuit Franciscus in omni virtutis genere Christianos inter Principes facilè princeps: at Joannes vitiorum studio omnium fermè mortalium abjectissimus: sic habuit omnis ætas, omnis ordo, omne studium degeneres à parentibus filios, qui virtutibus nudi, solis se majorum meritis induere, & fumosarum etiam imaginum, quibus oppidò splendebant, præter colorem habuerunt nihil.

4. *[...]iliorum [...]ui à cla[...]ssimis pa[...]rentibus [...]generarunt exempla [...]ulta.*

Sed in meorum Medicorum gratiam illud non prætereundum, magni *Hippocratis* nostri Coi medicinæ principis, fatuos istos qui dicuntur haudquaquam filios fuisse, ut in-

inadvertenter malè putavit Cardanus *in proœm. com. ad Aphor.* sed potius cujuspiam alterius: quinque enim ejusdem nominis, & professionis, nempè medicos extitisse idem testatur *Suidas*; imò de multis aliis viris, qui *Hippocratis* nomine dicebantur, *com. in jus jurandum* scribit *Meibomius*, inter quos fortassis aliquis alius tales habuit filios, stolidos, desides, & à parentis judicio & sapientiâ valdè degeneres; quod clariùs adhuc constat, quia horum nomina tradunt fuisse *Thelesippum*, *Demophontem*, & *Periclem*, prout Aristophanis Scholiastes illos nominat, quæ nomina ab *Hippocratis* Coi filiis valdè sunt aliena; constat siquidem *Hippocratem* nostrum nullos alios habuisse, nisi *Thessalum* & *Draconem*, qui doctissimi, & in arte medica præstantissimi fuerunt, ut patet ex ipsius Thessali *oratione ad Athenienses*, ut latiùs *quæst.* 4. jam adnotavi: fuit quippe Thessalus Archelao Macedonum Regi inprimis familiaris maximè, prout in eadem oratione refert idem: *Cum Regibus enim Heraclidarum, qui istuc Imperium obtinerent, paterna nobis intercedit amicitia.* Deinde ambo cum Polybio ipsius *Hippocratis* Coi ex altera filia genero, à patre per universam Græciam, & Macedoniam missi sunt ad sævissimam curandam pestilentiam, ubi mira gesserunt opera; & inter magni *Hippocratis* scripta illorum multa inveniuntur non contemnenda; unde evidentissimè constat alterius, non nostri *Hippocratis*, bardos illos, & ad paræmiam usque fatuos, & capitones filios fuisse, & præ calore ameutes, ut *lib. quod anim. mor. cap.* 4. scribit *Galenus*, qui à paterna indole degenerârunt; ut in plurimis aliis sæpius visum est, qui à sapientissimis parentibus, & viris clarissimis orti: prorsus dissimiles evaserunt, atque ingeniis, sapientiæque studio, aut animi magnitudine multò inferiores. Nec enim oporteret plura, quàm jam adducta exempla quærere, cùm propterea istius eventûs causa jam dudum à plurimis conquisita fuerit, & investigata, ex eo tantùm quòd in aliquibus hujusmodi conspicuam sobolis differentiam accidere observaverint, ut præter jam dictos in Attici Herodis filio visum est, cujus pater literarum gloriâ longè clarissimus, in filio tamen congenita adeò fuit hebetudo, ut universam sui sæculi sapientiam fatigaverit, nec tanto labore vel prima tantùm literarum elementa perdiscere, aut impetrare potuerit.

6. Tandem non solùm circa animi mores, & mentis judicium hoc contingit, sed circa alias etiam corporis affectiones, ut nuperrimè adnotavit Joann. Petr. Lotichius *lib.* 4. *observ.* 1. in juvene quodam famosi cujusdam helluonis, & potatoris insignis filio, qui tamen valdè sobrius nec vinum nec cervisiam unquam gustare voluit, aut poterat. Novi etiam ego nobilem quemdam insigniter avarum & prædivitem, cujus tamen filius ad prodigium usque, non liberalis modò, sed summè prodigus erat. Tales quippe animi affectus & passiones circà alia multa adversim inter parentes & filios non raró à quàm plurimis animadversi sunt, ut de Vespasiano narratur, quem auri fames usque adeò adegit, ut Vectigal ex spurcissimo urinæ excremento comparare non dubitaverit, à filio propterea reprehensus, qui turpissimum hujusmodi lucrum penitus execrabatur, & aversabatur: imò *Similit. Author* hoc latiùs extendit, cùm ait: *ut à sapientissimis parentibus stultissimi plerumq; nascuntur filii, ita à doctissimis præceptoribus indocti discipuli, à probis educatoribus alumni improbi; nam illinc corporis est propagatio, hinc animorum*; ut in Seneca, & Nerone clarissimè visum est. Quomodocunque sit, quòd non admodum raró accidat, jam ferè in proverbium abiit, quod sapientum filii ruditatis notentur & inscitiæ: quare hujus eventûs causa à multis conquisita est, quorum opiniones ego tibi monstrabo, ut pro arbitrio congruentiorem quis eligere possit, & amplecti.

1. *Opinio Agrippæ.* Agrippa *lib. de nobilitate fœminei sexûs*, sapientes ait stolidos, rudes verò prudentes aliquando filios generare; quod non aliundé evenire putat, nisi à materna commistione, nam cùm filii à matribus plus accipiant, quàm à patribus, & plurimam materiæ partem, cùm ab illarum sanguine procreentur, & alantur; hinc evenire putat, quòd à prudenti, aut stupida matre tanta hæc differentia suboriatur. Verum licèt hoc aliquid conferre posse videatur, tamen non semper verum haberi debet, cùm ipsa experientia aliquando contrarium ostendat, & ex ignavissimis utrisque parentibus, ingeniosissimos filios prodiisse visum sit: quare aliæ istius eventûs causæ quærendæ sunt, quæ congruentiores videantur, & indagandi studio sedulò inquirentibus melius satisfaciant.

Car-

Cardanus *lib.* 8. *de rerum variet. cap.* 40. *post medium*, dum rerum humanarum vicissitudinem perpendit, quæ perpetuo motu crescunt, & sponte decidunt: naturam, inquit, hoc pacto non solùm secundùm Regiones, Regna, Imperia, sed in gentibus & genere, quæ successu temporum quasi meliùs mixta crescant perficiantur, ac tandem enerventur ac deficiant, ut cùm ad summum pervenerint, rursus decidant: propterea, ait, sapientum filios ignavos esse, quia cùm jam mixtio ad summum subtilitatis pervenerit, initium suum iterum repetat, atque ideo talium hominum filios corpore infirmos esse, ac per consequens animâ etiam parum valere, cùm corporis temperaturam ipsa sequatur, ut proprio lib. *Galenus* docuit: quæ *Cardani* sententia videtur confirmari ex *Boëtio*, qui canit:

> *Repetunt proprios cuncta recursus,*
> *Redituq́; suo singula gaudent:*
> *Nec manet ulli traditus ordo,*
> *Nisi quòd fini junxerit ortum*
> *Stabilemq́; sui fecerit orbem.*

Joach. Camerarius *Decuria* 1. *probl.* 5. cùm ob parentum virtutem, utia in sobole magis eminere dixisset, hinc credit hoc in causa esse, ut filiorum minus elata animi & ingenii vis adnotetur, ipsa enim quæ in parentibus effulsit claritas, parum licèt obscuros liberorum mores latere non sinit: uti enim juvant hebetem visum tenebræ, sic lux ipsa perstringit: ita multos singularis patrum gloria inglorios reddidit; claruerunt aliqui suis virtutibus, sed non illustribus adeò, ut clarioribus compositæ vinci non possent, aut hebescere. Non deficit sua candelæ, non deficit stellis, non deficit lunæ claritas; sed tamen eam mox illustrior solis splendor obscurat: ac proinde claritas ipsa etiam lumini tenebras offundit: sic in homine. Tandem tamen ante dictam *Cardani* opinionem sequitur, adornat, & exemplis illustrat, hocque accidere ait naturali quâdam in terris rerum omnium quasi fluxione, cùm nil eodem modo semper permaneat: moventur, currunt, volant, vagantur ac rotantur cuncta, mutatio autem semper fit in contraria. Potentia & superbia in humilitatem & inopiam convertuntur, vires in imbecillitatem, nobilitas atque dignitas & splendor in obscuritatem, dedecus, ignominiam; atque similiter de cæteris quærentes, ita se habere reperiemus; non aliter atque juventam in senectutem, pulchritudinem ac venustatem in deformitatem atque turpitudinem, & habitum corporis præclarum in pravum mutari necesse est: & in ingeniis, & consiliis, actionibusque quædam talium eventuum latentes se causæ ostendunt: Cyrus major urgens fortunam, & fretus felicitate, nec Crœsi casu admonitus, in suum se exitium præcipitavit, si vera narrantur ab *Herodoto*. Pausanias Lacedæmonum Rex, qui Persas devicerat, scelere etiam conceptæ proditionis se alligavit. Quid Aiax? nónne fabulæ tradunt impiæ audaciæ eum pœnas dedisse? idem Achillem, atque hujus filium Neoptolemum, vel sceleris conatus, vel temeritatis impulsus evertit: Pompeium fiducia potentiæ, Cæsarem adversariorum contemptus perdiderunt: est in omnibus evidens vis quædam divinæ animadversionis, quæ refutat atque dejicit elata & eximia, cui ipsius naturæ ordo inservit. Hoc præter *Mantuanum*, eleganter cecinit *Prudentius*:

> *Desine grande loqui: frangit Deus omne superbum:*
> *Magna cadunt: inflata crepant: tumefacta premuntur.*

Ex his vaticinationibus prædicuntur sæpè eventa, & cum in lucem prodierit aliquis, notantur ea, quæ accidere nato debeant. Hinc commonentur omnes, ut sapienter rebus prosperis

> *Contrahant vento nimium secundo turgida vela.*

Ut ait *Horatius*; incidit enim fortunæ ac naturæ cursus in quasdam fatales mutationes, quæ temporibus suis accidere consueverunt, quarum pleraque sunt inexplicabilia, sed calamitosæ plerumque.

Cæterum licèt hoc in natura, & in omnibus ferè humanis rebus ita accidat, tamen in particulari de qua agimus, hæc opinio non omnino satisfacit, quia per causam communem particularis effectus causam tradit, & commune facit illud, quod particulare est, cùm si ita esset, in omnibus, generationis continuatione & successu, ita accidere deberet, ita ut paulatim filii ad summum illum intellectûs & perfectionis gradum ascenderent, & rursus decrescerent, atque imminuerentur, non subito; quæ quidem mutabilitas non ita conspicua, nec notatu digna foret, ut in sdocto parente,

rente, & ignavo filio repentè contingit; est quippe naturæ velut lex & ordo, ut ad extrema non nisi per medium transeat, si ab aliis causis non movetur, aut impeditur. Quare alia hujus eventûs quærenda est, quæ sic habet.

4. Et receptior opinio

Nascuntur plerumque filii parentibus similes, etiam in externa effigie, cujus similitudinis causam tradere modò prætermittimus: sed præter externam illam similitudinem similes etiam majori ex parte evadunt animo, & moribus, ita ut à patre bono, miti, misericordi, justo, temperato, filius nascatur bonus, mitis, misericors, justus, temperatus, & econtra: ad quod respiciens Horat. *lib.* 4. *carm. ode* 4. perbellè hoc cecinit:

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et quamvis plerumque sic eveniat, contrario modo aliquando accidere protulit Homerus *Odiss. lib.* 2.

Pauci enim filii assimilantur patri,
Plures pejores, pauci autem patre meliores.

Sed circa mentis constantiam quod nobis propositum est, & animi virtutes, deteriores, & aliquando pessimi animadversi sunt, cujus causam investigamus.

Certum igitur est animi mores, & intellectûs efficaciam à corporis temperie, & cerebri potissimum dependere, ita ut qui illam optimam sortitus fuerit, absque dubio prudens evadet; è contrà verò ille, qui intemperatam, & præsertim frigidiorem habuerit crasim. Est enim calor actionum omnium, tam externarum, quàm internarum præcipuus agens, non qualiscumque, sed temperie & aliarum qualitatum mixtione ita moderatus, ut pro uniuscujusque partis requisito temperamento debita proportio & temperies resultet: quod sanè temperamentum, si in corpore & in cerebro resultet, cum aliqua substantiæ illius tenuitate, tunc prudentem hominem ac ingeniosum esse contingit, ut quæst. 73. latiùs scripsimus; sed cùm hæc omnia ex generationis principiis dependeant, potissimumque illius agens semen parentis existat, hinc evenit, ut si validum, ac in testibus benè coctum, prolificum, atque spiritibus turgidum fuerit; filius, qui ex illo generatur, non solùm sanus evadet, & robustus, sed actiones quoque internorum sensuum perfectas obtinebit: è contra verò, qui ex debili principio, intemperato, spiritibus destituto, ac minus valido conflati sunt, corpore & animo imbecilles fiunt, torpidi, ac ignavi.

8.

Hinc igitur patere arbitror causam, ob quam optimi parentes pravos filios & insipientes generent: est quippe eruditio pastus ingenii, quô dum parentes saginantur, corpus infirmum redditur, operaque omnia, quæ naturaliter in corpore moliuntur, quodammodo imperfecta sunt; nam cùm illi mentem diversis cogitationibus ac profundis assiduè occupent, cùm aut Principum negotiis, aut belli consiliis, aut literarum arduis difficultatibus continuò incumbant, imaginatione ad ea quæ frequentur meditantur occurrendo, spiritus & calorem à testibus & semine avertunt, & retrahunt: quippe cùm actio illa venerea ad concupiscibilem animæ partem spectet, imaginatio verò ad partem principem, una ab altera impeditur, spiritusque ex unius actûs celebratione, ab aliis distrahitur: & cum omnis actio quæcumque sit spiritibus egeat, & potissimum venerea, evenit ut ipsis deficientibus, actio omnis vel corruat, vel imperfectum opus resultet; & cum hominis imaginatio assiduè, & in coitu etiam, transcurrat, & ad ea quæ absentia sunt transvolet, inde *Aristoteles* causam dissimilitudinis filiorum ad parentes deducere conatur, cum hominem vario, vagoque plurimum animo in coitu esse asseruit *sect.* 10. *probl.* 12. Multò hoc potissimum in prudentibus & doctis locum habet, qui semper aliquid vel honesti, vel utilis complectuntur animo, unde minus ingenuos, sed fatuos filios procreant: ècontrario stultiores, qui cum concumbunt totos libidini se dederunt, animo penitus in corporis concreationem demerso, reique tantum venereæ adstricto, vires optimas tum rationales tum naturales semen adeptum profluit, creatque proinde hominem prudentiorem, ut *lib.* 1. *probl.* 28. docuit *Aphordus*: cujus opinionem sequitur *Sepialius* ad citat. Aristotelis *probl.* 12. *sect.* 10. Itaque nec ipso quidem venereo congressu, omnino à rerum studio, & contemplatione desistunt prudentes, à quibus cerebrum debile redditur, quo fit ut plerumque tales minus salaces, minusque fervidi sint, & qui

9. Filii sapientum, & insignium virorum quare degeneres.

10.

Rudes quare prudentes generent filios.

10.

qui non magnoperè hanc monomachiam ardentius expetant, imo detrectent potius, & velut inviti accedant, tantummodo ut uxoribus gratificentur, easque pacatiores experiantur sicq; ad concubitûs debitum solvendum magis videntur accedere, quàm avidè expetere: sapientes enim, ut fertur, coëunt ne coëant, quo fit ut fœtus à non ita elaborato, valenti, & spirituum copiâ prolifico semine genitus, à parentum insita generositate & mentis integritate desciscat, ac degeneret, cùm ipsi hujusmodi voluptatibus non magnoperè afficiantur: plurimum enim refert, ardentiúsne, an remitiùs, ac velut invitè in rem veneream incumbere, in quam cùm rudiores, & mentis gravibus occupationibus minimè distracti ardentiùs irruant, magis sic incalescentes affatim, & cumulatè conferunt, unde evenit, ut eorum liberi parentum mores, studia, animique motus rectiùs exprimant, ac totum progenitorem probè repræsentent, & aliquando ob satis excoctam seminis perfectionem, ex quo efformati sunt, parentes ingenio & artibus superent, præsertim si exculti fuerint. Sic sæpius ex infima & rudiori plebecula magni viri, acerrimi philosophi, & insignes belli duces prodierunt, quorum multa exempla conjecit *Maximus, Fulgosius*, & alii. Hoc modo jubebat Plato 6. *de legibus*, quòd liberorum generationi operam dantes, imaginatione ad opus se convertant.

Igitur qui optimæ, & similis prolis desiderio tenentur, non secùs ac bruta, totos se Veneri tradere debent, & illius illecebris cum uxoribus attentos esse necesse est, alioquin si aliter imaginationem occupatam habeant, vel conceptus impedietur, vel proposito optimæ prolis fine minimè potientur. Hinc Lemnius 4. *de occultis naturæ mirac. cap.* 3. causam deducit, quare filii naturales, aut etiam quos spurios vocamus, extra legitimum ac connubiale torum procreati, animo conspiciantur non raró sublimi & excelso, erectiores, ac magnis dotibus exculti: illamque esse ait, quòd omnia largè, atque effusè ex paternis lumbis, ac visceribus sunt consecuti, nec in furtivo illo, ac clandestino concubitu parcè aut tenuiter, sed affluenter naturæ munera istis infusa sunt. Cùm enim uterque avidè se explere libidine gestiat, prodigaliter in amplexus & oscula proruunt, totisque viribus, ac profusè in propaganda sobole incumbunt, quo fit ut omnia, quæ ad conceptum necessaria sunt, cumulatè perficiantur, unde nati parentum indolem exprimunt, ex qua vi etiam emergit alacritas, mentisque erectio generosa; ut latiùs citatus author prosequitur. Nec obstat quòd spurii ab aliis notentur, tanquam pravis moribus plerumque sint dotati, quâ ratione à multis nationibus, & præsertim à Germanis in vili pretio habentur, qui ad publica munia eos admittere nolunt; Pericles enim apud Athenienses primus author fuit, ut qui ex non legitimo conjugio nati essent, vel turpi notâ affecti forent, in civium non haberentur numero, sed externorum: ajunt quippe tales sic evadere, quia à parentibus animo malè affectis concipiantur: tamen hoc non semper verum est, & tantùm in illis accidit, qui educationis subsidio destituuntur; alios verò, qui parentum diligenti educatione instruuntur, optimos evadere certum est; quare apud Ægyptios adhuc ex serva geniti non habebantur illegitimi, quia solum patrem ingenuitatem & genus præstare, matrem verò natalibus nil conferre putabant, ut *lib.* 4. *cap.* 22. tradit Alex. ab Alexandro.

[margin:] ...lii, qui ...turales ...cuntur, ...tare ani- ... sint e- ...ctiores.

13.

14.

Itaque quemadmodum mutuus amor intentusque ad rem veneream animus, & nullo pacto perpedita distractaque cogitatio, non solùm conceptionem adjuvat, sed & similitudinem ex omni parte effingit, ac denique in omnibus fœtum parentibus similem facit; ita offensiones ad sterilitatem, & ut filii degeneres evadant, non leviter conferunt, quemadmodum mæstitia, timor, aut verecundia, aliæque animi passiones & affectus, quæ omnia in causa sunt, ut spiritus vitales, atque influens calor ad testes non accurrant, in quibus prolifici seminis ratio præcipuè sita est. Unde Plutarchus 2. *de tarda numin. vind.* plurimis argumentis & exemplis concludit, marem & fœminam ad prolem concurrentes, omnium animi perturbationum, quantum fieri possit, debere esse immunes; quod adeò verum est, ut propterea nonnulli, cùm maximo coëundi tenerentur desiderio, præter spem ne minimum datâ occasione arrigere potuerint; quod ad animi affectiones tribuit Jachinus *probl.* 22. & latiùs explicat Sinibaldus *lib.* 3. *geneanthro. tract.* 3. *c.* 9. Et cùm coitûs tempore tantum officiant animi affectus, obstent, & interturbent, quanto potius illis nocumento erunt, qui omni tempore, nunquam quietum animum, & à cogitationibus liberum gerunt, ut prudentibus, & doctis hominibus accidit qui semper honesti aliquid, utilis, & magni momenti complectuntur animo, & in assiduis cogitationibus mentem occupant, ut nec in ipso coeundi actu ab illis otientur; quo fit ut cerebrum assiduo

15.

contemplandi labore enervetur, & spirituum maxima copia consumatur, ac semen, ipsis deficientibus, minus prolificum reddatur, unde materia pro fœtûs generatione minus apta & debilis evadat, & proles, quæ ex ea generatur, animi & corporis virtutibus minus valeat, ac quodammodo effeta resultet: & hanc esse istius effectûs causam verissimam tenent ex medicis Mercurialis, & Massaria *cap. de sterilitate*, Levinus Lemnius *lib. 1. de occultis nat. miraculis cap. 4.* Rod. à Castro 3. *de nat. mulieb. cap. 4.* Paulus Zachias *in quæst. med. legal. lib. 1. tit. 4. quæst. 3* quam eandem etiam insinuant Petrarcha *dialog. de orig. generosa*, Petrus Crinitus *lib. 21. de honesta discipl. cap. 9. & alii.*

Quòd si præter dicta, alia ratio in parentum & liberorum contrariis his animi dotibus, & affectionibus excogitari potest, eam esse putamus educationis defectum, & morosam quandam negligentiam, quâ in filiorum disciplina & eruditione utuntur parentes, nullâ adhibitâ reprehensione & curâ, ut illos à pravis moribus avertant, & ad illa quæ optima sunt urgeant & compellant; & cùm humanæ fragilitatis tam misera sit conditio, ut promptissimè in deterius labatur, & post vitia ac delitias, quibus mens obruitur, facilè ruat, fit ut ad illa, quæ optima sunt, animum non intendant; cùm enim depravatis moribus toti se dederint, & velut habitudinem quandam cum illis contraxerint, à parentibus licèt tunc commonefiant & reprehendantur, nil in illis objurgationes & documenta proficiunt, imò adversùs monita reluctantur, & præceptorum inobedientes ad consueta velut obstinatè transeunt, animusque à depravatis passionibus victus, impetu quodam irrationali ad illa non solùm fertur, sed difficulter resipiscit; quare contra illud quod optimum est pergere conantur, unde in propriis acquisitis jam affectionibus, & in inertia sua persistunt; hinc ignavi imposterum permanent, & indociles.

Itaque licèt vulgò sic dicatur & credatur, verissimum illud est, liberos tam intelligentum, quàm insipientium interdum suis procreatoribus similes, interdum dissimiles esse consuevisse. Nam si ignobile & pravum continuò in pejus procederet, tandem ita tota vita obruta vitiis, ad nihilum redigeretur; quamobrem aliquando sapientes, & insipientes liberi etiam generantur tam à sapientibus, quàm ab insipientibus, ut *in Elect.* dicebat *Euripides*, sicuti boni à malis, & mali à bonis: natum autem in promiscua multitudine, ad virtutem tanquam alienam ab omnibus magis refertur, quoniam in admiratione ceu rarum, & inusitatum est: in paucis verò (qui dicuntur boni, & honesti, virtutis studiosi, & æquitatis amantes viri) eadem ratio est vitii, & improbitatis, quæ ut inconsentanea aversari in illis hominibus solent. Nihilo igitur minus sapientibus insipientes procreant tales, quales ipsi sunt, & sapientes similiter potius quàm insipientes; contraria verò opinio non sinit id quod consentaneum est perspicere in tanta præsertim sapientum paucitate, & turba insipientum, quæ semper major fuit, & durare debet quoad humana ratio potest comminisci.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA-SEPTIMA.

Cornuti quare dicantur apud vulgus illi, quorum uxores aliis corpus invulgant?

QUoniam igitur in filiorum, qui spurii dicuntur, quæstione præteritâ mentionem incidimus, aliud jam nobis sese offert problema à medicis auscultationibus licèt alienum, tamen politicarum rerum indagatoribus haud injucundum. Consuetudo & mos apud omnes ferè mundi nationes invaluit, ut infelices, ac miseri conjuges, qui sorte quâdam infortunatâ salaces quasdam ac insignis protervіæ uxores obtinuerunt, quæ omni postposito Dei timore, & conjugalis tori fidelitate oblitâ, alios præter proprium virum admittunt, illisque prostrant, Cornutorum nomine indigitentur cum fatali infamiæ nota; tanta enim in despicatissimo hoc nomine infertur, ut & inertem, projectique animi qualemcumque, etiam vilissimum, ad iram & vindictam provocet; quod non solùm apud Europæos commune est, sed apud Gentiles quoque in magno dedecore & opprobrio haberi *Hugo*

Lint-

Lintschotanus testatur, qui refert in Goa insula animalium cornua à loco ubi mactantur longiùs abjici, quòd Indis illis haud exigua contumelia sit, si alicui cornu vel tantùm ostendatur, aut ædibus objiciatur; ita ut hujusmodi aliquid facientibus à magistratu gravis pœna constituta sit: cujus etiam nostri jurisconsulti minimè sunt obliti; statuunt quippe eum, qui alterius domui cornua apposuerit vel affixerit, perinde puniri debere, ac si libellum famosum composuisset, ut post Tiberium Decianum *in pract. crimin. lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 53, tradit Prosp. Farinacius *p.* 3. *operum criminal. quæst.* 105. *nu.* 468. Ob hanc itaque ignominiam Indis tantoperè contumeliosam scribit Pancirolus *lib.* 2. *memorab. tit.* 1. Indicas mulieres nucleis cujusdam herbæ *Dutroa* nomine cum orisa propinatis maritos infatuare, ac omnem sensum, stulto risu tantùm manente, adimere; quibus sic demùm soporatis, adulteris commodum ingrediendi, & congrediendi locum præstant; hinc ait apud ipsos Indos & Lusitanos tam horrenda esse cornua, & cornutorum ingentem numerum. Verùm de Indis hoc exploratum non habeo, de Lusitanis verò admodùm protervè illud excogitavit, quorum fœminarum pudicitiam nunquam novit, cum honestissimis omnibus meritò æquiparandam, ne dicam continentiâ, modestiâ, verecundiâ & castitate, omnes alias superare: de quarum conjugali amore, sic quidam,

> *Non amat ornatum, sed opes Lusitanus Eoas,*
> *Mutatisq; domum mercibus indè redit.*
> *Hîc fruitur partis, placidoq; indulget amori,*
> *Plus hic divitias diligit, illa virum.*

2. Apud Cavai & Cuevæ regiones aliâ Indorum parte, hirci & capri nomen honestum & pulchrum haberi notat Aldrovandus *cap. de hirco.* Tali quippe epitheto illos laudare solent, qui fortiter & strenuè in bello se gesserunt, quos magnifacientes, hircorum appellatione extollunt; quod non citra rationem facere videntur, cùm notissimum sit cornu nomen in sacris & profanis literis fortitudinem animique vigorem significare, & in pugnam, prælium minantem, ut Horatius *in Epod.*

[Margin: ...rnu no... ...e for... ...dinem ...nificari.]

> *Namque in malos acerrimus parata tollo cornua.*

Ovidius *de ebrietate.*

> *Iam feror in pugnas, & nondum cornua sumpsi.*

A pecoribus sumptum, quæ cornibus oppositis minantur. Sed illud primùm notissimum est, infamisque ignominia, quàm ut qui tale discrimen, ac sortem infelicem subeunt, vitare possint, sic ad illos *Ioan. Ouven.* Britannicus poëta celeberrimus.

[Margin: 3. ...rnuti ...are di... ...atur in... ...ces ma... ...i.]

> *Audi, cerne, tace, cui publica contigit uxor,*
> *Hæc tria præcipuè verba notanda tibi.*

Quæ tamen origo & causa fuerit ut fœdo hoc dicterio apud omnes hujusmodi infelices mariti notentur, non facilè est invenire; aliquas, quas apud varios authores inveni referam, quivis an rectior aliqua convenientiorque videatur judicare poterit. *Parladorus* juris consultus (ut ab illis incipiamus) ex ipso nomine & etymologia causam deducit, *Cornutus* quasi nudus corde, & excordis sit, qui talia patitur, ac fert. Hispanicè adhuc melius exprimi videtur, qui vulgò *Cornudo* appellant, id est cornua habentem, quæ vox ex *cor,* & *nudo*, videtur componi, quasi nudus corde. Non placet *Parladori* etymologica deductio, tum quia non solùm illi, qui patienter hoc ferunt, sed alii quoque, qui infamiæ suæ nullam habent notitiam communiter sic subsanantur: tum quia hæc ignominiandi forma à cornubus, non à corde derivata est, ideoque taurorum, cervorum, & frequentissimè hircorum, aliorumque cornutorum animalium appellatione fœdantur, & irridentur hujusmodi mariti.

[Margin: 4. Opinio ...rladori.]

Cælius Rhodiginus author sanè celeberrimus, & in abstrusis multis indagandis acerrimi judicii vir, & cui studiosorum ingenia plurimum debent, *lib.* 23. *cap.* 26. *lect. antiquar.* aliter respondet: nimirum, quòd animalium omnium soli hirci sui generis fœmellas, ipsis intuentibus, ab aliis iniri facilè concoquant, omninoque (quod dicunt) susque deque ferant, nec decertaturi in prælia consurgant ad corollos, quod *Æliani* authoritate confirmat, qui de hircis hoc protulit; ad quod etiam videtur respexisse *Theocritus*, dum jocosè sic:

[Margin: 5. Opinio ...hodigini.]

> *Æpolus inscendi videat si quando capellas,*
> *Liquitur obtutu, quod non caper ipse creatus.*

Quare credit indè ortum fuisse, quòd similes homines hoc modo appellentur, quibus

ita contingit proprias fœminas ab aliis subigari. Sed nec hoc satis congruit, quia ut modò dicebamus, non illi tantum, qui miseram hanc infortunii sortem patienter tolerant, & propriæ infamiæ conscii sunt, sed alii quoque qui nuptialis tori violatam fidem adhuc ignorant, & quos adulterii infamia latet, tali opprobrio multantur. Deinde nec illud quod de hircis scribit *Ælianus* omnino verum esse constat, non enim hirci patienter ab aliis capras iniri permittunt, & illis cedunt, sed aliorum animantium more, illorum præcipuè quæ armavit natura, turgentiæ tempore zelotypiam exercent, acriterque pro coitu inter se dimicant, & supra pedes erecti, alter in alterum impetuosè ruunt, quod & ipse Rhodiginus *loco citato* affirmat, & ex eodem *lib.* 25. *cap.* 32. celebri quâdam historiâ comprobatur. Fuisse namque ait apud Sibarem pastorem nomine Crathim, qui in Venerem satis proclivis, capellam gregis formosissimam deperire amplius cæpit, libidinisque æstro percitus, eandem nefandè ac sæpius inibat, grateque amplexabatur, & amicæ loco gerebat interim qui caprarum ductor erat & antesignanus hircus, hæc contemplatus, neglectui haud censuit habenda, ac zelotypiâ exarcens, ulciscendi occasionem nactus, cum dormientem ac humi prostratum Crathim vidisset, eandem mox arripuit, ac quanto valuit impetu, in ipsum velut hostem irruens, sinciput ei allisit: quod an fabulosum fuerit examinare non curo: sufficit quòd nemini non notum sit hircos etiam in coitum præcipites ferri, rivalesque dum ad illum turgent invicen ad pugnam provocare, & more suo acriter inter se contendere: propterea Aldrovandus *in Bisulcis cap. de hirco*, hunc sensum non admittit, & fortè ait de illis tantum intelligendum, qui etsi libidine pruriant, propter ingravescentem tamen ætatem, desiderium cum explere suum nequeant, à robustioribus superati, ab his capras suas etiam in conspectu iniri patiuntur, cùm viribus impares esse conjiciant; cui favet *Columella*, qui ante sex annos hircum consenescere ait, immaturâ Veneris cupidine pueritiæ primis temporibus exhaustus, quo circa quinquennem fœminis implendis parum esse idoneum: ideoque ipse Aldrovandus in aliam opinionem fertur, quam ex Joan. Baptista Modio affert, in opere illo quod de pondere seu molestia uxoris scripsit, ac vulgare illud dicterium inde profectum judicat, quòd nonnulli ex uxorum suarum pulchritudine, dum ad eas alios accedere permittunt, aut spontè concedunt, ditescant, domique suæ cornu Amaltheæ capræ, sive cornu-copiæ possideant. Hinc de simili quodam apud *Martialem*, si rectè memini, extat distichon.

6.

4. *Opinio.*

Pauper erat, fieri vult dives, quærit & unde,
Vendidit uxorem Nænius, emit agrum.

Quod non ineptè hîc convenire videtur. Proh! quot sunt fueruntque semper, qui hoc vivendi studio sibi victum & opes ex ipsa infamia consequi non erubuerunt, propriasque uxores aliorum turpitudini inservire facilè concoquunt, quod omni ævo ita frequens fuit, ut nullum propterea uxoratum virum ab hujusmodi notâ liberum procax poëtarum licentia dicere sit ausa, hoc tamen facto discrimine, ut cornua impari tandem numero distribuerint, de quo Nevizanus *in silva nuptiali* sic:

Uxorem qui nescit mœcham in vertice cornu
Unum habet, at duo qui dissimulare potest.
Qui videt & patitur tria gestat; quattuor ille
Qui ducit nitidos in sua tecta procos.
Qui non istorum se dicit in ordine poni,
Credit & uxori, cornua quinque gerit.

Ita certè verebatur quidam juvenis, cui à quopiam vidua ac dives soror in matrimonium offerebatur, hoc disticho cùm se prius recusâsset.

Rogatus juvenis viduam cur ducere nollet,
In qua quis perit non bibo, dixit, aquam.

Quam tandem causam justam non esse cùm à sene argueretur, aliter respondit sic: *A ducenda uxore valdè abhorreo, quia gentem barbatulam, hircosamq; progeniem pertremisco.* Hinc citatus Nevizanus.

Esse virum patitur nunquam sine cornubus uxor,
Hæc modo non desint, dote carere volet.
Cætera vult potius proprio quocumque deësse,
Cornua quàm desint provida nupta viro.

Sola

Sola hæc cura placet, sola est intenta labori
Vnde queat quo vel cornua habere modo.
Ingeniosa suo conjux dat arma marito
Qualibet, ut quò vult hàc ope tutus eat
Cornutus quocumque ierit non pergit inermis,
Vt posit tutus quolibet esse loco.
Hoc quoque non minus est mirandum, fronte latere
Cornua, difficile est noscere si quis habet.
Dura cutis prohibet geminus de vertice ramus
Prodeat, hoc propter cornua nulla patent.
Non tamen hoc dubita sine cornubus esse maritum
Quemquam, nam lateant, fert tamen illa, licèt.
Namque duo tanquam Contradictoria sunt hæc,
Vt conjux sis & Cornua nulla geras.

Quæ tandem ne omnino vana putes, vide historiam Vahronis Ægyptii Regis apud Fulgos. *lib.* 8. Circa hanc rem festivissimus musarum coryphæus Hispanus noster *Quevedo* multa lusit.

7. Opinio. Sed relictis poëtarum carpendi ac ludendi ingeniosis dicacitatibus, licèt supradictus dicendi modus non ineptus appareat, magis tamen quadrare videtur quod alii arbitrantur, & ipse etiam attulit Aldrovandus *Ornith. lib.* 5. *in hist. cuculi titul. generatio*: ibi enim notat author commune illud quod de cuculo tradunt Aristoteles 4. *de generat. anim. cap.* 1. Plinius *lib.* 10. *cap.* 9. cuculum scilicet nunquam nidificare, & in nidis alienis ova sua supponere, præsertim palumbæ, corrucæ, alaudæ, & aliorum; quo fit ut illius filios aliæ aviculæ foveant, quæ illorum parentes non sunt; quare cùm hoc mœchæ marito accidat, qui uxoris ex aliis susceptos liberos educat, ut cuculi filios corruca; ideo merito talem maritum cornutum appellant, quod nomen à corruca detortum fuisse videtur, quo illos tali infamiâ non solùm subnotant, sed stultos quoque judicant, quod apud Italos in plurimis locis commune est, & apud Gallos, qui tales adulteræ maritos *Mary Cocu*, servatâ etymologiæ deductione expresiùs appellant; quod & Hispani faciunt, qui aliquando *cornudo*, aliquando *cuco* corruptè dicunt, cùm potius *corruco* dicere deberent; *corrucare* enim, ut Calepinus advertit, est imitari corrucam, & alienam uxorem subagitare; quam explicationem, & etymologiam,

8. deductionemque, ego magis amplector, quàm illud, quod ad hujus rei rationem affert Pancirollus *tom.* 1. *titul.* 44. ex Niceta *lib.* 2. *de Imperio Andronici*, ubi ait Andronicum Constant. Imperatoris luxu & libidine perditum, cor-

9. Opinio. nua cervorum, quos in venatione sumpserat, insignia, & aliquid rari habentia, in porticibus fori suspendere solitum, non causa solùm ostentandæ magnitudinis ferarum quas cæperat, sed revera ut civitatis mores, & uxorum quas ipse corruperat lasciviem notaret; atque hinc in multas gentes promanâsse opinatur, ut qui uxorum adulterio fœdarentur, probroso convitio cornua ferre dicerentur. Nec interim illud omittendum quod pulchrè lusit Ovenius poëta facetissimus, qui breviter & optimè sic:

Si quando sacra jura tori violaverit uxor,
Cur gerit immeritus cornua vir? caput est.

His interim lector vel acquiescat, aut alia quærat, subtiliúsve excogitet; prædicta nobis circa facetiam & nænias sufficiant.

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA-OCTAVA.

A morbis cur præserventur plerumque claudi, lienosi, quartanarii, stolidi, turpes, & qui aliter miseris ac fœdis ægritudinibus vitam degunt? juventutis autem flos, & ingenui adolescentes facillimè pereant & auferantur, & infelicis ingenii, sani plerumque vivant?

Felicianus Betera *lib. 7. de igne pestilenti*, ubi varia ac pulchra problemata affert, hoc etiam proponit *nu.* 6. cui multipliciter respondet: An, inquit, quia morbis irretiti domi se continentes, auris malis non se exponunt? An quòd in imbecilliori parte corruptela pestilens indies præstricta cordi non officit? An quia ut stolidi, ita frigidiores, multaque terrâ vallati, igni magis resistunt, quàm juvenes sanguinei & caloris pleni; & cùm sanguis calidus sit & humidus, idcircò putrefactioni magis obnoxii? pituita verò succusque melancholicus, quibus fatui, lienosi, & amentes plerumque abundant, difficiliùs computrescunt; ignobilior enim sanguis non tam facilè ab improportione corrumpitur, sicuti melior, laudabilis, & gratiosus. Addit etiam sanos, robustos, & optimè temperatos incautos esse, atque ita sibi ipsis confidentes, periculis magis se exponere, & ægrotandi pericula minus declinare & avertere. Prima ratio omnium infirmior mihi videtur, quia solùm de illis intelligi potest, qui à morbis satis occupati & devicti in publicum exire non possunt. Cætera verò quæ affert optima sunt, & satisfacere videntur; quæ quia pulcherrima & scitu digna, in illis adhuc parùm immorari, multisque aliis illa comprobare lubet, in gratiam illorum, qui hujusmodi amœnitates avidiùs expetunt, & naturæ abdita curiosiùs perscrutantur, ac scire affectunt.

1. *Problemata tria dissolvuntur.*

Tria igitur in hoc problemate proponuntur. *Primum* est, longis ac tædiosis ægritudinibus affectos, ab aliis morbis præservari, & illorum veluti immunes esse. *Secundum*, stolidos ac minimè ingenuos, multò minus quàm alios homines à morbis tentari, & securiùs degere, ac saniores vivere. *Tertium*, pulchros adolescentes, ingenuos, gratiosos, optimâque corporis temperie dotatos, & in quibus naturæ xenia abundantius infusa satis affulgent, non formæ tantùm & vultûs corporisque decore percellentes, sed mentis quoque claritate & judicio conspicuos, crudeliter ac vehementiùs non solùm à morbis corripi, sed plerumque deficere, & naturæ debitum quàm citissimè solvere. Omnia itaque hæc tria verissima sunt, & ipsâ experientiâ sæpiùs observata; quare rationes & causæ horum eventuum jam indagandæ sunt, & elucidandæ.

2. Et quatenus ad primum quod proponitur, de illis qui longis & molestis morbis affecti degunt, quòd à gravibus aliis non capiantur, ea videtur esse causa, quòd cùm hi ratione jam diu perpessæ ægritudinis, & assidui laboris, corporis facultates & vires imbecilles habeant, fit ut à parvis ægrotandi causis & occasionibus statim lædantur, quæ cum minori vi invadant, nec multum imprimant, hinc nulla aut exigua, levisque noxa accidit, quæ protinus etiam evanescit. Et quatenus ad internas occasiones attinet, conspicuum est illos etiam promptissimam causam in se habere, ut ab illis quàm minimè lædantur, & à morbis liberentur; nam cùm talis sit naturæ ordo & dispositio, ut ægrotandi causis in se irruentibus, membra omnia, in quantum fieri potest, resistere, & noxium humorem à se depellere nitantur, quousque in debilem aliquam partem incumbat, quæ languore devicta, cùm in aliam detrudere non possit, invitè prava illa excrementa suscipiat, ac detineat; hoc, inquam, quod in aliis per accidens est, in istis, qui morbo aliquo diuturno jam dudum conflictantur, naturale quodammodo est, ac insitum: habent enim quandam veluti sentinam ad quam natura ex consuetudine prava excrementa, quæ quotidie congerit, assiduè detrudit, partibus imbecillis ad recipiendum jam assuetis; quo fit ut cùm hujusmodi membrorum imbecillitates in talibus inveniantur, non solùm à mor-

morbis illarum causâ præserventur, sed si alios de novo præter antiquos patiantur, ad illas partes sæpiùs natura causam morbi deponit, & sic à periculosis malis prædictos liberat: unde verificatur illud, quod ex *Avicenna* à plurimis circumfertur: *Qui unum membrum habet debile, cætera habet incolumia.* Multò aliter quàm illi qui robusti sunt, sani, ac valentes, diuque in morbos non inciderunt; periclitantur namque si incidant, quia illorum robur omnem contemnit causæ parvitatem; quia, ut idem dicebat *Avicenna*, non nisi à forti causa vincuntur: & quemadmodum ratione magnitudinis causæ maximè hi periclitantur, ita illi quia ex levibus causis statim dejiciuntur, facilè etiam evadunt, & liberantur. Propterea arthriticos communiter videmus diu vivere, & senectutem plerumque attingere longam imo senectam durare, quia natura humores vitiosos, ex quibus alii morbi periculosi generari deberent, unà cum arthriticis per certa intervalla ad articulos detrudit, atque ita partes alias nobiliores ab illis exonerat: imo aliquando eosdem podagricos à gravioribus morbis aliter periclitantes eâdem ratione liberat; de quo pulchram historiam narrat Zacutus *lib. 2. prax. mirandæ obs.* 172. Et quemadmodum podagrica defluxio adveniens tot utilitates affert, ita in illis, qui illam pati jam dudum sunt assueti, si deficiat, maximè periclitantur, ita ut ex aliquo alio morbo subitò invadente plerumque auferantur, ut *Guillelmo Fabricio Hildano* insigni chirurgo accidit, qui podagrâ biennium jam deficiente vehementissimo asthmate correptus obiit, ut de eo narrat Horstius *lib. 3. cons. & epist. sect.* 12.

3.

Ad secundum. Antonius Guevara *in suis epist. ad Federicum Toleti Albanum Ducem*, sic respondet: fatuos & amentes ideò majori ex parte sanos & robustos degere, quia tales nil circa honorem cogitant, nec in re aliqua ad illum consequendum defatigantur, nec contumeliam aut ignominiam sentiunt, quippe tanquam bardi & stolidi, nullâ re aut probro moventur, aut honoris incrementa curant. Quod licèt quodammodo verum sit, tamen causam intrinsecam non rectè declarat, quam optimè tradit *Betera* citatus: cùm enim hebetes sint, & frigido admodum temperamento præditi, multâque terrâ valati, ægrotandi causis, calidioribus præsertim, magis resistunt; pituita etiam & melancholia, quibus satis abundant, non ita facilè putrescunt, & ut eleganter dicebat *Seneca* ad *Marciam* cap. 23. *Vivacior est, qui cum lenta difficiliq; materia commixtus, fumoq; demersus ex sordido lucet, eadem enim detinet causa, quæ malignè alit.* De quibus mirum non fuerit, si eadem dicamus, quæ de suibus Marcus Varro *lib. 2. de re rustica cap.* 4. animam illis donatam proinde ac salem, quæ servaret carnem; de istis quoque hominibus nunc audiatur, cùm animæ vires velut sopitas habere videantur, & illius affectus, & effectus longè minus quàm cæteri homines sentiant ac ostendant, aut ab illis moveantur, quæ una ex præcipuis ægrotandi causis est, ut medici docent. Solent quippe illi, qui in lutuoso nimis ac denso corpore animam immersam habent, ad illa quæ ipsum corpus impinguant, & incrassent potissimum attendere, multò magis quàm de illis quæ animum virtutibus exornant, cogitare; quo fit ut à sapientia longè abeant, ut *Tullius* dicebat. Quod Plato *in Theeteto; non rectè anima se habet in denso ac lutuoso nimis.*

4.

5. *Anima sale.*

Ad tertium & ultimum accedendo: duobus modis accipi posse videtur quod in problemate quæritur, tam enim circa corporis optimam constitutionem, & temperiem, membrorumque proportionem, quibus præcipuè dotantur hi qui gratioso nimis aspectu nobis placent, ob quam etiam optimâ sanitate plerumque fruuntur; quàm etiam circa ingenii dexteritatem, mentisque & judicii excellentiam, quam frequenter in illis conspicimus & admiramur; quippe cùm exactissimo corporis temperamento gaudeant, ex illoque resultet, ut animæ functiones perfectiores evadant; dum enim pulchrum domicilium ipsa invenit, clariùs affulget, & vires suas exerit, minori ponderis & terreæ molis obstaculo perpedita, unde alacrior tum fit, & opere suo liberaliùs utitur. Sed cùm misera & infelix naturæ conditio talis sit, ut neque in eodem statu persistere, nec ab acquisito jam optimo illo temperamenti & sanitatis gradu ultra progredi possit, ab ipso perfectionis & salutis statu repentè, & violentâ sævâque ipsius inconstantiâ & mutabilitate dejiciuntur ac ruunt, & quo magis subitò tanto deterius, & quò materiæ benignitas & exactior erat temperies, eò tunc major putredinis datur occasio; quidquid enim putrescit, ad sui ipsius contrarium transire necessum est; quare quò melioris conditionis, & perfectioris substantiæ temperamentique existunt, eò majorem mutationem subeunt, & gravior illis putre-

6.

7.

tredo advenit. Hanc ob causam Hippocrates 1. *aph.* 3. bonum habitum salutis cùm ad summum bonitatis accesserit, statim solvere consulebat, & licèt de athletarum illo valenti ac robusto ibidem loquatur, tamen de omni optimo accipi debet, cùm eodem modo periclitentur, & qui ingenti laudabilis sanguinis copiâ abundant, & qui exactissimo temperamento fruuntur, illos enim putredo statim corripit; hos verò in deterius mutari consequens est, ac naturæ vis quædam ac necessitas; ideò dicebat Celsus *lib. & cap.* 2. ubi speciosior aliquis, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet, nam cùm nec in eodem habitu subsistere, nec ultra progredi possint, ferè retrò quasi ruinâ quâdam revolvuntur. Propterea D. Basilius *lib. de leg. gentil.* bonam valetudinem fallacem esse optimè adnotavit. Hoc modo regna, imperia, divitias, & ipsas quoque hominum dignitates (ut *quæst.* 76. antea dicebamus) cùm ad summum perveniunt, ruere, & ad sua initia inevitabili fortunæ circumvolutione redire conspicimus. Nec hoc ignorabat magnus ille Macedonum Rex Philippus, prout de eo Plutarchus *in apoph.* & Fulgos. *lib.* 7. *cap.* 2. qui cùm una die de multis feliciter ac prosperè gestis nuntios accepisset, ferunt respondisse; *ô fortuna, pro tot tantisq; bonis levi quopiam malo me affice*, aut ut alii: *ô dæmon fortunam hanc mediocri aliquâ rependas clade.* Optimè quidem! nam ut scitè apud Hippocratem *epist. Damageto* dicebat Democritus: *Quemadmodum optimus corporis habitus affectionum periculum denuntiat, sic magnus rerum successus lubricus est.*

8.

9.

Et si ad eosdem attendamus, quatenus singularem quandam prudentiam, & insignes animi dotes ostendunt, ex hoc capite non minor timor circumstat, & formidanda improvisaque ruina minatur; siquidem ea est fortunæ sæva conditio, ut optima quæque promptissimè invadat, ac perdat, graviorique lapsu tentet, ac dejiciat. Deinde eosdem haud diu superstites esse posse ipsa ratio ostendit; nam cùm natura postpositâ communi progrediendi normâ in illis anticipationem quandam moliatur, & plus quàm juvenilem mentis splendorem ostendat, ad quem nisi transactis aliarum ætatum gradibus devenire non poterant, fit, ut corporis incrementa & temperamenta, quæ paulatim ex naturæ ordine infantiæ debebantur, quàm citissimè mutentur, & transeant, ac quodammodo ante tempus maturus velut fructus reddatur; unde cùm breviter persiciatur illud, quod longiori spatio disponi atque eleborari consueverat, ac debuerat, ad alia progrediendi velut aditus intercluditur, ac tanquam finito opere, mirum non est si deficiant: quod adeò evidens est, ut etiam apud vulgus jam dudum puerorum sapientia non solùm flocci pendatur, sed & ominosa, atquè suspecta habeatur; quare & ab antiquis, qui eandem odio habebant orta est paræmia: *Pueros odi præcoci sapientiâ.* Quod expressè Plato *in gorgia* dicebat: *Cùm enim puerum video, cui adhuc convenit ita loqui balbutientem, & ludentem, gaudeo & gratiosum mihi videtur, & liberale, & quod pueri ætatem deceat: ubi verò audio expeditius loquentem, amarulenta res mihi videtur, & offendit aures.* Ut enim rectè ait Lemnius 2. *de occultis cap.* 39. in arboribus omnisque generis stirpitibus, quæ spectatissimè adolescunt, atque ante legitimum tempus consuetumque morem maturitatem assequuntur, citò intercidunt, ac confestim elanguescunt: ita quoque in humanis ingeniis, & corporibus, si quæ naturæ dotes ac munera spiciosius maturiusque proferunt, minus diuturna esse solent, ac festinantius delabuntur &c. tales enim minus vitales conspiciuntur, morteque properatâ confici videntur: & quemadmodum flosculos videmus vernos, qui citò proveniunt, mox interire, sic ingeniorum velut præcox genus, non temerè unquam pervenit ad frugem, ut ex Quintiliano *lib.* 1. *orat. inst.* affert Philipp. Camerarius *cent.* 1. *cap.* 55. & uberius exponit Mattheus Timpius *p.* 1. *Mensæ Theo-philos. cap. de senectute nu* 33.

10.

11.

Horrendum itaque est, & maximè timorosum ante annos senectuti aut juventuti dicatos hominem in eam corporis aut mentis inclinationem devenire, quam ad ipsius senectutis & prudentiæ annos natura dicavit: est quippe senectus vitæ declinatio à siccitate adjunctâ frigiditate eveniens, ut docent Aristoteles *de gen. animal. cap.* 4. & Galenus *lib. de marcore cap.* 1. In quibus ergo vel ratione morbi vel ab intrinseco corporis temperies ad sicciorem & frigidiorem mutari contingit, immaturâ senectute præoccupantur, & cùm in aliquibus naturis tardiùs, & aliis citius eveniat, quemadmodum tradunt Hippocrates 1 *de vict. rat.* & Galenus 6. *de sanit. tuenda* 3. hi in quibus citò advenit, cùm citius ad summum perveniant incrementum, longius durare non possunt, ut *lib. de aëre, aquis, & locis* affirmat Hippocrates cum ait: *proin-*

12.

de

inde hujusmodi natura longæ esse vitæ nequeunt, sed ante tempus senescunt, aut morbis præventæ deficiunt & extinguuntur; quia cùm vita in calido innato, humido radicali adjuncto, procedat, teste Aristot. *de long. & brevitate vitæ cap.* 3. & ibidem *Averroë*, patet quòd in his in quibus humidum majus, ac calori magis proportionatum reperitur, vita ad longiores terminos protrahatur, & tardiùs in senectam labantur; econtrà verò in quibus minus proportionatum, & quantitate paucum, citiùs animal consumatur, & celerius in eam siccitatem deveniat, quæ senectus dicitur, & multò ante quàm pro annorum ratione conveniret, spatium vitæ exsolvat, metamque attingat. Hoc pacto in
13. pueris accidit, qui cùm in primo ætatis ingressu rationis usum impeditum habeant, quia multo abundant humore, à quo excitata nebula internorum sensuum functiones aut omninò impedit, aut interturbat: hinc qui permaturè sapiunt, in tempestivam cerebri siccitatem ostendunt; quæ siccitas cum progressu temporis excreverit, organum aut ita disolvit, ut mortem adferat, aut ita vitiat, ut ad persolvenda sensuum internorum munia, è quibus intelligentię vis dependet, inutile & ineptum sit. Hinc teste Plinio *lib. 7. cap.* 51. Cato Censorinus dicebat *senilem juventam prœmaturæ mortis sig-*
14. *num esse.* Itaque ut paucis dicam, cùm natura ordinarias vitæ periodos accelerat, non nisi in perniciem properat, & quò magis animi vigoris radios effundit, cygnæumque aliquid modulari videtur, quid nisi exitum non longè abesse portendit? Hoc pulchrè innuit Plato *dialog. de natura*, dum inquit: *Quando anima corpore admodum potentior est, exultat in eo, atque effertur, totumq; ipsum intrinsecus quatiens, languoribus implet, & cùm ad discendum investigandumq; collectis in unum viribus vehementer incumbit, liquefacit protinus corpus, & labefactat.* In summa res omnes, quò perfectiores, eò deterius putrescunt, & quæ ad magnam perfectionem devenerunt, prę stò dilabuntur, decidunt ac finiuntur; nam cùm ultrà progredi non possint, subitò sæpè corruunt, & exitum natura affectat. Sic flores videmus quò pulchriores & suaviores, perire statim; quod non tacuit Plinius *lib. 21. cap. 1. Floresque in diem gignit; magnâ (ut palam est) admiratione hominum; quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere.* Omnia itaque naturæ aut fortunæ bona, quò affluentiùs crescunt, eâdem vi retrò gradiuntur, & initia sua repe-
15. tunt, instabiliq; mutatione ad alios currunt, ac rotantur. His & similibus exemplis utebatur *Seneca*, ut mœstissimum Marciæ pectus in amissi filii morte solaretur, quam sic alloquitur *lib. ad eandem cap.* 23. *Quid tu Marcia, cùm videres in juvene prudentiam, victorem omnium vitiorum animum; emendatum, carentem vitio, divitias sine avaritia, honores sine ambitione; voluptates sine luxuria appetentem; diu tibi putabas illum sospitem posse contingere? quidquid ad summum pervenit, ad exitum propè est: eripit sese, auferta; ex oculis perfecta virtus; nec ultimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt. Ignis quò clarior effulsit, citiùs extinguitur: vivacior est, qui cum lenta difficiliq; materia commissus, fumoq; demersus ex sordido lucet; eadem enim detinet causa, quæ malignè alit. Sic ingenia quò illustriora, breviora sunt; nam ubi incremento locus non est, vicinus occasus est. Fabricius*
16. *ait, quòd nostri quoque parentes vidêre; puerum Romæ fuisse staturâ ingentis viri; sed hic citò decessit, & brevi moriturum nemo non prudens dixit: non poterat enim ad illam ætatem pervenire, quam præceperat; ita est indicium imminentis exitii maturitas; & appetit finis, ubi incrementa consumpta sunt.* Quæ omnia tantò libentiùs transtuli, quòd notissimam hanc doctrinam, & properantis naturæ instabilem conditionem exprimant; & quod de puero hîc affert *Seneca* staturâ ingentis viri qui breviter extinctus est, plurimis aliis exemplis comprobari posse non est dubium. Admirabilius (si verum est) quod narrat Plinius *lib. 7. cap.* 16. Salamine Euthimenis filium in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem; & jam puberem factum voce robusta, absumptum contractione membrorum subitâ triennio circumacto: addit mox eadem pridem vidisse fermè omnia in filio Cornel. Taciti equitis Romani. Ectrapelos Græci vocant, prodigioso incremento augescentes; sic alii barbati, dentati alii nati sunt, quorum plurima pars non diu superstes occubuit: qualiter de quodam puero Craterem Antigoni fratrem scripsisse narrat *Euseb. Nieremberg.* qui spatio 7. annorum ado-
17. levit, ad virique ætatem pervenit, uxorem duxit, filium generavit, ac senex statim factus mortuus est. Haud absimiles alias historias si audire volueris, lege Schenckium, Marcellum Donatum *lib. 6. de hist. mirab. cap.* 2. Math. de Gradi *cap. de mola.* Ant. Torquemada *dial.* 1. & Lotichium *lib. 2. obs.* 1. & quod isti de corpore, circa ingenium & præcocem prudentiam apud Senecam 2. *contr. controv.* 1. Cæstius de ingenio Alfii Flavii dicebat, *tam maturè magnum ingenium non esse vitale.*

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA-NONA.

Apoplexia fortis an aliquando solubilis? Agitur etiam de apoplecticis pro mortuis sepultis, & reviviscentibus.

1. AD Palladi sacram hominis arcem si cursum paululùm divertamus, tantum naturæ artificium mirabimur potius, quàm ullis ingenii machinis raram illius architecturam assequi valeamus; tot cuniculis, nervis, venis, retibus, membranis, pluribusque aliis affabrè compositam, ut summi Artificis admirabilis scientia in nullo magis elucescat, qui tam industrioso ordine celeberrimi hujus operis compagem plasmavit, ut naturalem, terream, corporeamque materiam artificii viribus ita exaltaverit, quoad supernaturalis & prorsus æthereæ animæ sedem aptumque domicilium reliquerit: sed in tanta compositionis subtilitate, in tanta organorum varietate rarum fuerat, ita omnia & singula ordinem & concentum servare, quò minus à rectâ connexione & æqualitate deficerent; quin potius facilè propterea dissideant, discrepent, & mille symptomatum & morborum affectionibus cerebrum, & totum caput sæpissimè afficiatur; nam cùm innumerabiles sint ac pænè infiniti morbi, quos misera ac fragilis hominis conditio patitur, unde illud satyrici poëtæ:

Morborum omne genus, quorum si nomina quæris
Promptiùs expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno.

2. Nulla quippe est in corpore pars, quæ sicuti caput tot ac tantis laboret; siquidem in his solùm, qui ad oculos attinent, 110. enumerat Galenus *lib. introd. seu medicus cap.* 25. ut meritò dixerit D. Augustinus *lib. & cap. 22. de civit. Dei*: Morborum genera non omnia in medicorum libris esse comprehensa. Quid si adjacentium aliarum partium, & capitis potissimum reliquos supputemus, & periculosissimos timorisque plenos multos alios, ac longè difficiles, qui in cerebri partibus internis contingunt? Hinc in nullis magis quàm in capitis affectionibus difficultates emergunt, & exquisita problemata consurgunt, quorum nos pauca, sed rariora & scitu non injucunda, pro more dilucidabimus, illud inprimis quærentes: An fortis apoplexia aliquando solvi possit?

3. Sed cùm plures sint apoplexiæ species seu gradus, aut differentiæ, illas primum explicare convenit, ut de qua dubitatio procedat melius intelligatur. Hippocrates 2. *aphor.* 42. duplicem tantùm apoplexiam statuere videtur, ex affectionis magnitudine distinctas fortem scilicet & debilem: Avicenna *fen.* 1. 3. *tr.* 5. *cap.* 12. tertiam inter has duas constituit, quam ejus expositores mediocrem vocant: & eandem partitionem approbâsse videtur Galenus 3. *de locis* 10. cùm tres tantùm apoplexiæ species juxtà respirationis differentias distinxit. Sed 2. *aph.* 42. intimiùs forsan hoc perpendens quatuor enumerat, & hanc divisionem tanquam optimam & magis completam doctiores medicinæ authores receperunt; secundùm quam sic cum eodem explicant; primam & mitiorem, in qua respiratio aliquem servat ordinem, estque omnium levissima. Secundam, in qua respiratio magis quàm in prima violentior est, sed inæqualis & intermittens, & cum majori difficultate peragitur. Tertiam, in qua respiratio violentissima est, summeque difficilis, stertor auditur, & spuma circa os apparet. Quarta, quam ordine inverso authores primam faciunt, omnium fortissima est, in qua protinus cum sensu & motu in toto corpore cessat quoque respiratio, & in hac nec stertor, nec spuma in ore conspicitur. A prima respectu aliarum plurimos evasisse certum est; à secunda paucos, sed tamen aliquos; à tertia rarissimos, ab ultima nullos unquam rediisse præter assiduam experientiam *Hippocratis* authoritas confirmat 2. *aph.* 42. *Apoplexiam fortem solvere impossibile est, debilem verò non facile.*

Apoplexiæ species quatuor quomodo distinguantur.

4. De hac igitur nunc dubitamus, an ita perpetuum sit, ut nec à natura, nec ullis artis auxiliis, quamvis à solertissimo medico adjuta, unquam curari possit? Et quòd ita sit, ex proximè citato *aph. Hippocratis* satis colligitur, qui hoc impossibile judicavit: ratio præterea idem suadet nam si fortis apoplexia ea est in qua citra ullam respirationem homo velut mortuus jacet, videtur quòd nullomodo curationem admittat; nam cùm respiratio à vita separari non possit, nec vita à respiratione; viventem enim non respirare, & respirantem non vivere, impossibile esse dicebat Galenus 4. *de locis* 7. & 6. *ejusdē* 5. ergò cùm in tali apoplexia correptis nulla respiratio appareat, patet sic affectos

affectos à fortiori statim pauco post tempore expirare debere, nec talem morbum aut solvi posse aut diu durare, ut pro tam ingenti morbo devincendo remedia adhibeantur. Secundò, talis apoplexia non fit nisi ab humoribus lentis, frigidis & crassis, quos in tam brevi tempore natura attenuare, & à se repellere non valet. Tertiò in prędicta forti apoplexia adest totalis obstructio ventriculorum cerebri; quippe, ut *in com.* dicebat *Galenus*, affectionis magnitudo causæ magnitudinem sequitur: unde ipsa facultas animalis breviter velut suffocata extinguitur, ac proindè cor à motu cessat, quia sine illa pectus dilatari non potest; unde vitalis quoque facultas statim perit, & aëris defectu extinguitur. Tandem in dicta apoplexia deficiunt motus, sensus, & ratio; quare debita auxilia applicari non possunt, unde non solum in forti nulla salutis datur spes, sed in levi quoque admodum dubia est, cùm plerumque ad mortem terminetur.

Sed his non obstantibus, aliter aliquando accidisse, & fortem apoplexiam, licèt rarò solvi posse testantur plurimi: Avicenna *fen. 1. 3. tr. 5. cap. 12. Aliquando accidit ut homo in apoplexiam incurrat, & non sit differentia inter ipsum & mortuum, & non apparet aliquis anhelitus, deindè reviviscit & sanatur, & nos plures vidimus tales.* Ejusdem opinionis sunt ferè omnes authores in com. prędicti *aph. 42. sect. 2.* Forlivius *quæst. 47.* ad eundem locum, *Brasavola*, *Mercurialis* qui omnes dubium hoc movent, & non omninò ita desperatam hanc quantumvis fortissimam apoplexiæ speciem judicant, ut nullus ex ea evadere possit. Quin potius Vega 3. *de locis ultimo*, ex gravissimorum authorum testimonio, plurimos scribit fuisse ab ipsa ad vitam revocatos. Testis est *Valer. Max.* qui multos à sepulchris in domum relatos memorat. Quidam etiã ex nostris (inquit idem *Vega*) post recondita corpora auditi sunt, alii inventi revoluti; quos credit forti apoplexiâ prehensos, tanquam si jam excessissent funeratos, iterum evigilâsse, & tamen apertè constat nullâ aliâ specie laborâsse, nisi pessimâ illâ, respirationem omnem quæ sentiri posset auferente; unde cùm nulla appareret, ut mortui elati sunt: quapropter *Hippocrati* impossibile hoc judicanti respondet, illius impossibilitates raros casus non excludere, nec artem perpetuum aliquid admittere, quod aliquando non deficiat: Eodem modo tenet *Mercurialis*, qui verbum illud *impossibile* apud Hippocrat. consummatam impossibilitatem minimè significare ait, sed exquisitam quandam difficultatem, quæ talis est, ut rarissimè secus contingat, sed non omninò semper. Et quòd verbum illud *impossibile* apud *Hipp.* infallibilitatem quandam non importet, ita ut semper ac perpetuò contrarium eventum excludat, sed frequentiam tantùm denotet, ex eodem *Hippocrate* colligi potest 5. *aph.* 60. ubi sic legitur: *Si mulieri utero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum*; quæ tamen impossibilitas in hac sententia adeò incerta est, ut plurimas viderim, & multi alii viderint, quæ bis aut ter per totum gravidationis tempus hujusmodi uteri purgamenta sustinuerunt, fœtibus interim debito tempore nullâ debilitate prodeuntibus, & vigorem ac robur ostendentibus.

5.

6.

Nec obstat quòd aliqui *Hippocratem* excusent, illum non de quacumq; evacuatione accipiendum, sed de illis, quæ dum gravidæ sunt, singulis etiam mensibus copiosas ac consuetas purgationes sustinent, de quibus Aristoteles 7. *de hist. animal. cap. 3. & 1. de gener. animal. cap. 19.* idem asseruit; scilicèt ubi singulo mense & copiâ consuetâ fluit, tunc fieri non posse ut sanus sit fœtus, quemadmodum si parum sanguinis exeat; quia nec in hoc casu omninò verum est & impossibile quod de fœtu *Hippocrat.* pronuntiat, ut *quæst.* 74. latiùs jam ostendimus: ibi enim ex plurimorum authoritate vidimus prægnantes esse non paucas, quæ consuetum menstruorum fluxum per totum gestationis tempus patiuntur, sine ullo ipsarum aut fœtûs detrimento, quin postea suo tempore robustum & ovantem emittunt: quæ cùm ita sint, meritò *Mercurialis* hoc loco magnam *Hippocratis* confidentiam accusat, quòd ita asseveranter rem non adeò certam, aliter impossibilem faciat. Nil enim in medicina adeò certum est, quàm nil certum, ut optimè dicebat *Celsus*: quod etiam in fortissima & vehementissima apoplexia locum habet. Nec aliter *Galenus Hippocrates* sententiam approbat *in comm.* dum inquit: *Magna autem ex parte curationem non admittit*; sic enim paucis verbis & impossibilitatem tollit, & summam evadendi difficultatem, mortisq; ex illa frequentiam ostendit.

Deinde verum esse quòd à forti apoplexia aliqui liberentur testantur plurimi casus & historiæ tam ab antiquis, quàm à junioribus adductæ. Et certè aliquid hujusmodi evenisse illis, quos revixisse narrat Plin. *lib. 7. cap. 52.* suspicari possumus: Aviola consularis in rogo revixit, & quoniam subveniri non potuerat, prævalente flammâ vivus crematus est. Similis causa in L. Lamia prætorio viro traditur: nam & C. Ælium

7.

Tuberonem præturâ functum, à rogo relatum Messala Rufus, & plerique alii tradunt; de quibus latiùs Valerius Maximus *cap.* 8. *lib.* 1. & Fulgosius *lib.* 1. *de miracul. titul. de mortuis ad vitam suscitatis* ex Varrone aliquos memorat: quod uberius videtur confirmare Celsus *lib.* 2. *cap.* 6. *Quosdam fama prodit in ipsis funeribus revixisse; quin etiam vir jure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ satis certas esse notas proposuit, quibus medici credidissent*: quemadmodum de Asclepiade mox addit, funeri obvium intellexisse illum vivere, qui efferebatur, ut de illo etiam refert Plinius *lib.* 26. *cap.* 3. *Hæc enim* (ait idem) *est conditio mortalium: ad has & ejusmodi occasiones fortunæ gignimur, uti de homine ne morti quidem debeat credi.* Sic enim plurimis accidisse tradunt medici: Arnald. *cap. de apoplex. Vidi enim, & audivi hoc de multis, qui taliter subterrati fuerunt, & postmodum auditi sunt in sepulchro clamantes, ut juvarentur infra spatium* 60. *horarum: & alii qui mortui sunt in sepulchris, & post in processu temporis aperta sepulchra eorum, inventa sunt cilicia eorum dilaniata per ipsos, & ipsi cum brachiis & pedibus dissolutis mortui sunt inventi.* Sic contigisse Scoto subtilissimi ingenii viro passim apud practicantes legimus, de quo ajunt bis mortuum fuisse, & semel sepultum; cum enim ut exanimis jaceret, fratres jam obiisse credentes, in sepulchro concamerato illum sepelierunt; tertiâ tamen nocte ad se rediisse dicitur, diuque exclamâsse, idque pro spectri tumultu habitum, postea aperto sepulchro mortuus inventus est alio in loco ab illo in quo relictus fuerat. Sic apoplecticorum aliorum, qui mortui credebantur, reviviscentium alias historias affert Schenckius, ex *Paschalio*, *Lemnio*, & aliis; qualiter etiam piscatori accidit, apud Zacutum *lib.* 1. *prax. mirandæ obs.* 16. cùm jam ad sepulturam duceretur. Quare prudenti, & non contemnendo consilio monemur ne temerè funerentur hujusmodi apoplectici, & non nisi post secundum diem, diligenti prius facto examine, an aliquid vitalis auræ supersit, ad cujus explorationem indagandam, præter obscuros arteriarum motus, qui sedulò attendendi sunt, cùm certius signum exhibeant, aliis etiam utimur, admotis ore & naribus pilis, lanâ aut gossipio rectè carptis, aut molli pennâ, aut etiam candelâ accensâ, an fortè aliquid ex his moveatur, aut speculo ori admoto, si ad halitum maculetur, aut cyatho aquæ pleno pectori supraposito si agitatio aliqua percipiatur; quæ aliquando ita subobscura sunt, ut nos fallant, sensumque nostrum respiratio lateat; quippe ut eleganter Celsus: *Si quid vix in millesimo corpore, aliquando tamen decepit, nec id evitare humana imbecillitas potest in tanta corporum varietate.* Siquidem talium, qui pro mortuis reconditi sunt & derelicti, plurimos ad se rediisse observatum sæpius est, non apoplecticorum tantùm, sed aliorum, qui syncope exsoluti sunt; ut pestis tempore multoties accidisse visum; de quo lepidam historiam hoc opere aliquoties jam adduximus ex Fab. Hildano *cent.* 2. *obs.* 95. apud quem plures aliæ leguntur, quemadmodum apud Horstium *lib.* 7. *de hist. med. cap.* 9. quo loco etiam de utero suffocatis, & de suspensis, qui laqueo strangulati iterum revaluerunt, aliæ narrantur; quibus etiam consimilem aliam admiratione dignam, ab ipsis prætermissam hîc adjungam ex *Cæsariense illustr. miracul. lib.* 6. *cap.* 24. qui de latrone quodam suspenso tradit, juxta cujus patibulum postmodum cùm cujusdam Canonici Coloniensis servus transiret, & hominem paulò antea appensum adhuc palpitare cerneret, misericordiâ motus laqueum ense præscindit, allatâque à proximo rivulo aquâ resocillavit, (quod sequitur mirum est) resumptis paulatim viribus liberatorem suum ad proximam villam euntem latro secutus est, ac dum iterfacientes inter se colloquerentur, manum equi fræno injecit fur, equum suum esse proclamans, & sibi à servo illo ereptum: accurrunt mox homines plurimi, qui de rapina frementes, nullamque excusationem admittentes, miserum juvenem ad patibulum, à quo ipsum antea furem detraxerat, ducere pergunt. Sed Dei nutu, è proxima villa alii, qui concursum ad palum tendentem è longè notabant, ad locum properant, (erat utriusque oppidi commune patibulum) ad quem accedentes causam interrogant, & datâ servo loquendi copiâ acta narrat, & quomodo tantum beneficium tam iniquo scelere nequam rependere cogitâsset; itaque agnito quem paulò antea suspenderant fure, secundò plenè suffocant: frustrà enim aquâ submergitur, quod corvis debetur, & quod alio proverbio dicitur: *Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret*: nam quemadmodum vix unquam rectum tortile lignum, ita prava ingenia vix unquam ad bonam frugem traduci possunt, cùm non prius mutentur, quàm Æthiops lavando dealbescet.

8. *Subtilis Scoti mors.*

9.

10.

Hist. rara de latrone suspenso.

11. De utero quoque strangulatis fœminis, quæ sic omni respiratione privatæ tanquam

quam vera cadavera ad monumenta delatæ fuerunt, non pauca etiam sunt exempla apud *Schenckium*, notissimumque à *Paræo* descriptum *lib.* 23. *cap.* 46. de medico qui in Hispania hystericam mulierem, sic pro mortua judicatam, ad anatomicum usum dissecare incepit, quæ tamen ad primum adactæ novaculæ ictum expergefacta, medico maximum dedecus extitit: hunc *Vesalium* insignem illum anatomicum fuisse putat Sennertus *cap. de hyst. affect. lib.* 4. Alias eodem morbo laborantes aphonas, & cum summa asphygia eodem modo funeratas fuisse scribit *Diomedes Cornarius*, & ex illo *Horstius* jam adductus: sed quia peculiare aliquid continent, dicere non gravabor. Narrat Cornarius *num.* 15. *historiarum*, Matriti in Hispania illustrem quandam fœminam ex familia D. Francisci Lasso oriundam, quæ postquam triduo cum mortis agone colluctasset, existimantibus cognatis jam exspirâsse, in destinatum sepulturæ locum deportatur; & occluditur: post aliquot menses aperto monumento inventum fuisse cadaver infantem mortuum in dextro brachio habens; gravida enim erat, & circa partûs tempus, quando pro mortua funerata est. Similiter alteri accidisse in urbe Segovia à nobili viro accepi, sed cum infantis meliori fortuna prout mihi narravit D. Joan. de Barrientos: Ægrotabat in dicta urbe uxor Francisci Arevali de Suasso, cùm in ultimis gestationis mensibus jam partum expectabat, ex gravi morbo paucis diebus aut mortua, aut talis judicata, effertur, & in sepulchro reconditur: eodem die circa noctem accedit maritus, quem cognati celeriter vocari fecerant ex alio loco ad quem aliquot antea diebus peregrè discesserat: audiens charissimam uxorem mortuam jam & funeratam, magno illo, quo in illam erat affectus, amore commotus, ad ipsam in sepulchro invisendam se accingit; ad templum pergit, loculum aperire facit, ecce tibi aperto sepulchro infantis vagitus auditur; obstupescunt omnes, convocatur magistratus, accensis funalibus descendunt clerici, multique alii cum marito, infantem inveniunt capite tantum extra vulvam prominentem, reliquumque corpus extrahere colluctantem: vivum tandem ac sanum extrahunt, qui optimè supervixit, & ab omnibus terræ filius vocari cœpit: hunc eundem postea prætorem Xerisiensem agnovisse sanctè mihi affirmabat idem nobilis vir. Ex quibus certè historiis docemur verum omnino non esse quòd infantes dum circà partûs tempus matris moriuntur, statim quoque pereant, ut plures contendunt; siquidem aliquamdiu vivere, & ex matrum suarum ventre vivos eximi posse, & debere testatur *Sennertus*, & propriis de hac re tractatibus Daniel Vincelius, & Gregorius Nimanus *in dissertationibus de vita fœtus in utero*, apud quem & alios ibidem citatos hujusmodi admirandæ historiæ, pluresque aliæ leguntur de fœminis quæ post mortem fœtûs pepererunt, quemadmodum apud Theophilum Raynaudum *tract. de ortu infantium contra naturam cap.* 2. Docemur etiam tales fœminas non protinus & inconsultò sepulturæ tradendas; an enim vivæ, an mortuæ prædictæ de quibus historias narravimus funeratæ fuerint, incertum est: nam & mortuas parere posse ex alia probat *Horstius*, quæ ab Hispanis militibus inter Daventriam, & Zutphaniam gravida cum marito suspensa est, quæ post 4. horas gemellos vivos mortua peperit.

12.

Cæterùm ad apoplecticos iterum redeuntes, in quibus non minus quàm in prædictis morbis miseranda hæc calamitas accidit, illis præsertim, qui funestâ & fortissimâ apoplexiâ corripiuntur, ac velut syderati corruunt, jacentque à cadaveribus nullo pacto distincti, nullum vitæ signum vel in pulsu, vel in respiratione medici interim advertentes; à quo truci malo licèt rarissimè, evadere tamen aliquos testatur experientia, & possibile esse affirmant doctissimi supra citati, illisque præsertim accidere posse ajunt, qui frigidiori sunt corporis temperamento, in quibus respirationis, & aëris defectus diutius ferri potest, & corporis calor transpiratione longius durare, quin ita breviter suffocetur: aliter in calidioribus, in quibus brevissimo tempore contingit; illorum enim cordis calor multo minori quàm in aliis ventilatione indiget, ac proindè per arterias & musculos thoracis inperceptibili motu aliquantisper temperatur, & sustinetur ut docet Gal. 6. *de locis* 5. Et licèt mirum videatur, ut idem ait *in com.* prædicti *aph.* 42. *l.* 2. quòd extinctâ aut omnino sopitâ vi motrice, quæ à cerebro dependet, musculisque aliis motu carentibus, ita ut pro mortuis tum temporis judicentur & efferantur, quo modo aut quâ vi, qui thoracem attollunt, licèt difficulter motu nobis inperceptibili, tamen moveant: huic dubitationi idem *Galenus* respondet, hoc fieri ob ingentem respirationis necessitatem, quæ nervorum debilissimam licèt illam vim excitat ad operandum, quod in somno etiam contingere scribit 5. *de locis*

13.

14.

locis 1. non enim (quod *Gentilis*, & alii voluerunt) respiratio ex motu naturali & voluntario constat, ac proindè hoc extincto, qui musculorum operâ perficitur, naturalis superest; hoc namque absurdum esse ex eodem *Galeno* constat, qui *lib.* 2. *de motu mus. cap.* 5. musculos pura esse instrumenta facultatis motricis voluntariæ planè declaravit: unde constat non posse ullum motum naturalem musculorum operâ fieri, quemadmodum respiratio fit in ipsis apoplecticis, in quibus ex ipsa tantùm facultate motrice, quamvis pænè extincta, aliquid tamen thoracis musculis impertitur ob ingentem necessitatem, aut forsan aliqua in ipsis musculis derelicta servatur, quæ motum illum nobis insensibilem causat.

15. Quæ omnia circà fortissimam apoplexiæ speciem à nobis adducta licèt vera sint, & ab omnibus approbentur nescio quo contradicendi studio Ambr. Nuñez *in com.* 42. *lib.* 2. *aph.* doctiss. *Thomam à Vega*, & cum eo *Avicennam*, cæterosque omnes improbet, planè negans possibile esse aliquem ex tali apoplexia evadere posse; nulla tamen efficaci ratione nixus, quin imò experientiam, quæ multos ab ipsa expergefactos ostendit, omninò negat, & apoplecticos fuisse minimè concedit, sed aut forti syncope, aut uteri validâ suffocatione, aut tandem extasi prehensos fuisse credit; ex his quippe affectionibus hominem ad se redire posse non dubitat, sed à forti apoplexia omninò negat: inquit enim minorem, ac multò minus permanentem esse causam, quæ respirationem aufert, minoremque aëris indigentiam; in apoplexia multò majorem, ac permanentiorem, respirandique majorem necessitatem. Sed hæ rationes licèt aliquid certitudinis contineant, non tamen adeò efficaces sunt, ut probent apoplecticos nunquam ad vitam revocari: tantùm enim probant, quòd in illis affectionibus hoc frequentiùs accidat, quàm in apoplexia; tamen in ipsa impossibile hoc esse non convincunt, ut in responsione ad argumenta clariùs patebit.

16. Quare ad *Hippocratis* authoritatem *aph.* 42. *lib.* 2. ubi impossibile hoc esse docuit, quid respondendum sit jam satis ex supradictis constat. Non enim illius sententiæ ita rigorosè accipiendæ, ut perpetuum & firmum eventum semper docere credamus, nam ut 6. *aph.* 58 Galenus monet, licèt ex figura dictionis semper perpetuum significent, ad veritatem tamen illarum non requiritur, quòd res semper eodem modo evenire debeant; Hippocraticæ namque veritates sicuti casus raros non excludunt, ita quando accidunt aphoristicam doctrinam non tollunt: sufficit enim quòd magna ex parte & ut plurimum accidere soleant; sic in apoplexia *Galenus* in dicto *aph.* Hippocrat. accipit, quòd magna ex parte solvi non possit, non quòd aliquando aliter evenire non possit. Hoc enim modo doctrinam *Hippocratis* aphoristicam accipi debere, præterquam quòd *Mercurialis* passim in suis comment. inculcat, optimè ex plurimis aliis aphorismis probat Sanctor. Sanctorius *lib.* 1. *vitand. error. cap.* 31. quo loco errorem illorum taxat, qui æternæ veritatis eos esse judicant: in quo sensu idem *Mercurialis* meo judicio optimè verbum illud *solvere* explicat, vel de integra solutione ad salutem & sanitatem, vel pro liberari à morte accipi posse ait. Primo modo si intelligamus, rectè hoc impossibile affirmavit *Hippocrates*, cum naturaliter ex adeò forti apoplexia nullus evadere possit, quin in paralysim deveniat. Si secundo modo, nempè à morte evadere, tunc verbum *impossibile* non rigorosè accipiendum, cùm consummatam impossibilitatem non importet, sed extremam tantùm difficultatem significet.

17.

18. Ad primam rationem ex prædictis etiam solutio patet; quamvis enim respiratio ad vitam necessaria existat, ut ipsâ deficiente animal statim pereat, hoc de omninò ablatâ & extinctâ, quæ nullam nec transpirationem, aut insensibilem musculorum motum servat, intelligendum est; aliter verò in apoplecticis, & hystericis, in quibus aliquid, quod sensum nostrum lateat, adhuc servari dubium non est, ut Galenus 6. *de locis* 5. manifestè concedit §. *Itaq. in uteri suffocat.* &c. quo loco hystericas cum nulla aut exigua respiratione vivere posse ait, dummodò ea quæ per arterias fit nequaquam intercipiatur; quo modo etiam interpretandus est Aristoteles 1. *de hist. animal. cap.* 11. cùm ait: *Sed datur vivendi facultas etiamsi respiratio desit.* Agebat enim ibi de illis quibus respiratio necessaria est, non de vita in communi.

19. Ad secundam & quartam dicimus, plerumque à crasso multoque & frigido humore talem apoplexiam oriri, qui cerebrum obstruit, ita ut facultatis animalis omnis ad reliquum corpus communicatio intercipiatur, & auferatur: hoc tamen non ita rigidè accipiendum, ut credamus tales humores nunquam à natura attenuari,

&

& expelli posse, cùm aliquando copiâ magis, quàm crassitie obstruere possint, & à naturali calore, à calidissimis etiam auxiliis adjuto, attenuari, ut facilius recedant & moveantur, facultatique omninò impeditæ locum aliquem relinquant, antequam penitùs extincta concidat; quod peculiariter alicui accidere impossibile non videtur, cùm naturæ multum à se differant, loca affecta, organorum compositio, & morborum causæ; ita ut quod plerumque taliter accidit, aliquando aliter eveniat, ut in apoplecticis multi jam observârunt: illa siquidem causæ seu materiæ permanentia, & crassities, quòd à natura vinci non possit, attenuari & expelli, difficultatem tantùm non impossibilitatem arguit. Hoc pacto plurimi diu claudi, contracti, resoluti, irâ, timore, vel incendii metu perciti, repentè sani facti sunt; de quibus legendus Valeriola *lib.* 2. *obs.* 4. ubi duos affert multorum jam annorum paralyticos, quorum unus ex vehementi excandescentia, alius ignis metu incensâ domo repentè sanati sunt: cui similem aliam historiam alterius paralytici à Fabricio Hildano communicatam refert Gregorius Horstius *lib.* 3. *cons. & epist. sect.* 12. quam ipse *Hildanus* ait legisse apud doctiss. *Aubigny* historicum fide dignum, in historia universali Gallicè impressa *lib.* 2. *cap.* 15. ubi scribit anno 1588. in expugnatione urbis Niort (Galliæ civitas est in agro Pictaviensi) civem quendam Ludovicum de la Riviere, cognomine Hometron, ibidem à tribus annis paralyticum lecto affixum, cùm nocte quâdam concursum ex strepitu armorum circa secundam noctis horam percepisset, & hostem in urbem intrâsse intelligeret, è vestigio ut cum civibus suis pugnaret, & pro patria occumberet, ex lecto prosiliisse, & cum reliquis se in hostes projecisse, à quo tempore perfectè sanus inposterum vixerit. Constat siquidem per animi affectus ita corpus totum affici, ut repentinâ illâ alteratione humores etiam impacti & crassi à sua sede moveantur; quod licèt omnes animi passiones efficere valeant, in metu & irâ multò promptiùs contingit, ut in illo, qui ignis metu paralysim & artuum torporem excussit. Sed & in ira ad similem effectum causandum majorem inesse vim citra dubium credi potest, cùm maxima & vehementissima sit illa animi commotio, quam effervescentia juxta cor parit, quâ humor biliosus in toto corpore commovetur & accenditur; unde accidit ut præ tenuitate, & qualitate sua calida & sicca protinus per totum corpus effundatur, ac nervos calefaciat, eorumque obstructiones reseret, & eâdem vi & qualitatibus causam paralysis conjunctam attenuet, & commoveat, frigidamque & humidam illius intemperiem corrigat, & crassitiem fundat ac liquet. Ita enim ex magno furore, & vehementi ira cùm aliqui paralytici excandescerent, subitò morbum discussum, & in optimum salutis statum devenisse visum est, ut in Tito Vespasiani filio accidisse aliqui tradunt, ut apud Cratonem *lib.* 6. *cons.* legimus *Consil. de paralysi pro illustriss. princip.* ubi etiam ira pro hoc morbo curando maximè commendatur, quòd multum prosit: illius quippe utilitatem in morbis frigidis *Galenus* quoque agnovit, qui *lib* 6. *de placitis* ex *Hippocratis* authoritate in illis excitandam consulit; qualiter militem quendam generosum, ac militiæ præfectum, maximum ex iracundia, quam adversùs militem concepit, beneficium in brachio paralytico expertum fuisse idem narrat Horstius *lib.* 3. *obs.* 8. adeò enim nil etiam ex detestandis affectibus nobiscum ingenuit natura, quod suâ utilitate carere posit, præsertim si commodum tempus nanciscatur: nec paralysim tantùm, sed quoscumque alios frigidos & diuturnos morbos per iram mederi, ac corrigi posse novum non est; sic virum summè podagricum in ipso paroxysmo omninò apodem injuriosis verbis affectum, maximâ iracundiâ commotum, de lecto surrexisse idem *Horstius* ibidem narrat, doloribus interim adeò sopitis, ut longum post tempus recidivam non pateretur. Sic alios podagricos timore à pristino & antiquo morbo liberatos, alios insperato nuntio subitò perculsos eandem fortunam habuisse facetissimis historiis ac veris narrat Fabricius Hildanus *cent.* 1. *obs.* 79. & passim in aliis locis ejusdem operis ex Anto. Fayi Hermani, & aliorum fidis relationibus. Quid mirum? faciliùs siquidem hæc credi possunt; quàm quæ de Cræsi filio præter *Valer. Maximum* narrant plurimi, quod vulgaribus etiam notissimum est: nam à teneris unguiculis mutus cùm hostem conspiceret in patrem irruentem in vocem erupit, atque exclamavit his verbis juxtà Solinum: *Parce parenti meo Cyre, & te hominem esse vel casibus nostris disce.* Et si historiis historias annectere fas est, cùm nil tam rarum sit, ut in natura simili careat, præter alterius muti repentè similiter loquentis historiam aliam, quam ex *Textore* in præcedentibus adduximus, alterius etiam exemplum affert

20\. 21. 22. 23.

affert Nicol. Tulpius *lib.* 1. *obs.* 41. qui ab inopinato fulguris metu perculsus, loquelam recuperavit: ego quæ miranda alii scripserunt hîc refero, ad credendum nullius fidem obstringo; scio tamen nil non de naturæ majestate credi posse, ut quamvis dubitare, negare tamen non illicò debeamus. Ita quemadmodum in ira hæc inopinatò eveniunt, sic in apoplecticis fieri possunt, si non ab ira, quæ nullo modo in illis dari potest, ob naturæ tamen conatum aliquando possibile est ut eveniant, dum calor in se unitus humores commovet, agitatque; unde non mirum, si causam morbificam vincat, discutiat, & à se expellat, aut à loco dimoveat, in aliumque detrudat.

24. Sed ne de furibunda ac effrœni hac iræ passione tot commoda propalemus, scire licet iracundiam mortalium non paucos perdidisse, ut *Euripides* ait; & cùm variis modis hoc faciat dum animam turbat, mentem excæcat, & rationem penitus aufert, saluti quoque plurimum nocere nemo non novit; cùm ex illa non solùm febres inflammationes & maxima humorum commotio fiat; quare ex illa exitiales cerebri affectus oriri monet Galenus 6. *de sanitat. tuend. cap.* 3. præsertim in impuris corporibus. Sic illas etiam ægritudines, quibus aliquando profuisse diximus, easdem quoque in sanis & benè valentibus excitâsse visum est; nam linguæ paralysim, & ex loquentibus irâ percitos, mutos evasisse idem *Valerius Maximus* narrat, sicuti de *Venceslao* Bohemiæ Rege scribit Cromerus *lib.* 18. qui in pocillatorem suum & pincernam ingenti irâ commotus paralysi affectus concidit, & paucis post diebus è vita excessit: calidiorem siquidem & concitatiorem sanguinem ebulliendo fusis succis in supernas partes, quas suaptè naturâ tentat, mittit; sic facilè caput repletur, spiritus animales confunduntur, & conturbantur: hinc vertigo, epilepsia, apoplexiaque non rarò oriri solent, ut notavit Joan. Philipp. Lonerus *lib. de apoplex. rub.* 3. Ex ira enim non solùm in graves morbos incidisse, sed repentè multos periisse testantur celeberrimi authores, Valerius Maximus *lib.* 7. *cap.* 2. Plinius *lib.* 7. *cap.* 32. & 57. Dubravius *lib.* 2. *hist. Bohemiæ*, Conrard. Lycosthenes *lib.* 14 Petr. Mexia *lib.* 1. *variæ lect.* quo loco Joan. & Petrum Hispaniæ Principes ac fratres repentè irâ maximè excandescentes periisse refert, dum in acie adversus Mauros, milites suos urgere non potuissent: eodem modo Nervam, & Valentianum Imperiatores, Scyllam quoque Dictatorem animam exhalâsse ferunt; quò minùs danda sit *Galeno* fides, qui 2. *de caus. sympt. cap.* 5. *in fine* ex ira neminem interiisse ait, cujus authoritate fulti multi ex medicis eandem opinionem diu sustinuerunt; sed tamen quidquid rationibus suis nitantur, experientia multoties contrarium illis ostendit & docuit, ut quamplurimis exemplis citati authores referunt, & ex medicis *Galeno* nullam fidem hac parte adhibendam tenent Roder. Castrensis *lib.* 3. *de meteoris microcosmi cap.* 3. Horstius locis suprà adductis, Cardanus *in cons. pro Cardin. Morono*, ac postremò Sennertus *lib.* 5. *prax. cap. de prognost. vulner.* ubi antiquorum & nostrorum exemplis ex ira plurimos subitò, aut intrà paucas horas extinctos fuisse tradit.

25.

QUÆSTIO OCTUAGESIMA.

Phrenitis quare nunquam aut rarissimè suppuretur, frequenter verò pleuritis, cùm utraque sit inflammatio, & apostema membranarum? Item cur pleuritis nunquam, aut raro contagiosa, pthisis verò semper?

NOn est cur aliquis miretur nos miscellaneam quandam quæstionum farraginem hîc attexere, ac promiscuè hinc inde varia connectere; partim enim ut medicus, illa quæ nostri juris sunt tractamus, partim tanquam philosophus, ea, quæ ad animum spectant inserimus; ubique gratiosa quædam quærentes, quæ raritate amœniora videantur, lectoremque delectent, & appetitum à gravioribus studiis fastidio affectum recreent, quandoquidem doctrinæ pondere, & styli majestate commendari non mereantur: apes tamen imitamur, quæ ex variis floribus alvearia implent,

plent, plurimaque libant, ut dulcem liquorem non sibi sed aliis præparent; ita in præsenti opere facere intendimus, quæ si non attingimus, non est cur gratiam nobis denegent; siquidem pro viribus annitimur, & humi reptantibus secundo, aut tertio conspici fastigio magnum, nam in magnis voluisse sat est.

Dubitandi ratio, quæ nos in primam hujus dubitationis partem adduxit, ea est, quòd tam phrenitis, quàm pleuritis (de exquisitis loquor) à bilioso humore progignantur, quòd pariter inflammationem habeant comitem, ex qua abscessus plerumque suboritur; quòd ambæ affectus sint membranarum, & licèt in parte affecta valde distent, tamen adeò in cæteris conveniunt, ut pleuritidem in phrenitidem mutatam vidisse scribant Jul. Alexandrinus *in epist. ad Andream Camatium*, & Saxonia: & quod magis est, videtur quòd phrenitis potiori jure in abscessum terminari deberet, cùm in cerebro tanquam in parte frigidiori contineatur, cujus ratione non ita facilè discuti humor potest, & insensibiliter evaporari, sed illius frigiditate incrassatus ad suppurationem pervenire debebat, multo promptiùs ac faciliùs, quàm in pleuritide, quæ in parte calidiori continetur, & cordi vicina est, cujus adhæsione & caloris vi attenuata bilis insensibiliter evacuari poterat, & citrà suppurationem terminari. Accedit deinde alia ratio, quia in pleuritide statim ab initio humor, qui in partem affectam confluit in notabili satis copiâ per sputum evacuatur, nec hoc tantùm suppuratione factâ, sed protinus dum morbus incipit; quâ ratione *Hippocrates* 2. aph. 12. *Si circà initia expuere cœperint, morbum abbreviat; sin verò postea, producit.* Quare evacuatâ bonâ materiæ quantitate, quod reliquum est facilius debebat vinci, & citrà suppurationem evaporari ac resolvi.

1.

2. Ad hanc difficultatem facilè responderet *Gomesius Pereira*, qui in sua nova medicina *colum.* 672. cum sequentibus tenet, multisque argumentis probare conatur inflammationem in phrenitide nullam adesse, nec pro illius essentia requiri; quam opinionem etiam defendunt Vallesius 5. *epid. in histor. Virg. Nerei.* & 5. *contr. cap.* 12. Jachinus *cap. de phrenit.* & acerrimè eandem tutatur Petrus Garcia *in lib. de locis affect.* quod si verum esset, nullus dabatur difficultati locus. Verùm in communi aliorum sententia, qui inflammationem in phrenitide necessariò constituunt (in qua nunc procedimus) quid dicendum sit, videndum jam est.

3. Primò tamen advertendum, materiam quæ in inflammatione pleuritidis continetur, plerumque citrà suppurationem per sputum expelli; quod frequentissimum est in illis, in quibus statim ab initio, & primis diebus anachatarsis optima fit, & citò excreare incipiunt, quo tempore cùm materia benignior sit, evacuatur, & per consequens morbo procedente tota per eandem evacuationem absumitur, & ejicitur, & morbus brevior fit, ut 1. *aph.* 12. notavit *Hippocrates*: cùm verò aliter accidit & intrà 14. dies per sputum non evacuatur, tunc suppuratio plerumque à natura tentatur 5. *aph.* 8. tùm propter moram, sine qua illud opus à calore fieri non potest, tum etiam quia non datur alia commodior via, quâ ille humor vinci possit: & sicuti illi, qui in 14. diebus à morbi principio non repurgantur, in abscessum & suppurationem incidunt; sic illi, qui à rupto abscessu in 40. non liberantur toto pure evacuato, in tabem transeunt 5. *aph.* 15.

4. Secundò advertendum est, non semper verum esse in phrenitide nunquam suppurationem contingere, quia aliquando (licèt rarò) humor qui continetur in aposthemate & inflammatione, quæ fit in meningibus, in pus convertitur, & suppuratio in phrenitide accidit, quod vidisse testatur Saxonia *in prognosi practicar. cap. de phrenit.* in juvene phrenetico incarcerato; & licèt magna ex parte hic casus sit deploratus, quia cerebrum ut pars mollis, humidissima, exanguis, & pauci caloris facilè corrumpitur, & sphacelatur, & quibus sic accidit, in tribus diebus pereunt, ut firmavit Hippocrates 7. *aph.* 51. de quo latiùs Amatus *cent.* 1. *curat.* 3. tamen aliquos ex illa suppuratione phrenetici aposthematis evasisse visum est, ut in prædicto juvene vidisse narrat *Saxonia*, qui in propria sua uxore idem observâsse scribit *cap. sequenti de lethargo*, & ex Dosiardonio *in obser.* confirmat. Sed cùm hoc in phrenitide rarissimum sit, ast in pleuritide admodum frequenter accidat, hujus diversitatis ratio quærenda est.

5. Pro qua dicimus ob plurimas causas contingere quòd pleuritis frequenter, rarissimè aut nunquam phrenitis ad suppurationem deveniat. Primò ratione humoris, qui quamvis in utroque affectu biliosus sit, tamen in pleuritide multò crassior est, quàm

in phrenitide; nam in dolore lateris à venis in pleuram fit defluxio in phrenitide verò ex calidis vaporibus plerumque colligitur, qui vi caloris attenuati ab humore bilioso, & ab aliis infra existentibus elevantur, & circà meninges modicâ cerebri frigiditate condensantur, & in humorem rursus convertuntur: quamvis enim humor ipse aliquando in caput ruat, ut ostendunt urinæ, quæ in febribus antea rubræ, subitò albæ redduntur, quæ tales antea non erant, phrenitidemque citò adventuram ostendunt, ac propterea malas vocavit Hippocrates 4. *aph.* 72, tamen humor, qui ascendit, cùm sursum feratur, non potest non esse tenuior, cùm crassus non ita facilè ad superiora ascendere possit: deinde in pleuritide semper multa sanguinis portio adjungitur, ut in sputis statim ab initio apparet; in phrenitide non ita, sanguis verò ut benignior facilius multò quàm bilis & à calore vincitur, & in pus mutatur. Ulterius in pleuritide major multò humoris copia adjungitur quàm in phrenitide, ideoque à calore non ita facilè ac in phrenitide resolvi ac discuti potest; unde cùm per insensilem halitum tanta quantitas non facilè resolvatur, parte tenuiori consumptâ in reliquum natura vires suas intendit, & in pus convertit; in phrenitide verò cùm multò minor sit humoris quantitas & tenuior, facilius à calore resolvitur & insensibiliter evaporatur, aut in vicina loca dispergitur & rejicitur, unde phreneticos surdos evadere sæpius videmus. Tandem partis natura non parum confert, quia cerebrum ut friabile, exangue, & calore destitutum non ita potens est humores quoslibet in pus mutare, quod pleura facilius vincit, & maturat cordis calore & viciniâ adjuta; qua ratione calidum suppurans vocavit Hippocrates 5. *aph.* 22. dura verò & pia mater calvariæ adjunctæ, ex se ipsis & ex reliquis partibus à calore, quo concoquere possint, & in pus mutare, destitutæ sunt: est enim cerebrum frigidissima totius corporis pars, talem quippe sic fuisse necessariò oportuit, quia rationis domicilium futura erat, & ne à calidis vaporibus, quos assiduè ex toto corpore suscipit, extrà modum incenderetur ac calefieret, unde mentis præcipitatio accideret & facilè homo excandesceret. Deinde humor in pleuritide contentus nisi pulmonum attractione per os evacuetur, pervium exitum aliunde non habet, unde illum concoquere natura intendit, cùm aliter ab illo liberari non possit; in cerebro verò partim per suturas, partim ad alia loca transmittitur, ut jam diximus: accedit ad hoc naturæ providentia, quæ nobilissimam partem, quale cerebrum est, à putrefactione & corruptione defendere conatur, ac sic suppurationem in cerebro, & ejus membranis, quoad fieri potest, vitat & prohibet, probè conscia quàm periculosè cerebri substantia, & meninges illi adjacentes id ferant, cùm statim sphacelus adveniat, ad quod indubitanter mors sequitur, ut suprà dicebamus; cùm & in pleuritide gangræna aliquando accidat, prout Lasarus de Soto *ad lib. de locis in homine tex.* 16. vidisse refert in Duce Medinæ Cæli, qui ante 6. obiit, tunc enim jam nullus dolor in parte sentitur, cùm sphaceli ratione sensus deficiat; & hæc est una ex causis, quare in pleuritide stante affectu non adsit dolor, ut latius explicat Augenius *tom.* 1. *epist. lib.* 11. *epist.* 5. Ex prædictis itaque causis suppuratio in phrenitide nunquam aut rarissimè contingit; ex quibus ad ea, quæ in principio adducebantur, facilè quis respondere poterit.

5.

6.

7.

Ad illud quod secundo loco dubitatur, quare pleuritis contagiosa non sit, phtisis verò maximè? videbatur enim utriusque par ratio, quia etiam in pleuritide viscosa satis materia expuitur, crassa & lenta, nec multùm differens ab illa, quam tabidi per os ejicere solent, nec in minori copia. Partes etiam affectæ, si non eædem saltem non multùm differunt, aut distantes sunt, & forsan compatiuntur aliquid pulmones in pleuritide, simulque illorum vasa, & arteriæ; licèt etiam aliter materia in pleura contenta evacuetur, de quibus prolixè adversus Erasistratum agit Gal. 5. *de locis* 3. Quare cùm hæc ita sint, unde accidat quòd pthisis adeò contagiosa existat, ut medicum quendam ex odore tantum sputorum cujusdam tabidi, quæ suprà prunas injecerat, phtisicum factum fuisse scribat Jacob. de Part. *fen.* 2. *lib.* 1. pleuritis verò nunquam, aut rarissimè talis sit, meritò dubitatur.

8.
Pleuritis quare nunquam, aut raro contagiosa sit.

Pauci (quos viderim) medicum hoc problema discutiunt, inter quos unus est Roder. Castrensis *lib.* 3. *microcos. cap.* 5. pro cujus solutione advertendum est illud, quod communiter authores in doctrina affectuum contagiosorum docent, dum causam quærunt, cur aliæ febres sint contagiosæ, aliæ minimè? de quo videndus Fracastorius, Matamoros *in libris de feb.* & alii plures, qui ajunt, non qualemcumque putredinem,

& humorum corruptionē, adjunctum habere lentorem, cujus ratione putridi vapores exeuntes magis adhæreant, & quandam malignitatem, quam ex altiori putredinis gradu concipiunt, faciliùs contrahant, & communicent; quod in ordinariis febribus putridis non invenitur, sed in illis tantum quas malignas appellamus, in quibus cum insigniori putredine lentor ille invenitur, cujus ratione contagiosæ fiunt: ita etiam in pleuritide evenit, in qua quidquid expuitur crudum & aquosum est, nec lentoris particeps; dum verò concoquitur, à natura vincitur, & in optimum pus redditur, putredinis signaturam amittit, ideoque pleuritis contagiosa non existit. Quod licèt communiter verum sit, tamen aliquando aliter evenire potest, ut materia non ita benigna, majorique putredine affecta, causas illas contagii acquirat tuncq; pleuritis contagiosa fiat, ut vidisse testatur Valeriola *lib.* 6. *obs.* 2. & Felicianus Betera; tunc enim materia viscida & lenta evadit, qualiter in phtisi contingit, in illa dico, quæ pulmonis ulcus continet, quæ propriè phtisis est, de aliis enim tabis speciebus modò non loquimur: mitto affectûs circumscriptionem, secundùm quam ex sua natura hoc habent quòd contagiosi sint, ut pestis, febres malignæ, variolæ, lepra, scabies, baras, seu morphea, strumæ præsertim ulceratæ, phtisis & plurimi alii, de quibus in illorum descriptione authores agunt, & peculiariter illi, qui de contagio scripserunt, ut post *Fracastorium*, *Palmarius*, & *Horstius*. Tandem aëris constitutio, & epidemica vis, cujus ratione plerumque morbi contagiosi fiunt; quare tunc non ex morborum natura, sed accidentali epidemica constitutione dolores lateris eandem contagionem important, ut cæteri ferè omnes, quemadmodum latiùs apud Zacutum *lib.* 2. *de princip. med. hist.* & apud *Beteram* citatum videri potest.

QUÆSTIO OCTUAGESIMA-PRIMA.

Unde accidat quòd paralysim legitimam patientes à crurum, pedumque resolutione plerumque restituantur, ita ut ambulare possint: brachium verò ferè semper immotum maneat? Item quî fiat, ut qui vel à casu, vel aliter ictum à tergo acceperunt, in urinæ, vel fæcum suppressionem, aliquando in horum excrementorum incontinentiam deveniant?

SUnt sanè omni majora fide, & penè incredibilia multa, quæ de aliquibus hominum naturis & corporibus ex veterum scriptis non contemnendi tradiderunt authores: sed nulla in re admiranda magis, quàm in his, quæ circa motum & sensum, quibus animal in suo esse constituitur, ab aliquibus tradita sunt, quæ ut rarissima paralysis mentio nobis in mentem revocat; & certè hic morbus non parum sibi admirationis vendicat. Quis enim non obstupescat dum hominem incedentem, omnibusque suis actionibus perfectè utentem, subitò quasi fulmine ictum corruere, & jam totum corpus, jam dimidium, jam partem aliquam omni sensu & motu privarī videat, ac velut emortuam concidere, ac jacere, actionemque nullam edere, quā sensiti vi animalis esse ostendat? Cæterùm medicis, qui facultatum corporis humani usum & dispensationem agnoverunt, facilè hujus eventûs causa patet; sed quantò in his omnibus paralyticis pervia & cognitu facilis est, tantò difficiliùs investigari potest, quod de quibusdam rarissimis hominum naturis, & proprietatibus, apud authores legimus, quæ vix credibilia forent, nisi conspicua magnorum virorum fides, & authoritas, ad omne falsitatis crimen longè ablegandum mentem nostram obstringeret: narrat D. Augustinus *lib.* 14. *de civit. Dei*, & ex eo Rhodiginus *lib.* 20. *antiq. lect. cap.* 16. fuisse quendam presbyterum Calomensem nomine Restitutum, qui quoties volebat, aut rogabatur, sese à sensibus abstrahebat, ita ut nec punctus, aut crematus sentiret quidpiam, ac velut mortuus humi jaceret immotus, sine ullo doloris sensu, nisi postea ex vulneribus susceptis: anhelitus velut in defuncto servabatur nullus, à quo tantummodò differre videbatur, quòd experge-

factus

factus hominum voces, si clariùs & altiùs loquerentur, tanquam ex longinquo audire dicebat. Tertullianus *lib. de anima* & Plinius *lib. 7. cap.* 52 de Hermotino antiquo philosopho idem referunt, qui quoties volebat in exstasim profundam rapiebatur, ita ut nec lancinationes, aut punctiones, aut de admoto igne sentiret quidpiam. Ferè similia de alio homine regionis Denasaciæ audivisse scribit Cardanus *lib. 2. contrad. tract. 2. contrad.* 7. ex Avicenna *de animalib.* & meminit etiam *Rhodiginus* supra citat. qui suum corpus cùm voluisset resolvebat, ut sensu omni careret, quem insuper serpentes non nisi coacti vexabant, morientibus statim, si læsissent; haud multùm dissimilia sunt, quæ de Clazomenio, & Solene narrant Plutarchus & Plinius *lib. 7. cap.* 52. de quibus ajunt, quòd interdum extrà suum corpus euntes huc illuc circumvagari se dicebant, ac ad se redeuntes res incredibiles narrabant, quæ nihilominus veræ esse comperiebantur. Simile quid de Atheo magni nominis philosopho refert Herodotus, cujus animam ait frequenter deseruisse corpus suum, ac per varios tractus, & regiones oberrans, quæcumque vidisset palam ostendebat, quæ & vera fuisse inveniebantur. Socratem quoque ferunt in exstasim rapi consuevisse, & cum suo spiritu loqui, ut quid juxta se fieret neque videret, nec agnosceret; quod de ejusdem discipulo *Platone* similiter narrant, quotidie ad certam horam à se ipso egredi solitum, & in exstasim abire, in qua tandem mortuum referunt. Quæ omnia in naturæ etiam magnitudine, & illiùs portentosa varietate adeò rara apparent, ut naturalem omnem possibilitatem excludere videantur; quare de utrisque paucula hîc dicere intendimus, ut tam admirandi eventûs causæ, si quæ inveniri possint, omnibus innotescant, & an naturaliter illa contingere potuissent intelligatur.

2. Igitur dari homines, qui pro arbitrio paralysim sibi accersere potuissent (ut alios omittamus, de quibus mox) solus *Avicenna* scripsit, quod exemplo à *D. Aug.* adducto verum esse probavit experientia. Ideoque naturalem hujus effectûs causam aliqui reddere conati sunt: Nierembergius *lib. 2. curios. philos. cap.* 13. ad proprietatem individualem referri posse ait, propter singularem aliquam partium interiorum, & musculorum conformationem, cujus ratione humores ad nervos & spinalem medullam facilè pro arbitrio reciperentur. Hæc tamen opinio non placet, quia licèt concedamus quandoque in corporibus humanis raras inveniri proprietates, tamen ad se ipsum lædendum credi non potest, quòd ipsum individuum, quod semper natura summè conservare intendit, innatâ proprietate se per morbum destruat; deinde illa facilitas retrahendi humores ad partes illas admitti non potest, quia attractio ex nulla proprietate individuali pendere potest in homine, nisi mediantibus ipsius attractionis causis, quæ solum operari possunt quando in corpore inveniuntur, minimè verò ex voluntate pendent: nam licèt in homine per animi affectus humores jam in hanc, jam in illam partem ferri videamus, hoc pro arbitrio exequi non potest, cùm voluntas multò minus potens sit, quàm animi affectus; hi enim contrà omne voluntatis imperium corpus quatiunt & movent, voluntas verò illa solùm, quæ sui juris sunt, & illius imperio subjacent, ut membra, non humores, qui naturaliter aut præternaturaliter moventur, nulloque modo voluntatis jussum expectant, aut sequuntur. Tandem oportebat assignare causam ex qua penderet alia facilitas ad illos humores iterum deducendos, & à partibus nervosis & aliis in quas se insinuaverant iterum expellendos; quod difficillimum est, nam semel ibi impacti fortissimis etiam remediis resistunt, cùm intra nervorum cavitates & substantiam imbibiti sint, ad quos expellendos voluntas aut imaginatio nullam vim habent; solum quippe hæ potentiæ talem effectum producere valent ad illas partes, ad quas natura propter aliquem finem hoc intendit, ut contingit in Venereis cogitationibus, aut in animi affectibus, pudore scilicet & doloris sensatione; tunc enim natura ex innata scientia sanguinem & spiritus ad partes illas movet, quas aut succurrere aut adjuvare nititur, non ex voluntatis arbitrio, quæ humores nullo modo movere potest, ut jam diximus.

3. De relatis aliis, qui se penitus à sensibus abstrahebant, & velut mortui animâ corpore exutâ peregrinâsse dicuntur, vel cum propria anima sermones conseruisse, inter quos & *Cardanum* numerare possumus, qui in sua *gent.* scribit se cum liberet extra corpus rapi, varia est authorum opinio. Sunt plurimi, qui illos in exstasim rapi solitos imaginentur, quo tempore animæ sentientis, moventis, & intelligentis officiis privati, velut mortui jacebant: alio modo hæc passio dicitur stupor,

stupor, & cum validissima est, exstasis appellatur, latinis excessus, ut habet Scaliger *exercit.* 312. quem sanè affectum cum catoche & catalepsi morbo à medicis dicto nonnulli confundunt, in quo sanè sensuum internorum & externorum tactus, & voluntarii motus cessant cum subita mentis apprehensione, & omnium sensuum: proinde sic affecti rigidi manent in eo statu in quo prehensi fuerunt, apertis ac immotis oculis statuæ alicujus instar; nec enim sentiunt, vident, aut audiunt præsertim cùm affectio gravior est: itaque nomine exstasis hic quoque morbus intelligitur, & hic morbus exstasim comprehendit, nam licèt *Hippocrates* exstasis nomine vehementem semper mentis amotionem, & delirium intelligere videatur, ut de mentis potestate exire, mentem vehementer moveri, ac delirare; quo sensu insanientibus, phreneticis, & maniacis passim apud ipsum *Hippocratem* tribuitur: tamen usus vulgò

4. obtinuit, ut hi qui omnibus animæ sentientis, moventis, intelligentis functionibus privantur, & quasi mortui jacent, & sæpè postquam evigilant, mira quæ viderint & audierint narrant, exstasis nomine, & exstatici dicantur. Exstasis verò ultimo modo sic sumptæ non abs re duplicem differentiam constituunt, naturalem scilicèt, seu morbosam, cùm à causa naturali (qualiter in catalepsi medici explicant) dependeat: aliam verò exstasim propriè dictam, adhuc duplicem esse statuunt, divinam unam, alteram quæ ex dæmonis virtute proficiscatur; rursusque distinguunt in illam in qua licèt omnibus animæ actionibus priventur, tamen anima in corpore detinetur aliam in qua anima à corpore omninò separatur; quæ tandem exstaseos ultima differentia an dari possit; philosophis & Theologis determinandum relinquimus: in qua re, quidquid multis historiis & exemplis apud Bodinum *lib. 2. dæmonol. cap.* 5. probari posse videatur, rectiùs hanc rem determinare videntur illi, qui nullâ dæmonis aut magorum arte causari posse affirmant; omnibus quippe illis historiis facilè respondetur in hujusmodi raptibus vim magicam intercedere, quæ vafricie mortalitatem mentiatur, cùm reverà nunquam in illis anima à corpore recedat; hoc enim citrà mortem fieri nequit, quæ nil aliud est, quàm animi à corpore separatio: & cùm ipsa separatione anima à corpore recedat, iterùm illam ad suum locum reducendi nulla est dæmonis potestas, ut latè probat Nicol. Remigius *lib. 2. dæmonol. c.* 1. hoc enim sola Dei virtus facere potest, quæ per raptum animam separare potest, conservatis interim in corpore dispositionibus ad ipsam iterùm recipiendam requisitis, quod an sibi contigerit dubitare se *D. Paulus* fatetur *ad Corinth.* 12. tenent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 175. *nu. ult.* Delrius *lib. 2. disq. magicar. quæst.* 25. & ex medicis Perdulcis *lib. de morbis animi cap.* 13. Ex quibus inferimus illa omnia, quæ de Hermotino, Clazomenio, Atheo Herodotus, & Plinius *lib. 7. cap.* 52. & de Solene *Plutarchus*, sicuti de aliis, nec naturalem, nec divinam fuisse exstasim, nec verè mortuos, aut in illis raptibus exanimatum corpus habuisse; quippe ut rectè inquit *Tertul.* lib. de anima, *Omnia sunt potius consectanda, quàm hæc licentia animæ sine morte fugitivæ concedenda.*

5. Dicimus ergò superstitionis diabolicæ virtute talia peregisse, quâ eorum sensus ligabantur, obstructis nempe tramitibus, per quos spiritus animales à cerebro ad sensoria ipsa permeant, retractoque eodem spiritu ad sensum communem, ibique retento, ne ad sensus exteriores remeare posset; quo factum erat, ut sensuum externorum actionibus impeditis, corpus ipsissimam cadaveris speciem præ se ferret, ut de Lappiorum, & Finnorum exstasi scribit *Olaus Magnus*, qui dum certo loco manerent soporati, varia tamen se peragrâsse falsò arbitrabantur, ac multa dæmone magistro enarrabant, quæ eodem tempore longioribus locis contingebant. Hoc enim eodem astu Cornel. quidam sacerdos Patavinus bello inter Cæsarem & Pompeium exardente, à corporis sensibus abreptus, pugnam ordine longè certiùs enarravit, quàm qui eidem interfuerant. Hoc eodem dæmonis pacto Apollonius Ephesi existens omnia recensuit, quæ Neroni eodem tempore Romæ accidebant. Sic Juliano per puerum quendam in exstasim raptum sua mors prædicta fuit, qui cum in speculum contemplatus esset, infausti sideris illum admonuit, adesse videlicèt hostes, qui ipsum interimerent, quos tamen puer nec unquam viderat, nec antea loqui audierat. Similiter etiam philosophus alter Pompeio quidquid operis inimici exercerent, jam in prælium descensuri, ex speculo subindicabat: qui omnes non aliter quàm per malum spiritum edocti talia proferebant, quem patrem suum per 30. annos familiarem habuisse fatetur Cardanus *in lib. de rer. variet.* quin imò & ipsum non alia

de causa extra corpus rapi consuevisse (si verum est, quod scribit) suspicari meritò possumus; plerumque enim sortilegi filios informant ut in mentis excessum rapiantur, sed & omnes qui voluntariè id agunt magos esse apud omnes confirmatum est, quorum plurimæ historiæ apud *Bodinum*, *Springerum*, *Remigium*, *Delrium*, & alios videri possunt, quas longum foret transcribere: est quippe id genus in sensuum omnium privatione velatum, aptissimum dæmonis commentum, ut multa sub ægritudinis prætextu incautis persuadeat, quemadmodum cum Mahomete epilepsiæ morbum patiente, aut mentiente similem vafriciem construxisse notissimum est; à qua, ut sanctitatis specimen ostenderet, non multùm aberat sacerdos ille, quem *cap. de catalepsi* Romæ vidisse scribit *Rondoletius*, qui fictam quandam in ipsius anima operationem ostendere satagens, quam verba Passionis *Consummatum est*, illi causabant, ad illorum verborum auditum protinus velut in exstasim se dabat, cujus technam *Rondoletius* suspicatus petito baculo facilè detexit.

7. Fateor tamen multa esse effecta facultatum animi, qui nonnunquam à vinculo terrestri aliquantisper absolutus in contemplationem arcanorum arripitur, resque alias incredibiles facit, miraculosas, prodigiosas, & quæ cum natura pugnare videntur; adeo ut vulgus multa malignorum spirituum commentis attribuat, quæ humani ingenii viribus aliquando perpetrantur, ut in noctambulonum historiis legimus, de quibus *quæst.* 37. aliqua jam suprà tetigimus. Quatenus verò ad Socratem attinet, constans etiam fama est spiritum habuisse familiarem, cujus commento in illam sensuum extractionem devenire potuisse mirum non erat: quidquid aliter de illius Deo (quem talem fuisse, cum quo frequenter loquebatur, plurimi tradunt) sentiat Apuleius *in lib.* quem *de Deo Socratis* scripsit: ait enim genium suum fuisse, quem pro Deo Socrates colebat; quæ si vera non sunt, catoche morbo forsan laborare potuit, ut ex nostris medicis suspicatur Forestus *obs.* 4. *lib.* 10. cum in eisdem vestigiis à solis ortu, in alterum usque solem aliquando durâsse repertus fuerit, inconniventibus oculis atque ore immoto; nisi dicamus cum graviss. auth. Gellio inter labores voluntarios, & corporis exercitia ad fortuitas patientiæ vires id facere consuevisse, à quo etiam simile corporis, & animi exercendi studium addiscere potuit Plato, aut ab Indorum, & Ægyptiorum Gymnosophistis, quorum doctrinam ut audiret in Ægyptum navigavit, de quibus narrat *Solinus*, ab exortu usque ad solis occasum contentis oculis orbem candidissimi sideris intueri, in globo igneo rimantes secreta quædam, arenisque ferventibus perpetem diem alternis pedibus insistere; sic enim facere consuevisse testantur etiam Plin. *lib.* 7. *cap.* 2. D. Aug. *lib.* 15. *de Civit. Dei*, & Cicero *in Tuscul. lib.* 5. Ipsum verò quod ajunt in hac contemplatione mortuum, fabulosum est, cum pediculorum morbo sublatum verius legamus, unde de pediculis Platonis adagium suscepimus, ut in illius vita abundè testatur *Laërtius*.

1. Problema. Paralysis occasione pauca hæc tanquam rariora præmittere placuit, quę si minus pro operis indigentia convenire videantur, amico tamen lectori fastidium nullum allatura cogitamus; nam rari eventûs plurima quæ ad medicum spectent, & illius supellectilem augeant, hoc opere adjungere decrevimus, quibus ipsi gravioribus studiis lacessiti ad novos legendi conatus assumendos animũ recreare possint, atque erigere, cum scitu digna, ac jucunda videantur, atque inprimis ob raritatem grata. Quare jam ad problemata tempestivum est ut accedamus: & quatenus ad primum dubitari meritò potest,

8. quî fiat, quòd paralytici, qui corporis medietatis, brachii, & cruris, sensu omni & motu privantur, adhibitis remediis, quibus aliquando utilitatem consequuntur, hanc potissimum in crure experiantur, ita ut (laboriosè licet) eos incedere plerumque videamus; brachii verò resolutio rarissimè aut nunquam emendetur, sed immobile, & paralyticum prorsus maneat? cum tamen econtra accidere debere videretur, nam cum facultas animalis, quæ sensûs & motûs causa est, ex cujus defectu partes illæ laborant, à capite descendat, & ibi principium suum obtineat, videbatur sanè viciniores partes citius, ac facilius illius beneficium suscepturas, præsertim cum facultas parcius, & debilius suam vim nervis communicare possit, ut in paralyticis accidit; quare cum brachium à capite multò minus distet, quàm crura, consequens videbatur, ut cum ambo eodem facultatis defectu laborent, citius multò quàm crura, facultatis communicationem & beneficium brachia suscipere deberent; maximè etiam cum cordi propinquiora existant, à quo caloris majorem copiam suscipiunt, qui in hac ægritudine multum adjuvat: quod tamen contrario modo accidere conspicimus.

Ron-

Rondoletius *c. de paralysi*, quem sequitur Forestus *lib.* 10. *obs.* 19. hujus dubitationis nullam aliam causam assignat, nisi quòd pedum nervi ficciores sint, & robustiores; omnes enim, qui è vertebris lumborum oriuntur, ante egressum jam nervos esse ait, spinalis enim medulla in nervos degeneravit. Sed tamen quamvis hoc ita sit, hujus eventûs causam non reddunt; siquidem nervorum illa siccitas insufficiens est; & quamvis ad motum nervorum siccitas melius facere videatur, ad sensum nil præstat, cùm motu & sensu brachia careant, & in crure multò citiùs reperiantur. Deinde brachiorum nervi non multò minus sicciores sunt, cùm brachia assiduè moveantur, & illorum nervi non à cerebro, sed à spinali medulla oriantur; quare illud quod *Rondoletius* affert, dubitationem nec solvit, nec sufficientem istius effectûs causam nobis inculcat: igitur aliter quærenda est.

9. Ego triplicem invenio; prima nervorum est rectitudo, cujus ratione facultas promptiùs ad pedes, quàm ad brachia fertur, cùm in brachio nervi obliquam magis conformationem obtineant; secunda est ipsius morbi causa materialis, quæ cùm nervorum principium occupet, brachii nervos magis offendit tanquam viciniores, unde in majori quantitate in illis imbibitur, & ad illos defunditur. Tertiò quia ex naturæ ordine factum est, ut sensus tactûs propè cerebrum imbecillior sit, ad extrema verò perfectior & validior reperiatur, ut 7. *de placitis* docet *Galenus*, quò enim nervi longiùs dissiti fuerint, eò magis illorum principium de illis solicitum est: sic parentes absentium liberorum solicitudine magis anguntur, quàm præsentium, pro quo lege And. Laurentium *lib.* 4. *suæ anat. quæst.* 11. *in fine*.

[Se]cundum [pro]blema. 10. Secundum quod quæritur, suâ etiam difficultate non caret; videmus enim aliquando ex ictu, aut casu suprà spinalem medullam hominem jam in urinæ, aut fæcum omnimodam suppressionem, jam in istorum excrementorum incontinentiam incidere, ita ut invitè profluant. Sennertus *lib.* 3. *prax. parte* 8. *sect.* 2. *cap.* 6. *de mictione involunt.* hoc dubium tetigit, dum quærit, quomodò ex eadem causa urinæ incontinentia, & illius suppressio fiant? respondet urinam ex refrigeratione supprimi, quæ quidem frigiditas si sentientem tantùm facultatem afficiat, ita ut urinæ stimulum non percipiat, urinam detineri; si verò non solum afficiatur sensus, sed etiam facultas motrix ita lædatur, ut musculum contrahere non possit, involuntarium urinæ profluvium accidere: utriusque exemplum habemus apud *Galenum*; nam 6. *de locis* 4. sic ait: *Atque in alio similiter affecto suppressa fuit urina torpente ob affectos nervos vesicæ sensu*: & hic est primus modus à *Sennerto* adductus. Pro secundo idem Galenus 4. *de locis* 5. piscatoris historiam narrat, qui in fluvio natans, circa sedem & vesicam adeò infrigidatus fuit, ut ipso invito effluerent alvi excrementa, & urinæ. Sic tenent præter *Galenum* Paulus *lib.* 3. *cap.* 45. Avicenna *lib.* 3. *cap.* 6. *&* 7. qui omnes ex vesicæ paralysi sequi urinæ retentionem asserunt, propter defectum virtutis motricis in nervo. Clariùs multò explicat Nicolus *serm.* 5. *cap. proprio*, ubi ait quòd parva musculi paralysis efficit retentionem, valida, per quam constringi non potest, expulsionem involuntariam: eodem modo dubium proponit & solvit Zacutus 2. *de Princip. hist. in com. hist.* 146. *& sequentib.* in uno quippe ait torpore nervos affici, in altero resolutionem pati: & cùm resoluti sunt actiones edere nequeunt, vesicæ ostium non claudentes, unde involuntariè exit urina; si torpent tantùm, ostium quidem claudunt, sed expultrix vis suo non potest officio fungi, cùm ob torporem non excitetur: atque ita licèt ex eadem causa contrarii affectus oriri non possint, tamen quatenus ipsamet causa intensior est, aut remissior, diversum effectum parit, ob majorem læsionem, quâ nervos labefactat, & vim omnem illorum resolvit.

11.

Solutio. Sed licèt ista omnia probabilia sint, & secundùm rationem, quatenus ad causas internas, aut procatarcticam ex immodica frigida intemperie ortam; tamen hic nos dubium proponimus in illis tantum, quibus ex percussione aut casu hæc effectûs varietas accidit: nempe quare in illis aliquando excrementa omninò supprimantur, aliquando eadem contineri non possint? In his siquidem non à frigida aliqua intemperie, urinæ, aut fæcum alvi suppressio, vel incontinentia oritur (non enim si ita esset repentè hoc malum contingeret:) quare alia causa quærenda est. Hanc ego nullam aliam esse puto, nisi diversorum nervorum læsionem: alii enim nervi inseruntur in corpus vel vesicæ, vel intestini, alii in musculum sphinterem seu constrictorium dictum; igitur cùm ex forti percussione aut casu accepto ictu, ratione loci jam istius partis nervi, jam illius nocumentum accipiant, ut etiam ex magna læsione resol-

van-

vantur, nec animalem facultatem recipiant, ut suo officio fungi valeant; accidit ut cùm illi resolvuntur, qui ad substantiam & corpus vesicæ, vel intestini inseruntur, tunc excrementa retineantur; quia facultas expultrix eo tempore sopita jacet, & ad expulsionem nullo modo movetur, cùm nec intestina nec vesica excrementorum molestiam ullam aut gravamen sentiant: cùm verò nervi resolvuntur musculi constrictorii, tunc excrementa involuntariè exeunt. Ano quippe tres musculi inseruntur ut communiter docent anatomici, & inter ipsos optime Columbus *lib. 5. cap. 27. de re anat.* ex quibus unus orbicularis est, qui sphinter; aliter constrictorius, seu janitor appellatur in extremo recti intestini positus, fibris constat transversis, & cum cute admodum unitur, à coccyge ligamentis mutuò acceptis; hic verò eodem munere fungitur, quo vesicæ similis alius musculus donatus est, quemadmodum enim hic urinam, sic ille fæces detinet, ne nobis invitis fluant, ut 5. *de usu part. cap. 16.* latè docet *Galenus*. Si enim hi non essent musculi, nobis urina & alvi excrementa in singulis horis excernerentur, ut accidit iis, quibus nervi istorum musculorum resoluti sunt, aut insignem frigidam intemperiem patiuntur; siquidem ab utraque causa hoc malum contrahi posse certissimum est, de quo lege Saxoniam *in prognost. practicar. cap. de paralysi problem.* 4.

12\. Hujusmodi verò morbus molestus & inurbanus, etsi suâ gravitate non careat, tamen aliquos ex prædictis causis illum patientes sanatos fuisse testatur Galenus 6. *de locis* 4. Rasis 23. *Contin. tract. 2. cap. 1.* & plurimi alii. Quarè multò aliter intelligendus est *Hippocrates* dum *in coacis* scribit: *Quibus clam & inconstanter urina elabitur, de spe depositi sunt.* Hæc enim prognosis ad illos potissimùm spectat, qui mente sunt capti, & in quibus cerebri facultas essentialiter jam læsa in suo principio invenitur, ut optimè explicat *Duretus*. Eodem modo cùm initio ejusdem operis *Coacar. tract. 5.* ait: *Ex frigore pestifera est urinæ suppressio*: non enim hoc loco agit de refrigeratione, quæ per causam externam subitò nervos vesicæ, aut sphinteris læsit, sed aut de ischuria intelligendus, quæ ab emulgentibus intemperatis & resolutis, & ob jam exsolutam vim officium suum non præstantibus, in quibus desperata affectio est: vel tandem cùm *Hippocrates* ibidem de accidentibus, quæ ex febribus acutis proveniunt, potissimum agat, meliùs dicendum videtur pestiferam appellare urinæ suppressionem, quæ à refrigeratione oritur, quando illa frigiditas ad intensissimos calores subsequitur; omnem enim intemperiem frigidam à caloris vi factam salutis desperationem afferre notissimum est, ut docet Galenus 3. *epid. sect. 1. com. 7.* ubi ait insanabilia esse frigora, quæ calidis & siccis morbis succedunt, quam intemperiem facilè vesica contrahit, cùm sit pars exanguis & carnis expers, & ex sua natura frigida.

QUÆSTIO OCTUAGESIMA-SECUNDA.

Convalescentibus, & morbo jam exutis, cur genitalia turgescant, & veneris pruriant desiderio? Cur mulieres citiùs quàm viri sterilescant? An convalescentibus liceat barbam radere? Agitur de mutatione camisiæ, & linteorum in ægrotantibus; Item quot infirmos ad curandum medicus suscipere debeat, ut debitè & securâ conscientiâ illis providere possit.

1\. NEutrorum classem etiam convalescentes, & à morbo expediti ingrediuntur, qui licèt ab illo penitus sint exuti, & ægritudinem omnem à se expulerint, ob contractam tamen debilitatem actiones naturales commodè perficere non possunt, nec sanorum more cætera obire vitæ munia, quæ alii exequuntur, quousque membrorum languor evanescat & pristinum vigorem acquirant, calorque naturalis ægritudinis labore refractus novas resumat vires, operaque omnia rectè adjuvet, quæ illius virtute perficiuntur: hac de causa debiles, macilenti, decolores & minus valentes

lentes conspiciuntur, quousque omninò relevata natura, & velut victrix hoste penitus ejecto, acceptam quoque jacturam paulatim resarciat, nullaque labe infectis humoribus gaudens, novum salutis florem iterum germinet: sed in hac temporis intercapedine dum adhuc convalescit, & in multis aliis languet, accidit ut genitalia semine turgida pruriant, & coitûs desiderio plurimi teneantur. Quod sanè mirandum est, cum aliquando nec cibum rectè appetant, nec feliciter concoquant, ad animalesque alias actiones non ita expeditè & alacriter se gerant. Quî igitur fieri possit, quòd cum in plerisque aliis ratione præcedentis morbi parum valentes sint, generationis tamen membra citius quàm alia sanitatem præsentiant, & languentibus adhuc aliis ad munus suum sese erigant, naturæque & salutis beneficium multò quàm aliæ partes celerius capessere ostendant? cujus eventûs causam eam potissimum esse suspicor, quia venarum obstructione discussâ, ac patefactis meatibus, qui antea putrescentium humorum sarcinâ replebantur, hepar primùm, deinde renes, aliaque interna membra suscipiendis; & distribuendis humoribus destinata, puriori alimento jam perfusa eodem tanquam desideratissimo fruuntur ac præ cæteris instaurantur: quo fit ut novas vires arripiant, spirituque naturali & vitali affatim impleantur: sed cùm generationis membra multo robore in attrahendo polleant, sensuque exquisitissimo prædita sint, & cum præcipuis membris communicationem quandam obtineant, venarumque, arteriarum, & nervorum propaginibus conspicuis, & patentioribus sint referta, turgescunt facilè, ac libidinem despumant, cùm adhuc eo tempore remotissima alia membra, pedes, brachia armi, suræ, femora, cervices & id genus alia ut frigidiora & à calore naturali minus adjuta, seriùs vitali succo perfundantur; pudenda verò & obscœna hepatis munere, salubri rore promptissimè irrigata, ac saginata pinguescunt, quo fit ut omnium primò convalescant, ac virile robur concipiant: nam ex optimo nullaque putredine infecto, novoq; (ut ita dicam) alimento imprægnata intumescunt, & qua vi imbuta sunt, ad pristinum officium vel levi tacitaque imaginatione occurrente deveniunt: hinc apud medicos certa indubitataque recuperatæ valetudinis indicia proferunt, cùm prurire ac tentigine affici incipiunt, quamvis in reliquis membris ad torum nuptialem adornandum, & hymenæum celebrandum vires desint, nec tanto labori sufficiant. Scio aliquos ad succorum & humorum caliditatem & acrimoniam ex morbo contractam, hunc in convalescentibus genitalium pruritum rejicere; sed hęc ratio mihi non placet, quin si ita esset, dum ægrotant hoc potius accidere deberet, cùm tum calor & acrimonia magis vigeant. Causa igitur à nobis adducta verior est, & ob hanc morbo defunctos, & convalescentes, in Veneris amplexum sæpius proclives esse conspicimus; quos tamen seriò commonefacere oportet, ne maturiùs quàm par est & vires tolerare possunt, sese Veneri tradant, & in ipsam libidinosè ruant, cùm aliquibus inconsultò ad illam properantibus lethaliter affici contingat, sin minus, in deterius vergant; puriori namque succo, & vitali spiritu celeriter exhaustis in periculosam debilitatem facillimè deveniunt, naturæque vires à morbo nondum revalescentes enervant, & vigore nondum confirmato in eundem aut graviorem morbum iterum relabuntur; siquidem sincerior puriorque alimenti pars ac roscidus humor, quo arida extenuataque membra, & morbo inanita madescunt atque irrigantur, intempestivo Veneris usu absorbetur, ac velut lactis cremor emungitur, unde vires, quibus parum adhuc incrementi accesserat, de novo concidunt, ac conteruntur.

Consultum igitur fuerit, ut qui matrimonio additi sunt, & quicumque alii, ubi à morbo sunt relevati, & reviviscere incipiunt, ne festinanter fœminis se objiciant, atque emulgendos præbeant, sed voluptatis potius, & libidinis frænum moderentur, alioquin ut morbus iterùm recrudescat periculum est, ac de subita aliquando morte timendum; nam si coitum die sanguinis missionis, aut purgationis peractum non solùm damnosum sed lethalem posse esse notat Acastro *lib. 3. de morb. mul. cap. 5.* quantò potiori ratione in convalescentibus, qui plerumque plures evacuationes sustinuerunt, & vires habent exhaustas, hoc timendum erit? sin minùs, ut ægerrimè convalescant, cùm videamus in delicioso hoc belligerandi conatu, validos etiam & robustos adolescentes, si uxorum embolia (ut Ciceronis verbo utar) sæpius frequentent, subsidere ac enervari, ut propterea recenter nuptos, & qui in Venerem præcipites feruntur, mustelini coloris, buxei aut plumbei, membris articulisque fractis non rarò conspiciamus; quantò magis vacillantis & dubiæ valetudinis timendus est casus, cum vel levioribus aliis erroribus facilè succumbat, & dejiciatur? quod sanè periculum licèt hominibus magis proclive sit, utpote qui in hujusmodi congressu ob plurimam,

Margin notes: 2. — *[C]onvalescentes quà venerē [a]ppetant.* — 3. *[G]enitaliū [ar]dor & [pr]uritus [...]are in [m]orbis sa[n]atare sit [si]gnum.* — 4. *[C]oitus in [d]ie purgat. [a]ut san[g]ui. miss. [a]dmodum [p]ericulo[s]us.*

quam conferunt seminis, & spirituum copiam, multò magis debilitentur, ingentemq; jacturam patiantur; in fœminis tamen nocumenti non parum etiam afferre certum est, cùm suo etiam in mutuis complexibus semine destituantur, quæ cùm paucum contineant, illius quoque defectum, præsertim dum convalescentes sunt, innoxiè sustinere non possunt. Multò autem minorem quantitatem prolifici hujus humoris, quàm viros generare, illarum cita sterilitas indicat, quæ non aliundè provenit, quàm quòd insiti caloris ac naturalis minori vi præditæ sint; unde ad primum senectutis ingressum, puta ad annum 49. omnibus generandi vis deficit, & non paucis multò antea, non potente jam naturâ humores in optimam illam substantiam transmutare; quo fit ut tunc magis pinguescant, cùm materia illa, quæ in semen abitura erat, in pinguem aliam degeneret, quâ corpus incrassatur, & obesius redditur, interim semine aut nullo, aut pauco, & ad generationem inepto in corpore supercrescente, ut 1. *de gen. animal. cap.* 18. & 19. scripsit *Aristoteles*. Sunt quippe pinguia omnia exanguia eodem docente 3. *de hist. animal. cap.* 19. ac proinde steriliora evadunt, ut 2. *de partib. cap.* 5. idem tradidit author, ac etiam frigidiora fiunt; siquidem universim frigida magis, quàm calida ad obesitatem generandam aptiora sunt, ut in frigidis patet regionibus, in quibus homines magis, quàm in calidis pinguescunt, ut 2. *simpl. cap.* 20. Galenus adnotavit: quibus venarum angustia etiam adjungitur, qua de causa & paucioris sanguinis sunt, & frigidiores 2. *de temp. cap.* 4. Hinc pingues generationi minùs apti sunt 5. *aph.* 46. econtrà macilenti calidoque innato abundantes, quo non solùm pinguedo liquescit, & humores dissolvuntur, sed ejus quoque beneficio semen elaboratur.

5. Mulieres quare citiùs quàm viri sterilescant.

Crassi & pingues quare pauci seminis sint.

6. *Barbam an convalescentes citra noxam radere possint.*

Quoniam igitur in convalescentibus circà medicos usus non incongrua prosequimur, nec illud quoque prætermittendum quod non rarò ipsi à medicis perquirunt, an scilicèt barbam radere sine nocumento possint? solet enim in hominibus, ubi præter consuetudinem morbi occasione, aut alia de causa, illius consueta abrasio omittitur, molestiam quandam afferre, & punctiones quasdam incutere, quæ non aliter cessant, nisi novaculâ pro more ad cutem usque radantur. Sed quia ægritudinis labore multi adhuc delicati & debiles existunt, operationem illam non sine ratione extremiscunt, tanquam damnum aliquod afferre possit, & viribus dejectis aliquam vim inferre, quâ in morbum iterùm deveniant; cùm præsertim balneo utantur, quod quamvis faciei particulare sit, humores tamen extenuat, fundit, & commovet. Igitur sic talibus consulendum judico: nam si qui convalescunt perfectè sani sint, & à morbi etiam reliquiis non solum liberi, sed vires quoque à morbo exhaustas aliquatenus refectas habeant, iis rectè permittendum ut ad consuetum illud opus deveniant; aliter, si vel anteactæ ægritudinis aliquid patiantur, aut notabili virium debilitate premantur, illis haudquaquam de barbæ, aut capillorum rasura consulendum: siquidem humorum fluxiones procreat, & siquæ sunt in corpore morbi reliquiæ, illas movet atque agitat, recentemque febrem, ac velut sopitum incendium excitat; quo fit, ut motione affectiones recrudescant, & febrium residua postliminiò excitentur, non minus quàm ex cibi potûsque aut alia quavis intemperantia: innumeri siquidem à lecto excitati, cum penitus morbum devictum judicâssent, facilè in recidivam prolapsi sunt, quòd imprudenter frigido aëri se exposuerint vestibus non benè muniti, aut quòd subuculam, aliáve indusia sine diligenti custodia, & præparatione mutâssent. Cæterum si resumptis viribus jam validiores indies evadant, & præteriti morbi nullam molestiam patiantur, ut ad consueta munia paulatim redeant permittendum est; ita ad barbæ abrasionem accedere optimum erit consilium, atque conveniens, ut nihil delectamenti illis deficiat, quod ad absolutam sanitatis integritatem eosdem adjuvare, promovereque possit.

7. *Capitis pilos in morbis deponere quàm utile sit.*

Sed licèt hæc optimè dici videantur, prout sic consulunt Levinus Læmnius 4. *de occultis cap.* 8. & Georg. Pictor. *lib.* 1. *de bona valet.* advertere tamen oportet, sæpius multum expedire, non ad munditiem solum, sed ad morbos etiam, ut pilis onustum caput ab illo onere levetur, in capitis præsertim affectibus, & in illis in quibus dolore premitur, gravísve aliqua affectio timetur, quo tempore necessarium maximè est, ac utile vellus deponere, ac pilorum superfluam nimiamque congeriem quàm submissè abscindere; sic enim non solum ab illo onere levantur ægri, sed vapores & excrementa, quæ ad caput ascendunt melius per cutem exeunt, & dissipantur, ægrique multò alacriores, ac deonustos se sentire fatentur, ut in plurimis quotidie observamus; quod tandem opus in morborum principiis potius quàm in progressu faciendum, non in augmento & statu, in quo humores multum commoventur, & facilè quacumque levi

levi occasione decumbunt, quo tempore ut in aliis, ita in hoc quiescere conducit.

Quando igitur circà barbæ & capillitii compturam hæc pauca attulimus, operæpretium etiam fuerit de corporis munditie, & linteaminum commutatione aliqua circà ægrotos adjungere, cum præsertim medici aliquando in hoc hæreant, & ægri non raro molestissimè ferant, cum se in sordes, sudores, & mille alia corporis & medicinarum spurcissima retrimenta immersos videant: invaluit enim mos apud medicos, nescio quo fœditatis & pædoris illorum larvato authore, ut miseros ægrotantes in horridis ipsorum excrementis turpiter contineant, aliumque immunditiæ morbum, & squaloris, ægrè & anxiè tolerabilem morbo addunt: indusia quippe, & cætera linteamina in aliquibus præcipuè morbis periculosè mutari inculcant, quod potissimum in variolis, morbillis, malignis & pestilentibus febribus commendant, sicut in puerperis eandem consuetudinem observari præcipiunt; quod rigorosè obstetrices admonent, ac cavent: eodem modo in illis, qui luis Venereæ causâ Mercurialibus unguentis, aut sudoribus tractantur; cùm si aliter fiat, non levem jacturam à frigido ambiente externo à recentium indusiorum approximatione timeri posse sedulò moneant. Quare autem sic faciant causam esse ajunt, malignorum morborum naturam, quæ pororum corporis apertionem requirit, ut tetri illi & venenosi vapores liberè extrà corpus pellantur, cùm meatibus obstructis, qui facilè ex quovis externo frigore constipantur, ingens suboriatur periculum, exhalationibus illis ad cor & intima iterùm remeantibus, à quibus vitalis facultas oppressa resolvitur & in maximas angustias devenit; quod tanto magis cavendum cùm vel in putridis tantùm febribus Hippocrates *4. acut.* 39 febricitantium corpora quietem agere contegi atque ungere jubeat; nam illos qui inquieti sunt, & incompositè brachia & crura assiduè hinc inde trahunt, & aëri se exponunt, in manifesto periculo versari non est dubium; sic enim non solùm prodeuntia miasmata intrò repellunt, sed exanthemata, variolas, sudores. quæ crisim natura aliquandò intendens, movere conatur, impediunt quo minùs exeant, cum evidenti illorum detrimento, & eò magis quò febris majoris & pravioris malignitatis particeps fuerit; hac enim de causa in hujusmodi morbis externorum frigiditatem medici tantoperè abhorrent, ut caloris naturalis à venenosa qualitate oppressi & in maximo labore versantis indubitatum signum: ideoque non solùm corpora contegere & calefacere expedit, sed calidis unctionibus rarefacere ex *Æsii* præscripto jubemur, in quem usum ex camomelino cum nitro inunctiones adhibemus ac totum corpus perfundimus, pedes quoque raphani aut cæpæ succo fricantur, imò & caustica vesicantiaque ad majorem attractionem non raro apponuntur.

8. *[...]aeci ta[...]ntur qui [...]os in [...]libus [...]fœtori[...]deti[...]t.*

9.

Tetrab. 2. ser. 1. cap. 78.

10. *[...]usia, [...]intea [...]tis [...]anda.*

Verùm etsi prædicta non citrà rationem ita dispensari videantur, spurcissimam tamen hanc consuetudinem probare non possum, tum quia ex ipsis indusiis & linteis fœdis, infestisque & squalidis non minorem noxam, imò majus damnum ægris subcrescere non est dubium, tum quia pericula illa, quæ ex recentium & mundorum applicatione timentur, optimè & facillimè vitari possunt; siquidem cum multi tetri ac putridi vapores ex hujusmodi ægrotantium corporibus exhalent, & assiduè emanent prava ac maligna miasmata, ea in vestimentis, pulvinaribus ac linteis, quibus vestiuntur & integuntur, sese insinuant & imbibunt; undè fit, quòd patientes novam labem ab ipsis perpetuò contrahant, mutuoque contagium accipiant, circumfusumque aërem à malignis sordibus coinquinatum perpetuò hauriant, ac singulis momentis recenti contagio inficiantur, præter continuum laborem & molestiam, quam à pædore & fœtore patiuntur, ob quam inquieti & insomnes hinc inde se jactant, nullaque in lecti parte placidè degunt; quod tamen mutatis linteis multò aliter illis accidit, nam ab illa spurcitie exuti simul etiam angorem illum deponunt, & suaviter in placidum labuntur somnum, ut evidentissimè in infantibus observatur, qui non raro plorantes, nec nutricum papillâ ori inditâ, nec cunarum motu, nec suavi cantu deliniri, atque sedari videntur; verùm sordidis linteis mutatis non solùm à planctu cessant, sed in profundissimum somnum labuntur, ut *1. de sanit. tuend.* Galenus adnotavit. Quapropter quidquid austeri, rigidi, & munditiei ægrotantium minus studiosi medici alii rigorosè præcipiant, in ea cum doctissimis medicis sententia sum, ut lintea, culcitri, pulvinaria, indusia, tegumentaque alia subinde mutentur, recentiaque alia munda ac nitida substituantur, ut optimè consulit Balduinus Ronsæus *epist.* 36. Lævin. Lemnius *lib. 4. de occult. nat. mirac. cap.* 8. Econtra enim facientes maximè objurgat Valles. *comm. 1. ad tex. 8. lib. 1 de morb. acut.* ubi sic ait: *Peccant vulgares medici, nec lineam*

tuni-

tunicam mutare, nec sindonem, nec manus, faciémve lavare, neque quidquam aliud, quod ad munditiem spectet, suis ægrotis permittentes, ne si longus quidem morbus sit; quasi magni referat volutari in suis sordibus, aut quasi non augeat hoc omnem putrescentiam. Hippocrates certè consulit, ut ægrotantibus gratiæ præstentur &c. Nec est quòd ex illarum appositione periculum aliquod timeri debeat, cùm eadem luculento igni exponendo nullam præ frigore noxam afferre possint; vel etiam camisias ab aliquo ex domesticis salubri corpore per diem gestatas commodissimè decumbentes induere, ac citrà timorem recipere poterunt, aut tandem cubili, aut calido vaporitio tepefacere, quò ad illum statum deveniant, ut ab humano corporis calore non sint aliena, horam prius observando, ne vel accessionis tempore, aut illo, in quo natura crisim, aut evacuationem aliquam molitur, hæc indusiorum mutatio peragatur, aliter rectissimè, & citrà ullum damnum fieri posse, & debere consulimus: nec minus in enixis, & gallicatis Mercurio unctis, quos aliquando tanquam sues in sordibus miserrimè obvolvi videmus; quippe inquantum decet medicos ægrotantibus gratificare convenit, & non minùs de morbo, quàm de externis aliis necessariis providere.

11.

12. *Medicus quot ægros curandos suscipere possit ut rectè curet.*

Tandem ad illud quod ultimò proposuimus, quot ægros medicus curandos suscipere debeat, jam veniendum est. Medicus namque, qui ex arte curare studet, quàm sedulò illorum curationi incumbere, ac invigilare debeat, ex *Hippocratis* & *Galeni* præceptis satis colligere est; tutò enim, celeriter, & jucundè medendum *Asclepiades* dicebat, quod *cap. 13. lib. 14. meth.* Galenus explicabat, ad quod consequendum quantùm evigilare oporteat, quanta inquirere, nosse, & providere conveniat, satis est manifestum, cùm adhuc ipse *Galenus* qui consummatissimus medicus fuit, ad hoc optimè consequendum apud ægrotos aliquando pernoctaverit, ut *com. 1. de fractu. text. 22.* idem scribit: quod advertere vellem triviales quosdam medicos, qui totâ urbe discurrunt, & plurimos se habere ægrotos jactant; nam cùm ars difficillima sit, ipsi verò plurimos suscipiant curandos, pravos esse (ut cum *Cardano* loquar *cons. pro illust. Cardinali Alciato*) necesse est, cùm sine ratione, sed usu tantum curent in, plurimisque aberrent: optimè siquidem dicebat *Celsus* lib. 3. cap. 4. *Ab uno medico multos non posse curari, eumq; si artifex est idoneum esse, qui non multùm ab ægro recedit; sed qui quæstui serviunt, quoniam is major ex populo est, libenter amplectuntur ea præcepta, quæ sedulitatem non exigunt, ut in hac ipsa re.*

13.

Igitur cùm tam multa atque difficilia in medicinæ scientia inveniantur, prudens & cordatus medicus vires suas metiatur, ne plus oneris unquam suis humeris imponat, quàm ferre conscientia possit; præsertim si plures eodem tempore periculosis ægritudinibus laborent, quos crebriùs invisere oporteat; aut hujusmodi sint affectus, ut nisi frequenter ad patientem veniat, multa perniciosa errata committi possint; vel etiam si tales sint, ut cum aliis medicis consultatio peragenda sit, quæ tempus requirit, & medici studium, ut possit, si ita ferat occasio, aliorum errores doctè & nervosè refutare, & propriam sententiam optimis doctrinarum fundamentis stabilire. In hujusmodi quippe morbis ad octo ægros medicus suscipere poterit, & si ægritudines minùs operosæ fuerint ad 12. paulóve minus visitatio extendi poterit, si debitè, & ut Christianum decet, illorum saluti prospiciendum est. Aliter si faciat, dubium non est quòd in multis deficiet, multa illum præteribunt, quæ advertere, & prævidere oportebat; rectè siquidem dictum est: *In multitudine operum confunditur artifex.*

QUÆSTIO OCTUAGESIMA-TERTIA.

Carpis imposita medicamenta an appetentiam excitare valeant?

Multa sanè ad appetitum promovendum medicamenta, & ganeæ dejectæ irritamenta pro excitandis ad cibum ægrotis medici parare consueverunt: ad hanc rem varia odoramenta, & intincta embammata ex amica aciditate confecta inventa sunt; deinde confortantia & corroborantia emplastra & lenimenta multipliciter pro ventriculo parantur, quæ tam anticâ quàm posthicâ parte admoventur. Sed præter hæc observamus sæpius, vulgares fœminas non so-

1.

solùm ventriculo (quod multùm laudat *Lacuna*) sed pulsibus & manuum carpis ex contusis herbis vino irroratis absinthio, menthâ, & similibus cataplasmata quædam applicare consuevisse, experientiâ ut dicunt certâ, multùm hujusmodi partibus ea medicamenta adhibita prodesse, ac pro appetitu instaurando conferre, de quo remedio nil apud antiquos medicos legisse memini; quare an verum hoc sit, & ulla ratio inveniri possit, quæ istorum medicaminum usum in prædictis partibus approbet, nunc quærere instituimus, cùm præsertim hoc minimè vanum, imò utile esse sæpiùs animadverterim: nec mirum videri debet, quòd in his partibus adhibita remedia anorexiæ medeantur, & obtusum ciborum appetitum acuant, licèt locis à ventriculo remotis applicentur; scimus enim multas esse plantarum, & aliarum rerum vires, ut non assumptæ modò, sed appensæ, gestatæ, contactu suo, & virtute ab ipsis emanante mirabiles producant effectus, morbosque non raròita profligari & evinci. Sed præter innumera, quæ apud *Dioscoridem* & celeberrimos alios botanicos scripta inveniuntur, paucula quædam, quæ apud plures non postremæ notæ medicos legisse

2. recordor, referre non gravabor. Langius *tom.* 1. *epist.* 53. *& tom.* 2. *epist.* 33. urticam contusam in metacarpis appositam superficie tenùs adurere ait; intus verò tantum frigoris in ea latere, ut cordis febrilem calorem extinguat: idem remedium *P. Hispanus*, qui communiter dicitur fuisse Pontif. Joan. XXII. in suo *thesauro*, *cap. de tertiana*, pro ipsa curanda eximiè laudat; cui etiam addendum ait sal, melilotum, papaver album & nigrum, sicque ut probatum commendat. Idem ferè remedium *cap. de tertiana* ex Nicolo affert *Gatinaria*, qui tritam cum multo sale urticam, & super tempora & pulsus ligatam hanc febrem statim curare ait: eodem modo Hucherius *l.* 3. adversùs tertianam biliosam, herbas frigidas & humectantes pulsibus admoveri jubet ex foliis sonchi, sambuci, plantaginis contritis, & acetò subactis, quod etiam faciunt Bairos, & Hollerius *cap. de tertiana exquisita*. Similiter Martin. Rulandus *cent.* 2. *curat. Empir. obs.* 94. pro eadem febre epithemata pulsibus imponit ex ruta, salvia, bursa pastoris, cum aceto ros. contusis in forma pultis, quod in aliis *observat.* repetit. Eâdem ratione Rondoletius *cap. de tert. spuria* pro eadem febre scribit, quòd si post universales evacuationes, carpis admoveatur rubra trocischata, & bursa pastoris, hanc febrem depelli; idem præstare ait dentilaria, & thlaspos si cum sale & aceto tusa eodem loco adhibeantur. Idem author pro quartana ex fol. sambuci, salviæ, rutæ, pedis columbini, calthæ cum sale & vino remedium parat, quod eodem loco admovere jubet, & optimum esse ait. *Crato* radices urticæ laudat. Eodem modo Sennert. *cap. de quart.* multa alia ex aliis authoribus refert, ubi etiam ait civem quendam quartanâ laborantem, & gravissimos etiam dolores in spatula patientem mulieris cujusdam persuasu ranunculum carpo applicuisse, & pustulâ excitatâ à febre & dolore

3. liberatum fuisse. Notissimum etiam est remedium, quod pro quartanæ curatione scribunt plurimi, Faventinus *in Empirica*, Sennertus, Riverius, & multi alii ex aranearum telis cum ung. populione commistis, cui etiam salem & urticam immiscet prædictus P. Hispanus *cap. de quartana*, atque ita pulsibus, temporibus, & pedibus applicari tanquam secretum & singulare remedium præcipiunt; imò & ipsam araneam carpis, aut fronti illitam, aut appositam pro quotidiana, tertiana, & quartana curandis maximè laudat Rhasis *lib.* 60. *de animal: cap. de aranea*. Mirum esset, si tam multa, quæ pro febribus curandis pulsibus & pedibus alligari jubent, afferre voluissem, de quibus per otium vide Robertum Dodonæum in suis *obs. cap. ult.* & Forestum *lib.* 3. *de feb. in schol. obs.* 42. ubi plurima ex aliis desumpta collegit, quorum plurima non immeritò superstitiosa judicat: nos verò illa hîc subticemus, & de probatis nulloque fuco damnatis tantùm mentionem facimus, quæ nullo modo inutilia judicamus; nec parvi facienda, quæ de araneis & earum telis pro tertiana, & quartana profligandis utilia esse tradunt, sicut ad alia multa, ut latè ex *Dioscoride*, *Plinio*, *Avicennâ* collegit Aldrovandus 5. *de insectis cap.* 12. nam & apud Ægyptios ex ipsis similia medicamenta pro frebribus parari scribit Alpinus *lib.* 4. *de illorum medicina*.

4. Pro aliis etiam morbis multa alia eisdem carpis apponi consulunt medici, quemadmodum apud Montuum *in anasceve*, ubi pro cordis palpitatione panem bis coctum aceto maceratum carpis adhiberi jubet. *Camerarius* pro dentium dolore molibdenam, quam *Plinii* plumbaginem esse dicit, carpis alligari commendat. *Petr. Hispanus* pro eodem dolore duas alliorum doses contusas suprà brachium propè manum apposi-

tas totum dolorem ad se trahere ait. Rondoletius *cap. de ictero*, hunc affectum in gravidis sanari inquit, si pulsibus & pedum plantis applicetur medicamentum ex foliis visci quercini, marrubii, & chelidoniæ contusis, & pauco vino irroratis. Fabricius Hildanus *lib.* 5. *obs. chirurg.* 30. in pleuritide epithemata etiam carpis imponit; sic apud alios alia inveniuntur, de quibus *Dodonæus* citatus, quæ ex herbis frigidis & hu-
5. midis præscribuntur, quæ tanquam repercutientia, suspecta meritò judicat idem author, & in usum non trahenda; quæ vero dilatant & attrahunt, utiliora censentur, ut raphani scobes, quas pedibus pro febribus malignis utiliter alligari scribit Crato *lib.* 3. *cons.* 16. sicuti etiam ruta contusa, ut alii faciunt.

6. Hæc circà medicamenta, quæ à quamplurimis pro variis morbis scribuntur, & carpis admoveri jubentur, adnotare placuit, ut ea si libuerit quivis in usum trahere possit; de illis verò, quæ eisdem locis pro excitando appetitu adhiberi ajunt, pauca habeo quæ afferre possim, cùm apud rarissimos hoc legerim. Lacuna *cap. de absinthio* hanc herbam, & mentham cum fermento & aceto rosato subactam suprà ventriculum laudat tanquam singulare remedium ad deperditum appetitum restaurandum, sed quòd pulsibus apponatur non docuit; puto sanè remedium esse empiricum, & à mulieribus inventum, tamen apud unicum Petrum Hispanum *cap. de singultu & nausea* cataplasma paratur ex stupis albo ovorum intinctis, & pulvere olibani respersis, quod non solùm stomacho applicitum, sed manuum carpis etiam adhibitum mirificè prodesse ait; quod ex aliorum sententia etiam approbat Bened. Veron. *lib.* 13. *cap.* 28. Lego etiam apud alios in eundem finem commendari ut intrà calceos absinthium gestetur, quia sic optimè ciborum appetentiam non solùm adjuvet, sed vomitum quoque & nauseam emendet, ut apud Horstium *lib.* 2. *epist. sect.* 3. *in fine* adnotavit Georg. Hebenstreit; & Carolus Piso juniorum hoc esse inventum ait, experientiâ & ratione observatum:
7. nullam tamen hujus effectûs causam aut rationem assignant; eam tetigit Lemosius *lib.* 3. *de naturalibus facult. cap.* 14. ubi sic ait: *Arteriæ autem sunt circà cutem, & quæ ad ipsam finiuntur aërem externum attrahunt per cutis emissacula, ut hinc intelligas cor non solum refrigerari per os & nares, sed etiam per universam cutem; hinc etiam contagia contingunt, & carpis imposita excitant ventriculi appetentiam.* Tenet itaque *Lemosius* per cutis poros, & arterias herbarum vires cum halitu ab ipsis prodeunte ad cor ipsum deferri, illique & partibus aliis internis virtutem suam communicari: mutua quippe est in toto corpore anasthomosis, atque ostiorum apertio per venas simul & arterias, per quas transumunt ex sese pariter sanguinem & spiritum, sicuti per insensiles quasdam atque angustas vias, ut *cap.* 10. *lib.* 6. *de usu part.* docet Galenus, & *cap.* 8. *lib.* 3. *de simpl.* causam attractionis primariam arteriarum diastolem & systolem statuit, secundariam verò materialis substantiæ tenuitatem. Hoc pacto arthemisiam calceis imposi-
8. tam & gestatam itinerantem à fatigatione levare scribunt *Bairos* & *VVeckerus*, ad cor videlicèt & principes partes illius virtute pervadente.

Quòd si quis dicat verum hoc esse, tamen facilius consequi posse, si ventriculo & juxtà cor similia medicamenta adhibeantur, cùm arteriæ ubique sint, & in locis ubi illorum virtus requiritur apposita promptius vires suas suppeditabunt; hoc certè minime negandum: fatendum tamen pulsuum cum corde maximum esse consensum & sympathiam, sicuti pedum cum capite ut latè advertit Francisc. Baconus *in Sylva Sylvar. cent.* 1. *experim.* 97. proinde ex rebus his partibus admotis chronicos morbos curatos fuisse refert; est quippe ibidem arteriarum motus magis conspicuus & caro ferè nulla, quæ illud quod communicari debet, impedire possit; deinde cutis etiam tenuior, unde fit, ut celerrimè ab impositis eo loco medicamentis cor reficiatur, & eorum vires ad illud ferantur, quo tanquam præcipuâ parte corroborato totum corpus beneficium suscipit, & ventri-
9. culus eodem etiam fruitur, susceptâ nimirum per arterias medicaminum vi, per ipsas & poros veluti exuctâ: sic enim non modò medicinarum virtutes, sed tenuis etiam alimentorum pars infunditur, nam per juxtapositionem, & pororum contactum nutritionem aliquam administrari posse ipse *Hippocrates* fatetur *lib. de alimento*, ubi in extima superficie extrinsecus impositum alimentum ad intima aliquid communicare dixit, ut in *comment.* latius explicat *Vallesius*, quod de halituosa illius parte tantùm accipi debet, quâ non prægressâ ventriculi con-

co-

coctione, carnosæ partes nutriri & refici possunt; qua ratione in gravidis umbilico & ventriculo maxima cum utilitate alimenta admoventur ante sanguinis missionem, ad ipsas & fœtum recreandum, quorum sylvam describit Zacutus *lib.* 1. *de Princip. hist. obs.* 11. & multi alii.

QVÆSTIO OCTVAGESIMA-QVARTA.

Moschum, ambarum, & hujusmodi alia odorifera, quare Septentrionales, & qui frigidas regiones incolunt, magis quàm cæteri aversentur? & de causa quarè ibi magis noxia sint.

Cum primùm Antverpiam venissem, observavi sæpiùs, nec rarò audivi apud ægrotantes non solùm fœminas puerperas, aut prægnantes, sed ipsos quoque viros, à medicis & ab aliis summâ statim curâ inquirere an moschi, ambari, aut similis alicujus odoris aliquid mecum deferrem; quia tanquam noxium, atque illis inprimis molestum vitari debere anxiè monebant: quod sanè sicuti in quibusdam fœminis, & in omnibus fermè à partu decumbentibus optimo jure fieri considerabam, ita in ægrotantibus hominibus superflua hæc cura mihi videbatur, cùm periculum illud, quod suavissimi isti odores causare solent, non aliundè nisi ob uteri consensum & sympathiam quandam, quam cum illis habet, advenire posse perspicuum judicâssem: pro quo vide Laurentium *lib.* 7. *anat. quæst.* 10. & Sennertum *lib.* 4. *prax. p.* 2. *sect.* 1. *cap.* 4. ubi de causa quare à suaveolentibus uterus afficiatur variæ authorum opiniones afferuntur: conveniunt tamen ipsi, non omnes fœminas ex hujusmodi odoribus in hystericam passionem, aut alium similem morbum devenire, sed illas tantum, in quibus uterus vitiosis humoribus scatet. Cæterùm fragrantes istos odores ac jucundos ab hominibus repelli, & ab ipsis seu sanos seu ægrotantes tanquam nocivis aufugere, hoc sanè admiratione dignum mihi videbatur; quod cùm velut commune in plerisque adnotâssem, causam indagare conatus sum, tantoque potiori ratione quòd ambarum, moschum, & suaveolentia omnia pro viribus dejectis recreandis maximè laudentur, tanquam quæ cerebrum, cor, principesque omnes partes mirificè confortent; spiritus siquidem omnes corroborant, ut de moscho ait *Simeon Sethi*, & teste eodem imbecilles particulas confortat, quoniam ut plerique asserunt spiritus instaurat, quare analepticis compositionibus miscetur: ideò *Æsius* medicamento purganti ex hermodactylis moschum addit, restaurandi nimirum causâ particulas vi pharmaci dejectas. Sed & illis, qui lipothymiam, & quodvis aliud deliquium patiuntur, quique vires resolutas habent, utile esse idem *Sethi* profitetur: imò *Averroës* contrà syncopem optimum esse remedium ait; addit *Platearius* totius corporis debilitatem, sive vitio hepatis aut capitis sit, corrigere; dolorem etiam stomachi à frigore moschum ad quinque usque grana in vino exhibitum levare; imo insignes quoque ventriculi, & concoquentis facultatis imbecillitates, non aliter quàm ambari virtute, & fragrantium aliorum vi emendari potuisse testatur Zacutus *lib.* 2. *prax. mirandæ obs.* 6. ubi cachunde celeberrimi medicamenti compositionem tradit: moschum quippe & ambarum non solum intus sumpta, cor & reliqua viscera roborant, sed extra adhibita, ut *Aben Mesuai* docet. *Avicenna* quoque & *Averroës* cordis robur, & lætitiam promovere asserunt, insigni ad hoc ipsum facultate, quam possident. Tandem cardiacos omnes, quòd cor confirmet & corroboret, multùm juvant, tremorem etiam illius sanare, & cerebri temperamentum confortare testatur *Avicenna*; caput enim frigidum juvat, cerebrum calefacit & exsiccat, corporis stupefactioni etiam medetur, & surditati; melancholiam abigit, timorem pellit, & animosos facit, ut *Constantinus* affirmat: authore etiam *Rhasi* nauseæ opitulatur, & appetitum restituit, crassos quoque intestinorum flatus resolvit. Plurima deinde sunt, quæ circà uterum, illius suffocationem, mensium eductionem, & conceptum præstat, cùm omnes illius frigidas ægritudines vincat, & depellat; humiditate etiam

quâ-

quâdam, quâ pollet, coitum mirè excitat, ut vulgò notum est, ideò collo uteri illitus ardenter mulieres in venerem proritat; quam ob causam diasatyrio aliqui moschum
3. non sine ratione adjiciunt: napelli etiam fortissimi veneni, & omnium venenorum theriacam esse scribit *Avicenna*. Mitto plurima, quæ tempore pestilentiæ ad illius præcautionem & curationem ex odoribus parantur suffumigia, smegmata; unguenta, pomata, confectiones, & quamplurima alia malagmata, quæ latiùs collegerunt *Math. Sylvat. Plateariius*, *Serapion*, *Garcias ab Horto*, *Christoph. Acosta*, *Mathiolus*, *Clusius*, *Manardus*, *Monardes*, & præcipuè Sennertus *in fasciculo medicament. pestilent.* ubi tam de moscho, quàm de ambaro, cui similes sunt vires, multa legi possunt. De quibus miras prærogativas sic extollit Jodocus Harchius *in enchirid. simpl.*

Si vitio pravi prosterneris ipse cerebri,
Et stupet à lenta si tibi sensus aqua;
Sive suis pendet matrix delapsa locellis,
Sub lævo trepidant seu tibi corda sinu:
Naribus excipias aut suffimenta pilosis,
Aut ex fragranti munera sume mero;
Ad tua compositâ sic surges munia mente,
Sic dempto fies vividiorq; malo.

4. Quæ cùm ita sint, tantò magis mirandum quòd apud Septentrionales tanta cum fragrantissimis his odoribus sit aversio, ut etiam illorum jucundissimum suffitum & odorem fugiant. Refert Olaus Magnus *lib.* 16. *cap.* 13. & 14. Suecos cætera ad peregrinos valde humanos esse, odisse tamen hospites, qui graves odores, ut moschum, zibethum, & similes secum deferunt, quòd fœminas abortire faciant; unde non raro unguentis, & odoribus delibutos viatores, præcipuè Russos, Moschos, atque Danos à rusticis Suecis tanquam virus olentes fustibus cædi, ait contingere, quia illis displicet ille odor. Scio apud aliquos hujusmodi aromata à viris gestata non benè audire, quòd fœminas potiùs quàm viros magis deceat gratiosum hunc odorem secum gestare, effœminatum quasi hunc luxum dixeris, illarum esse proprium non malè sentientes, & quòd ex illarum mundo cum cæteris prodeat; quibus etiam convenit omni deliciarum apparatu aliorum oculos in se convertere, ut amabiliores undique se præbeant; hac de causa *Ovidius*:

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Hinc festivissimus Martialis *epist.* 12. *lib.* 2. *ad Posthu.* licèt alio sensu:

Hoc mihi suspectum est, quòd oles benè Posthume semper,
Posthume non benè olet, qui benè semper olet.

Et adhuc de mulieribus Plautus *in Mostella.*

Mulier bene olet, ubi nihil olet.

De Suecorum feritate absonum non est arbitrari, illos propterea homines hujusmodi odoribus se imbuentes, tanquam ignavos, desides, ac effœminatos odio prosequi, quemadmodum Lacedæmonii huic veluti pesti ex Asia venienti quasi armatæ
5. hostium legioni ferreis moribus obstiterunt. Verùm subest adhuc aliud, noxa videlicet, quam à jucundis istis odoribus sentientes devitare conantur: quapropter illos potissimùm aversantur omnes ferè qui frigidas regiones incolunt, nec illorum suavitatis adeò sunt amatores, sicuti alii, qui calidas & ardentes habitant; hinc apud
6. Arabes tantum expetuntur & commendantur, ad multosque morbos remedia ex illis parant, ut ex ipsorum adductis scriptis videre est. Notat etiam *Joan. Hugo* ambarum à Satrapis, & Regibus Indiarum ad condimenta ciborum summoperè desiderari, & in magno esse usu; quemadmodum apud Ægyptios, quorum Sultanus Tyrannus cereis ambarum miscere jubebat; ut accensi suavissimum spirantes odorem, & valetudini & voluptati servirent. Porrò quantum ex chirotecis, precariis, aliisque globulis, & multis aliis rebus illo aut illius odore infectis delectamenti adveniat, notissimum est, ac occidentalibus præsertim, Afris, Indis, Italis, multisque aliis nationibus, qui maximâ voluntate & voluptate hos odores perrequirunt, & illis fruuntur.

Quare igitur septemtrionales, & ferè omnes, qui frigore intemperata loca habi-
7. tant hujusmodi odoribus minimè delectentur, & ab illis magis offendantur, ratio quærenda est; nam cùm quamplurimis illorum hoc velut commune sit, non habet hîc locum dicere particularem esse antipathiam, ut de peculiaribus aliquorum Idiosy-

syncrasiis narratur; nam ut hujuscemodi multas variorum hominum idiopathias o-
8. mittamus, quas circà alia sensoria medici observârunt, circà olfactûs organum non minus admirandæ visæ sunt. Refert Brujerinus *lib. 9. de re cibaria cap. 12.* Jacob. Forliviensem medicum ab allii odore tanquam à re pestilenti lædi consuevisse; eodem modo rosæ odorem inventi sunt multi, qui non nisi molestissimè ferre potuerint, alii nec videre quidem, cum ab illius olfactu in syncopem statim devenirent; imò in mortem hac tantum de causa Cardinalem quendam pervenisse narrat Scaliger *exercit. 153. sect. 10.* hunc autem Oliverium Caraffam fuisse tradunt Cromerus *lib. 8. de reb. Polonicis,* & Pierius *lib. 8. hieroglyph. in scarabæo;* & eadem de causa extinctum fuisse Laurentium Vratislaviensem Episc. testatur Cormanus: porrò eandem molestiam à rosę odore habuisse D. Henricum à Cordoua Cardinalem scribit Philippus Ingrassias *quæst. de diæta crassa & tenui*, & de Francisco Venerio Venetorum Duce idem refert Zuingerus in *Theatro;* quarè die festo sacra auditurus, Sacellani operâ recentes rosas illatas probè auferri curabat, ne quod sibi privatim domi accidere consueverat, in animi defectum publico loco incideret. Similia exempla apud plures alios legimus, ut apud Amatum *cent. 2. curat. 36.* Zacchiam *lib. 2. quæst. med. legal. titul. 2. quæst. 2.* ubi ait rosarum albarum odorem sibi adeò inimicum fuisse, ut capitis immodicum dolorem illicò excitaret; *Schenckium*, qui plures de hac re histo-
9. rias conjecit, sicuti Marcellus Donatus *lib. 6. de med. hist. mirab. cap. 3.* qui strenuum militem agnovisse ait, qui nec odorem, nec aspectum rutæ ferre poterat, sed se in pedes & fugam dare eâ conspectâ cogebatur: & quatenus ad rosæ odorem attinet, permulti inventi sunt, qui illius odorem sustinere citrà noxam haud quaquam valuissent, ut in Prætoris Carmonensis uxore D. Catharina Haramillo ego sæpius vidi; quapropter omnes istius plantæ arbores, quæ pulcherrimæ in domo germinabant, radicitus abscindebantur: similiter alios hujus naturæ homines novisse scribit Botalus *lib. de med. & ægri munere*, qui rosæ odorem summè aversabantur; quin ex moschi odore quosdam animo linqui vidisse, præsertim fœminas, idem author tradit, & *Cormanus* citat. Non solum enim ex tetris, sed ex suavibus odoribus quosdam animo linqui, exanimari, & subitò perire visum est, ut infra *cap. 93.* cum de consuetudinis vi nobis fuerit sermo, latiùs afferemus. Quæ tamen licèt tam multa videantur, particulares tantummodò quorundam naturas ostendunt, & peculiarem antipathiam, quæ sicuti cum plurimis aliis apud alios, sic in istis cum rosis, aut optimis aliarum rerum & jucundis odoribus ex peculiari corporis constitutione inventæ sunt provenire; quarè communiter alia causa quærenda est, quæ in frigidis potissimùm regionibus suaveolentia ista aromata minus grata, & magis noxia reddat.

10. Certè si ad ipsum moschum, & ambarum paululùm attendamus non utique adeò ex se salubria esse constat, quin præter funesta illa matricis accidentia, quæ in mulieribus excitant, alia quoque damna omnibus communia causare valeant, præsertim si intrà corpus paulò majori dosi sumantur. Hier. Mercurialis *lib. 1. de comp. med. cap. 15.* moschum existimat venenum esse, si intus capiatur; quoniam (inquit) quando non est adulteratus, sed sincerus, si naribus apponatur, statim proluit sanguinem; quare judicat, si eo modo, quo alia dantur medicamenta, propinetur, haud dubiè sanguinem attracturum, non facultate, quam ad hoc possideat, sed vi quadam insigni, quâ ob tenuitatem & substantiæ acrimoniam pollet in aperiendo vasa; quæ certè mala forsan causare potuisset, nisi in corpore assumptus statim illius vis frangeretur, aut major fuisset illius assumpti quantitas; sed quando in minima datur, ideò minus offendit, & miros tamen præstat effectus, quia in exigua licèt portione maximam obtinet efficaciam; quod idem de ambaro dicendum est, quia suæ substantiæ tenuita-
11. te, & acri vi, nisi in admodum parva quantitate ingeratur, nimiè spiritus attenuat & resolvit, ut non solum corporis facultates turbet & labefactet, ac velut inebriet, sed calorem quoque innatum dissipet & evincat, necemque inferat, quod in balæna vastissimo omnium animali non rarò contigisse visum est: dum enim hoc bituminis genus è foveis, & maris cavernis erutum anxiè & in copia multa devorant, ab illius fragrantia inebriatæ consternantur, & in littus exeunt, ubi mortuæ aliquando reperiuntur, sicuti alii magni pisces ex cetaceorum genere: quapropter piscatores hujusmodi animalia supernatantia observant, & facilè apprehendunt, apertoque ventre ambarum extrahunt: sic narrat Nicolaus Monardes *in historia aromatum* suo tempore circà Canarias insulas, quas fortunatas putant, balænam

fuisse interfectam, ex cujus operta alvo magna ambari copia fuit exempta. In cujus historiæ confirmationem similem aliam referam, quam sæpius ab avunculo meo audivi, qui Brasilicas oras diu habitavit; hic mihi narrabat quod anno 1631. magnus piscis ex cetarum genere, oculo uno tantum in fronte insignitus in litore mortuus inventus fuerit, juxta quem ambari multa frusta, quæ evomuerat, reperta sunt; piscatores tamen, & cæteri qui hoc viderant, à mari ejecta suspicabantur, qui tandem ut vastissimi animalis pinguedine & oleo fruerentur, piscem dissecant, è cujus alvo 16. arrobas Lusitanicas ambari extraxerunt, hoc est libras 512. recteque judicatum nimiâ ambari ingestione obrutum animal, illiusque pondere & nauseâ inebriatum in continentem se dedisse: ex quibus patet quantâ aviditate cetæ ambarum devorent, quodque non innoxiè id faciant.

Patet etiam (ut obiter illud dicam) falsum esse quod plurimi tradiderunt, Ambarum esse semen balænæ, aut illius stercus, quia nullo pacto in ipsis generatur, sed solùm quando illud comedunt in ipsis invenitur; si enim ita esset, in omnibus inveniretur, quod eventus non probat, ut in Biscaiæ littoribus, ubi maxima illarum est piscatura, frequenter experientia ostendit; in nullo quippe horum animalium ambarum parte aliquâ corporis reperitur, sed tantùm ex accidenti cùm illud devorârunt, ut prudenter notavit Monardes *lib. 2 cap. 62.* jam enim inter omnes constat in bituminosis quibusdam fontibus in maris profundo generari, à quibus evulsum ad littus maris refluxu ejicitur, imò (ut optimè notavit *Simen Sethi*) à cetis devoratum pessimum fieri dicunt, cùm ab illius ventris fœtore multùm conspurcetur, & animalis etiam calore illius spirituosa vis multùm resolvatur. Itaque opinionis quorundam deceptio in causa fuit ut ceti sperma crederetur & diceretur, cùm nil tale sit: neque quid hodie apud officinas sperma ceti appellatur, aliquid hujusmodi est, sed salis flos, qui aliter halosathos dicitur, ut notat *Barth. Ambrosinus* apud Aldrovandum *in musæo metallico cap. de ambaro*, & Sennertus *lib. 5. epit. natural. scientiæ cap.* 3. Itaque nocuum esse ambarum quantitate sumptum haud dubiè verum est: quapropter prudenter faciunt illi qui in satis parva dosi illo in confectionibus utuntur, & admiscent, sicuti de moscho antea dicebamus; cùm in exigua quantitate maximam obtineat efficaciam, sicque spiritus recreet, calorem nativum roboret, & ventriculi concoctionem adjuvet, unde colicis affectibus mirè prodest, pro quibus ad lib. dimid. sacchari drach. dimid. tantùm ambari addere præcepit doctissimus Crato *cons.* 121. sic enim miros effectus præstat, ut de quodam mercatore narrat Zacutus 2. *prax. mirandæ obs.* 7. qui molestissimo ructu afflictatus, cùm nullo remedio quiesceret, tandem sumptis cum falerno quotidie ambari granis iiij. optimè convaluit.

12.

Ambarum ubi generetur.

13. *Sperma ceti apud pharmacopolas quid.*

Igitur sicuti in exiguo & proportionato usu istorum odorum maxima est utilitas, ita in excedenti quantitate non levis est noxa: hanc verò Septemtrionales quam Occidentales, & qui frigidiores partes incolunt, majorem vel ex ipso tantùm odore sentire, ex duplici causa provenire arbitror, unam ex parte aromatis, alteram ex parte corporis illorum; ex parte aromatis, quia licèt odorifera omnia in temporibus & regionibus calidioribus majorem odoris fragrantiam emittant, tamen quia multum caloris vi de illorum substantia dissipatur & resolvitur, minùs noxia redduntur, cum continuâ exhalatione virtutis plurimum evanescat. Quòd si aliquis dicat, potius hoc econtrà esse, quia tunc odor illorum magis sentitur, afficit, & ab ipsis magis dimanat; respondeo hoc verum esse, sed tamen illam odoris intensionem non ab efficaciori aliqua vi, quam in tempore & regione calidioribus, magis quàm in frigidioribus possideant, provenire, sed à frequentiori exhalatione, quæ à corporibus ipsis odoratis tunc evaporatur; quo fit, ut multa sit evaporatio, noxa verò minor, ob substantiæ decisæ tenuitatem, ob quam & faciliùs resolvitur, & agendi nocendique minorem vim habet; contra verò in regionibus frigidis accidit, in quibus ob frigus externum parum de odoriferis corporibus evaporatur, quòd poris frigore densatis, & compressis, intus omnis fumosa vis atque spirituosa detineatur, ac in se uniatur, unde postea exiens majori vi ferit, & nocendi majores assumit vires; virtus quippe unita fortior est se ipsâ dispersâ. Quatenus verò ad corpora, certum est tam homines quàm fœminas in frigidis provinciis non solum corpulentiores esse, sed humidiores, & in putredinem ideò paratiores, quàm illos, qui calidas incolunt. Itaque sicuti in istis major siccitas, ita nec tanta humiditatum, & crudo-

14. *Quæst. resolutio.*

dorum, pituitosorumque humorum abundantia invenitur, sicuti in frigidarum regionum accolis, ubi naturaliter aër, alimenta, cæteraque omnia frigidis, excrementosisque cruditatibus referta sunt; unde illorum quoque corpora talia evadunt: hanc suspicor esse causam, ob quam ab ipsis aromatibus magis offendantur, quoniam ab illis sumptis & odoratis humores illi crudi & excrementitii agitantur & conturbantur, motique vapores crassos excitant, qui vertiginem inducunt, & animi deliquia; tenuitate enim, & aromatum calore, qui quiescebant humores, attenuantur, moventur, & noxam pariunt, quam dum quiescebant, non efficiebant. Ideò dicebat Damascenus *aph.* 71. ad filium: *Qui aromata, & odores abhorrent, corruptioni sunt proximi*; & cum horum corpora adeò sint humida, mirum non est si in putredinem & corruptionem parata sint, & ab odoribus offendantur: accedit ad hoc cæli & soli conditio, & natura frigida, quâ homines etiam prædìti sunt, ob quam frigidioribus magis, quàm calidioribus gaudent, ac ideò frigidis repositisque alimentis libentius vescuntur, vinis etiam oliogophoris, ac minimè generosis utuntur: tandem omnia calida tam medicamenta, quàm esculenta magis illis nocent, cum eorundem naturis non ita sint proportionalia sicuti frigida omnia, à quibus non ita læduntur; hoc pacto mulieres diutius intrà aquam permanere, & ab illius frigiditate minus quàm homines offendi dicebat *Aristoteles*, quia illis frigiditas magis est proportionalis & minùs contraria. Quo modo etiam morbos naturæ inproportionatos magis lædere & periculosiores esse videmus ut 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 41. scripsit *Avicenna*: sic labores in assuetis minus molestare, ut 2. *aph.* 49 & 50. testatur *Hippocrates*; quibus etiam addere possumus harum regionum consuetudinem, in quibus odores isti in parvo sunt usu, nec enim his, nec aliis nimium sunt dediti, aut assueti; sunt etenim in Septemtrionali plaga omnia inodora, quæ ex terra nascuntur, ob languidum regionis calorem ut advertit Petrus Servius *in philologia de odorib. fol.* 40. ideò aromatica ibi magis noxia: econtrà verò in calidioribus, ut sunt Africa, Arabia, & calidis aliis partibus, ubi ob consuetudinem magis grata, & minus noxia sunt; multos enim ex odorum fragrantia, quibus assueti non erant, in lipothymiam incidisse tradit *Andreas Libavius* apud Gregorium Horstium *lib.* 2. *epist. med. sect.* 10. ut *cap.* 93. infrà latiùs dicemus.

QUÆSTIO OCTUAGESIMA-QVINTA.

An verum sit quod in axiomate vulgò circumfertur: Omnis saturatio mala, panis verò pessima? *Obiter de carnis esu, & quando primùm edi cœperit? Item meraci vini usus tanquam noxius senibus interdicitur.*

PRimos homines arborum & plantarum fructibus sponte nascentibus tantùm victitâsse, multi tradunt historici, Poëtæ, Philosophi & Medici; quod etiam Hippocrates *lib. de veteri medicina* scripsit, & Ovidius 1. *Metamorph.*

> *Contentiq; cibis nullo cogente creatis*
> *Arboreos fructus, montanaq; fraga legebant,*
> *Cornaq; & in duris hærentia mora rubetis,*
> *Et quæ deciderant patulâ Iovis arbore glandes.*

Quibus summus etiam Creator hominem & cuncta animantia vesci statim à mundi ortu jussit. Verùm & primos jam parentes postquam ob divini præcepti transgressionem à paradiso, in quo cum in statu integritatis adhuc essent, amœnissimis arborum fructibus dumtaxat pascebantur, ejecti sunt, terram colentes panem ex cerealibus seminibus primùm confecisse, & illo ob præstantiam vesci cœpisse asserunt multi: maledixerat enim Dominus terræ, ut ea, quæ ad hominis alimoniam spectabant, non sponte sicuti prius, sed labore ac sudore multo exculta suppeditaret, atquè ideò ajunt panis usum ad diluvium usque intermissum non fuisse,

 cùm

cùm nec agricolæ, nec fruges deficerent, quod ex *Eccles. cap.* 29. clarissimè inferri videtur, quo loco Sapiens scribit, panem & aquam initium vitæ hominis fuisse; imò *Genes.* 1. omnem herbam afferentem semen, hominibus & animantibus in escam creatam, scriptum est.

2\. Verùm post diluvium hominum genere iterum multiplicato, ac in diversas orbis partes diffuso, plurimis gentibus panis defuit, aut quòd non omnis terra frumenta ferret, aut quòd incolæ aratri usum, & agrorum culturam nescirent; hinc evenit, ut alimenta alia pro regionis natura obvia, quæque terra ex sinu suo fundebat, in usum vocârint: Arcades glandibus vescebantur, unde glandivori à *Plutarcho* cognominati, Appii & Tyrinthii pyris, Athenienses ficubus, Medi amygdalis, Persæ cardamo, Cormani palmulis, alii etiam rebus aliis, ut liquet ex monumentis *Strabonis, Æliani, Solini, Melæ, Herodoti, Plinii.* Sicuti adhuc hodie Indorum multi arundinum fructibus, Brasilienses ligni farinâ, & Orientalium Æthiopumque maxima pars milio suo, quod ideò *Plinius* Indicum vocavit.

3\. Sed nullius alimenti communiorem hodie esse usum, quàm panis, inde colligitur, quòd non solùm in Europa, sed in potissima Africæ parte, & in plurimis Asiæ & Americæ, ac tandem omnibus illis, quibus innotuit, & soli temperies apta ad illius productionem reperta est, ab omnibus tanquam optimum & maximè necessarium alimentum recipiatur, & amplexetur; meritò quidem, cùm inter omnia, quæ ad corporis humani sustentationem ferax natura produxit, nil tam commodum, aptum & utile cognoscatur, ut statim uberius dicemus. Ideò hoc semen cùm apud Græcos, tum apud Barbarorum etiam plurimos frequentissimè, & summa cum utilitate usurpari testatur Galenus 1. *de aliment. facult. cap.* 2.

4\. Sed ne in re adeò pretiosa (ut plurimis aliis fatale est) suus deficeret nævus, nescio quo artomastige authore, apud vulgus jam diu invaluit mos, ut communi quodam axiomate malè audiat: *Omnis saturatio mala, panis verò pessima*; sicque illius excellentiam & salubritatem plusquam mediocriter deturpent, quasi aliarum rerum, quæ vesci solent, saturitas & satietas minus gravare & offendere possit quàm panis, de quo etiam ajunt ad lumbricorum generationem in pueris materiam præstare; unde plurimos vidi, qui immoderatum illius usum in pueris suis continuò objurgarent: nec desunt, qui hujus veritatis patronum & authorem *Avicennam* statuant, quod ipse *fen* 3. *lib.* 1. *trac.* 2. *cap.* 7. in ultimis cap. verbis sic scripserit: *Amplius scire debes quòd impedimentum panis cùm non digeritur est multum, sed carnis nutrimentum cùm non digeritur, est minus hoc.* Ex quo loco Cælius Rhodiginus *lib.* 9. *lect. ant. cap.* 17. & Lud. Nonnius Antverpiensis *lib.* 2. *de re cibar. cap.* 2. contendunt dicterium illud dimanâsse, quod modò examinare non curo: scio tamen doctissimos medicinæ viros *Rhodigino* hoc vitio vertisse, ut Vincentius Alzarius à Cruce *cent.* 4. *de quæsitis per epist.* & Joan. Baptista Sylvaticus *contr.* 6. qui hanc scribendi licentiam planè in eodem *Rhodigino* taxat, quòd verborum tantum cortice intellectâ, secundùm vulgi existimationem *Avicennam* interpretatus fuerit; quod tamen, quia medicus non fuerit, illi ignoscendum vult. Solum ergò an verum sit quod in axiomate circumfertur, inquirendum nobis jam est.

Videtur igitur ex prædicto *Avicennæ* loco hoc evidentissimè inferri, cùm ille dicat, *multùm esse panis impedimentum cùm non digeritur*; quod etiam *Galenum* voluisse ex eodem colligitur 1. *de alim. facult. cap.* 2. ubi ait: *Omnium verò panum tardissimè dejiciuntur, videbis sanè illorum massam admodum lentam, ita ut quàm longissime indivulsa trahatur, quod corporis lenti est proprium*: quamvis enim panis purissimus plurimumque fomentatus & rectè subactus sit, gravis & ponderosus existit, difficilisque coctionis esse videtur, ut hac ratione stomacho molestus sit ac onerosus, diuque in eo residere possit; unde si non satis concoctus dilapsus fuerit, hepar infarciet, & venas obstruet, sicque verum esse conjicitur impedimentum quod de illo *Avicenna* pronunciavit.

Sed ista non tanti sunt facienda, ut propterea de panis præstantia dubitare nos cogant, illique detrahant: quatenùs enim ad *Avicennæ* dictum spectat, ille in eodem *cap.* panis moderatum usum inter concoctu faciliora edulia, & citiùs roborantia principatum obtinere declaravit; quare illius opinio de pane utcumque accipi non debet, nec de nimia illius ingestione simpliciter accipienda, quia quatenus ex se difficilis concoctionis non est, ut mox probabimus: aliter igitur in-

intelligi debet *Avicenna*, nimirum quòd ipse loquatur de pane, qui in debili ventriculo corrumpitur, unde accidit ut ad crassius & viscosius vergens difficilius ex-
5. pellatur, & diutius inhærens facilè obstruat, sicque ad varias producendas ægritudines venarum ductus intercludendo conducat; quod sanè omnibus aliis eduliis, si suprà modum ingerantur, commune est, imò pani multò minùs, cùm nobis inter cætera omnia multò magis familiaris, similis, & temperatus existat; quarè illius repletionem omnium pessimam esse, ut propositio docet, authorem nullum habet insignem, cujus voto illud verum esse concedamus: nam si *Avicennæ* verba attentius inspiciantur, videtur sanè illa sententia de pane ad carnem ratione habitâ, ab ipso prolata, cùm dicat: *Nutrimentum carnis cùm non digeritur est minus.* Unde cum doctissimo *Sylvatico* suprà citato, ne utilissimo huic & suavissimo alimento detrahere cogamur, laudi potius quàm vitio vertendum, quòd illius repletionem cul-
6. pet *Avicenna*, quod ideò dixisse duplici de causa accipi potest; primùm quòd ea, quæ multùm nutriunt, ubi justo plus ingeruntur, multam sanguinis copiam faciunt, quo venæ distenduntur, & totum corpus in majorem molem assurgit; unde meatibus nimiâ repletione infartis difficilis sequitur perspiratio, quâ nil periculosius & ad repentinos morbos concitandos aptius est. Secundò quòd ea, quæ optima sunt quoties malam susceperint conditionem, insignius & deterius corrumpi soleant ac proptereà magis lædere, ut in ovis accidit, quæ optimam conditionem cùm mutaverint, pessimam induunt, & maximè offendunt: sed de pane vix hoc credi potest, nam licèt in ventriculo aliquando corrumpatur, cùm homini præ cæteris familiarissimus sit, & mediam temperaturam inter duo extrema obtineat, nullum autem medium extremè corrumpatur, fit ut illius corruptio perniciosa haud esse possit, eò quòd temperata panis natura cuivis causæ corrumpenti potenter resistat, ut in ipso pane bis cocto videmus, qui plusquam annum incorruptus aliquando durat: ob eam enim, quam cum homine familiaritatem panis habet, quasvis corruptiones facilius eludit; quò enim cibus propinquior est, & homini usitatior, eò facilius separatur, & non expectatâ corruptione in alimentum cedit teste Galeno 4. *simpl. cap.* 16.

Sed adhuc ego aliter *Avicennam* interpretarer: dicit enim de pane si non concoquatur majus esse impedimentum, de carne verò minus esse nutrimentum: quod ut intelligatur ad panis naturam attendendum est, quæ talis est, ut si non rectè concoquatur non statim diarrhœa, sicuti ab incoctis aliis edulis in ventriculo corruptis, & præcipuè à carne sequitur; ideoque licèt incoctus, ob substantiæ tenacitatem suo pondere impedit & gravat, & hoc est impedimentum, quod illi assignat *Avicenna*: de carne verò ait minus nutrire, si non concoquatur, quia statim ac cruda corruptaque manet, diarrhœa ex cruditate nidorosa protinus sequitur, unde tota carnis substantia corrupta ejicitur, ita ut nil quod nutrire valeat, aut parùm ex ipsa remaneat; ideoque illius nutrimentum cùm non digeritur minus esse dixit, panis verò impedimentum majus, quia licèt non digeratur, non ita celeriter propellitur, ac corrumpitur, sed diutius detinetur ob materiæ substantiam, & familiaritatem. Nam aliter dicere solam immodicam panis repletionem *Avicennam* intellexisse, absonum & à ratione alienum est, cum à quacumque alia re ventriculum onerante eadem læsio, & multò forsan major expectari possit, cùm sanitatis studium in satietate vitanda universaliter constituerit Hipp. *epid. sect.* 4. *text.* 20. nullo ad aliquod alimentum habito respectu, sed de omnibus loquens, ut *lib. de affectionib.* idem scripsit, ubi ait: *Ex optimis tum cibis, tum potibus, corpori pro sanitate tuenda destinatis, & morbos, & ex morbis*
7. *mortes suscitari, si vel intempestivè, vel pleniori quàm par sit manu ingerantur.* Imò fatendum est longè majora incommoda ex aliorum ciborum repletione, quàm ex pane, oriri posse, cùm pleraque alia non solùm quantitate, sed qualitate noxia esse possint. Quòd si Galenus 1. *de aliment. facult.* panis substantiam lentam esse dixit, atque omnium tardissimè dejici, intellige de illo, qui non rectè præparatus fuit, & optimè in clibano coctus, cujus substantia lenta manet, crassa, & tenax, quâ ratione tardius descendit, permeat, & ægrius concoquitur; quod de optimo, & debitè præparato dici non potest, qui optimè & facilè nutrit, promptius concoquitur & assimilatur, ut doctè probat Nicolaus Fontanus *in suo florileg. quæst.* 11. & Zacutus *lib.* 3. *hist. princip.* in paraphrasi hist. 16. ex *Celso*, *Averr. Rhase* & ex eodem *Avicenna*. Siquidem illud alimentum facilius concoquitur, quo assumpto homines citius famescunt, sed pane assumpto hoc accidit; ergò facilè concoquitur, & distribuitur. Se-

 cun-

cundò: illud alimentum facilius in ventriculo concoquitur & digeritur, quod in aqua injectum facilius dissolvitur: sed panis in aqua maceratus citissimè comminuitur & dissolvitur; ergò à simili ita in ventriculo accidere debet. Tertiò illud alimentum, quod in ventriculis debilibus facilè concoquitur & distribuitur, non potest non esse tenuis substantiæ, & facilis digestionis; sed panis hoc habet, ergò &c. Major est certa, minor ex *Galeno* patet, qui 7. *meth. cap.* 6. & 1. *de sanit. tuend. cap.* 10. infantibus post lactis usum panem concedit, non carnem, aut aliud alimentum, quia panis facilè concoquitur, distribuitur, & magis nutrit; quare pro tenellis & debilibus infantibus postquam lac suxerunt illum tanquam aptissimum judicavit.

8. De panis itaque excellentia ut aliqua fusiùs prosequamur, sciendum est panem omnium alimentorum facultates & alendi proprietates in se tanquam in quodam penuario continere, ut meritò omnium ciborum summum & maximum alimentum appellari debeat; hac de causa cuncti ferè cujusque nationis homine (si Barbarorum paucos excipias) etsi omni deliciarum genere affluant, lautisque dapibus, cupediis, & mille aliis gulæ illecebris abundent, omnes tamen unanimiter panem ceu unicum alimentorum caput & regem expetunt & suscipiunt; quamvis enim splendidis regum mensis, opiparis dapibus, & multiplici ferculorum varietate refertis accumbant, si pane destituantur, omnia pro nihilo habentur, & cum fastidio assumuntur, cùm sine eo nulla esca placeat: siquidem panis omnium naturis familiarissimus & accommodatissimus est cibus, authore Aristotele *sect.* 21. *probl.* 13. qui ait homini panem nunquam fastidio esse, quoniam triticum ut peculiare edulium homini concessum, quòd plurimùm nutriat, ut etiam tradunt Galenus 2. *de usu part.* 8. *de bonit. & vit. succorum cap.* 3. Averroës 5. *collig. cap.* 31. Rhasis 3. *ad Almans. cap.* 3. Celsus *lib.* 2. *cap.* 18. Quemadmodum enim omnibus aliis animalibus corporis alendi gratiâ non omnia promiscuè alimenta natura destinavit, sed unicuiq; certa & peculiaria pro eorum complexione subministravit, ut instinctu, quo ipsa donavit, illa quærerent & appeterent, ad quæ tantò magis conformia propensaq; sunt, & avidè assumunt, eisq; frui unicè delectantur; sic homini, cui licèt alia omnia creaverit, familiare & proprium aliquod alimentum producere debebat, quo tanquam convenientissimo frequentius uteretur, & cujus esum super alia appeteret; hoc verò non aliud quàm panem fuisse evidentissimum est, divino numine sic dicente, qui nostrum hoc, & non aliud appellare nos docuit; & meritò quidem cùm potissima nutriendi vis & potestas uni pani, ceu omnium esculentorum regi accepta ferenda sit, à quo, per quem, & cum quo omnia inchoantur, producuntur, & absolvuntur etiam regia convivia, cujus excellentiam ipsa veritas Christus indicavit & adauxit, non solùm illo victitans, sed dum Sacratissimum suum Corpus sub panis specie nobis in perpetuam suam memoriam, & animarum nostrarum cibum reliquit; est siquidem ipse verus vitæ panis *Ioan.* 6. quod ex ipsomet loco ubi nasci voluit etiam nobis ostenditur: Bethlehem enim nil aliud significat nisi *domus panis*. Itaque nobis familiarissimus, & propriissimus est cibus, maximè utilis, & necessarius, aliorum quippe annonam facilè ferimus,

9. panis autem penuriam vix, aut ne vix quidem ferre, & æquo animo sustinere valemus: hinc Galenus 6. *de tuend. Val. c.* 7. tanquam simplicissimum alimentum maximè panem laudat, & *Aphor.* 2. *probl.* 62. omnium ciborum potentissimè nutrire ait, ideoque panis à pascendo dictus est, ut *Nonnio* placuit, aut à πᾶν ut voluit *Isidorus*, quod *omne* significat; unde Psalmographus *psal.* 104. de pane dixit, quòd hominis cor confortat; & 1. *reg. cap.* 28. legitur: *Sed robur non erat in eo, quia panem non comederat totâ illâ die*; nimirum quòd ad robur nobis conciliandum mirificè conferat: hinc denique pro symbolo ponitur totius escæ, & omnis nutritionis; laudatissimum quippe succum ab eo nobis provenire testatum reliquit Galenus 3. *de aliment. facult. cap.* 26. hinc etiam est, quòd omne animal illum appetat, est siquidem ventriculo gratus, omni tempore conveniens, alimenti plurimi, saluberrimi, & firmissimi ferax, ac maximè durabilis: cætera fercula etiam sapidissima usûs assiduitate

10. tandem fastidium pariunt, panis nullum, tametsi quotidie ingeratur. Multi idiosyncraticè à caseo, à vino, ab ovis, à piscibus, à carnibus, & à plurimis aliis naturaliter abhorrent; à pane (quod sciamus) hominum nullus, dummodò secundâ fruatur valetudine: unicam tantùm mirari subit puellæ historiam annorum 16. quam Bruirinus *lib.* 6. *de re cib. cap.* 1. à se visam ait, quæ cibos omnes, panem etiam aversabatur, præter lactis serum in quo si vel tantillum de eo injiceretur, nauseâ tentabatur;

&

& ſimile quid in alio juvene obſervatum, ex *Paulo Lentulo* refert Hildanus *cent.* 2. *obſ.* 41. Itaque rectè *Euripides* dicere ſolitus erat, ad hominis alimoniam, nil præter Cereris munia, & aquæ potum opus eſſe. Et Siracides *cap.* 29. aquam & panem inter ea connumeravit, quæ ad vitæ ſuſtentationem vel maximè requiruntur.

11.

Hæc & plurima alia de panis excellentia & bonitate dici poterant, quare inanem illam vulgi ſententiolam nullâ gravis alicujus doctoris authoritate ſuffultam ad libitum inventam, & prolatam, ac citrà rationem fuiſſe aſſerimus, vel tandem in contrarium ſenſum corruptam, ut cum doctiſſimo Christophoro Guarino *in ſuis conſiliis* exiſtimat celebris vir Claud. Deodatus *lib.* 2. *panthei Hygiaſtici cap.* 4. qui tenent proverbium illud multò aliter accipiendum, nimirùm omnium rerum repletionem eſſe malam, panis autem omnium minimam, cùm hoc res ipſa & experientia declaret, ut propterea audiendi non ſint contentioſi artomaſtiges, qui huic veritati citrà ullam rationem contradicere auſi ſunt, aſſerentes omnes repletiones malas eſſe, panis verò peſſimas, quod abſurdè & citrà ullam rationem dici ex *Hippocratis*, *Galeni*, & aliorum graviſſimorum teſtimoniis ſatis conſtat & latius oſtendit Cardanus *lib.* 1. *contr. tract.* 5. *contr.* 7. quæ tandem explicatio ſi non arridet, aliam minimè contemnendam affert doctiſſ. Sanctor Sanctorius *lib.* 4. *meth. vitand. error. cap.* 8. ut vetuſtam illam, & pervulgatam parœmiam à vulgi opinione exterminet; tenet enim multò aliter proferendam, ſicuti à Græcis citatur, quòd ſcilicèt omnis repletio ſit mala, ſed carnis peſſima, & non panis; & meritò quia minus aſſueti ſumus carni, quàm pani, caroque in minori quantitate comeditur, & demum putredini magis eſt obnoxia, quàm panis: ſolum quippe vera eſſe poteſt in illis, qui non conſueverunt pane veſci, in quibus illius repletio damnoſa eſſe poterit, non in aſſuetis; ideoque cum in Europa multus panis ſit uſus, apud nos locum habere non poſſe, rectè concludit idem *Sanctorius*, ſed potius de carne proferendam, ob rationes jam adductas: quod ſanè verum eſſe confirmo ex inſigni loco Plutarchi *lib. de ſanitat. tuenda*, ubi inter ea, quæ maximè gravare poſſunt, carnes annumerat; ſic enim loquitur: *Maximæ cruditates metuendæ ſunt ab eſu carnium, nam hæ & initio ſtatim valdè prægravant, & reliquias poſt ſe malignas relinquunt. Optimum quidem erat ita corpus aſſuefacere, ut nullum id carnium requireret eſum; non enim ad nutriendum modò ſufficientia largiter tellus produxit, ſed etiam ad delectationem voluptatemq; facientium copiam, quibus partim nullum apparatum alium requirentibus veſci poſſis, partim ſexcentis modis miſcere, & ſuavia reddere. Sed quando conſuetudo non quidem omninò naturæ adverſa in naturam jam abiit, carnibus veſcendum eſt ſanè, non tamen ad explendum appetitum, ut lupi faciunt, ac leones; ſed cùm eas tanquam fundamentum quoddam & munitionem, quâ reliqui cibi continentur, ingeſſerimus, alii deniq; cibi atque obſonia addantur, quæ & naturam corporis noſtri propriùs attingant, & mentem minùs hebetent noſtram, veluti ex tenui & facili materia incenſam.* Quâ etiam ratione idem Plutarchus *lib. de eſu carnium* ſic ait: *Natura non videtur hominem condidiſſe ut carnibus veſceretur, ſiquidem carnivora animalia eam habent corporis ſpeciem & figuram, quæ ut eſt humani corporis conſtitutioni diſſimilis, ita ad eſum carnium maximè conveniens, aduncum roſtrum, ungues acutos, dentium acumen, alvi robur, & calorem innatum ad concoquendum validiſſimum; in homine verò omnia contraria.* Hinc Plinius *lib.* 2. *cap.* 63. terræ benignitatem ſummè extollit, quòd hominum causâ ſpontè, aut culta, multa progignat: *Et certè* (inquit) *nos naſcentes excipit, natos alit, editos ſuſtinet, ſemper benigna, mitis, indulgens, uſúſq; mortalium ſemper ancilla, quæ culta, quæ omnis generis alimenta profert? quot ſponte fundit? quos odores, ſaporeſq;? quos ſuccos? quos tactus? quos colores?* pergit latiùs: *Et in animantia adhuc ſævire, cùm hæc diligentius attendimus, eſſe neceſſe putamus? ea carcere coercere, quibus natura cælum aſſignavit? quin puras & ſine animalibus cænas cum Pythagora lautioribus popinis anteponimus?* Fortunatam & auream vocavit *Ovidius* ætatem illam in qua mortales frugibus, & arboreis contenti degebant:

12. 13. 14.

Lib. 15. metamorphoſ.

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis,
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tutæ movêre per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo.

Hanc

15. Hanc frugalitatem imitabatur Tyanæus philosophus, ut de eo Philostratus *in vita Apoll.* qui ab Imp. Domitiano interrogatus, cur communem vivendi rationem in carnium esu & usu non observaret? respondit innoxium esse & salubre quidquid nobis terra germinat; quod quoque Empedoclem fecisse scribit *Plutarchus*, quandoquidem hanc vivendi rationem celebri parænesi commendabat Pythagoras, quem *Citesius* sic vertit:

> *Parcite mortales dapibus temerare nefandis*
> *Corpora, sunt fruges, sunt deducentia ramos*
> *Pondere poma suo, tumidæq; in vitibus uvæ.*
> *Sunt herbæ dulces, sunt qui mitescere flammâ*
> *Molliriq; queant, nec vobis lacteus humor*
> *Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.*
> *Prodiga divitias, alimentaq; mitia tellus*
> *Suggerit, atque epulas sine cæde & sanguine præbet.*

Et ex Pythagoræ præcepto 15. *metamorph.* carnis esus his versibus improbatur:

> *Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,*
> *Congestoq; avidum pinguescere corpore corpus,*
> *Alteriusq; animantem animantis vivere letho!*

16. Itaque licèt ex Genesi *cap.* 9. post diluvium Deus hominibus carnes concessisse videatur: *Et omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia*; constat tamen non paucos, præsertim ex gentilibus, à carnium esu tam diu abstinuisse, aut sanctimoniæ causâ, ut Ægyptios sacerdotes fecisse ex Chæremone Stoico tradit Rhodiginus *lib.* 13. *cap.* 25. qui de Persarum Magis, Gymnosophistarum apud Indos, Samantis, aliisque gentibus idem refert quod de Jovis etiam prophetis in Creta testatur *Euripides*; non enim ignorârunt gentiles ad luxuriam pronos fieri, qui carnibus indulgerent, prout apud Valerium Maximum *lib.* 9. legimus: *Esus carnium & potus vini ventrisq; saturitas seminarium sunt libidinis.* Atque ideo *Salomon* in proverb. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Alii tandem parsimoniæ causâ hujusmodi carnium abstinentiam observârunt; affatim enim alimentorum homini esse crediderunt citrà sanguinem, & crudelitatis consuetudinem in animalium cædes; quo factum est ut Triptolemon Atheniensibus inter leges in Cereris Eleusinæ templo inventas, hoc præceperit, ut apud *Porphyrium* testatur *Xenocrates* lib. 4. *Honorandos Deos, venerandos parentes, à carnibus abstinendum*: quibus commotus Porphyrius librum scripsit adversus edentes carnes, Pythagoræ forsan authoritate etiam ductus, qui à carnium esu, & animalium cæde homines absterruit, religionis quodam prætextu, & sceleris parricidiique metu, falsâ illâ metempsichosi persuasus, in parentum, fratrum aut propinquorum animos facilè incidere posse; cujus deliria *Porphyrius* acriter defendit, quod 6. *de legib.* tetigit Plato: *Carnibus* (inquit) *majores nostri abstinuerunt, tanquam pium non esset illas edere*; quæ quidem abstinentia, aut religio, (si mavis appellare) Pygmalionis tempore deficere cœpit ipso Porphyrio teste: qui licèt summis viribus hanc novam gulæ libidinem compescere niteretur, ac passim sarcophagos, ceu nefarii sceleris reos exquisitissimis tormentis vexaret, tamen gustatâ semel carnis suavitate, non potuit ullâ atrocitate homines intrà consuetæ frugalitatis limites continere: ardente enim ex animali immolata hostia contigit ut carnis frustum in terram decideret, quod sacrificus manibus cùm sublevaret, digitos ustulatos per imprudentiam ori admovit, tanquam inde levamen peteret; quo factum est ut gustato carnis sapore, cupiditate accensus inde abstinere non potuerit, sed & uxorem fecerit participem; quod ut Pygmalion agnovit, sacrifico atque uxori mortis supplicium irrogavit, atque utrosque de saxo præcipites dari jussit: verùm exigui temporis spatio alterum, cui similiter evenit, eodem supplicio multavit. Sed gliscente indies cum appetitu carnis hominum licentiâ, cùm nullâ legum vi refrænari potuissent, tandem consuetudo apud plerasque gentes paulatim introducta est. Hæc fruendæ ac degustandæ carnis apud Gentiles fuerunt initia; nam Hebræis jam à diluvii tempore in usu fuisse ex *Genes.* 9. satis patet à Deo tunc illis permissam: licèt non desint authores, qui multò ante diluvium, & ab orbis primordiis homines carnibus victitâsse conjectent, quòd tunc jam animalia Deo in sacrificiis offerebantur *Genes.* 4. ad quid enim Abel tantâ curâ ovium pastor esset, nisi in esu quoque illis uti licuisset? quibus & aliis

17.

18.

aliis hoc suadere conatur Ioach. Cluten *in fasciculo juris canon. parte* 9. de quo vide Melch. Sebizium *lib.* 3. *de aliment. facult. cap.* 2. latè disputantem.

Paucis itaque his de carnium esu prælibatis, illarum usum, præsertim immodicum, tanquam insalubrem multi ex medicis damnârunt, tum ob concoquendi difficultatem, tum ob molestas cruditates, quas nobis ingestæ pariunt, tum putredinem, quâ facillimè corripiuntur. Quòd si Galenus 3. *de alim. facult. cap.* 19. facilis concoctionis esse dixit, hoc de quibusdam tantum volucribus asseruit, ut de carne perdicis, columbæ, gallinæ, attaginis; nos verò in communi de aliis, & habito ad panem respectu contrarium statuimus, nempe utilioris & facilioris concoctionis esse panis substantiam, illius repletionem multò minùs noxiam, quàm carnis; quidquid pro carnium præstantia *Ludov. Nonnius* suprà adductus prædictis respondens affirmare audeat. De quibus audiendus jam est *Lemnius*, qui panem laudatissimum esse cibum fatetur: *Quapropter* (inquit) *cuique persuasum esse cupio edulia ac palpamenta quæque non mediocriter panis admixtu condienda; qui enim parciùs pane utuntur, copiosè autem carnibus, aut piscibus; corpore efficiuntur laxo, carneq; fluida, denique halitu graveolenti ac vitioso.* De quo argumento videndus Prosper Alpinus *lib.* 1. *de med. Ægypt. cap.* 11. qui plurimis carnis usum damnat, immodicum præsertim, tanquam noxium, & saluti vitæque diutius protrahendæ maximè contrarium, Ægyptiosque propterea longævos esse, quia parcè carnibus utantur, à cupediis & vini immodico usu prorsus abstineant; ob quam etiam causam Syros, Assyrios, Chaldæos, Ægyptios longè sapientissimos esse tradit Scaliger *exercit.* 252. *sect.* 2. Septemtrionales verò barbaros Scythas, Sarmatas, Islandos, Lituanos, stupidos esse, ac bardos, crassoque ingenio obsitos, quòd illi parcè, hi immodicâ vescantur carne, quæ cùm crassa sit, crasse alit. Qua etiam ratione infantibus & pueris carnis usus aut interdicitur, aut parcè admodum permittitur, ut Belgæ facere consueverunt, qui summâ curâ hoc cavent, ut apud ipsos sæpius vidi; multò enim faciliùs ex carnis esu, quàm panis, lumbrici generantur; ut in externis apparet, cùm videamus carnem, non solùm multò citiùs putrescere, sed in lumbricos ac vermes statim degenerare; quo fit ut pueri carnem edentes in vermium generationem promptius deveniant, ad quod non parum adjuvat frequens aliarum rerum edacitas & ingluvies, quæ una ex potissimis causis est, quare ipsi lumbricorum affectu laborent, non ita juvenes & senes, ut advertit Sennertus *lib.* 3. *praxis*: quamvis non citrà rationem putaverim illorum ætatis calorem & temperiem ad horum animalium productionem non parum adjuvare, cum plerumque illius ætatis propria sit affectio, ut 3. *aph.* 26. docuit *Hippocrates*; quamvis in senibus aliquandò etiam proveniant; ut in *com.* dicti *aph.* testatur *Brassavola*, ubi ait vermes quamplurimos à quodam capulari sene ætatis 82. ejectos vidisse, de quo etiam legendus Forlivius *in quæst.* ad dictum *aph.* Ratum igitur fuerit nos hîc de præpostera carnium ingluvie pauca hæc animadvertisse, aut saltem respectu panis bonitatis, quam semper præferimus, accipi debere, nullo modo moderatum carnium usum damnantes, præsertim salubrium, cujus sic assumptæ dotes latius apud *Sebizium* per otium quis legere poterit *lib.* 3. *cap.* 2. *de alim. facultatib.*

20. (margin)

Quandò igitur de usitatissimo carnis alimento hæc pauca attulimus, non abs re fore cogitamus, si de vino, suavissimo ac nitidissimo non minus expetito, & usitato potu, rariora aliqua prosequamur, quæ non solùm legentibus voluptatem; sed nobiscum hâc parte sibi providentibus utilitatem afferant multam: de utroque enim, carne nempe & vino, illud haud dubiè verum est, calorem nostrum adaugere atque roborare, & à naturali statu diminutum revocare, pristinæque integritati restituere, cùm ab illis probus & multus sanguis gignatur, quo calor naturalis fovetur, viresque novas acquirit, ac humidum substantificum reparatur: quæ tamen de moderato illorum usu tantummodò intelligenda sunt, cùm alioquin si modum excedant, ut ingerentium vires caloremque superent, tantum absit, ut quidquam utilitatis præstare possint, quin econtrà pessimorum morborum promptissima causa existant, frigidasque ægritudines nativo calore superato, atque immedicabiles inducant; hoc clarissimè docuit Galenus 3. *de temp: cap.* 2. sic scribens. *Si namque ex nutrientium sint genere, si quidem vincantur, calefacient; si non vincantur, refrigerant.* Et lib. *de caus. morb. cap.* 3 apposito exemplo confirmat: *Si enim ligna universim & multa suprà parvam flammam coacervaveris, ob immodicæ quantitatis excessum ipsam extingues; sic*

21. (margin)

optimi cibi, quiq; plurimum animali afferunt nutrimentum, suprà modum assumpti morbos frigidos generant. Et quod de alimentis, de vino etiam mox ibidem, & 3. *de temp.* citat. subjungit dicens: *Quamquam vinum modicè sumptum, ut quod maximè proprium alimentum sit, nativum calorem adaugeat; tamen morbum attonitum, epilepsiam, læsiones motûs sensûsq; immodicè haustum facere.* Repetit 6 *aph.* 28. & 5. *de locis* 6. ubi meracum plurimùm potum comitialem morbum facere ait, & nervosam substantiam lædere, præcipuè si jejuno stomacho potetur: 2. etiam *de sympt. causis* tremore corripi dicebat eos, qui se meraco amplius impleverunt; hinc non ineptè à Virgilio *in epigram.* dictum:

22.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namque modo vina Venusq; nocent.
Vt Venus enervat vires, sic copia Bacchi
Debilitat gressus, debilitatq; pedes.

23. Aut multis saltem cruditatibus laborare dicebat idem *Galenus*: quare 3. *de temp.* jam citat. concludit vinum non semper animal æquè calefacere, sicuti nec oleum flammam accendit, tametsi aptissimum sit ignis nutrimentum, cùm si imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multùm olei infundas, suffocabis eam, & extingues potiùs, quàm augebis 1. *aph.* 13. Sic igitur vinum ubi plus bibitur, quàm vinci possit, tantùm abest ut hominem calefaciat, ut potius frigidiores morbos progignat: hinc videmus intemperantes, atque vinosos (de quibus *lib. de sang. miss. cap.* 7. succorum crudorum copiam citissimè colligere dixit *Galenus*) miserrimam, ac morbis ærumnosam

24. trahere vitam, à qua citiusquàm par erat, assiduâ ebrietate & voracitate confecti, exire coguntur: sic ingentes helluones, & potatores insignes, omnesque illos, qui assiduis conviviis & compotationibus saginantur, diesque ac noctes sese invitando consumunt, longius vitam minimè protrahere cernimus, qualiter Polonos, Gallos, ac Flandros omnes facere consuevisse nemini non notum; quos propterea, quòd breviorem vitam reddant, non immeritò reprehendit *Alpinus*, Ægyptios illis opponens, quos ideò longiori vitâ frui ait, quia parcè ac sobriè vivant: quæ omnia tanto libentius attuli, ut antiquam, & in omnium ferè hominum mentibus altè defixam, sed summè erroneam opinionem evellerem, & ad sanius judicium reducerem innumeram stultorum multitudinem, nil magis commendantium, quàm vinum senibus ut gratissimum ita & convenientissimum esse; propterea jam cum *Apuleio* & *Athenæo*, dulce lac Veneris appellant, jam cum *Avicenna* dulce lac senum, & plurimis aliis encomiis illud extollunt, ut integra jam volumina de illius virtutibus ac viribus extent à Canonherio, & aliis conscripta, quæ tamen omnia de moderato illius usu tantùm audiri & accipi debent, cùm alioquin si immodicè & extrà modum ingeratur, & ad ebrietatem potius, quàm ad sobrietatem bibatur, tantum absit, ut utilitatis aliquid conferat, quin imò immanes morbos, ac mortem accersat, ut latè docent Hippocrates 2. *de morbis nu.* 28. & 3. *de morbis* 5. *aph.* 5. Galenus 3. *de temp. cap.* 2. Avicenna 3. 1. *doct.* 1. *cap.* 8. ubi aphoniam, convulsionem, apoplexiam, paraplexiam caros, comam, epilepsiam, & exitialia alia damna, expræpostero & ultrà mediocritatem illius usu, & ebrietatem oriri animadvertitur, ut ipsa experientia quotidie indigitat: quæ quidem damna sicuti omni sexui & ætati communia sunt, ita præcipuè senibus & pueris maximè funesta, & periculis plena. Hac ratione *lib. quòd animi mores cap.* 10. & 1. *de sanitat. tuenda cap. etiam* 10. cum Platone vinum pueris vetat Galenus & 5. ejusdem *cap.* 5. alienissimum illis esse dicebat, nec nisi post 18. annum illis concedendum, sin minus satis dilutum, ut *lib. de salub. diæta tex.* 23. consulit idem, quia cùm multis abundent crudis humoribus nativum calorẽ velut obrutum habent ac vires suas exercere nondum potentem, unde vinum rectè digerere, ac evincere non possunt, quo fit ut ab illius immodico calore vincantur, & superfluis ac crudis humoribus attenuatis in periculosos morbos incidant: qua etiam de causa senibus, nisi moderatè sumptum, maximè noxium evadit: licèt enim 5. *de sanit. tuenda* 5. & *quod anim. mores cap.* 10. aptissimum illis esse scribat, hoc de modicè sumpto, aut pro cujuscumq; temperie, & ætate benè diluto accipiendum est siquidem ibi ad illorum curas & anxietates leniendas ac demulcendas in primis conducere dicebat, ut anteà 7. *aph.* 56. Hippoc. docuerat, quo loco de potu vini æquali quantitate aquæ permixto Hippocratem explicat *Galenus*; quod clarè ibidem ipse Hippoc. docebat, dicens: *Vinum æquale,*

25.

Lib. 1. de medi. ægyp. cap. 12.

le, æquali potum, solvit ægritudinem. Unde constat ob prædictam causam, ob quam *Galenus* vinum senibus convenire scribit, ob eandem Hippocratem 7. *aph.* 56. æquali aquæ portione dilutum præscribere, quod Galenus *in com.* approbat, ut ex *Pythagora* latius affert Franciscus Scacchius *dissert. de salubri potu cap.* 15. & ex *Plutarcho* præsertim, qui *lib. de audiendis poëtis* apertè ait: *Aqua quod noxium est in vino aufert.* Et hanc certè mixtionem tam utilem, ac necessariam judicârunt antiqui, ut propterea Amphyction Atheniensium Rex, qui primus vini aquâ diluendi rationem à Baccho accepit, ac Atheniensibus indicavit, aram ob tantum beneficium recto Baccho in Horarum delubro ædificaverit, ac juxtà aliam Nymphis, cùm reverà Bacchus rectus sit, ac minimè titubet, nec noceat vinum si modicè dilutum bibatur, ut latius tradit Athenæus *lib.* 2. *&* 4. licet *lib.* 15. *cap.* 5. ex *Philonide* medico *lib. de coronis & unguentis* lymphandi vini prima initia aliter ex casu, & historia narret, & *lib.* 4. Melampum id primùm fecisse scribat: quamvis Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. Staphilum Secheni filium primum hujus rei authorem fuisse dicat; sed quisquis fuerit, summâ utilitate hoc fieri, & maximo sanitatis emolumento agnoverunt antiqui, ut Bacchi ferocia & impetus frænaretur, ac mansuetissimus evaderet: hac enim de causa poëtæ finxerunt nutricibus usum fuisse nymphis, quæ illum aluëre, & fugientem Lycurgi Regis Thracum potentiam excepêre; per nymphas aquam intelligentes, qua vini vis & ejus cornua infringerentur: ideò enim aquam vino miscendam docet *Plutarchus*, ut furentem Deum, (teste *Platone*) sobrio altero castigatum temperemus; illi enim compedes & vincula sunt, quibus constringendus Bacchus:

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum.

Quare olim piscatoribus oraculum datum, ut Bacchum mari immergerent, ut nimirùm calorem nimium temperarent, ideoque veteres Jovi duas nutrices, Baccho verò plures assignârunt, quòd temulentum hunc Deum pluribus aquæ mensuris cicurare, mitiorem atque prudentiorem reddere oporteat: optimè proinde *Bernardus Palomus* admodum facetus monachus, de vino dicere solebat: *Si vinum aquâ diluas, vinum perdis, si non diluas, te perdis.* Propterea citatus *Scacchius* dilutum vinum perpetuò ab omnibus bibendum, & alii non pauci meritò consulunt: nisi admodum aquosum fuerit, & oliogophorum. Aliter si purum hauriant, præsertim senes, ac merum, utilitatem nullam, sed damna & morbos anteà relatos causare posse maximè timendum est, illorum debili calore obruto & suffocato, effusisque & attenuatis statim crudis excrementis, quibus senes plerumque scatent; nam si ob debilem calorem innatum Hippocrates 1. *aph.* 14. pauco alimento illos uti debere consulit, cùm alioquin à multo exiguus illorum calor extinguatur, multò potiùs in vini potu hanc regulam servare expediet, cùm validius multò vinum existat, & fortiorem multò calorem requirat, ut vincatur; ne si talis non inveniatur, victus & à potentiori vini calore superatus remaneat, & acescat, vinumque, quod in optimum alimentum abire debebat, in frigidum excrementum & crudos succos degeneret, nec aliquid nutrimenti, caloris, aut roboris conferat; quò videtur respexisse Hippocrates cùm *lib. de alimento* dicebat: *Vinum aliis alimentum, aliis non.* Hoc ita esse, atque ita fieri expedire scientissimè monet Vallesius *cap.* 29. *de sacra philos. in fine*, quo loco satis laudat Davidis servos, qui ut sancti Regis senescentes, algentes, & præ frigore torpentes artus calefacerent, non vestibus, non igne, non vino, aut calidis eduliis sed modico ac tepenti Abigailis pulcherrimæ virginis naturali calore fovendos curârunt, in cujus sinu divinus Psaltes quiescebat, & placidum captabat somnum, tanquam nostræ naturæ magis congruo, & familiari. Propterea ait idem *Vallesius* minimè à se probari commune illud, quòd vinum lac senum dicatur; quare concludit non nisi benè dilutum illis propinandum, usque dum in extremo senio constituti ab omni penitus abstineant, cujus loco mulsam tunc illis magis convenire optimè consulit, cùm alioquin si tunc quoquo modo vino indulgeant, senectam miserabiliorem, & vitam breviorem facient: quod *Vallesii* documentum forsan tanti fecit *Guido Patinus*, celebris Lutet. Scholæ professor, apud Philip. Guibertum, *quæst. de sobrietate*, ut dicat senes quo provectiores tantò dilutius vinum bibituros, ac denique ad metam proximos non nisi aquam; in quam opinionem etiam inclinare videtur Melch. Sebizius *lib.* 4. *de alim. facult. problem.* 139. ait namq; quemadmodum illi valida pharmaca non ferunt propter virium & caloris infirmitatem, sic nec fortia vina & generosa illis propinanda. Eodem quoque modo videtur sentire Alzaravius à Cruce

cent. 1. *de quæsi. per epist.* qui licèt omninò *Vallesio* non assentiatur, tamen illius opinionem accipiendam ait de vinis generosis & fortibus, qualia Hispanica sunt. Quo eodem modo *Vallesium* explicat Zacutus *lib.* 6. *de hist. princip. hist.* 12. alioquin si debilia sint vina, & oliogophora, illis concedi posse non negat. Tandem qui circà hanc rem pulchra voluerit, adeat Camerarium *lib.* 2. *de admirandis vini propriet. cap.* 2. qui ex multis ac probatissimis auctoribus hoc probat, Jul. Alexand. *lib.* 16. *salub. cap.* 9. Arnaldo, Plutarcho, Philocoro, Joanne Lieubatio *lib.* 7. *aph.* 16. Clemente Alexandrino *lib.* 2. *Pædag.* quin ex Poëtis *Tibullo*, *Fausto*, *Andrelino*, *Mureto*, *Meleagero*, *Obsopæo*. Sic ille *in Epig. Antholog. lib.* 1.

E cinere ut Bacchum nymphæ cepêre sorores,
Membraq́ lavârunt fonte perennis aquæ,
Iunctus amicitiæ est nymphis: si fortè repellas,
Natum de flammis experiere Deum.

Et *Obsopæus*:

Igneus urentes jacit in præcordia flammas
Atque mero usque meras ingerit ille faces.
His si nolueris & tu calefactus aduri,
Frigida ferventes diluat unda cados.
Ignivomo Bacchum flagrantem fulmine Nymphæ
Servârunt liquidis (igne perisset) aquis.
Ex hoc Nympharum Baccho conjunctio grata est
Hanc nisi secteris, quod bibis ignis erit.

28\. Itaque ut circà hanc vini parænesim finiamus, qui de illius excellentia multa atque admiranda audire voluerit, præter citat. Canonherium & Alzaravium *Zacutum* adeat 1. *de princip. in com. hist.* 6. *lib.* 2. *ejusdem hist.* 61. 69. *& 72. & lib.* 4. *hist.* 18. 19. *& lib.* 6. *hist.* 12. *&* 13. imò & illius damna *lib.* 3. *hist.* 41. in quæ cùm homines vini suavitate allecti tam inconsultè ruant, ut extrà mentem sæpissimè ferantur, mirum non est si Galenus *lib. quòd animi mores cap.* 10. cum Platone *in Timæo*, & 2. *de legibus* vinum prohibeant illis, qui in exercitu sunt, Principibus in imperio positis, judicibus item, & gubernatoribus; & meritò quidem, cùm horum omnium consilia nullum mentis inordinatum motum ferant, cùm alioquin illorum vel levia errata

29\. toti Reipub. maximè ærumnosa sæpius evadant: quapropter debitum vino utendi modum secundùm illius & hominis temperiem optimè docet Mercurialis 1. *variar. cap.* 18. quem vide. Sed ô tempora! ô mores! ô sæculum! quo temperantia laudatur, sed alget; veterum temperantia extollitur, sed moribus novis vivitur: virtutes pænè omnes egimus in exilium, ac omnium ferè primam temperantiam. Sed quid ego hæc inaniter deploro? Hæc sæpius pro suggestu dicta, hæc scriptis reprehensa, hæc legibus prohibita; frustrâ omnia: consulentes exsibilantur, scripta plerumque non leguntur, aut spernuntur lecta, leges velut superfluæ ridentur, & potissimum medicinæ; nemo enim est, qui quod licet faciat, nisi quod lubet, siquidem ut *Plautus* ait *in Trinum*.

Mores mali quasi herba irrigua succreverunt uberrimè.

Sed nulla in re ac ex vino peiores; de quo rectè quidam:

Et Venus in vinis ignis in igne fuit.

QUÆSTIO OCTUAGESIMA-SEXTA.

Sudor sanguineus an poßibilis, & ex quibus causis evenire poßit? Agitur etiam de lachrymis sanguineis.

1\. OB transgressionem divini præcepti, inter alia, quibus Deus Adamo maledixit, illud quoque addidit: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo*; labore enim & sudore Deum omnia vendere, vetus, divina, ac vera gnome est. Panis igitur mentio, de quo *quæst.* præteritâ, sudorem nobis in mentem revocat, circà quem non communia illa ac protrita in medicorum plurimis libris, sed rarius aliquid afferemus, de

Genes.

de sanguineo tantummodò agentes, & de prodigiosis aliis sanguinis emanationibus, & pluviis, obiter pauca attingemus; licèt enim historicis potius quàm medicis hæc enarrare conveniat, quòd tamen apud authores admiranda aliqua legantur, nec adeò antiqua, sed paucis abhinc annis visa, referre placuit. Sylvaticus *contr.* 5. ubi de sanguineo sudore agit ex Cornel. Gemma *lib.* 2. *cosmocrit.* tradit anno 1567. in ipso Pentecostes die atri sanguinis guttas innumeris in locis fuisse repertas in magna copia: anno etiam 1571. in festo Sanctorum omnium in ditione Ebdensi, quæ Dendan vocatur, nocte sanguinem pluisse tanta in copia, ut ad quinque vel sex milliarium spatium, herbæ, & vestes in apricum expositæ rubro colore perfusæ ostenderentur: similia quippe prodigia multoties accidisse visa sunt; de pluvia sanguinis Plinius *lib.* 2. *cap.* 56. & innumeris in locis similiter contigisse refert Julius Obsequens *lib. de prodigiis cap.* 32. 34. 59. 60. 68. 69. 71. 86. 88. ex pluribus aliis. Nec dubium est (si vera sunt quæ *Gemma* scripsit) illis signis Deum ostendere voluisse calamitosam bellorum atrocitatem mox venientium, quorum assiduitate & sævitiâ tot hominum myriades perituræ erant, tantamque vastationem, quam innumera loca & urbes passæ sunt: quid ni? Romanorum & Gentilium ævo non aliter illa signa fiebant quin aut regis alicujus mors, regnorum ruina, prælii clades, fulminis ictus, aut aliquid hujuscemodi statim sequeretur; ergò Christianorum tempore ob easdem causas similia prodigia evenire posse cur non suspicabimur, aut ob alias nobis prorsùs ignotas, sed maximè admirandas? qualiter illud fuit, quod ex *Iusto Lipsio* narrat Drexelius *p.* 2. *delic. gent. cap.* 2. nimirum apud Sichemienses in Belgio Divæ Matris Virginis Imaginem sanguinem sudâsse, ac per id ferè tempus sanguinem pluisse tradit *Gemma*. Sed quatenus ad pluvias, scio aliquos causam naturalem reddere conantes, eam invenisse in exhalationibus, quæ ex terris rubris elevatæ in media aëris regione condensatæ descenderent, & pluviam illam sanguinolentam causarent; cæterùm cùm ad hæc prodigia plerumque aliquid laboriosum, & ærumnosum secutum fuerit, causas alias habuisse superiores meritò putandum. Sed ista ut à nostro instituto aliena mittamus, & primum de lachrymis sanguineis, mox de sudore aliqua adnotabimus, ut quid miraculosi, quid naturalis hæ evacuationes contineant, agnoscere possimus.

3. Lachrymæ sanguinis.

Lachrymas fieri ex sanguine attenuato, & liquefacto existimavit *Empedocles*, ut habemus apud Galenum *lib. de hist. philosoph.* sed tamen si hoc verum esset, haud dubiè sæpiùs rubro colore infectas conspiceremus; quod cùm rarissimum sit, aliter fieri, & aliam esse causam ob quam sanguinolentæ exeant, meritò dicendum: atqui ita ex mensibus retentis in aliquibus fœminis erupisse *lib.* 4. affert *Schenckius* ex Brassavola 4. *aph.* 25. Dodonæo *cap.* 15. *obs.* Mercato *lib.* 1. *de affect. mul. cap.* 7. Salomon. Alberto *in orat. de sudore cruento*, quæ tamen venâ in talo scissâ cessârunt. Forestus *lib.* 11. *obs.* 13. in octuagenaria icterica per tres septimanas ex oculis emanâsse vidit, forsan vasis à copiosa bile apertis. Zacutus 1. *de praxi miranda obs.* 50. juvenis mentionem facit, qui singulis mensibus circuitu quodam sævâ vertigine premebatur, quæ nullo auxilio proficiente, solâ evacuatione à natura factâ quiescebat; illa verò non alia erat, quàm meri sanguinis per oculorum canthos rivuli instar emanatio, quæ post validam capitis rotationem 4. aut 5. unciarum pondere sequebatur: fortè admodum serosus erat sanguis, qui in caput ferebatur, & ad vasa illa, quæ juxtà oculos aqueum lachrymarum humorem continent, potissimùm recurrebat, naturâ ipsum velut advicina loca derivante; quare venæ illæ prædicto sanguine repletæ, tenuitate, & acrimoniâ laxatæ & apertæ, sanguinolentum illum humorem effundebant; qualiter in undesemestri puella lachrymas sanguineas effluere vidit Phil. Hechstetterus *obs. medi. decad.* 1. *casu* 1. Nec aliter (si verum est) illud evenisse crediderim, quod narrat *Drexelius* sup. cit. fœminam fuisse, quæ mariti mortem eo lachrymarum imbre prosecuta est, ut lachrymis deficientibus guttas sanguinis oculi stillaverint; cùm sanè rectius arbitrandum foret à copioso serosi humoris ad oculos confluxu, sanguinis aliquam portiunculam dilutam, quæ post longum lachrymarum effluvium extrà quoque prodierit, compressis præ mœrore venis in quibus continebatur.

4. 5.

Sudor sanguinis sæpius visus. 6.

Cùm igitur eadem sit materia sudoris & lachrymarum, ut propterea Aristoteles *sect.* 5. *probl.* 35. lachrymas sudorem quendam appellaverit; videndum an sicuti hæ sanguineæ aliquando observatæ sunt, ita etiam sudor eâdem rubri humoris permixtione aliquoties acciderit, & quæ hujus eventûs causa reddi possit? Igitur sanguinem

nem per sudorem aliquibus emanâsse scribit Aristoteles 3. *de part. animal. cap.* 5. & 3. *de hist. animal, cap.* 19. idem ex sententia *Monæ* medici tradit Theophrastus *lib. de sudorib.* & Author. libri *de utilit. resp.* (quisquis ille fuerit) apud *Galenum* aliquibus poris dilatatis sanguinem aliquando fluere docuit Rondoletius *lib. de dignos. morbis cap.* 11. & 18. similem sanguinis evacuationem per sudorem anno 1547. in studioso quodam vidisse ait. Greg. Horstius *p.* 2. *suar. observ.* 15. in prægnante sanguineum sudorem vidisse scribit. Lycosthenes *de prodigiis* narrat mulierem peste affectam supremâ corporis parte sanguinem sudâsse, & de alia similiter peste laborante scribit Agricola 2. *de peste*, cui Misniæ in Germania per caput & thoracem sanguis emanavit, priusquam à peste, quâ correpta erat, interiret. Tandem possibilem esse hanc sudoris sanguinei evacuationem ex eo comprobari potest, quia si medicamentis & arte talis sudor educi potest, ut succo cujusdam herbæ Indos facere tradit *Petrus de Osma* apud Monard. *lib.* 2. quem juncturis applicatum purum sanguinem per sudorem educere ait, cur naturæ hoc etiam possibile esse negabimus? Præsertim cùm Zacutus *lib.* 3. *prax. mirandæ obs.* 2. in viro succulento febre sanguineâ detento sanguinis sudorem criticum vidisse refert, de quo etiam videndus Salomon Albertus *in orat. de sudore cruento.*

Cùm igitur ex his omnibus sudorem sanguineum possibilem esse constet, totque testes habeamus, qui illum vidisse asserant, haudquaquam *Sylvatico* assentirer qui *contr.* 5. omninò possibilem esse negat: nec enim fundamentum quod assumit adeò efficax est: ait quippe ordinem humorum nostri corporis à medicis constitui, quòd tenuissima pars totius massæ spiritus sit, deinde vapor, post serum, deinde bilis, post sanguis arteriarum, deinde lac, tandem sanguis venarum, demum pituita, ac ultimò sanguinis fæx melancholia dicta crassior sit; quarè cùm sanguis plusquam mediocriter crassus sit inter reliquos corporis humores, inde existimat per insensiles cutis poros ac minimos visûs sensum effugientes liberè fluere non posse, maximè cùm sit naturæ thesaurus, quem ipsa totis viribus servare nititur; hæc (inquam) possibilitatem sudoris sanguinei non tollunt, quia tantum de statu naturali, & optima corporis constitutione, in qua prædictus ille ordo servatur, ut vera accipienda sunt: multò enim aliter vel ob nimiam pororum raritatem, vel ob sanguinis tenuitatem, & seri permixtionem, quæ ex morbosa dispositione causantur, aut malignâ aliquâ qualitate, aut repentinâ aliquâ conturbatione, ex nimio timore scilicèt, aut irâ eveniente, accidere posse non est cur impossibile censeatur; cùm præsertim videamus, naturam sanguinis copiam, quâ freequntissimè opprimitur, per vias quasdam evacuare, per quas sanguinem effundere nunquam antea consueverat: sic Volusius apud Plinium *lib.* 11. *cap.* 38. singulis annis ex 94. quos vixit, ingentem sanguinis quantitatem evomebat; sic in aliis per urinæ vias eundem humorem natura detrudit, in plethoricis præcipuè adolescentibus, ut vidisse tradit Hieron Reusnerus *in Schol. ad cap.* 22. Judocus Willich. *de probat. urinæ*; nam esse quosdam, qui per circuitus sanguinem mingant, docuit Arethæus *lib.* 2. *cap.* 3. hanc enim evacuationem in urgentium morborum crisibus aliquandò natura operatur, ut vidit Amatus *cent.* 2. *curat.* 63. & Nicol. *serm.* 5. *cap.* 19. imò de quodam, qui singulis mensibus, quemadmodum mulieres, sanguinem per urinæ vias evacuabat *lib.* 2. *prax. mirandæ cap.* 102. meminit *Zacutus*; dari enim tales homines qui quemadmodum mulieres, per lotii meatus sanguinem ordinatâ vicissitudine effundant, testatur Fabricius Aquapendens *lib.* 3. *chirurg. cap.* 13. in Germania præsertim, & Lotharingia. Sic per uberum papillas sanguinem in fœminis aliquando exiisse animadversum est, ut refert idem Amatus *cent.* 2. *curat.* 21. & Marcel. Donatus *lib.* 1. *de med. hist. cap.* 2. Verùm ne respectu pororum hæc loca multò patentiora esse aliquis dicat, ut proptereà sanguis per illa exire possit, non per cutis poros, cùm multò angustiores habeantur, & visui imperceptibiles sint, per ipsos etiam naturam non rarò sanguinem in copia evacuâsse à multis observatum, ac traditum est: narrat Beneven. *lib. de abditis c.* 4. novisse hominem, qui sanguinis fluxum singulis mensibus per insensilem porum infrà jecur, qui aciem effugiebat, patiebatur. Fallopius *lib. de vulner. c.* 37. alium vidisse ait, qui singulis annis mense Maii integrâ existente cute per ipsam è jecoris regione libram circiter sanguinis effundebat: sic per insensilem alium porum in interfœmineo sanguinis profluvium criticum vidit Zacutus *lib.* 2. *de princip. hist. hist.* 139. & *lib.* 1. *prax. mirandæ obs.* 47. & per gingivas aliud eodem *lib. obs.* 86. sed & per porum juxta radicem pollicis

Marginalia: 8. — *Sanguinis excretiones mirabiles.* — 9.

licis in pede aliam criticam hæmorrhagiam vidisse scribit *lib.* 3. ejusdem *obs.* 110. qualiter & singulis mensibus alteri evenisse tradunt Vallesius 2. *meth. cap.* 12. Sennertus *lib.* 3. *p.* 6. *sect.* 1. *cap.* 2. *in fine*, & idem Zacutus *lib.* 2. *de princip. hist.* 10. *obs.* 2.

Si igitur in omnibus istis, vel per morborum crises, vel etiam in statu salutis, ut copiam, quâ gravabatur, natura deponeret, per unicum aut plures pororum exiguos meatus, & inperceptibiles sanguinem copiosè evacuabat, cur si in toto corpore detur plenitudo, & cutis contextura undique pororum raritate prædita, tenuiorque ac serosior sanguis, quàm pro debita proportione existat; cur, inquam, per plurimos poros in sudoris modum illum expellere non poterit, si materia in venoso genere prædictæ substantiæ sit, cutisque similiter raritas ubique pervia, quæ naturæ per ea loca expellere nitenti viam præbeat? Quare namque per unicam cutis partem hoc fiat, & per alios simul exire non possit, si in cute & sanguine jam dicta dispositio inveniatur, assignari debet ratio, quam non facilè quis ostendet: quare cùm sanguinei sudoris evacuatio impossibilis non videatur, imò illam concedant, & de facto vidisse affirment tot suprà adducti doctores, & alii quos infrà adducemus, quibusnam ex causis sanguinis sudor oriri possit, jam inquirendum.

10.

1. Ex plurimis, quos legere contigit, quantum assequi possum ferè omnes unicam tantùm hujus evacuationis causam assignant; ego ex triplici provenire posse judicaverim. Communem illam ex *Aristotele* suprà citato statuunt, nempe cùm ex vitioso corporis habitu non solùm pororum laxitas resultat, sed sanguinis quoque ex immodica feri permixtione, præter modum tenuitas quædam oritur, & fluxibilitas, unde faciliùs per poros destilletur, retentrice facultate simul debili existente: hoc autem totum ex caloris naturalis imbecillitate provenire posse statuunt; unde sanguis crudior, & humidior reddatur, & ut *Aristoteles* dicebat, serescat. Hanc igitur *Aristotelis* causam, quam etiam *in comment.* approbat *Averroës*, in studioso, cujus historiam refert, agnovit *Rondoletius* citat. ait enim serosum sanguinem sudâsse ob venarum raritatem, & sanguinis tenuitatem, nec aliter in muliere illa evenisse tradit *Horstius*; cui opinioni subscribunt Marcel. Donatus *lib.* 1. *hist. med. mirab. cap.* 2. Langius *p.* 2. *epist.* 26. Roderic. Castrensis *lib. quæ ex quibus cap.* 23. Rhodiginus *lib.* 5. *antiq. lect. cap.* 2. à sanguine enim tenuiori pepulas in cute efflorescere, dum à facultate expultrice agitatur, tradit Riveruis *cap. de feb. pest.* in lienosis & ictericis præcipuè, & aliis diuturnas viscerum obstructiones patientibus, aut viscerum debilitatem, ob quam sanguinem generant aquosum; quare si rubræ illæ efflorescentiæ ex tali sanguine oriuntur, facilè etiam contingere poterit, ut si major cutis sit raritas,

12. sanguis non concrescat, sed per poros exeat, quem sudorem Alcmæonem sudâsse testatur *Plutarchus*, ut ex illo refert Joan. Bustamantius *lib.* 2. *de animantib. S. Scrip. cap.* 16. *num.* 128. Porrò hoc ita esse, & ex hac causa evenire expressis verbis docet *Aristoteles* citat. 3. enim *de hist. animal. cap.* 19. sic ait: *Iam nonnullis accidit ut cruentum quoddam excrementum sudarent propter vitiatum corporis habitum, eo scilicet cùm corpus laxum, fluxumq; esset, sanguisq; præ cruditate humesceret, imbecillitate caloris, qui exiguus venulis inclusus coquere non posset.* & 3. de part. animal. cap. 5. *Si sanguis immodicè humescit, morbus infestat; sic enim in speciem saniei diluitur, & adeò serescit, ut jam nonnulli sudore cruento exsudaverint. Idem etiam interdum causa est, ut qui effluxerit, aut omninò concrescere nequeat.* Sanguinis siquidem nimia humiditas & serositas illum non solùm fluxui paratissimum reddit, sed ob fibrarum, quas diluit & proluit, paucitatem concrescere non sinit; ob quam causam sanguinem cervorum, & damarum non spissari docuit Aristoteles 4. *meteor. cap.* 7. & 3. *de hist. animal. cap.* 6. Hujusmodi igitur

13. sanguis reseratis venarum osculis facillimè effunditur, quod celebri historiâ confirmat Math. de Gradi. *part.* 1. *practica cap.* 35. in moniali, in qua non ex humorum abundantia, nec aliqua ex causa primitiva, emanabat undique sanguis, per sputum, per nares, per urinam, & per omnia ferè evacuatoria in quantitate, ut ad 18. libras ascenderet. quod ob sanguinis cruditatem, aquositatem, & laxum corporis habitum accidisse asserit, calore nativo ob debilitatem concoquere non valente; & quod magis est, addit quòd applicatis siccis cucurbitulis, statim sanguine repleræ sunt; unde conjectare licèt quàm facilè prædictus sanguis per poros exeat, ut & in sudoris formam exire posse ex hac historia non difficilè colligatur, cùm prædicta fœmina ad illam dispositionem jam venisset, ut à cucurbitularum igne aliquantulùm magis atte-

tenuatâ cute, & laxatis poris in tanta copia resudaverit; quarè & ipse *Sylvaticus* ex eo tantùm sanguinis sudorem impossibilem judicat, quòd rarissimè accidere possit, sed possibilem esse omninò non negat; nec certè negare poterit aliquis, si authorum rationes, & omnia, quæ hîc dicta sunt, expenderit.

14. Advertendum tamen circà hunc sanguineum sudorem, dicto modo & ex dicta causa provenientem, per illum non merum sanguinem unquam educi, aut à corpore expelli, sed crudum, aqueum, & serosum; unde in morbosis, non in sanis corporibus accidere posse rectè arbitrandum est, ac propterea *Aristoteles* sanguineum sudorem dixit, non sudorem sanguinis, quasi voluerit sanguine magna ex parte in serum mutato hoc accidere, imò serum veluti rubefieri; quo modo sic per poros exire posse citati authores fatentur, & non aliter, quod rationi consentaneum etiam putavit Mercurialis 4. *variar. cap.* 12. non verum sanguinem dicens, sed sanguinis ichorem è venarum meatibus profundi, ac in sudoris modum destillari posse.

Sed licèt in prædicta causa, & circà corporis statum, quibus mediantibus talis evacuatio contingere potest, prædicti authores conveniant; tamen ex aliis causis non aquosum tantùm & serosum sanguinem, sed alium per cutis poros, & venarum ostiola effundi posse ex sequentibus conjectari poterit: nam si sanguis purus, & perfectè coctus ex eo per sudorem expelli non posse judicatur, quia suâ crassitudine & fibrarum interventu obstat, quo minùs exire possit; si demus ob aliam causam, quàm ex seri permixtione illam crassitudinem amitti, & fibras, quibus illius consistentia fulcitur, corrumpi posse, & cum his si pororum quoque raritas sufficiens inveniatur, jam aliquando sanguinis sudor ex alia quàm ab antedicta causa possibile erit ut eveniat: posse verò per malignam aliquam qualitatem sanguinem attenuari, & cum fibris corrumpi, ita ut naturalem consistentiam, & crassitudinem amittat,

15. & condensari non possit, ex multis probari videtur: *Nicander*, *Dioscorides*, & medici ferè omnes de hæmorrhoo serpente asserunt, eum, quem momorderit, undique meatibus & poris sanguinem effundentibus interire; quod elegantur 9. *Pharsaliæ* expresit *Lucanus*:

> ——— *Sic omnia membra*
> *Emisêre simul rutilum pro sanguine virus;*
> *Sanguis erant lachrymæ; quacumq; foramina novit*
> *Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,*
> *Et patulæ nares, sudor rubet, omnia plenis*
> *Membra fluunt venis, totum est pro vulnere corpus.*

Docent idem præter medicos Ælianus 9. *de animal. cap.* 43. & inter signa morsûs illius ajunt, quòd sanguis non solùm per inflictum vulnus, & consuetas vias, sed per loca planè inconsueta prodeat, aures nimirum, oculos, gingivas, unguium radices, os, per vomitum, tussim, per anum, imò per omnes corporis poros atque meatus, nec non & per cicatrices à vulneribus antiquis relictas, ut *Gesnerus*, *Aldrovandus*, & *Sennertus* affirmant; quod horrendum symptoma non solùm ex retentricis facultatis resolutione oritur, ut docuit *Aldrovandus*, sed quia sanguis ex maligna ac deleteria serpentis qualitate cum fibris omnibus taliter corrumpatur, ut crassescere ac condensari non possit, ob fibrarum corruptionem & dissolutionem, quam malignitas induxit; sunt enim fibræ proxima & continens concretionis causa, ut 6. *patholog. cap.* 7. advertit *Fernelius*; quare ob illarum defectum sanguis non concrescit, ut in cervis & damis antea ex *Aristotele* dicebamus: & sicut ex hujus malignissimi serpentis morsu, ita in aliquibus deleteriis morbis ac pestiferis accidere videmus, in quibus ingentis morbosi veneni vis est, sanguinem & illius fibras adeò corrumpi, ut minimè

16. cogi ac condensari possit; unde Galenus *lib. de succor. bonit. & vitio cap.* 1. in constitutione pestilenti sectiones venarum ægrè ad cicatricem venire docuit, quod non aliundè, quàm ex humorum depravatione provenit. Zacutus 3. *prax. mirandæ obs.* 41. multis (ait) in peste sanguis è cucurbitulis emanans nullis validis auxiliis, nec cauterio ipso potuit compesci; quare obierunt omnes. Ita sanguis, qui extractus non condensatur, pessimæ putredinis & corruptionis exhibet signum, tantò magis, quanto in calidiori regione hoc acciderit; ideoque apud Hispanos ut pessimum omen semper accipitur, minùs in Belgis, Gallis, & Anglis, frigidisque aliis regionibus, in quibus ob frigidiorem hepatis temperaturam, & ciborum humiditatem tenuior ac serosior generatur sanguis, unde si aliquando non spissetur, non ita timoro-

rosum signum præbet, sicuti in calidioribus regionibus, in quibus ob contrariam rationem periculum ingens ferè semper minatur. Hoc pacto cum anno 1642. vehemens variolarum epidemia grassaretur, observavi in pessimis variolis, quæ cum febre petechiali incipiebant, & ingentem malignitatem ex nigris maculis per totum corpus diffusis ostendebant, observavi (inquam) in plurimis, quòd sectis cucurbitulis sanguis nullo modo cohiberi poterat, imò & adhuc post mortem aliquibus fluere non cessabat; quod ob veneni perniciem, & ingentem sanguinis corruptionem contingere persuasum habui, fibris ob summam putredinem etiam dissolutis. Quæ omnia ideò libentiùs attuli, quòd judicem ex hac quoque causa in maleficentissimis & pestilentialibus morbis sudorem sanguinis accidere posse, ipso ob magnam corruptionem ad illam tenuitatem veniente, ut per poros transfundi possit, facultate retentrice interim omninò resolutâ, maximè si cutis meatus ob febris calorem magis pateant: & hanc fuisse causam in mulieribus illis, quas *Lycosthenes*, & *Geor. Agricola*, peste affectas sanguinem sudâsse tradunt, & non aliam mihi persuadeo, quia peste & non alio morbo laborârunt, illarumque sudorem statim excepit mors; maximè cùm Rhasis *lib. 30. continentis tract. 13. cap. 1.* sudorem sanguineum in pessimis variolis adnotâsse referat, ut jam in malignissimis morbis triplex sudoris sanguinei observatio existat; quare ex hac quoque causa talem sudorem contingere posse, ipsa authorum experientia plusquam semel ostendit.

17.

Sed tertiam sanguinis sudoris causam inveniri adhuc aliqua suadent, cujus etiam nec exempla deficiunt; nam per vehementes animi passiones tam subiti effectus in corporibus accidunt, ut ex nulla alia causa tot ac tam mirandæ mutationes repentè conspiciantur: ex timore, tristitia, ira, lætitia subitò multos occubuisse notissimum est, ut apud *Plinium*, *Valerium Maximum*, *Crinitum*, *Fulgosium*, & alios legimus. Ita ex animi angore, metu, mortis timore, non paucos repentè canuisse historiæ proferunt, quarum plurimas collegit Marcellus Donatus *lib. 1. cap. 1. de med. hist. mirab.* Schenckius *lib. 1. obs. 1.* ex *Suetonio*, *Rhodigino*, *Adriano Iunio*, *Ludov. Vives*, *Scaligero*, *Lemnio*, *Delrio*, *Nicol. Florent.* & aliis, quibus etiam satis notabilis alia addi potest, quam ex *Iustino Globero* refert Gesnerus *cap. de lupo*; nam & præter illos, qui in prædictis historiis numerantur, aliis hominibus multis anteà sæculis similiter idem accidisse non est dubium, cùm id *Homerus* scribat in *Odyssea*:

18.

Quippe repentè homines curisq; malisq; senescunt.

Et Theocritus *Idylli. 12.*

Qui verò desiderio conficiuntur, uno die fiunt senes.

Si igitur hæc, & non minoris admirationis alia animi affectus causant, & præcipuè timor, dum imminentis mali aut supplicii horror cogitationem subitò apprehendit, ac in ipsam altè defigitur, sicque calorem naturalem celerrimè non solùm enervat, sed extremè resolvit; ita ut repentè tota corporis œconomia immutetur, ac pro juvenili habitu & temperie senilis introducatur, quæ suos effectus statim pariat, pilorumque humorem, qui illos nigro aut rufo colore tingebat, extemplò retrahat, ac alium protinùs substituat, totum corpus tam subitâ metamorphosi transformando ut alium hominem improvisè ac inopinanter ostendat; si hoc (inquam) ob mortis timorem ex animi affectu accidit, quare in aliquo, si debita pororum raritas & humoris sanguinei tenuitas inveniatur, illius sudor aliquando, (licèt rarissimè) contingere non poterit? Videmus per animi affectus ipsum sanguinem ad intus & ad extrà velocissimè moveri; si ergò dum inordinatè transfertur, tenuior fit, & foramina patentiora inveniat, certè aliquando per poros exire posse non videtur negandum: scribit Math. Cornarius *lib. 1. enchirid. cap. 3.* nobili cuidam adolescenti, qui honestæ viduæ nuptias ambiebat, dum in prandio ad mensam cum amasia loqueretur, & verecundus rubore suffunderetur, venam in temporibus spontè apertam, ac copiosè sanguinem effudisse; quod propriis oculis author vidisse ait: quemadmodum igitur per determinatam partem ex rubore & amoris affectu in prædicto juvene sanguis prosiluit, poterit forsan in alio per universam cutem exire, si vehementiori passione corripiatur, ut ex ingenti ira in Alexandro Magno visum fuisse tradit Petrus Bovestiu *in tract. de hominis excellentia*; nam cùm ardenti animi conatu in pugna adversus Indos decertaret, militesque suos deficere animadverteret, usque adeò irâ succensus est, ut sanguinem è toto corpore exsudaverit, ac copiosè effuderit.

19.

20.

21. Author libri *de utilitat. respirat.* qui inter spurios continetur (quisquis ille fuerit) hoc fieri posse non solùm approbat, sed & modum quoque addit, quo mediante hic sanguinis sudor per cutem exire possit, dum in summo animi affectu, angore, & conatu homo versatur; ait sic: *Quoniam autem in conatu fit conclusio spiritûs non solùm in fistulis pulmonis, sed etiam in venis & nervis, contingit quandoque terminos venarum ex multo spiritu dilatari, spirituq́ exeunte trahere secum sanguinem, estq́ sanguis hoc modo exiens spumosus propter spiritum sibi admixtum.* & parum infra: *Contingit autem poros ex multo aut fervido spiritu usque adeò dilatari, ut etiam exeat sanguis per eos, fiatq́ sudor sanguineus.* Marcellus Donatus *loco sup. cit.* hunc dicendi modum adeò malè fert, ut propter hunc locum tantummodò librum illum à *Galeni* genuinis meritò expungi debuisse dicat; ait enim si ex hac spiritûs motione sanguineus sudor moveri posset, quòd ex violento corporis motu, dum vehementer movemur, nos utique in talem sudorem deveniremus, cujus tamen oppositum quotidiè experimur. Sed non est cur tam acerbè prædictum locum & illius doctrinam reprehendat; non enim quævis animi passio, aut motus, licèt vehemens sit, talem sanguinis effusionem causare valet, sed siquando illud contingit in bellicosissimo ac fervido homine, ingenti irâ percito, calidissimo spiritu & tenuissimo, biliosoque sanguine pleno, qui pororum etiam magnam raritatem habeat adjunctam, temporeque & regione ferventissimis in maximo conflictu positus sit, cujus causâ intus atque extrà excandescat, ac furiis velut agitatus omninò bilescat ac furat; quæ omnia in Alexandro Magno reperta fuisse putandum est: quare quòd frequenter in aliis hoc non experiamur, nil vetat, quin aliquando licèt rarissimè evenire possit; author verò *lib. de util. respirat.* modum, quo illud accidat, magis videtur explicare, quàm eventum facilè concedere. Sed cur omninò negandum? certè nulla ratio efficaciter hoc suadet: sunt in medicina viri celebres, qui in magnis angoribus, & in gravissimo ac præsentaneo mortis horrore perculsis, sudorem sanguineum contingere posse admittant, inter quos Cardanus *lib. de natura hominis*, cùm præ molestia animi tenuis sanguis igneo calore extenuatus exprimitur: consentit Steph. Rodericus Castrensis, *lib. 1. quæ ex quib. cap. 23.* quia spiritus in talibus passionibus incalescunt, rursusque ad cutem transmittuntur, & juxtà ipsam condensantur, quæ agitatio & transmissio adeò efficax esse potest (ait ipse) ut sanguineum sudorem moveat; & de facto sic quibusdam accidisse apud aliquos legimus.

22. Joan. Maldonatus *tom. 1. in evangel. in cap. 26. n. 38. Matth.* Audivi (inquit) ex his qui viderunt, aut cognoverunt, ante annos duos Lutetiæ Parisiorum, hominem robustum, ac bene valentem, auditâ in se capitis sententiâ, sudore sanguineo fuisse perfusum: & ex eo Drexelius *p. 2. deliciar. gentis humanæ cap. 2. §. 3.* Alterius etiam qui ex mortis timore in sanguinis sudorem repentè incidit, meminit Thuanus *lib. 11. histor.* & ex eo Jonstonus *in thaumatographia classe 10. art. 5.* ubi sic: *Præfectus montis Marini, cùm in obsidione ejus ab Augusto Saluciorum Principis filio notho, quasi ad colloquium fuisset vocatus & captivus detentus, morsq́ interminata nisi locum traderet; tantoperè indignæ mortis metu affectus est, ut sanguineum sudorem toto corpore funderet.* Aliam ex eodem *Thuano* historiam affert Vander Linden *in suis selectis novissimè impressis sect. 13. §. 116.* quam ideò hîc non transcribo, quia de illius veritate maximè dubito, cùm multùm à prædicta diversa sit, nec de illa ullam mentionem *Ionstonus*, aut alius gravis scriptor faciat; quare authoris ergà Pontificiam dignitatem depravatum animum tantummodò ostendit. Cæterùm si aliæ historiæ veræ sunt, non est cur *Ioan. Bustamant.* supra citat. liberè pronunciare audeat, ex animi angore, anxietate, & angustia præter Christum neminem unquam sanguinem sudasse. Itaque si in tristioribus, & animi mœrentis affectibus illud accidisse visum est,

23. multò promptiùs ac faciliùs in iratis evenire posse credendum, cùm in his humores & spiritus magno motu & impetu ad extrà ferantur, in timore verò & mœrore potiùs ad intrà recurrant; quod tamen non obstat, quia licèt in angore sanguis ad intrà revocetur, tamen incalescit, & calore attenuatus rursus ad extrà detruditur.

Tres sudoris sanguinei causas attigimus, à quibus naturaliter hoc rubri humoris effluvium per corporis ambitū causari posse non citrà rationem credibile videtur. Illud tantummodò indagandum restat, ad quam causam referendus sit ille sudor, quem ex guttis sanguinis è sanctissimo Redemptoris nostri corpore, dum prolixiùs in horto

orarет

...risti Domini sanguinis sudor, quam causam naturalem habere potuerit.

124. oraret, tam copiose defluxisse scribit D. Lucas *cap*. 22. ut in terram decurreret. Sunt qui nescio quâ notitiâ, centenas, quinquagenas, octonas guttas effluxisse dicant; hoc incertum, sed innumeras fuisse, ex illo quod antea prædixerat Isaias *cap*. 63. constare videtur: *Quare rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicuti calcantium in torculari?* Est enim indubitatum eodem Evangelista dicente, pavimentum pretioso illo sanguine liberaliter perfusum, nam in terram decurrisse ait: itaque sicuti corpus vel paucæ guttæ madidare sufficiunt, in terram non nisi rivulatim defluere possunt: stillare guttarum est, decurrere torrentium, & rivulorum; certè adnotant nonnulli ex Egesippo Apostolorum discipulo, natam ex hujus divini sanguinis aspergine arborem, quæ in foliis hanc præferebat scripturam: *O mors quàm amara est memoria tua!*

Drex. part. 2. delic. gen.

125. Quæ igitur fuerit sanctissimi hujus cruenti sudoris causa, Theologis & Ecclesiæ Patribus, potius quàm medicis explicare licet. Certè de prima & secunda causa nullus datur dubitandi locus, nam prima quæ sanguinem crudum multo sero dilutum & ab hepate non probè confectum requirit, præter-naturalem corporis statum arguit & morbosum, qui in perfectissimo Christi corpore, & exacta illius ad pondus temperie nec dari, nec concedi potest: de secunda multò minùs, quæ non solum fervidiorum spirituum ebullitionem, validam corporis agitationem, & biliosam nimis illius temperaturam, sed animi quoque immodicam excandescentiam, & hominem extrà rationis metam ingenti irâ furibundè percitum exposcit; quæ quidem omnia quàm ab infinita illa bonitate longè distarent, planè manifestum est. Sapientem minimè irasci oportere cum Tauro philosopho apud *Gellium* plurimi monent: quid ergo? ipsa sapientia, ipsamet virtus, & patientiæ exemplar irasci potuit, aut debuit? absit. Unde igitur tam copiosus sudor, aut ex qua causa sanguinis rivuli emanare potuerint? an ex maxima tristitia & animi anxietate, in qua positus erat? nam ingentem hanc fuisse *Matthæus* & *Marcus* declarant: *Cœpit contristari, & mœstus esse. Cœpit pavere & tædere;* & D. Lucas: *Factus in agonia prolixius orabat*. Certè cùm verus homo Christus fuerit, nilque ex his, quæ humanæ naturæ sunt, à se abalienaverit, videtur non esse inconveniens dicere quòd in tanto adventantis mortis agone positus, summâ animi mœstitiâ affectus, sanguinem naturaliter sudaverit; nam citrà miraculum hunc sudorem in Christo accidisse probat Cajetanus *Lucæ* 22 & Suarez *tom*. 3. *in* 3. *p*. *D*. *Thomæ*, *quæst*. 46. *art*. 8. quos ex medicis sequitur Cyprianus Maroja *lib*. 2. *obs*. 2. in duobus viris auditâ capitis sententiâ jam aliàs visum, ut ex Maldonato & Thuano suprà retulimus: quid nî forsan & ipsa humanitas in Christo mortem, quam tantis tormentis acerbissimam prævidebat & expectabat, anxiè exhorrescere potuit, ut præ animi molestia in copiosum sanguinis sudorem deveniret, ipsum præsertim sanguinem divinâ justitiâ expostulante, ad cujus obedientiam paratissimum sese ostendere volebat? Deinde cùm Christus ipsamet vita esset, ut dicitur Joan. 11. *Ego sum resurrectio & vita*, & 14 *Sum via, veritas & vita;* dubium non est, quòd mortem tanquam summè sibi contrariam exhorruerit, utpote cui per infinitam oppositionem adversabatur, non secùs atque esse & non esse sese excludunt, & abigunt; tum quòd oporteret Deum mori, ut illa evinceretur (quod suprà hominis captum est) tum quòd anima desereret illustre adeò omnique modo absolutum corpus omni naturâ perfectius ac pulchrius: cùm enim plus omnibus aliis hominibus relinqueret, plus illis omnibus angebatur morte, tum ut pro hominibus satisfaceret intensissimo actu doloris de delicto mortalium. Sed licèt hæc probè dici videantur, tamen in Christo Domino ex hac causa sudorem sanguineum provenisse non est cur facilè concedamus: nam mœror & tristitia, ingénsve metus tantum accidens nunquam causare posse videntur, nisi morbosam quandam dispositionem in corpore inveniant, aut pariant, tam in humoribus, quàm in corporis structura; sed in Christo Domino nulla naturalis causa interna aut externa symptoma morbosum inducere potens fuit; nam temperatissimum illius corpus ab omni causa morbifica alienum erat, nec ab ulla offendi poterat, ita ut in symptoma morbosum deveniret, multò minùs in illam sanguinis excretionem, quæ toto genere præter naturam erat. Igitur major alia fuit vis, quæ prædictum sudorem movere valuit, supernaturalis nempe & divina: ita sanctorum PP. Tridentini habitus conventus sanxit, & Theologi ferè omnes docent; & certè supernaturalem causam fuisse evidenti ratione videtur confirmari, quòd copiosissimæ guttulæ sanguinis emanârunt

126.

ad terram usque decurrentes; deindè guttulæ erant, quæ è corpore prodibant, non in roris modum, ut in sudore fit, ac sic ille exeundi modus sudoris formæ minimè convenit: quæ si cum exactissima Christi temperatura nullis morbis, aut morborum causis obnoxia conjungantur, superiorem & minimè naturalem illius sudoris causam fuisse facilè, imò necessariò credendum erit; nullus quippe sanguinem guttatim sudavit, sed in roris formam, quare & exeundi modus particularis fuit & supernaturalem causam habuisse indicavit.

27. Siquis tamen adhuc naturaliter provenire potuisse contendat, non utique ex ratione timoris *ut sic*, illum sudorem factum fuisse dicendum, cùm tantùm absit ut timor humores ad extrà per cutem movere possit, quin imò ad intra ipsos atque spiritus deferat; quo stante in Christo Domino è contra accidit, quia ratione validâ ac virtute illa vitali, singulari tamen & suprà omnes homines efficacissimâ, contrà impetum & effectum timoris omnes suos conatus apposuit; quo factum est, ut licèt angor tantus fuerit, ut spiritus & sanguinem ad cor moveret, ipsa tamen præclara virtutis & timori resistendi vis contrà passionis impetum concitato motu, velut suffocationem fugiens, ad extrà sanguinem & spiritum fudit. Nam licèt Christus Dominus naturali affectu timeret, deliberatâ tamen voluntate, & actu appetitûs à voluntate imperato, mortem & dolores illi propositos amplectebatur, atque ita sua virtute & fortitudine naturalem affectum superabat; ideoque non obstante timore, motus ad extra & sudor factus est sanguinis. S. Bernardinus Senensis *tom.* 1. *serm.* 51. *de passione Domini cap.* 2. *pag.* 310. *colum.* 2. plenissimè hoc explicare videtur cum sic scribit: *Tanta denique fuit in Christo orationis vehementia, atque tam horribilis in anima ejus sensibilis imaginatio mortis, ac mentis admirabilis agonia, quòd, sicut Lucas refert,* factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Et licèt plena ratio naturalis non possit reddi de tam stupendo doloris signo ostenso in sudore sanguineo; nihilominùs dici potest, quòd aliqualiter dispositivè timor & amor bellantes in corde Iesu, quoad suum sensitivum iu causa extiterunt: dum enim attenderet tam grave bellum super se verissimè imminere, timore concussit sensitivum suum, ex quo sanguineus humor fuit ad interiora reductus. Super hunc autem timorem rejiciendum fortissimus & ferventissimus amor, tanquam miræ magnitudinis malleus repercutiens, & ipsum excludens omnes poros corporis Iesu Christi, & venam largiter relaxavit, ut sic de toto corpore flueret sanguineus sudor decurrens in terram, &c.*

Lucæ 2

QUÆSTIO OCTUAGESIMA-SEPTIMA.

An urinæ suppressio post 7. diem omninò sit lethalis? An vesicæ lapis citrà apertionem medicamentis curari possit? An renum calculus per sectionem extrahi possit? Et primùm de singularibus quibusdam remediis agitur ad dysuriam selectis.

SUdoris & urinæ eandem esse materiam 10. *de simpl. med. facult.* & *com. in* 3. *epid.* Galenus docuit; quare cùm *quæstione* præcedenti, quæ raritate magis admiranda visa sunt, circà sudorem adduxerimus, nunc in præsenti circà urinam, & partium illius morbos aliqua addere placuit. Igitur urinæ affectiones quàm crudeles sint, confusæ, cognituque difficiles, pertinaces, curationiq; reluctantes, medici quotidie experiuntur, nobiliumq; & genio indulgentium hominum potissimam partem hujusmodi morbis subtrahi ac perire observant: quod nostris temporibus adhuc frequentius accidere, quàm in præteritis, haud dubiè affirmare ausim, cùm priscorum paucos ex his ægritudinibus interiisse legamus, præsenti verò ætate innumeri ex eisdem perire conspiciantur: forsan nimius vitæ luxus non solùm causam materiamque præstat, sed vires enervat, quæ immodicâ luxuriâ & Veneris intemperantiâ ita languescunt, ut partes internæ omni robore destituantur, & potissimùm renes, quorum

1.

virtus

virtus ac vis coitu dissipatur ac perditur: quippe illos ad venerem officii aliquid præstare, & non parum conducere, licèt medici non agnoverint, nec scripserint tamen ad prædictam generandi actionem non parum conferre, ex multis Sacræ Paginæ locis interri potest, & hoc verum esse aliqui medicorum ut novum ac paradoxum afferunt, & approbant; omnium primus attulit Hier. Mont. *in anasceve morb. c. ult* quod etiam largâ oratione ostendit Sennertus *lib. 3. prax p. - sect. 1. cap. 1.* qui ambo ex innumeris Sacræ Paginæ locis hoc confirmare nitunt ... ibi vide: idem sentit Baptista Montanus *cons.* 85. qui renes calidos ad salacitatem facere docet, licèt per accidens, dum in causa sunt, ut seminaria vasa ampla reddantur, atque ideò luxuriam in lumbis statuunt Theologi, ut ex *D. Greg.* affert Rhodiginus *lib. 14. antiq. lect. cap. eodem.* Quapropter haud citrà rationem dicerem tot dolorum tormenta, tot cruciatus in renum ac lotii partibus justissimâ Dei æquitate immissos, ut unde tot voluptates, tot peccati illecebræ oriebantur, ibidem quoque ejusdem peccati supplicium redundaret, & spurcissima veneris oblectamenta, substantificique ac vitalis humoris enormia effluvia, putridorum excrementorum retentione & fœtore compensarentur; semper quippe voluptas & dolor sese invicem comitantur, & illorum usura mors. Itaque cùm gravissimi sint harum partium morbi, nos minimè practicantium more singulorum naturam, causas, aut curationem describere instituimus, verùm adversùs dysuriam tantum aliqua selecta remedia proponere decrevimus: nec interim per omnes illius causas divagabimur, puta interna ulcera, aut vesicæ lapidem, de quorum auxiliis nil dicere statuimus, sed ad illam tantum dysuriam auxilia scribimus, quæ propriè urinæ ardor dici meretur, dum cum ipsa urina vel bilis, vel salsus ac putridus aliquis humor, pituitosus licèt, commiscetur, quorum causâ acutior & mordacior reddita in transitu viam pungit, mordicat, lancinat, & aliquando abradit, exulcerat, unde in mictu ardens dolor, ac frequens reddendi conatus insurgit.

Si igitur ex bilis permixtione, aut calidi ferventisque & acris alterius humoris, talis affectio proveniat, quod ex juvenili patientis ætate, calido hepate, calidorum alimentorum frequenti usu colligere possumus, aut ex febre acuta aut egressa cujus ratione excrementitii humores, & præcipuè bilis fervidior reddatur; deinde ab ipsa urina, quæ cum majori flavitie & citrinitate prodit: ex his biliosum & calidum humorem causam præstare conjectandum, pro cujus curatione in hoc casu ad universales evacuationes primò veniendum, sanguinemque à basilica, si vires atque ætas ferant, extrahere conveniet; deinde etiam salvatelam aperire, ut hepar refrigeretur consultissimum judicarem, sicuti etiam posteà hirundines mariscis affigere, ut ab illis partibus fervidior humor extrahatur, ac sic frigidiores reddantur & temperentur, cùm ex urinæ biliosæ & ferventis acrimonia velut inflammatæ existant. Deinde ad purgationem veniendum erit, quam sic parabimus, ut quantum fieri possit leniens, & caliditatis expers sit: R. sebestem, jujubarum ana num. x. folior. malvæ M. j. coquantur in aqua simpl. adde casiæ drach. x. syrup. viol. unc. dimid. M. Vel aliter paretur decoctum ex florib. viol. nunupharis, prunis, liquiritiâ, hordeo decorticato, & foliis malvæ, in cujus unc. iij. vel casia vel manna ad unc. ij. dissolvatur. Vel tandem cum eodem decocto paretur hordeatum, in quo rhab. ad drach. j. aut scrup. iv. infundi poterit, addendo expressioni saccharum, aut syrup. violarum, quæ purgandi forma in calidioribus utilissima erit: quibus peractis ad ipsum symptoma jam veniendum, & ad dolorem demulcendum diversa à multis præscribuntur remedia, quorum potissima nunc proponemus. Atque imprimis dicta offerri poterunt: secundò emulsiones seminum majorum frigidorum, in aqua malvæ & hordei extractæ, & si vehemens sit ardor, semina papaveris & hyoschyami addi poterunt. Fortius erit sic: R. seminis psyllii drach. vj. hyoschyami, papaveris ana drach. j. cidonior. drach. ij. & dimid. quatuor sem. frigid. majorum ana drach. ij. conquassentur, & cum aqua malvæ extrahatur mucilago, quæ cum aqua hordei exhibeatur, vel ex istis omnibus seminibus cum hordeo & amygdalis paretur hordeatum, introitu lecti sumendum, quod erit præstantissimum. Syrup. de althea *Femilii* utilissimus judicatur: quemadmodum syrup. de mucilaginib. à *Math. de Gradi* descriptus, tanquam efficacissimum remedium ab omnibus commendatur; paratur ita: R. seminis alth. malvæ, cidoniorum ana unc. j. tragacomthi drach. iij infundantur in aqua tepida decoctionis malvarum, seminis papaveris, & granor. alchechengi quantum satis,

[Margin notes, partially cut off: ...es ad ...erem ...uid ...ferunt. | 2. ...suria ...priè ...d. | 3. ...suriæ biliosi ...moris ...undan- ...progna- ...signa, ...curatio. | ...nguinis ...s.]

postea

postea fiat expressio. ℞. prædictarum mucilag. unc. j. & dimid. ejusdem decocti malvæ unc. iij. & dimid. sacchari, vel syrup. portulacæ quantum satis, M^e. pro dosi. Ex prædictis etiam seminibus addendo semina portulacæ, endiviæ, pulveres parantur, qui cum syrup. viol. & liquirit. paulatim lambendo assumantur, quod medicamentum multùm laudat *Rhasis*. *Horstius* aliter parat ex una parte sacchari candidi, viol. & duab. radicis altheæ pulverisatæ; quod sine dubio præstantissimum erit. Tandem ex prædictis omnibus pulverib. parantur trocischi, si ex omnibus sumatur unc. j. cui additur gummi arabici, tragacanthi ana drach. ij. santali rubri drach. j. cum mucilag. seminis psyllii fiant trocischi. Varignana *in suis secretis tract.* 14. *cap.* 2. alios sic parat: ℞. seminum citruli, cucurbitæ excorticatæ ana drach. iij. seminis lactucæ, portulacæ ana drach. j. & dimid. succi liquiritiæ drach. j. ros. drach. dimid. glandium drach. j. myrthilorum lentium excorticatar. ana scrup. j. terantur cum succo portulacæ, & mucilag. psyllii, & addito tragacantho fiant trocischi ex drach. j. singuli pro dosi. *Evonymus* aquam destillatam è florib. sambuci commendat, si ad unc. iij. cum saccharo ad 10. dies bibatur. Amatus *cent.* 6. *curat.* 58. & 59. conservam ex florib. malvæ in hoc casu multum extollit, si unc. j. sumatur superbibendo aquæ malvarum unc. iij. Utilissima quoque est aqua ex fabis viridibus, & foliis malvæ destillata, si cum julepo viol. aliquoties bibatur. Item serum caprinum destillatum, in quo prius rad. altheæ, & trocischi alchechengi macerentur. Forestus *lib.* 25. *obs.* 4. malvæ decoctum cum syrup. viol. multùm laudat, quo ait à gravissima dysuria liberatum fuisse; item *obs.* 3. aquam ros. cum ovi album. conquassatam optimam esse ait. Montanus *cons.* 86. sequentem potionem urinæ ardorem maximè sedare scribit: ℞. sem. solatri drach. x. cicer. rub. g. x. rad. altheæ unc. j. seminum malvæ conquassatorum unc. vj. cinnamomi scrup. j. bulliant in jure pulli, & factâ expressione accipiatur colatura calida, addendo sacchari unc. j. butyri recentis unc. dimid. Idem author parari jubet decoct. ex malva, anetho, althea, camemalo, sem. lini, fæno-græco in vino & aqua, in quo æger per intervalla sedeat. Optimum etiam erit sequens jusculum, si per plures dies sumatur: ℞. rad. altheæ unc. dimid. malvæ m. j. liquirit. unc. dimid. sem. cidoniorum drach. j. bulliant in jusculo pulli, vel gallinæ. Sunt qui balneum aquæ dulcis commendent, quod minimè displicet. Quòd si vehementissimus dolor urgeat, aliquid philonii Rom. aut laudani opiati propinari poterit: inter externa etiam adhibetur unctio olei amygd. viol. nympheæ, papaveris, quibus saccharum addi potest, & prædictis, aut singulis, perinæum & pubes inungenda. Fiunt etiam fotus ex decocto malvæ, altheæ, parietariæ, camomilæ, cap. papaveris in aqua coctis, ex quo etiam decocto parari possunt clysteres cum oleo viol. saccharo & ovo. aut ex lacte puro, qui per anum injiciantur. In meatum quoque urinarium infunditur lac recens, nisi ex calculo, aut arenis dolor proveniat; quo in casu lac infusum rectè damnat *Amatus* citat. cùm lac & lacticinia omnia lapidi generando materiam abundè præstent, ut omnes nôrunt; quarè illius loco decoctum hordei, seminis alth. papaveris, cidoniorum cum saccharo infundi possunt, aut mucilagines prædictorum seminum cum aqua malvarum, aut hordei extractæ, & cum eadem aqua aut decocto dilutæ, aut emulsiones seminum frigidorum in aqua plantaginis, aut sero lactis, quibus album ovi contusum addi potest, aut trocischi alchechengi. Optimum etiam erit si ex sem. cidoniorum in aqua ros. extrahatur mucilago, quæ per canalem injiciatur: quòd si adhuc perseveret ardor, & de aliqua intus excoriatione suspicio fuerit, tum ℞. aquæ plantag. unc. iij. & dimid. mucilag. psyllii in aqua portulacæ extractæ drach. ij. sieff. sine opio drach. j. M^e. addendo parùm sacchari. Hepati quoque prospiciendum & renibus, ut refrigerentur & attemperentur, unguento ros. refrigerante, santalino, populione, & similibus, pro quo serum etiam in copia propinari debet ac tandem doloribus urgentibus optimum est penem in lac tepidum demergere, aut in decocto altheæ, & seminis papaveris, aut in aqua calida, quæ omnia dolorem multùm demulcent.

Clysteres.

Injectiones per meatum urinarum.

In dysuria & vesicæ calcul unde materia alba in tanta copia quotidie cum urina excernatur.

Cæterùm si urinæ ardor, & dysuria ex abundanti phlegmate salso proveniat, quod ex eo facilè cognoscitur, quia in senioribus plerumque ex tali causa evenit, & prædictus humor in fundo matulæ sæpius conspicitur, & in magna satis copia, ut de illius generatione meritò medici inquirant, dubitantes, unde tanta humoris & albæ materiæ quantitas proveniat; nec enim defuerunt, qui pus in renibus genitum esse crediderint; quod cùm tanta sit copia, consequens non videtur, nam etsi toti

re-

renes in pus resolverentur, non fieret tanta copia quanta singulis diebus excernitur: quare qui meliùs sentiunt, materiam illam ex vitiata concoctione & cruditate provenire arbitrantur, primò ventriculi, secundò hepatis; ubi cùm primæ coctionis error diu perseverans emendari non possit, sanguis ex chylo non præparato crudus relinquitur, nec à partibus illis salsis, excrementitiis, & tartareis, quæ in prima coctione separari debebant, mundatur; quare à renibus attractæ, & per vesicam transmissæ, dolorem inter mingendum pariunt, & præcipuè in fine mictionis, dum aliqua portio talis materiæ collo vesicæ, & parietibus viarum urinæ pertinaciùs adhæret. Itaque dum dysuria ex hac causa provenit, sedulò oportet distinguere, alia enim remedia in acrimonia urinæ à bile & caliditate, alia in phlegmate salso, quod à cruditate & concoctionis defectu resultat, adhibenda fore dubium non est: quare nimis oscitanter medicorum maxima pars in suis practicis, quamvis in causis istius morbi prædictorum humorum cum urina mixturam distinxerint, tamen remedia ad calidam causam tantum respicientia plerumque scripserunt, cùm multò alia adhiberi debeant, dum materia illa tartarea crassa & salsa cum urina & maximo dolore emittitur; quam sanè causam prædictâ illâ frequentiorem esse quotidie videmus, & nisi ne talis salsus & excrementitius humor generetur à medico prospiciatur, frustrà remedia dolorem demulcentia præscribuntur, aut frigida & acrimoniam retundentia, quia potius ista ventriculi virtutem (à cujus debilitate caloris & concoctionis defectu materia illa provenit) suâ frigiditate enervant, & à tot emulsionibus, & mucilaginibus stomachus multò deteriùs concoquit, unde in majori copia materiam assiduè suppeditat; quod diligentissimi aliqui advertentes, calidis & ventriculi coctionem, totiusque corporis calorem juvantibus pro hac dysuriæ sorte curanda utendum esse docuerunt, ut ex aliquibus commonstrabimus.

...r in ...mi- ...us a- ...vehe- ...s unde ...ysuria ...eniat

Sennertus *cap. de urinæ ardore & dysuria*, de quodam narrat, qui cùm hoc affectu laborâsset, & ex variis remediis nullum levamen sensisset, tandem solius vini malvatici potu curatum fuisse ait. Joan. Crato *lib.* 6. *cons.* 92. ubi pro Barone quodam Germano ex hac causa stranguriam & dysuriam patiente curationem instituit, non solum ex agarico cum melle ros. purgativo, ad phlegma respiciens, purgationem instituit, sed & reliquum curationis calidis agit, & ventriculi coctionem juvantibus, propinatque cons. betonicæ, theriacam, methridatum, pul. aromat. rosati, & id genus alia; deinde exterius calefacientia cerata ventriculo adhibet, partesque quæ ad colem & vesicam attinent, calidis fomentis corroborat, ut spongiâ in vino malvatico imbutâ, in quo prius coquantur lignum Indicum, salsa, ruta, marrubium, rosmarinum, aristolochia, radix cucum. agrestis, salsafras, alumen scissile, & alia istis similia, ut sic partes calefiant, & roborentur; post quæ & thermales aquas consulit, & decoctum ex sarsa & guajaco insinuat, à quo ob dicti patientis vigiliam abstinendum judicavit. Eandem ferè curationem præscribit Joan. Bapt. Montanus *cons.* 92. pro cive Tarvesino, qui fluxum materiæ crudæ per urinam patiebatur; quem etiam curandi ordinem sequitur & docet Joan. Bapt. Cortesius *in sua praxi cap. de urinæ ardore*, & Jul. Cæsar Claudinus *in respons.* 42. ubi licèt frigidis etiam utatur, ut sero caprino destillato, in quo radices altheæ, & trocischi alchachengi prius macerentur, tamen decoctum chinæ & sarsæ consulit, præsertim si decoctum fiat cum sandalis, liquiritia, fructu sebesteno, equiseto, sem. alchacheng. & coriandro præparato, quod remedium per plures dies assumendum fore consulit. Approbat etiam Horstius *decad.* 8. *quæst.* 6. ubi non solum generosum vinum adjuvare ait, sed aromatica quoque adhiberi posse, cùm causa fuerit materia crassa & frigida, licèt acris reddita sit; quod etiam *Altomari* visum est, qui *cap. de dysuria* medicamentis quæ calefaciant utitur, qualia sunt scordium, arthemisia, decoctum hyssopi, pulegii fæniculi, origani, thymi cum aqua mulsa; nec in tali casu timet ad theriacam, methrid. diagalangam, & diaciminum devenire, quorum drach. j. cum vini albi, aut aquæ mulsæ unc. iij. propinat, quidquid econtrà illum reprobare nitatur *Salius*, quod ista ut calida materiam in affectum locum deportabunt, cùm purgato prius corpore cesset hic timor, ut idem Horstius *quæst.* 9. *sequenti* optimè docet, & calidiora alia medicamenta in hoc casu alii exhibeant tanquam utilissima, ut August. Thonerus, qui *lib.* 3. *obs.* 6. olei carvi gr. v. in duobus cochlearibus jusculi assumpta mirè laudat. Stockerus *cap. de urinæ ardore*: *Si ardor* (inquit) *esset ab humore crasso urinæ permixto, valde convenit aqua destillata à cori & florib. malvæ ad unc. iij. bis in die*; in quem usum

opti-

optimum vinum cum decocto liquiritiæ etiam præscribit. His igitur monitus, cum aliquando nobilem quendam senem hac dysuria laborantem curarem, cùm tantam materiæ albæ & crudæ copiam cum urina turbida molestissimisque doloribus prodire vidissem, ac aliis nil proficere animadverterem, decoctum paravi in vino ex hordeo, malva, passulis, glycyrrhiza, & parum menthæ & absinthii, cujus unc. iij. cum scrup. j. theriacæ porrigebam; deinde oleo rutaceo, amygdalino, & myrthino pecten, perinæum, & totam urinæ regionem fovendo illum curavi, intereaque clysteres ex emollientibus & anodinis paravi; frequentes enim secessus cum dolore & tenesmo patiebatur, ex eadem materia, quæ ad alvi vias derivabatur, quibus intra paucos dies mirum est quantum levamen senserit, urinâ etiam optimè coctâ & clarâ apparente, doloribusque inter mingendum satis imminutis, & humore etiam illo, qui cum urina exire solebat; licèt paucis post diebus iterùm in recidivam devenerit, erat enim valdè senex. Quòd si aliquis nimium scrupulosus prædictis uti recusaverit, poterit experiri remedium à *Foresto* laudatum; scilicèt lac vaccinum propinare in quo flores camemali incocti fuerint, quod ex mulieris consilio utile expertum fuisse tradit in quodam sene Delphensi. Sed quia sævum adeò hoc est malum, ut aliquando omnibus adhibitis remediis vinci non possit, illis nil juvantibus optimum fore consulit Aquapendens *lib.* 1. *chirurg. cap.* 46. ut canula argentea admodum subtilis paretur & in virgam immittatur, ut ibi gestata, ac urinâ per illam exeunte canalem saltem non offendat; quo remedio in ardore, quem patiuntur gonorrhœâ laborantes, utiliter usum fuisse scribit; quod securius ac facilius est, quàm illud quod Joan. Riol. filius *in ench. anat. lib.* 2. *cap.* 30. ait, ingentes scilicèt istos dolores curari per inscissionem in perinæo factam, quemadmodum pro calculo vesicæ educendo peragitur, ibique canulam argenteam immitti, ut per eam urina exeat, sicque citrà dolorem, cùm ad penem non attingat, emingi, quod curandi artificium à Parisiensibus à 100. jam annis usitatum refert fuisse. Sed nimis molesta operatio, ac periculo plena est, quam nullus nisi calculosus admittere velit.

5. *Urinæ suppressio post 7. diem an lethalis; & quare.*

Quoniam igitur in lotii affectiones incidimus, offert sese curiositatis non vacua dubitatio, cujus apud medicos assiduè fit mentio, dum inter suppressionis urinæ morbos versantur; in his enim cùm de morbi exitu judicium suum interponunt, intrà 7. diem ajunt oportere quòd ægrotantes urinam reddant, nam 7. transacto, licèt illam expellant, aut mori plerumque, aut in maximo periculo versari. Verùm cùm nec *Hippocrates*, *Galenus*, *Avicenna*, aut aliorum medicinæ principum aliquis, timorosi hujus prognostici notitiam nobis attulerit, videndum jam est, an hoc certum sit, & qua de causa mors illa contingat; econtrà enim accidere debere docet ratio communis, quam *Avicenna* nos docuit, quòd quando aliqua evacuationis suppressio est morbi causa, ipsius reditus est morbi medela.

Sed licèt antiqui authores (quantùm ego conjicere possum) de hoc periculoso eventu nil prædixerint, quia forsan ad hanc observationem animum non adhibuerunt, tamen reliquis, qui posteà secuti sunt, experientia ostendit verum hoc esse, & plerumque sic accidere, ac perire illos qui post 7. diem urinam expellere cœpissent, cujus liquoris nec guttam anteà exonerare potuerant, qui casus tam frequens est, ut pro admiratione referat *Gordonius* citat. à Math. de Gradi *p.* 2. *cap.* 13. *de difficult. urinæ*, unum tantummodò vidisse qui post urinans tamen evaserit. Vallesius 2. *methodi* nullum vidisse scribit superstitem ex illis, qui post 7. reddiderunt; & quamvis *cap.* 66. *de sacra phil. in fine* dicat vidisse alium qui 9. alium qui 11. attingeret, evasisse tamen non dicit: Salius *de affect. particul. cap.* 14. frequentissimè observâsse ait, quòd si ante 7. minxissent, evaderent; si ultrà, ex febre perirent: idem docet Sennertus 3. *prax. p.* 7. *sect.* 2. *cap.* 1. & *p.* 8. ejusdem libri *sect.* 2. *cap.* 2. Paucos siquidem evadere nisi intra 7. urinam excernant probat Fonseca *tom.* 2. *consul.* 96. & alii plures. Caussam verò quare tales plerumque moriantur scribit idem Sennertus, & Vallesius in *Sacra Phil.* citat. quia sanguis ex consortio urinæ corrumpitur, & humores putrescunt, febrisque accenditur, quæ patientes interficit, & (ut ait Fonseca *cons.* 87. *tom.* 1.) vix ultrà 7. possunt sanari, quia urina ulterius retenta regurgitat ad venas, caloremque innatum extinguit, & licèt posteà excernatur, nihilominùs intereunt ob debilitatem & labores, & ob nimiam urinæ excretionem. Sed melius *Vallesius* citatus: *Nec mirum* (inquit;) *distribuitur enim serum cum sanguine per totum corpus, quod calorem naturalem partim extinguit, & nutritionem impedit, quia adeò dilutum alimentum non affigitur.*

6.

…a diu-…a sup-…io quos …bos im-…icabi-…ariat.

affigitur. Itaque ex corrupta massa sanguinaria, & putrefacta, in illis quibus ultrà 7. urina supprimitur plerumque febris accenditur, quæ ob nimiam corruptionem in malignam degenerat, deinde ob immodicam seri permixtionem ad alendum redditur inepta; ex quo etiam calor innatus resolvitur, viribus statim collabentibus, quæ etiam ex confertim facta copiosa seri evacuatione dejiciuntur: in aliis etiam serosus humor, qui per totum corpus diffusus est, non solùm partes omnes principes labefactat, sed & quandoque in aliquam incumbit, ibique gravissimos parit morbos: sic notat Fonseca citat. *consl.* 96. *tom.* 2. in quodam urinam vomitu ejectam vidisse; cùm enim excrementum illud serosum inferius patentes ac liberas vias non inveniat, sursum remeare cogitur, atque per venam cavam ad hepar, ab hepate ad meseraicas, ab his ad intestina, ab his ad ventriculum regurgitat; unde vomitu expellitur, aut si retineatur adhucque superius vergat, suffocationem causat, quo fit ut & anginam causare valeat, ut in altero idem author vidisse ait, qui protinùs suffocatus fuit; quod idem in Palavicino quodam nobili accidisse ex *Carpo* narrat Marcellus Donatus *lib.* 4. *de med. hist. cap.* 28. cui applicatæ cucurbitulæ siccæ sero replebantur ex aquositate, quæ in toto corpore redundabat: aliàs etiam in tali naufragio constitutis epilepsia obrepit ex urinæ anadrome, quæ in caput irruens tam in substantia, quàm in vaporis forma cerebrum replet, ex qua aliquando convulsio accidit, ut in doctiss. *comment. ad coacas Hippocratis lib.* 3. *tract.* 3. *textu* 5. notavit *Duretus*, & Zacutus *lib.* 1. *prax. mirandæ observat.* 32. Plerisque totum corpus ex aquositatis copia intumescit, nec solùm venas, arterias, aliaque vasa, sed porositates corporis & cavitates replet, ut nulla pars officio suo debitè fungi possit, imò omnes aut ipsâ urinâ, aut illius putridis vaporibus infestatæ labefactantur, resolvuntur, & corruunt. Itaque aut ex angina, convulsione, epilepsia, aut ex morbo hydropem æmulante, sed plerumque ex febre ferè omnes perire contingit, aut ex similibus aliis morbis, qui debilitate maximâ adjunctâ laborantes citò conficiunt.

7.

…ã post …tem …ntes …s qui …erunt; …ãtur.

Sed licèt frequentissimè sic accidat, tamen 7. elapso neminem ex his qui posteà urinârunt evadere, non ita certum ac infallibile habendum est, ut aliquando (licèt raro) accidere non possit, ut patientes aliqui à morbo & morte liberentur: observatum quippe à plurimis est aliquos, qui post 7. 9. 12. & adhuc 17. & 20. urinam exereverunt, tamen in vivis mansisse. Forestus *lib.* 24. *observat.* 29. ut etiam Jacchinus *cap.* 64. *de lapide renum*, scribunt falsum esse quod de termino 7. diei communiter dicitur; quod multò anteà advertit Gradi *cap.* 13. *de urinæ difficult.* ac propterea prædictum terminum longiùs protraxit, aitque mortem significari si ad 10. vel 11. urinæ ablatio duraverit; & adhuc multò longius protendit *Fonseca* adductus *observat.* 96. *tom.* 2. qui scribit retentionis urinæ morbum intrà 20. dies terminari debere, quia amplius retineri non potest sine ægrotantis pernicie; quasi ad 20. usque in tam certo mortis periculo non versentur, qui urinæ omnimodâ suppressione laborant, qui tamen terminus longissimus videtur, & quem vitâ superstite rarissimè, aut nunquam aliquis attingit, qui evaserit. Sed quantum ego judicare possum, hi omnes secundùm proprias observationes locuti sunt, & cùm vidissent aliquos evasisse, qui 10. 13. & 20. attigerunt, ideò prout observârunt sic terminum determinare illis placuit, cùm nullus in hoc casu certus constitui possit.

8.

Igitur ut certum statuendum est, nullum ex prædictis determinatum esse terminum, ultrà quem si urina retineatur necessariò homo perire debeat, quamvis posteà illam excernat: contingit namque aliquando ante 7. mori, licèt urinam reddant, ut in aliquibus admodum senibus observavi, qui 5. urinantes tamen perierunt. Sed illud quod frequentiùs accidit, est ut 7. transacto aut pereant, aut in ingenti periculo versentur: evadunt tamen aliqui (licèt raro) ex his qui 10. 11. 13. expellere incipiunt, rarissimè illi, in quibus ad 14. 17. & usque ad 20. urina retinetur, sed tamen in aliquibus visum; horum omnium historias indicabo, & authorum loca, qui easdem enarrârunt. Schenckius *cap. de ischuria*, unum refert, qui 8. evasit. Forestus *lib.* 24. *observat.* 29. alterius mentionem facit, qui 12. urinam emittens sanus factus est. Ego duos jam vidi 13. transacto urinantes, quorum alter per dies 7. placidus post septimum periit, alter licèt maximo labore tamen evasit. Ex his verò, qui ad 14. pervenerunt

citrà urinæ effusionem, plurimi qui sublati sunt passim ab authoribus enarrantur, ut videre est apud *Forestum* citat. inter quos etiam ex *Tornamira* Gregorium II. Pontif. annumerat. Itaque non paucos ex his evasisse observatum est: Horstius *lib.* 2. *epist. sect.* 9. de quodam sene scribit, qui per 14. dies omnimodâ suppressione laboravit. Arnal. de Villanova *cap. de vino Alchachengi*, ait fuisse suo tempore Cardinalem quendam, qui per 14. dies nil jam urinæ emiserat, & turgidus toto corpore erat, sed cujusdam parvi medici consilio, prædicto tantummodò vino utens urinam emisit, & deinceps à morbo & à morte liberatus fuit: forsan hic fuit Cardinalis Fabrensis, de quo *Ioannes de Tornamira*, qui fuit *Arnaldi* Coætaneus, *in suo clarificat. cap. de difficultat. mingendi* scribit ad 16. absque urinæ emissione pervenisse. Porrò qui 14. excernens & in vivis manserit, alium refert Fonseca *cons.* 96. *tom.* 2.

Sed rariora sunt, quæ sequuntur, & tamen visa: apud Schenckium *cap. de Ischuria* citat. de alio scribitur, qui in 16. urinam expellens, tamen evaserit, sicuti aliis contigit, adhuc longius in 17. urinam deponentibus, quorum aliqui licèt paucissimi liberati sunt: & præter Cardinalem Fabrensem, cujus ex *Tornamira* meminimus, Jachinus *cap.* 64. *de lap. renum*, expressè fatetur aliquos citrà ullam urinæ effusionem ad 17. pervenisse, & tamen incolumes fuisse. *Fabric. Hildanus* ex propria experientia idem approbat *cent.* 1. *obs.* 56. de juvene, qui per 17. dies omnimodam suppressionem sustinuit, quo die urinam reddens, & rupto obsessu, qui ex casu factus fuerat, sanus factus est. Sed & ultrà hunc terminum de alio, qui non nisi 18. minxit & superstes fuit, si verum est, testatur Zacutus *lib.* 2. *prax. mirandæ obs.* 58. quod ut credamus facit alter casus rarissimus, apud Carol. Pisonem *in suis obs. cap.* 53. hominis cui primum urina per 11. dies cohibita, ad duas ferè libras eo ipso die exivit; sed mox secundò suppressa, per 19. sequentes dies mansit, ac circà 30. à prima morbi invasione iterùm ad 6. librarum quantitatem eminxit; sed mox tertiò restagnans, ad 10. pervenit diem sine ullo mictu, ingentibus ac fœtidissimis interim sudoribus à toto corpore defluentibus, & dolore urgente, tandem in semicupeo duos expulit calculos dactylorum formæ similes, qui totam tragœdiam, cujus authores erant, finierunt, & patiens agonem, manente vitâ; casus sanè admiratione dignus hominis, qui tot labores, & urinæ suppressionem tamdiu sustinere potuit, & mortem evadere! Hoc namque admiratione dignius, quàm quod ex *Guillielmo Brixiensi* refert Savanarola *tract.* 6. *cap.* 19. *rub.* 13. *de difficult. urinæ*, qui scripsit vidisse Arturum de Vinario, qui ad 25. diem sine ulla urinæ emissione pervenerit; propterea idem *Savanarola* ad dictum terminum hominem devenire posse ait absque urinæ expulsione, ultrà quem tamen aliquos transiisse constat, ut de nobili equite Hieronymo à Rocha tradit Mercatus 4. *de morbis cap.* 12. qui ad 30. diem cum omnimoda urinæ retentione pervenit, ac tandem mortuus est, sicuti prædictus Arturus: rarum enim est, & mirandum tot dierum spatio tam necessariam serosi excrementi excretionem suppressam ferre; nec minus rarum post 10. 12. 14. 17. 18. 19. evasisse, ut ex enarratis historiis vidimus, cùm post 7. plerumque intereant omnes.

8. *Vrinæ suppressionem per multos dies patientes quare aliqui evadant.*

Cæterùm in hoc tam dispari eventu considerare oportet ægrotantium naturam, vires, caloris & partium internarum robur, quibus urinæ retentæ & putrefactæ impuritati magis resistunt, unde corporis humores majorem aut minorem labem accipiunt; deinde ipsam urinæ putredinem, quæ propter easdem causas magis aut minus corrumpitur; postremò & corporis vasa, internaque spatia, quæ enim capaciora sunt, tantò copiosiorem seri copiam coacervare poterunt. Illud etiam postremò adnotare licet potissimam partem illorum, qui evaserunt, à calculo renum, aut ureterum obstructione laborâsse; illorum verò qui sublati sunt, ischuriâ ex emulgentium venarum, & renum attractionis impotentia, aut saltem in ipsis emulgentibus venis impedimentum habuisse, in cujus partis ægritudine periculum multò magis impendet, cùm hepati vicinior sit pars affecta, & ad vasa urinaria serum non perveniat, quo fit ut ad superiores citius & in majori copia regurgitet, & illas inficiat magis, quàm in illis, qui renum aut ureterum vitio laborant.

Porrò in admirandis suppressæ urinæ historiis omnem fidem superat illa, quam referunt Saxonia *cap. de iliaca passione*, Marcellus Donatus 4. *de hist. mirab. cap.* 27. Fon-

Fonseca *tom.* 1. *obs.* 87. & *tom.* 1. *cons.* 96. Schenckius *cap. de diabece*: cujusdam scilicet monachæ, quæ ob spectri terrorem, dum noctu ad campanas pulsandas adiret, in ventris adstrictionem incidit, ita ut per 4. menses nil ex alvo reddiderit; sed eâ jam respondere incipiente, urinæ excretio omninò ablata est, & per 4. alios menses nec guttam quidem eminxit, quo tempore finito per consuetam viam lotium iterùm expellere cœpit, sed mox in utriusque evacuationis suppressionem per plures dies incidit, naturâ interim per poros ventriculi seri ingentem copiam transcolante, ac tandem paulatim ad naturalia beneficia rediit, & sanata est: casus sanè rarissimus, & inter illos, qui monstrosè in ægritudinibus accidunt, meritò numerandus, nisi superstitionis aliquid interfuit, quod aliquibus non citra rationem visum est! Quòd si naturaliter prædicta omnia evenerunt, quis particulares hominum naturas & occultas vires non admirabitur? quis ad prodigiosa naturæ opera non obstupescat, quæ vitâ superstite tot dierum spatio excrementa illa non solum intrà corpus retinere, sed illorum quoque noxam ferre, & vincere potuit? Comedebat & bibebat interim fœmina, & nutriebatur: unum tamen notatu dignum erat quòd seri magna copia per poros circà ventriculum stillabat, quod ut evadere potuerit absque dubio multùm contulit; sic enim noxam, quæ ex urinæ retentione provenire debebat, aliquantulum vitavit: ita enim observatum est in illis, qui post 7. ad multos alios dies, puta 13. 15. & 18. non urinantes, tandem urinam excernentes liberati sunt, notatu dignam aliquam seri evacuationem per secessum, sudorem, aut vomitum habuisse, naturâ vias sibi quærente, & evacuationem moliente ut onus deponeret, unde cum minori noxa illud quod relinquebatur sustinere poterant, quemadmodum in adductis historiis illorum qui liberati sunt, evenisse legenti facilè constabit; alioquin nisi effatu dignam seri evacuationem per aliam viam natura tentâsset, certissimè nullus evaderet, siquidem ipsa onere oppressa haud dubiè facilius succumberet: ex nimia quippe conservata copia excrementosi humoris noxa major & ingens humorum corruptela fit, internarumque partium vires ac facultates maximè labefactatæ collabuntur ac deficiunt.

9. Alvi suppressio 4. mensium item, urinæ.

10.

Illud verò quod secundò quæritur, an medicamentis atteri, comminui, ac expelli possit vesicæ calculus, adhuc inter medicos videtur non planè determinatum, cùm multi nec sanè indocti affirment, alii verò constanter negent. Sunt qui non quemcumque calculum atteri & frangi posse statuant, sed illum tantùm, qui ex renibus initium sumpserit, & inde in vesicam prolapsus est, ut Joan. Rudolph. *cent.* 8. *memorab. nu.* 77. & alii existimârunt; friabiles siquidem esse in medio hujusmodi lapides, & in superficie duriores scribit Hollerius *cap.* 48. *de morb. internis in schol.* qui si cum *Fernelio* consentiant, dum omnes vesicæ calculos primùm in renibus originem habuisse putavit, omnes certè medicamentis curari posse jam statuere debebant. Verùm in probabiliori opinione, quę calculorum generationem in vesica citrà renum aliquod rudimentum concedit, videtur aliquam dari posse diversitatem in calculorum & lapidum duritie, qui in renibus & in vesica generantur; major enim est durities illorum qui in vesica efformari incipiunt, quàm illorum qui à renibus descendunt; causam verò optimè assignat Brassavola 7. *aph.* 79. Quare *Sennerto* non assentior, qui nullam ait apparere diversitatem. Sed nec desunt doctissimi aliqui viri, qui sine ulla distinctione vesicæ calculum medicamentis atteri & expelli posse affirmare non dubitant: hoc in primis tenet Monardes *lib.* 3. *simpl. ex novo orbe cap. de cacho*; licèt enim persuasum semper habuisse dicat vesicæ calculum per solam extractionem curari posse, tamen hac Indica planta Cacho non solùm renum, sed vesicæ calculos comminui scribit; quare apud Indos maximo in pretio haberi ait: addit præterea adolescentem agnovisse, qui calculo vesicæ laboraret, eumque propterea ad fontem Petræ (ab oppido Antequera non multùm distat) ablegâsse, ibique cùm per duos menses remansisset, à calculo liberum rediisse, & omne lutum, quod paulatim ejecerat, denuò in lapideam figuram concretum secum in charta detulisse; quare calculum medicamentis comminui posse & expelli, quamvis antea non crediderit, tamen experientiâ possibile esse cognovisse fatetur. Et quod de vi illius plantæ adversus calculos refert, videtur confirmari posse ex alia cujus mentionem facit Petrus Texera *in relat. Regum Persiæ lib.* 1. *cap.* 33. cujus in superioribus jam meminimus: scribit siquidem apud Malacenses in plateis, & præcipuè in oris Choromandel, herbam quandam nasci,

11. [A]n lapis [ve]sicæ medicamentis [fr]angi ex[pel]li pos[sit].

12.

cujus radices ore mansæ, ita ut illius succo dentes proluantur & madescant, talem vim obtineant, ut quodvis saxum, etsi durissimum, intra os sumptum in pulverem dissolvat, tantâ facilitate, ut nullo modo dentes aut dolore afficiantur, aut ullam molestiam sentiant. Quæ si vera sunt, negare haud possumus in rerum natura remedia extare, quæ lapides frangere & atterere valeant, licèt nobis facilè non sit illa pro necessitate obtinere, cùm ex exoticis sint & peregrinis; non enim omnia omnibus in locis produxit natura, sed certa certis dicavit, & plurima alia sinu suo adhuc reservata habere nulli dubium esse poterit; quæ si nobis nota fuissent, insignem illius majestatem ex pulcherrimis rerum viribus utique admirandi novas assiduè occasiones haberemus.

13.

14. Sed circà remedia quorum virtute hoc consequi posse asserunt, mox pauca afferemus; sunt enim non pauci, qui certo certius hoc pollicentur, & verum esse affirment: Valeriola 3. *obs.* 5. historiam refert Joan. Viti, quem medicamentis à vesicæ lapide & ulcere liberatum fuisse ait. *Ioan. Prævotius* apud Greg. Horstium *in appendice lithotomiæ*, scribit multorum casibus exploratum fuisse vesicæ lapidem medicamentis attritum & curatum fuisse; quod in Hieron. Monegina ordinis Minorum D. Francisci illo anno expertum fuisse profert, qui cùm triennio jam calculum gestâsset, tandem medicamentorum vi in minutissimas particulas divisum eminxit: idem tenet *Ioan. Freitagius* apud eundem Horstium *lib.* 2. *epist. sect.* 19. & idem Horstius *ibidem*, Sennertus *lib.* 3. *praxis cap. de vesicæ calc.* Horat. Augenius *lib.* 9. *tom.* 2. *epist.* 8. quod celeberrima alia historia comprobat, quam omnes in hujus rei veritatis confirmationem afferunt; in qua etiam sententia sunt Untzerus *lib.* 1. *de nephrit. cap.* 19. ubi plures alias historias adjungit ex *Gesnero* in principio Evonymi collectas, Scalig. *exercit.* 344. *sect.* 8. quo loco tenet calculum renum & vesicæ remedio ex sanguine hirci rumpi tam verum esse, quàm in meridie lucere, additque quamplurimos illius vi comminuisse; Libavius *tom.* 1. *Syntagm.* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. Epiphan. Ferdinandes *in obs. medicis*, & alii plures præter *Monardum* jam adductum; quod quoque verum esse ex *Guiliel. Laurembergio*, & experientiâ comprobatum tanquam testis oculatus asserit Joan. Rudolphus Camerarius *cent.* 8. *memorab. nu.* 77. & Sennert. citat. de quo peculiarem tractatum scripsit idem *Laurembergius*, ubi sui ipsius casum narrat, quomodo & quibus medicamentis sanitatem fuerit assecutus, sicuti de illo aliqui referunt; licèt *Rudolphus*, qui illius collega fuit aliter historiam tradat, nam medicamentis lapidem fregisse fatetur, sed à fragmentis ait in vesicæ orificio vulneratum, simulque podagrâ adventante animam exhalâsse. Itaque qui id affirmant, experientiis sæpius visis nituntur; deinde inculcant, si hoc possibile non esset, quòd nunquam *Hippocrates*, *Galenus*, *Avicenna*, *Dioscorides*, *Rhasis*, & ex classicis authoribus innumeri alii multa simplicia, & composita nobis remedia tradidissent: legitur siquidem apud Æsium *tetrab.* 3. *serm.* 3. *cap.* 12. *&* 13. Philagrium vesicæ calculum curâsse sanguine hirci cum passerculo Troglodytico permixto; Rhasim 9. *ad Almans.* suis pillulis curâsse vetustum vesicæ lapidem, quo etiam remedio Ludovicum Augenii patrem alium sanâsse idem *Augenius* scribit: *Quid enim*, inquit, *si medicamenta hanc vim non haberent, aliud esset, quàm humanum genus deludere? nam quòd eventus non semper respondeat, medicum aut medicamenti inefficaciam, aut non debitam præparationem illius, aut calculi duritiem in causa esse posse*, ait idem. Porrò tot medicamentorum compositiones, quot ab antiquis & junioribus afferuntur, hìc transcribere superfluum judico; extant abundè apud *Æsium* citat. *Galenum*, & ex junioribus apud Mercatum, Sennertum, Lazarum Riverium, Quercetanum *in pharmac. cap. de aquis.* Rod. Fonsecam *com.* 2. *consf.* 21. qui ex eodem *Quercetano* & aliis selectissima remedia proponit: inter simplicia verò præter decantatos millepedes, sanguinem hircinum (de cujus efficacia, & parandi modo, multa ex *Marcello Virgilio* affert Aldrovandus *in hist. de hirco, titul. de usu in med.*) deinde passerculum Troglodytam, vitrum, & ex eo parata, nescio quos lapides etiam laudant, ut lapidem spongiæ, lyncis, cinerem corticum ovorum, lapidem in vesica apri, vel fellis bovis repertum, ac tandem illum, qui in hominis vesica reperitur, tanquam utilem commendant; ajunt namque duo corpora dura collisa atteri: quæ tamen in hoc casu parum probabilia sunt, ut statim latius dicemus, & maximè illud quod de lapide ab hominis vesica extracto inculcant; quod falsum omninò esse ex ipsa experientia docuit Galenus 10. *simpl. titul. de his, quæ in corpore proveniunt*. Sed præter ista quamplurimos à lapide vesicæ thermarum vi liberatos

tos fuisse perhibent, ut ex multorum authoritate apud *Schenckium* videre est.

Sed licèt tam celebres viri suis experimentis innixi hanc opinionem habuerint, suisque remediis vesicæ calculos frangi posse scripserint, & de facto curâsse jactent; aliorum tamen sententia magis probanda est, qui hoc possibile esse negant. Hanc tenent Montanus *cons.* 84. qui apertè fatetur calculum vesicæ frangi, aut curari absque sectione non posse; *Captivaccus* lib. 3. cap. 28. *fateor* (inquit) *me nescire, quæ calculum in vesica frangere queant;* Erastus *cons.* 26. Andreas Duditius *epist.* 14. & 41. Scoltz. Mercatus *cap. proprio*, qui fidissimo experimento à veteribus, & à probatissimis hujus temporis medicis observatum habuisse ait neminem calculo vesicæ laborantem hujusmodi remediis fuisse curatum. Tenent eandem opinionem Lupeus *in animadvers. fol. mihi* 104. Fonseca *tom.* 2. *cons.* 21. qui licèt selectissima remedia proponat, tandem sectionem tantum subvenire posse fatetur; Castrensis *lib.* 4. *de meteoris microcos. cap.* 16. qui futilia credit omnia, quæ per os exhibentur, remedia; *Fab. Hildanus* apud Horstium *lib.* 2. *epist. sect.* 12. *ad Greg. Fabrum.* Petr. Franciscus *lib. de herniis*, Benedict. Sylvaticus *ibidem*, solâ manuali operatione sanari posse, atque in vanum omnia præscribi, cùm potiùs jecori & toto corpori magis officiant, quàm lapidem valeant comminuere & expellere; quare omnibus valedicendum, & totam spem in operatione chirurgica reponendam esse ait. Pluribus aliis idem tenet ac probat Sanctor. Sanctorius *lib.* 13. *meth. vitand. errorum cap.* 4. qui omnia illa medicamenta ex succo citri, electuario ex vitro, ex cinere scorp. ex sanguine hirci, ex decocto saxifragæ, verbenæ, & alia nil valere existimat, cùm nullo modo possint calculum frangere, aut comminuere, atque si tale remedium daretur, priusquam lapidem frangeret, vesicam exanimaret, intestina vellicaret, & partes omnes per quas transiret laceraret; qualiter cuidam circulatori accidisse ait, qui quendam nobilem curare promittens elect. ex vitro multis diebus utens, intestina illi exedit, dysenteriam induxit, & de calculo nil comminuit, sed brevi hominem jugulavit, quam historiam in *com. in artem parvam Galeni* iterùm refert: & quamvis hoc periculum ex talibus medicamentis non impenderet, nondum credit aliquod esse auxilium ex vitro, aut alia re duriori, licèt adamantis sit, quod lapidem valeat comminuere, aut frangere; nam etsi per integrum annum lapis in pulvere vitri, aut adamantis inclusus servetur, videbimus (inquit) posteà nullo modo comminutum fuisse; proinde fatuum esse putat talia credere, quòd medicamenta per os assumpta vesicæ calculum frangere possint, imò nec renum. Propterea hanc aliquorum medicorum inscitiam, ac futilem laborem multò anteà & acriùs reprehendit Duretus *in coacis cap.* 22. *de morbis vesicæ text.* 5. postquam enim vesicæ calculo laborantibus aliter quàm per sectionem succurri non posse scribit, subdit parum infrà: *Temeraria est omnis medicina, pestifera, & sæpè mortifera, quæ pro frangendo vesicæ calculo adhibetur; cui profuerit vidi adhuc neminem, quibus verò exitio illa fuerit permultos.* Comment. *in Hollerium lib.* 1. *cap.* 49. hanc veritatem ipsâ experientiâ comprobat celebri historiâ illust. filii Principis de Condè, quem ex calculo laborantem periclitator quidam medicamentis curaturum promiserat; sed cùm Cardinalis à Borbonio in nepote periculum fieri recusâsset, adductus est decem annorum puer alius calculosus, cui periclitator remedium exhibuit, breviterque ventriculo & vesica exulceratis occidit: ex qua quidem historia evidentissimè monemur fallacissima esse omnia, quæ ab hujusmodi impostoribus promittuntur, ipsosque à medicinæ pomœriis longè ablegandos, eorumque medicamenta & arcana procul amandanda, ut sedulò consulit Renatus Moreau *in doctiss. suis com. in schol. Salernitanam fol.* 568 ubi validissimas contrà hujusmodi impostores rationes affert, quendam alium confutando, qui temerè atque imprudenter jactabat se in multis hujusmodi calculos remedio ex mespilorum ossiculis confregisse; quod quàm vanum sit, multis aliis adductis probant Joan. Riolanus pater *in meth. particulari sect.* 3. *cap.* 20. peculiari scholio huic negotio dicato, & latius Guido Patinus Parisiensis apud Philipp. Guibertum *lib. de tuenda valet. à fol.* 378. cum sequentibus: quare vulgi & aliquorum medicorum vanissimum hunc errorem, inter alios quos adnotavit, optimè redarguit Jacob. Primerosius *lib.* 4. *de vulgi errorib. cap.* 4. quem etiam fusius improbant Septalius *lib.* 7. *Cautionum, num.* 127. Claudius Deodatus *lib.* 3. *panthei cap.* 26. & innumeri alii, quos referre longum esset.

15. *...ta cal-...m me-...mentis ...i posse ...tur.*

Hæ sunt juniorum medicorum de calculo vesicæ remediis curando opiniones. Sed certè negativam statuentibus ipsa non solùm favet experientia, quæ multoties

ties hoc impossibile esse ostendit, sed *Hippocratem*, *Galenum*, aliosque antiquos medicinæ magistros idem judicâsse non obscurè colligitur: & in primis apud *Hippocratem* non legimus, quòd ad vesicæ calculum remedii alicujus ore propinandi meminerit, imò *in jurejurando* promittit se calculo laborantes nunquam secturum, sed chirurgiæ istius operariis hunc locum daturum; ex quo colligunt Duretus *in Hollerium*, Roder. Castrensis citati, & Joan. Heurnius *in notis ad idem jusjurand.* Hippocratem nullum scivisse remedium, quo vesicæ calculus confringi posset, & solâ sectione periti artificis curari posse existimâsse; quod ex eodem Hippocrate 5. *epid. text.* 17. probari videtur, ubi *Hippocrates* historiam filii Theophorbi narrans, evidentissima calculi vesicæ signa proponit, aitque quòd acri medicamento exhibito, ingentibus doloribus & ardoribus mox supervenientibus triduo mortuus est; remedium tamen à se exhibitum non ait, sed ab alio propinatum impostore forsan ex istis qui magna promittunt, & nil præstant. Itaque licet Vallesius *in com.* de calculo vesicæ *Hippocratem* non exponat, facit tamen *Foësius*; signa siquidem ibi relata calculum magis quàm scabiem ostendunt, licèt & hanc simul habuisset; ad calculum verò pertinere symptomata illa, quæ *Hippocrates* ibidem retulit, facilè colligitur ex signis, quæ de vesicæ calculo tradunt Paulus *lib.* 3. *cap.* 45. Trallianus *lib.* 8. *cap.* 7. Æsius *serm.* 3. *tetrab.* 3. *cap.* 29. Arethæus *lib.* 2. *de signis diutur. cap.* 4. ubi lapidem vesicæ nec potione, nec medicamento frangi docet, aut conteri.

16. *Calcul. renum an per section. extrahi posit.*

Quid igitur mirum *Hippocratem* remedium nullum scripsisse, cùm non inveniatur, sed sectionem tantùm (quod unicum est) adduxisse, quando & in renum lapide, præsertim duriori & grandiori, nullum novit, efficax saltem; atque ideò pro renum calculo eandem sectionem proponit *lib. de intern. affect.* de qua etiam Avicenna *lib.* 3. *fen.* 18. *tract.* 11. *cap.* 18. Serapio *tract.* 4. *practicæ c.* 12. meminerunt, & rationabiliter fieri posse contendit Fr. Roussæus *lib. de partu cesareo sect.* 3. *c.* 7. & Riolanus *lib.* 2. *antipographiæ c.* 26. quem operandi modum amissum fuisse conqueritur Cardanus *lib. de libris propriis circa finem*, nam in aliquibus optimo fine adhibitam fuisse hanc sectionem ex plurimis authoribus refert Schenckius *lib.* 3. & Paræus *lib.* 4. *cap.* 19. narrat quendam latronem calculosum furcâ damnatum, medicis commissum, ut causas, & tantorum cruciatuum naturam introspicerent; itaque reclusus, & pro arbitrio internis omnibus necessariis contemplatis, rursus exactè singulis suo loco restitutis consutus convaluit. Quare credi non immeritò potest prædictam sectionem ad calculum renalem educendum experiri posse, quæ tamen ob ingens periculum, & artificum amissam industriam hodie ab usu recessit; periculosissimam enim esse hujusmodi sectionem in calculo renali, cum *Avicenna*, *Serapione*, & *Bacchavelo* rectè advertit Greg. Horstius *lib.* 1 *epist.* & *consult. sect.* 8. & minimè tentandam, nisi à natura apostema aliquid manifestetur, quo viam ad calculum expellendum quærere agnoscatur; qualiter cuidam accidit, de quo mentionem facit Nicol. Tulpius *lib.* 4. *obs.* 27. *secunda edit.* cui calculus renum per sectionem juxta renes extractus est.

17.

18.

Illud tandem circà prædictum *Hippocratis* locum *in jurejurando* adnotare placet, quamplurimos ex illo deducere, voluisse *Hippocratem* chirurgiam à medicina prorsus separandam veluti medico indignam: siquidem multi, an medico liceat utramque exercere dubitârunt, de quo vide Lemosium 6. *meth. cap.* 6. *in fine*; licèt enim medici nomine vulnerarii intelligantur, item qui luxata & fracta curant, & illi omnes, qui secant, urunt, & manu medentur, ut *lib. de cap. vul.* & *lib.* 1. *de fracturis* scripsit *Hippocrates*, tamen si medici nomen strictius sumatur, planè chirurgus à medico sejungetur, sicuti enim ille manu, ita medicus præscriptis medicamentis, & victu curationem instituit; quâ ratione medicum à chirurgo distinguit Hippocrates *lib. de flatib.* & *lib. de decenti ornatu.* Eapropter Romani non sine optima ratione medicos à chirurgis diviserunt, ut 6. *meth. cap.* 6. & 6. *de morb. vulg. sect.* 5. docuit Galenus. & Celsus *lib.* 7. *cap.* 1. atque ideò Avenzoar 2. *Theisir tract.* 6. *c.* 1. in hæc verba prorumpit: *Ad medicum nobilem & honoratum non pertinent operationes manuum, sed ad ministros medicorum, ut sunt phlebotomia, cauterium, incisio palpebrarum, & elevatio venarum in albedine oculorum, & sublatio cataractæ; ad medicum autem honoratum nil aliud pertinere dicimus, nisi ut consilium solummodò præstet ciborum, medicinarumq; infirmo, absque operatione manuum.* Hæc *Avenzoar*, quibus probè consentit Galenus 6. *epid. sect.* 5. *tract.* 1. medicumque ait prædicta aliquando operantem, id tanquam ministrum facere, non tanquam medicum, de quo vide illum prædicto loco 6. *epid.* pulchrè enim de hac re multa affert.

Ad

Ad pensum itaque redeuntes vidimus ex *Hipp.* & *Arethæo* nullum pro vesicæ calculo dari remedium, quod idem prorsus tradit *Galenus*, qui licèt *lib. de dinam.* Adrianum balsamum, & philantropon *lib. de theriaca ad Pison.* murium stercus, & scorpium, 8. *simpl.* paliuri frustum, 9. *simpl.* ophitem lapidem, & aliis in locis alia ad lapidem vesicæ utilia esse proferat; tamen hæc partim in spuriis libris leguntur, qui ab aliis non ab illo scripti fuerunt, partim ex aliorum scriptis transtulit, cùm reverà tale remedium dari neget, solaque sectione curari posse tradat 6. *epid. sect.* 5. *text.* 26. ubi sic loquitur: *Lapis autem vesicæ, non ab ætatis permutatione, sed à sola manuali opera sanatur.* Et in *arte med. cap.* 94. cùm de obstructione loquitur, sic ait: *Quæ autem à lapide fit in vesica, in præsenti quidem transpositionem requirit, integræ sanationis causâ incisionem, & extractionem:* quid verò per transpositionem intelligat, optimè docet Argenter. in *com. hujus loci*, ubi etiam vulgarem hanc opinionem de lapide vesicæ medicamentis frangendo irridet. Hac ratione idem Galenus *lib. secretor. & 9. simpl. titul. de lapide Iudaico*, hunc lapidem ad vesicæ calculum frangendum admodum à plurimis decantatum nil conducere ait, & inefficacem esse dixit, quidquid de illo Æsius *lib. 2. tetrab. 2. cap.* 19. & Dioscorides decantent: benè tamen ad lapidem renum valere ait.

19. Constat itaque tam ex antiquis, quàm ex junioribus nullum esse auxilium medicis notum, quod vesicæ lapidem frangere valeat, superstitiosumque esse, ut *Duretus* inquit, & ostentosum hujusmodi remedia celebrare ebriosi fanaticique illius athei Paracelsi &c. Quare verò nullum medicamentum id præstare possit, ex medicinarum viribus infertur, nulla siquidem tantam habet, quæ lapidem comminuere aut frangere possit, ut suprà dicebamus; deinde integris viribus ad vesicam pervenire non datur, & licèt perveniret, infringeretur illius vis, tum vesicæ amplitudine, tum urinâ ipsâ, tum calculi duritie, & à pituita insuper, quæ multa superabundat: quòd si non eveniat, & medicamentum viribus suis omninò agat, tamen in lapidem nil emolumenti causabit, ac citius vesicam, intestina, & adjacentes partes lacerabit, ut suprà ex *Dureto* & *Sanctorio* retulimus, unde mors præstò adveniet; qualiter in casibus ab illis observatis visum est, & in alio, quem idem *Sanctorius* refert *com. in artem parvam*, alterius circulatoris, qui cùm validissimis diureticis in quodam nobili usus fuisset, calculum admodum asperiorem reddit; quo factum est, ut vesicam exulceraret, ex quo subortâ gangrænâ miserè periit.

20. Quod si detur lapidem à medicamenti vi frangi potuisse, quomodò ita comminuet, ut citrà noxam in tenuissimas partes per urinam natura expellat? cùm aliàs ipse lapis in grandiora frusta divisus tantùm abest, ut in ægri utilitatem frangatur, quin potius ab ipsis frustis vesica lancinetur, pungatur vehementiùs, & exulceretur; unde certa pernicies, ut suprà *Guillielmo Laurembergio* accidisse ex *Ioan. Rudolpho* adduximus; nam fracto lapide hujusmodi pericula certissimè accidere scripsit *Arethæus* supra citatus, dum ait: *Nec præter noxam exciditur, opus est enim & tenues vesicæ partes simul cædere, id verò aut eodem die hominem perdit, aut paucis diebus convulsionibus febribusq; consumit.* Et parùm infrà à parvis lapidibus excisis vesicam necessariò sauciari tradit.

21. Cùm igitur tale remedium non inveniatur, & illa quæ ab antiquis tradita à *Galeno* referuntur, & à junioribus inventa meræ sint nugæ, sicuti plurima alia, quæ apud *Plinium* leguntur, & illud quod alii narrant in Pithecusis aquas esse, quæ calculos discutiant à vesica, cujusmodi alias in Astypalæa insula una ex Sporadibus inveniri dicunt; hæc (inquam) omnia nugæ, figmenta, somnia, & nihil sunt, quare ablegandа omnia, cùm potissimùm si tale remedium daretur, quod lapidem frangeret, majus damnum impenderet ex frustulis, à quibus vesica (præsertim si grandior sit calculus) statim exulceratur, & sævissimis doloribus patiens multò citiùs, quàm ex integro calculo conficitur. Quare garruli chymiatri, fraudulentique omnes impostores cum suis essentiis, extractis, ac secretis meritò ab horum ægrorum domibus propulsandi; pollicentur siquidem multa, & præstant nulla: deinde etiam prudentissimè

22. facerent medici, si de istis medicamentis minus creduli, authorum & nebulonum promissis hac parte minimam fidem adhiberent, nec tam inania experientes curationes protraherent, ad sectionem tandem confugientes, postquam ægrotantes doloribus & vigiliis exhausti viribus consumptis, ad operationem vix sufficere possunt; unde succumbunt multi, quibus præstaret ab initio, dum vires & facultates constabant, dum corpus succo plenum & carnosum, dum vesica acrium & calidorum medicamento-

rum

rum vi minùs abstersa, & lapidis perfricatione minùs divulsa, & denique dum lapis ipse in grandiorem molem non excrevit, curationem optimi & famigeratissimi alicujus artificis industriâ & famâ noti tentare, timidosque laborantes & omnia prius experiri volentes priusquàm chirurgiæ operationi se committere audeant, ab inutili & nimis periculosa horum auxiliorum applicatione deterrere, & illorum animum à deceptione & inani spe liberare, & in tanto agone ad sacram anchoram, unicumque sectionis remedium confugere: *Incerta enim salus quàm certa mors eligenda potius*, quàm vanâ spe ad ultimam desperationem devenire, cùm in tota naturæ ambage, & illius sphæra, remedium ad vesicæ calculum conterendum efficax non agnoscatur, habendusque pro sycophanta & impostore quisquis de hujusmodi præsidiis inania jactat, cùm nullum præter apertionem sufficere possit, etsi non citra periculum fiat; sed tamen nil obstat, siquidem ut communiter in similibus casibus fieri ac dici solet, *Nil interest an tutum sit præsidium, quod est unicum.* Senes feliciter liberatos viderunt *Argenter.* suprà citat. & Monardes *cap. de verbena.* Septuagenarii, & octuagenarii, qui secti à calculo vesicæ extracto optimè convaluerunt, historias refert Septalius *in cautionib.* Nil aliud juvare credendum, quidquid remediorum juniores excogitaverint. Quòd si aliqui medicamento aliquo lapidem fractum fuisse asserunt, forsan friabilis aliquis fuit calculus, & admodum mollis, ex arenosa substantia conglomeratus, necdum compactus ac satis durus, qui facilè in frusta quovis motu, aut aliter rumpi potuit; vel etiam calculi alicujus rudimentum esse potuit, & materia calculi, quæ nondum in consuetam duritiem evaserant, qualiter existimo fuisse in casibus à *Monardo*, & *Augenio* adductis, quod ipse *Augenius* fatetur.

23.

QUÆSTIO OCTUAGESIMA-OCTAVA.

An à lauta & opipara mensa in simplicem, frugalem, ac pauperculum victum mutatio podagram curare valeat? Rarissimis exemplis hoc remedium efficax esse ostenditur.

Dysuriam, calculum, & alios partium urinæ morbos plerumque podagra comitatur: duo sanè morborum tormenta, quæ miseram senectutem quatiunt, & ad vitæ usque exitum plerumque conficiunt; quare cùm de illis *quæst.* præcedenti jam egerimus, de hac paucula etiam non injucunda hîc afferre operæpretium duximus.

1. Intemperantiam, ac deliciosum vitæ studium, non solùm omnis optimè vivendi ratio, & frugalitatis norma, sed medicorum quoque monita ac leges tam acerbè reprehendunt, ut illa belluinum prorsus existimet, hi morborum omnium promptissimum eventum, & uberrimam messem expectent: quid enim aliud gula, jure à multis latrinarum meditatorium dicta, in corpore præstat, quàm athleticum habitum assiduâ saginandi arte, & cupediarum excessu acquisitum, quem omnis medicina non laudabilem, sed summè periculosum judicat? Quid enim, si rationis quoque oculos adhibeamus, detestabilius est, & ab optimo animo magis abhorrens, quàm oppletus venter ciborum onere exæstuans, huc atque illuc se vertens, & in ructus ac crepitus ventorum efflatione respirans? Quorsum enim jentacula, prandia, merendæ, cœnæ, pocœnia nullomodo Cynica & stataria, sed opipara & capitulina, quibus non communis tantum bubula, vitulina, arietina, suilla, aprugna, ferina mensas adimplent, sed pipiones, ficedulæ, perdices, sturni, capi, phasiani, attagines, ad ostentationem magis, quàm ad necessitatem apponuntur: hinc tosta, frixa, assa, salita, infumata, ut repletis dejectæ ganeæ irritamenta libantur; quid si ex mari petita adjiciamus, uno eodemque epulo nil sibi satis reputans voracitas, quæ elementa omnia alunt, in ventre recondere nititur; quod ut promptius assequatur excogitata pulmenta, mureta, intinctus, embammata, oxipora, & horribilis ingluviei nescio quæ excitamenta, atque innumerabilis eduliorum exercitus, quibus tanquam lanceis unus iners miles stomachus expugnetur, qui tandem obrutus,

2.

timens

timens ne si insanus devorator diutius supervivat, non supersit ulterius quod in hujusmodi epulis conferat, ideò morti illum quàm citissimè immolat; paucis siquidem hujusmodi incursibus impetitus deditionis signa statim promit, & se devictum, minimeque ad pugnas alias conserendas idoneum ostendit; jam enim manus contremiscunt, oculi lippitudine minus elucent, vacillant dentes, purulescunt gingivæ, tremunt pedes, ac firmè consistere non possunt, multò minus incedere: assiduè cruditatis fœtidissimi ructus crepant, graveolet pectus, cui phthisis minatur, hydrops ventri, mors corpori, infernus animæ, sumptibusque immodicis omni peculio exhausto, nil superest nisi uberrimus vermium proventus, à cadavere mox proditurorum, qui amentis corpus ad saginam & coquinam natum, celerius quàm ipse adauxit, brevissimè absumant. Quibus proinde addebat Porphyrius: *Ventri mancipatos homunculos immundorum dæmonum vasa fieri.*

Sed heus miser, quisquis ista audis, & nullum comessationibus finem imponis, nec illa credis! audi Senecam: *Postquam inventæ sunt mille conditura ad irritandam famem, quibus aviditas excitaretur, quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis: inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio; inde distentus venter, dum male assuescit plus capere quàm poterat; inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesq. in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum, auriumq. tormenta, & cerebri æstuantis verminationes, &c.* Rectè siquidem dicebat idem: *Multos morbos multa fercula fecerunt.* qui etiam: *Innumerabiles esse morbos miraris? coquos numera.* Hâc itaque morborum phalange jam circumventus, unde quæso remedium expectas mi epulo? abnegat illud parens medicina, abnegat præcipuus illius genius *Galenus*: audi illum *lib. de sang. miss. cap.* 7. sic loquentem: *Intemperantes, vinosos, gulæq. deditos, nec sanguinis missione aut purgatione magnopere juvabis, utpote qui per vitæ intemperantiam succorum crudorum copiam ocyssimè colligunt.* Proinde medicos exhortatur, ut similes helluones ne manu quidem tangere velint, quoniam ut *lib. de theri. ad Pamph.* dicebat idem, *Nullum tam efficax remedium medicina habet, quod solitum auxilium afferre valeat, ubi debita victûs ratio vel resistit, vel non adjuvat.* cùm in omni ægritudine, eodem asserente *lib. de remed. paratu facilibus cap.* 10. primum & præcipuum sit optima victûs institutio, quâ deficiente frustrà omne aliud auxilium adhibetur: quapropter ipsa victûs ratio rectè ordinata cæteras alias medicinæ partes in tantum superat, in quantum chirurgia & pharmacia sine debito victûs ordine nil emolumenti conferre possunt; illa verò solummodò sine aliarum adjumento plurimos morbos quandoque evincit ac sanat, leves præsertim & mites, qui naturam non ità aggravant, ut optimè docuit Galenus 1. *de locis cap* 2. *circà finem*, cùm ait: *Illi dumtaxat morbi externo egent auxilio, quos ob magnitudinem natura vincere non potest.* Clariùs *Avicenna* fen. 4. lib. 1. cap. 1. *Amplius scire debes, quòd non omnis repletio, nec omnis complexionis malitia suo medicatur contrario, sed multoties sufficit multa regiminis bonitas.* Quod tanquam verissimum iterùm asserit idem Galenus *libello de attenuante victûs ration. cap.* 1. quo loco dyspnœas, maximasque alias spirandi difficultates, lienis tumores, hepatis scirrhos, parvas epilepsias, optimâ & attenuante victûs ratione curatas vidisse affirmat, & quod majus est, non paucas arthritidas ait, quæ jam articulorum ossa nudârant, alias quidem mitiores redditas, alias in totum persanatas vidisse addit.

Itaque ut ad intemperantes iterùm redeamus, quis ex istis est, qui si frequenter conviviis & amicorum lautis epulis assiduè utatur, opipareque, & lautè genio indulgeat, in deliciosæ vitæ, & ganeæ pœnam, morborum multò plures dolores postmodum non experiatur, quàm ferculorum oblectamenta gustavit: sarcinâ quippe humorum aggravatum corpus, & onerosâ cruditatum mole obrutum ingluviei asservata spolia jam in omnia membra incipit impertiri, & innumerabili ægritudinum vi omnibus bellum indicit: hinc est quòd videamus sedentarios epulones, otio inertes, & dapum suavitate inescatos, divites præsertim qui naturæ fugitivis bonis affluentiùs abundant, mille morborum cruciatibus exerceri. Sed inter illorum tormenta nullum frequentiùs eosdem,

Epist. 95.

quam podagra expugnat; hæc enim velut voracitatis ultrix cætera omnia antecellit, & helluones præoccupat, solaque plerumque victoriam reportat; hæc una velut veteranus miles, omnia corporis propugnacula strenuè dejicit ac demolitur, ventriculum inediâ conficit, caput rheumate enervat, pedes ac manus doloribus cruciat, cæteraque omnia assiduis ictibus ita labefactat, ut ad pristinas amplius convivarum delicias miser adire nec possit nec valeat, imo refugiat, ac tanquam malorum omnium scaturiginem reformidet: interim ipsa arthritis, qui sui juris sunt artus omnes exposcit imò possidet, crudeliter per omnes sæviens, & ad omnium præsidiorum apparatum inexorabilis, tyranno imperioso similis, in regali cubiculo & molli lecto triumphans, omnia contemnit remedia ac fallit; qualiter à Luciano *in tragicomœdia* depingitur exultans se divites omnes exposcere, incassùm remediis oppugnari, cùm omnia spernat, & medicorum omnem conatum ludificet, nec ullis obtemperet pharmacis. Celebris circà hanc rem extat apologus apud Cælium Secundum Curionem *in suo Araneo* fictus, & apud Petrarcham *epist.* 39. quem etiam *in insectis* transtulit *Aldrovandus*, de aranea peregrè proficiscente, cui se podagra comes adjunxit, ac diei unius itinere confecto, diversum hospitem utraque experiri constituunt. Igitur oppidum ingressæ aranea in opulenti cujusdam spatiosam domum divertit, ubi statim incipit sua tapeta pandere, & insidiosam telam texere; adsunt præstò furiæ, quæ quidquid erudito opere texebat, dissipant, ut ardui laboris nil scoparum celeriter occurrentium vim effugeret; quare misera nec angulum quidem in ampla domo, ubi secura degeret, invenire potuit: podagra verò pedibus capta, itineris labore fessa, cùm ultrà progredi nequiret, in primes se urbis casas dedit, ubi pauperie ita omnia comparuerunt incompta, ut nil non tædii, laboris, & necessitatis fuerit experta; obsonia rustico modo parata fastidit, lectum, quem laboriosis artubus mollem desiderabat, durissimum invenit, in quo gemebunda & suspirans vix se componere valens, noctem insomnem ducit, omnia aspera, gravia, & duriuscula experitur, ac tandem cum illis, ac lecto præsertim delicatis membris haudquaquam idoneo minimè convenit: orto itaque jam sole rursus ambo conveniunt, & prior aranea de divitis barbarie conqueritur, podagra de hospitis egestate, duroque victu multa refert; quapropter post multa maturè pensitata, utraque de commutando hospitio conveniunt, ac deinceps ut aranea pauperum tabernas & tuguria habitet, podagra econtrà divitum aulas, regumque turres incolat: illa ergò commutatione libenter acceptâ anteactæ noctis & hospitii laborem ac tædium compensare studens, pedetentim nummosi cujusdam domum ingressa, ad obesuli pedes opiparè cœnantis procubuit; quam ubi conspexit ac sensit humanissimus hospes, Dii boni! quâ lenitate, quibus nominibus excepta! substernuntur olorina tapeta, Milesiis toralibus cubiculi fulcra pendent, ex delicata plumbagine, tenuissimaque cotto culcitra & pulvinaria parantur, fervet aula, fervet culina, omnes sunt in officio ministri, qui dapibus mensas onerent, impleantque pocula; hinc pingues capi, altiles phasioli, pavones, illinc turtures, perdices, ficedulæ, in summa quidquid aër, terra & mare mittunt, omnia delicata, splendida, lautè & dexterrimè apparata veniunt; vina quoque rubella, purpurea, dulcia, austera, nigra, candida, falerna, Chia, Cretica infunduntur: taceo bellariorum omne genus, & copiosa mellita, quæ secundas mensas onerant, nil deliciarum, nil cupediarum, & voluptatum non exhausit podagra, ut jam posthac potens Dea Bacchi Venerisque filia veteris hospitii memor à pauperculis tuguriis vigilantissimè refugiat, & sororibus suis stipata chiragra & gonagra, non nisi divitum domos & nobilium aulas occupet, ubi molliter requiescat, & suavibus dapibus ac sapidissimis pascatur. Hæc fabula, quæ nil aliud docet, quàm evidentissimam causam, ob quam podagra ditiorum & opulentiorum affectio sit, & dicatur. Sed hujus rei plurima tradit Michaël Mayerus *in civitate corporis humani cap.* 3. & 11. Primò: quia divitiæ pariunt voluptatem, hæc dolorem podagricum. Secundò: rerum copia, quæ ferculorum varietatem, & optimorum ministrat; quorum cùm plus assumatur, quàm concoqui possit, hinc cruditates, & humorum superfluitas exoriuntur, quæ deinde ad pedes, & extremas partes tanquam imbecilliores deturbantur. Tertiò: exercitium laboriosum deest illis, unde omnes concoctiones excrementis, quæ dissipari debebant, scatent, cùm illorum non fiat conveniens excretio. Quartò: vino & veneri plus justo indulgent. Quintò: à medicamentis abhorrent plerumque, amaris potissimum & salutaribus.

6. *Fabula de podagra & Araneo.*

7. *Podagra quare ditiorum affectio dicatur?*

Sextò:

Sextò: fluxione factâ morbum fovent eâdem intemperantiâ perseverantes, quâ ante morbum utebantur, tam in cibo quàm in potu: lecti quoque mollioris jucundus calor fluxiones irritat, unde horum omnium causa Arthritis non immerito *Dea Misopthocos* dicta est, id est, odio habens pauperes, cùm sit Bacchi & Veneris filia, ut antea dicebamus, & non nisi rarissimè illos invadit, frequentissimè verò divites, lautè & intemperanter viventes, quique in pinguem crassamque dispositionem, & athleticum corporis habitum deveniunt, ob quam statim otiosi ac desides fiunt; sunt enim tales, ut 3. *de rep.* illos vocabat *Plato*, somnolenti, segnes, ignavi, vertiginosi, & in podagræ domicilium apprimè idonei.

8.

Hæc trophæa sunt & spolia illorum, quorum venter Deus est, & qui omnem vitæ hujus felicitatem in comessationibus reponunt, quique non ad vivendum edunt, sed ad edendum tanquam bestiæ vivunt; & prout est natura æqui ac justi amans, peccati pœnam non aliundè exigit: eam siquidem ex ipsamet ingluvie obtinent, ut unde delicias captârunt, inde quoque dolores reportent; qui nisi ad sobrietatem se convertant & resipiscant, nullum tam truci malo remedium medici à tot jam sæculis invenire potuerunt; solumque hoc inter innumera utile esse multorum certissima ostendit experientia, ut per eandem viam retrò agantur, & qui adversùs omnem temperantiam deliquerunt, ejusdem quandam velut pœnitentiam agant, jejunioque & satis parcâ ac tenui victûs & potûs parsimoniâ anteactos errores compensent. Hoc multorum exemplis observatum est, qui etsi sævissimis podagræ cruciatibus vexarentur, ad frugalem vitam & victum aut morbi aut egestatis necessitate compulsi divertentes, non malorum tantùm levamen, sed omnimodam morbi depulsionem experti sunt. *Hoc pacto* (inquit Rhodiginus *lib.* 13. *antiq. lect. cap.* 25.) *quosdam legimus morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, bonorum proscriptione ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, convaluisse.* Hujus veritatis exempla, si authores percurramus, sunt certè non pauca: Rogatiani senatoris in primis, cujus meminit Porphyrius *in vita Platonis*, & ex eo idem Rhodiginus *lib.* 7. *cap.* 11. hic sævissimâ podagrâ anteà oppressus in vitæ tædium quodammodo devenit, ita ut ab ipsa & bonis quoque suis animum segregaverit, illorum curam omiserit, servos expulerit, dignitates respuerit, imò & proprios lares rarò habitaret, quosdam tantùm amicorum familiariumque conveniens, apud eosdem cœnabat, dormiebat, simplicem cibum tantùm semel in die assumens; hac igitur vitæ incuriâ factum est, ut cùm antea nec manus extendere valeret, tamen adeò convaluerit, ut eis non solùm expeditè uteretur, sed in reliquis quoque membris omninò affectionem vinceret, & robur inde resumpserit. Notissima sed admiratione digna est historia nobilis cujusdam Itali, quam varii authores referunt, Majolus *dialog.* 4. *dier. caniculi.* (qui anno 1566. cum eodem Pecchio dicto Mediolani collocutum fuisse refert, & ab illius ore omnem historiam audivisse) & ex eo Hieronym. Drexelius *in gymnasio patientiæ parte* 2. *cap.* 2. & *in jejunio lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. eandem ex *Ludovico Granatensi* repetit; & ex nostris medicis ex eodem *Granatensi* refert Joan. Fragoso *in antidoto* ubi de unguento pro podagra agit, Franciscus Alex. *in med. Phœbo.* Crato *consil.* 240. & 709. & ex eisdem Joan. Rudolphus *cent.* 4. *memorabil. num.* 7. Sed aliis derelictis, Alexandri Verlensis *in Apollinis radio*, *in descript. diacorali* verba afferam, prout ex ipso refert Schenckius *lib.* 5. Franciscus Pecchius (hoc nobilis Itali nomen erat) cùm ad quædam Illustrissimi sui Ducis commissa expediretur, jussa capessens, prout erat industrius & magni animi vir, licet tamen quinquagenarius & podagricis cruciatibus jam à multo tempore oppressus, tamen mulam conscendit, & expeditionis viam aggreditur, in qua à Marchione quodam, in cujus odium jam dudum venerat, ex insidiis circumventus, in carcerem & obscurum ergastulum conjicitur, quod in hostis sui castro continebatur, unico è fidioribus famulis interim commissâ curâ, aliis quid ageretur ignorantibus, eâ lege, ut captivo in singulos dies nil nisi panis frustulum satis tenue, & aquæ pauxillum deferret iniquo animo cogitans, non ut miser diutius viveret, sed potius diu se mori sentiret: interim Pecchius totis urbibus, oppidisque quęsitus nusquam comparet, quare uxor & filius unicus vitâ defunctum non absque ratione arbitrantur; sed anno jam 19 transacto à Deiparæ partu 1557. à Gallis in eam arcem irruentibus incolumis inventus est, imò instar stygiæ umbræ homo apparuit, lacerâ veste, barbâ ad poplites promissâ; obstupuerunt omnes spectaculi spectatores: mox rumor in vulgus abiit Pecchium tanquam Lazarum in

9.

10.

 mo-

monumento servatum, qui ad patriam domum & uxorem reversus, velut ab inferis revocatus, spectaculum erat omnibus certe mirum, bis potius mirum iis, qui hominem antea agnoverant arthritidis morbo baculo vix incedere valentem, dum nullo jam innixum, ense accinctum, nullâ artuum læsione per urbem divagari conspiciebant; omnem quippe podagræ noxam ex tenui custodibus indicto victu effugerat: uxore filioque mortuis, ædes, prædia, omneque divenditum, optimum certè patrimonium jure eidem revocatur; tantum hoc & unicum bonum à tam fœdo & longo carcere & victûs inopia adeptus, ut à podagra in reliquum vitæ immunis vixerit; unde de eodem Pecchio non inelegans poëta sic per jocum historiam complexus est:

Zumaliâ occlusus bis denis Pecchius annis,
Ter quoque, bis vivus, vivere posse putat.

Fuit etiam rarum in podagrico mercatore exemplum, cujus historiam scribit *Taberna Montanus*, & Ioan. Matthæus *in speculo sanitatis cap.* 4. hic enim satis dives podagrâ (quæ talium comes est) assiduâ torquebatur, ut luxu defluentium perpetua non undique sit felicitas (*Rarum etenim*, ut recte Seneca, *felix idemq; senex*) ubique enim, si bene calculum ponas, naufragium ab inconstanti fortuna, cujus officium est perpetuum ima summis invertere: sed adversâ fortunâ in duram pauperiem conjectus, opere mercenario victum quæritare coactus est, & lautam, quâ antea utebatur, mensam deponere; quo exercitii genere, & victûs parsimoniâ sobrius, & abstemius, quantumvis ex necessitate factus, otium non solum & corporis torporem excussit, sed ab ipsa quoque podagra liber evasit, non sanè pœnitendâ sorte, quæ divitias cum sanitate commutavit. Similem eventum obtinuit Lucas Keslin, homo sane prædives, ut ex Wirsungio *lib.* 4. *cap.* 4. *praxis Germanicæ* refert Schenckius *lib.* 5. qui summo luxu, deliciis, & otio affluens podagram sibi accersiverat, ex qua in tantam membrorum læsionem & torporem devenerat, ut duobus servis, quibus fulciretur, semper stipatus prodiret; tandem ad extremam egestatem redactus est, & ex rei inopia interdicto vino, victu acciso, & pro paupertatis conditione frugali instituto, podagra mutato hospitio hominem deseruit, qui etiamnum quinquagenarius merces corbe dossuariâ hinc indè per pagos & vicos discurrendo, divendendas comportans, tenui hac fortunâ in totum podagram profligavit. Quantum enim vinum, si citra modum præsertim potetur, nocumentum podagricis afferat, nemini non notum est, cùm multos, qui nunquam antea talem morbum passi sunt, in illum conjiciat, quod eleganter notavit *Q. Serenus*:

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Rursus verò ex illius abstinentia hanc ægritudinem innumeros non modò declinâsse, sed factam omninò vicisse, plurimis exemplis observatum legimus. Sic cuidam Veneto medico seni contigisse scribit Trincavellius *lib.* 12. *de rat. curandi hum. corp. affect. cap.* 2. & similiter alteri nobili idem accidisse narrat P. Leonard. Lessius *tract. de valet. tuenda*; quam etiam utilitatem expertam fuisse quandam viduam de gente Hispanica memorat Solenander *cons.* 1. *sect.* 5. qui omnes, quòd vini usum omninò intermisissent, podagricis doloribus amplius tentati nunquam fuerunt. Optimè quidem hoc novit, atque monuit Petrarcha *parte* 2. *dialog.* 84. *de remed. utriusque fortunæ*, qui perbellè de podagra loquens sic ait: *Si salutem cupis, aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas. Multos hac ægritudine liberâsse traditur paupertas, quam voluntariam, seu fictam, & imaginariam pauperiem dixerim. Vidisti aliquos perpetuâ vini abstinentiâ curatos: ita fit, dolore dolor, clavus clavo pellitur, vix molestum aliquid sine molestia curatur. Ut propterea cum hoc morbo, cumq; aliis multis pacem habeas, non Baccho solùm, sed Veneri bellum indixisse profuerit. Habes quam puto unicam hujus morbi curam: hanc si probas, utere; sin minus, non te fallant opifices fomentorum. Patientia in adversis efficacissimum, atque optimum, & sæpe unicum remedii genus est.* Optimè igitur dixit ille qui sic:

II.

Vis te languentem curvâ relevare podagrâ?
Mendicus fias, pauper, egenus, inops.

Sin minus, nullum aliud remedium quàm patientiam, in podagricis doloribus invenire poteris: de qua rectè Imp. Caroli V. dictum, quod non raro dicere solebat, affert *Sennertus* de arthrid. cap. 8. *Esse patientem, & parum præ dolore clamare, sunt*

op-

optima contra arthritidem remedia. Patientia enim malorum remedium est optimum: quod his versibus inclusit *Reusnerus*:

Antidotum vitæ patientia, sola malorum
Victrix: si bene vis vincere, disce pati.
Item:
Qui patitur, se sanat homo: patientia sanat
Quod cruciat: victrix & levat omne malum.

Igitur tanquam certissimum concludamus nullam arthritidis urgentiorem esse causam, quàm ipsam victûs & potûs intemperantiam & ingluviem; de qua, ut rectè Cardanus *cons. pro Cardin. Morono*, non de fortuna sua podagrici conqueri deberent: econtrà temperantia, cujus magistra est calamitas & pauperies, sola inter auxilia tanto malo subvenire potest. Optat certè podagra benè edere, vestiri commodè, habitare latè, cubare molliter, dormire satis, laborare nil, & recreationibus vacare perpetuis; hinc ad divites citò convolat, à quibus non nisi acerbius tractata refugit: ergò si egestate compulsi, aut ex forti animo deliberati nitantur parcè comedere, malè vestiri, angustè habitare, rigido strato jacere, modicè dormire, corpus exercere, & ab omni recreatione procul agere, dubium non est tam iniquum hospitem tædio fastiditum extrà proprios lares abiturum, ut pauperibus evenit, quorum domos aut rarò, aut nunquam invisit; aliàs frustrà alia quæruntur remedia, frustrà *Bayri* & *Augenii* Cariocostinum, frustrà *Mindereri* aloëdarium, & infinita alia ab authoribus celebrata parantur, cùm omnia incassùm adhiberi jam ipsa antiquitas agnoverit, cùm nil magis dolores demulceant aut tollant, quàm cæcum pictæ tabulæ delectant. Ovid. 2. *de ponto*:

Solvere nodosam nescit medicina podagram.
Vt lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram.

Quod verùm esse insignes viri medicamentorum tædio defessi cognoverunt, ut de Suanto Sueviæ & Gotiæ Principe narrat Olaus Magnus *lib. 16. cap. ult.* qui ex gravi podagra laborans nullum invenisse fassus est, nisi optimorum & prudentum hominum colloquium; quod in omni morbo præstantissimum esse inculcat *Seneca* epist. 78. *Nil æquè ægrum reficit atque adjuvat, quàm amicorum affectus.* Quod in podagra multò efficacius, quàm in reliquis morbis forsan locum habere videtur: quod magnus ille Aragoniæ Rex Alphonsus manifestè declaravit, ut de illo Panormitanus & Æneas Sylvius *in ipsius reb. gestis & dictis* narrant; nam cùm Capuæ ab arthritide graviter decumberet, nullumque ex remediis levamen susciperet, animi divertendi causâ Q. Curtii historiam de Alexandri gestis legere cœpisse ferunt, quâ delectatus meliùs habere cœpit, & mitiores dolores persensit; quare sanitati restitutus dicere solebat: *Valeat Avicenna, valeat Hippocrates, & alii medici, vivat Curtius restaurator sanitatis!* quod etiam de Ferdinando Rege narrat, cui ex *Livii* historia idem accidisse memoratur, sicuti Laurentio Medices, ut refert Joan. Bodinus *in proœm. de oblect. & utilit. historiar.* Et meritò quidem, cùm amicorum & doctiorum suavia eloquia efficacissimum omnium malorum solatium habeantur, nullusque tam atrox infestusque sit dolor, cujus vellicationes civilis eloquentia non leniat & excutiat, ut tristitiam omnem demulceat & depellat; quod adeò verum esse judicavit Rhodiginus *lib. 19. cap. 3.* ut ex Antiphontis acerrimi auscultatoris indagine, nepenthes Homericæ, idest, tristitiæ oblivionem afferens pharmacum, nullum aliud fuisse, quàm ipsam civilem amicorum eloquentiam non immeritò putaverit. Unde rectè idem citatus Seneca: *Quæ mihi tunc solatio fuerunt dicam, si prius hoc dixero, hæc ipsa quibus acquiescebam, medicinæ vim habuisse.* Cætera vide apud ipsum, de quo *quæst. 2. nu. 22.* jam latius egimus.

QVÆSTIO OCTVAGESIMA-NONA.

Mutato loco an mutetur genius, & fortuna? Agiturde paræmia: Muta pedem, mutabis ſortem.

MUtatione vitæ ac victûs morbos curari præcedenti *quæſt.* vidimus, quin & locorum quoque mutatione ac terrarum profligari ac evinci, de morbis longis docuit *Hippocrates*; imò in doloſis mutationes utiles eſſe, idem medicinæ parens ſcripſit *ſect.* 6. ejuſdem *lib.* quare cùm horum omnium, & ætatis etiam mutationes, corporali ſaluti reſtaurandæ tantùm conferant, videndum jam eſt, an locorum quoque mutatio in hominis ſorte, & fortunæ præcipuè bonis, aliquid valeat efficere, ut mutato loco potiorem obtineant & experiantur; unde forſan emanavit parœmia: *Muta pedem, mutabis ſortem.* Quod ob genii mutationem evenire aliqui putârunt, quare an hoc verum ſit inquirere, nobis ſi non tanquam medicis, ſaltem tanquam morali philoſopho permittendum.

b. epi[...] ſect. [...]

Quæſtione 81. ex *Apuleio* de Deo Socratis meminimus, quem ipſius genium, dæmonem, ſeu angelum fuiſſe ait *Apuleius.* Neminem etiam fore arbitror, qui ſæpius apud vulgus prædictam parœmiam non audierit, quæ communiſſimè in omnium ore circumfertur: *Muta locum, mutabis fortunam*; de illis qui in alium transferuntur, felicioremque inibi obtinent, quàm antea rebus ſuis fruebantur; unde non incelebres viri quidquid hoc veritatis contineat, dubitârunt, ut inter alios fecit Rhodiginus *lib.* 2. *antiq. lect. cap.* 11. quod nos paulò latiùs nunc indagare conabimur, in gratiam illorum, qui harum amœnitatum cupidi hujuſmodi næ nias non dedignantur.

1. *Genii multiplex ſignificatio*

Sed ut à nomine incipiamus, ſciendum eſt *genium* apud priſcos variè accipi conſueviſſe, nec unam ſed multiplicem rem ſignificare; quippe aliquando *genii* nomine animam rationalem intelligebant, ideoque dicebant eſſe ſingulos ſingulorum. Fuêre etiam, qui terram, aquam, ignem, aërem genios Deos dicerent; duodecim etiam ſigna, ſolem, lunam inter hos Deos putabant, quos primum à gerendo, quòd multa gerere poſſent *gerulos*, hinc genios vocitârunt; atque ideò ſic dictos voluit *Cenſorinus*, quia ut gignamur curent, vel quia ſtatim ac quis genitus fuerit, eidem mox copulantur, ſeu quòd nos genitos ſuſcipiant & foveant. Interdum quoque genium accipiebant pro gratia & lepore, ſeu venuſtate alicujus rei. Martialis *lib.* 6.

Lib. de [...] natali.

Victurus genium debet habere liber.

2. Aliquibus dicebatur hoſpitalitatis Deus, voluptatis, & naturæ; hinc indulgere genio, pro dare operam voluptatibus, communiter apud antiquos uſurpatum, ut *Perſeus* ſaty. 5. *Indulge genio, carpamus dulcia.* Tandem genium altiori contemplatione, naturali quodam rationis lumine ducti veteres appellare conſueverunt dæmonem, ſeu angelum, quem nobis duplicem appoſitum dixit *Euclides Socraticus*, quæ etiam *Empedoclis*, *Socratis*, & *Menandri* ſententia fuit, qua de re ejuſdem *Menandri* ſunt verſus à Clemente Alexandrino relati 5. *Stromat.* Euſebio *de præparat. Evang.* & Ammiano Marcel. *lib.* 25.

Vnicuique genius aſſiſtit
Simul atq; natus eſt, qui illi ſit ductor vitæ
Bonus, malum enim genium non eſt exiſtimandum
Eſſe, qui vitam lædat bonam.

Hos verò deos lares, aliter etiam penates dicere ſolebant, ac in viris genium, in fœminis Junonem nominibus diſtinguebant, ex cælitumque choro nobis advenire minimè ignorantes *Plinius* indigitat lib. 2. cap. 7. *Quamobrem* (inquit) *major cælitum populus etiam quàm hominum intelligi poteſt, cùm ſinguli quoque ex ſemetipſis tandem Deos faciant, Iunoneſq;, genioſq; adoptando ſibi.* Minutius Felix *Præſides* hos vocat genios quòd hominum actionibus præſint, Heſiodus *cuſtodes hominum*, Servius *Manes*; quo nomine Virgilium *lib.* 6. genium ſic appellâſſe contendit.

3.

cùm

cùm dixit: *Vnusquisque suos patimur manes.* Ammianus *lib.* 12. ex Menandro: *Statim in lucem editis hominibus numina sociata, quæ vitæ cursum regunt, admodum pacis visa insigni virtute viris:* quemadmodum de prodigioso illo genio, de quo Plutarchus *in Bruto*, qui mortem in Philippicis campis Bruto prædixit nocte, quæ diem illius obitûs antecessit, per hæc verba: *Malus tuus sum genius, cras in Philippicis campis me videbis.* Simile spectrum ingentis magnitudinis, nigro ac luctuoso habitu vestitum Taboræ insigni illi Duci, Sebastiano Lusitanorum Regi inprimis gratioso & amabili apparuisse narrat *Faria* in disertissima illius regni epitome, nocte illâ, quæ tertio Augusti die, ipsi & regno lucem eripuit, commisso in subsequenti prælio illo infelicissimo, in quo infinita nobilium pars extincta est, Rege etiam desiderato: fertur intrepidè ab eodem spectro quæsivisse: *Quid me sequeris? quid me vis?* ac mox respondisse: *Lugeo regnum, te quoque, & me lugeo;* evanuit statim: haud irritum omen. Nec immeritò (si verum fuit) suspicatur author sub phasmate illo genium regni fuisse, qui lugubri veste suorum plorabat excidium, quorum miserrima clades in venturum solem jam destinata erat; nam & hujuscemodi geniorum apparitionum, aut terriculamentorum si mavis appellare, multa alia exempla affert *Camerarius* infra citatus; habere enim præter homines, elementa, regna ipsa, provincias, civitates, domus, animalium & plantarum species, imò & illorum individua (ut *D. Augustino* placuisse videtur) particulares genios, custodes angelos, & tutelares, docent Aretus, Andreas Cretensis, Cassianus *collect.* 8. *cap.* 17. *& collect.* 13. *cap.* 12. Origenes *in Luc. homil.* 10. *lib. etiam* 3. *de princip. cap.* 2. quin & *Platonem* hoc agnovisse facilè ex eodem colligitur cùm dixit minores Deos (per quos Angelos intelligebat) in naturalium custodia occupatos esse, suæ unumquemque incumbentem & apertius lib. de regno: *Animalium* (inquit) *genera gregatim distincta dæmones quidam tanquam divini pastores sortiti sunt. Singuli singulis &c.* quod etiam *Symmacho* placuisse legimus, quanquam non desint alii, qui ad priscorum vanitates hæc referant, & inter illorum superstitiones reputent, ut adversus *Symmachum* reprehendit Prudentius *lib.* 2. de quo vide Cerdam *in Virgilium* 5. *Ænead.* ubi poëta locorum genios apertè designat:

4.

5.

Incertus geniumq; loci, famulumq; parentis.

Quippe & locis suos particulares genios veteres destinâsse ex ipsorum numismatis, & antiquitatibus collegit Philipp. Camerar. *operarum subces. p.* 1. *cap.* 14. A summo itaque Deo singulis data est intelligentia, & superioribus spiritibus commissa, ut solicitè ea servarent, quæ unicuique præcepta sunt: quo pacto etiam à sathanæ principatu dæmones perniciem enixè procurantes adhibiti, ut tradunt *Origenes*, & *Cassianus* citati; qua de causa apud Græcos, Romanos, Gallos, Druidas, Germanos, & gentilium alios pro laribus, & geniis statis diebus humanis litabant hosteis, & cruore humano adolebant aras, genialia quoque Dianæ sanguine humano expiabantur, ut narrat Alex. ab Alexandro 6. *genial. cap.* 16. pernicie enim nostrâ genii (pessimos illos dico) delectabantur: apparebant autem interdum imagine pueri li vel juvenis, interdum senis, & aliquando serpentis, ut apud eundem *Virgilium* lib. 5.

6.

Dixerat hæc: adytu cùm lubricus anguis ab imis.

Itaque innumerabili illâ suorum Deorum farragine non beneficis tantùm litabant, à quibus optima quæque tribui posse sperabant, sed maleficos quoque alios colendos excogitârunt, à quibus mala averti averruncarique posse sperabant: sic apertè dæmoni ipsi, & eidem sub genii aut laris nomine sacrificabant, quemadmodum & febri, ut tradunt Val. Maximus *lib.* 2. *cap.* 5. Plinius *lib.* 2. *cap.* 7. D. Augustinus *lib.* 2. *de Civit. Dei. cap.* 14. Cicero 3. *de nat. Deor.* Sabellicus *lib.* 4. cujus tria Romæ fuisse fana refert idem Alex. ab Alexandro *lib.* 1. *genial. cap.* 13. unum in capite vici longi, alterum in palatio, tertium juxta Mariana monumenta, cujus adhuc extare vestigia multi asserunt; quæ numina à Græcis originem traxisse idem author credit, quippe & Athenienses Contumeliæ & Impudicitiæ sacras habuisse aras testatur, ut à probris averterent, sicuti Timori, Morti, atque aliis affectibus templa dicârunt Lacedæmonii: geniorum verò tantus apud ipsos fuit reverentiæ cultus & religio, ut qui consultò per genium Principis pejeraret, fustibus castigaretur, ut videre est in *l.* 13. *in fine §. de jurejurando.* Hæc ethnicorum circà genios fuerunt deliria, qui à vero Dei cultu alieni, absurdissima quæque alia Deorum loco colebant in miserri-

7.

mo

mo illo orbis statu, in quo obcæcatæ hominum mentes veram lucem nondum agnoverant, quousque illius splendore eorum tenebræ resolutæ sunt & discussæ.

8. Cæterùm in illa animarum caligine non defuerunt, qui altiùs rationis acumen intendentes, inter profana, & superstitiosa multa, aliqua rimati fuerint non prorsus vana, quemadmodum *Plato*, cui divinorum philosophia magis affulsit: ille enim (cui postea omnis consensit antiquitas) unicuique nascenti esse dæmonem quendam vitæ custodem, ipso suo sidere destinatum cognovit, qui & ad hoc ipsum officium adjuvet, cui nascentem cælestia deputârunt; & ex nostris, Christianis inquam Patribus, collegit *Beat. Thom* divinæ providentiæ congruentissimum fuisse angelos bonos nostræ addixisse custodiæ, quibus ad bonum produceremur, à quo sæpius insitâ imbecillitate declinamus; qua parte etiam *Hieronymo* humana arrisit dignitas & animarum, ut unaquæque habeat in custodiam sui angelum delegatum, & velut cælestem quendam pædagogum, qui tanquam custos & institor sit, sequaturque assiduè vestigia nostra, & nunquam omissâ curâ circumducat, moneat, suadeat, & retrahat.

Verùm prout est humanæ fragilitatis misera conditio, vitaque hominis mille calamitatibus, & ærumnis ubique pervia, accidit ut ipsis undequaque jactatus, vel statim ab ipso natali die in infinitos periculorum scopulos impingat, & adversum fortunæ vultum sæpiùs experiatur; jam enim alius in officio suo aut arte minus proficere animadvertit; alteri negotiorum industria retrò agitur; alteri licèt optimâ adhibitâ solertiâ res suæ nihil accrescunt, sed incassùm laborem omnem consumit, & adversus sortem colluctatur, ut non paucis nec rarò in pejus ire contingat, paucissimis fortunæ ludus felicem oster dat aleam, ut plenâ facie rarissimos aspiciat, statim defectura: rarum quippe felix aliquis & idem senex. Hinc alia atque alia nutando, ac vacillando mortales tentare non cessant, jam studia, jam loca subindè permutantes, quo fit, ut etsi non pauci in deteriùs vergant, aliqui tamen non pœnitendam rerum suarum vicissitudinem sortiantur: hoc enim Orientales Astrologi minimè contemnendum putârunt, videlicèt mutatione nominis, professionis, habitûs, victûs, loci, cælestem influxum nobis tum in melius, tum in deterius mutari.

9. Hinc apud vulgus de geniis benè aut malè augurari cœptum, jam dudumque frequentissimè proverbium jactari solitum: *Muta locum, mutabis sortem*; subindeque arcanorum naturæ scrutatoribus adhibita quærendi occasio, an mutato loco mutetur genius? Ipsos namque ad rerum eventus plurimum præstare antiquis maximè persuasum, ut jam hoc jam illo modo sortes caderent: hinc eum qui optimum genium sortitus fuisset, prosperum; qui minus valentem, miserum & ærumnosum habere putabant.

10. Cæterùm an unus idemque genius ubique semper unicuique assistat, non ferè inter eruditos constat, aliis unicum ubique esse sancientibus, ut *Jamblico* placuit, nec unquam cogi demigrare; absurdum videtur quibusdam aliis, dæmonem unum velut in mancipium venire, nec à nobis latum quidem unguem revelli, quantumvis longa terrarum spatia obierimus; qua ratione non unum eundemque numero, sed specie etiam in singulos præfecturam accipere alii conjectârunt, qui si commigrarint, in ordinis ejusdem dæmonum incidant ducatum: quoniam verò in qualibet dæmonum decuria plurima sunt dignitatum & virtutum discernicula, hinc accidere, ut variantibus locis varii sint etiam rerum nostrarum eventus, cùm commodiores sæpiùs nanciscamur duces, aut è converso: accommodatissimos verò illos esse, qui unici sunt in regione certa, ex quibus itidem consequitur, ut idem homo alibi fortunatior pernoscatur, quàm ubi erat prius, adeptus videlicet potentiorem dæmonem, cujus illustratione præstanti fieri putant, ut sæpè doctore nullo res excogitentur miræ, producanturque ad exitum feliciter, præter opinionem, quæ nostrarum virium excedere videantur mensuram, in quo tandem convenit *Rhodig.* citatus, & ex Platonicorum schola Ficinus *lib. 3. de vita cælitus comp. cap. 23.* qui dæmonem vel commutari, vel aliter hîc, alibi aliter ad eosdem se habere cum Platonicis judicavit, quem per otium vide, apud ipsum enim ad hanc rem attingentia, præclara multa alia inveniuntur.

11. Sed ut verum fateor, ista tutelarium geniorum commutatio mihi non arridet, & cum *Iamblico* unum eundemque unicuique semper, & in omni loco assistere potius probaverim; nulla enim cogit necessitas, ut aliter necessarium sit statuere: non enim

enim divini illi spiritus ullo labore fatigantur, aut ullis occupationibus distrahuntur, ut se invicem permutare conveniat. Porrò quàm facillimum eisdem sit, præceptum sibi quempiam quocumque eat concomitari nemo non videt: præterea ad officia alia obeunda ipsos custodiam deserere inconveniens est, cùm vel momento mandata exequantur, & infinitus sit Angelorum numerus, ut ab infima tantùm hierarchia, ex qua nobis adveniunt, ad Universi tutelam perquàm multi adhuc supersint. Nulla igitur ratio nec causa nobis innotescit, quæ illorum permutationem cogat, imò improprium videtur cælestibus incolis officia sua ante finem relinquere, quasi vel laboris tædio fatigati quietem aliquam exoptarent, aut in sibi commissis deficerent, cùm in ipsis nullus error aut labor inveniri possit. Nec etiam facilè concedendum est, quòd diversarum regionum cura per diversos ordines divisa sit & separata, ita ut alii aliorum provinciam ingredi non possint; pugnare enim hoc quodammodò videtur cum exacta illorum pace & concordia, ac velut regnorum jura tribuere illis, qui exequendis solum mandatis constituti sunt & destinati, prout jam huic, jam illi domino placuerit: sicuti enim Rex, qui plurimis dominatur provinciis, etiamsi plures Præfectos creare debeat, indistinctè tamen jam hunc, jam illum huic, aut illi præfert; sic credendum est Deum ad Angelos se habere; ut cui voluerit Petri nascentis, aut Joannis tutelam committat, cùm alioquin divinæ Majestati limitatio quædam foret, ut ex hac decuria, non ex alia determinatis locis determinatos tantummodò adhiberet. Utcumque sit, sacræ Theologiæ Christianis Doctoribus ista disjudicanda committimus, quorum placita tenere semper ac defendere promittimus: fatemur sanè in eorum natura majoris & minoris potentiæ prærogativam inveniri, ita ut alter altero præstantior sit, hominibusque aliis insignioris virtutis, debilioris aliis patronos contingere, quod *Lilius Gyraldus* etiam adnotavit *histor. Deorum synt.* 15. prout in Octavio Augusto, & Marco Antonio observatum fuisse circumferunt; nunquam enim non victum Antonium abire solitum ajunt, si vel pilæ, aut tesserarum, aut certamine alio delectarentur, reprehensumque Antonium ab uno amicorum, qui vaticinandi peritiâ sese apud eum venditabat, his ferè verbis: *Quid tibi cum hoc juvene? facesse ab eo, tuus enim genius illius genium veretur, tuaq; fortuna, alioquin per se ampla, illius fortunæ assentatur, & invidet.*

[Fo]rtunæ [mu]tatio [un]de accidat? 12.

Quid igitur de illis dicendum, qui mutato loco commodiorem multò sortem invenerunt, & quibus hîc parum felix, illic prospera & bonis multis affluens obtigit? quorum multa passim sunt exempla, uti non pauca, præter illa, quæ non raro observamus, adnotârunt *Fulgosius*, *Valerius Maximus*, *Eborensis*, & alii. Multas sanè hujus eventûs causas dari posse non dubitamus: & in primis vel ratione hominis, vel occasionis, aut favoris alieni, vel denique respectu genii. Ratione hominis, dum rectiùs ac vigilantiùs res suas disponit, & circà easdem magis evigilat, aut pro officio, arte & occupatione, sese illi offert commodior hoc loco opportunitas, quàm in alio dabatur; nec etiam subticenda novitas, ad quam ex naturæ proprietate mortales inclinant, cujus ratione sæpius aliqua alibi evehuntur, quæ aliis obsoleta videbantur: jam verò occurrit aliquando aliorum favor & gratia, quibus in alio loco destitutus erat; hac ratione plurimi hujusmodi suffragia invenientes, ad magnam existimationem, & opum affluentiam devenerunt; accidit deinde morum mutatio, unde inter alienos, quàm apud notos gratior fiat ac amabilior: mores quippe locorum & regionum, victûs, atque aëris mutatione mutari extrà dubium est, videmus siquidem diversarum provinciarum incolas, ut linguis omninò, ita facie & moribus esse dissimiles; ut hinc facilè credamus perpetuum non esse usitatum illud Græcorum proverbium: *Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.* Optimè siquidem *Plato* tum alibi, tum in *Timæo*: *Conandum est*, inquit, *pro viribus vitium fugere, & virtutem capessere, per educationem, studia, & disciplinas.* Quandoquidem medicinæ vi, ad quam victus ratio, & aër spectant, hominem fieri posse de avaro prodigum, de luxurioso castum, de timido audacem, insuper intellectum in melius permutari, prudentem reddi, atque fidelem testatur *Arnaldus*, ut latius *quæst.* 2. scripsimus; dum enim sanguinis mutat complexionem, sequentes quoque inclinationes mutari necessum est, ut la-

 tius

tiùs proprio *lib.* probavit *Galenus*, de quibus vide etiam Vallesium 2. *epid. sect.* 5. *tex* 1. proindeque quantùm animæ affectus pro aëris, victûs, & locorum varietate mutentur in *com. ad Galeni lib. quod animi mores* longius prosequitur *Ioan. Baptista Persona*, ubi multa circà hanc rem videri possunt, quæ hîc prætermittimus. Hac ratione genium temperamenti esse sobolem, & ipso temperamento mutato immutari plurimi dixerunt, in quo etiam sensu bonum genium à bono temperamento oriri, non ineptè statuerunt.

13. Quatenus verò ad genium attinet, notissimum est homines sæpius res aliquas agere, & occupationes quærere, non inclinationi tantùm naturali, sed genio etiam & illius monitis adversas, quo fit ut infeliciter procedant; verùm postea aut ex se ipsis, aut mutationis locorum occasione resipiscentes, propitiorem cæli influxum experiuntur: propterea quæ antea erat adversa, jam in alio loco prosperior fortuna ac beatior contingit, cùm jam professionem ingenio, aut genio alienam subimus, jam verò hâc derelictâ congruam magis sequimur; hinc fit ut à fautore & patrono illo cælesti minùs aliquando adjuvemur, aliquando magis, dum ad illa intendimus, ad quæ ejusdem monitio nos inclinat; hinc proverbio non ineptè dici solet: *Nil agas invitâ Minervâ*, id est, genio & ingenio adversum. Igitur sicuti ad hoc aut illud peragendum exhorrantur, sic quoque loca destinant, in quibus rerum successus feliciorem obtineat sortem, & ex voto nobis nostra contingant; infortunatum alioquin eum, qui professionem naturæ contrariam suscepit, alienumque ab ingenio obtinuit dæmonem, aut inferioris sanè dignitatis, cùm secundum hanc multùm distinguantur! Addo etiam quòd sicuti in plantis accidit, ut in hoc solo amœniùs & pulchriùs luxurient & crescant, in alio ob congruam minus dispositionem aut non enascantur, aut deterius germinent; sic pro hominum diversa natura jam in hac, jam in illa regione valentius ac melius degant, & ita quoque cum corporis vigore cætera naturæ & fortunæ dona affluentiùs illis infundantur, & cumulatiùs crescant: quæ cùm videamus non infrequenter accidere, sortem cum loco mutari credimus, non quòd genius mutetur, & alius subinde adveniat, ut minùs scitè aliqui cogitârunt, sed quòd ab aliqua ex dictis causis fortunæ mutatio contingat, cujus etiam conditio est, ut nunqnam eodem gradu subsistens quæ alta sunt & in fastigio posita deprimat, ea verò quæ dejecta & humilia, contrario nixu excitet & evehat; sic regna, sic imperia, urbes, & fortunæ quæcumque alia fugitiva dona vicirsim stant, cadunt, eriguntut, & rursus decidunt: sic enim Socrates, *quid Iupiter in cælo faceret*, aliquando interrogatus; fertur respondisse, *Alta deprimit, humilia excitat*: ac denique ad occulta divinæ providentiæ judicia tanquam certissima recurrendum, quæ perscrutati tam nefas quàm impossibile est.

QUÆSTIO NONAGESIMA.

De partu quinquemestri, & quadrimestri. Quæritur, an aliquando possibile, ut vitales sint? Multis exemplis hoc ostenditur. Octimestris quare vitalis non sit, legitima causa affertur. Tandem additur historia penè incredibilis de fœtu mortuo cujus corpus & ossa per gravidæ os exierunt.

QUando igitur ad ea, quæ in partu & fœtibus mirabilia, atque extra communem naturæ ordinem eveniunt, iterùm sumus devoluti, præstat & de gravidarum enixarumque admirandis eventibus rara aliqua attingere, ut naturæ potentia magis elucescat, illiusque magnitudo quàm latè pateat, ad stuporem usque mirari liceat: nam cùm ejus vis & majestas in omnibus momentis fide careat, si quis vel totam, vel partes ejus animo contempletur; circa hominis generationem

nem præcipuè, gravidationem, & partum majora opera moliri consuevit, ut hominem, quem inprimis sibi deliciosum, & operum suorum admiratorem maximum obtinuit, statim ab ortu miraculis impleat, ac vitam velut à prodigiis aliquando auspicetur, cùm rudem & debitæ perfectionis terminum nondum æquantem, à sinu suo egressum servet, à vulvaque citius quàm par erat exeuntibus optimæ parentis vices suppleat, & quos intrà non potuit, extrà foveat, recreet, ac perficiat.

1.

Parturitionis itaque legitimum tempus nemini non notum: Hippocrates *lib. de alimento*, 9. & 10. mensium definivit, & ad 11. usque *lib. de sept. partu* extendit. Addit tamen non hoc idem esse in omnibus, sed aliàs ocyùs, aliàs seriùs; innuit verò, nec multò ocyus nec multò seriùs, sed intra illud tempus, paulò magis, aut minus hominem ab utero excludi debere: quamvis enim frequentissima periodus humani partûs 9. & 10. mensium sit, ut præter medicos tradunt Aristoteles 7. *de hist. animal. cap.* 4. Plinius *lib.* 7. *cap.* 5. leguntur tamen aliqui undecimestres, duodecimestres, tredecimestres; etiam quadrecimestes, ac quod mirabilius est & planè rarum, sedecimestres; nam & præter medicos undecimestrem à se visum scribit S. Thomas *opusc.* 28. *art.* 4. *sub finem*, multaque pro hujus mensis vitalitate traduntur apud Moxium *lib.* 3. *de venæ sect. in morb. acut. cap.* 5 De duodecimestri & quatuordecimestri, præter exempla à *Schenckio* adducta, alia profert Delrius *in advers. ad Senecæ Thebaidem versu* 355. de quibus etiam, ac cæterarum periodorum partubus plura collegit Pineda *lib.* 1. *de Salom. cap.* 10. Et sicuti hæ prorogationes inveniuntur ordinarii termini, quo fœtus commorari solent in utero, ita quamvis septimestre soleat esse ordinaria vitalium fœtuum periodus versus imum, adeò ut fœtus anterius editi non soleant esse maturi, atque vitales; tamen non desunt, qui præter eas regulas nati, sive posteriùs sive anteriùs, vitales fuisse perhibeantur: ex frequenti quippe eventu accipere licet, quæ de 7. 9. ac 10. mensibus communissima est periodicatio, cum sæpius quàm latè pateat nascendi terminus rarissimis aliis exemplis observatum sit, & sanè mirandis, si illorum, qui longius in utero moram fecerunt, & serius nimis in lucem exierunt, historias adnotare velimus. Parum est, quòd ab 11. ad 20. seriatim per menses ascendendo, & ulterius nascendi tempus in aliquibus protractum fuisse adnotarum sit; sed omnem fidem superat quòd biennio, triennio, & adhuc quadriennio in materno utero aliqui commorati fuerint, ac postea vitales exierint, ut pluribus adduxit *Schenckius*, qui ex Mercuriali *cons.* 85. hoc ultimum de quadriennio affert, ac verum fuisse testatur; quem tamen casum non rarò miratus sum, quòd ubicumque acciderit, ab aliis enarratum non fuerit: digna certè res, ut ob ingentem, quam continet admirationem, in plurimorum scriptis legeretur! Quæ verò causa sit cur fœtus aliquando tamdiu in utero gestetur (si verum fuit quod de aliquibus narratur, qui ad secundum, tertium, & quartum annum gestati sunt, & vitales editi) plurimæ sanè assignari possunt; alimenti scilicèt copia, & ubertas in utero non deficiens; deinde frigidior fœtûs natura, quæ ventilatione ab aëre externo minus indigeat; ejusdem quoque imbecillitas ad calcitrandum, ob quam se volvere, & ligamenta membranasque quibus involvitur rumpere non possit; uteri etiam sensus hebes ad gravamen ponderis sentiendum, expultricis imbecillitas, & retentricis robur, ac tandem ejusdem uteri capacitas ad grandiorem fœtum gestandum; hæc certè facere possunt, ut ultrà legitimum tempus partus extendatur, & si quid aliud in penu suo natura reservat, ut in tempore mirifica ostendat opera, absque dubio non minora, quàm ea, quæ in ocyssimis, & ante exactam fœtûs maturationem in illius exclusione aliquando ostentat. Raritatem siquidem omnem tollit 7. mensis partûs frequentia, quantumvis à 9. & 10. inferiùs multò subsistat: quippe illo termino prodeuntes vitales plerumque esse nemo ignorat, infra quem superstites esse posse *Aristoteles* & *Plinius* supra citati planè negârunt; siquidem 7. completo cum fœtus omnibus suis partibus integer & perfectus existat, majori ex parte propterea vitalem nasci consequens erat.

2. 3. 4.

...tus qui... de cau... diu in u... o perma... re possit.

Sed quòd aliqui, qui hoc tempus antevertendo citius exierunt, in vivis manere potuerint, utpote in quo ad illam maturitatem & perfectionem nondum pervenire potuissent, quæ ad sustinendos partûs labores, & externi aëris, alimentique mutationis injuriam requirebatur, meritò ut rarum accipiendum: vixisse

5.

 tamen

tamen non paucos ex multorum relationibus constat, & præter Avicennam 9. *de animal. ult.* hoc testantur Conciliator, Nicol. Florentinus, & Cardanus *contrad.* 8. *lib.* 1. *tract.* 3. & alium Anconæ sic natum scribit Claudius Giardinus *lib. de partu dierum* 171. qui etiam in vivis mansit. Rarum hoc, sed multò magis quòd 5. mense editi vitales exstiterint, quod in multò pluribus, quàm in 6. mense natis observatum est; testatur hoc Montuus *in anasceve lib.* 4. *cap.* 41. ubi ait agnovisse pincernam Christianissimi Regis Henrici, qui mense 5. natus est. Tres alios refert *Cardanus* citat. & ejusdem temporis alios Valentiæ, & Matriti natos affirmant Ferdinandus Mena *ad cap.* 4. *de sep. partu*, Vallesius *de phil. sacra cap.* 18. viderunt similes casus Joannes Alonso de Fontecha *lumin.* 2. *fol.* 540. *&* 546. & præter medicos idem tradit *D. Franc. Torreblanca Villalp.* Jurisperitus insignis *in epit. delictor. lib.* 2. *cap.* 43. qui ut certum asserit, Comitissam de Pradas filiam peperisse 5. mense vitalem, & Marchionam de Comares eodem mense natam ex constantissimâ famâ tradit, quod Comitissæ de Triultiis & aliis nobilissimis & delicatissimis fœminis accidisse enarratur; quæ omnia vera esse confirmat Augenius *lib. de hominis partu, & tom.* 2. *epist. lib.* 6. *epist. ult.* qui eventus cùm toties fuerit animadversus, in pluribus aliis accidisse putandus est, nec enim omnes casus illorum qui sic nati sunt, & superstites evaserunt, in medicorum libris sunt adnotati; tam multi enim observati sunt, ut nemo jam impossibilitatem arguere debeat, & contrà toties visam experientiam contendere, cùm ut verum ac certissimum plurimi affirment, ut præter adductos tenent Lemosius *lib.* 3. *de nat. facult. cap.* 3. Mercatus 4. *de affect. mul. cap.* 1. Schenckius *lib.* 4. Valeriola 3. *enarrat. cap.* 7. Ferdinand. Bonaventura *tract. de octimest. lib.* 1. *cap.* 6. *& lib.* 2. *ferè per totum*, quidquid impossibile esse reclamet Socinus sen. jurisconsf. *L. cum avos. D. de condit. & monstr. num.* 100. cùm experientia, multorum authoritate confirmante, hoc sæpius ostenderit, quam licet rarissimam, tamen veram fuisse diffiteri non possumus. Verum quidem est quòd aliquando matres in computatione errent, & ob mensium defectum hallucinentur; sed tamen plurimos ex prædictis fœtibus cum tam parva in utero mora in lucem venisse, ex illorum tenuitate & debilitate certissimè cognosci potuit, qui vix quidem vagitum edere poterant, nec lac sugere, nisi instrumento aliquo paulisper instillaretur; quos tandem ut servarentur, & ab injuriis externis defenderentur, mollibus ex tenui lana aut gossipio culcitris continere, & summâ diligentiâ custodire opus fuit; ampliusque ex matrum pudicarum relatione, & à congressûs tempore factâ supputatione, non ultra 5. mensem in utero mansisse compertum est.

6. Fuerunt itaque hæ quomodocumque raræ, & admirandæ parturitiones, quæ aborsum mentitæ, superstites & vitales fœtus ediderunt: ecquid repugnare libet, & tam extrà naturæ vires hæc suscipere, ut impossibile judicetur 5. mense natos vitales aliquando evadere potuisse? quid si 4. mense nati ac superstitis exemplum afferamus authoris certè minimè fabulosi? hoc prætermisit *Schenckius*, aut ad illius manus non pervenerunt *Petri de Peramato* scripta cum aliis doctissimorum meritò conferenda; hic igitur peritissimus Ducis Metinæ medicus *lib. de hominis procreatione cap.* 8. ubi puellam aliam in oppido Guadalupe 5. mense natam tradit, subjungit mox historiam alteram, quæ omnem excedit admirationem de puella 4. aut 5. die post 4. mensem exactum ex pudicissima, & Christiana fœmina natam: hæc enim cum 19. Februarii concepisset, 12. Junii animi recreandi causâ dum lecticâ veheretur, mulus furiâ percitus crebris ictibus calcitrando lecticam admodum concussit, ac inde multum jactatus tantis incursibus exagitavit, ut in ventre fœmina non leviter læderetur; ex qua animi turbatione post magnum lumborum dolorem uteri hæmorrhagia secuta est, quam aborsus circa 7. matutinam excepit, corporis cujusdam rotundi, figurâ planè sphæricâ, & humani capitis magnitudinem æquantis, quod linteo involutum sub lecto cubiculari tanquam quid inutile reposuerunt, donec matri consultum foret; quo peracto, membranam forcipe exscindunt, quæ crassa admodum extima, intimâ majus aliquid servare videbatur, curiositate ad hoc ductis mulieribus potius, quàm aliquid utile sperantibus. Igitur ulterius incisione factâ apparet mox puella longitudine decem, aut octo digitorum, tam gracilis, & immaturo temporis exitu, à perfectâ fœtûs humani firmitudine adeò distans, ut in singula momenta spiritum trahere non posse videretur; quam tamen a vorum,

rum & parentum summâ sedulitate servatam fuisse ait, nil non ministrante charitate, atque in primis duobus diebus lacte infundibulo immisso, tertio jam sugere cœpit, ac tandem vitalis extitit. Mitto plurima, quæ de puellæ teneritudine, cutis tenuitate, raritate, aliisque supervenientibus morbis ipse ad extensum narrat, quæ nutricibus longum fastidium attulerunt; quæ tamen omnia pius parentum amor & diligentia vicit, ut talem vitalis fœtûs tertio aut quarto die, post 4. à conceptu mensem editi admirationem ætas nostra inter inaudita naturæ opera referre potuisset: parùm quippe hæc distant ab illis, quæ circà finalem judicii diem ventura Esdras *lib.* 4. *cap.* 6. prædixit: *Anniculi infantes loquentur vocibus suis, & prægnantes immaturos parient, trium & quatuor mensium, & vivent, & suscitabuntur.* Quæ forsan quinquemestrem vitalem esse posse indicant, sed quarto mense natum vitalem evenisse, præter *Peramatum* nullus author vidit aut scripsit, cùm adhuc septimo natos vitales esse magnum reputet Hippocrates *lib. de carnibus*, inexpertis præsertim, & qui naturæ vires non agnoscunt; verùm quinto, & adhuc quarto natos vitales esse omnem superat admirationem, & tamen negari non debet, nec authorum fides facilè negligi, cùm ex ipsa infantis parvitate, debilitate, matrum relatione, pudicarum præcipuè, hoc verum esse comprobetur, quarum honestatem & virtutem constans opinio defendit ac protegit, quas temerè inficiari aliquis tentaverit; aliter multò ac de Livia judicatum est, hæc enim impudicitiæ notâ satis cognita, cùm jam gravida Augusto nupsisset, intra 3. mensem peperit, unde proverbio dictum: *Felicibus sunt & trimestres liberi.* aut ut alii: *Potentibus sunt mensium & partus trium;* hoc enim jure omnes impossibile credere debuerunt, quin & Liviæ fama, morumque corruptio, omnem dubitandi ansam sustulit; quod nullo modo de fœminis honestis ac integræ famæ dicere fas est.

7.

8. ...tum ... caus... ...cipare ...ant.

Igitur quemadmodum suprà de causis partum ultrà consuetum tempus postponentibus dicebamus, ita contrariæ prorsus illorum qui anticipant statuendæ sunt, alimenti scilicèt inopia, ut 4. *de gen. animal. cap.* 6. docet *Arist.* cùm ad fœtûs nutritionem non sufficit, quare foras exire cogitur: secundò validior & calidior pueri natura, qui respiratione indigeat. Tertiò ejusdem robur ad calcitrandum. Quartò sensûs acumen in utero, unde ex quavis molestia irritatur ad expellendum. Quintò retentricis imbecillitas, & expultricis robur; quibus etiam addenda uteri ante legitimum tempus repletio, ob fœtûs magnitudinem, & capacitatis ipsius uteri angustiam, præter externas, quarum ingens est numerus. Ex quibus liquidò cognoscitur quàm benè veteres statuerint homini nullum certum esse nascendi tempus, aut determinatum, ut 1. *de gen. animal. cap.* 6. scripsit *Aristoteles*; in reliquis enim animalibus unum ait esse parturiendi tempus, in homine multiplex ac varium, quod *Plinius* quoque adnotavit cap. 5. lib. 7. *Cæteris animantibus* (inquit) *statutum pariendi, & partûs gerendi tempus est, homo toto anno, & incerto gignitur spatio.* ut latius probant *Amatus, Ioubertus, Mercurialis, Laurentius, Augenius*, & *Castrensis*, citati apud Zachiam *lib.* 1. *titul.* 2. *quæst.* 2. cujus varietatis humani partûs quatuor causas assignat Doctiss. Mercurialis *libello de hom. generat. cap.* 29. & Laurentius *lib.* 2. *anat. cap.* 38. quidquid reclamet Moxius *lib.* 3. *cap.* 4. & ad divinam providentiam hoc referat, cùm causas ab illis authoribus traditas in aliis quoque animalibus dari posse contendat; & certè ingentes diversitates tam in plantis quàm in animalibus accidere dubium non est, sed in homine multò magis, in cujus generatione & partu admirandæ sunt varietates, quas natura exequitur; harum verò causas tradunt authores frequentem hominis concubitum non solùm toto anno, sed toto gestationis tempore, & mille alias, quæ ex animi passionibus, ira, timore, & appetitus desideriis oriuntur, quæ corpus turbant, humores agitant, & fœtus immutant atque corrumpunt, sicuti externæ aliæ innumeræ occasiones, ob quas mulieres sæpius abortiuntur, cùm illas vitare non possint aut aliter minus cautè illis se exponant, à quibus bruta singulari naturæ instinctu diligentius abstinent, ut fœtus suos ab injuriis defendant, ac servent. Sed inter causas diversitatis humani partus nullam potiorem judico quàm complexionum & seminum diversitatem, quæ in humana specie latius quàm in aliis animantibus patet; hinc illa exoritur dissimilitudo (si imaginationis vim excipiamus) quæ in hominibus quàm in brutis longè magis conspicua est; hinc aborsus qui in quibusdam fœminis 3. 4. 5. aut 6. mense certo ordine non rarò conspiciuntur, ut ad perfectam maturationem fœtus suos perducere non possint; sunt quippe

9. ...scendi ...pus ...are in ...nine ad ...varium. reliquis ...malib. ...n ita.

10.

non paucæ, quibus veluti in determinato temporis spatio aborsus contingit; hinc aliæ semper mares, aliæ non nisi fœminas concipiunt, aliæ non nisi septimestres pariunt, aliæ nonum & adhuc decimum transcendunt. Hinc etiam puto provenire quòd pueri 7. aut 9. annorum generare potuerint. Craterus Antigoni Regis frater, ut de eo Phlegon *de mirabilib.* scribit novisse hominem, qui septennii spatio puer fuit, adolescens, vir, ac senex; uxorem duxerit, & progeneratâ prole obierit. Torquemada *dialog.* 1. puerum refert non solum barbâ & dentibus natum, sed etiam in ætate 10. annorum generâsse ait: de alio 10. annorum, qui nutricem imprægnavit, audivisse affirmat *D. Hieronymus*, & ex eo Cælius *lect. ant. lib.* 14. *cap.* 8. & Glossa *jurisp. summa* 20. *quæst.* 1. & Salomonem anno 11. filium propagâsse scribit Marcel. Donatus *lib.* 4. *cap.* 14. ex Hostiensi Jurisp. *in summa de pœnit. & remissionibus.*

Admodum cita generatio in multis visa.

Similiter in fœmineo sexu visum, puellas 7. 8. & 9. annorum concepisse tradit *Schenckius* ex *Forolíviensi*, *Jacobo de Partibus*, *Savanarola*, *Sylvio*, *Paræo*, & aliis, & præter medicos affirmant Abbas *super decret.* Glossa *in summa* 20. *q.* Spondanus *in auctario chronologiæ ad annales Baronii anno* 1277. Albertus Magnus *lib.* 18. *tract.* 2. *c.* 2. Genebrardus, ex quo Majolus *colloq.* 4. Torreblanca *lib.* 2. *magiæ operatricis cap.* 18. Joannes de Columna *in lib. Mater historiarum*; ac novissimè alias historias addiderunt Zacchias *lib.* 1. *quæst. med. legalium titul.* 1. *quæst.* 4. Dilectus Lusitanus *art.* 2. *cap.* 2. *de venæ sect.* cujus eventûs cùm tot ac tanti sint authores, non est cur fabulosum putet Mercurialis *lib.* 1. *de morb. mul. cap.* 2. aut ad medicos, & philosophos nondum pervenisse, ad quod etiam credendum difficilè accedit Cardanus *in com. ad lib. de sept. partu text. penultimo*, ubi ait nunquam legisse, aut audivisse fœminam 12. annorum gravidam factam fuisse, cùm tamen 7. & 8. annorum, quæ impraegnatæ sunt non paucas citati tradant authores; quod tam longè ab impossibilitate abest, ut etiam scribat Joubertus *lib.* 2. *de errorib. popul. cap.* 2. plurimas annorum 9. & 10. forè concepturas si viro uterentur.

11.

12. *Sera generatio in aliquibus visa.*

Sed inter admiranda, & minimè vulgaria naturæ opera, hæ impraegnationes & conceptiones meritò reponi debent, non minus quàm illorum, qui longam jam annorum seriem numerantes generare vel concipere visi sunt, de quibus Plinius *lib.* 7. *cap.* 14. & Sabellicus *lib.* 3. Plures compilavit Schenckius *lib.* 4. duas tantùm ab ipso prætermissas addam, unam ex Felice Platero *lib.* 1. *obs. titul. de vitalis motus defectu pag.* 233. & 275. de avo suo materno, qui post 100. annos uxorem duxit 30. annorum, ex qua filium genuit, cujus nuptiis 20. annis post 100. interfuit. Alteram quam ex *Myretio* refert Montuus *in anasceve parte* 4. *cap.* 33. de muliere, quæ anno ætatis 80. concepit. De alia etiam quæ septuagenaria, ac vidua ab adultero impraegnata fuit, historiam affert Philippus Salmuthius *centur.* 3. *observ.* 59.

13.

Hæc itaque omnia, & multò plura complexionum & seminum diversitas causare valet; quæ licèt legislatores adverterint, tamen ante 7. & post 10. mensem nascentes ad legitimam hæreditatem admitti noluerunt, cùm tamen rigorosum videtur insontem; vel ob productum à natura nascendi communem terminum, vel ob celerem illius motum bonorum possessione privare, quòd statutum nascendi tempus non servaverit, quasi in illius potestate fuisset terminum vel antevertere, aut postponere: cùm præsertim, ut antea ex *Aristotele* & *Plinio* dicebamus, homini nullum sit certum nascendi tempus. Sed hæc parvifacienda esse non ineptè judicârunt, nulloque modo prædictos ad hæreditatem admittendos voluerunt, ne ex ancipitibus & rarò contingentibus communis lex foret. Quare *Vlpianus* licèt 11. mensium partum benè concesserit, ad hæreditatem admittendum non censuit, ne aliquando defuncto marito licentiosa mulier efficeretur, & talem partum objiceret, ut ex nostris tradunt Lemosius 3. *de facultat.* & Augenius *cap.* 25. *de hominis partu*, quod multò facilius in quinquemestribus & semestribus argui poterat; quæ fraudes ut vitarentur optimè consultum fuisse apparet, ne rara illa, suspicione semper incerta, pro fidis & indubitatis recipere cogerentur, quamvis in aliquem manaret injuria, citrà quam leges aliquando proferri non possunt, ut sub Cassii persona solertissimus dicebat *Tacitus* lib. 3. annal. *In omni lege* (inquit) *oportet ut fiat aliquibus injuria: nam legi ipsi sufficit, ut multitudini ex ea benè consulatur.* Cui adstipulatur Aristoteles 5. *eth. cap.* 10. in his enim, quæ ad leges spectant,

rari eventus sedulò explorandi, & plerumque contemnendi, quia communem regulam stabilire non possunt, imò contrà eam pugnant, cum non rarò fraude & dolo procurari possint.

14. Octimestres quare vitales non sint.

Sed in brevi hoc antevertentium partuum epilogo, paucula de octimestri addere haud puto erit incongruum, circa quem in invenienda causa, quare prædicto mense nati vitales non sint, medici multùm desudârunt; & meritò sanè, cùm dubitandi maximam occasionem præbeant septimestres, quos plerumque vitales esse conspicimus, & ex ipsa temporis & moræ in utero ratione consequens videbatur, ut octimestres potiori jure vitales essent, ac multò facilius quàm septimestres evadere deberent, cùm majorem perfectionem ob longiorem moram in utero consequantur: sed tamen cùm econtrà accidat, in reddenda causa meritò quamplurimi elaborârunt, nec aliquid adhuc inventum est, quod dubitantium animis in hac difficultate quietem aliquam afferre potuerit. Hanc igitur aliqui cum astrologis ab astris suspenderunt, Saturnumque hujus delicti authorem statuunt, malignioris naturæ inter planetas sidus, ac homini inprimis malevolum; hoc in omnium prima generatione assistere fingunt, aliis sex in singulo mense mox succedentibus usque ad septimum, unde in octavo Saturnum iterum dominium accipere ajunt; quare si completo 7. puer nascatur absolutâ jam planetarum periodo, vitalem esse dicunt; quòd si hoc non assequatur, atque ob debilitatem in octavo egrediatur, Saturni tum maleficam vim iterum experiendo concidere, utpote quòd illius calorem minuat, ac vitæ insidietur; quare superstitem esse non posse tradunt. Sed hæc astrologorum deliria nullus medicorum recepit, nisi fortè illorum figmentis aliquis implicitus & addictus, quemadmodum *Conciliator*, qui hujusmodi multa credere & scribere nunquam abhorruit.

Opinio astrologorum de causa cur octimestres vitales non sint.

Sed ne in referendis multorum opinionibus nimium immoremur, sciendum est potissimam medicorum partem hujus eventûs causam ab *Hippocrate* assignatam *lib. de octim. partu*, ut certiorem & veriorem accipere, dupliciter illius mentem interpretantes & intelligentes, vel quòd fœtus in octavo mense affligatur & ægrotet, cui labori si succedat etiam partûs labor, fœtum ex necessitate perire: pati verò & laborare infantem in 8. mense inde colligi docent, quòd matres eodem mense multùm fatigentur, unde infantes ex matrum afflictione etiam compatiantur & ægrotent; vel quia 7. mense infans ut jam omnibus suis membris perfectus & absolutus, abundantiori alimento & aëre indigens, exitum affectet, & fortius calcitrando laboret, unde præ lassitudine ægrotat: ex quo aliter reddendæ causæ rationem colligunt, ajuntque quòd si puer eo tempore nascatur, puta in 7. cùm egredi primùm conatur, benè quidem se res habet, & vivit; sin minus exire non possit, necessariò ex labore & exeundi conatu per plures dies ægrotare affirmant, puta toto mense 8. quo ut ex anteacto labore reparetur, & vires resumat, indigere ajunt cum *Hippocrate*, qui ad hoc 40. dies exposcit; aliter si medio hoc tempore nascatur, utrumque enim laborem tunc ferre haud sufficientem (scilicèt anteactam lassitudinem ex labore in 7. peracto, à quo nondum vires resumpserat, & illum quem ex partu sustinere necessarium fuit) & ex omnibus istis enervatum ac debiliorem redditum, ubi in lucem venerit, facilè perire ajunt, atque incassùm nasci; quod adeò frequens est ut propterea Hippocrates *lib. de alimento*, quamvis ænigmaticè de partu 240. dierum, qualis octimestris est, dixerit: *Est & non est octimestris partus* quia; quamvis nascatur puer, inter mortuos reputatur, cùm non vivat, aut statim defecturus sit.

Hipp. opinio communiter recepta.

Verùm hanc *Hippocratis* causam, quam cæteris omnibus anteponunt *Avicenna*, *Apponensis*, & plures alii medici, & ex Juristis approbant Tiraquellus *L. si unquam C. de revocat. don.* Glossa *suscip. lib. sub. num.* 205. Socin. *cons.* 35. Clarus *lib.* 3. Brus. *cons.* 63. refutant Peramatus *lib. de hominis procreat. cap.* 12. Paul. Zacchias *lib.* 1. *quæst. medico-legal. titu.* 2. *quæst.* 4. multis in medium rationibus adductis, quæ convincere videntur, quæ apud ipsos videri possunt. Quare idem *Peramatus* aliam exhibet ex seminum natura & differentia desumptam, nimirum quòd semen aliud sit septimestre, aliud nonimestre, aut decimestre, id est, talis naturæ & constitutionis ut septimo mense maturescat, sicuti aliud nono, aut decimo, nullumque ait esse semen, quod octavo ad maturitatem perveniat, atque in illo perficiatur; quare qui octavo nascuntur, aut 7. postponere, aut 9. anticipare, ideoque ait octimestres non posse esse vitales cùm extrà naturalem terminum producantur: quod ex eodem

Opinio Peramati.

Hip-

Hippocrate probari videtur *lib. de alimento*, ubi varia conformationis tempora declarans, motionis, & perfectionis, nullum 8. mense ad perfectionem venire docuit; nam calidiores & qui citius moventur, 35. diebus formantur, in 70. moventur, & in 210. nascuntur, in fine scilicèt 7. mensis: qui verò 40. diebus formantur, 80. moventur, & in 240. nascuntur, videlicèt ad initium noni mensis. Tandem qui 45. formantur, in 90. moveri incipiunt, & ad 270. prodeunt in lucem, quod decimi initium est; unde patet secundùm motus seminum diversorum, nullius maturitatem in octavum mensem incidere, aut in eo perfectionem acquirere: quare hic mensis tanquam à natura minimè decretorius, imò præternaturalis habendus, & naturæ dispositionibus adversus, cùm nihil ad illius opera conferat; ideoque eos, qui in illo nascuntur, infelices & morti damnatos esse, ex ipsius naturæ legibus constat.

Opinio Pauli Zacchiæ.

Tandem *Paulus Zacchias* in alium sensum fertur loco suprà citat. tenetque ideò septimestres vitales esse, minimè verò octimestres, quia cùm septimestris debilior sit, & ferendis internis externisque injuris minùs aptior quàm octimestres sunt, à minori causa læditur, ideò cùm ab hac minus offendatur, plerumque superstitem evadere; econtrà cùm robustior sit octimestris, non nisi à validiori causa offendi, quare cùm majorem læsionem accipiat, hinc est quòd concidat, ac vincatur. Sed hæc ratio Sennerto *lib.* 4. jam suprà citato minimè placuit; & meritò quidem, quia in omnibus eandem lædentis causæ vim concedere ad libitum dici videtur, sicuti etiam resistendi vim, cùm aliquando in septimestri aliquo robustiori major esse possit quàm in octimestri, quare nec mihi satisfacit. Prædictus itaque *Sennertus* cùm nullam hujus effectus sufficientem causam in his inferioribus inveniri posse speraret, rursus ad astra cum astrologis confugit, sed aliâ ratione ab illorum influxu & aspectibus hanc jacturam deducere conatur; quæ omnia ad longum transcribere non vacat; sufficiat nobis multorum opiniones adduxisse, ut tandem ex his, quæ nostro judicio congruentior videatur, eligi possit ac declarari.

Rejicitur.

Opinio Peramati tanquam verior recipitur.

15.

Salvo igitur doctiorum judicio *Petri de Peramati* ratio, quam de causa quare octimestres non vivant nobis inculcat, mihi inter alias optima & congruentior videtur, si dicamus non solùm ex vi seminis, & illius diversitate sic accidere ut octimestres vitales non sint, sed ex naturæ quoque ordinatione, quæ tempora partûs humani 7. 9. & 10. constituit vitalia, ita ut qui extra hoc tempus ab utero exeunt præter illius intentionem nasci asseverandum sit, atque ideò non vivere. Cur verò 7. & 9. mensem tanquam naturalia spatia natura constituerit, respondet Bonaventura *lib. de octimestri partu cap.* 14. & Aphrodis 2. *proble.* 48. septimum nempè secundum naturam esse respectu nobilitatis formæ, & temperamenti, tum ratione ipsius perfectionis fœtûs; nonum verò & decimum naturalia esse ratione magnitudinis, & perfectionis; septimestrem verò ab utriusq; perfectione deficere: qui ergò partus in octavo editur, vel edi debebat in 7. & præ debilitate non potuit, & sic retardavit exitum, quare eâdem debilitate affectus nascitur, & inter nascendum ex eadem magis laborat, unde facilè interit; vel tandem debebat nasci in 9. aut 10. & à causa aliqua morbifica, & præternaturali stimulatus foras extruditur, ac sic vitalis non est, nec esse potest, quia ante tempus nascitur, aut tempus postponit à natura statutum; sunt quippe illius motus definiti & ordinati, ut in opere *de diebus criticis*, & alibi sæpiùs *Galenus* & *Hippocrates* inculcârunt. Sic enim Deus omnia in numero & mensura disposuit, & circa partus omnium animantium secundùm illorum naturam & diversitatem, prout ad perfectionem necessarium fuit, terminos adæquavit; extrà quos non ex naturæ dispensatione, sed ex causa accidentali, & naturæ ordinem perturbante accidunt motus, qui debita tempora non servant, ac propterea stabiles esse non possunt. Quæ quidem licèt vera sint, & communiter sic evenire videamus, raros tamen casus aliquando contingere nil inconvenit; illos enim semper excipimus, & excipere cogimur, licèt causam particularem sæpius non assequamur.

Historiam de mortuo in ventre fœtu, quam ultimò promisimus, nisi ocularem testem, & authorem fide dignum habuisset, sanè referre dubitarem, cùm præ raritate adeò incredibilis appareat, ut de superstitione suspicionem ingerere videatur; quæ certè si defuit, inter majora prodigia, quæ citrà fœtûs scheleton ab utero ejectum natura aliquando ministravit, meritò reponi debet, cùm similis alterius nullum exemplum aliquis attulerit. Nam licèt apud Philippum Salmthium *cent.* 3. *observ.* 94. de

de infante per os excluso historia proponatur, legenti multùm à nostro casu differre constabit, cum nos hîc de fœtu in utero formato loquamur, ille de turpissimo quodam fellatore, qui simplicissimam uxorem per os & fauces inibat, unde in ventriculo, aut partibus vicinis fœtum illum concretum & conformatum fuisse autumat: sed ego totam historiam fabulosam judico non minus quod quàm de viperæ conceptu per os tradiderunt *Herodotus, Plinius, Symposius* & *Albertus*. Legimus sanè apud Schenckium *lib.* 4. & alios, ex diversis authoribus admirandas historias fœtuum, qui in utero mortui frustulatim exclusi sunt, per anum, per ventris, & abdominis apostemata, fistulas, & uteri timores, item per earundem partium vulnera, ut multis exemplis ostendit Michaël Doringius *epist. de hernia uterina & partu Cæsareo*, *ad Guilliel. Fab. Hildanum*, quæ apud eundem Hildanum *ad calcem cent.* 3. præfixa est: sed hæc, quam modò adferemus, omnem naturæ conatum, & omnem admirationem superat. Joan. Alonso de Fontecha *in lum. 2. fol. mihi* 243. ex *Bernardino Montaña* in declaratione somnii Marchionis de Mondexar scribit, uxorem cujusdam servi ipsius Marchionis, post convalescentiam gravioris cujusdam morbi, tantam carnis & ossium quantitatem per os deposuisse, ut integram humani fœtûs consfabricationem æquarent; & hominis sive fœtûs absque dubio fuisse ait in utero geniti, cùm ipsa antè morbum gravida esset, nec per consuetam aut aliam viam conceptum aliàs emiserit. Per quas autem vias ab utero ad os caro & ossa illa ferri potuissent, cùm nulla pateat, existimat ipse per venas uteri ad venam cavam ascendisse, inde ad ventriculum descendisse; res quidem nostro auditui satis admiranda, & quæ vix fidem meretur, nisi ipse *Montaña*, oculis suis vidisse testaretur. Itaque de naturæ majestate & potentia hoc & adhuc majora credere possumus, cùm tanta illius sit solertia, ut per media ossa pus conferat, ut 7. *aph.* 54. Galenus admiratur; quare & ossa carnemque per venas ducere potuisse, cur non concedamus? cùm plumbeos globulos, cultellos, ensium frusta, & alia multa per ignotas vias, & sibi ipsi solùm cognitas sæpius extrà corpus transmisisse visum fuerit, de quibus raræ historiæ & exempla post subsequentem *quæstionem* adducentur.

QVÆSTIO NONAGESIMAPRIMA.

De puella ano clauso nata: cui similes quamplurimæ aliæ historiæ annectuntur. Tria problemata circà hanc rem proponuntur, & explicantur.

ANno 35. suprà millesimum sexcentesimum puellam vidi, ex humilioribus parentibus Carmonæ propè Hispalim natam; cui natura in conformatione communem viam excrementis crassioribus dicatam interclusit, & durâ membranâ ita obduxit, ut fæcibus per illum locum nullus daretur exitus; dies jam transierant ferè 60. quibus misera infantula conflictata, partem excrementorum ab ipsa natura attenuatam, per vulvam & urinæ vias excernebat. Ab hoc tempore ad ipsam vocatus cum Algesira simul chirurgo dexterrimo, cum anum attrectaremus, licèt crassâ admodum membranâ integeretur, cedere tamen tactui adnotavimus, ut locum intus vacuum, & recto intestino optimè respondentem ostenderet: quare scalpello linteis obvoluto, ac superiori extremaq; tantum parte detectâ, ne ultrà quàm par erat incisio decurreret, & sphinter læderetur, statim prædictam membranam chirurgus abscidit, protinusque excrementa detenta in copia exierunt; ac tandem immissâ plumbeâ fistulâ cerussæ unguento illinitâ, ne iterum vulnus coalesceret, unico die parentibus sanam reddidimus, ano optimè deinceps suo officio utente: quam 10. post annos pulchram & satis valentem vidi.

Hunc casum ad monstrosos pertinere non est dubium, cum errorem facultatis formatricis ostendat, quæ viam, quæ naturaliter aperta esse debebat, clausit; qui quidem error contingit ob materiæ redundantiam, aut ineptitudinem, vel motum illius inordinatum ex aliqua intrinseca causa; & quatenus ad morbi rationem, nulli dubium est, quòd instrumentalis sit, & morbus in via, cum manifestam satis intercludat, actionemque facultatis expultricis omninò impediat, ac excrementorum exitum tollat: vitium sanè in genere simile illi, quod mulieribus imper-

imperforatis accidit, quæ clausæ, imperforatæ, atretæ aliàs dicuntur; dura siquidem membrana, quo minùs debitè penis in pudendum immitti possit, impedimento est, ad quos etiam morbos pertinet urinalis meatus clausura, quo etiam imperforato aliqui nati sunt, ut apud *Schenckium* videre est, & apud Amatum *cent.* 1. *curat.* 23.

3. Et quantumvis ex raro contingentibus primo intuitu videatur, tamen sæpius accidisse ex multorum scriptis constat, qui variis in locis similes infantes ano clauso natos observârunt: atque in primis meminit Aristoteles 4. *de gen. animal.* 4, qui *Epitomenes*, id est, orbatos hos pueros vocat; refertque etiam vaccam Perinthii fuisse, quæ non solùm cum hac imperforatione vixit, verùm etiam quoties à medicamentis aperiebatur, toties iterùm claudebatur. Julius quoque Obsequens *lib. prodigior.* Ser. Flavio, & Q. Calpurnio Coss. Romæ puerum natum scribit, posteriorem naturæ partem solidam habentem; & Serg. Galba, M. Scauro Coss. Nursiæ geminos ait ab ingenua muliere editos, fœminam & marem, illam omnibus suis membris optimè formatam, puerum verò ab anteriori parte alvo apertâ, ut nuda intestina conspicerentur, sed posteriori naturæ parte solidum, qui statim missâ voce spiraverit. Rhodiginus *lib.* 4. *cap.* 9. *lect. antiq.* similem casum in patria sua vidisse ait in puero Ludovici Stellæ, qui dissectâ parte subductâ superstes in posterum fuit. Ita alium sic natum vidit *Argenterius*, cujus meminit *lib.* 2. *de causis morb. cap.* 10. similes etiam observârunt Wierus *in obs. medic. sub finem*, Mercurialis *lib.* 1. *de morb. puerorum cap.* 9. Marcellus Donatus *lib.* 6. *de med. hist. mirab. cap.* 3. Jacob. OEthæus, & Gaspar Bauhinus *in obs. propriis*. Benevenius *de abditis cap.* 30. *&* 86. Schenckius *lib.* 3. *&* 4. *obs. medic.* ubi alios adjungit ex *Tobia Cneulino*, *Cosma Holtzachio*, *Georgio Garnerio*, *Ioanne Iessenio*, & aliis; præter quos etiam ex novissimis authoribus aliæ reperiuntur historiæ, ut ex *Elia Reheboldo* medico Torgensi narrat Sennertus *lib.* 4. *praxis cap.* 1. *in fine*: & Fabricius Hildanus *cent.* 1. *obs.* 73 *&* 75. & *cent.* 6. ultimæ editioni additâ, alterius puellæ podice carentis historiam affert, quam per epistolam *Greg. Horstio* communicavit, & *lib.* 2. *suar. epist. sect.* 20. idem *Horstius* affixit. Tandem Aquapendens *in operib. chirurg. lib.* 1. *cap.* 88. recentes duas alias historias à se visas refert, & ex Arabum familia similes casus leguntur apud Abucasim *lib.* 2. *chirurg. cap.* 76. Haly Abbatem *lib.* 9. *cap.* 6. sicuti apud Nicolum Florent. *serm.* 7. *tract.* 2. *cap.* 37. ut inter monstrosas conformationes, circà quas facultas formatrix errare solet, nulla frequentiùs observata fuerit. Paucis enim abhinc annis in oppidulo Coria juxtà Hispalim infantem alium sic natum fuisse, à viro fide digno accepi: nec etiam illius curatio in aliquibus multum facessit negotium, licèt in aliis impossibilis sit, ut mox dicemus, cùm modo supradicto facilè via aperiatur, ut fæces liberè exire possint; vel enim unicâ scissurâ, vel duplici in crucis modum, ut *Aquapendens* facit, & canulâ plumbeâ immissâ lethargyrii, aut cerussæ unguento illinitâ facilè vulneris labia cicatrisantur, & alvus aperta remanet: sic enim multò faciliùs ac securiùs operatio fit, quàm si digito obstetricis tunica illa rumpatur, ut malè consulit Paulus *lib.* 6. *cap.* 1. & *Albucasis* suprà citat. nisi obducens pellicula adeò sit tenuis, ut facilè digito rumpi possit, & foramen rectè parari.

Dubia tria proponuntur, & explicantur.

4. Dubitari verò potest quare aliqui, qui cum hoc infortunio nati sunt, tam diu vitam protrahere visi sint? ut puella, quam ego aperire feci, quæ jam ad 60. diem pervenerat, & illa de qua Benevenius *obs.* 86. quæ hujusmodi ani clausurâ nata, octavo quoque die excrementa per naturales pudendi vias excernebat, in qua tandem miseria ad 36. annum sic vixisse ait. *Secundò* an verum sit illud, quod docet Paræus *lib.* 16. *cap.* 32. illos qui sic nascuntur non diu esse vivaces, nec quamvis probè aperiantur, à sectione diutius superstites esse? *Tertiò* cur aliqui facilè aperiantur, & optimè postea degant, alii minimè perforari possint, nec ullus remedio detur locus? Ad *Primum* dicimus in aliquibus excrementa esse tenuiora, & humidiora, ita ut à calore aliquantulum magis attenuata à natura, quæ necessitatis tempore summâ industriâ omnia tentat, per intestini recti & vesicæ corpus transcolari possint; ad quod opus maximè adjuvat illarum partium substantia, quæ mollis adhuc est, nec sicuti in grandioribus exsiccata, sed humida ac tenuis ita, ut facilè ab excrementis pervadi possit; quod tamen econtra accidet in illis quorum excrementa sicciora fuerint ac duriora: nec hoc mirum videri debet cùm plurima sint exempla illorum, qui per urinæ vias, & alia loca, per ulcera nempe, vulnera, per umbilicum, & alias partes

fæces

5. fæces dejecerint, ut multi referunt, quorum historias colligunt *Marcellus Donatus* & *Schenckius*, apud quem etiam plurimi leguntur casus illorum qui, per 30. 40. dies, imò per 3. 4. & per 6. menses nil ex alvo reddiderunt, cum solidis alimentis vescerentur: ut jam multo minus mirari liceat hæc infantibus evenire, qui lacte tantum aluntur, cujus fæces & resolvi & attenuari facillimè possunt. Ad *secundum* dicimus, quòd licèt illud quod *Paræus* ait, inferri possit ex naturæ & facultatis formatricis debilitate, quæ debitam conformationem organisationemque in viis naturalibus efformare, aperire, ac demptis impedimentis reserare non potuit, tamen plurimos ab arte adjutos inposterum benè degisse ex historiis patet; unde non semper illud verum esse constat, ano enim instrumento adaperto, & datâ excrementis viâ, plurimos diu vixisse conspectum est, ut puellæ à nobis visæ & aliis accidit. Ad *tertium* solutio etiam facilè patet, cùm ani clausura non uno eodemque modo semper eveniat; siquidem in aliquibus crassa aliqua, vel tenuis membrana, aut cutis ipsa orificium tegit & claudit, nilque ulterius impedimenti aut pravæ conformationis invenitur; quod facilè cognoscitur, digito enim premendo statim membrana aut cutis cedit, ut vacuum intus spatium ostendat: aliquandò verò partis ipsius conformatio & impedimentum multò deterius est, quod dupliciter accidit, uno modo cùm rectum intestinum situm mutat, & directè in anum non terminatur, sed ad fundum vesicæ tendit, ibique finitur; quare excrementa ad partes urinæ feruntur, & per illas exeunt; sic enim puto accidisse illi puellæ, quæ, ut refert Benevenius *cap.* 86. ad 16. annum excrementa ac fæces per naturalia atque urinæ vias evacuavit. Secundò accidit ut carnea quædam substantia, aut crassa aliqua membrana viam fæcum intùs obturet, ut propterea commodè ferro aperiri non possit, cum si eo tempore id tentetur, maxima sphinteris læsio fortè sequeretur; quapropter medici doctissimi à sectione tunc abstinent, ut apud Benevenium *cap.* 30. videri potest. Itaque in primo casu optimè curatio perficitur, & infantes citissimè à tanto malo liberantur; in duobus ultimis possibile non est sanitati illos restituere, nec ferro viam vel aperire, vel malè conformatam perficere, quæ omnia ex citatis authoribus, & ex historiis ab ipsis adductis legenti pronum erit intelligere.

QUÆSTIO NONAGESIMASECUNDA.

Acus imprudenter deglutita, & post mensem per cervicis latus circà aurem exiens. Afferuntur de eadem, & simili materia plurima exempla ab aliis authoribus tradita.

11. Cùm de more ægrotis in visendis occupatus, quadam die circà solis occasum plateam quandam transirem, lanionis uxor me euntem compellavit, ac filiam 15. annorum ostendit, quæ (ut dicebat mater) jam à 24. horis acum deglutiverat; dum enim lintea consueret, acum ori intromiserat, ac eandem, cùm ad sternutandum incitaretur, imprudenter deglutivit, secutis mox in gutture & faucibus punctione & dolore, nec quamvis statim conquisita inveniri potuit; quare consilium petiit, quid in hac re faciendum esset: sed cùm iterùm perscrutando nusquam apparuisset, intùs & extrà oleo amygdalarum dulcium, lacte, & aliis emollientibus, ac dolorem lenientibus ut inungeretur jubeo, ac de cætero mulierem bono animo esse præcipio, quòd non dubitarem ab ipsa natura per vicinum aliquem locum exterius detrudendam fore acum: itaque transactis duobus diebus dolores & punctiones remitti cœperunt, ita ut puella operibus suis occupata nullum laborem ulteriùs sentiret; sed elapso jam mense, cùm eandem plateam transirem, iterùm eadem mulier me vocat, ac magnâ lætitiâ acum mihi ostendit non certè parvam, ferrugine obsitam, quam illâ ipsâ die per cervicis latus circà aurem dextram natura propulerat, apparente siquidem cuspide facilè volcellis extrahi potuit, tenui ac ita parvo relicto foramine, ut oculis vix conspiceretur. Istius historiæ occasione multorum authorum rarissimos casus & observationes hîc afferre decrevimus, hominum in quibus mirabiles acuum, cuspidum, mucronum, cultrorum, telorum, sagittarum, globulorum, ossiculorum intus sumptiones, devorationes, intrusiones, vel aliter

ex vulneribus adactiones, & ab ipsamet natura nullo artis adjumento istorum omnium expulsiones videbuntur, per varia loca distantissima, cæca, occulta, & ipsi soli naturæ cognita.

De acubus, & aciculis intus sumptis, & à natura excretis.

2.

De acubus igitur & aciculis devoratis adjiciamus historias, quas alii tradiderunt, atque inprimis illorum, in quibus per naturales vias natura hujusmodi extranea corpora è corpore extrusit; afferemus deinde alias in quibus per occultos meatus, & incognitas vias eadem ad cutem deduxit, & per eandem expulit. Virginem puellam crinalem acum 4. digitis longam, quam inter dentes dormiendo reliquerat, deglutiisse narrat Alex. Benedictus *de part. corp. humani cap.* 9. quam post 10. menses cum maximo cruciatu per urinæ viam excrevisse ait: alteri quoque virgini idem accidit in gynecæo Ducis Juliacensis, quæ ut refert Langius *tom.* 2. *epist.* 40. dum se ornaret, ab amasio retrò stante perterrita, & ingemiscens, quinque acus, quas ore tenebat, deglutivit, & per urinam absque ulla læsione ejecit. Per alvum duas alias aciculas altera mulier cum fæcibus evacuavit, quas paulò antea devoraverat, ut narrat Wierus *in obs. medicis circa finem.* Benevenius *cap.* 20. *de abditis* mulierem ait æneam acum devorâsse, nullâ statim perceptâ noxâ, sed anno elapso ingentibus ventriculi doloribus premi cœpit, & nil magis quàm de acu oblitam, multis incassum remediis adhibitis, labore & dolore fractam, ad 10. usque annum pervenisse ait, quo tempore acus per ipsum ventriculum foras prominere visa est, eaque extractâ breviter ægra convaluit. Roder. à Castro *lib.* 4. *de morb. mul. cap.* 26. *in scholio* sibi visam tradit aciculam, à puero 6. annorum devoratam, quam per crus post annum 18. cùm jam adolescens 24. annum ageret, natura ejecit; ac tandem similes casus apud *Iulium Cæsarem Glaudinum* leguntur *in suis resp. responsione* 40. qualiter etiam apud Rondoletium *in aquatil lib. cap. de cancro fluviali*; ibi enim scribit cuidam juveni abscessum in brachio factum fuisse, & suppuratum, ex quo cum pure acicula ærugine obducta forciculis educta est; quare unde illic venerit, à multis ait altercatum fuisse, credentibus aliis ægrotantem, dum adhuc puer esset, imprudenter aut non visam acum nec perceptam devorâsse; licèt *Rondoletius* aliter existimaverit puerum petulantem lasciviendo in acum impegisse: cæterùm hoc sine dolore evenire potuisse difficile credi posse videtur, quare aliorum opinio probanda magis, cùm cibis involutam incautè deglutire potuisset. Sed utcumque fuerit, sciendum est, sicuti felicissimo eventu per alvum, urinam, & alia loca cum pauca aut nulla noxa natura hæc deponit, ita non raro in similibus casibus non solùm maximum laborem & periculum adesse, sed etiam non paucos perire, ut multis accidisse advertit Forestus *lib.* 15. *obs.* 23. *in schol.* & 27. non potente scilicèt naturâ commodam ad expellendum viam invenire, aut quòd pungentes isti aculei in partes incidant, in quibus majus damnum subcrescat, unde & mors adveniat.

3.

Globuli plumbei per multum tempus intra corpus gestati.

Similia etiam alia extranea corpora intus derelicta sine aliqua noxa diu intrà corpus gestata sunt, in partibus adhuc præcipuis citrà ullam actionum læsionem, & longissimo postea tempore aut expulsa, aut extracta; aliquando etiam in aliis non nisi post mortem inventa. Sic narrat Fabricius Hildanus *cent.* 2. *obs.* 2. globulum sclopetarium sine ullo damno à quopiam per sex menses gestatum intrà cranium & duram matrem; mortuo tandem ex alio morbo homine, dicto loco inventum fuisse. Bartholomæus Maggius *lib. de vulneribus sclopetorum* globulum vidisse scribit per 30. annorum spatium in corpore gestatum. Alphonsus Ferreus *lib.* 3. *cap.* 5. pilam plumbeam à cujusdam corpore extraxisse ait, qui 20. jam annis illam gestaverat. Sed quemadmodum de plumbeis globulis hoc frequentissimum ac minus mirandum ob rationes, quas infrà dicemus, ita de ferreis sagittis & aliis ejusdem metalli fragmentis magis mirari licet: Zacutus *lib* 1. *praxis mirandæ obs.* 5. quandam meretricem scribit cultello in capite vulneratam, ferrique dimidium intus derelictum fuisse, ac tandem ex vulnere convalescentem per annos 8. absque læsione cultelli partem gestâsse, nullo actionum animadverso defectu; hæc tamen fœmina cùm ex febre in xenodochio obiisset, cadavere ad anatomiam dissecto, tunc ait dimidium cultelli apparuisse inter cranium & duram matrem: rarum sanè dictu, quod in parte principe sine noxa tamdiu permanserit, nam in aliis partibus hoc accidere non adeò inconveniens, ut de alia muliere narrat Nicolus *serm.* 7. *sum.* 2. *tract.* 4 *cap.* 90. cui in ventre sagitta occlusa remansit, ulcere ad cicatricem perducto, quam ait idem in suis dispositionibus nihil mutatam fuisse, nec nocumentum aliquod in operationibus

Sagittæ eodem modo gestatæ & cultelli.

suis

suis habuisse; quemadmodum de alia sagittâ in ventre derelictâ testatur Albucasis *lib. 2. chirug. cap.* 64. & de alia, quæ in ventriculo cujusdam hominis abscondita remansit scribit Gilbert. Angli. *in compendio pag.* 233. de quo ait, sagittam in stomacho gestâsse longo satis tempore, sine ullo dolore, nisi cùm ventriculus impleretur: sed in cerebro vix credi potest, cùm partis præstantia hoc non ferat, ac tantum nocumentum ferre non posse videatur, cùm corpora illa aspera, dura, gravia, pungentia, in quacumque alia parte multò ignobiliori non parvam adhuc afferant molestiam; quibus non obstantibus, etiam in cerebro accidere potuisse minimè impossibile judicandum, atque ideò prædicta tanquam à communi eventu maximè aliena, & raritate admiranda hîc afferuntur & enarrantur. Est siquidem magna naturæ varietas & amplitudo, ut inter tot hominum millia aliquid quod cæteris non correspondeat, aliquando inveniri, licet mirandum, fateri necessarium sit; quandoquidem minùs credibile corde, præcipuâ vitæ officinâ, vulnerato diu aliquid animal superesse posse; sed tamen hoc in cerva observatum testantur Vega 5. *de locis affect. cap.* 1. Jacotius *com. ad coacas Hippoc. pag.* 995. & à Doctore *Victoria* Decano Complutensi in alia cerva visum, ex ipsius relatione tradit Fontecha *lum.* 2. *fol.* 276. Itaque ut hoc de cervis prætermittamus, quos à dictamo herba, quâ pascuntur, tantam utilitatem sibi acquirere ajunt, ut etiam cordis vulnera illorum curet, & sagittas in illo infixas expellat; etiam corde in homine vulnerato, aliquot dies nihilominus vixisse vidit Henricus ab Her *obs.* 11.

4. *[Co]rde [vu]lnerato [a]nimalia [diu] sunt [vi]vere.*

Itaque si ad notabiles illas ferri, mucronum, aut globulorum gestationes animum advertamus, illud ex assuetudine evenire non ineptè putandum, quo fit ut ab illis non lædantur; aliquando etiam loci capacitas in causa est, ut natura commodius illud ferre possit, in quæ loca fortè res illæ incidunt: contingit quippe non rarò ut in aliquam partem ferrum, aut globus se insinuet, ubi minorem noxam causet, licèt juxta partes principes adhæreat, quemadmodum narrant de Trajano quodam Rhodiginus & Procopius *lib. 2. de bello Gothorum*, qui cùm vulnus specillo supra dextrum oculum recepisset, post 5. annum in fronte ipsa prominere, & paulatim summitas apparere cœpit, tametsi gestanti nil unquam negotii aut laboris attulisset. Sed sicuti cum bona fortuna ista aliquando accidunt, ita ex eadem adversa sorte ad alia loca pervadere solent, ubi nec eximi nec inveniri possibile est; quemadmodum de quodam scribit Fabri. Hildanus *cent.* 3. *obs.* 76. qui sclopeti ictu ad coccygem vulneratus, globus in vesicæ cavum penetravit, à quo tandem vulnere curatus 30. posteà anno ex dysuria & urinæ difficultate mortuus, & intra vesicam globulus inventus est, calculosâ satis materiâ obductus: & adhuc notatu dignior fuit casus alius, cujus meminit Solenander *cent.* 5. *consi.* 10. in Barone de Werves, qui cùm globulo sclopeti sub genu vulneratus fuisset, via per quam glans ingressa fuerat satis patebat, sed per quam exiisset, nulla apparebat; quarè sedulò conquisita, nunquam potuit inveniri: interim doloribus & accidentibus aliis æger conficiebatur, ut tandem in cruris gangrænam deveniret, quare ad illius incisionem devenire necessum fuit; dissecto itaque crure pro globulo inveniendo undique fit incisio, ita ut tota caro putrida ab osse separaretur; sed adhuc non invento globulo, finditur os, & intrà illius medullam juxta malleolum reperitur, à parte siquidem altiori propè genu ubi vulneratus est, gravitate suâ & pondere per tibiæ cavitatem, medullam paulatim deprimens, elapsus fuerat, unde tam sæva accidentia & mors secuta est. Itaque quemadmodum in partibus licèt præcipuis aliquam aliquando occupant in qua minus offendunt, & facilius hæc extranea corpora sine noxa gestantur; ita in aliis ignobilioribus alias attingunt, in quibus ingens periculum moliuntur, & maximè lædunt: quod quemadmodum contingens est, ita plerumque communissimum quòd plumbeæ glandes frequentissimè, ac citrà damnum intrà corpus plurimis in locis, carnosis præsertim gestentur, non solùm per plures menses, sed annos, ut propriâ experientiâ in multis observatum est; cujus eventûs causam ex *Averroë* tradit Alph. Ferr. Neapol. *lib.* 3. *cap. ult.* qui ad plumbi temperiem frigidam & siccam, quâ putredini resistit, hoc referre videtur. Paræus *lib.* 10. *cap.* 10. occultam aliquam in plumbo sympathiam, proprietatem, & similitudinem cum corpore humano agnoscit; quod etiam confirmat Joan. Fragoso *in Glos. vulnerum*, & alii ferè omnes: quapropter tanto tempore in corpore citra noxam gestari potest, & ferrum etiam, ut suprà ex *Alph. Ferreo, Barth. Maggio*, & aliis dicebamus. Quod accidit cùm nec ab artifice inveniuntur, nec à natu-

5.

6. *[Pl]umbum [&] ferrum [diu]ture tam[en] sine [noxa] in [cor]pore ge[st]antur.*

ra expelli possunt; ipsa enim semper hoc primum intendit, quod (si potest) per communes vias & patentes ductus facit, ut de quodam narrat Valeriola *lib.* 4. *observ.* 9. qui glande plumbeâ tribus digitis infrà umbilicum vulneratus, paucis post diebus per anum excreta est, nullo in intestinis secuto damno: quòd si per communes vias non potest, alias sibi quærit, ut in illo accidit, de quo scribit Fontecha *lum.* 2. *fol.* 243. qui cùm à sclopeto juxtà aurem dextram ictum accepisset, transactis duobus annis, in quibus ingentibus capitis doloribus vexatus fuit, tandem in inguine ejusdem lateris apparuit tumor, & abscessu suppurato inventa & extracta fuit glans. Hæc enim & majora providæ ac potentis naturæ sunt opera admiranda, quæ ut hominis vitam tueatur rarissima aliquando molitur, ut extraneam qualemcumque substantiam intra corpus quomodocumque susceptam, ac intra corpus detentam, quam resolvere & consumere ob illius duritiem non potest, foris detrudat, per communes si possibile est, aut per occultas vias exitum quærendo; quod aliquando brevi, aliquando longo tempore exequitur.

Iterum de sagittis & aliis ferri fragmentis.

Plura, nec minus admiranda sunt exempla illorum, qui ferreos cuspides & sagittarum discissa fragmenta diu intrà corpus citrà damnum sustinuerunt, ac longissimo postea intervallo à natura expulsa apparuerunt: hoc in primis tanquam admirandum *Hippocrates* vidisse refert 5. *epid. text.* 45. ubi scribit à cujusdam corpore sagittæ ferrum extraxisse, in quo per sex annos delituerat. Alzaravius *in theor. tract.* 16. *cap. unico*, quendam ait post 7. annos ab alvo ejecisse sagittam, quam per dorsum acceperat; similis est historia, quam de rustico circà dorsum sagittâ etiam vulnerato narrat Alex. Benedictus *lib.* 3. *cap.* 9. *de part. corporis humani*, illius quippe ferrum post annos duos per inferiorem ventrem depulsum ait: de altero etiam, qui Suero dicebatur, scribit idem Author *lib.* 4. *cap.* 24. qui sagittâ in temporibus vulneratus, post annum 25. cum magno pruritu, & ejiciendi conatu derelictum in capite frustum per nares emunxit. Parùm etiam ab hac historia differt alia, quam narrat Joan Freitagius apud Gregorium Horstium *lib.* 2. *epist. sect.* 19. hominis sagittâ in oculo vulnerati, cui cùm jaculum sine ferrea extremitate avelleretur, illa per annos 30. delituit, oculo intereà videndi actione carente; tandem post tertiam annorum decadem, & menses insuper tres, cùm patiens febre ardente, vehementique catarrho laboraret, dum multâ sternutatione irritaretur, ad naris sinistri ostium ferream illam particulam descendere sensit, quam propter illius longitudinem cùm propellere per nasum non posset, fortiter excreando ad fauces illam deduxit, & per os excreavit, ac expulit. Idem *Horstius* ibidem *in responsione*, nobilissimum virum Hassiæ equitem multos anteà annos Turcicâ sagittâ vulneratum ait, cujus ferrea cuspis, quæ per medium nasi penetravit, derelicta cùm fuisset, longo pòst tempore à palati ossibus instrumentis extracta est. Longius se insinuaverat alius mucro, quem per lachrymale oculi sagittæ ictu ingressum, Albucasis *lib.* 3. *cap.* 96. ex adversa parte sub cute extraxisse inquit; addit quoque idem author, alium virum sagittâ etiam in dorso percussum, & consolidato vulnere, septimo postea anno ad coxæ radicem ferrum apparuisse, atque inde exemptum. Eodem modo Fabric. Hildanus *cent.* 1. *obs.* 62. à dorso robustissimi adolescentis cultelli dimidium extraxisse refert, quod à duobus annis illi in quodam tumultu adacto vulnere immissum fuerat.

Ferri frusta, & cultellorum intrà corpus intrusa, aut devorata.

Sed quoniam in cultellorum historias iterùm incidimus, præter illam, quam ex *Zacuto* suprà adduximus, præstat & alias adjicere, cùm non minùs admiranda sint exempla: *Ioachimus Camerarius* apud Schenckium *lib.* 3. villici cujusdam historiam narrat, qui ex febre ardente graviter decumbens præ animi tædio sibi mortem consciscere decrevit, ac aliis absentibus, ut voti compos fieret, fracti cultelli frustulum fortè in terram projectum aspiciens, illud intrà claviculum in pectus ita validè impressit, ut à chirurgo extrahi non potuerit; convaluit tamen, & vulnus consolidatum est, sed 14. transacto anno in eadem parte dolorem sensit, ad quem tumor secutus, & abscessus suppuratus est, ex quo tandem ferreum illud frustulum exivit. Sed sicuti hic ex desperatione in tale facinus devenit, ita alii ex summa imprudentia, alii ludendo, & nil tale volentes cultellos per gulam & fauces demittentes infeliciter & inopinatè decidere permiserunt, de quibus apud Forestum *lib.* 15. *obs.* 28. Montuum *in anasceve lib.* 1. *tom.* 3. *c.* 16. & *in chirurg. c.* 19. Paræum *l.* 24. *c.* 19. mirandi casus leguntur illorum, qui cultellos, & ensium frusta imprudenter aut voluntariè devorârunt, curatiq; periculum evaserunt; quin & superstitiosè hoc aliquando factum

testa-

testatur Apulejus *lib. 1. de asino*, qui de quodam circulatore scribit, qui equestrem spatham peracutam infesto mucrone devoravit, quod vidisse affirmat. Sed præter historias, quæ apud modò citatos authores videri possunt, apud alios rarissimæ aliæ leguntur, quarum aliquas legentium gratiâ hîc transcribere non gravabor. Scribit Galenus Wierus *epist. ad Guilliel. Fabric.* apud ipsum *cent. 1. obs.* 54. ostensum sibi fuisse à præceptore suo *Laurentio Jouberto* cultellum obtusum, qui panno obductus ab opilione alteri cuidam per vim in os ingestus fuerat, & per gulam demissus, totoque biennio gestatus, tandem per abscessum in inguine à natura factum extractus fuerat. Paræus *ubi suprà*, pastorem ait à prædonibus coactum, cultellum semipedem longum cum corneo manubrio deglutiisse, ac semestre spatium cum ingentibus doloribus sustinuisse, donec tandem abscessu sub inguine excitato, cum magna puris fœtidissimi copia per eundem abscessum erupit: similiter ferè rustico alteri evenit, qui ut narrat Sennertus *lib. 3. praxis cap.* 3. Pragæ dum ludum aliis facere intenderet, cultrum ore & faucibus occultare volens, incautè in ventriculum labi non animadvertit, tamen post longum tempus perforato abdomine exivit: hanc eandem historiam retulit Crollius *in præfat. Basil. pag.* 64. Porrò ut has de cultellis historias finiamus, tam vulnere intrusis, quàm vi aut imprudenter devoratis, aliam hujuscemodi ex *Georgio Lotho* professore Regio Montano refert Greg. Horstius *lib. 3. epist. sect.* 12. de alio rustico servo, qui ut pro ventriculo nauseabundo vomitum excitaret, cultrum cum manubrio corneo eo fine in fauces profundè satis immisit; sed infelici successu descendens ad ventriculum pervenit, intolerabili cruciatu mox superveniente: quare cùm in alio remedii genere nil utilitatis speraretur, emplastrum ex pulvere magnetis optimè excogitatum est, quod suprà ventrem positum cultrum ad se traxit, & naturâ adjuvante per cutem exivit; quo etiam medicamento in casu antecedenti medici usi sunt feliciter: quare si quando hoc infortunium accidat, ad hoc tanquam unicum remedium deveniendum esse ipsa lapidis & ferri sympathia ostendit.

[E]mplast. [ex] pulv. [m]agnetis.

Spectant etiam ad hujus rei notitiam (ut omnia percurramus) exempla aliarum rerum, quæ intrà corpus susceptæ, singulari tandem naturæ providentiâ expulsæ sunt. Alex. Benedictus *lib. 3. anat. cap.* 9. de acie scalpelli fracta intrà venam derelicta memorat, quæ postquam varios meatus hinc inde penetravit, tandem post aurem consedit, ubi assiduè pungendo animadversum est consistere. Ossiculum acutum gutturi inter deglutiendum infixum post semestre spatium per cutem in ipso collo apertam spontè exiisse vidit *Herculanus.* Joan. Fragoso *in Glossa vul. quæst.* 75. Nicolaum coquum scribit diu ex duritie in genu laborâsse, quâ tandem à natura suppuratâ & apertâ, dum ulceris curationem author perficere tentaret, silicem dimidii taleri magnitudine ait invenisse; quare admiratione motus coquum de hoc percunctari cœpit, qui nil aliud se scire dicebat nisi quòd à quinquennio antè casum ruri fecisset, ex quo in illa parte vulnus acceperit, quo licèt ad cicatricem ducto nunquam tamen firmâ sanitate præditum mansisse; unde absque dubio tunc temporis silicem intra corpus per vulnus recepit, quem post quinquennium natura expulit, & perfectè æger ab antiquo labore convaluit. Paræus *lib. 24. cap.* 19. scribit scholasticum graminis ramum devorâsse, qui postea per intercostale spatium cum magno vitæ periculo erupit. Sed inter tot rara non minori admiratione dignum est, quod narrat Franciscus Arce *lib. 2. de curat. vulnerum*, cuidam caprarum pastori Guadalupi accidisse, qui dum ruri esset, temerariâ motus amentiâ frumenti culmum, integram scilicèt tritici paleam cum spica per urinæ canalem sibi immittere tentavit, fecitque sine dolore; sed ob spicam intus inclusam jam aliquem sentiens, iterùm retrahere volens, ob impressas aristas consequi non potuit, cùm in carne figerentur, quare rectius judicavit quod reliquum erat intus propellere; peregit sic, & 18. menses nil unquam mali persensit, paleamque ab urina corruptam, ac putrefactam cum illa exiisse judicavit: tandem in sinistro crure abscessum natura excitavit, cujus aperti & ulcerati curationem dum dictus author ministraret, quadam die dum ulcus abstergeret, paleam cum spica incepit extrahere; quam æger conspicatus, levato capite quid sibi jam dudum accidisset narrare cœpit, author verò & nos hæc legentes admirari. Plures etiam alias res intrà corpus imprudenter immissas, & à natura commodè & citrà damnum expulsas alii observârunt, ut de quodam Hispano narrat Vesalius *lib. 5. de fab. corp. hum. cap.* 3. qui meretrici, quæ illi noctem dixerat, quadraginta uniones,

nes, & auream crucem quinque pretiosis gemmis ornatam innoxiè deglutivit: addit quoque *Galenum* de alio referre, qui aureum annulum devoravit, & promptè citra damnum excrevit. Æneum numisma puer deglutivit apud Amatum *cent. 2. curat.* 69. & nullâ secutâ noxâ post annum per alvum egessit: similiter ego in alio puero quatuor annorum vidisse memini, qui æneum etiam numisma devoravit, cui post secundam & tertiam diem epilepsia supervenit, ex æris forsan maligno vapore, vi caloris elevato; tandem paulò post monetam cum fæcibus excrevit, nec ulteriùs dicto morbo prehensus est.

Prætermittimus hîc multos casus, & historias à *Schenckio* enarratas *lib.* 3. illorum, qui vitra, clavos, ferreos mucrones, coria, testas, lapides, ligna, pisces, taleros, nummos, & plura alia tam imprudenter, quàm impunè, voluntariè deglutierunt, ac nullo aut pauco secuto damno, paulò post per alvum, dura, aspera, & acuta illa corpora detruserunt, ut 3. *de naturalib. facult.* pluribus accidisse etiam *Galenus* narravit; quorum multa exempla idem citatus *Schenckius* collegit.

Ne quid tamen intactum relinquamus, de quibusdam hominum naturis, qui prædicta omnia devorantes nil damni patiebantur, etiam agendum est. Memorabile ac stupendum inprimis fuit illud quod de quodam Lazaro vitri voraci vulgò dicto, plurimi authores scripserunt, & nos aliàs hoc opere meminimus; qui, ut tradit Reald. Columbus *lib.* 15. *de his, quæ rarò in anat. fiunt*, vitrum, saxa, lapides, ligna, carbones, lutum, lineos, laneosque pannos, viva animalia, pisces adhuc salientes, fœnum, stipulam, & mille alia ingurgitabat; quid plura? sacculum carbone refertum pacto pretio, & sacculum insuper devorâsse idem testatur Author: hujus famosi helluonis apud medicinæ authores multa fit mentio, & cogito hunc eundem esse, quem apud Ferrarienses vidisse scribit Amatus *cent.* 2. *curat.* 69. Hildanus *cent.* 5. *obs.* 2. tres alios novisse ait, qui vitra sine ullo damno frequentissimè comedebant. Sed adhuc portentosæ magis, & belluinæ voracitatis alium Matriti vidisse refert Euseb. Nierembergius *lib.* 3. *naturalis hist. cap.* 9. quem præter omnia antedicta aliquoties visum fuisse ait devorare vivum felem cum pelle & pilis, ac ipsum ejulans ac repugnans animal mordendo, velut lupus, aut leo, tenere: crudele in hominis natura spectaculum, ac vix credendum! Tertium addam ex Sennerto *in paralipomenis ad lib.* 3. *cap.* 2. ubi de Claudio quodam Lotharingio tradit, qui non solùm prædicta omnia, sed quod majus est, metalla, patinas, stanneos orbes dentibus confringere, ac vorare consueverat. Causam prodigiosæ istius ingluviei *Columbus* inquirens, in cadavere illius Lazari invenisse ait, quia quarta nervorum conjugatio, quæ gustûs gratiâ à natura in partibus oris usque ad ventriculi orificium producta est, nullo modo in illo inveniebatur: sed meritò citatus *Sennertus* huic rationi non assentitur; primò quia hoc aboliti potiùs, quàm depravati appetitûs causa foret, deinde cur ab alienis illis rebus ventriculus non læderetur, causa non datur: quare ad idiosyncrasiam confugit, quæ admirandorum omnium, & ultrà naturæ consnetudinem evenientium commune est asylum. Præter hos etiam alios qui lapides & saxa devorarent vidisse scribunt Abrahamus ex Porta Leonis *dialog. de auro*, & Felix. Platerus *in obs. proprius*, in tanta copia, ut repleto ventriculo ex collisione strepitus audiretur. Audivi etiam à fide dignis, præteritis his annis similem alium Londini apud Anglos fuisse, qui lapides copiosè ingerebat: omnes tandem isti paulò post per alvum deponebant, & postremum hunc nihil præter lapides edere consuevisse affirmabant, (quod non credidi) ac propter eà ab infelicissimo Rege Carolo Stuarto per dies decem in custodia asservatus fuisse dicebatur: quidquid sit, peculiares quasdam inveniri hominum naturas, in quibus stupenda multa & vix credenda conspiciantur, certissimum est, & ad hæc & majoris admirationis alia credenda ipsius naturæ majestas & abscondita vis jam fidem impetravit.

8. *Hominum quorundam stupenda natura, qui admiranda & horrenda multa vorabant.*

9.

10.

Sed quamvis hæ admirandæ prædictarum rerum à corpore expulsiones toties observatæ sint, meritò tamen tantum naturæ artificium mirari decet, quo ipsa in illarum expulsione utitur: jure enim dicebat Hippocrates *lib. de lege*, & *de decenti ornatu*, naturam quandoque mirabilia operari; siquidem arcano operandi modo incredibilia sæpiùs exequitur, dum in nostram utilitatem quod optimum est intendit, evigilat, ac nil non artificiosè molitur, & ex his quæ fieri possunt semper meliora quærit, ut *lib. de cælo*, & 8. *physicor. tex.* 15. scribit *Aristoteles*: quare idem Hippocrates 6. *epid. sect.* 5. optimè ipsam appellabat sine doctore magistram; apparet siquidem in plurimis,

apparet siquidem in plurimis illius & Conditoris majestas, qui frequentissimè tot in humano corpore nobis miracula ostendit. Igitur per quas vias ipsa natura similium rerum excretiones moliatur, meritò aliquibus inquirendi ac sciendi desiderium occasionem obtulit, cùm non solùm per communes sentinas prædicta expellere visa sit, sed per remotissimas & nobis inperscrutabiles id aliquando operetur, ita ut ventriculum, intestina & viscera alia interna perrumpere, & illorum tunicas penetrare videatur, ut extranea illa corpora hinc inde transferat, & ad cutem, vel ad communes vias deducat. In qua re aliqui existimârunt patentiores esse vias in vivo, quàm in mortuo corpore, per quas illa deducere possit, sicque non difficili negotio acus, & parva alia ac minoris molis per urinam detrudere posse, cùm ad meseraicas venas traducta, inde ad hepar & emulgentes, ac tandem ad vesicam usque permeare possint, ut inter alios hoc ita fieri putat Sanctor Sanctorius *lib.* 14. *vitand. error. cap.* 11. quod Alex. Benedictus *lib.* 2. *anat. cap.* 9. minimè admittit, fallique ait eos, qui hoc credebant. *Valesius* supra citatus ista plerumque naturam attenuare, & paulatim ad cutem deducere ait, tum verò citrà damnum diutius gestari, cùm in partibus carnosis inter venas & arterias, absque eo quòd aliquid ex illis disrumpant, prædictæ res insinuantur, quia (ut ipse ait) aliquando casu aliqua fiunt, quæ providentia vix afferre potest; proinde cùm sint sicca corpora nec computrescere, nec curationem impedire. Quidquid igitur *Alex. Benedictus* non admittat, certum est meatus & vias in viventibus multò magis quàm in mortuis patere, ut naturâ ducente qualecumque extraneum in corpore insuperabile, & ab illius consortio alienum, per easdem vias & ductus transferri possit, ut scitè fatetur Sennertus *lib.* 3. *sect.* 1. *cap.* 15. Unde in illis, in quibus per alvum & urinâ similia pondera ejecta sunt, inferre licet per communes ductus naturæ superfluum illud onus permeâsse, præsertim si brevi temporis intervallo puta 2. aut 3. die foras ejiciuntur; sin verò longo tempore intrà corpus detenta, aut per easdem communes vias, aut aliter per cutem propelli visa sunt, tunc dubium non est occulto modo hæc accidere, & altiori naturæ conatu, opereque inusitato ac nobis admirabili, quo ipsa stupendam suam vim in hominis conservatione & tutela ostendit, imò ludos, qui nobis miracula sunt. Quâ quidem ratione Hippocrates *lib. de alimento*, & 6. *epid.* naturam fortissimam dicebat, & sibi ipsi secretas vias parare & invenire: omnia siquidem in corpore conspirabilia esse *eodem lib. de alim.* idem docuit, cujus causâ rarissima; & nobis in-intellecta sæpius ministrat ac perficit, & in suis operibus opulentam sese ostendit, ut 15. *de usu part. cap.* 5. scribit *Galenus* & quomodò ipsa agat, humanum ingenium assequi non posse *cap.* 6. *sequenti* idem docebat, ubi de naturæ rarissimis operibus in fœtûs generatione loquens, sic *in cap. fine ait*: *Quod igitur hæc omnia natura affabrè faciat, declarat singulorum usus; invenire autem ipsius facultatem quâ hæc efficit, humani ingenii captum superat. &c.* atque *lib.* 14. *ejusdem cap.* 7. Illud explicare difficillimum esse fatetur: novit siquidem ipsa per media ossa pus conferre ex eodem 7. *aph.* 54. Sed de viis per quas prædicta corpora expellat vide *Iul. Cæs. Claudinum* supra citat. *resp.* 40.

Circà curationem autem istarum acutarum rerum, aut metallorum, quæ intra corpus devorantur, pauca quoque addere placet; quippe si jam in ventriculum descenderint, aut aliter oculis conspicua non sint, ut instrumento aliquo extrahi possint, pinguibus, oleosis, & emollientibus uti debemus, ut dolor ab illorum impressione proveniens remittatur, & viæ communes lubricæ reddantur, facilioremque exitum præbeant; sin minus ita consequi non possimus, ut extrà corpus deponantur, aliud remedium invenire non datur, quo in difficili casu aliquid utile consequatur, cùm neq; purgatio neque etiam diuretica conveniant, ne ab hujusmodi medicamentis major fiat commotio, & in sensibiles partes talia fortius impingant, ubi majus periculum subcrescat; quapropter consentaneum erit ut in hoc casu totum negotium naturæ committatur, ut prudenter advertit Sennertus *lib.* 3. *cap.* 15. & Brunus Scidelius *lib. de morb. incurab. pag.* 20. & 21. Suscipienda igitur in tali casu nulla curatio, cùm arte nullâ fieri possit; quare totum negotium naturæ committendum, sperandumque ut ipsa eventum aliquem salutarem procuret per regiones convenientes, & vias sibi notas, aut per abscessum dicta extranea corpora expellat; ut sæpius jam factitâsse visum est, admirabili circumductione, quâ prædicta pondera à ventriculo per intestina, meseraicas, venam portam, hepar, cavam venam, emulgentes, renes, ureteres, ad vesicam deduxit, aut per ignotas & occultas

Margin: 1.

Margin: 2. in- nor- devo- qua- illius io, & ctio ran-

sibi viam quærat, ut ex tot historiis adductis patet; quo tempore si ad cutim aliquod signum faciat, aut ex dolore pars ubi ferrum occultatur indicetur, non erit abs re emplastro ex pulvere lapidis magnetis conatum naturæ adjuvare, ut foris attrahatur.

QVÆSTIO NONAGESIMATERTIA.

Consuetudinis admirandam vim esse: aliquibus authorum exemplis hoc ostenditur, præter quæ recens aliud affertur.

Consuetudinis definitio. I.

CONsuetudinem definit Aristoteles 21. *probl.* 14. quòd sit habitus, seu qualitas ex frequenti actione & passione impressa, propter quam promptiùs & diutiùs, & cum delectatione operantur, & minus patiuntur. Latiùs explicat Valesius 8. *contr. cap.* 5. Quanta autem sit consuetudinis vis & potentia docuit Galenus 2. *aph.* 50. *lib. de consuet. cap.* 2. & 3. & ex neotericis tradunt Christ. à Vega *lib. artis med. sect.* 2. Valeriola *lib.* 1. *locor. commu. cap.* 6. quæ enim ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora fiant, insuetis minus molestare solent. ut citato *aph.* docuit *Hippocrates.* Hanc itaque ab omni exercitatione acquiri probat Galenus *lib. de consuet.* propriam enim virtutem cujuscumque partis, quæ exercetur, insigniter roborat: sic cursu fiunt homines veloces, luctâ robusti, & esu ad coquendum habiles; quod etiam *in Timæo* adnotavit Plato: *Exercitium roborat, quies verò contabescit.* Deinde in cibis potibusque consuetudinem acquiri scribit Galenus 2. *de rat. victus tex.* 21. 22. & 24. ubi sic ait: *Atqui quòd vitiosus victus cibi & potûs semper sibi similis ad sanitatem tutior omninò sit, quàm siquis subitò ad alterum vel meliorem se transferat, facilè discitur, intelligiturq́;*. Quemadmodum enim consuetudo uberiùs assumendi facit ut probè cibi concoquantur, & minus lædant, sic ejusdem alimenti consuetudo, licèt pravi, eadem præstat; nam consueti cibi salubriores sunt, & magis familiares; ideò 2. *aph.* 38. parùm deteriorem cibum & potum, suaviorem tamen, melioribus sed minus suavibus præfert *Hippocrates*, quia (ut in *com.* dicebat *Galenus*) quæ cum voluptate assumuntur, ventriculus amplexatur & facilius concoquit, sicuti illa quæ displicent refugit; semper enim inter nutriens & nutritum ubi cognatio major & similitudo invenitur, promptius alimentum appetitur, amplexatur, & optima fit nutritio, ut 3. *de temp. cap.* 2. 6. *de valet. tuenda cap.* 3. & 3. *epid. com.* 2. *ægroto* 4. docet idem *Galenus.*

Consuet. in exercitiis.

2. *In cibo & potu.*

In evacuationibus. 3.

Deinde in evacuationibus maxima etiam acquiritur consuetudo, nam si consuetæ deficiant aut supprimantur, morbus statim ingruit, ut in multis quotidie observatur, & in illis præsertim, in quibus sanguinis evacuationes per intervalla accidunt, quibus natura à sarcina sese exonerare consuevit, & corporis superflua expurgat. Sic de Volusio narrat Plinius *lib.* 11. *cap.* 28. qui 94. annis quos vixit, in singulis ingentem sanguinis copiam vomebat; sic in aliis per alia loca hujusmodi sanguinis evacuationes natura molitur; aliquando per cruentas urinas, ut vidisse refert *Hier. Reusnerus*; *Benevenius* in alio per insensilem porum *cap. de abditis*, infra jecur, tenuissimum adeò, ut vix oculis conspici posset, per quem singulis mensibus sanguinem in copia excernebat; quod quoque in alio vidisse testatur Fallopius *lib. de. vuln. cap.* 73. cui singulis annis mense Maji per jecoris regionem, integrâ existente cute, libra circiter sanguinis emanabat. Vidi & ego alium, qui per radicem unguis digiti indicis singulis mensibus plusquam libram evacuabat; adeò enim sagax est natura, ut ignotas & commodas vias sola agnoscat. Sic in aliis per quosdam circuitus supervenit diarrhœa, aliis vomitus, alii arte paratis evacuationibus aliis assuefiunt, ut venæ sectionibus, fonticulis, nec non fistulis, balneis, frictionibus. Quæ omnia tanti sunt momenti, ut si semel consueta dimittantur, aut supprimantur, in maxima pericula homo deveniat; tanti enim hæc fecit Galenus 8. *meth. cap. ult.* ut meritò in dubium traxerit, an dignior indicatio sit, quæ à consuetudine, an quæ à morbo desumitur? Hoc pacto de Arrio peripatetico narrat idem Galenus *lib.* 1. *de aliment. facultat.* & *lib. de consuet.* quòd tepido potui assuetus, febris causâ ad gelidæ assumptionem coactus perierit.

4. *Sanguinis evacuationes ex consuetudine miranda.*

Ex consuetis quoque evacuationibus retentis, eodem modo periculosos morbos promp-

promptissimè succrevisse, quotidie videmus; innumeri sunt, qui fonticulorum, hæmorrhoidum, aut alterius consuetæ evacuationis tædio pertæsi suppressionem procurantes, aut in mortem, aut in graves morbos deveniunt. Maxima fuit cujusdam mulieris contentio, quæ septies fonticulum occlusit, septiesque dolore lateris infestata est; donec morbi pervicaciâ victa obsistere desiit, & evacuationi locum permisit, ut *lib.* 3. *de prax. miranda cap.* 102. refert Zacutus. Tandem circà medicamenta accidit consuetudo, ita ut alicui assueti ab illo non alterentur, nec beneficium recipiant: sic à veneni noxa, & deleteria vi aliqui immunes evaserunt, nullo damno affecti, ut de Methridate narratur, qui ob alexipharmacorum consuetudinem à venenis lædi non potuit; sic à purgantibus medicamentis, quod frequenter eisdem uterentur, aliqui nullo modo, aut parciùs evacuantur, ut Eudemo in Chio accidisse memorat Theophrastus 9. *plant. cap.* 18. qui propter frequentes potiones, nec suprà nec infrà purgari poterat: hac de causa emplastra, quæ pro ventriculo roborando admoventur, assiduè non esse gestanda optimè inter juniores advertunt Montanus *cons.* 88. Ioan. Crato *lib.* 2. *cons.* Sanctor, Sanctorius *lib.* 4. *vitand. errorum cap* 5. *&* 13. & rectè quidem, cùm ab assuetis non fiat passio; atque ideò in tali emplastrorum applicatione, nisi alternatim gestentur & auferantur, parùm aut nil beneficii ventriculus susceptat. Ex quibus omnibus licet colligere conveniens non esse nec tutum crebris actibus alicujus rei consuetudinem facere, præsertim in medicamentorum usu, quia vel assuefacta natura ab ipsis non movetur, vel tandem si dimittantur, morbus statim ingruit: hoc enim est, quod inter putredinis humorum causas *Avicenna* numeravit, nempè cautelæ dimissionem, cùm difficile sit eandem cautelam perpetuò servare; ad quod respiciens Celsus *lib.* 1. *cap.* 1. consulit ut sanus homo, & qui benè valet, nullis se obligare legibus debeat, sed varium habere vitæ genus, modò in urbe esse, modò in agro, navigare, venari, quiescere interdum, & frequentiùs se exercere; quod etiam innuit *Hippocrates* suprà dicto *aphor.* per illa verba: *Ad insueta oportet transire*, quia ut probè Galenus *in com. Est uniformis quæque consuetudo periculosa, cùm omnes inopinatis rerum sortibus subjiciantur.* Ne igitur aliquando ab insuetis repentè in nos incidentibus magnopere lædamur, satius esse inquit omnia tentare, priusquam in aliquam deveniamus: est enim consuetudo altera natura, ut 2. *de temper. cap.* 4. docebat idem, & 3 *simpl. cap.* 18. quàm verò hoc manifestum sit, plurimis exemplis jucundis, ac scitu dignis, quæ in authorum lectione occurrunt, ostendere non gravabor.

5. Consuetudo medicamentorum.

6.

Memorabile inprimis est exemplum à *Zacuto* relatum 3. *prax. mirandæ cap.* 99. piscatoris cujusdam, qui totâ vitâ in mari consenuerat; nam cùm aliquando infelix ille Lusitanorum Rex Sebastianus ex Conimbrica Olysiponem iter faceret, & in oppido quodam maritimo magnâ pompâ & regali magnificentiâ reciperetur, præter insignia alia, quæ tantum hospitem decebant, ornamenta, plateæ, domus, & arx ipsa ad quam Rex ferebatur, omnia odoriferis frondibus, & aromatum suffimentis repleta nitebant, fragrantissimi odores undique spirabant: in hunc fervorem invalescente die cum ingenti populi multitudine sese immersit piscator, qui vix pedē immiserat, cùm præviâ vertigine sideratorum more in terram corruit, in vicinam domum Rege jam transeunte protinus delatus, ubi à duobus medicis pro apoplectico tractatus, cadaveris instar, nullo modo relevari poterat, ut de sepultura jam cogitaretur: quod infortunium cùm Regi exponeretur, miseratione commotus, doctissimum Archiatrum suum *Thomam à Vega* statim misit, ut si qua superesset salutis spes, miserum jacentem auxiliis adjuvaret; hic prout erat abstrusarum rerum scientiâ, & solertissimo præditus ingenio, de vita hominis percunctari cœpit, & perspectâ morbi origine, illum aromatum odore insueto in repentinum hunc morbum incidisse doctissimè sibi persuasit: nec irritum judicium; jubet statim ægrotum ad littus apponi, præcepitque ut limo & algâ totus coöperiatur; rarum dictu! perceptâ namque litteris, & phyci marini aurâ, post 4. horas oculos aperire cœpit, & post diem, morbo omninò excusso, sanitatem recuperat. Simile exemplum scribit Lævinus Lemnius *lib.* 2. *de occult. nat. mirac. cap.* 9. rustici cujusdam, qui Antverpiæ cùm ad officinam aromatariam devenisset, animi deliquio statim correptus periclitari cœpit; in quo agone à proximo quodam, qui similis eventûs forsan notitiam habuerat, confestim admoto naribus equino fimo adhuc tepenti ac fumido animam revocavit; erat enim hujusmodi odoribus, & equorum excrementis assuetus, quibus horum hominum natura magis recreatur, quàm suaveolentibus

7. Consuetudinis vi[s] ... exempla mirandra.

 aliis,

aliis & delicatis, à quorum suffitu & odore non parum læduntur, ut aliquando consternati in lipothymiam incidant, ut suprà *quæst.* 84. *in fine* ex *And. Libavio* jam adduximus: omnia siquidem intensè odorata capiti officiunt, ut 5. *aph.* 28. docet *Hippocrates*, illis præsertim, qui talium suffimatum usui nunquam antea assueti fuerunt; quia acris vibrantisque sunt naturæ, quâ sensus & caput feriunt, subitamque spirituum commotionem & resolutionem causant, in rusticis præcipuè, nulli delicato odori, sed fœtidis, crassis, minimeque acribus & aromatibus assuetis, quibus à tenellis annis utuntur, & quandam velut connaturalitatem cum illis contraxerunt; ideoque paludum accolæ, ruri inter animalia & pecora degentes, aliique qui sentinis exhauriendis, cloacisque expurgandis frequenter occupantur, odoratissima ac fragrantissima quæque non tantum respuunt, sed ab illis maximè offenduntur, & ad contraria reducti, ob consuetudinis acquisitam familiaritatem recreantur statim, & ab aliorum nova liberantur, ut de Sabæis refert Strabo *lib.* 16. quorum aliqui odoribus stupefacti, bituminis suffitu, hircique incensâ barbâ recreabantur. Adeò enim facilè natura nostra cum omnibus convenit, ut tetris etiam & fœtidis si assuefiat, non solum libenter ferat, sed à contrariis, optimis licèt, subitò occupata repentè corruat, ac in lypothimiam facilè incidat, ut plurimis ex odoris fragrantia accidisse sæpius visum est; qualiter carnificis Wittembergensis servo pharmacopolium quædam comparandi gratiâ intranti similiter accidisse tradit Philippus Salmuthius *cent.* 3. *obs.* 71. quem ex odorum fragantia exanimem cùm pharmacopæi ministri præstantissimis ac suavissimis aquis recreare non potuissent, ipse adveniens carnifex ad cloacam illum deferens, assuetis illum breviter refecit: ubi etiam alia exempla refert. Novit *Sanctorius* hominem, ut ipse tradit *lib.* 4. *vitand. error. cap.* 4. qui tractu 20. annorum in obscurissimo carcere vitam degerat; hic ut primùm à carceris tenebris, & putidis illis halitibus fuit liberatus, in ægritudinem incidit lethalem, à qua licèt liberatus per anni spatium, malè semper affectus degebat, donec datâ operâ iterùm in carcerem missus, perfectè statim convaluit, & optimâ sanitate frui cœpit. Fuit alius, qui fœno incumbere solitus, in lectulum inductus animo deficeret, donec suo cubiculo redderetur. Gaudet sordibus suis upupa, suaviq; in eis vitâ fruitur: sic aliqui sunt homines, qui aut ex naturæ proprietate, aut ex consuetudine ex sordido vivunt, duroque lecto magis gaudent, quàm molli & nitido. Audi historiam, quam circà hanc rem narrat Solenander *sect.* 5. *consf.* 15. *nu.* 16. Accidit (inquit) ut rusticus quidam acutissimè febriens, ad hospitale perductus nullis remediis à D. Gisberto curari potuerit; tandem ex morituro quæsivit: Ecquid peteret? quæ fuisset illi victûs ratio antea? respondit se planè ab isto cibo & potu abhorrere, quemadmodum etiam à syrupis, & lecto nimis molli, quia intrà 19. annos in lecto non dormiisset, cæpis, & caseo bubulo, aliisque similibus alimentis fuisset usus, sub dioque in stramine vestitus cubare solitus: permisit statim doctor, ut unâ nocte sic dormiret, cæpaque, sale, & aquâ frigidâ victitaret, putans quòd his fortè citius moreretur; quibus peractis, alterâ die præter omnium opinionem ad ignem stetit velut sanus, moxque omnem ægritudinem deposuit, & convaluit. Hoc idem in alio, cujus curationi interfui, ad unguem evenit: pastor hic erat, qui cœnobii Fratrum Prædicatorum ovium curam gerebat, & ex ardenti febre ægrotans. Prior ut intrà cubiculum rectè tractaretur curaverat, optimo victu & aliis necessariis pro morbi indigentia adhibitis; sed urgente malo jam in salutis desperationem penè devenerat, quod cùm à me Prior intelligeret, unà mecum circà vesperam ad ipsum intrans, ab ipso percunctari cœpit, an aliquid appeteret, quod libentius esitaret? an aliquid pro ipsius salute fieri optaret? anxiè respondit, sibi dubium non esse magnum illi advenire nocumentum, quòd sub tecto, & intrà clausum cubiculum dormiret; igitur, inquit, si meam vitam desideras, hoc unum mihi permitte, ut extra cubiculum sub dio pernoctem: monachus de hac re dubius, quid mihi videretur statim inquirit, ego rusticum hominem considero tali vivendi consuetudini à longo tempore maximè assuetum, tempus in media æstate calidum; quare ut ægrotantis voto annueret facilè consului. Eâdem igitur nocte foras ad peristylium adducitur, ubi noctem degens, manè optimè dormiisse & placidè dicebat; mirum dictu! intra triduum omninò convaluit: quemadmodum alteri etiam febrienti accidit, de que Philip. Salmuthius *loco suprà citat.*

Hæc omnia libenter attuli, ut consuetudinis ingentem vim omnes mirarentur, quamque ad perturbationum motus potens sit illius dimissio, & in contraria recessus;

sus; eâ enim fit, ut animæ rationalis vis in eo, cui quis assueverit, sensim inolescat, ut 4. *de Hippoc.* & *Plat. decretis cap. ult.* docuit *Galenus*: unde meritò alteram naturam, aut acquisitam naturam consuetudinem vocat 3. *simpl. cap.* 18. 2. *de motu muscul. cap.* 7. & *lib. de offic. med. com.* 3. *tex.* 20. sic inquit: *habet consuetudo præcipuam in medicina vim, ita ut à clarissimis medicis natura adventitia nuncupetur*; quam constat inter ea, quæ necessariò admodum spectari debent, collocandam, ut quæ à nobis tractantur, rectè cognosci & mederi possint: facit enim inprimis ad præsagiendum, indicationem ad curationem præbet 9. *meth. cap.* 9. & *cap.* 16. & ad auxilii inventionem multùm conducit 11. *meth. cap.* 1. victûs rationem, & alia multa ostendit 7. *meth.* 6. siquidem consuetis admodum natura gaudet, ex eodem 8. *meth.* 9. quarè repentina illius mutatio corpora multùm offendit, *com.* 2. *de vict. rat. in morb. acut. text.* 33. siquidem quempiam à prava licèt consuetudine dimovere difficillimum esse *lib.* 2. *de Hipp.* & *Plat. decret. cap.* 3. monemur; quare si longa sit & antiqua, licèt pessima, servari debet, nisi magna aliqua necessitas ad mutationem urgeat, ut cum *Hippocrate* & *Galeno* fatentur omnes.

8. [Co]nsuetu[d]inis obser[va]tio [co]nstanti [m]omenti.

QUÆSTIO NONAGESIMA-QUARTA.

Lactis cum vino mixtionem, sive simul, sive seorsim ingerantur, maximè damnosam esse potionem.

CUm adhuc medicinæ studiis incumberem, medicum agnovisse memini, ex istis qui numerum implent; hic verò vulgi opinionem satis irridebat, quòd à lactis potu semper vinum vitandum præciperet: dicebat enim citrà rationem hoc consuli, cùm potius assumpto lacte statim vinum superinfundere, maximè necessarium esset ac rationi consentaneum; quod ex eo colligebat, quia cùm lac frigidum sit, vini calore temperari deberet, sicque ipsius noxa vitari. Sed cùm medicus iste ex cortice tantùm rem hanc judicaverit, atque apud vulgus adeò communis hujus mixtionis sit timor, non omninò inanis videtur; præsertim cùm dicat *Gesneru* apud suos eodem modo reprobari communi quodam dicterio, quod ex illo transcribit Aldrovandus *cap. de lacte bubulo*, scilicèt: *Lac non Lyæo de jecore est abluendum, sed liquidis argenteisq; nymphis, si quis diu frui velit dextrâ valetudine.* Quæ sanè opinio de vino post lactis potum ablegando cùm omnium ferè communis sit, causa inquirenda est, & quid circà hanc rem medici consulant, & ut verum accipiendum sit, paucis adducemus.

Hujus igitur potionis, de vino nempe cum lacte, *Hippocratem* ter mentionem fecisse comperio, *lib.* 2. *epid. sect.* 5. *tex.* 9 eodem *lib. sect.* 6. *tex.* 19. & 7. *epid. tex.* 81. Primo loco, ad os capitis fractum consolidandum, in potu lac & vinum æquale æquali dari jubet. In secundo, intestino vulnerato lac etiam æquale æquali dari præcepit. Et quoad capitis os fractum, videtur illud voluisse, quia cùm vinum & lac alimenta sint, quæ facilè nutriunt, citiùs substantiam pro osse compingendo præstare poterunt; deinde cum utriusque substantia sit admodum vaporosa, capiti materiam faciliùs suppeditabunt, quàm aliud quodvis alimentum.

1. Cæterum hæ rationes tanti non sunt, ut aliquis, licèt tanto authore fisus, hujusmodi potionem ex lacte & vino mixtam in similibus casibus propinet; nec video aliquem ex practicis hoc medicamento usum fuisse, aut illius usum commendâsse: utrumque enim caput replet, fluxiones movet, & prætereà convulsionem afferre potest; præterquam quòd insuavis admodum videtur potio, & maximè noxia. Nec etiam illæ rationes alicujus momenti sunt, quia reperiuntur alia alimenta optimè & citissimè nutrientia, ut ova, juscula caponum, & similia, quæ citrà damnum offerri poterant; nam prædictam potionem ex lacte & vino, ex eo quòd in caput facilè ascendant, propterea convenire, minimè rationi consonum videtur, quia potius ex ea major noxa timeri debet, ut supra dictum est, cùm vaporibus crudis & crassis illud potius repleat, quàm alimenti abundantis copiâ irriget. Quare illâ potione, quidquid *Hippocrates* scripserit, utendum minimè suaderem, & multò minùs in ca-

su *sect.* 6.*tex.* 19. ab ipso proposito, in vulneratis scilicèt intestinis, in quo affectu eundem potum consulit; quod tamen præter omnem rationem videtur, cùm lac nimiùm sit intestinis noxium & ventri, quo fit ut ipsis vulneratis nullo modo conducere possit: præterea *Pet. Iacob. Steve* hanc *Hippocratis* sententiam tanquam suppositiam rejicit, nec eam admittit *Valesius*; & de antedicto loco *sect.* 5. forsan idem dicendum erat, cùm capite vulnerato, & osse fracto, lac aut vinum porrigere mera videatur amentia; quàm enim capiti lac & vinum inimica sint, nemini non notum, cùm statim sumpta illud tentent, repleant, & innumeris morbis ex fluxionibus ortis causam præstent. Nec in vulnerato intestino minor noxa timeri debet, cùm illis solùm murmurantibus lac exhibere malum esse pronunciet idem Hippocrates 5. *aph.* 64. quantò potius vulnerato intestino, undè necessariò majorem debilitatem & frigiditatem majorem inveniri debere facilè intelligitur? nec etiam apparet quid in hoc casu utilitatis ex dicta potione lactis & vini sperari possit, cùm ventrem inflet, & flatu intestina distendat, ipsa verò potio corruptioni maximè sit prona, & in pessimos humores degeneret, ut propterea inter pravissima edulia, quæ choleram morbum inducere valent, eandem potionem annumeret Hippocrates 7. *epid. tex.* 80. & Valesius *in com.* probabiliorem hanc noxam esse ait, quàm utilitatem illam, quam in prædictis morbis 2. *epid.* præstare scripsit *Hippocrates*; lac enim facilè acescit, acidum verò vinum facilè trahit in aceti naturam; aceto verò lacti admixto nil ventri magis adversum, quia lac ipsum coagulat, & in grumos & serum resolvit, flatuque dirumpit; quare œnogalactis ex vino & lacte paratam potionem periculosissimam esse idem *Valesius* maximè probat, & quòd talis sit plurimi alii advertunt. Gordonius *cap. de pthisi*, abstinendum summoperè ait à potu vini toto tempore, quo lac in stomacho detinetur, quia (inquit) vinum lac quodammodò coagulare facit, coagulatum verò lac in stomacho in veneni naturam transit. Hieron. Montuus *cap. etiam de pthisi*, talem mixitonem eadem de causa damnat; atque ideò Jacob. Primerosius *lib.* 3. *de errorib. vulgi cap.* 11. falsum esse probat vulgare illud proverbium: *Lac à jecore esse abluendum*; nullo enim modo hoc rectè fieri, nisi horis tribus transactis, statuit; tunc enim lacte à ventriculo in jecur demisso, rectè potum alium sumi posse, non anteà, aut cum ipso lacte; hoc enim ut maximè periculosum culpat, ut ex hac tantùm causa hominem agnovisse dicat, qui hoc modo subitò interiit, ex lacte ob vini mixtionem coagulato, & corrupto, & in venenum degenerante: nam & similiter cuidam fœminæ parùm abfuit ut accideret, cujus meminit Forestus *lib.* 18. *obs.* 13. quem casum ideò inter venena reponit Schenckius *lib.* 7. Propterea Guill. Insulanus *lib. de rat. victus salub. cap.* 38. eodem pacto maximè formidolosum esse hunc potum advertit, & rectè quidem, cùm Aristoteles *in topicis* causam lepræ præbere dicat; quod rationi consonum videtur, siquidem universim vitari debere alimentorum varietatem monuit Ægineta *lib.* 1. præsertim ubi contrariæ fuerint in eis facultates, tunc enim citrà conspicuam noxam simul assumi non possunt; quæ qualitatum & facultatum contrarietas in nullis cibis magis elucescit, quàm in lacte & vino, ob quam rationem fugiendam esse horum commixtionem etiam admonuit Georg. Pictorius *lib. de bona valet.* ubi verba *Abenzoaris* affert: *Siquis negligens vinum à lacte superinfudisset*, &c. quod tanquam perniciosum damnârunt prædicti omnes, quia corrumpatur, & in venenum transeat, quòd coaguletur, quòd acescat; omne enim acidum lac coagulat, unde non minor noxa, ut ex historia *Foresti* videri potest: propterea Avicenna *lib.* 1. *fen.* 3. *doct.* 2. *cap.* 7. *propè finem*, lac cum acidis comedi non debere, ex Indorum quoque experimentis retulit: lac verò vinum trahere in aceti naturam supra ex *Valesio* diximus: acetum lac coagulare evidentissimum; lac coagulatum in veneni naturam transire, sæpius à medicis inculcatum, ergò à primo ad ultimum, talem lactis & vini potionem vitandam esse, non rationibus tantùm, sed doctissimorum authoritate, & ab ipsa quoque experientia jam satis patere arbitror. Quare illud quod *Gesnerus* ex aliorum judicio refert, nempe optimum esse adversus quartanam remedium, liquorem ex lacte & vino in balneo Mariæ extractum, ego non probo, nec alicui consulere auderem; quia ex horum duorum mixtione nil utile deduci posse judico, sed econtrà damnosum, & periculo plenum; quare pro illis, qui talem potum sumpserunt, *Abenzoar* remedium parat ex siccis neptæ foliis in pulverem redactis, cui similia sunt alia à *Foresto* adducta loco citato, quibus ille usus est in muliere, quæ ex dicto potu admodum periculosè decubuit.

2.

3.

Cùm

Cùm hoc igitur ita se habeat, lactisque & vini potus adeò perniciosus existat, quid ad Hipp. *l. 2. epid.* respondendum sit, qui tam facilè illum concedit, restat ut dicamus. 4. *Jacobus Steve*, ut suprà dicebamus, sententiam illam non admittit, sed expungendam esse monet. *Foësius* ex alio codice judicat *Hippocratem* cùm de intestino vulnerato loquitur, de thorace loqui voluisse, atque ita intelligendum esse, non de intestino: & quòd de thorace, non de intestino accipi debeat, probat ex ejusdem textûs verbis, cùm respirationem dicat ad vulnus procedere; spiritum vero & respirationem pectoris esse, non intestinorum perspicuum est: quare arbitratur jussisse thoracis vulnera œnoga lacte abluere, quia lacte recentia vulnera thoracis profundi, ob acrium humorum met um secundum rationem magis videtur, quàm vulnera intestinorum, quibus lac inimicum est, & hypochondriis incommodum, cùm ex illo inflentur, pectori verò sicuti & pulmonibus amicum. Sed hæc explicatio accipi non debet, quia nullibi habemus *Hippocratem* intestini nomine thoracem accepisse; licèt enim per ventrem aliquando thoracem intelligat, & quasvis alias internas cavitates, ut 6. *aph.* 20. & aliis in locis, tamen intestini nomine nunquam thoracem nominavit: neque etiam quamvis ita foret vinum lacti commodè adjici poterat, cùm admodum periculosa, & facilè corruptibilis reddatur potio. Sunt qui pro intestino vulnerato, dolorem, aut cardialgiam accipi velint, ex acribus humoribus ortam, pro quibus contemperandis vini & lactis potum, ex veteri quæ tunc habebatur consuetudine *Hippocratem* consuluisse ajunt: cæterùm hanc eandem potionem jam senem factum, ut periculosam agnovisse, & damnâsse patet ex 7. *epid. tex.* 81. ubi inter cibos, qui facilè corrumpuntur, & choleram morbum generant, illam annumeravit; quare ejus loco vini & aquæ mixtionem ut securiorem probavit, ut 7. *aph.* 57. quo loco ad anxietates tollendas vino & aquâ utitur, non lacte; quia vinum modicè temperatum humorum acrimoniam retundit, spiritus recreat, somnum conciliat, vapores reprimit, ventriculum roborat: unde mirum non est si anxietudinosis conferat, & cardiacis, ut *lib.* 23. *cap.* 26. etiam adnotavit *Plinius*, qui cardiacorum salutem vinum esse dixit. Itaque prædictis in locis non de lacte cum vino accipiendum esse *Hippocratem* volunt, sed de vino & aqua, quod & securius est, minimè periculosum, & rationi consonum, ut ipse *Hippocrates* jam senex cùm aphorismos scriberet, agnovisse videtur; atque ita illum excusat ac explicat *Mercurialis* citatus 7. *aph.* 57. qui dicendi modus non omninò displicet: quòd si tibi minùs arridet, dic cum Rhodigino *lib.* 28. *cap.* 37. *variar. lect.* œnogalactis nomine apud *Hippocratem* non vinum lacteum accipiendum, sed tepidum potius vinum intelligi; ita enim eruditioribus visum fuisse idem ait author, sed qualibus aut quibus in locis, non ostendit.

QVÆSTIO NONAGESIMA QVINTA.

Narratur historia cujusdam vulnerati, cu statim ac percussus est, rarissimum supervenit symptoma, à paucissimis visum & observatum.

IN vulneratis multa sæpiùs accidunt admiratione digna; nam multi præter omnem spem ex vulneribus illarum partium, quas Hipp. 6. *aph.* 18. lethales esse scripsit, ali- 1. quando evadunt alii, ex levioribus, & nullum periculum minantibus, tamen occumbunt. Sed in quamplurimis quædam accidentia rarissima contingunt propter variarum partium læsiones & consensum quem cum aliis obtinent. Verùm inter rarissima, quæ in vulneratis mihi videre contigit, symptoma fuit, cujus historiam ob raritatem hîc adjungere libuit. Anno 39. suprà millesimum sexcentesimum, cùm apud Carmonenses medicinam facerem, quâdam die circà primam noctis horam justitiæ Major Accensus nomine *Farfanus* (*Alguasil Major* Hispani dicunt) in foro cum publico & regio scriba deambulabat; obtenebrescente jam nocte, relicto foro proximam plateam ingrediuntur, & ad scribæ ipsius ædes, quæ propè erant, perveniunt; hic propriam domum ingreditur, Accensus illum expectans in platea manet, & juxtà ostium urinam reddere incipit; à tergo illos insequebatur robustus quidam juvenis, qui certis de causis magnum aliquod malum adversùs hunc cogitabat; igitur pedetentim illos se-

secutus, & occasionem prout optabat nactus, Accensum ad parietem mingentem stricto ense adoritur, ac tam validè paulò suprà renes transverberavit, ut licèt thorace munitus foret, ensis mucro per dextram mamillam exiret. Vulneratus suis pedibus obambulans in propriam domũ adducitur, præstò adest chirurg. vocor & ipse, & prout decebat curatio perficitur; grumosus sanguis ac condensatus satis, quantum fieri potuit, extergitur, ac tussiendo inclinato corpore ejicitur; quod fortiter conando & excreando æger nitebatur: itaque curatione peractâ Ecclesiæ sacramenta protinus administrantur; sic discessimus omnes, & hominem in lecto reliquimus optimè loquentem, sed propter vulneris magnitudinem, & pectoris pulmonisque, uti videbatur, læsionem, de salute parùm aut nihil sperantes. Vix duæ horæ transierant, ecce festinanter iterùm me vocant; incunctanter propero, vociferantem hominem invenio, & cùm propiùs accedo, faciem video cum jugulo adeò inflatam, ut duplo majora quàm pro naturali statu viderentur, palpebræ cum superciliis tam altè assurgebant, ut vix oculi conspicerentur, jugulum à scapulis ad maxillas tam erat distentum & inflatum, ut capitis circumferentiam æquaret; eodem modo labia, nasus, frons, & cæteræ omnes faciei partes, tantâ celeritate, ut mox pectus unà cum ventre magni utris magnitudinem velut ostenderet; nec hoc solum sed ipsa intestina aëris vi impulsa rupto peritonæo, in scrotum omnia ferè descenderent; crura quoque & brachia similiter duplo crassiora videbantur, subitâ inflatione tumefacta: tandem ut uno verbo dicam, corpus totum horribilem quendam tympanitem repræsentabat; quod omne intrà dimidiæ horæ spatium factum est, & paulò post æger, antequàm ullis remediis adjuvari posset, animam efflavit, & post mortem cùm die sequenti ad sepulturam duceretur, adhuc totum corpus in eadem intumescentia & magnitudine perseverare conspexi. Simile accidens in vulneratis nec *Schenckius* nec *Marcell. Donatus*, *Dodonæus*, aut *Benevenius*, aut quispiam alius ex his qui rarissimas observationes scripserunt, attulit: quare tam subitæ ac prodigiosæ inflationis, & intumescentiæ causam sedulò indagare cœpi; dubitabamque an pulmonis inflammatio ex vulnere, simulque inflatio ab aëre externo, cum sanguinis effusi copia, naturalem pulmonis motum aliquo modo impedirent; quare cùm aërem ingredientem commodè suscipere non posset, nec ad arterias promptè demittere, per poros aër penetrando ad cutem usque deveniret, & eandem quasi tubulo inflaret. Secundò, dubitavi etiam an aliqua cordis læsio ob pulmonis consensum in causa fuerit, ob quam arteriæ vehementer pulsando in magnam dilatationem devenirent, atque ita aërem susciperent, quem velocissimè in corporis superficiem deferrent; læso quippe corde, & pectore vulnerato flatum in magna copia produci notavit Forestus *lib.* 17. *obs.* 1. in juvene qui in pectore vulnus accepit, cui cordis palpitatio tam ingens statim suborta est, ut extrà domum in qua æger decumbebat, etiam à transeuntibus palpitationis motus audiretur; quam quidem à sanguine effuso intus relicto, & concreto ortum habuisse tradit *Forestus*: quare etiam in præsenti casu à nobis adducto existimare possumus sanguinem in copia effusum aëriæ substantiæ materiam præbuisse, ut in vulnerato à *Foresto* adducto accidit, qui quidem aër totum corpus deinde inflaret, ac in utris modum distenderet. Prædictis itaque tunc acquievi, donec non multò post, authores de more evolvens, casum & rationem inveni, quam prædicti symptomatis nobis inculcant; quare quæ ab illis tradita sunt hîc adjungere non piguit.

In *observat.* Lazari Riverii *fol. mihi* 425. inter eas, quas ex *Petro Steve* chirurgo Monspelensi communicatas affert, prima est militis cujusdam, qui hastâ in parte anticâ thoracis confossus est, vulnere ad capacitatem penetrante; post duas horas ait ab accepto vulnere, totum corpus unà cum scroto utris instar inflatum fuisse, sed furfure torrefacto adhibito facilè detumuisse: de causa verò hujus exquisitissimi symptomatis, nec verbum quidem protulit. Cæterùm cùm nihil adeò exquisitum sit, ut rarissimè licèt, tamen aliquibus non occurrat, in tanta præsertim hominum & locorum varietate, idem symptoma in vulneribus pectoris primus omnium observavit & scripsit Henricus Smetius *lib.* 7. *miscel. med. epist.* 4. in juvene robustissimo Leodiensi, cujus historiam *lib.* 10. ejusdem operis iterum recitat, *fol.* 541. ubi insolens monstruosumque symptoma meritò appellat, cùm tam infrequens sit, & spectantibus horrendum; cujus etiam meminit Sennertus *lib.* 3 *praxis. cap. de tympanite*, vidisseque ait in studioso quodam, qui angusto gladio noctu in pectore vulnus ac-

accepit, in parte dextra circà tertiam costam, gladio ex adverso propè spinam exeunte, ut de læso pulmone nullum esset dubium. Uterque autem *Smetius* & *Sennertus* in causa exquisitissimi hujus symptomatis conveniunt; quare illam quam tradunt, hîc transcribere non gravabor. Sic igitur *Sennertus* citatus: *Rarum est illud, quod Smetius recenset loco allegato de tympanite, quem appellat universali, aut potius sarcite flatuoso in juvene quodam Leodiensi, qui cùm in conflictu subter axilla dextra ad insertionem musculi brachium adducentis vulnus accepisset, quod punctim factum inter tertiam, & quartam costam, quod in pectoris cavitatem penetravit; postridie vulneris accepti, toto corpore post unicam noctem manè turgidus apparebat, non solùm pectore, sed & dorso, ventre, lumbis, imò scroto quoque, prætereà & brachiis, humeris, collo, vultuq́, ut ne palpebras quidem diducere posset; quin etiam in vertice ipso, cute ubique distentâ & tumefactâ: tumor erat tensus, & cum dolore non parvo, qui tamen lenimentis dissolventibus corpore uncto, paulò post evanuit. Causam universalis istius tumoris refert Smetius in sufflationem pectoris per vulnus axillare obligatum subter cute, nocte illa factum; quo modo vesicam recentem & flaccidam inserto calamo à pueris inflari videmus, aut laniones pellem ovillam, antequam, & quo facilius deglubant, flatu distendere alicubi solent; cui (modò ista opinio rectè explicetur) assentimur: etenim pulmo respirationis organum est, per quem & fuligines è corde expelluntur, & aër attrahitur, quæ actio pulmonis, illius substantiâ integrâ, & vasis omnibus salvis rectè perficitur, & aëris ille commeatus est ad cor & fuliginum à corde; si verò pulmo vulneretur, & simul inter musculos duos, vel musculos & cutem aëri via pateat (quod in utroque vulnere factum) aër ut debebat, non rectà per os & pulmonem ad cor transit, nec sursum fuligines è corde rectà ad os, sed aër ex vulnere quasi è folle in spatium inter cutem & musculos inflatur & hinc porrò in vicina penetrat: si enim catarrhi, ac serosi humores à capite sub cute totum musculosum genus pervadere, & per collum ac dorsum ad crura usque & pedes penetrare solent; cur non aër, & spiritus flatulentus idem facere poterit? at videmus cutem etiam in multis animalibus, ut columbis, dum pro esca parantur, inflari posse. Sed hic casus ad tympanitis morbum, ad quem eum refert Smetius, referendus non est, &c.* Hæc *Sennertus*, qui cum *Smetio* putat aërem externum à pulmonibus respirationis motu per vulnus attractum, cùm inveniat cutem ob vulnus factum à musculis aliquantulùm separatam, per ipsam facilè sese insinuare, & attrahendi pulmonis actione impulsum, in totum corporis ambitum subtus cutem se diffundere, unde ingens tumor ventosus per totum corpus resultet.

Sed licèt iste dicendi modus in difficili subitæ hujus inflationis causa reddenda accipi posse videatur, tamen aliqua manet dubitatio; quia si ob assignatam rationem, & non ex alia causa cutis illa intumescentia oriretur, videtur quòd non ita raro, sed frequentiùs deberet accidere, cùm pectore & pulmone vulnerato pronum esset dari in aliquibus illam vulneris dispositionem, seu cutis & musculorum separationem, quæ aëri recipiendo, dum à pulmone attrahitur, ingressum præstaret: sed cùm rarissimè hoc accidat, ut à paucissimis observatum atque adnotatum sit, aliquid hîc ulterius quærendum, quod huic raro symptomati causam præbere possit. Itaque statuendum est, ut ex relatis historiis patet, omnes illos, in quibus hoc visum est, pulmones habuisse vulneratos; unde cùm propter debilitatem ex vulnere officio suo rectè fungi non possint, quodammodò propter cordis refrigerii necessitatem, aërem quidem attrahere, illum tamen ob debilitatem commodè recipere, ac retinere non posse; quo fit ut iterùm pars aëris attracti per vulnus exeat, quo tempore cùm pulmo ab actione non cesset, atque alium continuò attrahat, fit ut externus alius ingredi contendat, sicque ex ingredientis & egredientis aëris mutuo afflatu quædam ad vulneris ostium contrarietas & resistentia accidat, cujus ratione cutis à musculis quibus connexa est aliquantisper recedat & dehiscat, locumque præbeat ut aër subtus ipsam penetret, qui impulsu suo & alterius de novo accedentis, ulterius cutem à musculis sejungit, ut locum sibi faciat, quem celeriter replet: & forsan non quævis pulmonis læsio, sed alicujus illius partis determinatæ rarissimo huic symptomati causam præbet, quod subtilioribus ingeniis indagandum relinquimus.

QVÆSTIO NONAGESIMASEXTA.

De viperæ morsu casus admirandus, cui de venenosorum animalium ictibus & morsibus rarissimæ historiæ adjunguntur & enarrantur.

1. Ex relatione cujusdam Fratris Ordinis Carmelitarum sequentem historiam prout accepi referam; ille igitur mihi tanquam testis oculatus narravit, quòd apud oppidulum quoddam juxtà Antequeram, Hispaniæ urbem notissimam situm, cùm plebejus quidam & infimæ sortis homo vineam suam effoderet, dum bidalium, seu ligonem in fruticetum immitteret, à truculenta vipera subtus commorante saltu commorsus fuerit in manûs superficie externa duobus digitis infrà carpum: rusticus verò præsentissimum periculum metuens intrepido animo prægrandē cultrum, quem secum gestabat, protinus arripuit, & ad arboris truncum admotam manum unico ictu juxtà carpum abscidit; quo facto quantâ potuit celeritate in domum se recepit, ubi probè curatus, post paucos dies convalescens, quâdam velut misericordiâ commotus, quòd suam ipsius carnem bestiis obviam, & inhumatam reliquisset, ut manum perquirat & decenti loco sepeliat, iterum ad propriam vineam, & locum ubi eam absciderat, ire decrevit. Igitur sequenti die, ne major fieret mora, parvum asellum conscendit, ad vineam properat, & ibidem ad locum ubi manus relicta fuerat: mox eandem invenit nigram, putridā, ac satis turgidam maligno ichore, à viperæ suscepto veneno refertam, ut alterâ manu tangere meritò formidaret; quare parvum fustem propè jacentem arripit, cuspidemque eo modo, quo potuit, ferro illi adaptavit, ut ligno infixam manum secum deportet: sed jam attende fati mirandam vim! ecce cùm fustem in ipsam immittere conatur, ruptâ cute sanies admodum venenosa, & maligni ichores, qui subtus latebant, subitò erumpentes, in hominis faciem impingunt; quam licet linteo mundare ac detegere niteretur, tamen paulò post ex virulenta materia, & satis maligna, facies acriter dolere & intumescere cœpit, venenoque celerrimè per arterias ad cor serpente, die sequenti sublatus est.

Quod mirabile hîc se offert, est inprimis miseranda hominis sors, quæ illum ad viperinum venenum destinatum semel atque iterum exposcebat; deinde veneni ingens vis, quod à fera jam exclusum, & intrà abscissam manum per tot dies derelictum, à pernicie & sua deleteria vi nil imminuit, imò infectis ac corruptis putridæ carnis humiditatibus easdem adeò venenavit, & malignas reddidit, ut citrà ullum morsum, aut continui solutionem in faciem impingentes, solo arteriarum motu, perniciosa vis per totum corpus velocissimè decurreret, & perquàm celerrimè ad principes partes deveniens acutissimâ veneni vi homo breviter succumberet. Non

2. longè ab hoc periculo absuit Jacob. Riconius, qui prout simili ferè historiâ narrat Vidius 1. *de curat. gener. p. 2. cap.* 13. cùm venabulo ingentem anguem transverberâsset, virus expressum ad manum pervenit; unde in ea tumor, qui totum brachium cum intolerabili dolore occupavit, è quo maximè periclitabatur nisi à Juliano ejusdem Vidii patre convenientibus remediis adhibitis celeriter adjutus fuisset, quibus quantumvis cum labore convaluit.

Harum historiarum occasione alias afferam animalium, quorum venena tam perniciosæ ac stupendæ activitatis conspecta sunt, ut non solùm carnem tangendo, sed intermedia quævis corpora penetrando & per ea velocissimè serpendo, celerri-

3. mè homines infecisse & confecisse observatum sit: & inprimis de viperini veneni ingenti pernicie paucula subnectam, quæ tanta est, ut sæva & timoris plena symptomata statim excitet. Dirum quippe est, fatale, horrendum, indomitum, ac velut insuperabile, quod nisi demorsum locum validissimo vinculo constringas, ut sic interceptâ viâ altiùs in corpus diffundi non possit, celerrimè interficiat; ideoque multi commorsi ut tantum periculum omninò vitarent, intrepido animo partem demorsam ferro sibi ipsis absciderunt, ut de tribus qui ita fecerunt narrat Galenus 3. *de locis affect. cap.* 8. quod Hispanis adeò commune est, ut præter illum cujus historiam narravimus, alium etiam rusticum viderim,

qui

qui in digito commorsus, sibi protinus absciderit; quæ sanè insignium venenorum ictu aut morsu inflictorum, quale viperinum est, tutissima est curatio, cum aliter adeò insuperabile à veteribus quoque judicatum sit, ut Æsculapii virgâ tantummodò refrænari posse existimaverint, ob idque illum cum baculo depingerent cui vipera circumvoluta erat, ut ex veterum mente adnotavit Thomas Dempsterus *lib. 2. antiq. Rom. cap. 17.* quid mirum? si caput à vipera præcisum, & per horas 24. jam à corpore separatum, hominem lethali morsu affecisse, & exanimâsse visum est, ut Patavii accidisse testatur *Barthol. Ambrosinus* apud Aldrovandum *in serpent. cap. de vipera*: adeò enim horrendum, & ad necandum efficax est venenum, ut ad toxicum *Nicander* illud comparaverit, quo prisci sagittas inficiebant, ut lethalia vulnera & incurabilia inferrent; imò ex viperina sanie humano sanguine admixto Scythas toxicum illud parare consuevisse author est Plinius *lib. 11. cap. 52.* & Rhodiginus *lib. 3. cap. 10.* qui ex Aristotele *in admirab.* modum profert, quo illud toxicum parabant: quemadmodum etiam Æthiopes, qui lethalissimâ cujusdam plantæ radice sagittas confricabant & inungebant, sicuti de Charibibus (ferocissimum apud Indos hominum genus est) *lib. 4. plantarum cap. 15.* scribit *Theophrastus.* Itaque ut de atrocissimo hoc veneno finiamus, Cardanus 2. *de insomniis*, illius potentiam in tantum extollit, atque commentus est, ut scripserit, quòd si mulier gravida viperam peperisse somniaverit, brevi temporis spatio sit interitura; quod licèt ut somnium inter somnia narrari possit ac debeat, tamen ut tabificam viperini veneni vim, & illius atrocissimam perniciem ostenderet, hoc scribere non dubitavit; quandoquidem hominem à viperæ ictu trium horarum spatio vitam cum morte commutâsse se vidisse scribit Brassavola 4. *aph.* 62. quod adhuc parùm videbitur, si cum illo conferatur, quod ex *Pausania* refert *Ælianus*, hominem vidisse ab impetu insequentis viperæ fugientem, ac propterea arborem celerrimè conscendentem, ad quam vipera accedens pestilentem adeò halitum efflavit ut hominem illicò peremptum dejecerit; quod sanè si verum est, basilisco haud inferiorem malignitatis vim habuisse dicendum: differunt siquidem pro locorum, sexûs, & individuorum naturâ viperæ, unde talem aliqua habere potuit, quandoquidem in omnibus nunquam non perniciosissima existit, ut plurimi experti fuerunt, qui ab illa demorsi digitum ictu vulneratum & sanguine manantem ori imprudenter admoventes, ut suctu dolorem levarent, repentè extincti sunt, ut de quodam narrat Mathiolus *lib. 6. in Dioscor.* qui cùm falce, quâ herbam demetebat, per medium viperam rescidisset, ac securum jam se existimans, dimidiam feræ partem, cui caput adhærebat, manu apprehendens ab ipsa commorsus est. Eodem modo alteri evenit apud Amatum *cent. 3. curat.* 14. qui cum alio iter faciens, viperam, quam in arboris trunco per cavernam conspexerat, manu citrà noxam tractaturum cum commilitone spondebat, ac ipsam ad viperam arripiendam propè emittens, ab ipsa truculentâ & immobili permanente, dicto ocyùs in digito ictus, ut sanguinem sugeret, ad os admovit, ac breviter mortuus concidit, ob contactum exitialis veneni in partibus oris internis, à quibus in ventriculum & cor promptissimè communicatio facta est.

4.

5.

6.

7. *...uorun-m ser-atum enenosa t maxi-...*

Sed multò inferiora hæc videbuntur, si cum aliorum animalium & serpentum potentissima veneni vi, ac malignissima comparentur; tanta quippe inventa fuit in aliquibus efficacia & pestifer halitus, ut illo solo citrà ullum ictum, aut corporis contactum ad distans inficiant, enecent, aut per medium aliquod interpositum corpus citissimè pervadendo hominem & quodvis aliud animal interficiant. Narrat *Maphæus* in nonnullis Indiarum locis serpentes inveniri, quorum halitus adeò pestilens est, ut vel à longinquo prætereuntes interimat: ex quo non prorsus fabulosum judicare licet illud quod refert Albertus Magnus 2. *de proprietat. aliment.* cujus aliàs jam hoc opere meminimus: Philippi Macedonum Regis tempore in quadam via inter duos montes Armeniæ, quæ à multis diu ut salubris frequentata fuerat, subitò tantâ corruptione aërem infectum, ut transire volentes morerentur statim. Scrutatâ tandem causâ (quam nullus invenire poterat) ab uno Socrate inventa est: ille enim de Regis voluntate propè locum illum altissimam turrim fabricari jussit, apposuitque in ea speculum minimè convexum, nec concavum, sed tersum nitidum ac planum, ut plani ad illud planum ab omni loco fieret reflexio: quâ industriâ duos vidit magnos dracones, qui suo halitu

halitu, & pestiferis vaporibus regionem inficiebant, ac prætereuntes necabant: ajuntque Socratem tradidisse modum, quo dracones interempti, & ab illo loco sublati sunt. Porrò de alio serpente qui totam ferè regionem horrendo halitu inquinaverat, Bragadæque fluminis aquæ usum Romanis militibus interdicebat, scribit Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 8. Similia sunt, quæ de catoblepa & basilisco narrantur, quæ animalia fabulosa non esse adversùs *Cardanum* & alios *quæst.* 65. jam antè ex multis SS. PP. locis & authoribus aliis ostendimus: quare non est cur idem *Cardanus* fabulosum existimet illud, quod de illius pestifero halitu narrat Avicenna 6. 4. *tract.* 3. *cap.* 22. militem scilicèt, qui lanceâ eum tetigit, & equum quoque interfecisse; quod ante illum Plinius *lib.* 8. *cap.* 21. scriptum reliquit: *Creditum*, inquit, *ex equo occiso hastâ, & per eam subeunte vi, non equitem modò, sed equum quoque absumptum.* Nam quòd talem ac tantam habeat nocendi vim, ut suprà ipsum & foveam prætervolantes aves interficiat, firmant Solinus *polyhist. lib. cap.* 40. Æsius *tetrab.* 4. *serm.* 1. *cap.* 29. Ælianus 7. *de hist. animal. cap.* 1. Albertus Magnus *lib.* 25. *de animal. titul. de basilisco.* Rhodiginus *lib.* 33. *cap.* 21. Quidquid tam exitialem necandi vim præter *Cardanum* negent Mathiol. *in Diosc.* suprà citatus, & Hermol. Barbarus *lib.* 2. *corol. in Diosc. cap.* 219. cùm & in aliis venenosis bestiis eadem necandi potentia ac vis observata fuerit, aut sanè paulò inferior; quantò potiùs in illarum rege basilisco, omnium exitialium maximo, prædictam necandi vim inveniri absonum non sit credere? Idem *Mathiolus* scribit *in comment. ad præfat. lib.* 6. *in Diosc.* rusticum quendam in agro Tridentino serpentem hastâ confodisse, ac subito mox terrore correptum, non nisi theriacâ & aliis antidotis evadere potuisse, ac tandem per duos sequentes annos universi corporis stupore læsum semper ægrotâsse: sed alium eventum habuit Anconitanus ille apud Amatum *cent.* 1. *curat.* 62. qui dum vineam amputaret, prægrandem, quem invenit, serpentem occidens, illicò capitis dolore & febre correptus 11. die obiit; quare arbitratur author tabificam vim feram ex intervallo homini communicâsse per occultum effluvium: non aliter quàm de Pallavicino quodam tradit Scaliger *exercit.* 200. qui Hispanicâ lanceâ serpentem interfecit, qui tamen tam pestilenti afflatu medium aërem, fortè & lanceam, infecit, ut equitem simul & equum morte deleverit, quod in agro Ferrariensi accidisse ait, ubi serpentum maxima est copia. Nec hanc serpentum malignitatem ignoravit *Ovidius*, cùm 3. *metamorph.* de illo agit, quem Cadmus occidit:

De hoc serpente l. . . rus apud Bodinum multa in theatro . . . turæ lib.

> *Occupat hos morsu, longis amplexibus illos;*
> *Hos necat afflatu, funestâ hos tabe veneni.*

Cùm igitur tam ingens nocendi pernicies toties ab antiquis & recentibus animadversa sit, tot casus & historias fabulas credere non debemus, cùm præsertim Torpedinis similem vim Galenus 6. *de locis*, & omnes ferè medici recipiant, ac fateantur; ut

8. propterea in prædictis serpentibus eandem potentiam, & veneni vim dari posse negandum non fuerit, cùm multa alia id quoque attestari videantur, insignemque serpentum malignitatem ostendant. Visa aliquando sunt ligna à serpentum cavernis extracta, ex illorum contactu adeò venenosa, ut ignita fumum excipientes interficerent: prodit quoque *Ponzettus Cardinalis*, quendam interiisse, cùm se lavâsset in aqua lignis calefacta, quæ secùs serpentum cavernas excisa fuerant; quid mirum? si

Bufonum halitus quam venenosus ac noxius.

9. non minor nocendi vis & pestilens halitus ab aliis animalibus prodeat, & in plantis circà quas stabulantur, sæpiùs derelinquatur: idem Ponzettus *lib.* 3. *cap.* 12. historiam refert de bufone cannâ interempto, à quo interfector satis venenatus evasit; cui similem aliam scribit Androinus *lib.* 4. *de venenis cap.* 7. Ideò bufonum olfactum tanquam nocentissimum cavendum non pauci consulunt, cùm vaporibus ab illo expirantibus homines stupefaciat, intoxicet, enecet, ut citati tradunt *Androinus* & *Ponzettus*: execrabilem quippe esse illorum halitum, ac summè venenosum docent etiam Porta 3. *Phytog. cap.* 4. & 6. Libavius *lib.* 2. *batrach. scholio ad cap.* 17. Zacchias *lib.* 2. *quæst. medico-legal. quæst.* 3. & 9. quod satis confirmare videntur historiæ illæ, quarum in superioribus meminimus ex Paræo *lib.* 20. *cap.* 24. Mizaldo *cent.* 1. *memorab.* bufonum, qui subtus salviæ radices existentes, vaporibus tetris adeò plantam venenârunt, ut illius folia vino injecta potantes illicò interfecerint: quod adhuc parum videbitur, si verum illud est quod *Philipp. Salmuth.* scribit *cent.* 1. *obs.* 59. de bufone, qui hospitium pestilenti adeò halitu infecerat ut quamplurimi ibi pernoctantes sequentē solem non

vi-

viderint; quousque tandem conspectâ atque interemptâ truculentissimâ bestiâ hospitium ab infectione liberum evasit. Quare audiendus non est Pigræus *lib. 7. chirurg. cap. 9.* cùm negat dari posse venenum, quod ad distans olfactu aut odore offendat, cùm tamen hoc sæpius visum fuerit, ut ex relatis historiis & authoribus patet.

Tandem quod in prædictorum halitu, vaporibus, & afflatu visitur, in aliorum tactu non inferiorem veneni vim inesse ipsa aliquando experientia docuit. Aranei communiter non ita hominibus nocui reperiuntur, sed bufonibus plerumque & serpentibus exitialissimos esse præter Naturales tradit quoque Erasmus *dialog. de amicitia pag. 626. 627.* Cæterùm & pro speciei naturæ diversitate nocendi malignitate non parum differunt: Laguna *sup. Dioscor. lib. 6. in annotat. ad præfat.* scribit Florentiæ ex araneo venenoso per incuriam in ollam decidentem, plurimos monachos ex ea comedentes extinctos fuisse. Mercurialis 1. *de ven. cap. 17.* ex *Nicolo Florentino* refert omnes ferè monachos cujusdam cœnobii in eadem urbe Florentia consumptos fuisse ex potu vini, in quod pestifer araneus inciderat. Sed de araneis, & illorum malignissima vi majora multò apud authores leguntur: idem Nicolus *serm. 4. tract. 4. cap. 23.* quendam ait Lombardum Florentiæ in hospitio Coronæ dum nigerrimam araneam ad candelæ lumen comburere tentâsset, ex illius fumo in lipothymiam incidisse, deficiente pulsu, ut vix percipi posset; unde parùm à morte abfuit, nisi theriacâ, diamusco, & lapide bezoar citissimè curatus fuisset. Scaliger *exercitat. 186.* cujusdam speciei aranei meminit, qui à quodam Vicentino calcatus venenum per calceamenti soleas transmiserit, atque in hominem pervenerit, quem satis offendit. Similem casum aliàs narravi, quem à quodam nobili amico accepi, & fide digno: hic sæpiùs mihi narrabat, à patre suo audivisse, quòd illius avunculus, dum ruri venaretur, fortè in locum inciderit, in quo vipera cum truculentissimo araneo morsibus contendebat; sed illo accedente vipera in fugam se dedit, tunc ad araneum propè accedens pedibus illum conculcavit, ex quo protinus ingentem in pede dolorem sensit, mox tumor & inflammatio supervenerunt, cum veneni malignis accidentibus; à quibus licèt rectè curatus in magno vitæ periculo versatus est: quæ tamen mirari non debemus, cùm multò adhuc majora de aranearum venenositate apud authores habeamus. Libavius *lib. 1. batrach. cap. 11.* de quodam equite narrat, qui cum ingenti bufone dimicantem araneum fortè inveniens, araneum virgâ dejicere tentavit, quam ad regendum equum manibus gestabat; sed parte illa, quâ virga araneum tetigit, tantâ veneni vi imbuta est, ut ocreas tangens per ipsas venenum ad equitis tibiam diffuderit, penetrante intus virulentiâ, quæ mox ingentem tumorem cum cruciatu excitavit: quod si verum fuit, execrandæ & horrendæ efficaciæ virus continebat, & non minoris forsan virtutis, ac ille alter araneus ad cujus transcursum speculum in Vasconia crepuisse refert *Scaliger* citat. Ex quibus concludere possumus, quàm ineptè quidam affirmare audeant, externa venena admota nullum causare effectum; quod contendit Andreas Baccius *in prologo de venenis cap. 14.* cùm tamen contrarium omnes admittant, & ipsa experientia sæpius docuerit: quod probè nôrunt etiam Jurisconsulti in *l. item obstetrix §. si quis per vim ff. ad legem Aquiliam*, in qua pœnas imponunt iis, qui inunctionibus aliquem venenârint: quare vestes veneno infici posse testantur Androinus *lib. 1. de venenis cap. 8.* Gainerius *de venenis cap. 22.* Ponzettus *lib. 7. cap. 2.* prætereà libros, chartas, subsellia, ocreas, calcaria, stapedes eodem modo infici posse, ut homo interimatur, communiter fertur; quorum omnium exempla afferuntur à Nicolo Florentino *serm. 4. tract. 4. c. 5.* Gainerio *c. 1. & 2. de venenis*, Mathiolo *loco suprà citat. in præfat. in lib. 6. Dioscor.* Grevino *lib. 1. cap. 1.* & aliis; licèt Bodinus *lib. 2. magiæ dæmon. cap. 8.* & Delrius *lib. 3. disq. magi. sect. 2.* adhuc tantam in venenis potentiam denegent, & superstitionibus dæmonumque ope hæc potius fieri credant, non veneni viribus: quod sicuti aliquando fieri posse non negamus, ut ex innumeris historiis apud ipsos, *Springerum* quoque, & apud alios constat; ita tantæ activitatis venena dari posse cum medicis quamplurimis non diffitemur, ut præter adductos tenet etiam Joubertus *paradox. 10.* Invenit siquidem sceleratorum hominum malitia componendi modum, quo lethalissima venena pararet, ac momento citius interficientia: circumforaneum quendam ab alio ejusdem farinæ olfactu floris caryophylli in publico foro interemptum refert *Mathiolus*. Narrat *Paræus* Clementem VII. Pontificem venenatæ facis toxico per fumum exeunte

10. ...aneo... quo... dam ...ens veneni vis.

...ena ...ri adeo ...icacia exterius ...mota ...idant. 11.

extinctum fuisse; quod forsan venenum ejusdem naturæ fuit cum illo, quod Franciscum Ordelaphum Forlivii Capitaneum habuisse tradit Nicolus *serm.* 3. *sum.* 2. *cap.* 9. & *tract.* 4. *c.* 6. ut repetunt *Mercurialis* & *Schenckius*, quod igni injectum omnes circumstantes illicò interimebat. Et licèt de malignissimis istis vaporibus aliquis arguere possit, ideò tantum nocumentum causare, quia inspiratione ad partes internas perveniant; aliter tamen dari venena, quæ ex solo contactu interficiant, non raro observatum est in illis, qui ex vestibus, ocreis, chirohecis, stapedibus, aliisve rebus veneno infectis mortui sunt: præter quæ etiam narrat Bovestiau *in theatro mundi minoris* militem Florentinum ut aëre potiretur, cassidem à capite detraxisse, interimque contrarium murrhionem veneno intus circumlivisse, unde cùm adhuc sudans illam iterùm capiti imponeret, statim corruit.

Author quoque est *Pigafeta*, in Ticloro Molucarum insula veneficos quosdam fuisse, qui obviorum manus unguento quodam oblinebant, cujus vi paulò post interirent: imò apud alios legimus inventa fuisse venena, quibus januarum ansis inunctis, quicumque eas tractarent statim perirent. Siquidem unguentis & pulveribus ab impiis & sceleratis hominibus repentinas mortes, & ipsissimam quandoque pestem inductam, ex multorum relatione & historiis constat, quod quoque suo tempore factitatum scribit Livius *lib.* 8. *decad.* 1. M. Claudio Marcello & T. Valerio Coss. ut etiam narrat Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 5. hoc pacto refert Saxonia *lib.* 11. *de phænigmis sect.* 2. *cap.* 1. Patavii similem pestilentiam ex eadem causa accidisse anno 1555. à fomite quodam, ab iniquis hominibus hinc inde consperso: quin & anno 1630. propè Milanum impios quosdam Gallos homines idem scelus committere tentâsse, vulgatissimum fuit; pestiferis enim nescio quibus pulveribus contagium excitâsse ferebantur, quo innumera populi multitudo moriebatur, adeò ut universa ferè Europa de execranda hac nequitie non timeret solum, sed appositis excubiis sibi cavendum duxerit. Vratislaviæ, & Francostenii in Silesia idem periculum expertum, cùm vespillones quidam tale facinus tentâssent, tradit Sennertus *lib.* 4. *de causis pestil. cap.* 2. aërem siquidem à maleficis corrumpi posse concedit Grevinus *cap.* 1. *de venenis*, cujus rei alia exempla afferunt Petrus Droëtus *de peste cap.* 10. Anton. Portus *tract. de peste*, Horat. Augenius *tom.* 1. *epist. lib.* 4. *epist.* 1. & *lib.* 1. *de peste cap.* 3. Thomas Jordanus *de pestis phænom. tract.* 1. *cap.* 18. Wierus *de venef. cap.* 37. Saxonia *de plica cap.* 11. & 12 apud quos omnes horrendæ tanti sceleris historiæ leguntur, quæ contagia & hominum multorum miserandas strages veneficâ & diabolicâ industriâ procuratas fuisse ostendunt. Nam hujusmodi morbos, & mortes à dæmone induci posse plurimi attestantur *Iamblicus*, *Porphyrius*, *Eusebius*, *Magister Sentent. D. Thomas*, & *Avicenna*, qui melancholicorum exemplo non renuit, & de peste, quòd diaboli & malorum hominum ope causari possit, ut quoque Trismegistus *in Pimandro* affirmat: & de facto apud Ephesios pestem à dæmone excitatam author est Philostratus *lib. de vita Apollonii Thyanei*, quod absque dubio ipsius Apollonii tempore accidit, nam de illo narrat Ficinus 3. *de vita cælitus compar.* Ephesii deprehendisse senem sub cujus figura lateret dæmon, qui suâ solâ præsentiâ totam civitatem peste contaminaverat. Apud Constantinopolim etiam mirum pestilentiæ genus à dæmonibus inductum memorat Rhodiginus *lib.* 2. *antiq. lect. cap.* 6. aliamque hujusmodi apud Italos in civitate Cassali à veneficis excitatam unguento quodam, quo portarum vectes inungebantur, refert Cardanus *lib.* 15. *de rer. variet. cap.* 80. *in fine.* Quare hoc tanquam indubitatum tenet Schenckius *lib.* 6. cum Wiero *lib.* 3. *de venef. cap.* 35. ibi adducto, & *Saxonia* in locis citatis, qui *lib. de plica cap.* 11. mirum aliud narrat, pestem scilicèt à sagis & maleficis jam defunctis inductam; quod licèt fabulosum aliquibus videri possit, tamen non improbat Sennertus *de peste* loco suprà citato & Ambr. Nuñes *p.* 1. *de peste cap.* 12. qui ex Nicephoro *cap.* 20. *lib.* 18. & Theophano *in vita Mauritii Imp.* hoc verum esse ostendit, multisque non solùm ex S S. P P. adductis locis, sed horribili dæmonis historiâ, qui veru quod manu gestabat, portas percutiebat, tot in domo morientibus, quot forent ictus, quos ad fores incuteret.

12. *Pestis ex unguentis, & pulveribus.*

13. *Pestis à dæmone per veneficos induci potest.*

Quæ cùm ita sint, & dæmon veneficique ad similes excitandos morbos non nisi naturalibus medicamentis utantur, eâdem arte & industriâ nequissimorum hominum parari aliquando posse credendum est, & tam pessima venena componi, ut promptissimè vestibus, aut externis rebus tantum applicita, mortem inducant: ita Turcas vene-

venenum habere, quod solo tactu eadem die interimat, affirmat Cardanus *lib.* 1. *de venen. cap.* 15. & Mathiol. *loco allegato*: sic Sultanum, quem ab incunabulis pater veneno nutriverat, adeò exitiosum redditum scribit Clusius *in annot. ad lib.* 1. *Garciæ ab Horto cap.* 25. ut quempiam ex satrapis, quem interficere decreverat, ad se accersitum, nescio quæ folia, & mali Assyrii tambalos masticando, atque in faciem expuendo, continuò neci daret: ut omittam interim puellam napello nutritam ab Indo Rege Alexandro missam, ut tradunt *Aristoteles, Plinius, Galenus, Avicenna*; & aliam, cujus ex *Ruphi* sententia idem *Avicenna* meminit *lib. de virib. cordis*, & Mercurialis *lib.* 1. *de venenis cap.* 9. Sunt quippe multa & occulta rerum effluvia, per quæ multi & admirandi in rebus naturalibus effectus fiunt; quorum naturam cùm ignoremus, hinc est, quòd aut verissima quædam negemus, aut obstupefacti causam reddere non possimus, licèt effectum videamus: quis enim est qui totam rerum naturam penitissimè comprehendere potuisse existimaverit? cùm mille facies, mille ludos illa quotidie ostendat, quos non faciliùs assequemur, quàm Authoris infinitatem adipisci valebimus. Concludere igitur possumus tantam in quibusdam exitialissimis serpentibus vim inesse, ut solo externarum partium contactu perimant, in quorum catalogo sunt basiliscus, catoblepa, dracones, alati scorpiones, cenchris, hæmorrhois, dypsas, cerastes, dryinus; quibus etiam efferatas viperas annumerare possumus, & rabidi canis spumam, de qua etiam ad distans lethaliter inficere posse *quæst.* 61. *in fine* ex multorum sententia adduximus, & tactu hominem lædere cum Galeno 6. *de locis* 5. affirmant plurimi: quæ etiam maleficentissima vis in aliquibus ex marinis invenitur, ut de torpedine, & pastinaca marina communiter multi tradunt, sicuti de quamplurimis aliis venenis arte paratis, ut latiùs jam vidimus.

14.

QUÆSTIO NONAGESIMASEPTIMA.

Philtri, & superstitionis exemplum rarissimum proponitur, cui ex eadem materia plurima alia annectuntur.

Prætorem Carmonensem cum Causidico Ximenes quâdam die in civitatis suburbio deambulantes, cùm fortè illic transirem, offendi: statim me vocant, ac petunt, ut ad invisendam quandam puellam accedere vellem, præcipiuntque ut attentè inusitatum morbi genus observem, de quo apud ipsos non levis esset suspicio, quòd à causa minimè communi & naturali ortum habuisset: discedo protinùs, & ad ægrotantis domum nullâ factâ morâ propero, ipsam invenio sedentem, ac brachia sine ulla intermissione assiduo motu in partem dextram & lævam irrequietè ac velociter trahentem, ut nullâ persuasione à prædicto movendi conatu cessare, aut quiescere vellet; quare de causa & morbi origine inquirere incipio: mater & adstantes aliæ mulieres nil aliud scire dicebant, nisi quòd à 20. jam diebus illius parentes filiam hanc cuidam noto juveni locare statuissent; hinc factum fuisse, ut adolescens futuri soceri domum adiret, ad cujus primum aspectum puella veluti cæca, & luminibus privata manserit, ita ut claris adapertisque oculis nihil cernere diceret: sed transactis tribus quatuórve diebus, cùm secundò prædictus sponsus ad illam invisendam iterùm accederet, paulò post ab illius discessu, mutam & surdam derelictam fuisse, ut nil audire aut loqui valeret: tandem sequenti aut altero die, cùm tertiò ad puellam videndam idem adolescens ingrederetur, præter dicta omnia hoc quoque additum, ut indesinenter in horrendam illam brachiorum motionem devenerit, in qua jam à 14. diebus permanebat, nullo modo quiescens, nisi somni tempore, quem parcum satis capiebat, & expergefacta ad motum illum inordinatum brachiorum redibat statim, cibum aut potum nullum petens aut capiens, nisi à matre ori inderetur, quem intrà os appositum devorabat; nil videbat, nil audiebat, nilque tandem respondebat, aut loquebatur. Hinc de superstitione non immeritò suspicari cœptum, & fama vagabatur; quapropter judex comprehensum juvenem jam in carceribus detinebat. Judicium meum in ægritudine minimè vulgari, facilè ac

1.

ex

ex unica tantùm invisione interponere nolui, etiam judice postulante, maximè cùm alter medicus morbum naturalem esse, & ex causis naturalibus provenisse affirmare non dubitaret, & ad melancholica deliria inusitata hæc symptomata referret.

Cùm igitur per sequentes dies puellam reviserem, ac in eodem statu & brachiorum motu semper permaneret, an rarissimum hoc morbi genus à causa naturali oriri posset, sedulò indagare cœpi; quia si ita esset, ad nullam aliam, quàm ad melancholica deliria pertinere conjectabam: quare cùm melancholicorum innumeræ sint delirandi species, & symptomatum quoque mira varietas, aphoniam illam ex mœstitia provenire posse conjectabam; est enim melancholicorum & maniacorum proprium infidam ac fictam quandam taciturnitatem ostendere, sicuti aliorum præ insigni tristitia, & animi angore nil loqui. Dubitabam etiam an illa surditas & cæcitas fortè ex rationis depravatione fictæ essent, potius quàm reverà ægra prædictis sensibus privata esset, maximè cùm nulla suffusionis adesset suspicio, & oculi sine ulla læsione clarissimi apparerent.

2. Illud prætereà sese offerebat an melancholiæ attonitæ dictæ, aliquid simile ægra hæc pateretur; quod non immeritò suspicari poterat, cùm in hoc affectu ægri velut stupidi, & loco-motivâ destituti videantur, quodam loco affixi & immobiles hærentes; nam jacentes se non erigunt, sedentes non assurgunt, stantes subsistunt, nec sponte pedes promovent, nisi ab astantibus impellantur, & ad locum mutandum manuum operâ solicitentur; loquentibus, licèt attendere videantur, nihil respondent, surdis veluti auribus quidquid monitum fuerit prætermittunt, & quasi cogitabundi, & contemplatione aliarum rerum occupati, objectis visui, auditui, & tactui oblatis non attendunt; interim dormiunt, & vigilant, cibum ori admotum comedunt, & potum hauriunt; quemadmodum circà somnum, & cibum huic ægrotanti eveniebat: quæ omnia accidentia, licèt rarissima, tamen in quodam melancholico à *Iacobo Iano* Electoris Saxoniæ medico visa, & adnotata refert Sennertus 1. *prax. p.* 2. *cap.* 14. Sed & brachiorum manuumque continua illa agitatio ab eisdem delirantibus aliena non est, quandoquidem in febribus gesticulationem manuum phrenitidem ostendere, & exitialem esse 1. *prognost.* 23. scripsit *Hippocrates*; quin & *lib. de locis in homine text.* 130. sic ait: *Cùm homo manibus aut pedibus distortus ac distentus fuerit, insaniam sibi ipsi facit*; quam sententiam authores explicant non solùm de convulsivo motu, à materia aliqua nervorum principium pungente, sed interioris facultatis læsionem significare ajunt, ut latiùs in hujus loci *comment.* advertit *Lazarus de Soto.* Præter quæ etiam, ut à causa aliqua morbosa hujusmodi affectum provenire posse judicarem, aliqui casus, qui apud authores leguntur, suadere videbantur: similem quippe historiam narrat Rondoletius *cap.* 20. *de catocho*, & ex eo Forestus *lib.* 10. *obs.* 42. *in scholio*, cujusdam puellæ 15 annorum, quam parentes nupserant cuidam juveni, quem parùm amabat; postquam enim 8. dies cum illo vixerat, morbo correpta, in parentis domum adducta est, ubi in catochum & catalepsim, aut simile aliquid præ mœrore devenit, in quem tamen affectum non incidebat, nisi cùm de marito cogitaret, vel audiret de eo mentionem fieri, aut si ipsâ nesciente ad illam maritus intraret, & quod majus est, priusquàm illum videret, aut audiret: quòd si fortè esset in via gestans hydriam aquæ, eam deponebat & sedebat, & per aliquot horas in eo statu remanebat sedens, vel decumbens, oculis & ore aperto, sine sensu & motu aliquo. Quam sanè admirandam historiam nil aliud quàm superstitionem redolere quis suspicari poterat, ac non citrà rationem existimare.

3. *Chorea S. Viti, seu Viti saltus*

Sed & inveniuntur etiam aliæ melancholiæ sortes, in quibus non dissimilia accidentia apparent; mira est alia, cujus meminit Felix Platerus *lib.* 1. *observat.* appellavitque Viti saltum, alii choream S. Viti dicunt; dies enim ac noctes subsultu tam pernici, & agitatione tam perenni hac morbi specie detenti assiduè cursitant, ut præ defatigatione sudoribus undequaq; diffluant, nec tantillùm quiescere valeant, nisi immodicâ lassitudine, & inexpugnabili dormiendi necessitate coacti, cùm ad somnum capiendum invitè torqueantur, alioquin volatiles & irrequieti assiduis saltibus & cursibus agitantur; ut apud Cortracum, modicum Flandriæ oppidum, in quodam misero homine vidisse testatur Nicolaus Tulpius *lib.* 1. *observ.* 16. qui fortè illam melancholiæ speciem patiebatur, quam Arabes Kutubuth dicunt, Latini errabundam, quæ plerumque Februario mense ægros apprehendit; hâc siquidem infestati continuò

hinc

hinc inde vagantur, in nullo loco quiescentes, nec quò vadant scientes. Ex varietate siquidem temperamenti, & humoris melancholici diversitate, hoc aut illo modo magis adusti & corrupti, admiranda prodeunt accidentia: qualiter ex eadem causa fœminam Basileæ vidisse refert *Felix Platerus* suprà adductus, cui, quòd à tripudio & assiduo saltu continere se non posset, magistratus viros aliquot robustos constituerat, qui alternatim uno fesso, altero succedente, cum ea noctes diesque tripudiarent; quod mensis ferè spatio multis spectantibus duravit, sine ulla intermissione, etsi solearum pedum cutis ejus attrita esset; si verò aliquando ut cibum caperet, aut somno victa sedere cogeretur, tamen gestu motuque corporis inquieto interim nihilominùs corpus veluti saltans agitabat: quem tamen morbum ab humore melancholico, sed maligno, & tarantulæ veneno non absimili naturaliter in corpore genito, ortum fuisse scitè affirmant idem *Platerus* & *Sennertus*.

Tandem Nicolaus Tulpius *lib. 1. obs. 17.* melancholiæ, & læsæ imaginationis in alia fœmina visæ historiam aliam refert, quæ in brachiorum motu inordinato à nobis adductæ haud dubiè multùm similis videtur: *Vidimus*, inquit, *Carpensem mulierem insaniâ hâc percitam, ut indesinenter genu suum percuteret, modò dextro, modò brachio sinistro, sed ictu tam vehementi, ut quilibet ipsam maximoperè læsisset, nisi verberantis manûs impetum fregissent domestici, interposito molliori pulvinari; brachium quidem elevabat, ac deprimebat satis distinctè, sed motum ejus inchoatum vel incitare, vel retardare non videbatur in illius potestate esse, multò minùs integrè cessare ab hoc feriendi studio, quod intermisisset, nisi falsa imaginatio ipsam potenter eò pertraxisset; ac sic quinque menses incudem hanc tutudit.* Quare author prædictum affectum propriè satis malleationem vocavit, feriebat enim manibus genua sua non aliter ac fabri ferrarii iteratis ictibus incudem percutiunt. Hæc satis videntur nostro casui simillima, nisi quòd hæc fœmina jam uno, jam alio brachio assiduè genua feriebat, puella verò à nobis relata versus utrumque latus eadem simul indesinenter movebat.

Cùm igitur prædicti omnes casus, & similes alii in melancholicis inveniantur, & membrorum hujusmodi inordinatas motiones in mente captis, & delirantibus inveniri dubium non sit, ideò in nostra ægrotante à naturali quoque causa prædicta symptomata oriri potuisse, non ineptè conjectare poteramus; maximè cùm citati authores in supradictis historiis superstitionis alicujus mentionem non faciant, sed naturaliter illud accidisse statuant: licèt *Sennertus* in choreâ S. Viti, nonnullos dicat talem affectum ad veterum enthusiasmum retulisse, & causam supernaturalem habere potuisse non immeritò aliquos judicâsse; quemadmodum sedecim viris & tribus fœminis accidit choream in cœmiterio quodam ducentibus, quibus ultrà quàm par erat in crepundiis pertinaciter durantibus, ita ut officia sacra impedirent, evenit ut sacerdos illis imprecaretur, ut ad annum in ducendis choreis persisterent; quod divinâ voluntate annuente ita accidit anno 1012. ut ex *Vincentio* refert Belluacensis *lib. 2. cap. 10.* quod etiam apud Venerum *in temporum enchirid.* legisse memini. Sed aliàs in illo veterum enthusiasmo sæpiùs se dæmon immiscere consueverat, quemadmodum in casu puellæ à nobis adductæ accidit, in cujus ęgritudine superstitionis non parùm inesse ex quibusdam conjecturis tandem asserere ausus sum: quod parentibus cùm exponerem, statim illam ad quasdam sagas ex aliorum consilio adduxerunt, quarum remediis post triduum filiam sanam & à prædictis omnibus accidentibus liberam in domum reportârunt; nam quibusdam susurratis diabolicis verbis, & cæremoniis aliis, ut audivi, adhibitis, vomitus secutus est rerum admodùm fœtidarum, cum pilis, stupis, & duobus retortis clavis, aliisque incognitis materiis, à quibus immunis quievit statim, auditum, visum, ac vocem recuperavit, & cum prædicto adolescente nupsit; nam (ut posteà innotuit) cujusdam pessimæ mulierculæ, quæ ipsius juvenis nuptias ambiebat, dolosis artibus hæc omnia perpetrata fuerant. Dæmonis siquidem opere & pacto fieri maleficium, fascinum, incantationes, philtra & præstigiorum mille alias sortes, poculis exhibitis, verbis prolatis, orationibus appensis, gestatis characteribus, figuris, annulis, carminibus, vel aliter sonis, cantibus, numeris, potionibus, suffitibus, odoribus, & conjurationum innumeris aliis modis certo certius affirmant Codronchus *lib. 3. de venef.* Langius *lib. 1. epist. 38. & tom. 2. epist. 34.* Gemma *lib. 2. de divin. charact. cap. 4.* Hucherus *lib. 4. de malef.* Cardanus *2. contradict. tractat. 2. contr. 7.* Roderic. à

Castro *lib.* 4. *de med. polit. cap.* 2. & præter medicos docent Bodinus *lib.* 3. *dæmonom.* Nicolaus Remigius *in sua dæmonolog.* Delrius *in disquis. magicis*, & ex Jurisperitis Strozzius Cigogna *lib* 4. *magiæ omnif.* Torreblan. Villalpand. *in mag. divinat. ferè per totum*, Petrus Tholosanus *lib.* 34. *syntag. juris univ. cap.* 14. ubi ex multorum sententia eloquenter probat, magicis artibus, certis cæremoniis elementa turbari posse, aquam de cælo pluere, aërem mutari, homines in alia corpora transponi, libidinem excitari, ac tandem ferinos morbos, ac insuperabiles induci, vel instrumentorum figurâ vitiatâ, vel noxiis succis à partibus ignobilibus ad nobiles transmutatis, vel immediatè per motum localem, vel sensibus illudendo, aut tandem activa passivis applicando; quem sanè operandi modum tanquam doctissimus philosophus & expertissimus diabolus minimè ignorat, sed facere optimè novit. Itaque harum omnium artium ille est author, & adjutor illarum, quæ ob fœdus cum illo initum præstigiatrices, lamiæ, sagæ, strigésve dicuntur; seu hominum, qui eodem pacto involvuntur, lastores, sicarii, Telchinæ, strigones appellati, qui omnes in execrandis suis operibus, quæ exercent, dæmonem invocant, & illius adjutorio mira perpetrant, quidquid negare conetur Agrippa *lib. advers. lam. inquisit.* futilibus quibusdam argumentis fascinationem, & dæmonum pactum pertinaciter denegans; ob quam fortasse causam ipsius *Agrippæ* discipulus, non minùs quàm magister protervus & diabolicis artibus infamis *Wierus* librum conscribere ausus est, in quo defendit non oportere magos ac magas suppliciis affici; adversus quem optimè & latissimè insurgit Bodinus *ad finem dæmon*, ubi illius opinionem non solùm juri divino contrariam esse ostendit, sed pariter Theologis, legumlatoribus, medicis, philosophis, & legum sanctionibus adversam: ex jure namque divino & humano puniri debere satis inter alios probant Sixt. Senensis *lib.* 6. *bibli. adver.* 776. quo loco doctè & abundè adversus eundem *Agrippam* disceptat, quod ante ipsum ornatè satis fecit Christoph. Landinus *in Virg.* ad illum locum: *Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos.*

8. *Magicis artibus multa fieri posse.*

9.

Ex hoc igitur spurcissimo fonte morbos scaturire immanes, admirabiles, atroces, medendi arti haudquaquam obsequentes, omnibus notum est & à plurimis visum; qui tamen licèt naturalibus similes appareant, meritò trans naturam cum Fernelio 2. *de abdit. cap.* 16. dici merentur, cùm nullis naturalibus remediis obediant, imò in pejus ruant, & non nisi alterius sortis auxiliis aliis minimè naturalibus cedant. Horum innumera sunt exempla, quæ apud authores scripta leguntur: quæ tamen ut ad manum habeas, & ne quàm oporteat longior sim, citabo potius, quàm ad plenum referam, tu per otium illa videre poteris.

10. *Morborum superstitione inductorum historiæ multæ.*

Cardanus inprimis *lib. de medic. encomiis* mulierem ait vidisse, quæ ex dæmonis fascino morbo affecta 33. dentes ab alvo ejecit: Mercatus *cap. de diarrhæa*, quendam hac ægritudine laborantem ossicula velut passerculorum (quasi integrum devorâsset passerculum) summo dolore per ventrem exonerâsse scribit; quod non aliter quàm maleficii vi peractum fuisse, creditum esse ait. Alexander Benedictus *lib.* 7. *cap.* 25. & *lib.* 11. *cap.* 7. duas ait puellas socias & familiares uno die malis medicamentis potionatas fuisse, unde horrificæ vomitiones mox secutæ sunt, quæ miraculum præbuerunt; altera enim primò crinalem acum ingentem in modum hami implicatam evomuit, deinde muliebria capillamenta cum unguium resegminibus involutis, magno conatu ejecit, quæ tamen strangulata eâdem nocte obiit: altera præter dicta capillamenta, quæ etiam evomuit, & vitri frusta, canis caudæ pilosæ tria frusta arefacta etiam exclusit, ita ut totius caudæ quantitatem composita æquarent; ter autem, aut quater in vehementissimis conatibus jacuit moribunda, sed tamen evasit. *Vnde quæso* (ait author) *eos affectus invenit mortalitas? quâ ratione ea maleficia induxit, & quomodò illa haurire potuerint, vitæ sit judicium.* Nicolaus Monardes *cap. de verbena* servum quendam Joan. Quintanæ Duenas ipso præsente ait per os evomuisse magnam capillorum copiam, & non minorem quantitatem apud se in papyro obvolutam ægrum servatam habuisse, quam per duas antea horas ejecerat, à quibus placidè quievit, ac si nil mali passus fuisset. Similem historiam de puero quodam affert Forestus *lib.* 15. *observat.* 29. qui magnam quantitatem pilorum evomuit, à quibus anteà tonsillarum & gutturis inflammatione suffocabatur. Antonius Benevenius *cap.* 8. *de abditis morb. causis* fusè historiam aliam recenset mulieris spiritu malo oppressæ, quæ post horribilia quædam accidentia, prorupit in vomitum, quo longiores & recur-

curvos clavos, æneas acus, unà cum cera & capillis in globum mixtis evomuit, & novissimè jentaculi frustum tantæ magnitudinis ut integrum nullus devorare potuisset. Langius *p.* 1. *epist.* 38. præter alios morbos à dæmonis fascino, quos ibidem tradit, hunc potissimum & satis admirandum refert, quem anno 1539. in pago Fugenstal Eistettensis Episcopatûs Ulricus Neusesser agricola passus est: nam cùm crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum conficeretur, subitò clavum ferreum sub illæsa cute manu apprehendit; nec tamen dolores cessârunt, sed indies magis ingravescentibus, cùm nullum foret remedium hoc miser in morte tantum reposuit; quare arrepto cultello sibi guttur abscidit: & cùm 3. die ad sepulturam duceretur, chirurgi cadaveris ventriculum prius aperire voluerunt, quem inscindentes invenerunt lignum oblongum & teres, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim in modum serræ dentatos; præterea duo alia ferramenta aspera inventa sunt, quorum singula spithami longitudinem excedebant, præter quæ & capillorum instar globuli involucrum: quæ omnia quâ arte ingesta fuerint, non est cur dubitare liceat, cùm certum sit dæmonis astu & dolo hæc omnia peracta fuisse, ut *lib.* 2. *cap.* 8. *dæmonom.* fatetur *Bodinus*, qui hanc eandem historiam refert, circà quam doctè & facundè inquirit citatus Langius *p.* 2. *epist.* 34. & 35.

Igitur frequentissimum est, ut in similibus morbis à dæmone causatis extranearum rerum excretiones fiant, sicuti in juvene visum est apud Springerum *in malleo malef. p.* 2. *quæst.* 1. *cap.* 1. in quo illud mirum fuit, quòd cùm gravissimis doloribus torqueretur, tamen in qua parte dolorem sentiret, indicare non poterat: hic verò ejecit spinas, setas, crines, pilorum glomos, ossa, ligna, lapides, vitri frusta, acus, cultros, & alia ferramenta; sicuti illa altera apud Martinum Rulandum *centuria* 4. *curat.* 15. quæ acus, aciculas, antias, capillos complicatos, obolos, fibulas, ovorum putamina integra, fila, cultros, & alia multa ac varia multis spectantibus ejecit. Ex his tamen partim in corpore naturaliter aliqua gigni posse 2. *ad Glaucum cap.* 7. docet *Galenus*, ubi scribit lapides, arenas, testas, ligna, & alia multa limo & balnei sorditiei, fæci, & amurcæ similia fuisse in abscessibus inventa: quin & 14. *method. cap.* 12. unguium, pilorum, testarum, ossium fragmenta deprehensa fuisse ait, ut *quæstione* 36. latiùs scripsimus: vermes etiam in tumoribus inventos sæpius visum, ut tradunt Fallopius & Sennertus 5. *praxis. cap.* 2. sic ex *Foresto* narrat Schenckius *lib.* 5. observatum fuisse strumam in collo cujusdam viri pediculis refertam, & abscessum in gibbo eisdem animalculis plenum: quæ omnia licèt ex causis naturalibus provenire posse dicat *Galenus*, ut etiam affirmat Lævinus Lemnius *lib.* 2. *de naturæ miraculis cap.* 40. & Schenckius *lib.* 4. *titul. de variis uteri affectibus* (quod fieri posse non negamus) tamen non raro à causa etiam minimè communi & naturali provenire credendum est; præsertim quando affectus naturalibus remediis non cedit, & materiæ, quæ aliàs expelluntur, naturæ humanæ potentiis toto genere alienæ videntur, & quas ab illius viribus & humorum corruptione generari posse impossibile apparet: quis enim credet, naturaliter in corpore produci cultrum & ferrum, quod ex vomica in sinistro latere cum magna puris copia exemptum fuisse tradit Wierus *cap.* 13. *de præstigiis*? unde etiam illud, quod scribit Nicolaus Remigius *lib.* 3. *cap.* 1. suis oculis vidisse, globum illis similem, quos in textrinis videre est, qui ex vomica in sura cujusdam excisa detractus est? aut quâ etiam naturali vi fieri potuit illud, quod narrat *Lycosthenes*, & *Iulius Obsequens*, in pago Dullefelt accidisse anno 1125. dum aperiretur tumor, ex quo circà genu puer laborabat, nullam inde saniem effluxisse, sed perfecti hordei & siliginis grana multa exiisse? sicuti illud, quod in quadam fœmina visum fuisse iidem referunt authores, quæ Areti plures farri integras spicas evomuit, cui & per nares non paucæ prodierunt. Cujus admirandæ & prodigiosæ excretionis licèt naturalem causam quærere nitatur Fortunius Licetus *lib. de spontaneo viventium ortu*, tamen difficilè aut inveniri, aut credi posse putarem: rectè enim inquit *Sennertus* adductus, talia si in tumoribus reperiantur, aut à corpore rejiciantur, solius naturæ ope generari non posse, ut sunt metallica, cultri, clavi ferrei, & similia, quæ ad naturales causas reduci non possunt, sed dæmonum præstigiis & dolo fiunt; quibus farri spicas, & siliginis prædicta grana fortè etiam annumerari debent, quantumvis causam naturalem hoc habere aliquando potuisse admiranda naturæ vis ac majestas adhuc nobis promittat, ut *quæstione* 36.

 jam

jam diximus. Plerumque tamen talia, ab ipsius naturæ ordine tam aliena, dæmon intrudit in corpus, educit, aut aliter summâ nequitiâ supponit, ut oculis repræsententur, quod non ineptè putat Cardanus *lib.* 15. *de variet. rerum cap.* 80. Grillandus *de sortileg. quæst.* 3. Henricus ab Her *obs.* 8. quos sequitur Villalpandus *lib.* 2. *epit. delictor. cap.* 40. & hoc modo accidisse credit mulieri illi, cujus historiam narrat Jacobus Ruffæus *lib.* 3. *de concept. & partu, cap.* 6. nam à dæmone oppressa, cum prægnans sibi videretur, & ad tempus pariendi pervenisset, in manus obstetricis (infantis loco) per vulvam, clavos, ossa, ligna, lapides, ferri fragmenta, stupas, lanam & alia ejecit: & ex simili præstigio non absimiles historias refert Delrius *lib.* 2. *& lib.* 4. cujusmodi complures alias apud illum lector variis in locis videre poterit, sicuti *lib.* 18. *theatri vitæ humanæ*, & apud *Remigium* & *Bodinum* citatos; & ex nostris medicis apud Marcellum Donatum *lib.* 2. *cap.* 1. Fabricium Hildanum, *cent.* 2. *obs.* 43. Gregor. Horstium *tom.* 2. *obs. lib.* 2. *obs.* 13. *& lib.* 2. *epist. sect.* 5. *lib.* 1. *sect.* 7. sicuti apud Sennertum *in epistola libro* 6. *præfixa*, Zacutum 3. *de prax. miranda obs.* 134. Cardanum *ubi supra*, Henricum ab Her *obs.* 8. qui inter cæteras notatu dignam historiam refert, & apud plures alios, quos citat & affert *Schenckius* variis in locis, præsertim *lib.* 7. *in appendice de philtris*, apud quem etiam *lib.* 7. *cap. de præstigiis* admiranda legitur historia nobilis cujusdam fœminæ, quæ maleficii suspecta mille sanguinis libras, & 1200. vermes è corpore suo intrà annum ejecit: ultrà quos legendus Vincentius *in natural. speculo à cap.* 3. *usque ad* 27. Fulgosius *lib.* 1. & innumeri alii, qui hujusmodi casus scripserunt, ac satis admirandos, ut in illo videre est, quem ex *Cornel. Gemma* narrat M. Donatus, Schenckius, & Delrius *lib.* 3. *disq. p.* 1. *quæst.* 4. *sect.* 5. ubi prodigiosas historias refert, quemadmodum *lib.* 6. *cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 3. & multis aliis in locis.

11.

12. Circà remedia naturalia morborum à dæmone provenientium superiùs in propria *quæstione* non pauca scripsimus, & paucula hîc etiam addere non gravabimur, quæ in medicorum libris invenimus. Igitur præter humoris melancholici expurgationem, quam maximè convenire omnes advertunt; nam cum talis humor balneum dæmonis sit & dicatur, in quo libenter ille voluptuatur, eodem evacuato dispositio quoque illa, quâ nequam ille spiritus gaudebat, à corpore aufertur, & minus apta pro tali hospite redditur habitatio, quo fit ut promptiùs migrare cogatur; præter hoc, inquam, nonnulli medici ex plantis & aliis rebus remedia quædam afferunt, quæ an talem ac tantam vim habere possint, jam in præcedentibus disputavimus: modò aliqua tantummodò referam, (licèt non omnia) quæ apud practicantes legere contigit, ne hac parte deficere videamur. Alexander Benedictus *lib.* 11. *cap.* 7. in summis vomendi conatibus, quibus ad extranea illa corpora ejicienda ægri exanimabantur, genistæ florum recentium aut siccorum decoctum in potu utiliter dedisse ait. Idem author *lib.* 7. *cap.* 26. ubi eundem potum iterùm commendat, laudat etiam ut singulis diebus nasturtii drach. j. in aqua calida à prandio sumatur. *Monardes* succum verbenæ, quo ait quendam superstitiose infectum multa evomuisse variorum colorum, ac postmodùm sanitati fuisse restitutum. *Savanarola* adversus sterilitatem ex fascino plura remedia naturalia affert *cap.* 20. *de ægritudine generationis in viris rub.* 32. & *cap.* 21. *sequenti rub.* 24. nasturtium aquaticum maximè extollit, quod casu cognitum fuisse ait, ut ex historia ibi adducta patet: cynoglossum quoque eodem loco laudat, de quo apud Dioscoridem *lib.* 4. multùm prodesse scribitur, & experimento confirmat. August. Thonerus *obs.* 1. *lib.* 4. emplastrum ex assa fœtida exteriùs applicatum tanquam celeberrimum consulit in hoc casu, suffitumque ex stercore maleficiati, intrà vesicam porcinam in camino suspensum, quod thymiama optimum est & tali hospite dignum. Coclenius *de mirab. naturæ p.* 17. tanquam omnium efficacissimum adversùs veneficia & incantationes prodesse ait, si nux avellana perforata catoptro, seu speculo caudæ pavonis, & argento vivo repleatur, & cerâ obturato foramine serico inclusa collo suspendatur. *Wierus* idem argentum vivum calamo, aut nuci avellanæ inclusum sub pulvinari illius, qui maleficio læsus est, collocari jubet, vel sub limine ostii poni per quod maleficiatus intrat. Henricus ab Her *observat.* 8. ad veneficiorum vim retundendam decoctum parat ex herba fugâ dæmonum, abrotano, arthemisiâ, verbenâ, callitriche, roridâ, quæ polytrichi, aut alchimillæ species est: quod verò magnis encomiis extollit, est unguentum *Barthol. Charichteri*, in illius secretis *lib.* 2. *cap.* 12. scriptum, quod

Remedia adversus morbos ex fascino, & dæmonis astu causatos.

etiam

etiam mirè prodesse ait Greg. Horstius *lib. 1. epist. sect. 7.* illius autem descriptio talis est: ℞. adipis canini benè liquati, & mundati unc. iiij. adipis ursi unc. viij. caponis unc. xxiv. tres truncos visci colurni adhuc virentis frustatim sectos & tusos, dum humescant; contunde autem simul lignum, folia, baccas: misce omnia in phiala, quam Soli novem septimanis cùm exposueris, virens balsamum extrahes, eoque veneficiatorum corpora, loca maximè dolentia, & juncturas inungendo certo experimento curabis. Longissimum erit, si omnia adducere velimus: rhamnum dæmonum morbos expellere tradit Dioscorides *lib. 1. cap. 102.* januarum valvis impositum; quod de verbasco affirmat *Apulejus*. Spinam albam eandem virtutem habere scribit Ovidius 5. *fastor.*

113. [...]urnus [...]n ac [...]llanus.

[...]ba [...]a, qua [...]ersus [...]eficia [...]esse [...]untur.

Sic fatus spinam, quâ tristes pellere posset
A foribus noxas, (hæc erat alba) dedit.

Agrestis ruta à multis, thapsia ab *Amato* commendatur; *Plinius* pæoniam dæmonum arcendis ludibriis ut efficacissimam laudat; *Dioscorides* scillæ eandem tribuit vim *lib. 2. cap. 136.* idem fertur de pentadactylo, alysso. Aristoteles 20 *sect. probl.* rutam laudat, *Plinius* hypericon, quæ ideò fuga dæmonis dicitur; herbam sacram, seu verbenam *cap. 21. lib.* 4 Dioscorides, de qua *Propertius*:

Flore Sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Mitto arthemisiam, abrotanum, & arbuteas frondes, de quibus Ovidius 6. *fastor.* præterea eadem facultas tribuitur palmæ Christi, scordiei, aristolochiæ, asteratrico, marrubio, anetho, salviæ, fæniculo, chamypiti, ivæ, ciclamino, cupresso, & aliis, sicuti radici leontopodii, quam collo appensam amatoriis veneficiis prodesse ait *Dioscorides*. Arnaldus radicem brypniæ gestatam universa veneficia abigere docuit, & eum qui portaverit radicem eryngii, dæmonis insidias omnes effugere; imò si ponatur dicta radix sub vestibus dæmoniaci (inquit *Arnaldus*) dæmoniacus confitebitur quis est, quod est, unde est, & effugiet: veritas sit apud ipsum, sicuti apud *Serenum* illius quod de aliis scripsit.

114. Eandem vim lapidibus & gemmis inesse tradunt, atque annumerant inprimis sardium, chrysolitum, de quo *Marbodeus*:

Esse phylacterium fixus perhibetur in auro,
Contrà nocturnos fortis tutela timores,
Dæmones exterrere, & eos agitare putatur.

de adamante sic idem:

Et noctis lemures, & somnia vana repellit.

de corallio:

Vmbras dæmonicas, & Thessala monstra repellit.

de gagate:

Idem dæmoniis contrarius esse putatur,
Vincit præstigia, & carmina dira resolvit.

de jaspide tandem idem *Marbodeus*:

Et sicut perhibent, phantasmata noxia pellit.

Sic de selenite Dioscorides *cap. 113. lib. 4.* amuletum esse tradit. De ætite, & smaragdo idem refert *Codronchus*. *Delrius* ex *Stobæo* in Nili flumine lapillum ait inveniri, qui ad energumeni nares appositus dæmonem abigat: fides sit apud ipsum. Mitto etiam plurima, poëtica, astrologica, vana & superstitiosa, ac ideo ridicula; uti etiam supernaturalia, & exorcisationes, quæ apud *Springerum* & apud Mengum *in flagello dæmonis* latiùs videri possunt; qui præter divina remedia, non pauca etiam naturalia affert, & *lib. de remed. efficacibus ad malign. spiritus expellendos* suffitum sic parat: ℞. sulphuris, galbani, assæfœtidæ, aristolochiæ, hypericonis, rutæ ana drach. iij. fiat ex arte suffumigium. Item oleum hoc modo paratum: ℞. rutæ, salviæ, anethi, cineris olivarum, aquæ benedictæ ana partes æquales, bulliant omnia in oleo, mox benedicatur. Sed & alia affert *Nicolus Florent.* qui in hunc usum laudat theriacam cum succo hyperici exhibitam, atque emplastrum ejusdem hyperici suprà renes applicatum. Inunctio ex oleo sesamino, & felle corvino à pluribus commendatur ad Veneris maleficium, quod probare videtur Codronchus *lib. ult. cap. ult.* apud quem plura legere poteris; sicuti apud *Alexium Pedemontanum*, qui adversus ligamen spon-

 so-

sorum suffitum ex dente mortui maximè laudat, quod priùs commendavit Papa Joannes XXII. Petrus Hispanus aliàs dictus *cap. ult. sui thesau.* ubi ait suffumigium hoc ex pulvere dentis mortui ad omnia maleficia multum valere.

QUÆSTIO NONAGESIMAOCTAVA.

Quòd morbi potiùs sint præcavendi, quàm curandi, quamque periculosum sit illis statim ab initio remediis non occurrere. Afferuntur circà hanc rem multa ex medicis, Philosophis, & poëtis.

INfinitis penè ægritudinibus obnoxium est fragile hominum corpus; hinc est illud Satyrici poëtæ *Juven.*

Morborum omne genus, quorum si nomina quæris,
Promptiùs expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno.

Nec ulla est, quæ omnibus horis, omnibusq; vitæ momentis illud non circumveniat. Jam verò ex istis aliquæ dato prius signo, & tubâ classicum velut canente, in apertum Martem vitam lacessendo exeunt, horribilem minantes necem: clanculùm aliæ sensim, ac vix sensim obrepunt, & mitiùs urgentes, fallaciam quandam incautis adstruunt; nam cùm velut ex insidiis munitam aliquam arcem occupârunt, mirum est, quàm difficilè posteà inde expugnari aut detrudi possint. Hanc morborum reticulam plurimi non advertentes non solùm nihil medicamenti adhibere necessarium cogitant, optimumque medendi tempus, & remediorum occasionem in præmeditatam abire sinunt, sed & lecto aliqui jam affixi curationi non rarò reluctantur: quousque ingravescente malo, & consumptis viribus tum demum medicum accersiri jubent, cùm mala per longas invaluêre moras, & ex orco tunc revocari volunt, cùm prius levi medicamine & facili labore damnum antevertere potuissent. Nonnulli ob avaritiam, multi ob timiditatem, non pauci vetularum, amentium, & empiricorum consilio, aliqui nescio ob quam animi inertiam, à remediis diutius abstinent: sed hi omnes, aut saltem plurimi, non rarò Adrastiæ sævam legem experiuntur; capiuntur siquidem avari antequam aliquid capiant, timidi non erigunt trophæum, empiricis ac idiotis credentes, tanquam à cæco ducti, in foveam incidunt; omnes tandem pravi consilii & inertiæ pœnas luunt. Quàm multos, proh dolor! ego numerare possem, quos in negligentia sua & animi stupiditate obdormientes, & nil mali cogitantes, mors oppressit, ac nullam sui rationem habentes ad destinatum vitæ terminum non ascenderunt! rectè quidem *Maulus* lib. 3. *Non petit auxilium, qui non agnoscit periculum: quis autem petit, nisi is, qui à periculo liberari vult?* Quia ut optimè *Dion* hist. 41. *Pars ægra nisi medicina convenienti sanetur, in reliquas etiam omnes morbum diffundit*; optimè hoc Ovidius 1. *metamorph. fab.* 6.

1.

——— Namq; immedicabile vulnus
Ense recîdendum est, ne pars sincera trahatur.

Hæc omnia prævidens Hippocrates *epist. ad Cratevam* dicebat: *Ab omni arte aliena est procrastinatio, & præcipuè in medicina, in qua dilatatio animæ periculum affert; curationum verò animæ sunt temporum opportunitates, illarum verò cognitio artis finis.* Et *lib. de arte*, ad eos, qui tardè medicum vocant, in quo periculo versentur, sic declarat: *Praeoccupat enim morbus medicinæ opus, praeoccupat autem propter ægrorum negligentiam; differunt enim & coarctantur, atque ubi jam à morbis ipsis apprehensi sunt, tum demum curari expetunt*; ut *com. in lib. de lege* latiùs prosequitur *Rodericus Fonseca*: tunc enim inani labore curatio suscipitur. Optima quippe curandi norma illorum, qui à morbo victi sunt, curationem medicis prohibet, ac ut minimè recipiant suadent Hipp. citat. *lib. de arte*, Gal. 1. *aph.* 8. 2. *aph.* 29. 11. *meth.* 9. quemadmodum enim tunc morbum suprà naturam exultantem, licèt omni conatu intendas, profligare difficillimum; ita incipientem paucis adhibitis auxiliis, & citrà laborem facilè evinci quotidie experimur. Hoc disertissimè *Lucianus* in abdicato: *Si hujusmodi sit malum ut commodè possi-*

possimus aggredi, aggredimur, totoq; adnitimur studio, ut ægrotum servemus; sed si affectum jam invaluisse superasseq; viderimus, nec manum omninò admolimur, idq; vetustam quandam primorum medicinæ parentum legem observantes. Sic docuerunt *Hippocrates* & *Galenus* citati, & aliis in locis, de quo etiam Cicero 16. *ad Atticum*.

Itaque idem *Galenus* medicum satis admonet, ut morbos antequam incipiant, vel saltem in ipso ortu arceat, profliget, & antequam vires assumant evincat; *lib. de sang. miss. c.* 7. dicebat sic: *Rectè quidem, & ab Hippocrate dictum est, quòd illa, quæ præsentibus morbis faceremus, ea multò utilius ac melius ipsis incipientibus, aut imminentibus antevertendo faciamus.* Hæc est illa præcautio, & curandi methodi potissima pars, quam prophylacticam *Galenus* appellat 11. *meth. cap.* 2. quæ tantò præstantior aliis existit, quantò melius est morbos prorsus non sentire, quàm à morbis liberari: hanc illis, qui à morbis infestari solent, summoperè commendat, tum libris *de sanit. tuenda*, *de constit. artis medicæ cap.* 19. *ad Thrasib. cap.* 30. 31. tum libro *de sanguin. miss. ferè per totum*, & apposito exemplo confirmat *lib. introductio, seu medico*: *Quemadmodum* (inquit) *navis gubernatori longè præstantius est, antea quàm in tempestatem incidat, iter absolvere, quàm periclitatum fluctuatumq; evadere; ita multò melius imminentem morbum præcavere, quàm factum curare*: ex eodem 2. *de natural. facultat. cap.* 8. Hoc respiciens *Demades* quidam apud Anton. *in Meliss. p.* 1. *serm.* 56. dicebat: *Majorem gratiam deberi medicis qui ingruentem morbum arcent, quàm si jam præsentem expellerent; magis quippe optandum est omninò non pati, quàm à passionibus liberari*, & Ammianus *in Platina dialogo* 3. *Valetudinem prosperam retinere omnibus optabilius est, quàm recipere pereuntem.* Omnium pulcherrimè Seneca 1 *de ira cap.* 7. & 8. *Facilius est excludere perniciosa quàm regere, & non admittere, quàm admissa moderari; nam cùm se in possessione posuerunt, potentiora rectore fiunt, nec recidi se, minuíve patiuntur. In primis finibus hostis arcendus est, nam cùm intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit.* Igitur sicuti præstantius utiliusque est hostem procul à finibus arcere, quàm ingressum, ubi maximam ferro & igne nostris agris vastitatem intulit, magnis demum laboribus abigere; ita haud dubiè illa nostræ salutis, & providentiæ potissima debet esse cura, ut sicuti vitiis, quæ tanquam acerrimi hostes animum infestant, ita quoque & morbis, qui vitam auferre minantur, priusquam invadant arma auferamus, omnem nocendi vim præscindendo, sicuti *Eccles.* 18. Sapientiæ nos monet consilium: *Ante languorem adhibe medicinam; longè enim melius ac facilius morbus declinatur, quàm admissus rejicitur*, ut eleganti versiculo allegoricè exposuit Ovidius 5. *tristium* 7.

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.

Eleganter enim dicebat Vegetius: *Laudabilior industria est, quæ incolumitatem tuetur, quàm quæ cupit læsa curari*; etenim ut *Q. Serenus*:

Non semper præsens dolor est sanabilis, ergò
Cura magis prodest venturis obvia morbis.

3. Causam verò cur ita fieri debeat perbellè reddit *Seneca* citat. *Quarundam rerum initia in nostra potestate sunt, ulteriora nos suâ vi rapiunt, nec regressum relinquunt.*

Sed cùm aliquando morbi citrà ullam antegressam lassitudinem, aut læsionis sensum, nec ullo dato signo clanculùm ac repentè ingruant, demus propterea optimam hanc præcavendi normam præmeditari non potuisse, vel aliter ob urgentem aliquam occupationem, aut animi inertiam omissam; si morbus amplius non imminet, sed jam te habet, te cepit, & ab illo teneris, quid tum? jam hostis te irritat, lacessit, ad signa provocat, imò in arenam vel invitum trahit, & sanè hostis, qui nocte dieque exitium parat; nam etsi leviter aliquando percutiat, plerumque tamen insidiosè agit, te circumvenit, ac fallere vult; obdormiscere tunc licet, salutis & propriæ vitæ oblivisci? an permittendum ut latro cum præda prius abeat, quàm illi occuras, adversùs insurgas, & domo foribusque expellas? An si tempestas irruat, otio, ludis, jocis, oblectamentísve aliis moram duces, tempus protrahes, quousque ventorum adversus furor, aquarum fragor, undarum impetus, vela, antequam contrahas, aut carinam abrumpant, vel navis ad scopulum impingat; unde mediis fluctibus projectus, pretiosa quæque cum vita pereant, & ignaviæ meritas pœnas luas; quas sicuti vitare potuit optimi naucleri diligentia si ab initio prospiceret, sic in morbo optimi medici consilium, si incipiente illo accersitus fuisset? Nonne exiguam

ignis

ignis scintillulam lentè materiam aliquam incendentem confestim opprimere præstabit, quàm nil mali pertimescendo relinquere ut paulatim serpat, ac plurima jam devorante igne populum convocare, & adductis scalis lebetes, aquam, & puteos omnes infundere, hunc periclitari, illum cadere, alium mediis flammis uri, alium se præcipitem dare, ac tandem restincto igne domum, supellectilem, & pretiosa quæque miserè combusta aspicere? Tantus dolor, tanta sæpissimè jactura, quàm facilè vitari poterat, si pede tantùm calcata scintilla extingueretur! A simili, si inimicus civitatem obsidet, machinas jam adhibet, aggera extruit, cuniculos effodit, an Præfectus & cives in utramque aurem dormientes omnia parvifacient, de repellendo hoste nil cogitabunt, ad defensionem nemo se accinget, & in inertia & incuria sicuti anteà unusquisque deget? demùm cùm jam miles fores quassat, muros ascendit, arcem occupat, vexilla erigit, tunc cives urbem munire, ac obsistere tentabunt, tutari, tueri, atque acriter dimicare, hostem ab ingressu arcere, aditumque illi intercludere nitentur? irritus labor, inanis opera; jam enim victi inimicorum jugum & leges fortè patientur, aut peribunt. Opus non est plura addere exempla; scitè Salustius: *Prolatando magnas opportunitates corrumpi; facto & non consulto opus est in periculis.* Nullum quippe est malum, nil damnosum, turpe, vel vitiosum est, quod antequam ingravescat, abscindi non oporteat. De morbis hoc luculenter sic canit Ovidius 1. *de remed.*

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

& iterùm *eodem lib.*

Vidi ego quod fuerat primò sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

Quandoquidem, ut optimè *Cicero* 5. Philipp. *Omne malum nascens facilè opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius.* Resecandum igitur est, dum nova sunt subiti mala semina morbi: sic plantæ, omniaque in terra nascentia à tantillis injuriis facilè enervantur, pereunt, & manibus leviter attrectata facilè cedunt, & sine labore evelluntur; eadem cùm in arbores excrescunt, & in proceritatem attolluntur, tangentibus non solùm non cedunt, sed reluctantur. Eodem planè modo morborum radiculæ dum vix cognoscuntur, faciliùs in primo exortu superantur, & medicis manibus non difficulter avelluntur; cæterùm si temporis progressu invalescant, non absque summo labore exscinduntur, cùm jam vires malignè oppugnando graviter imminuerint. *Ergò quemadmodum non omnis ægritudo patitur tarditatem* (ut ad fratrem Timotheum dicebat *Priscanus*) *ita gratior est ægris medicina, cùm celeritas famulatur officii*; ex eodem *cap.* 1. *phænom. Euporisti.* Levia enim licèt aliquando appareant morborum initia, serpunt, & quæ minima putabantur, breviter in præcipitium ducere sæpius visa sunt, & quæ facili auxilio evinci poterant, extra tempus magnis adhibitis efferantur, furunt, excandescunt. *In morbis nil est perniciosius quàm immatura medicina*, ut ad *Helvidiam* scribit *Seneca*: hinc Plutarchus in Lucullo: *Occasio medicamentis salutis adferendæ & necis tribuit momentum. Opportuno enim tempore secare, urere, extenuare medici est*, Plato *dial. de justo*, & Ovidius 3. *de arte.*

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non æquo tempore vina nocent.

Accedit adhuc, quòd medicinæ longè alia, quàm cæterarum artium ratio est; in aliis enim artibus affectus in solidum ab artifice pendet, & si quid ab eo benè vel malè fit, id omne artifici imputatur & adscribitur, nisi forsan materiæ aut instrumenti ratione aliquid vitii accidat; aliter subjecta nil agunt, sed obsequium tantùm præstant, & in quo statu relinquuntur, in eo cras & insequentibus diebus permanent, & inveniuntur; medicinæ verò subjectum, nempe corpus humanum, nunquam in eodem statu permanet, sed per momenta aliter atque aliter mutatur, morbusque varias alterationes suscipit, ita ut qui mitis ac minimè periculosus videbatur, cras aut perendiè multò aliter appareat, ac non parùm negotii exhibeat; & quemadmodum medici leviter ægrotantes levioribus remediis curant, ita gravioribus morbis oppressis periculosa & ancipitia adhibere coguntur, ut Cicero 1. *de officiis* admonuit, & hoc tempore valentissima quæque morbus contemnit. *Propertius*:

Elleborum frustrà, cùm jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

Hac

Hac consideratione ductus Mesues *in præfat. ad lib. 2.* medicum sic admonet: *Per omnia, ô tu corporum curam gerens, auxiliari ne differas, quia semel pereunti nulla suffragia prosunt.* Vel enim morbi sunt acuti, vel non; si acuti, quàm brevissimè occurrendum præcepit Hippoc. *in aph.* semel ac iterùm: *Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.* Non solum illos intelligens, qui ægrotantes jam extremè conficiunt, sed illos etiam, qui acuti, celeres, & periculosi ex sua natura sunt: deinde non remedia tantùm statim adhibenda consulit, *Quæ celeritatem desiderant, celeriter sunt peragenda*; sed extrema, id est, non levia, sed validissima, & quantùm morbus, & vires ferre possunt efficacia, quæ hosti fortissimo, & gravi morbo resistere valeant. Exemplum in pleuritide habemus apud *Arethæum* 5. acut. affect. cap. 10. *Nulla mora*, ait, *atque dilationis in pleuriticis datur occasio, quin protinus valenti remedio succurramus; febris enim per acuta ad perniciem properat, dolor in pejus urget, tussis vires proterit &c.* Et meritò quidem, in magnis enim vix magna valent. Si non est acutus, non ideò parvi faciendus; nam tales, dum lentè procedunt, si nullis remediis oppugnantur, sensim accrescunt, & vires assumunt, incautumque periculosissimè detinent, ut cùm posteà medicum exposcit, nullus sufficiat; tardè enim se accingere ad remedium damni, damnum est irremediabile. Hinc accidit ut medici operam non rarò accusent, ac quod scopum attingere non potuerit, malè multatum dimittunt; cùm prius in ipsum suâ cunctatione impegerint, & occasionem remediorum abire permiserint, quâ elapsâ, attritis viribus, aucto & confirmato morbo, tum demum auxilium quæsierint, quod jam non invenitur; unde in vitæ periculo manet infelix æger, & medicus quoque infelix, qui ad hujusmodi curandos morbos accersitur, cùm nullum honorem aut famam inde reportet, sed calumniam potius & opprobrium, quibus eum non rarò cumulant. Quare rectè *Galenus* ab *Hippocrate* doctus, & cæteri postea authores, medicis consulunt, ne malarum ægritudinum curam suscipiant, ne mali medici nomen adipiscantur; nullæ verò sic tales putandæ sunt, quàm inveteratæ, & quæ deficientibus remediis jam radices egerunt, quæ nullo modo nisi cum vita amputari possunt; tanti enim hoc fecit *Avicenna*, ut non dubitaverit dicere: *Et cùm transierit initium, non est amplius intentio*, nempe curandi. Quæ cùm verissima sint (quod officii nostri est) ægrotantes omnes exhortor, & quantum possibile est admoneo, ut quàm citissimè imminentibus, aut saltem incipientibus morbis omni conatu obsistant, & curationi nullâ datâ morâ accingantur, hoc pro indubitato habentes, aut summè periclitandum, aut moriendum, si optima curatio ab initio negligatur; de quo vel me tacente jam audiant *Heliodorum*, qui lib. 4. *hist. Æthiop.* sic alloquitur: *Nec doloris vires taciturnitate suppedites; omnis enim affectio, quæ citò cognoscitur, facile curari potest, sed quæ tempore inveterascit, propemodùm est insanabilis: Alimentum enim morborum silentium. Cæterùm quod enunciatur, leniri consolatione facile potest.*

QVÆSTIO NONAGESIMANONA.

Paraphrasis ad locum Democriti: Totus homo ab ipso ortu morbus est *apud Hippocratem epist. ad Damagetum.*

Humanæ vitæ fragilitas, ac misera conditio, ab ortu ad occasum calamitatibus, laboribus, & mille insuper ærumnis adeò jactatur, ut vivere nil aliud sit, quàm pati, dolere, mori, ac meritò cum *Iob* unusquisque dicere possit: *Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt?* Militiam vitam hominis super terram vocavit idem, & Euripides: *Vita quidem nomen habet, re ipsâ labor est.* Tot enim (inquit Plinius) *periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocata morte ut nullum sit frequentius votum. Natura verò nil hominibus brevitate vitæ præstitit melius*: Ideò in *Bacch.* Plautus:

Cap. 3. — Cap. 7. — Lib. 7. cap. 50.

Vixisse minimùm satius est, quàm ocyssimè mori.

Nascimur quippe singuli in miserias, & cùm vitâ fungimur, tum demum miseri esse desinimus: mori enim miserum non est, sed aditus ad mortem miser est; siquidem in eam non repentè incidimus, sed minutatim procedimus, & cùm cres-

cimus vita decrescit; huncque quem vivimus diem, cum morte dividimus, dicebat *Seneca*: etenim velut certissimus creditor, quantum vivendo superamus, ipsa exigit, & illud ipsum quod annos numeramus, non obtinemus, sed perdimus: graphicè hoc quidam.

Epist. 2[illegible]

Sæpè rogas: quot habes annos? respondeo nullos,
Quomodò? quos habeo, Pontice, non habeo.

Miserrimam hanc humanæ conditionis sortem, quòd vanissimis studiis ac curis impliciti homines non adverterent, non aliter quàm sanniens ridendo & deridendo, non cavillabatur tantùm, sed illudebat *Democritus*, Hippocratique, quem ad illum curandum Abderitæ acciverant, sic ex prægrandi illo sapientiæ penu, & pleno philosophici contemptûs animo deprompta, inter alia multa, hæc locutus est: *Totus homo ab ipso ortu morbus est; dum educatur inutilis, auxilium supplex implorans; dum increscit improbus & demens est, institutione puerili indigens; in ætatis vigore constitutus audax; ætate marcescens miserabilis, suos labores per imprudentiam excolens. Talis enim ex materno cruore sanguine permixto promicuit.*

2.

Apud H[ippo]poc. ep[ist.] ad Dam[a]getum.

Hoc ita ac verum esse fatetur D. Augustinus: *Ægrotare*, inquit, *incipimus mox ubi nascimur. Quis enim* (inquit ille) *non ægrotat in hac vita? quis non longum languorem trahit? nasci hic in corpore mortali incipere ægrotare est.* Qui & *serm.* 74. hanc vitam perpetuum dicit esse morbum; quod respiciens nescio quis poëta sic vertit:

Psal. [illegible] ante m[illegible] dium [illegible] pag. 4[illegible]

Cor nisi cura nihil, caro nil nisi triste cadaver,
Nasci ægrotare est, vivere sæpè mori.

Rectè quidem, qualis enim vita sit, & quantis calamitatibus & infortuniis obnoxia pendeat, idem *in Origenem suprà tex. Iacob.* 4. dilucidè sic exponit: *Vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëra morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactitant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mæror deprimit, & post hæc mors interimit, universis gaudiis finem imponit, ita ut cùm esse desierit, nec fuisse putetur, estq́ hesterna dies & crastina quasi eadem.* Unde versus:

Hæc quæ adest hodie, quod nomen habebat heri? cras.
Cras hodie quodnam nomen habebit? heri.
Cras lentum quod adest nunquam, nec abest procul umquam,
Quonam appelletur nomine cras? hodie.

Fluit enim vita nostra ut ventus, & tempora dierum nostrorum præcipiti decursu instar undarum celeriter feruntur. Ingeniosè hoc descripsit Ovidius *in metamorph.*

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen; nec enim consistere flumen
Nec levis hora potest, sed ut unda impellitur undâ
Vrgeturq́ prior veniente, urgetq́ priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq́ sequuntur, &c.

3.

Lib. 2[illegible] vita sua

Humanæ vitæ tempus momentum est, dicebat *M. Anton.* natura fluxa, sensus obscurus, omniaque quæ ad corpus pertinent fluvii naturam habent. Proinde cum Prisci vitam citiùs desinere, quàm venire cernerent; ac ipsos infantes senectutem à tergo insequi, optimè vernantibus floribus ætatem ac vitam nostram æquiparârunt, quæ ubi nascitur defluere incipit, ut de rosa *Hieronymus* citante *Suida*:

Verna brevi rosa flore nitet, simul ille recessit;
Non rosa quærenti, sed rubus asper erit.

Etenim huic vita nostra non immeritò assimilatur; namque

Vt rosa manè viget, tamen & mox vespere languet,
Sic modò qui fuimus, cras levis umbra sumus.

Tam infirmis fundamentis humanæ vitæ brevitas innititur, ut perenni imò elementorum quodam prælio assiduè jactata in inevitabile tandem fatum citissimè deveniat.

Jam verò his de rapidissimo vitæ cursu, laborum ac curarum plenissimo, præmissis, hominem ad stadium hoc conficiendum à matris utero prodeuntem consideremus

mus: quâ præventione; quo vestitu, quibus armis munitus, aut quibus artibus instructus in lucem exeat? Hunc apparatum dilucidè exponit *Plinius*, atheus licèt & paganus homo, qui de homine sic: *Principium jure debetur homini, cujus causâ videtur cuncta alia genuisse natura, magnâ & sævâ mercede contrà tanta sua munera: ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat opibus: cæteris varia tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera: truncos etiam arboresq; cortice interdum gemino à frigoribus atque calore tutata est: Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die abjicit, ad vagitus statim & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinùs vitæ principio. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: itaque feliciter natus jacet manibus pedibusq; devinctus, flens animal cæteris imperaturum, & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum est. Prima roboris spes, primumq; temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando vox? quando firmum cibis os? quamdiu palpitans vertex, summum inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? jam morbi, totq; medicinæ contra mala excogitatæ. Cætera sentire naturam suam, alia pernicitatem usurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare; hominem scire nihil sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviter non aliud naturæ sponte quàm flere. Itaque multi extitêre, qui non nasci optimum censerent, aut quàm ocyssime aboleri. Uni animantium luctus est datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra, uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vivendi cupido, uni superstitio, uni sepulturæ cura, atque etiam post se de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior &c.* En tibi naturæ opus primarium, cujus causâ reliqua omnia sunt condita, ex sese tam imbecillum, ut si alieno præsidio destituatur, mox aliis bestiis conculcandum sit, ac devorandum. Grandis profectò flendi materia, & querela non minor, quæ an justa & æqua sit (eandem licèt criminentur *Theoph.* & *Plutarchus* aliique plures) doctè tamen expendit *Rhodiginus* ac taxat; & magnus ille naturæ genius *Aristoteles* satis redarguit, cui *initio belli Iugurth.* convenit *Salustius*; ex quo etiam *Aristotele* hominis excellentiam, & manuum illius præstantiam demonstrat abundè *Galenus*.

Lib. de fortitud.
Lib. 3. antiq lect. cap 10.
Lib. 4. de part. animal, cap. 10
Lib. 1. de usu part. cap. 2, & 4.

Sed à conceptu ad ortum iterùm hominem contemplemur, mox & illius ætates percurramus. Apparet inprimis ex sanguine & semine factum, spurcissimo & fœdo, non aliter quàm locus ejus velut impurus & olidus carcer, in quo quantulo tempore manet, nil aliud quàm vilis quædam & insensilis massa carnis videtur: quomodò generetur, efformetur, nutriatur, dicere prætermittimus; miseret enim, ut cum *Plinio* loquar, pudetque, dum animadvertitur quàm fragile sit ferocissimum animalium; ex quibus principiis nascantur tyranni, & ad dementiam usque superbi pulveris filii, ex sanguine nempe per ardorem libidinis putrefacto concepti, quorum vivens corpus nil aliud generat, quàm pediculos & lumbricos; cadaver vermes & muscas; vivens stercus & vomitum, mortuum putredinem & fœtorem: qualis namque est arbor, talis est fructus. Optimè propterea adversus hunc *Nyssenus* sic insurgit: *Non erubescis terræ statua, mox pulvis futura, qui in bullæ modum brevi duraturum in te tumorem contines, te superbiâ repleri, fastu tumere, vano spiritu atque cogitatione mentem inflatam habere? An non respicis ad utrumque vitæ humanæ terminum, undè initium sumat, & in quod desinat?* Scire igitur jam vis quales per hominis ætates sint morbi? totam vitam tracta.

Lib. & cap. 7.
Lib. de beatitud.

Punctum est quod vivimus, & adhuc puncto minus, *Seneca* ait; sed tamen in tam angusto plures posuit natura gradus. Vix concepti & inchoati hominis signa sunt mille matris tædia (tam magno empta brevis voluptas) pica, incubus, vomitus, & infinita morborum tormenta, quibus nulla quantumvis purissima invenitur immunis. O frivolam ac fatalem hominis originem! sæpè uterus ei pro tumulo est, & pro ortu abortus, qui vitam adhuc vinctam eripit, & antequam lucem videat, luce privatur miser. In partu quid non metuendum à matre, ab imperita obstetrice, à se ipso, & ab aliena nutrice, si in eam (quales plerumque putidissimæ sunt) fortè incidit? Ergò si non rapitur protinùs ac ostenditur, solstitialis velut herba exit, ac primum vitæ tempus dat lachrymis, tam certò cadentibus, ut hoc ipsum nascentis sit: mox gladium experitur & vincula, quem aliquando nec capiunt regna. Fari, vesci, ingredi nescit animal cæteris imperaturum. Nec interim tam te-

Epist. 49.

teneris membris parcunt morbi, citò adſunt achores, hydrocephalos, ſiriaſis, atque ab auribus deſluit humiditas, & dira infantium mater circumſtat epilepſia: nondum firmatum cibis os aphthis ſcatet, lac à ventriculo revomitur, & idem vomitibus rumpitur, alvum vexant tormina, caput vigiliæ & pavores. Paulò jam majorem torquent convulſiones, gingivarum pruritus, diarrhœa, & in inteſtinis generantur lumbrici, qui ea aliquando perforant: aliquibus calculus in veſica generatur, aliis ſtrumæ non rarò contagioſæ fiunt, & immedicabiles.

Pueritia morborum adeò ferax eſt, & febribus obnoxia, ut niſi largis hæmorrhagiis ſanguis profluat, innumeris ægritudinibus quaſſata ruat; dum enim in incrementum tendit corpus, & in majorem proceritatem habenas laxat, in plures morborum impingit ſcopulos: imperfectum enim eſt, quidquid ad majorem conſummationem properat, nec ad hanc niſi per varias mutationes aſcenditur, quæ ægritudines plerumque pariunt; hinc optimè dicebat *Plinius* pubeſcentem hominem nodum quendam ſolvere, quod ęgritudine præcipuè cenſeatur. Quæ ſequitur ætas, quamvis à multis impuritatibus repurgata, crudeles tamen inducit affectus, immedicabiles ſunt tabes & phthiſis, quæ dato ſemel ſigno, & cruore cum tuſſi ejecto, certo tramite in præcipitium ducunt; ferox malum, & quod morte tantùm miteſcat, nec niſi robuſtiſsimos adoleſcentes adoritur, ac in longioris vitæ ſpe poſitis inſidiatur. Ulteriùs progredientibus pleuritis thoracem lancinat, jecur & alvum conficit diarrhœa, & intumeſcens bilis; quæ etiam cauſi & choleræ ardentiſsima parens inextinguibilem movet ſitim, & vomitus concitat enormes. Porrò qui ad juventutis optimos annos aſcenderunt, & judicii maturitate totam perfectionis metam adæquâſſe videntur, mirum ac miſerum potiùs, quâ celeritate labantur, & cum corporis viribus animi quoque vigor minuatur.

Lib. 1. cap. 3.

Inclinante ætate ſenſim obrepit non intellecta ſenectus, mala merx, mala ætas, quæ adhuc juventutem cogitantibus ſuprà caput eſt: neminem ad quem appellet, nil habet quod ſperet, quem ipſa ducit ad mortem: extrema deditionis agitantur, ac velut præcone canente ſpolia dare, vaſa colligere, ac in domum æternitatis ire jubemur; debitum enim natura jam exigit, & volentes ducit, nolentes compellit; huic uni obſiſti non poteſt. Triſtis jam & querelis plena agitur vita; à qua ne optetur exire, timor mortis vetat, qui quoties mentem percutit, palpitantibus præcordiis vivitur: gravis ſanè ætas, criminibus multis onerata, morbis obnoxia, & ab omnibus deliciis aliena! moleſtam rectè appellavit *Homerus*, de qua *Terentius*:

> *Nam ſenibus ubi abſit morbus, ipſa ſenecta*
> *Per ſe mala valetudo eſt.*

Unde prudentiſſimè *Antiphanes Caryſtius* comicus dicebat:

> *Miſeram ad ſenectutem, ut ad officinam quampiam,*
> *Mala univerſa confluunt mortalium.*

Quanta igitur ſenem circumſtant incommoda, jacturæ, labores, dolores! floret amygdalus, impinguatur locuſta, diſſipatur capparis, fœtet anhelitus, rugatur facies, ſtatura curvatur, nares effluunt, crines defluunt; ſiccum & optimo rore vacuum caput ſubjectas partes excrementoſis mucoribus irrigat, languet ſpiritus, cor affligitur, caput concutitur, vertigine rotatur, tremit, ac præ motûs impotentia paralyſis minatur, & non rarò apoplexia, quæ nullas dat inducias. Heu! ſenibus vitæ portio quanta manet! hebeſcunt ſenſus, cum voce, labia tremunt, putreſcunt dentes, ac decidunt; in facie pallor, tenebræ in oculis, ſurditas in auribus, mucus in naribus, rheuma in pectore, torpor in articulis. Itaque emoritur auditus, odoratus, inceſſus, ſine nocte lux eripitur, ac ſi libros repetit duplex ſe litera findit; calculorum etiam tormenta præſtò adſunt, & dyſuriæ ardores: quibus nondum contenta ſenectus; nodoſa ac lapidoſa chiragra, podagra, aſsiduo cruciatu artus quatiunt, infinitiſque aliis morbis totum corpus corrumpunt, rebellibus adeò, ut nullâ arte, nullo medicamine plerumque debellentur, cùm nec ipſa ſi cupiat ſalus, illos unquam evincere poſsit, ſiquidem non antea torqueri deſinunt, quàm doloris vi & diuturnitate patiendi quoque ſenſum priùs ſuſtulerint. Sic in non hominem vertitur homo.

Eccle. cap. 1

Hi ſunt morbi, qui per ætates invadunt; illos verò qui corporis ſingulas partes affligunt, quis numerare poterit? in oculis tantum 115. computat *Galenus*, totius corporis alios annumera, ſi potes. Hi ſunt ergò mortis prodromi, hæ illius primitiæ, in hanc requiem & ad has tranquillitates defluit ætas, & in dementiam, quæ omni morborum damno major eſt: pauci quippe ſunt, qui cùm ætatis ratione corporis patiantur in-

Intro. cap. 1

injuriam, in animo etiam non sentiant. Dolor est totum quod vivitur, sed gravior pœna senectus, ut non immeritò Plinius *senectam* dixerit *in pœnam vivacis*; quibus si addas infortunia, clades, casus & mille alios vitæ dolores, ac labores, quos nullo non die experimur, meritò jam cum *Platone* dicendum: *Quæ pars vitæ calamitatibus vacat? nonne statim à principio plorat, ut primùm natus est infans, vitamq́ à lachrymis auspicatur? quæ non premit eum molestia? semper enim vel penuriâ, vel frigore, vel calore urgetur. Hinc jam fallens surripit senectus, in quam confluit quidquid est infirmum, fragilisq́ naturæ; & nisi quis vitam velut æs alienum reddiderit, adstans suprà caput natura tanquam fœneraria reposcit usuram, ab alio quidem visum, auditum ab alio, persæpe utrumque, ac si quis diutius cunctetur, eum excruciat, membrisq́ destituit; alii itaque multâ senectute repuerascunt, animoq́ bis pueri fiunt senes.* Quod *Lucretius* sic:

lib. 7. cap. 10.

Dial. à Xiochis.

17.

——— Tum porrò, ut sævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet infans, indigus omni
Vitali auxilio ———
Vagituq́ locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Quæ mala & vitæ calamitates perpendens *Seneca* sic ajebat: *Cur fleam scio, nempe ob me ipsum; nondum reperi, cur rideam. Larga ubique flendi & assidua materia: cur enim in hilaritatem risumq́ convertamus animos? ob præterita? jam abierunt. Ob futura? nondum sunt, res planè incertissima. Ob præsentia? in ipso transitu sunt; summa rerum omnium inconstantia, & vicina semper ruina est. Infantiam nobis eripit ignorantia, juventutem cæcus & vitiosus furor, optimam ætatem invidia, iracundia, habendi studium, & avaritia sibi vendicant: pars vitæ ultima inter morbos elabitur. Hæc nostra ad tumulum via est, jure copiosis lachrymis signanda.* Jure, inquam, millies signanda; unde enim ridebit homo? cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, labor vita, mors angustia, ac necessitatis vis est. Quin si quædam corruptio mors est, quoties emutamur, emorimur: corrumpitur enim infans in puerum, puer in juvenem, juvenis in virum, vir in senem, & qui heri fuit in eum, qui est hodie, quique hodie est in crastinum: manet nullus idem, sed in momento fluit, refluit, & immutatur. Natura enim nostra inter ortum & mortem consistens infallibilis quædam & quasi phantastica est; nam si ipsam comprehendere volueris, ac mente colligere, quemadmodum aqua manibus hausta, quantò magis premitur, tantò citius fluit, ut nil deinde appareat: sic natura & vita nostra quantò magis prosequitur, tantò magis amittit, & exitum affectat; omnia enim sensibilia in fluxu sunt, atque corrumpuntur, nec eadem unquam permanent, fluvium etenim eundem bis intrare impossibile est; mirabili adeò celeritate, si iteratò consideres, cuncta dissipantur & contrahuntur, sed homine nil velocius, qui quasi flos egreditur & conteritur. Optimè qui de eodem:

Ad Polyb.

18.

19.

Somnus, bulla, vitrum, glacies, flos, fabula, fœnum,
Vmbra, cinis, punctum, vox, sonus, aura, nihil.

110. ...no ...sit?

Proinde quid de homine à multis sapientibus dictum sit, jam audi. Seneca *de consol. ad Marc. cap.* 11. Quid est homo? quodlibet quassatum vas, & quodlibet fragile jactatu. Quid est homo? imbecillimum corpus, suapte naturâ nudum, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, frigoris ac laboris impatiens, ex infirmis fluidisque contextum. Odor illi saporque, & lassitudo, & vigilia, humor, & cibus, sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. *Aristoteles* apud Stobæum *serm.* 46 Quidnam est homo? imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum verò pituita & bilis. *Herodotus* apud eundem *Stobæum*: Homo nil omninò, quàm ipsa calamitas. *Solon*: Homo putredo in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte. *Secundus* philosophus apud Dionys. Carthusianum *de noviss. art.* 15. ab Hadriano Imp. interrogatus, quid esset homo? Respondit: mens incorporea, phantasma temporis, speculator vitæ, mancipium mortis: transiens viator, hospes loci, anima laboriosa, habitaculum temporis parvi. Melius D. Bernardus *cap.* 13. *medit.* Nil aliud est homo, quàm sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium; post hominem vermis, post vermem fœtor & horror. vel sic: Quid fuisti? sperma fœtidum: quid es? vas stercorum: quid eris? esca vermium. Et illius discipulus Guerricus Igniacensis *sermone de Script. Sanct. utilitate*: Corpora peccatorum quid sunt, nisi sepulchra mortuorum, quæ sunt plena omni spurcitie, putredine, & fœtore? *Lipsius*: Quid ho-

homo? lutum scitè mixtum; quid vita? hemina una sanguinis, quam quilibet levis casus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Tandem alius: quid homo? mens incarnata, speculator alienæ vitæ, mancipium dolorum; vita ludibriorum scena, miseriarum mare, cui annexum angi & dolere in omni sorte. Hæc homo, & de homine, ut meritò *Alcidamus* antiquus Rethor de mortis laudatione librum scripsisse videatur, quæ à tot lachrymis, à tot miseriis hominem eripiat. Quis jam cum *Innocentio* Papa non exclamet? *O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio!* & adhuc deteriora sunt, quæ *D. Chrysostomus* de eodem prædicat: *Animal* (inquit) *voluntate, animiq; inductione indomitum, improbitas nullo magistro percepta, spontanea insidia, callidus ad scelus, ingeniosus ad iniquitatem, proclivis ad avaritiam, inexplebilis ad alieni cupiditatem, jactabundus spiritus, insolenti verborum temeritate præditus: ferox, sed qui facilè frangatur; audax, sed qui facilè superetur. Arrogans lutum, insolens pulvis, inflatus cinis, scintilla, quæ facilè extinguitur; flamma, quæ facilè marcescit; lucerna, quæ facilè evanescit; folium, quod facilè corrumpitur; fœnum, quod facilè exsiccatur; herba, quæ facilè emoritur; natura, quæ semper absumitur: qui hodie comminatur, & cras diem extremum obit; qui hodie in opibus, & cras in sepulchro est; hodie in diademate, & cras inter vermes; hodie in thesauris, & cras in tumulo; qui nunc exultat & gloriatur, & paulò post lugetur; qui se ipsum ignorat, & quæ suprà se sunt curiosè inquirit; qui quod præsens est nescit, & de futuris nugatur; qui naturâ suâ mortalis est, & quâ est superbiâ sempiternum se putat.* Gravis profectò magistri, & qui hominis naturam rectè calluerat, discursus sanè admirandus! in quo sicuti ex antedictis tam animi, quàm corporis morbi, ab ortu, imò à conceptu, usque ad interitum dilucidè proponuntur ac perpenduntur; ut omnibus jam pateat quanto sapientiæ, veritatis, & rationis lumine ductus jure *Democritus* totum hominem ab ipso ortu morbum esse dixerit; de quibus, quoniam appositissimè ad rem, cum *Apulejo* finem faciemus, qui de homine sic: *Homines* (inquit) *ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, levibus & anxiis mentibus, brutis & obnoxiis corporibus, dissimilibus moribus, similibus erroribus, pervicaci audaciâ, pertinaci spe, casu, labore, fortunâ caducâ; singulatim mortales cuncti, tamen universo generi perpetui, vicissim sufficiendâ prole mutabiles, volucri tempore, tardâ sapientiâ, citâ morte, & querulâ vitâ subsistunt.*

11. — Cap. 8. contem. mundi. — In psal. — 12. — Lib. de Socrati.

QUÆSTIO CENTESIMA.

Heraclidis antro inclusi Pliniani gryphi explanatio pulchra: Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori. *lib. 7. cap.* 50. Plinius *in primis commendatur, amoveturque multorum calumnia, qui illum mendaciloquum in multis fuisse stultè divulgârunt.*

SUmmus miraculorum naturæ indagator *Plinius*, anagnostes eximius, ut *Aristotelem* vocabat *Plato*, infatigabilis inquam lector, & scitor inexplebilis, cui quoque collati omnes, licèt ex illis sint, qui totâ vitâ literis assident, pumiliones videbuntur, erubescentque; cùm jam ea, quæ perennibus studiis & Herculeo (quod ajunt) labore ex indefessa lectione, perscrutationeq; nunquam omissa adnotârunt, in unum compilare fuisset aggressus; naturalis historiæ 37. libros conscripsit, opus sanè diffusum, & eruditum, omni denique commendatione majus, nec minus varium, quàm ipsa Natura. Mirari profectò subit, quòd tot volumina (omitto 65. quæ Cæcilius nepos *in epist. ad Marcum suum* annumerat) multaque in omnibus tam ardua ac difficilia, Principum præcipuè amicitiâ, & maximis officiis occupatus homo absolverit; quod acre tamen ingenium, incredibile studium, summa vigilantia potuit. Itaque tam multa in editis ab eo libris prodita, quæ vel primariis aliis authoribus intacta, incognita nobis essent, nisi illius scripta superessent ac extarent. Jam quis non videt quantùm toto hoc magno opere medicinæ scientiæ faverit, cùm præcipuè præter sex libros

1.

bros ordine primos nil à *Plinio* traditum sit, quod medicorum artem & supellectilem non augeat locupletetque, sive de homine, & terrestribus animalibus, aquaticis, volucribus disserat, sive de omnifariis stirpibus sermonem habeat, sive aquarum, quæ medicatæ sunt, naturam expendat, sive de metallis agat & gemmis; ut nihil medico proindè futurum sit conducibilius, quàm quæ *Plinius* consignavit literis, evolvere, versare, perlegere, ut penitùs infixa hæreant insideantque animo; quo factum est, ut in *Plinio* corrigendo ac explanando noctu diuque sudare, anhelare, fatiscere studiosi multi non recusaverint.

2. Haud tamen potuerim ferre, quòd innumera stultorum caterva præclari scriptoris opera convitiis insectetur, Temonianoque dente lacessat, & apertis (ut ajunt) tibiis mentitum sæpius buccinet, ac non vera scripsisse proferat: Corebo quidem amentiores, quibus satius foret præcellentem virum admirari, quàm judicium suum interponere, cùm præsertim, ut *Crinitus* monet, insignes ac vetustissimos afferat testes; quare satius foret reconditos naturæ thesauros perscrutari; quandoquidem multa in illius majestate latere abscondita fatendum est, abdita quidem, & ab intellectu devia, quæ ingeniorum solertia necdum satis videtur excussisse; propterea optimè Seneca: *Arcana illa rerum naturæ sacra non promiscuè, & omnibus patent, reducta & interiori sunt clausa sacrario.* Eapropter magni *Scaligeri* magnum illud semper prædicabitur:

Lib. 18. de honest. discipl. cap. ult.

lib. 5. quæst

> *Nescire velle, quæ magister maximus*
> *Docere non vult, erudita inscitia est.*

Scienter quidem *Lucretius*, quod aliàs jam adnotavimus:

> *Multa tegit sacro involucro natura, nec ullis*
> *Fas est scire quidem mortalibus omnia: multa*
> *Admirare modò, nec non venerare; nec illa*
> *Inquires, quæ sunt arcanis proxima, namq;*
> *In manibus quæ sunt, hæc nos vix scire putandum,*
> *Est procul à nobis adeò præsentia veri.*

3. Graphicè proinde videbatur, ac scitè optare *Euripides*, ut res ipsæ cum hominibus colloquerentur, & se quales essent explicarent, ut procul amandarentur artificiosi sermones. Itaque quamplurima à *Plinio* reperta & tradita nobis fatentur docti, & grato animo persolvunt, gratulanturq; quod facit omnimodè encyclios vir Rhodiginus: *Nobis verò* (inquit) *infra classem tam excellentis authoris placita pro lege quidem sunt, fueruntq; perpetuò; jure enim tanto nomini assurgimus, sine quo fluctuabunt literæ, velut infesto mari ventis pulsata navis.* Abeat igitur malo omine istius amœnitatum rudis plebecula, & auscultationum exors; quando doctissimi viri persuasum habent, indoctos esse, quibus ille non sapit: longè enim à *Chrysostomi* sententiâ distare videntur, qui ait ad nullam rem tam cupidum esse humanum genus, quàm ad ignorata cognoscenda. Proinde tales benè alloquitur Seneca: *Stulto nulla re opus est, nullâ enim uti scit, sed omnibus eget, omnis stultitia laborat fastidio sui; nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat.* Credenda quippe multa & investiganda, quæ licèt primo intuitu inscitiis præcipuè videantur fabulosa, in naturæ tamen mirifica majestate, quantumvis talia appareant, impossibilia non sunt; quoniam, ut apud *Stobæum* dicebat *Chæremon:*

Lib. 11. cap. 14.

Homil. 78. in Joann. cap. 16. epist. 10.

> *Nil comminisci in rebus est mortalium,*
> *Quod non aperiat longa quærendi dies.*

Diviniora igitur, & quæ miraculis plena magis videbantur, in perfectissimo naturæ opere, homine inquam, septimo libro jam contemplari incipit: quàm multa expendit! quàm miro ordine ab hominis conceptu ad vitæ usque exitum illius admiranda inculcat, complectitur, atque miratur prodigiosa! incredibilia tamen appariturа fore haud dubitans, & omnem superatura fidem, quos in ingentem stuporem ducere cogitabat animos, ne incredulitatis exhorrescerent fastidio, inauditisque portentis nauseabundi nutarent, ut pacatos redderet, haberetque attentiores, in ipso statim libri exordio velut fidem præstolans, lectorem sic instruit ac moderatur: *Quis enim Æthiopes antequam cerneret, credidit? aut quid non miraculo est cùm in notitiam venit? quàm multa fieri non posse, priusquam sint facta, judicantur? Naturæ verò vis, & majestas in omnibus momentis fide caret; si quis modò partes ejus, & non totam complecta-* tur

tur animo: &c. subdit parùm infra: *Nec tamen ego in plerisque eorum obstringam fidem meam, potiusq; ad authores relegabo.*

En *Plinius*, quòd multa, quæ narrare paraverat, à veritate abhorrere viderentur, ut omnem fabulatoris, nugivenduli, ac mendaciloqui effugeret calumniam, authores afferre, & ad ipsos lectorem relegare consonum arbitratur, ut omnibus proinde constaret, quàm procul à mendacii crimine liber conscriberet, quamque purâ & accuratâ ecphrasi, prodigiosa naturæ, ac secretiora illius ostentaret miracula. Sic profectò sub magni nominis virorum auspiciis hominis admiranda plurima, monstrifica, ac portentosa non pauca septimo libro fusiùs quàm toto opere, ac pleniùs aggreditur enarrare, nullâ nominum suppressione: passim verò Herodoti, Aristæi, Clitarchi, Trogi, Aristotelis, Proconnesii, Ciceronis, Menandri, Isigoni, Calliphanis, Cratis, Varronis, Homeri, Apollonidis, Philarchi, Nigidii, Megasthenis, Ophigonis, Theopompi, Damnestis, Xenophontis, Isidori, Anacreontis, Mitiani, Epigenis, Berosi, Petosidis, Necepsi, Hippocratis nostri, & innumerabilium aliorum circumfert multa, ex illorum deprompta monimentis. Hac de causa eruditissimum appellabat Nepotianum D. Hieronymus: *Ingenuo pudore* (dicebat) *quod cujus esset simpliciter confiteri, atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando eruditissimus habebatur. Illud, ajebat, Tertulliani est, illud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii est: sic Minutius Felix, sic Victorinus, in hunc modum est locutus Arnobius.* Haud equidem præstare voluit aliquid, quod non ex asse compleverit. Conferamus jam illi posteriores, & multi nominis viros; expendamus innumera *Cardani* scripta, *Majolum*, & *Mizaldum* indè adeamus; accedat *Porta*, & *Weckerus*, quin *Aristotelis*, & *Averrois* non pauca ponderemus ad libram, sexcentosque ex antiquioribus alios, *Valerium*, *Plutarchum*, *Herodotum*, *Solinum* perscrutemur; veniat deinde medici collegii Doctorum omnis concio: an non plurimorum scripta eâdem multâ digna forent? rueret profectò tota medicina, rueret naturæ vis, & majestas; aut ignota foret saltem, si *Plinius* deficeret, aut negligeretur: quibus tamen machinis prolapsa, eversa? nullo candido Minervæ lacte, aut dulci literarum rore perfusi scioli incredulo animo, incoctili stomacho.

4.

Colliguntur summatim ejusdem Plinii *prodigiosa multa, quæ septimo libro tradidit.*

SEptimum igitur librum constructurus, postquam in præcedentibus cæli, terræ, marisque immensa spatia peragravit, ac de illorum situ, motu, & ordinatione, pluraque alia præfatus est, quæ macrocosmum καλὸν & κόσμον ostendunt: tandem ad illa, non minùs admiranda, quæ in microcosmi fabrica natura recondit, jam transiens, perfectissimum hoc illius opus, & absolutissimum, hominem scilicèt, contemplari incipit; hunc, inquam, quem sapientissimi Ægyptiorum sacerdotes *adorandum & admirandum animal* appellârunt, cælestesque ei igniculos, & divinitatis inesse semina animadverterunt. Hunc, quem Mercurius ille ter maximus *Miraculum magnum, ac simillimum Deo animal* vocabat. Hunc, quem Pythagoras *rerum omnium mensuram*; Plato, Theophrastus, *rerum omnium exemplar* dicebant: hunc, inquam, quem Aristoteles *Politicum animal ad societatem natum*; Synesius *Horizontem corporeum, & incorporeum* dictitabat; hunc, quem Tullius *animal plenum rationis, & consilii*; idem Plinius *mundi epitomem, & naturæ delicias* dixerunt. Hunc tandem, cujus singulare artificium vetustissimus diu contemplatus Zoroastes, conclamavit altiùs, atque intonuit: *O homo audacissimæ & omnia confidenter molientis naturæ decus!* Hunc denique, *quo majus in rerum natura nihil reperiri* Favorinus, *& admirationem omnem superare* barbarus Abdala agnoverunt. De isto, inquam, quàm multa expendit? proh! quàm contemplatur miranda, complectitur monstrifica, narrat prodigiosa, & prosequitur inaudita! Colligamus nos summatim ea, quæ per singula septimo libro disponit capita; lecturus in unoquoque incredibilia, qui ad ipsum accedet, cui prostant opera.

5.

Offeret sese statim prooemium mille naturæ querimoniis refertum atque expensum, de quibus capite præcedenti cum multis jam egimus. His ergò ut alienis omissis lustremus quas prosequitur gentium mirabiles figuras, diversitatesque, de quibus dubitares meritò an brutali speciei, an humano cœtui adhæreant adjunganturque, si

læstrygonas, Cyclopas, Arimaspos, Anthropophagos, Spithamæos, Sauromatas, Scyritas, Hirpias, Monoscelos, Sciapodas, Trogloditas, & monstrorum, seu lemurum potius immensam aliam illuviem consideres; intelligeres profectò ad detegendam naturæ potentiam satis esse inter prodigia posuisse gentes. Hinc ad partus advolat prodigiosos, natum infantem protinus in uterum reversum: quid majus? adjungit (rarum dictu!) mutationes sexuum, de quo tam insignium virorum fides abigit longè scrupulum; affert prætereà, post signa sexuum in gravidis, de pariendi tempore illustria exempla à 7. usque ad undecim & tredecim menses, inter quæ non defuit octavus Ægypto felicior. Expendit statim Anacreontis poëtæ, & Fabii Senatoris rarissimo vitæ exitu vanam humani generis intumescentiam, cujus principia abjectus extincti ellychnii odor valuit abrumpere, & superbissimi animalis coagulata rudimenta destruere. Agrippas inde annumerat, ex quibus nobili familiæ accessit cognomentum, quorum existimatam felicitatem Cajus & Nero Romani Imperii faces potuerunt obscurare, quando parturientis statim malo vitam auspicati, Post versæ ac Prosæ deprecationis cultum initiârunt, & toto principatu humani generis crudelissimos se præbuerunt hostes. Monstrosos etiam subnectit partus & Vopiscos, qui ejecto aborsu ponè sequuntur annumerans, & Cæsones, quos auspicatiùs enectâ parente natos nobilitârunt secundæ fortunæ eventus in Scipione Africano, & primo Cæsare, à quo mox in reliquos Imperat. derivatum nomen. Qua parte & Hispania fidem suam potuit etiam obstingere, quando per Sarracenos inflictum Urracæ ventri vulnus Sanctium obtulit Navarris Regem post Felicem: unde Gevarræ celebre furtum adjecit familiæ *Latronum* in æstimatione eximium agnomentum (si credendum quod ipsius regni annalibus adnotatum literis est.) Percurrit mox cum numerosæ sobolis prodigiosis exemplis in similitudine rariora quamplurima, quæ postea præclaræ fidei viri aliis coagmentârunt. Collatas inde ad viros sterilitates prosequitur, ac in summa generandi vi Methymatum offert post 86. Masinissæ annum genitum. Pergit ad ancunulentas fœminas mensibus inquinatas, de quarum venefica illuvie contemplatur mira, quod mustum inde acescat, sterilescant fruges, fructus arborum, hortorum germina moriantur & decidant, hebetetur speculorum fulgor, perstringatur ferri acies, & eboris nitor, commoriantur apes, & in rabiem agantur eo gustato canes. Prosequitur deinde fœcunditatis signa, quibus de dentibus scitu digna adjicit, & inaudita, sed paulo majora, quæ ibidem de proceritate in gigantæis corporibus narrat. Inde post morum exempla incredibilia multa de velocitate, fortitudine; cujusmodi sunt Milonis Crotoniatæ, quem cum constitisset, è vestigio movebat nemo; Iunii Valentis, qui vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur sustinebat; Fusii Salvii, qui duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, ducenaria duo humeris ferebat contra scalas: puerum 9. genitum anno Vipsano & Fontejo Coss. à meridie ad vesperam lxxv. M. passuum cucurrisse. Ad eundem modum in reliquis, visûs, auditûs, patientiæ, & memoriæ horrenda creditu, metuenda dictu: volvitur hinc ad Jul. Cæsaris, & Magni Pompeii laudes, quorum in toties debellandis hostibus militaris fortuna cessit in miracula: nescires an majora in præliis, quinquagies collatis signis, an domi scribere, legere, audire, dictare simul. Magnus in hoc Iulius sed maximus in subjugandis provinciis imperio Pompejus, qui triumphali curru revectus, excitatis in Pyrenæo trophæis oppida 876. ab Alpibus ad Hispaniæ fines in ditionem redacta victoriæ suæ adscripsit: inde Magni cognomen non rejecisse, quòd Alexandro se futurum similem putâsset, proditur ab historicis. Evehit statim inter prodigia, quæ ex ingeniis petuntur in Catone I. Platone, Ennio, Virgilio, Marco Varrone, & Cicerone, mundi luminibus, si non miracula dicas, aut utrumque: non omittens, quæ de authoritate, divinitate, pudicitia, & pietate præbuit in unoquoque multorum excellentia; hanc mox inter artes astrologiæ, Geometriæ adjudicat. Inde mira artificum opera extollit ac laudat, in Aristidis Thebani tabula centum talentis Regi Attalo mercata; majoris fortassè pretii alia Protogenis, quæ Rhodi sustulit incendium. Addit de servitiis incredibilia, majora aliquantulum in Daphnidis Pisaurensis Grammatica, licente Scauro civitatis principe 3700. sexstertiis. Sed jam cùm gentium præstantia, ambagiosæ fortunæ & felicitatis pensitat inconstantiam: mortalem nullum felicem, multos accepta afflixisse imperia, plures bona perdidisse, & ultimis mersisse suppliciis: *Heu vana*, inquit, *& imprudens diligentia! numerus dierum comparatur, ubi quæritur pondus.*

[Left margin, partly cut off: 5. ...uinis ...rtui ...gnitas]

[Right margin: Victori. ex Nonio cap. 2. lib. 5.]

[Right margin: Cap. 40. lib. 7.]

Eadem contemplabatur Seneca: *Inquieta res est felicitas, ipsa se agitat, movet cerebrum, non uno modo gravis, alios in aliud irritat, alios in potentiam, alios in luxuriam; alios inflat, alios mollit, & totos resolvit.* Exempla forent infinita: notissimum Crœsi sufficiat, & Dionysii posterioris celebre responsum, qui in congressu à Philippo Amynta interrogatus, quomodò factum esset, ut acceptum à patre principatum præclarum nequiisset conservare? non illepidè fertur respondisse: *Alia quidem reliquit mihi pater, fortunam verò, quâ hæc sibi quæsierat, non item.* Tamen inter tanta prosperæ fortunæ unum aut alterum addit exemplum (& hoc pro miraculo) in L. Sylla, & duobus Metellis: Divum verò Augustum ab hac classe sejungens, reponit tantum inter beatissimos Phedium, & illo feliciorem Aglaum Psophidium, hunc, quòd à prædio nunquam egressus, annuis victibus sufficiens illud colebat, minimâ cupidine minimùm in vita mali expertus; illum, quòd pro patria occubuerit. Expendat nunc insatiabilis hominum ambitio, ubi reponantur felicitates, ubi rerum eventus adigat beatitudines, & Crœsi exemplo sapientissimus arguat Solon. Unum tantummodò Euthymium Pyctam oraculi jussu, & Jovis adstipulatu, ut Deum cultum. Hinc multorum affert longissima vivendi spatia, tantò ejusdem *Plinii* opinione infeliciorum, qui naturam hominibus brevitate vitæ nil melius præstitisse cum aliis judicavit; huc pertinet illud Senecæ: *Nulla vita non brevis, nam si ad naturam rerum inspexeris, etiam Nestoris & Statiliæ brevis est, qui inscribi monumento suo jussit, annis se 99. vixisse; Vides aliquem gloriari senectute longâ; quis illam ferre posset, si contigisset centesimum implere?* Prosequitur ulterius multorum longissimos vivendi terminos, quos omnes superavit posteà Joannes de Temps Gallus, qui ad 361. vitam protraxit; hic namque sub Carolo Magno anno circiter 800. militum stipendia secutus, imperante Conrado II. obiit 1145. ut Mantuanus *in Alph.* & alii plures referunt. Tandem in horum omnium miraculis divagatus, sua quoque in morbis inesse non pauca intelligens, descendit ad illa *cap.* 50. ejusdem *libri*, quo loco Gordiano nodo indissolubiliorem relinquit gryphum, in cujus explanatione diu desiderata insignium virorum laboravit mens, nec adhuc in quo acquiesceret invenire potuit. Faxint Dii, ut hanc nostram accipiant humaniter, aliqui saltem, si non omnes; quod optimum judicaverimus, probè scientes ne Jovem quidem omnibus placere: adduximus tamen summatim omnia, quæ 7. *lib.* scripsit *Plinius*, non alio animo, quàm ut persuasum foret omnibus, nil ab eo enarratum toto hoc libro, imò opere toto, in quo naturæ vis & majestas non elucescat, prodigiis non scateat, miraculis non obstupefaciat; nil tandem quod incredibile non appareat, illis præsertim, qui naturæ thesauros nondum perscrutati sunt, & illius abscondita miracula nondum fuerunt rimati: quare etiam in hoc, quem exponendum suscepimus loco, simile aliquid ab eo derelictum nobis, quod explanatio nostra pro viribus conabitur reddere manifestum. Interim adlaborent omnes, & sperando ingenii adhibeant machinas: siquidem ut subtiliter dicebat Heraclitus: *Nisi speres, quod suprà spem est, non invenies quod inveniri nequit.*

Epist. | 7. | Epist. | 8.

Exponitur locus Plinii *difficillimus, qui diu multorum ingenia torsit. Variæ doctissimorum virorum ad illum explicationes expenduntur, & refutantur.*

Sistamus paululùm, & tantis prodigiis satiata obrutaque mens respiret tantillùm, Plinianum labyrinthum ingressura modò. In caput ergò 50. appulsi, expendamus denuò, quæ ibi agat *Plinius:* igitur ille sicuti in antedictis, nunc quoque præsenti capite morborum miracula exemplis aliquot percurrit & in primis Publii Cornelii somniatam cæcitatem, veram tamen miratur; cui simile est illud, quod de altero tradit Galenus *com.* 3. *in* 1. *epid.* qui sibi crus lapideum factum cum somniâsset, mox eâ corporis parte paralyticus evasit, sed de his *quæst.* 37. latiùs egimus. Phalarei etiam deploratam vomicam, hostis in prælio sævo ictu mortem minantis, mirè tamen ex eodem sanatam admiratur. *Divinæ fortunæ vulnus Pherei Iasoni quidam exitii ejus cupidus intulit*, dicebat *Valerius*. Q. Fabii Max. in acie, dum præ ancipiti victoria angitur animus, ratam quartanæ solutionem deinde meditatur, & meritò quidem, cùm sors & fortuna ita sæpius ludere videatur, ut quemadmodum per horren-

9. | Lib. 1. cap. 8.

rendas animi & corporis percussiones optatam recuperare salutem novit, ita per abjectissima & vilissima, optimâ fruentes aliquando in mortem vitiat, ut in Anacreonte poëta, & Fabio Senatore visum est; illo uvæ acino, hoc hausto in lacte pilo sublatis: quare hæc velut inter se conferens prorumpit sic: *Incertum ac fragile est hoc munus naturæ quidquid datur nobis, malignum verò & breve, etiam in his, quibus largissimè contigit, universum utique ævi tempus intuentibus.* Adjungit mox circà humanæ vitæ miserias speciosa alia, singulari ita suo judicio ponderata, qualiter melius nec præstitit unquam alius, aut præstare poterit. Considerat inde tot ægritudines, sensûs, incessûs, visûs, auditûs, quibus nullus non premitur assiduè, & torquetur anxiè: *Ergo & pro miraculo*, inquit, *solitarium reperitur exemplum, Xenophilum musicum centum & quinque annis vixisse sine ullo corporis incommodo.* Sed his prælibatis ad morbos iterum revolvitur, & quorundam in afficiendo præter communem ordinem naturas admirabundus contemplatur; quòd pestifer calor non horis modò, sed diebus noctibusque trinis quadrinísve, & anno toto per corpus remeet, illud miratus, quòd anno toto certis diebus & horis aggredi noverit; & parùm infrà, quòd nunquam brumâ, nunquam hybernis mensibus incipiat quartana. Deinde quosdam morbos sexagenarios non attingere, quosdam pubertate deponi, senes non sentire pestilentiam: sed in medio horum in majorem raptus admirationem, & narratis aliquid majus dicturus, sequens Bæoticum ænigma Cimmeriis involutum tenebris, currenti calamo, sed judicio acri & inaccessibili impressit papyro, atque inscripsit: *Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori.* Hæc inter *Plinii* arduas difficultates maxima, natatore indigens Delio; hæc, quam Heraclidis antro inclusit, & salebroso aditu fecit inaccessibilem; hic inter ambagiosos & Dædaleos illius labyrinthos Ægyptius & Cretensis, unde non nisi alter Ariadnæo filo Theseus, qui biceps occidat monstrum, & arrepto fili glomere evadat. Hic inter illius inextricabiles nodos Herculeus & Gordianus, non nisi Delphico gladio, & Alexandri indigens consilio. Hæc tandem Platonicis numeris obscurior est sententia, quam nec Apollo quidem potest intelligere, quia præter Sibyllam sciet nemo; adeò enim obscurum est hoc *Plinii* ænigma, ut Andreas Schottus *lib. 5. obs. hum. cap. 10.* meritò judicium suum interponere sit veritus. In hanc igitur difficultatem mirum est quot doctissimi viri omnes adhibuerint machinas, non medici conventûs modò, verum Theologorum, Jurisperitorumq; scientissimi alii & eruditissimi, ut appareat jam omnium literarum celeberrima ingenia in hoc scutum confregisse hastas; omnes tamen cum larvis pugnare visi sunt, & corvus delusit hiantes. Multorum igitur opiniones explicationesque propalare tempestivum jam est.

Inter-[...]atio [...]rcati locum [...]ii.

Fuit igitur primus, qui assiduâ librorum lectione occurrit, Ludovicus Mercatus *cons. 9. de Typhomania*, vir sanè doctus, & in re medica magni momenti, apud quem sic legimus: *Occasione hujus verbi Hippocratis* (erant autem verba *ex lib. 1. de morbis* in fine. *Tamdiu animal sapit, quamdiu cerebrum quieverit*) *placet explicare* Plinii *locum* Atq; etiam morbus est aliquis &c. *Difficile quidē dictu, quâ parte permittendum est, dimissis gravissimorum authorū interpretationibus, quòd cùm tota ratio sapientiæ sita sit in mente quieta, sicuti in motu insipientiæ, necessum erit quærere quisnam sit ille morbus, qui mentem quiescere efficiat, ut per sapientiam, aut ut rectiùs loquar, cum sapientia interficiat? In qua re dicimus esse inter species melancholiæ quasdam, quæ ætatis ratione acquiruntur, & mentem à caligine humiditatum liberant, quibus sapientior fit homo, quò magis morti accedit: nam morbus hujusmodi non est sicuti ille, qui in cæteris melancholiæ sortibus reperitur, sed aliquis morbus, hoc est senilis; qui non in quavis senectute, sed in ea, quæ per claram cerebri & puram substantiam, cum ea siccitate, quæ firmitudinem menti addit, ipsam sine commotione, & turbulentia operari prudenter, ac sapienter permittit, ad mortem tamen semper tendens & hoc est per sapientiam mori.* Hæc *Mercatus*, doctè sanè, qui interpretationem suam poterat multis aliis corroborare, quæ in bonarum literarum viretis inveniuntur. Illustrat igitur hanc *Mercati* sententiam *Democrit.* quem Abderitæ tali morbo affectum, & eo periisse putârunt; quo etiam ferunt laborâsse Cleombrotū, cùm insanientem sapientiam hausit lecto de immortalit. anim. *Platonis* libro. Præterea communiter circumfertur, senectutem dici animæ ætatem propriam & accommodam, non solùm, quia à rabido libidinis œstro, velut à quodam tyranno, exutus homo, quod reliquum est vitę, omne divinis colloquiis impendat, & illorum operibus vacet; sed etiam quòd in sene omnes cùm flaccescant vires, sola lætiùs viridiusq; progerminet sapientia: quo nomine clarissimus

110.

 è Græ-

è Græciæ Imperatoribus Themistocles transactis vitæ annis 107. lineas jam fieri propiores sentiens, indoluit tunc sibi demigrandum, sapere cùm præcipuè esset exorsus; & apertiùs confirmavit *Socrates* apud Platonem *in apolog. ejusdem*, ubi sic loquitur: *Sum jam eò loci, quo homines vaticinantur, in vitæ exitu &c.* Sic & Poëtas celeberrimos legimus, ætate jam grandi cygnæum quiddam, & consueto mollius blandiusque insonuisse: eapropter quærebat Aristoteles, *Cur seniores ampliùs mente valeamus?* & sic respondet: *Quia*, inquit, *natura parens instrumenta nobis duo inseruit, manum corpori dedit, animo mentem; cæteræ scientiæ, & artes nostra opera sunt, mentem ipsam opus esse naturæ fetendum est. Vt igitur manu non jam inde ab ortu uti possumus, sed cùm eam absolvit natura, perfecitq́; procedente ætate; ita mens non protinùs, sed in senectute maxime nobis contingit, atque tunc præcipue consummatur, & absolvitur: accedit verò posterior mens, quàm manuum facultas, quoniam mentis instrumenta posteriora sunt, quàm manuum, est enim mentis instrumentum scientia* Propterea *Seneca* senectutis annos vocabat optimos De manibus verò (ut hoc obiter dicam) quantùm scientiæ conducant, abundè *Galenus*; de quarum etiam eximiis laudibus legendus Rhodiginus *lib. 4. antiq. lect. cap.* 13. qui de illarum præstantia mirabilia scribit: sufficiat eundem dicere, sejunctis manibus non inermes modò nos futuros, sed vel brutis infeliciores. Sapientissimè igitur concludit, *Anaxagoram, Aristotelem, & Plutarchum*, ideò sapientissimum videri hominem dixisse, quia manibus foret instructus Tandem plura de senum judicio & scientia Galenus *lib. quod animi mores*, & quæ ibi ex Platonis *Timæo*.

11. — 30. Pr. 4. — 12. — Epist. Lib. 1 usu par. cap. 4.

Mercati tamen interpretationem, licèt vera sit quatenùs prudentiam in senili ætate constituit, *Plinii* sensum non attigisse ex eo constat, quòd illa senilis dispositio, quæ senes sapientiores reddit, nullo modo sit morbus; nec inter ullas melancholiæ species numerari debet, præsertim morbosas, quia intrà sanitatis limites tantùm remanet: quamvis enim senectus ipsa inter morbos latè reponatur, quia actiones quodammodò lædere videtur, reverà tamen cùm ipsas sensibiliter non lædat, ita ut à consuetis vitæ muniis abstinere faciat, neutras dispositiones tantùm ingreditur, & inter ipsas reponitur, atque ideò veri morbi rationem non subit: *Plinius* verò sequenti capite de morbo sapientiæ agens, illius signa lethalia proponit, quæ delirantibus convenire videntur; absurdum tamen foret talia signa accommodare velle ad illam senilem dispositionem, in qua potius homo sapit, & non delirat. Præterea illa signa à *Plinio* proposita lethalia sunt, & mortem in proximo ostendunt; ab hoc verò tantùm distat senilis illa dispositio, per quam sapit homo, ut potius veri morbi naturam non induat, ut jam diximus; *Plinius* verò apertè morbum esse aliquem dixit *per sapientiam mori*, cujus lethalia signa statim affert. Secundò rejicitur *Mercatus*, quia licèt constituamus illam senilem dispositionem inter species melancholiæ, inter species melancholiæ naturalis locum tantummodò habere poterit; sicuti de naturaliter melancholicis, prudentiâ excellentibus dicitur, non de omnibus, sed de illa tantum melancholiæ temperie de qua sic loquitur Aristoteles: *At quibus minùs ille calor remissus ad mediocritatem sit, ii prorsùs melancholici quidem, sed longè prudentiores; & quamquàm aliqua ex parte minus excedant, multis tamen in rebus cæteris omnibus sunt præstantiores, alii in studiis, alii in artibus, alii in repub. &c.* Isti, inquam, licèt sapientiores sint respectu talis temperiei & humoris melancholici, illorum tamen melancholica dispositio haudquaquam morbosa est, imò naturalis & inter naturales optima: sic ergò de illa senum dicendum, quia respectu senectutis optima est illius ætatis temperies; quare nullo modo morbus dici potest, qui ad mortem perducat, licèt ad sapientiam probè disponat. Ultimò sic apertissimè convincitur, nam *Plinius* morbum esse aliquem dicit *per sapientiam mori*, ceu (ut vult *Mercatus*) cum sapientia, aut per sapientiam interficiat; quis autem dixerit sapientem illam senilem dispositionem interficere posse, nisi aliquid ulteriùs adveniat, quod vim naturæ inferat? temperies enim illa non est ita cum vita incompatibilis, ut illam destruere possit, quia non est frigidissima, & siccissima; imò talis temperies cum siccitate mediocri calorem aliquem habet, sic enim mentem à caligine humiditatum liberare valet, ut ad prudentiam disponat, & cerebro conciliet firmitudinem. Nec obstat, dixisse *Galenum*, extremam siccitatem extremam parere sagacitatem; quippe, ut oculatissimus explicavit *Garcia*, extrema illa siccitas accipienda est intrà sanitatis limites, namque quæ extra est prudentiam nunquam, sed delirium causare optimè advertit idem: igitur cum dicat *Plinius* mori hominem per illam sapientiam, seu morbum aliquem per sapientiam

30. Pr. 1. — 13. — Lib. quod animi mores cap. — n libris locis affe. fol. 231.

tiam interficere, aliquid aliud intellexisse arbitrandum est, quod verè sit morbus, & valeat ad necem hominem deducere; qualis tamen foret *Mercatus* non explicavit, nec nobis declaravit.

Eisdem fermè confunduntur ac confutantur ea, quæ nuperrimè Hispalensis Doctor *Bernal*, ac si Acesii & Heliconis essent opera, in lucem edidit, de senectute *Plinium* explicans; quasi per illud, *per sapientiam mori*, nil aliud *Plinius* indicare voluerit, quàm per longam senectutem mori. Sed mirum est, quàm procul à scopo absit, multoque intervallo à *Plinii* aberret sensu. Adjiciamus tamen illi pauca, quæ inertem interpretationem exornent, poliant, eidemque nitorem aliquem concilient, ut fuco aliquo tincta aliquorum pelliciat animum. Igitur præter illa, quæ pro *Mercato* attulimus, scribit *Plautus* sapientiæ condimentum esse ætatem; proinde senum prudentia per sæcula omnia ita innotuit, ut illorum consilia juvenum lanceæ dicerentur, sicuti senum vota juvenum facta: hoc proinde modo Chrastinus Carboni objicienti se habere multos gladios, optimè respondisse fertur: *Et ego multos annos.* Sed quare senes sapiant magis, ac prudentiores evadant, divinus docuit *Plato*, qui postquam rationem dederat, ob quam in pueritia & primis ætatibus vigeret amentia, dicebat sic: *Animus ab initio cùm primùm mortali inditur corpori, amens efficitur. At postquam nutritionis & augmenti rivus lenius minusq; fluit, animæq; circuitus tranquillior i motu iter suum peragunt, processuq; temporis sedatiores fiunt, & in figuram naturæ suæ congruam restituuntur, tunc singulorum circulorum directè conversiones ejusdem & alterius naturam probè discernunt, hominemq; sic institutum prudentem efficiunt.* Et huc certè pertinere videtur *Hippocratis* sententia ex 1. *de morbis*, quam *lib. de sacro morbo* semel ac iterùm repetit, *Tamdiu hominem sapere, quamdiu cerebrum quieverit*; & altera 6. *epid. sect.* 5. *text.* 5. *Anima hominis producitur usque ad mortem*, cùm indies sapientiores fiant. Porrò circà hanc rem multa *Galenus* ex eodem *Platone*, & idem *Plato*, à quibus supersedemus modò; illud interim non omittentes, non solùm ætatis ratione senes prudentes fieri, sed multâ etiam rerum experientiâ, & casibus multis; unde extat illud ex *Solone*:

Discendo assiduè multa, senecta venit.

Cui simile est illud *Gellii*:

Vsus me genuit, peperit mater memoria.

quare rectè dicebat idem:

Discipulus est prioris posterior dies.

Hæc fuit illa Catonis prudentia, quam per longam ætatem, & multarum rerum cognitionem adeptus est: unde rectè dicebat Pontanus: *Cùm sapere incipimus, tunc à nobis debitum natura exigit, & colligere vasa, & de vita recedere volentes jubet, nolentes compellit.* Legat qui de hac re plura desiderat, *Erasmum* in adagio *Senesco semper multa addiscens*: cui maximè congruit illud Job. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.*

His igitur inerti huic opinioni fulcimentum aliquod addere placuit; quæ tamen talia non sunt, ut de senum naturali prudentia propterea *Plinium* præsenti loco intelligere debeamus: nam licèt hoc de senibus verum sit, & in aliquibus ita accidere conspiciatur, non tamen in omnibus, sed in paucissimis visitur; quare *Mercati* opinio ad veritatem propiùs accedebat, nam (ut ipse inquit) non in qualibet senectute, sed ea, quæ per claram cerebri & puram substantiam &c. quod in paucis contingit, quippe in plerisque senum videmus non solùm minimè inveniri prudentiam, quin imò amentes plerumque esse, inconstantes, & minimâ ratione pollentes. Itaque cùm senectus tripliciter dividatur, in viridem, mediam, ac decrepitam; primum illud senectutis tempus sapientiæ pars habetur, reliquum verò, & præcipuè ultimum oblivioni, laboribus, & amentiæ deputatur, cùm hæc omnia senibus tunc adveniant; & cùm tunc mors propinquior sit, quàm in prima senectutis parte, in qua homines plerumque adhuc vigent, viribusque ac mente constant, locum non habet, quòd *mori per sapientiam* sit mori per longam senectutem, in qua potiùs jam homo non sapit, sed delirat, ut *lib. quod animi mores cap.* 5. scribit *Galenus*, qui sic ait: *Cur haud ita pauci ad extremam usque senectam viventes desipiunt? Respondebimus* (inquit) *id non ob siccitatem, sed ob frigiditatem accidere, nam haud dubiè ipsa omnibus animi actionibus officit.* Hæc *Galenus*, quod antea *in politicis* docuerat *Aristoteles*, post annos duos de quinquaginta, ingenii vigorem evanescere: aperitùs *Plato* de senibus agens: *Cùm igitur*

Marginal notes: Opinio Doctoris Bernal. — 14. — Plutar. in Lycurgo. — In Timæo. — Lib. quod animi mores cap. 4. & 5. dial. Cato Major, & in Timæo. — Dial. 6. — 15.

tur ad animi habitum redit, quem puer primis ab annis habebat; quarè minimè tunc sui ipsius compos erit, erit itaque pessimus. Non solùm igitur senex bis erit puer, sed temulentus ipse etiam. Hinc est apud *Rhodiginum* senes fieri callipædas, id est, puerum sapientes; ex quo *Platonis* loco *Bis pueri senes*, ortum est proverbium, de quo in Nicomate nostro abundè egimus; in cujus paraphrasi Chiliadum author in omnibus eos pueris assimilat: *Postremò* (inquit) *morum inertia, levitas animi, & hoc ipsum nil sapere infantiam quandam repræsentat*; unde etiam dicebat Euripides: *Vestram ubi senectam video mentis indigam.* Quare & apud poëtas delira vocatur senectus: sic Horatius 2. *sermonum*:

Dial. de lege.

Lib. 11. cap. 16.

Libertásve senem delirum temperet.

Sic *Cornel. Gallus*:

Conveniunt etenim deliræ ignava senectæ.

Optimè quidem Lactantius *animam* dicebat *crescere in pueris, vigere in juvenibus, & in senibus minui*; quandoquidem intelligentiam pro ætate vigere & imminui cernimus, & eapropter aptissimè protulit *Antiphanes*:

Lib. 7. de divino præmio.

Est nostra vino vita quàm simillima:

Acescit, est cùm reliqua parva portio.

Siquidem augescente corpore simul & prudentia crescit, senescente verò consenescit, atque ad omnia opera hebetatur, ut apud *Herodotum* Dario marito suo Thalia Atossa Cyri filia dicebat: pauci quippe sunt, qui cùm sentiant ætatis injuriam in corpore, non sentiant in animo, vixque corporeus languet vigor, cùm & mentis oculus hebetatur & deflorescit; unde non immeritò apud Priscos proverbio decantatum:

Opera juvenum, consilia autem mediorum, preces verò senum.

Quem versiculum *Boëthus* poëta *in Athenodorum Seniorem* sic apud Strabonem *in* 14. mutavit:

Opera juvenum, consilia autem mediorum, crepitus verò senum.

Proinde dicteriis multis aliis senectus malè onerata est, iners, misera, damnosa, infelix, turpis, tristis, fœda audit. Ex quibus omnibus elucet evidenter in paucissimis senum prudentiam inveniri, in infinitis propemodùm amentiam, & sapere nihil, esseque pueris similes, multoque magis in ultima senectute. Quarè *mori per sapientiam* non est mori per senectutem; imò per insipientiam mori, erit mori per ultimam senectam, cùm ferè omnes in ipsa morientes deliri sint, & nil jam sapiant, ideoque fortassis tunc decrepiti dicuntur, quia discrepant. Deinde si *mori per sapientiam* aliquem morbum denotat, ex cujus vi homo moritur, quomodò poterit esse senectus, quæ passio est naturalis? licèt enim ab aliquibus dicatur ipsa senectus morbus, & senes infirmi & valetudinarii, ut facit Abbas *in C. quamvis num. 2. de senum excom. & C. magnæ num. 8. de vot. & vot. re. & C. 1. sin autem episc. de cler. ægri. in 6. & in C. quon. freq. §. 1. ut lit. non contest. num.* 19. tamen reverà tales non esse, nec dici debere probat Menochius *de Arbitr. jud. lib. 2. cap. 60. cent. 1. num. 8.* quamvis enim morbus dicatur, lato modo hoc dici videtur, ad significandum gravem esse ætatem, criminibus multis oneratam, ægritudinibus obnoxiam, & ab omnibus deliciis alienam; quare molestam appellavit *Homerus*, & Terentius *in Phormione*:

16.

Nam senibus ubi absit morbus, ipsa senecta

Per se mala valetudo est.

ut latiùs *cap.* præcedenti scripsimus. Nec inermis comprobatio, nimirùm quòd senectus dicatur ætas matura, aliquid valet; nam propterea dicitur matura, quia finem suum adepta est, quemadmodum de fructibus, quos dicimus maturos: non verò quòd sit perfectior in judicio & sapientia.

Poterat etiam aliquis *Plinium* præsenti hoc loco intelligere de præcoci puerorum sapientia, de quibus communiter dicitur, non diu superstites esse, sed citò extingui, naturâ quâdam velut anticipatione exitum affectante, ut *quæst.* 78. latiùs dicebamus; quâratione *Censorinus* apud Plinium *cap.* 51. *lib.* 7. ad filium dicebat, præcocem sapientiam præmaturæ mortis esse signum. Sed cùm de aliquo morbo *Plinium* locutum fuisse constet apud eruditos, ideò prædicta opinio *Plinii* sensum non attingit, nec recipi meretur, licèt illud quod docet plerumque verum sit.

3. Interpretatio Patris Ioann. Pinedæ.

Tertia interpretatio, quæ Plinianum hunc nodum tollere atque extricare conata est, fuit Reverendi Patris *Joann. Pinedæ*, omnium sanè calculis docti, & qui in sapientiæ ac Theologiæ arce cum primis stetit. Ille igitur in quadam apo-

apologia & responsione ad Doctorem *Franciscum Ximenes*, quam anno 1605. evulgavit, ingeniose sanè putat verbum illud *mori* in hoc *Plinii* ἀξιώ, nullo modo ad infinitivum verbi *morior* alludere, sed genitivum potius esse nominis *morus*. Excogitavit ergò (nec citrà rationem) morbis aliquibus convenire posse metaphoricum illud, quod de moro arbore scitum est, & refert idem Plinius *lib. 16. cap. 22. & 25.* Theophrastus *lib. 1. de caus. plantarum cap. 21.* nimirùm sapientissimam esse omnium arborum, quia non nisi exacto frigore germinet, & flores producat suos, ne illius injuriâ oppressa conquassataque arbor spem & fructum amittat; propterea morus dicta, à mora, seu tarditate, & inde sapientissima. Quapropter & *cap. 7. lib. 23.* dicebat idem: *In hac arbore observandis miraculis, quæ in natura ejus diximus.* Incidit verò in hanc opinionem ductus fortassè ejusdem Plinii verbis, quæ mox addit; *Morbis enim quoque quasdam quasi leges natura posuit.* Et huc forsan respiciebat Plinius *lib. 26. cap. 1.* dum sic scripsit: *Quo mirabilius quid potest reperiri? aliqua gigni repentè vitia terrarum in parte certa, membrisq; hominum certis, vel ætatibus, aut etiam fortunis, tanquam malo eligente; hæc in pueris grassatur, illa in adultis: hæc proceres sentire, illa pauperes.* Qua ratione ibidem de mentagra loquens: *Nec sensère* (inquit) *id malum fœminæ, aut servitia, plebsq; humilis aut media, sed proceres veloci transitu.* Quin & eodem *cap. 50. lib. 7.* non alienus ab hoc videtur, cùm ait: *Certis pestifer calor remeat horis, aut rigor, nec horis modò, sed diebus noctibusq;, trinis, quadrinisve, etiam anno toto: quadrimi circuitûs febrem nunquam brumâ aut hybernis mensibus incipere, quosdam post sexagesimum vitæ spatium non accidere, quosdam pubertate deponi; senes minimè sentire pestilentiam, ac generatim modò servitiis, modò dominis per gradus ingruere.* Et hâc ratione aliqui prædictum *Plinii* locum *per sapientiam mori* speciatim de quartana intelligi volunt; quæ, sicuti morus germinandi, ita invadendi, ac eligendi temporis & personarum scientiam obtineret, ideoque à Pythagoricis filia Saturni dicta est, quia

17. videlicèt ille humor ab intelligentia quadam non errante dirigi videatur, ut 3. *aph.* 22. notat *Mercurialis*. Apparet itaque morborum leges esse, quas modò diximus: videtur quippe *Plinius* contemplari in hac morborum serie quorundam eventus, & solutiones, eâ certitudine & lege, ac si aliquâ ratione aut sapientiâ ducerentur, non cæco naturæ ductu, quasi tales morbi non nisi certis horis, aut diebus, hac aut illa ætate, huic aut illi sexui, servo aut proceri, vernis aut hybernis mensibus accidere noverint, & invadendi scientiam habuerint; quâ ratione tales morbi sapientes appellari poterant, seu sapientiæ morbi; eodem planè modo quo *morum* sapientissimam arborum vocârunt *Plinius* & *Theophrastus*: & in hoc sensu non absque ratione dici posse videtur, quòd *per sapientiam mori* nil aliud sit, quàm ordine mori, & cum quodam artificio naturæ; quale id artificium? sapientia, seu ordo quidam definitus; quæ enim casu fiunt, ordinem non habent, sapientia verò pro certo ordine ponitur, quem ordinem *Plinius* legem dixit: *Morbis enim quasdam leges natura posuit*; & quemadmodum sapienter, seu per sapientiam curare de medicis dicitur, ita & natura invenit quomodò quis per sapientiam, & artificio extingueretur, quod genium illius ævi redolet: quæ opinio doctissimo *Scaligero*, & *Danieli Heinsio* etiam placuit, ut apud *Beverovicium* videre est.

Sed ut *Plinium* hac parte illustremus, qui paraphraste indigere videtur medico, videndum est, quinam sint morbi, quibus natura leges imposuisse videatur; an etiam verum sit quartanam nunquam hybernis mensibus accidere? quinam sint, qui post 60. annos non afficiant ulterius? qui pubertate deponantur? & quare senes minùs sentiant pestilentiam? Ultimò qui morbi proceres, qui servos velut per gradus impetant? quæ omnia summatim ac breviter perstringemus.

Igitur postquam, ut magnum raritatis exemplum, Xenophilum adduxit, quòd 105. annos citrà ullum corporis incommodum vixerit; *Reliquis omnibus* (inquit) *per singulas membrorum partes, qualiter nullis aliis animalibus, certis pestifer calor remeat horis.* Loquebatur hîc *Plinius* de omni intermittentium febrium genere, quòd certis horis, & diebus certis, per corpus ipsarum calor remeat: *Nec horis modò, sed diebus*

18. *noctibusq; trinis quadrinisve, etiam anno toto.* Innuit tacitè celeberrimam illam difficultatem, de causa reditûs febrium per circuitus, in quotidiana singulis diebus, in tertiana tertio quoque, quartanâ quarto; quæ difficultas admiranda *Hippocrati* visa est, & *Galenus* difficilem adeò existimavit, ut nulli postposuerit, cujus tandem obscuritas in varias ac multiplices opiniones scribentes adegit, quas omnes dilucidè as-

Lib. de sacro morbo. Lib. 3. de dieb. decret. c. 8.

affert, & confert Bened. Matamoros *lib. 4. de feb. tract. 2. disp. 8.* Porrò *quartanam nunquam brumâ, nunquam hybernis mensibus incipere.* Hoc ut plurimùm accipiendum, siquidem à præceptore nostro mutuâsse arbitrandum est; nam cùm dicit Hippocrates: *Æstivæ quartanæ breves, autumnales longæ, præcipuè quæ hyemem attingunt*; de illarum ortu locutus est, æstate & autumno; sed quòd hyeme incipiant nusquam dixit, sed tantùm quòd autumnales ad hyemem pervenientes longiores sint: quòd si hyemales quartanas in acutas transire apud ipsum legitur, hoc ut rarissimum observavit, cùm hybernum tempus ad succum melancholicum generandum aptum non sit; qua de causa per hyemem rarissimè accidunt quartanæ, quæ si tunc incipiant, ideò in acutas transeunt, quia pororum densitate melancholicus exardescit succus, & præpeditâ transpiratione deterius putrescit, & super assatur, unde diabolicus resultat humor, & cancri materia, quæ terram fermentat. *Quosdam post 60. vitæ spatium non accidere.* Hi sunt biliosi ferè omnes, & præcipuè ardentes febres, causones dictæ, de quibus dixit Avicenna: *Et parum quidem accidit senibus febris valdè accensa, propter frigus complexionis eorum*, ut 1. *aph.* 14. prius docuit *Hippocrates*: ex his quoque est epilepsia, quæ rarissimè senescentibus advenit, de quo legendi sunt Vega & Augenius *tom. 2. lib. 3. epist. ad Fabium Apicelum*; etenim post annum 20. epilepsiâ neminem tentari *lib. de sacro morbo* scripsit *Hippocrates*, quod à causa interna præcipuè, & ut plurimùm intelligendum. *Alios pubertate deponi.* De istorum quoque numero est epilepsia, ut 2. *aph.* 45. expressè docuit Hippocrates, & 5. *aph.* 7. quod in Caligula Imp. observatum est, ut in illius vita refert *Suetonius*, qui à comitiali morbo pubertate liber evasit. Sic ante pubertatem alios accidere non videmus, quemadmodum podagra, peripneumonia, sed frequentiùs podagra; quia & inter illos qui pubertate finiuntur, numerandi veniunt vesicæ lapis in pueris, achores, favi, lumbrici, & quicumque illorum frigidi sunt affectus: nam eo tempore calore jam acriori reddito, & ab humiditatibus exuto, calefacere amplius valet & discutere; in fœminis præcipuè erumpentibus tunc mensibus, & laxatis calore viis, per quas tempestas vitiosorum humorum excernatur, ut sic à causis, quæ antea morbos confovebant, liberatæ saniori fruantur statu, & à morbis expediantur. *Senes minimè sentire pestilentiam.* Hoc verum esse facilè intelligitur ex eo, quòd senum inspiracula venenatæ auræ aditum non præbeant, angustiora jam reddita propter frigidam & siccam temperiem, ob quam etiam cùm majori ex parte absumpta sit humiditas, putredini non ita sunt obnoxii. Aliter quàm in adolescentibus ac juvenibus, qui ob contrarias causas, & assiduum exercitium cùm sub dio magis versentur, pestis inquinamenta faciliùs reportant, & infectum aërem promptiùs suscipiunt, ob nimiam pororum laxitatem, qui exercitio adhuc magis aperiuntur. *Et generatim modò servitiis, modò procerum ordini per gradus.* Eandem subdit pestilentiam, quâ magis capiuntur serviles, utpote intemperantes incontinentesque, quibus nulla vitæ aut valetudinis ratio subest; præsertim cùm in famulitio occupentur, & munditiei curam gerant, unde non solùm exercentur, defatigantur, sed tetros ac fœtidos vapores sæpiùs invitè odorantes faciliùs debilitantur, & inquinantur. Accidit etiam servis phthisis & pleuritis pectore ob laborem debilitato. Proceribus autem familiaria sunt podagra, calculus, & renum aliæ affectiones, ob inertiam & otium, præposteramque ingluviem, & mollitiem, ut *quæst.* 88. abundè scripsimus; unde non solum excrementa in copia congerunt, sed nec discutiunt superflua: illorum etiam frequens malum est melancholia, quæ ab ipsis ad prudentiæ & excellentis judicii incrementa ostentanda ut conveniens jam dudum affectata est, ut *quæst.* 73. antea ex *Rhodigino* & *Crinito* ostendimus. *A meridianis partibus ad occasum solis pestilentiam semper ire* &c. Hoc *Mercurialis* non recipit, & aliter explicat; vide illum *lib. 5. variar. cap. 7.* Hæc *Plinius* ex medico deprompta penu angustioribus laconismi sui ergastulis inclusa reliquit. De his igitur omnibus morbis videtur dici posse, quòd sapientes sint, cùm velut intelligentiâ quâdam videantur gubernari, advenire, recedere: hi enim sunt, qui novisse videntur ætates, naturas, hominum gradus, hos invadere, illos relinquere, nec non & tempora distinguere; hi qui à natura leges accepisse videntur, & earum observantiâ quâdam ingressûs & egressûs sui tempora, & motiones disponere. Mirum igitur non fuerit, quòd his adductus doctissimus *Pineda* prædicto modo difficilem hunc Plinii locum explanari posse acutè pensitaverit.

19\. 2. Aph. 2

L. 1. co in fine.

20\. Fen. 14. tract. 2. cap. 7.

3\. De lo ult.

21\.

Sed si à tanti viri opinione recedere fas est, parcat ipse, quia nec *Pintianus*, aut *Gile-*

lenius, *Rhenanúsve*, aut ex celeberrimis *Plinii* annotatoribus quispiam sic accipiendum esse locum notârunt; quin & doctissimus vir *Claud. Salmasius* apud Beverovicium *in quæst. epist.* tacitè hanc opinionem rejicit: verba siquidem illa *Plinii* quæ mox sequuntur, *Morbis enim quoque quasdam quasi leges natura posuit*, ad rem nil facere putat, cùm ad sequentem periodum potiùs trahi debeant, quàm superiori annecti; cùm præsertim vetusti alii codices, illud *morbis enim* aliter legant, *morbis quoque*. Quin & in Toletano apographo antiquissimo codice pro *morbis enim*, legitur *mortis enim*, ut advertit *Pintianus*, qui hoc asterisco in *Plinii* marginibus adnotavit; atque ideò idem *Beverovicius* hanc opinionem sibi non placere ait: propterea *Dalechampius*, qui prædicta omnia non ignoravit, *per sapientiam mori*, desipientiam maluit intelligere. Deindè si *mori per sapientiam* est mori per aliquam ægritudinem, cujus idem *Plinius* cap. sequenti signa proponit lethalia; ergò cùm ex ipsomet authore pateat de aliquo morbo illa dixisse, evidenter infertur locum habere non posse quod hujus opinionis author intendit, cùm de morbi providentia, ordine, aut naturæ artificio *Plinium* explicare conatur: & ad metaphoricam hanc sapientiam non allusisse inde rursus constat quòd eo loco de multis loqui videtur, qui ordinem in circuitibus, ætatibus, & personis servant, de quibus omnibus dici poterat, quòd sapientes essent morbi: quare si in tali sensu fuisset locutus, plurali sermone debuisset uti, cùm multos statim numeret; sed unum tantùm esse sapientiæ morbum, de quo ibi loquebatur, ex eodem evidenter colligitur, *morbus est aliquis*, de quo rursùs sequenti capite signa lethalia proponit; quæ nulli alteri ex dictis morbis, quos sapientes dici posse adnotavimus, convenire conspicuum est.

Explicatio reconditis verbo 22.

Sed cùm aliquando in *Arethæi* locum incidissem 2. *de acutis cap.* 4. ubi de animæ statu agens, ad quem per exurentis febris vim, aut alterius acuti morbi, anima devenit, corpore jam ab humiditatibus exuto, & lethaliter laborante, sic ait: *Animus stabilis & constans est, sensûs omnis purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea: primùm quidem se ipsos de vita migraturos præsentiunt, futura denuntiant. Nonnulli verò interdum eorum dictis fidem non adhibendam putant, sed dictorum eventus homines in eorum admirationem concitat. Aliqui præterea ex his cum quibusdam vitâ defunctis sermonem habent; fortasse quidem ipsi soli præ sensûs acumine & puritate eos adesse cernentes, aut fortè ipsorum animo viros cum quibus mox versaturi sunt prænoscente, atque enarrante: quippe antea in lutulentis humoribus, & caligine demersus erat, quos ubi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aëre fiunt prædicant, exutoq; sordibus animo veracissimi vates efficiuntur. Sed quorum succi & ingenium adeò extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites, cùm eorum vitalis potentia jam in aërem cesserit, atque abierit.* Hæc *Arethæus* præcipuè de febre ardenti morientibus tradidit, & rursus *cap. de syncope*, hoc affectu & corde laborantes ait non præsentia tantùm, sed futura verissimâ denuntiatione prædicere, quod aliis quoque delirantibus accidere scribit doctissimus Joan. Varandæus *p. 2. de prognosi medica cap. 4. dist inct.* 1. ubi ait delirantes in vaticinium aliquando prorumpere, quasi enthusiasmo affectos, stantes de rebus seriis & futuris admonentes, ac tunc repentè mori prostrato jam calore cerebri nativo, & ultimos exerente conatus, sicuti lucerna extinctioni proxima majores subitò flammas eructare videtur, ut *quæst.* 27. cum multis aliis jam adduximus.

Ex his igitur adductis locum Plinii *Morbus est aliquis per sapientiam mori*, sic aliquando intelligendum atque explicandum putavi, ut *mori per sapientiam* esset mori per sapientiam mortis propriæ, & cognitionem illius jam jam adventantis. Eruditissimus P. Ioan. Ludovicus de la Cerda *in elegantissimis suis comment. ad Virg. lib.* 10. *fol.* 518. ex Doctore *Penia* sibi charissimo, ac sui temporis medico expertissimo, qui *Arethæi* locum illi indicâsse ait, nil aliud prædicto loco *Plinium* indicâsse putat, quàm esse morbum aliquem, in quo quis ad mortem perveniat sapiendo, ita ut sapientia ut veluti via ad mortem; lethale enim signum esse dicit, cum anima fit jam vates, quippe ad hæc vaticinia & sapientiam non pervenitur, nisi ita humoribus constitutis, ut mors debeat sequi: quasi doleat *Plinius* sapientiam esse signum lethale, & inevitabilem viam ad mortem. Quæ omnia antiquorum morem, & *Plinii* stylum satis redolent; & à *Mercati* judicio in hoc differre videntur, quòd *Mercatus* non ex morbi vi, hi verò authores sapientiam illam morbi ratione comparari, & produci statuant.

Sed quantumvis hæc non incongrua videantur, tamen cum variis morbis in illum sapientiæ gradum & vaticinandi furorem homines non rarò devenire videantur, ut prædictâ *quæst.* 27. latiùs attulimus, *Plinius* verò de peculiari aliquo morbo loqui videatur, *Morbus est aliquis*, cujus signa *cap. sequenti* proponit; aliter explicandus, & quis ille morbus sit, quærendum adhuc est.

5. *Interpretatio Dalechampii, & aliorum juniorum.*

Tandem vigilantissimi alii juniores, & qui in explicandis explanandisque antiquorum plurimis difficultatibus multum elaborârunt, prædictum *Plinii* locum non aliter quàm de phrenitide accipiunt, & in hoc sensu sunt qui *Plinium* trajectâ voce legunt hoc modo: *Atque morbus est aliquis sapientiam præmori*. Quomodocumque igitur sit, de phrenitide *Plinium* hîc locutum fuisse statuunt sic igitur illum explicat in primis Dalechampius *in annot. ad eundem Plin.* doctiss. Lemosius *lib.* 1. *de facult. nat. cap.* 6. *&* 12. *meth. disp.* 3. quam etiam interpretationem annis præteritis, ut novissimam attulit singularis doctrinæ vir *Gaspar Alvares Caldera* Medicus Hispalensis, in quam etiam inclinare videtur Mercurialis *lib.* 6. *vatiar. cap.* 20. & post longam opinionum disceptationem doctissimus Claudius Salmasius *in quæst. epistolicis apud Beverovicium*, quem tandem idem sequitur *Beverovicius*; licèt *Scaliger* huic opinioni minimè assentiri voluerit, quòd antiquorum, & usitatum loquendi *Plinii* morem non saperet: sed *Mercurialem* & *Salmasium* phrenitidem, *ut sic*, non intellexisse, ex illorum scriptis statim commonstrabimus.

Cæterùm phrenitidem, *ut sic*, obscuris illis verbis *Plinium* minimè adnotâsse vel ad lucernam Momi patebit; si quæ ibi leguntur, optimo expendantur judicio: nam *Plinius* prædicto loco morbos nullo modo enumerat, sed aliquorum recondita aliqua mirabilia, & quæ monstrosi eventûs naturam sapiant, & involvant, tanquam prodigiosa scribit: miratur enim ibi non febres, sed certam illarum invadendi conditionem, certis diebus & horis, etiam anno toto; quemadmodum quartanam hybernis algoribus non incipere, alios pubertate deponi, alios Procerum ordinem, servorum alios per gradus impetere; & in horum medio majus aliquid, & admiratione dignius adjiciens dixit: *Atque etiam morbus est aliquis &c.* Apparet ergò verbum *Atque etiam* quodammodò admirationis aliquid afferre: quæ si ita sunt, quis notissimam adeò rem phrenitidem, & quæ nihil peculiaris admirationis continet, quod cum aliis conferri possit, hîc intellexisse adstruat? An hic *Plinii* mos, ex miraculorum naturæ penu depromptis, ipsis etiam fullonibus nota adjungere? Quid enim rari habet phrenitis, quid admirationis? an quod præcipuam animæ functionem, rationem inquam, & hominis sacrarium vitiet, & perturbet? (hoc enim magnum videri poterat, ut inter cætera morborũ mirabilia numerandũ veniret) minimè quidem; quia phrenitis rationem propriè non lædit, sed illius organum turbat & vitiat ac optimam illius temperiem corrumpit, unde defectu instrumenti rationi advenit nocumentum: quis verò inter morborum prodigia hoc tanquam singulare adnotabit, quòd reliquis omnibus commune est, ut partium, quibus insunt, crasim & actiones lædant ac vitient? Quod sanè considerans *Scaliger* doctiorum omnium calculo doctissimus, aliorum interpretationibus de phrenitide haudquaquam assentiri voluit, nisi aliquid ultrà adjiciatur, quod rari & admirandi naturam sapiat, & *Plinii* consuetudinem æmuletur, ut modò declarabimus.

Affertur prædicto loco lux: tollitur evidentissima, quæ in Plinii *contextu invenitur, æquivocatio.*

TEmpestivum igitur jam est, ut convivis, quorum stomachos nauseabundos conspicimus, & multiplici ructu cruditatem ostendere, aliorũ non valentes obsonia concoquere, condimentis blandiamur nostris & aliorum amoveamus anorexiam; ut suaviter tandem refecti in placidum labantur somnum, & tantæ inde acquiescant difficultati. Cæterùm parte hac, non tam quod sentio profero, quàm studiosorum ingenia provoco, ne aliorum fiduciâ in utramq; aurem sibi dormire permittant, sed nova excogitent semper. Candore tamen & simplicitate sicubi lapsi fuerimus, revocent ad libram humaniter, quoniam hominis est in plurimis connivere; nam & ipsi nostra quoque posthabituros spondemus, si alicujus potior sese ostentârit ratio. Sed ne diutius quempiam suspensum habeamus, nostra venditantes præter modum, veluti

plane

planè hîc fortunatior sit Alabanda, aut Jovis accumbentibus polliceamur cerebrum; quæ sunt à nobis excogitata aggredimur jam dicere.

Supponimus ergò insaniam, desipientiam, & delirium communiter importare omnem mentis alienationem, sive cum febre, sive sine ea, sive ex melancholia, sive ex bile, aut pituita proveniat; sic enim patet ex *Galeno*: phrenitis tamen, licèt latè accepta omne etiam importet delirium, pressiùs tamen & in stricta significatione delirium est cum febre; quòd si & delirium, & febris fuerint continua, propriissima est phrenitis; sin minùs, sed per exacerbationes, & circuitus affligat, aut per consensum aliundè oriatur, tunc non phrenitis, sed paraphrenitis, seu paraphrosyne dicitur. Cæterùm si delirium, licèt per consensum oriatur, perpetuum tamen sit, ut in septi transversi inflammationibus contingere scimus; tunc non phrenitis, sed paraphrenitis, rectissimè verò pseudophrenitis appellatur. Omnia verò hæc tria à Græco *phrenes* deducta fuisse notissimum jam est, sic scribente Galeno. *Phrenas* verò interpretari mentem, seu sapientiam, seu prudentiam, nemo est qui nesciat. Rursùm communi nomine tam apud Philosophos, quàm medicos & poëtas, per *phrenas* septum transversum intelligi eodem loco scripsit *Galenus*: primus autem *Plato* septum, diaphragma, quod est secernere, dixit, quòd spiritalia secernat à naturalibus, & dividat. Sed adhuc ipse *Plato* consuetudinem secutus *phrenas* appellavit *in Timæo*, & ubique fecit *Hippocrates*: quare *Galenus* nil referre docuit, an septum, an *phrenas* dicamus; eodem modo medici omnes, qui postea secuti sunt. Dixerunt verò *phrenas* veteres, non (ut *Galenus* inquit) quia sic in mentem venit, sed quia vel læsâ hâc particulâ statim mens lædebatur, vel (quod verius est) quia in parte hac mentem præcipuè residere quamplurimi ex veteribus existimârunt, atque ideò *phrenas* dixerunt, hoc est, mentem seu sapientiam, seu in cujus participatum venerit ipsa, ut verbis *Rhodigini* utar; quod etiam voluit Aristoteles 3. *de part. animal.* 10. cùm sic inquit: *Quam obrem phrenas appellatur, quasi particeps prudentiæ sit*: quippe in hac particula non solum, sed in corde, & in vena cava, philosophos fuisse, qui sensûs & sapientiæ sedem ac principium collocarent, notavit Valesius 4. *de victus rat. in acut. tex.* 24. imò ipse *Hippocrates* mentem in illo ponit, licèt *lib. de sacro morbo* illorum opinionem redarguere videatur, qui septum sapientiæ locum esse dicebant, quam contradictionem rectè dissolvit Angelus Victorius *consult.* 81.

1. Prorrh. 2. 2. de simpl. caus. ult. & 3. in 3. epid.

5. De locis 4.

5. de anat. admin. cap. 4. & 6. ejusd. cap. 4. lib. 5. de locis 4.

Lib. de corde.

His igitur sic prælibatis dicimus, nil aliud obscuro illo ænigmate *Plinium* significâsse, quàm phrenitidem, haud tamen veram quam nos sine addito vocamus phrenitidem, ut supradicti authores existimârunt, sed pseudophrenitidem intellexisse, quæ delirium est perpetuum, à septo inflammato vel sauciato nomen & ortum accipiens.

Sit igitur agonotheta nobis quisquis voluerit, hoc si clarè probaverimus, aliquid jam fecisse fatendum erit; sin minùs aliquibus non arriserit interpretatio nostra, eosdem instigabimus, protritabimusque, ut majora excogitent, & rimentur veriora. *Morbus*, ergò, *per sapientiam mori*, & *mori per sapientiam*, nil aliud est, quàm mori per morbum partis illius, quæ sapientia, seu mens communiter dicebatur, seu in qua consistere putabatur; hæc verò pars non est alia, quàm ipsa *Zona*, quam *succincturam* appellabat Aristoteles, *dissipium*, seu *dissептum*, Macrobius, quia intestina & ventrem secernat, Grammatici *præcordia*, medici post Platonem *diaphragma*, antiquiores verò *phrenas*, quòd mentem putarent esse, aut inesse ibi; quos ideò redarguit Hippocrates *lib. de sacro morbo*: cùm hoc tamen usque ad *Galeni* tempora hunc errorem & hallucinationem durâsse ex eodem fit manifestum, qui Athenæi discipulum ironicè reprehendit, quia phrenetici caput oleo & acero perfundebat, & Thessali sectatores, qui in phrenitide tanquam partem læsam cor statuebant; quare cordi, non capiti oxyrrhodinon apponi debere per jocum & facetiam consulebat: licèt autem cor ibi dicat *Galenus*, septum intelligere oportet, quod *præcordium* dictum est, quia cordi prætendatur. Ratum hoc erit, & omnium calculis firmabitur opinio nostra, si *Plinium* exhibuerimus eodem modo de septo sentientem, nimirum quòd esset mens, aut illius præcipua sedes, quod facit *lib.* 11. *cap.* 37. post medium: *Huic certè* (inquit de septo loquens) *refertur accepta subtilitas mentis; ideò nulla est ei caro, sed nervosa exilitas.* Jam ergò judicio nostro hæc luce meridianâ apparent clariora.

Lib. 3. de part. animal. 10. lib. 1. in somn. Scip. cap. 6.

Accipit itaque *Plinius* in morbo *per sapientiam mori*, morbum non per symptoma, quod est delirium phrenitidis, sed per partem læsam; morbis enim vel ab humore, vel à symptomate aliquo, vel tandem à parte affectâ nomen indi solet, ut 2. *meth.* 2.

 Ga-

Galenus docet; quare ultimo hoc modo etiam usus est *Plinius*, ut in multis aliis fieri assolet, pleuritide scilicèt, podagra, nephritide, &c. sic ergò ex parte affecta nomen morbi connotavit; dixit verò *per sapientiam mori*, ut breviloquo suo more ostenderet, ex septo sauciato, aut inflammato ferè semper hominem mori, cùm rarissimum sit ex similibus casibus superstitem evadere aliquem. Poterat quippe dicere sit morbus per sapientiam apprehensam, seu in quo apprehenditur sapientia; cæterùm ut hoc ostenderet, & mortis plerumque necessitatem ex tali morbo, *per sapientiam mori* dixit; & in hoc sensu *Mercurialem* & *Salmasium*, cum de phrenitide *Plinium* explicant, illum accepisse, ex illorum verbis, quæ mox addunt, evidenter colligitur. Addit enim statim Mercurialis: *Quòd à septo transverso nomine* φρένες *antiquitùs vocato originem ducere crediderint veteres, atque idcircò eo affecto, ubi mentis sedem ponebant, sapientiam tolli.* Clariùs *Salmasius*, qui sic ait: *Quid ni, inquam, sapientiæ morbus certè dicatur, ut lateris morbus, & articulorum dici à Latinis consuevit, quam pleuritim, aut arthritim unicâ voce vocant Græci?* In hoc solùm stat differentia, quòd veteres in omni phrenitide septum, in quo mentem esse putârunt, læsum esse cogitabant; nos verò de phrenitide per consensum à septo *Plinium* locutum fuisse volumus, quod ex signis *cap.* 51. quæ idem affert, evidentissimè demonstrabimus.

Clariora igitur hæc multò apparebunt, & omnium fortassis animis insedebunt, si ex signis sequentis *cap.* 51. ex quibus aliorum confregimus interpretationes, nostram corroboremus, & lethalia signa, quæ de sapientiæ morbo ibi proponit *Plinius*, huic nostro, & non alii morbo congruere, ac propria esse palàm fecerimus. De signis igitur mortis prædicto *cap.* exempla aliquot afferens, in desipientium præcipuè morbis, sic in capitis initio scribit: *Iam signa lethalia in furoris morbo risum, sapientiæ verò ægritudine fimbriarum curam, & stragulæ vestis plicaturas, à somno moventium neglectum, præfandi humoris è corpore effluvium, &c.*

Plinii textus mendosus.

Antequam tamen ulterius progrediamur, oportet hoc loco manifestam facere, ac de medio tollere, evidentissimam in *Plinii* contextu æquivocationem, à paucis (quod sciam) animadversam; hâc enim sublatâ quam adesse nemo ex medicis negare audebit, *Plinii* sensum non alium, quàm à nobis traditum, fuisse patebit evidenter. Igitur ubi Plinius *in furoris morbo risum, signum lethale esse* ait, *sapientiæ verò ægritudine fimbriarum curam, &c.* est, inquam, manifesta in prædictis verbis æquivocatio, quæ *Hippocrati* medicinæ Principi omninò videtur contraria, à quo ipse *Plinius* prædicta signa mutuâsse eodem *cap.* fatetur: *Quæque alia*, inquit, *Hippocrati Principi medicinæ observata sunt.* Ergò cùm dicat *Hippocrates* securiores esse desipientias, quæ cum risu fiunt: *Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores; quæ verò cum studio, periculosiores*, (doctrina ab omnibus recepta, ut *lib.* 3. *cap.* 18. confirmat *Celsus*) patet, inquam, evidentissimè, *Plinium* fuisse æquivocatum, aut mendum esse in illius textu, quod ab antiquo codice maculato in posteros derivari potuit.

6. Aph.

Plinii æquivocatio corrigitur.

Hieronymus Horta *in doctis ad Plin. annotat.* quas annis præteritis Hispanico idiomate edidit, mendosum esse locum animadvertit; quem errorem antequam apud ipsum legerem, ego etiam in meo *Heraclidis antro* adnotaveram. Ille igitur ut locum corrigat, adjiciendam ait particulam negativam, sic: *Iam signa lethalia in furoris morbo non ridere.* Ita ut voluerit *Plinius*, quòd in delirantibus mortale signum sit non ridere; sed cùm à nullo ex junioribus, nec etiam ex antiquioribus tale signum mortale constituatur, illius emendationem non probo; desipientias siquidem, quæ absque risu, & cum studio fiunt, periculosiores esse scripsit *Hippocrates*, sed lethales esse nec ipse, nec alius dixit. Meliùs igitur translatis verbis, & citrà alicujus adjectionem *Plinii* contextum corrigi posse arbitror, si illum sic legamus: *Iam signa lethalia in sapientiæ morbo risum, furoris verò ægritudine fimbriarum curam.* Sic enim nulla fit doctrinæ *Hippocratis* repugnantia: quippe aliter dicere, in furoris morbo lethale signum esse risum, citato aphorismo contradicit apertè, cùm *Hippocrates* adhuc illas desipientias quæ cum studio fiunt, periculosas esse voluerit, minimè verò lethales; tantum verò abest ut risus periculosum sit signum in furoris morbo, ut etiam securiores esse desipientias, quæ cum risu fiunt, docuerit *Hippocrates*; quod ipsa experientia confirmat, cui suffragatur ratio si hujusmodi risûs causa attentè consideretur: eam affert Valesius *in Parmenisri historia*, cui prius incidebant tristitiæ, & decedendi à vita cupiditas; aliquando autem rursus lætitia: in cujus *com.* illius lætitiæ causam reddens ait, quòd sedatâ effumatione nigri humoris, & illius cessante motu, à mœstitia liberabatur; cùm enim, inquit,

inquit, nulla lætitiæ major sit causa, quàm solvenda mœstitia, ut voluptatis solvendus dolor, necesse est ut lætentur sine ulla externa causa soluti à plurima mœstitia. In cujus comprobationem Socratem affert in Platonis *Phedone* sic loquentem: *Quàm mira videtur, ô viri! hæc res, quam voluptatem nominant, quamq; miro naturaliter se habet modo ad dolorem, qui ei contrarius est? quippe cùm simul adesse nolint, tamen si quis prosequitur capitq; alterum, semper fermè alterum accipere cogitur, quasi ex eodem vertice sint ambo connexa.*

Sed hanc *Valesii* opinionem de causa istius risûs, meritò refutat doctissimus *P. Garcia*; cùm risus ille & lætitia causam requirant positivam, nec à privatione tantùm mœstitiæ fieri possint; hanc autem positivam causam, sanguinem aut illius vaporem esse, cum eodem *Garcia* tenet potissima medicorum pars, *Avicennam*, & *Averroëm* sequentes. Itaque utramvis statuamus, an tristitiæ cessationem, an sanguinis præsentiam, aut illius vaporem (quæ verior est) constat evidentissimè risum & lætitiam in omni dementia signum esse salutare & securum, ut docuit *Hippocrates*. Quare idem Valesius *in histor. Sileni* 1. *epid. sect.* 3. de illius risu verba faciens dicebat: *Si risus per dementiam fiebat, profectò secura videbatur esse hæc dementia, siquidem cum risu fiebat.* Quapropter manifestissimum est errâsse *Plinium*, cùm in furoris morbo risum lethale esse signum scripsit; verba verò textûs esse translata, ac sine aliqua adjectione emendari debere evidenter apparebit, si risum, quem per æquivocationem furoris morbi lethale esse signum dixit, non hujus, sed morbi sapientiæ tale signum esse apertè ostendamus, de qua simul ibi lethalia signa proponebat.

Sublatâ jam *Plinii* æquivocatione, & probato satis non posse risum esse lethale signum in furore, aut dementia; videndum est an in sapientiæ morbo à nobis explicato tale signum lethale sit risus, ut hoc modo videatur sibi consentire *Plinius*, & cum explanatione nostra convenire.

Si igitur sapientiæ morbus, ut diximus, est morbus illius partis, quæ sapientia seu mens esse putabatur, nullus alius erit profectò quàm septi, seu phrenas vulnus, aut inflammatio; in qua sanè ægritudine risum esse lethale signum, ipse medicinæ magister eximius Coryphæus, & venerandus senex *Hippocrates* clarissimè ostendit 1. *epid. in eadem Sileni historia*, qui ex septi inflammatione mortuus est undecimo die; sic enim ibidem ait Hippocrates: *Nocte nihil dormiit, sermones multi, risus non poterat se continere.* Confirmat hoc altera ejusdem *Hippocratis* historia, Tychonis in obsidione circa Datum: *Percussus* (inquit) *pectus à catapulta.* Et paulò post: *Risus erat ipsi tumultuosus*, qui tandem tertiâ die mortuus. Novit & hoc idem *Plinius*; ut appareat inde quàm scienter risum lethale esse signum dixerit: sic enim ait cap. 37. lib. 11. *Ob hoc in præliis, gladiatorumq; spectaculis trajecta præcordia cum risu mortem attulerunt.* Novit & hoc *Aristoteles* qui eisdem fermè verbis idem scripsit 3. *de part. animal. cap.* 10. & plurimi adhuc ex historicis, ut ex nostris adnotavit P. Mexia *lib.* 1. *silvæ variæ lect. c.* 7. Ex quo pensitent docti, quàm lethale signum sit risus in sapientiæ morbo à nobis explicato, quamque videatur convenire explanatio nostra cum signis mortis à *Plinio* adductis; quæ quidem lethalissima sunt in aliis morbis & maximè timorosa, ac proinde advertant quàm clarè pateat æquivocationem esse in *Plinii* contextu, quam paucissimi adnotârunt; de qua ut nemo dubitet, advertendum est, non dari in tota morborum phalange alium, in quo risus signum habeatur lethale, nisi in septi transversi morbis prædictis; in nullo quippe alio simile quidpiam invenitur, licèt *Strabo* & *Ælianus* de quodam phalangeorum genere scribant, quod in Albanorum terra nascitur, quorum venenati morsus ejusmodi sunt naturæ, ut ridendo mori cogant, quod absque dubio de tarantulis Apuliæ, quod araneorum genus est, ferè omnes intelligunt; in nullo alio morbo risus ut signum lethale in tota medicina invenitur. Acquiescant ergò hujus difficultatis indagatores, & nobis dent herbam, quandò jam Amæa Azesiam reperit.

Superest ut dicamus, quisnam sit ille risus, qui sapientiæ morbi lethale esse signum perhibetur; in cujus gratiam dicimus, hunc non esse verum risum, sed potius convulsionis quandam speciem ortam ex contractione nervorum diaphragmatis; qui quidem nervi ex 4. & 5. cervicis vertebra oriuntur secundùm Laurentium 9. *anat. cap.* 4. aut ex 3. & 4. secundùm Mercatum *cap. de convuls.* ubi de canina agens, risum Sardonicum ex septo sauciato fieri scribit: *Ex quo* (inquit) *plerique ridendo moriuntur, quia ex eisdem nervis qui ad septum feruntur, ramuli quidam ad maxillas & labia*

inseruntur, qui ubi quâ parte ad diaphragma perveniunt, fuerint convulsi, unà quoque secum ramulos illos musculorum faciei contrahunt, quibus maxilla & labia hinc inde præter arbitrium agitata, risum quendam repræsentant. Sic tenent etiam *Valesius* in eadem Tychonis historia; quo loco ait non fuisse verum risum, sed motum potius convulsivum, ideoque ab *Hippocrate* risum tumultuosum fuisse appellatum; confirmavit hoc idem Tychon, qui convulsus mortuus est. Idem tenet Foësius *in annot.* ad eandem historiam, & *Valesius* in citata Sileni, licèt à *Mercuriali* redarguatur in *historiis epid.* quia etiam hoc *Dalechampio* placuit ad dictum *Plinii* locum, qui dicit nomine *risûs* non intelligere illum, qui hilaritatis est indicium, sed *Sardonicum*; quod nec prætermisit Beverovicius *in idea veteris med. part.* 3. *lib.* 4. *cap.* 2. ubi risum, ut signum sapientiæ morbi, ex *Plinio* afferens addit statim, *Sardonicum*.

5. Epid.

Ex quibus omnibus doctissimorum judiciis patet, hunc non fuisse verum risum sed convulsionem potius caninam, & risum sardonicum dictum, à sardonia herba tracto nomine, de qua scribit *Pausanias*, mortem cum risûs specie afferre: unde primus omnium sardonicum risum vocavit *Homerus*, & exindè omnes; quam quidem herbam ranunculi speciem esse author est *Dioscorides*, quare & apium risus dicta est, quia eam edentes, cum oris tortura, & sensûs turbatione interficiat, ob veneni sævitiem: quorundam quippe venenorum talis est natura, ut cum risu alios, lachrymando alios interficiant, ut de tarantula & phalangeorum genere, ex *Strabone* & *Æliano* antea dicebamus; sic igitur de sardoniæ herbæ veneno, de qua Solinus: *Sardonia herba, si edulio fuerit, vescentibus nervos contrahit, rictu ora diducit, ut qui mortem oppetunt, ridentium facie intereant.* Ex quibus omnibus constat erràsse *Amatum*, qui ex Tychonis historia nititur probare diaphragma sedem esse risûs; de qua difficultate & risûs sede modò scribere non vacat, videat quisquis voluerit citatum *Amatum*, & *Mercurialem* in eadem Sileni historia, & Valesium 5. *controv. cap.* 3. à quibus omnibus nunc supersedemus, atque etiam omittimus quomodò sauciato aut inflammato septo subcrescat statim delirium; de quo videndus *Laurentius*, & *Petr. Garcia*, qui plenissimè hoc negotium tractârunt. De cæteris *Plinii* mortis signis quæ *cap.* 51. *lib.* 7. affert, latè in nostro *Heraclidis Antro* egimus, ubi illa ex *Hippocratis*, *Galeni*, & aliorum medicorum authoritatibus abundè explicavimus.

Lib. 6. cap. 14.

cap. 9.

24.

Cent. 7. curat. 24.

Lib. 9. anat. quæst. 4. disp. 7. de locis cap. 8.

Hæc habui de tam salebroso, & aditu difficili *Plinii* loco, tamque ab intellectu omni devio, & de cæteris omnibus hoc opere contentis, quæ offerre vobis potuerim; etsi non ambigam minimè defuturos, qui nostrum hoc institutum Timoniano dente lacessant, vel etiam Vatiniano prosequantur odio; haud enim ignoro, quòd nec fortunatissimus quispiam ab his defendi possit, aut illos evadere, quibus præstaret magis aliorum conatus adjuvare, & imitari labores, quàm atro sale, & nigrâ loligine, probè dicta, & quæ talia non sunt, sed tamen non citrà studia & labores facta, inspergere ac sugillare. Quamvis plurima enim non arrideant, scire oportet, non iis modò, quorum sententiæ accedimus, sed iis etiam, qui veritatem non attigerunt, testari nos gratos decere; nam & hi aliquid contulerunt, nos etenim excitârunt, acueruntque; siquidem etiam in non assecutis, voluisse abundè pulchrum est, ut *Plinius* dicebat, cùm præsertim eorum, quæ multipliciter exponuntur, veritas ignoretur, ut optimè admonet *Math. Grimaldus*; quandoquidem arduum semper fuerit implicita solvere, ambigua distinguere, & obscura perspicere, quod nullus agnoscit nisi qui experitur.

Lib. 2. de rat. studendi.

FINIS.

Pro quo Deo Opt. Max. Sanctissimæque Virgini Matri ingentes agimus gratias, qui nos ad illum perduxit.

IN-

INDEX LOCUPLETISSIMUS RERUM OMNIUM,

Quæ in hac selectarum quæstionum centuria sparsim continentur.

Litera Q. quæstionem significat: numerus primus numerum quæstionis denotat, secundus verò illorum qui in singulis quæstionibus marginales inveniuntur.

A.

Adoles-

Athe-

B.

C.

Conce-

F.

G.

Ge-

H.

Hip-

per

Homo

India

L.

Lac

Maximi

Medici

 Me-

Medi-

Mor-

N.

O.

P.

Para-

Q.

R.

S.

Sani-

RERUM.

rumpi

T.

V.

Ve-

R E R U M.

Vir

X.

Z.

FINIS.